Vit. S. Suri. Mai.

A
18-3

94

2o oto - f - f.

Bibliot. Univ. Universitaria
Sala A
Palch. 18
Tabla
Numero 5

I 17915120

DE PROBATIS

SANCTORVM VITIS

Quas tam ex MSS. Codicibus, quam ex editis Authoribus

R. P. Fr. LAVRENTIVS SVRIVS CARTHVSIÆ COLONIENSIS PROFESSVS

Primum edidit, & in duodecim menses distribuit.

IVNIVS

Hac postrema editione multis Sanctorum vitis auctus, & notis marginalibus illustratus.



COLONIAE AGRIPPINAE,

Sumptibus Ioannis Kreps & Hermanni Mylij.

ANNO clɔ Iɔc XVIII.

INDEX SANCTORVM IVNII,

quorum vitæ, martyria, & acta, partim hoc mense, partim alijs aliorum mensium Sanctorum vitis insertæ, continentur.

IVNIVS.

I. SS. Amphili, Valentis, Pauli, Seleuci, Porphyrij, Theoduli, Iuliani & sociorum martyrium, *ex Simeone Metaphraste.* 1

De ijsdem *ex Eusebij histor. Ecclesiast. li. 8. cap. 17. & 21. interprete Ioanne Christophorsono.* 3

S. Caprasij Abbatis monasterij Lerinēsis vita, *ex MS. Codice.* 5

S. Simeonis Monachi Treuirensis vita, *authore Euervvino Abbate monasterij Doleiensis.* 7

De eodem, *ex Ioannis Spanheimensis chronico Hirsaugiensi.* 11

* S. Secundi martyris vita, *ab Antonio Maria Episcopo Amerino descripta.* 11

II. SS. Photini, seu Pothini Episcopi Lugdunensis, Sancti Diaconi, Epagathi, Maturi, Attali, Blandinæ, &c. martyrium, *ex Eusebij Cæsar. histor. Ecclesiast. lib. 5 cap. 1. & 2. interprete Ioanne Christophorsono.* 12

SS. Marcellini & Petri martyrium, *ex MSS. Codicibus* 16

De eorundem translatione, *authore Einhardo seu Eginhardo quondā Cancellario Caroli Magni Imp.* 18

Eorundem historia, *carmine conscripta fortè ab eodem Eginhardo* 36

* S. Erasmi Episcopi & martyris vita, *ex Mombritij tomo 1.* 38

III. SS. Pergentini & Laurentini fratrum passio. *ex MSS. Codicibus.* 41

S. Liphardi, abbatis vita, *incerto authore.* 42

* SS. Isaac, Petri presbyteri, VValabōsi diaconi, Sabiniani, VVistremundi, Habētij, & Hieremiæ monachorum, & Sanctij adolescentis martyrum acta, *ex Eulogij memorialis Sanctorum præfatione & lib. 2. cap. 2. 3. & 4.* 43

De S. Cæcilio presbytero, *habes in vita S. Cypriani 14. Septembris cap. 6.* 145

IV. S. Quirini Episcopi Sisciani martyrium, *ex MS. Codice.* 45

S. Metrophanis gesta *habentur in oratione de Patribus Nicænæ Synodi, 10. Iulij cap. 5. & 8.* 162

V. S. Bonifacij martyris martyrium *ex Simeone Metaphraste.* 46

* S. Bonifacij Archiepiscopi Moguntini & martyris vita, *authore S. VVilibaldo Eistatense Episcopo.* 49

† Eadem, *conscripta ab Othlono presbyt.* 57

* B. Meinvverci Episcopi Patherbornēsis vita, *ex MSS. Codicibus.* 84

VI. S. Claudij Archiepiscopi Bisuntini vita. 106

S. Gudvvali Archiepiscopi vita, *à. Fr. Laurentio Surio contracta.* 108

S. Nortberti Archiepiscopi Magdeburgensis primi authoris ordinis Præmonstratēsis vita, *à quodam eius æquali fortè Hugone Abbate Præmonstratensi conscripta.* 112

Ad eandem vitam appendix, *monachorū Capenbergensium* 128

20. martyrum Tarsi in Cilicia passorū martyriū, *habes in vita S. Bonifacij martyris 5. Iunij cap. 4. 5. & 7.* 47

SS. Artemij, Candidæ & Paulinæ martyrium *lege in vita SS. Petri & Marcellini 2. Iunij à princ. vsque ad cap. 8.* 16

VII. S. Pauli Archiepiscopi Constantinopolitani vita, *ex Simeone Metaph.* 129

S. Roberti Abbatis Cistercensis in Anglia vita, *incerto authore.* 131

S. Medardi Episcopi Nouiomensis vita, *authore Fortunato,* 132

VIII. De SS. Medardo, & Gildardo eius fratre Episcopo Rotomagensi *carmen S. Audoeni Archiepiscopi Rotomagensis.* 139

De ijsdem *antiphona Gregorij Turonensis. ibid.*

De S. Victorino Confessore, *vide vitam S. Victorini Episcopi 5. Sept.* 69

De S. Clodulpho Episcopo Merensi, *vide vitam S. Trudonis 23. Nouembris cap. 12.*

IX. SS. Primi & Feliciani martyrium, *ex MSS. Codicibus.* 139

S. Pelagiæ Antiochenæ virginis & martyris bina laudatio *per Ioannem Chrysostomum ex Simeone Metaphraste.* 141

* S. Columbæ, *siue Columbani,* presbyteri vita, *authore Adamanno Abbate insulæ Huensis in Scotia.* 144

* S. Iuliani monachi & anachoretæ vita, *authore S. Ephraem Syro, interprete Gerardo Vossio.* 101

X. SS. Gerulij, Cerealis, Amantij & Primitiui martyrium *ex MS. Codice.* 163

De inuentione S. Maurini Abbatis & martyris, *authore Stephano.* 164

S. Mar-

S. Margaretæ reginæ Scotiæ vita, *ex ea, quam Adelredus Abbas conscripsit, in cõpendium ab incertore dacta.* 167
XI S. Barnabæ Apostoli laudatio, *per Alexandrum Monachum ex Simeone Metaphraste.* 169
B. Parisij Bononiensis vita, *ex Iacobo de Voragine per Carolum Sigonium excerpta.* ibid.
. Honophrij, *al. Onuphrii* eremitæ & aliorum Patrum vita, *Authore Paphnutio anachoreta ex Sime. Metaphraste.* 175
XII. SS. Nazarij & Celsi martyrum vita, *authore S. Ambrosio Episcopo Mediolanẽsi serm. 92.* 179
* De ijsdem, *ex Adonis martyrologio.* 180
De eorundem translatione, *vide vitam S. Ambrosij 4. Aprilis cap. 16.* 55
S. Odulphi presbyteri vita, *incerto authore.* 181
SS. Iustini philosophi, Charitonis, & sociorum martyrium, *ex Simeone Metaphraste.* 182
XIII. S. Aquilinæ virginis martyrium, *ex Simeone Metaphraste.* 183
S. Feliculæ virginis martyrium, *lege in vita SS. Nerei & Achillei 12. Maij cap. 10.* 149
S. Gerardi monachi vita, *per fratrem eius S. Bernardum Abbatem Claraualensem conscripta serm. 26. in cantica cãt.* 185
S. Antonij de Padua vita, *à quodam Frãciscano scripta.* 188
* S. Fandilæ monachi & martyris vita, *scripta à S. Eulogio lib. 3. memorialis Sanctor. cap. 1. 6. & 7.* 196
S. Triphillij Episcopi gesta, *habes in vita S. Spiridionis 12. Decembris c. 20. 21 & 30.*
XIV. S. Elisei prophetæ laudatio, *per S. Basilium Archiepiscopum Seleuciæ ex Simeone Metaphraste.* 197
* SS. Anastasij presbyteri, Felicis monachi, Dignæ virginis, & Bonildis matronæ gesta, *authore S. Eulogio lib. 3. memorialis Sanct. cap. 8. & 9.* 198
De S. Methodio Episcopo Constantinopolitano, *vide epistolã Anastasij Bibliothec. de S. Dionysio sub finem 9. Octob.*
De S. Quinctiano Episcopo, *vide vitam S. Galli 1. Iulii cap. 2. & 4.* 13
XV. S. Febroniæ virginis & martyris vita, *per S. Thomaidem sanctimonialem scripta ex Simeone Metaphraste.* 199
S. Dulæ martyrium, *ex Simeone Metaphraste.* 205
SS. Viti pueri, Modesti & Crescentię certamen, *ex MS. Codice.* 207
De S. Viti translatione *excerpta ex libello scripto à quodam qui interfuit.* 210
B. Landelini Abbatis Crispinensis vita, *incerto authore.* 211
S. Abrahæ Abbatis vita, *authore S. Greg. Turonensi Episc. de vitis Patrũ cap. 3.* 212
* Eiusdem Epitaphium, *à C. Sollio Sidonio lib. 7. epistol. epist. 17. conscriptum.* 213
SS. Libiæ Leonidis & Eutropiæ virginũ martyrium, *lege in vita S. Febroniæ. hoc die. cap. 14.* 201
XVI. SS. Quirici & Iulittæ martyrium *ex Simeone Metaphraste* ibid.
S. Lutgardis virginis vita, *Authore Fr. Thoma Cantipratensi Dominicano.* 215
* S. Gebehardi Archiepiscopi Salisburgensis vita, *ex tom. VI. antiq. lection. Henr. Canisij.* 226
S. Bennonis Episcopi Misnensis vita, *authore Hieronymo Emser.* 229
SS. Ferreoli presbyteri & Ferrucionis Diaconi martyriũ, *ex MS. Codice.* 243
XVII. SS. Manuel, Sabel & Ismael martyrum vita, *ex Simeone Metaphraste.* 244
S. Auiti presbyteri vita, *ab eius propè æquali cõscripta, ex MSS. Codicibus* 248
De eodem, *ex Gregorio Turonensi, de gloria confessorum cap. 99.* 250
* S. Hymerij Episcopi vita, *conscripta ab Antonio Maria Epis. Amerino.* ibi.
XVIII. SS. Marci & Marcelliani vita & martyrium, *habetur in vita S. Sebastiani, 20. Ianuarii ex MSS. cap. 2 vsque ad cap. 15. & cap. 47. ex Metaphraste cap. 3. vsque ad cap. 7. & cap. 21.*
SS. Leontij & sociorum martyrium *per Cyrum scribam ex Simeone Metaphraste.* 251
XIX. S. Sosimi martyrium, *ex Simeone Metaphraste.* 253
SS. Nazarij, Geruasij, Protasij & Celsi pueri martyriũ, *ex Simeone Met.* 255
Eorundem Geruasij & Protasij martyrium, *authore S. Ambrosio.* 257
De eorundem inuentione *epistola 85. S. Ambrosij Episcopi Mediolanensis.* 258
SS. Vrsicini & Vitalis martyrium *ex lib. 1. Hier. Rubei, de gestis Rauennatum.* 200
S. Bonifacij martyris vita, *habetur in vita S. Romualdi. hoc die à cap. 27.* 206
S. Romualdi Abbatis vita, *authore B. Petro Damiano.* 201
S. Deodati Episcopi vita, *per quendam monachum vallis Galilææ conscripta.* 275
XX. * S. Nouati vita, *ex martyrolog. Adonis.* 279
XXI. * S. Leufredi al. Leutfridi vita, *ex biblioth. Monast. S. Germani in Pratis Parisijs.* 279
* S. Albani presbyteri vita, *ex Moguntinæ Ecclesiæ breuiario.* 283
XXII. S. Albani seu Albini martyrium, *ex Bedæ li. 1. hist. Eccl. Angl c. 6. & 7.* 284
S. Paulini Episcopi Nolani vita, *authore Vranio presbyt.* 285
De eodem, *ex Greg. Papa li. 3. dial. c. 1.* 287
De eodem *ex Greg. Turonensi de gloria confes. cap. 107.* 288
* S. Eberhardi Archiepis. Salisburgensis vita, *ab eius discipulo scripta.* ibid.
* SS. 10000. martyrũ in monte Ararath. crucifixorum passio, *ex MS. collegii Societ. IESV Coloniæ.* 293
S. Ioãnis Epis. Neapolit. mors, *habetur in vita S. Paulini, authore Vranio. hoc die c. 8. 9. 286*

S. Edil-

XXIII. S. Ediltrudis *siue Edildridæ* reginæ & virginis vita, *ex Bedæ hist. Eccles. lib. 4. cap. 19.* 299

B. Mariæ de Oegnies vita, *authore Iacobo de Vitriaco* 300

B. Christinæ virginis mirabilis vita, *authore F. Thoma Cantipratensi Dominicano.* 319

S. Felicis presbyteri martyrium, *habes ibidem vitæ S. Mustiolæ 3. Iulii* 75

XXIV. S. Lupicini recluſi vita, *authore S. Gregorio de vita Patrum cap. 13.* 324

S. Simplicij Auguſtudunenſis Epiſcopi vita, *authore S. Gregorio Turonēſi de gloria confeſſ. cap. 76. & 77.* 325

B. Iuanis Eremitæ vita, *ex annalibus Bohemorum per Nicolaum Salium deſcripta.* 326

*S. Agoardi & Gliberti *ſeu Agliberti* martyrium, *ex MSS. Codicibus* ibid.

XXV. S. Proſperi Aquitanici, Regiēſis Epiſcopi vita, *authore Ioanne Antonio Flaminio* 327

S. Adalberti Leuitæ vita, *edita à cœnobitis Medelocenſibus* 329

S. Gallicani martyrium, *habes in vita SS. Ioannis & Pauli 26. Iunii à princ. vſque ad cap. 5.* 333

S. Febroniæ virginis & martyris vita, *habetur 15. Iunii* 199

XXVI. SS. Ioannis & Pauli, item Gallicani martyrium, *à Terentiano conſcriptum* 333

S. Anthlemi Carthuſiani, Epiſcopi Bellicenſis vita, *ab eius æquali cōſcripta* 335

S. Rodulphi Epiſcopi Eugubini vita, *authore B. Petro Damiano li. 1. epiſt. 19.* 344

XXVII. S. Samſonis hoſpitum exceptoris vita, *ex Simeone Metaphraſte* 345

S. Zoyli Cordubenſis martyrium, *ex L. Marinei Siculi lib. 5. de reb. Hiſp.* 350

XXVIII SS. Plutarchi, Sereni, Heraclidis, Heronis, item alterius Sereni, Potamiœnæ &c. martyrium, *ex Euſebii Cæſarienſis hiſt. Eccleſiaſt. lib. 6. cap. 4. interp. Ioanne Chriſtophorſono.* 350

*S. Argimiri monachi martyrium, *ex Eulogii lib. 3. memorialis Sanctorū cap. 16.* 351.

De S. Irenæo Epiſcopo Lugdunenſi & martyre, *vide geſta SS. Ferreoli & Ferrucionis 16. Iunii cap. 1.* 243

S. Heimeradi Comitis vita, *habetur in vita B. Meinvverci 5. Iun. c. 18. 61. & 70.* 88

XXIX. SS. Petri & Pauli Apoſtolorum vita, *ſcripta per Egeſippum lib. 3. excidii Hieroſoly. cap. 2.* 351

Eadem *ex D. Hieronymo lib. de viris illuſtribus* 352

De ijſdem *ex Euſebii Cæſar. lib. 2. hiſt. Eccl. cap. 23. interpr. Ioanne Chriſtophorſ. ibi.*

Eorundem res geſtæ, *ex Simeone Metaphraſte* 353

De S. Caſſio Narnienſi Epiſcopo, *authore S. Gregorio Papa* 357

De S. Maria matre S. Ioannis, qui cognominatus eſt Marcus, *habes in vita S. Barnabæ 11. Iunii cap. 7.* 170

XXX. S. Theobaldi Presbyteri & Eremitæ vita, *à quodam eius contemporaneo conſcripta.* 358.

*S. Erendrudis virginis & Abbatiſſę vita *ex tomo 6. antiquam lectionum Henr. Caniſii.* 361

De S. Martiale Epiſcopo Lemouicenſi, *ex S. Gregorio Turonenſi de gloria confeſſ. cap. 7.* 365

*Eiuſdem vita, *authore Aureliano Lemouicenſi Epiſcopo* ibid.

De S. Lucina matrona *habes in vita SS. Proceſſi & Martiniani 2. Iulii cap. 4.* 27

IVNIVS.

CERTAMEN SS. MARTYRVM PAMPHILI, VALENTIS, PAVLI, SELEVCI, PORPHYRII, THEODVLI, IVLIANI ET SOCIORVM, EX SIMEONE METAPHRASTE, DESVMPTVM EX EVSEBIO CÆSARIENSI.

AN. 270

I. TEMPVS inuitat ad omnibus enarrandum magnum & glorioſum ſpectaculum Pamphili & ſociorum, virorum admirabilium, cùm eo conſummatorum, & qui oſtenderunt multiplicia certamina pietatis. Atque cum plurimi quidem in nobis cognita perſecutione ſe fortiter geſſerint, eorum, de quibus agimus, rariſſimum certamen, quod nos cognouimus, conſcripſimus, quod in ſe ſimul omne genus ætatis & corporis & animi vitæque diuerſorum ſtudiorum eſt complexum, variiſque tormentorum generibus, & diuerſis in perfecto martyrio fuit coronis exornatum. Licebat enim videre quoſdam adoleſcentes & pueros, atq; adeo plane infantes ex iis, qui erant cum ipſis, alios autem pubeſcentes (cum quibus erat etiam Porphyrius) corpore ſimul vigentes & prudentia: nempe mihi clariſſimum Iamnitem Paulum, Seleucumque & Iulianum, qui ambo orti erant ex terra Cappadocum. Erant autem inter eos ſacris quoque canis & profunda ornati ſenectute, Valens quidam, Diaconus eccleſiæ Hieroſolymitanæ, & cui verum nomen obtigerat, Theodulus. Atque hæc quidem fuit in eis ætatum varietas. Animis autem inter ſe differebant: nam alii quidem erant rudiores, vtpote pueri, & quibus erat ingenium adhuc tenerius ac ſimplicius: alii vero ſeueri & morum grauitate præditi. Erant autem inter eos quoque nonnulli diſciplinarum ſacrarum non ignari. Aderat vero omnibus congenita inſignis & admirabilis animi fortitudo. Veluti autem quoddam in die reſplendens luminare in aſtris fulgentibus, in medio eorum emicabat meus dominus, non eſt enim fas mihi, aliter appellare diuinum & plane beatiſſimum Pamphilum. Is enim & eruditionem, quæ habetur apud Græcos in admiratione, non modice attigerat, & in diuinorum dogmatum & diuinitus inſpiratarum ſcripturarum eruditione, ſi quid audacius, ſed verum, dicendum eſt, ita erat exercitatus, vt nullus æque ex iis, qui erant ſuo tempore. Quod autem erat his longe maius & præſtantius, habebat donum, nempe dominatam, vel potius ei à Deo datam intelligentiam & ſapientiam. Et quod ad animum quidem attinet, omnes ita ſe habebant.

1. IVNII. Θεόδουλος, Dei ſeruus. Pamphili eruditio & ſapientia.

II. VITÆ autem conditionis & conuerſationis erat inter eos plurima differentia: cum Pamphilus quidem duceret genus ſecundum carnem ex iis, qui erant honeſto loco nati, fuiſſet autem inſignis in repub. gerendis in patria ſua. Seleucus vero fuiſſet inſigniter ornatus militiæ dignitatibus: alij autem nati eſſent ex mediocri & communi loco. Non erat autem eorum chorus nec extra ſeruilem quidem conditionem. Nam & ex Præſidis domo in eorum numerum relatus fuerat Porphyrius: qui ſpecie quidem erat Pamphili famulus: is autem ipſum affectione habebat loco fratris, vel germani potius filii, vt qui nihil omitteret, quo minus in omnibus imitaretur dominum. Quid aliud? Si quis dixerit in ſumma, eos eccleſiaſtici cætûs typum eſſe complexos, is non procul ab fuerit à veritate: cum inter eos presbyterio quidem dignatus eſſet Pamphilus, Valens vero diaconatu, & alii ſortiti eſſent locum eorum, qui è multitudine conſueuerunt legere, & confeſſionibus per fortiſſimam flagrorum tolerantiam diu ante in martyrio præclariſſime ſe geſſiſſet Seleucus, & militaris dignitatis amiſſionem fortiter accepiſſet: & reliqui deinde per catechumenos & fideles, reliquam implerent ſimilitudinem innumerabilis Eccleſiæ, vt in parua imagine. Sic adſpexi admirabilem tam multorum & talium martyrum electionem: qui etſi non eſſent multi numero, nullus tamen aberat ex iis ordinibus, qui inueniuntur inter homines.

Pamphili genus & functio. Porphyrius Valens Diaconus eccleſiæ Hieroſolymitanæ.

III. QVOMODO autem lyra, quæ multas habet chordas, & ex chordis conſtat diſſimilibus, acutis & grauibus, remiſſisque & intenſis & mediis, arte muſica concinne adaptatis omnibus: eodem modo etiam in his, adoleſcentes ſimul & ſenes, ſerui ſimul & libri, eruditi & rudes, obſcuri generis homines, vt multis videbatur, & gloria inſignes: fideles ſimul cum catechumenis, & Diaconi ſimul cum presbyteris. Qui omnes tanquam à ſapientiſſimo muſico, nempe Dei verbo vnigenito, varie pulſati, & quæ erat in ipſis potentia, vnuſquiſque per tormentorum tolerantiam, hoc eſt, confeſſionem oſtendentes virtutẽ, & clariſſimos numeroſoſq; & concinnos ſonos edentes in iudiciis, vno & eodem fine in primis piam & longe ſapientiſſimam, per martyrii conſummationem, Deo vniuerſorum impleuerunt melodiam.

IV. OPERÆPRECIVM autem eſt admirari virorum quoque numerum, qui ſignificat propheticam quandam & Apoſtolicam gratiam. Contigit enim omnes eſſe duodecim, quo numero Patriarchas & Prophetas & Apoſtolos fuiſſe accepimus. Non eſt autem prætermittenda vniuſcuiuſque ſingulatim laborioſa fortitudo, laterum laserationes, & cum pilis caprinis laceratarum corporis partium attritiones, & flagella immedicabilia, multipliciaq; & varia

Martyres omnes duodecim.

Constantia eorum in tormentis.

tormenta, grauesque & toleratu difficiles cruciatus, quos, iubente Iudice, manibus & pedibus infligentes satellites vi cogebant Martyres aliquid facere eorum, quæ erant prohibita. Quid opus est dicere memoriæ perpetuo mãdandas voces virorum diuinorum, quibus, labores nihil curantes, læto & alacri vultu respondebant Iudicis interrogationibus, in ipsis tormentis ridentes viriliter, & bonis moribus ludificantes eius percontationes? Cum enim rogasset, vndenam essent? mittentes dicere, quam in terris habebant ciuitatem, ostendebant eam, quæ vere est eorum patria, dicentes, se esse ex Hierusalem. Indicabant vero eadem sententia Dei quoque cœlestem, ad quam tendebant, ciuitatem: & alia, quæ sunt eiusmodi, ignota quidem & quæ non possunt perspici ab iis, qui sacras literas non gustarunt, eis autem solis & qui à fide diuina sunt incitati, aperta, adducebant. Propter quæ Iudex indignatus & valde animo cruciatus, & plane quid ageret, dubius, varia, ne vinceretur, in eos machinabatur. Deinde cum à spe cecidisset, concessit vnicuique auferre præmia victoriæ. Erat autem varius modus eorum mortis, cum duo quidem, qui erant inter eos catechumeni, consummati sint baptismo ignis: alius vero fuerit traditus figuræ salutaris passionis: quia autem erat mihi charus, fuerit diuersis brauijs redimitus.

V.

Păphili encomion.

Atque hæc quidem dixerit quispiam, horum magis vniuersam faciens mentionem. Singulatim autem vnũquenque persequens, merito beatum pronunciarit eum, qui in choro primum locum obtinet. Is autem erat Pamphilus, vir reuera pius, & omnium, vt semel dicam, amicus & familiaris, re ipsa nomen sibi impositum verum esse ostendens, Cæsareensium ecclesiæ ornamentum. Nam presbyterorum quoque cathedram cum esset presbyter, honestabat, vt qui simul ornaret ministerium, & ex eo ornaretur. Quinetiam aliis quoque erat diuinus, & diuinæ participeps inspirationis. quoniam tota sua vita fuit maxime insignis virtute, multum quidem iubens valere delicias & copiam diuitiarum, cum se totum dedicasset Dei verbo, renuncians quidem iis, quæ ad ipsum redibant à maioribus, nudis, mancis & pauperibus omnia distribuit: ipse autem degit in vita, quæ nihil possidebat: per valentissimam exercitationem, diuinam persequens philosophiam. Atque ortus quidem erat ex Berytensium ciuitate, vbi in prima ætate

Patria eius.

educatus fuerat in iis, qui illic erant, ludis literariis. Postquam autem eius prouidẽtia ad virilem peruenisset ætatem, transiit ab his ad sacrarum literarum scientiam. Assumpsit vero mores diuinæ & propheticæ vitæ, & ipse se verũ Dei martyrem exhibuit etiam ante vltimum vitæ finem. Sed talis quidem erat Pamphilus.

VI.

Valẽs martyr.

Secvndvs autem post ipsum, accessit Valens ad certamen, qui senili, & quæ decet Sacerdotem, erat ornatus, canitie, ipsoque aspectu venerandus & sacrosanctus senex: quinetiam diuinarum scripturarum sciens, vt si quis alius, eas quidem certe ita erat complexus memoria, vt à lectione nihil discreparent, quæ † memoriæ mandatæ ab eo conseruebantur sacrosanctorum discipulorum promissiones. Erat autem Diaconus, etsi esset huiusmodi, ecclesiæ Eliensium.

† id est, noluerat eas expedite citare memoriter.

VII.

Paulus Iamnites.

Tertivs in eorum numerum relatus erat Paulus, qui vir acerrimus & spiritu feruens, agnoscebatur ex ciuitate Iamnitarum: qui etiam in martyrio per cauterij tolerantiam susceperat certamen confessionis. His in carcere duobus annis contritis, martyrij occasio fuit Aegyptiorum aduentus, qui etiam cum eis fuêre consummati: Ij autem cum vel sic valde afflicti, in metallis vsque ad loca peruenissent, domum reuertebantur. Qui cum in ingressu portæ Cæsareensium interrogati essent à custodibus, quinam essent & vnde venirent, & nihil veri celassent: dixissent autem, se esse Christianos: perinde ac malefici in ipso furto deprehensi, vincti sunt & comprehensi: erant vero quinque numero. Ad Præsidem autem adducti, & coram eo libere locuti, in vincula quidem statim coniiciuutur: die autem sequenti, qui erat sextus decimus mensis Peritij, more vero Romano quartus decimus Calend. Martij, hos ipsos cum Pamphilo & sociis adducunt ad Firmilianum. Ille autem Aegyptiorum solum periculum fecit ante tormenta, omni ratione eos exercens. Atque eorum quidem principem cum adduxisset in medium rogauit quisnam esset, & vnde? Qui cum pro proprio nomine quoddam propheticum audiisset (hoc autem fiebat ante alia, vt qui pro patriis eis impositis idolicis nominibus sibi prophetica nomina imposuissent, vt qui Eliam & Hieremiam, Esaiam, Samuelem, & Danielem ipsi seipsos nominarent, & qui est in occulto Iudæum & germanum Israelitam, non solum factis, sed etiam vocibus proprie enunciatis iudicarent).

Nota responsum martyris. *Galat 4. Heb. 12.*

VIII.

Cvm tale ergo nomen Iudex audiisset à martyre, vim autem nominis non attendisset secundò rogauit, quænam esset eius patria? Ille vero cælestem Hierusalem dixit esse suam patriam, illam intelligens, de qua dictum est à Paulo. Quæ sursum est Ierusalem, est libera, quæ est mater nostra. Et: Accessistis ad montem Sion, & ciuitate m Dei viuentis, Hierusalem cælestem. Et hic quidem hanc cogitabat: ille autem humi suam abiiciens cogitationem, quænã hæc esset, & vbi terrarum sita esset? accurate perscrutabatur, atque adeo ei etiam inferebat tormenta, vt verum fateretur. Hic vero dum torqueretur, se verum dixisse affirmabat. Deinde eo hæc rursus & sæpe sciscitante, quænam esset, & vbi sita esset dicta ciuitas Hierusalem? solum dicebat eam esse patriam Christianorum: nullos enim alios præter eos esse eius participes, sitam autem esse ad Orientem, & ad ipsam lucem & solem. Atque hic quidem rursus per hæc mente sua philosophabatur, nihil sentiens eos, qui circumcirca ipsum tormẽtis afficiebant. Tanquam autem carnis expers & incorporeus, nihil videbatur pati molestũ. Iudex vero animi dubius, odio cruciabatur, & existimans Christianos hanc sibi ciuitatem, quæ esset infesta Romanis, constituisse, valde vrgebat tormentis, & curiosè scrutabatur eam, quæ dicta fuerat, ciuitatem, & quæ est in Oriente, inquirebat regionem. Cum autem adolescentem diu cæsum flagellis, videret non posse dimoueri ab iis, quæ prius dixerat, statuit in eum ferre sententiam capitis. Et in eum quidem res hoc modo processit: reliquos autem Aegyptios cum simili palæstra exercuisset, similem quoque in eos fert sententiam. Deinde cum ab his transiisset ad Pamphilum, accepit quod ij iam prius essent plurima experti tormenta. Absurdum autem esse arbitratus, eosdem iisdem rursus afficere tormentis, & frustra laborare, hoc solum est percontatus, an nunc saltem obedirent? Cum vero ab vnoquoque eorum audiisset vltimam vocem martyrij, in eos similiter fert sententiam capitis.

Adolescentis fortitudo.

Pamphili cædes, &c.

IX.

Porphyrius adolescens insignis.

Nondvm autem dictum vniuersum absoluerat, & alicũde exclamat quidam adolescens ex familia Pamphili: & ex media turba accedens in medium eorum, qui circunsidebant, iudicium, alta voce corpora eorum petiit sepulturæ. Is autem erat beatus Porphyrius Pamphili germanum pecus, nondum totos octodecim annos natus, recte scribendi scientiæ peritus, modestia vero morum has laudes celans, vt qui à tali viro fuisset institutus. Is postquam aduersus dominum latam cognouit sententiam, exclamauit ex media multitudine: Corpora, rogo, vt humi mandẽtur. Ille autem non homo, sed fera, & quauis fera agrestior, neque honestam & rationi consentaneam admittens petitionem, neque iuuenili ætati dans veniam, cum hoc solum intellexisset, eum fateri se esse Christianum, iubet tortoribus, vt totis viribus in eum vterentur. Cùm vero eo iubente sacrificare recusasset vir admirandus, non vtique tanquam carnes hominis, sed tanquam lapides & ligna, aut aliquid aliud inanimum, vsque ad ipsa ossa & ima viscera iubet eum torquere & corpus eius cædere. Cùm autem hoc diu fieret, agnouit se hoc frustra aggredi, cum propemodum mutum & inanimum effectum esset corpus generoso Martyri. Perseuerans vero Iudex in sæuitia & in humanitate, iubet latera tormentis exagitata, pilorum textis amplius atteri. Deinde cũ sic eum cepisset satietas, & furore esset exatiatus, pronunciat sententiam vt tradatur lento & molli igni. Atque hic quidem, cum ante Pamphili consummationem postremus accessisset, ad certamen, prior & corpore excessit ad Dominum.

Immanissime torquetur.

Licebat

X. LICEBAT autem videre Porphyrium non secus affectum, quam victorem in sacris certaminibus, qui in omnibus pugnis euaserat superior, corpore puluerulentum, vultu lætum, audenter & exultando ad mortem progredientem, re vera plenum diuino spiritu. Philosophico autem habitu, suo indumento amictus instar superhumeralis, rursum aspiciens, & omnia humana despiciens, sicut vitam mortalem, quieto animo accedit ad rogum, cùm iam flamma ei appropinquaret, & tanquam nihil ei adesset molestum, sana mente & nulla affecta perturbatione, de rebus suis mandauit suis necessariis, adhuc vultum & vniuersum corpus lætum conseruans & immutatum. Postquam autem notos suos satis allocutus, eos valere iussit, iam decætero contendebat ad Dominum. Cùm verò rogus satis longo spatio disiunctus, circa eum esset accensus, hinc & illinc ore flammam arripiebat, ipse seipsum incitans ad iter propositum. Hoc autem faciebat, nihil aliud quàm Iesum inuocans. Tale est certamen Porphyrij. Cùm eius autem consummationis Pamphilo nuncius fuisset Seleucus, dignus habetur, cui sors eadem cum eis obtingeret.

Præclarissimũ virtutis exemplum.

XI. CVM primum itaque renuntiasset Pamphilo exitum Porphyrij, & vno osculo salutasset Martyres, comprehendunt eum milites, & ducunt ad Præsidem. Ille autem perinde ac vrgens, vt ipse abiret simul cum prioribus, iubet eum affici supplicio capitis. Is erat ex regione Cappadocum, cùm autem militiæ se præclare gessisset, ad non paruos gradus dignitatum peruenerat in Romano exercitu. Quinetiam statura, viribusque & magnitudine corporis, reliquos omnes longè superabat: ipso quoque aspectu erat omnibus suspiciendus, & tota forma corporis planè admirabilis, tam propter magnitudinem quàm propter pulchritudinem. Atque in principio quidem persecutionis, per flagellorum perpessionem clarus extitit in certaminibus confessionis. Postquam autem fuit liberatus à malitia, seipsum constituens æmulatorem eorum, qui se exercent in pietate, efficitur Christi germanus miles, orphanorum desertorum, & viduarum, quæ carebant præsidio, eorumque qui paupertate opprimebantur & imhecillitate, tanquam episcopus quispiam & procurator, curam gerens, & instar diligentis & soliciti patris, omnium, qui abiecti erant, labores recreans & afflictiones. Quamobrem merito Deo his magis lætante quàm quæ per fumum & sanguinem fiũt, sacrificiis, dignus fuit habitus consummatione, quæ fit per martyrium. Hic decimus athleta cùm iis, qui dicti sunt, consummatus fuit vno & eodem die: in quo, vt est consentaneum, maxima Pamphili martyrio porta cælorum aperta, facilis & expeditus ei fuit aditus regni cælorum.

Seleucus comprehenditur.

Eius encomion.

VI. XII. SELEVCI institit vestigiis Theodulus quidam, venerandus & pius senex, qui primum honoris locum obtinuerat inter seruos Præsidis, & morum & ætatis gratia, & quòd *trium filiorum esset pater: & maxime propter beneuolentiam, quam conseruabat in suos. Is autem, cum similiter feciſſet atque Seleucus, & quendam ex martyribus salutasset osculo, adducitur ad Dominum. Quem cum magis ad iram irritasset quam alii, salutaris passionis cruci traditus subiit martyrium.

Theodulus senex eximius

* *tertiæ progeniei.*

Crucifigitur

VII. XIII. CVM post hos vnus adhuc restaret, qui inter eos, qui dicti sunt, numerum impleret duodecimũ, eum impleturus aderat Iulianus. Is cùm eaipsa hora rediisset ex peregrinatione, ne ingressus quidem ciuitatem, ita vt erat ex itinere, hoc audito profectus ad videndos martyres, postquam adspexit sanctorum corpora humi iacentia, gaudio repletus vnumquenque amplectitur, omnes salutans osculo. Eo autem hoc adhuc agente, eum comprehendunt lictores, & adducunt ad Præsidem. Impius vero suo instituto faciens consentanea, eum quoque tradit lento igni. Sic itaque Iulianus lætans & exultans, & magna voce Deo, qui tantis bonis eum erat dignatus, agens gratias, assumptus fuit in choros martyrum. Erat autem is quoque genere quidem Cappadox, moribus plenus quidem pietate, plenus & fide, vir mitis & mansuetus, & alioqui vir bonus, & spirans bonum odorem sancti spiritus. Tanta turba comitatus, dignatus fuit consummatione martyrij cum beatissimo Pamphilo.

Iulianipręstans virtus.

Cõburitur.

XIIII. ET quatuor quidem dies & totidem noctes, iussu Firmiliani, sanctissima martyrum corpora exposita fuerunt bestiis carniuoris. Cùm autem Dei prouidentia nihil ad eos accessisset, non fera, non auis, non aliquid aliud, sed salua permansissent & integra, iustum & conuenientem honorem consecuta, consuetæ mandata sunt sepulturæ, reposita in pulchris templorum ædibus, & sacris tradita oratoriis ad perpetuam memoriam, vt honorarentur à populo, ad gloriam Christi veri Dei nostri. Cui gloria & potentia simul cum patre & sancto spiritu nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Corpora sanctorum honorãda.

IIX.

DE IISDEM MARTYRIBVS, EX EVSEBII PAMPHILI ECCLESIASTICAE HISTORIAE LIB. VIII. CAPITE XVII. ET CAPITE XXI. *interprete Iohanne Christophorsono: quæ eandem quidem habent historiam, sed magis luculentam, & aliquot locis copiosiorem.*

I. INTER quos (*martyres*) erat Pamphilus, omnium necessariorum meorum mihi maxime desideratus, vir ex omnib⁹ martyrib⁹ nostri tẽporis, propter cuiusq; generis virtutẽ facilè præstantissimus. Huius in dicẽdi facultate & Philosophorum disciplinis Vrbanus (hic erat prouinciæ Præfectus) primum periculũ fecit: deinde impulit ad sacrificandũ. Quẽ vt penit⁹ renuentẽ, & minas pro nihilo putãtẽ vidit, ad extremũ bile & furore commotus, asperioribus tormentis illum cruciari mandat. Quare immanissimus ille & maxime crudelis Præses, continua acutarum nouacularum incisione, martyris latera acerbè pungente, iam ferè satiatus, & tandem pudore suffusus, in carcerem, vbi reliqui confessores erant, concludi iussit. Verum qualem mercedem Vrbanus ob tantam sæuitiam & crudelitatem, qua tantopere in sanctos Dei & Christi martyres insultauit, ex iusta Dei vltione & vindicta post mortem habiturus esset, ex suppliciis illi in hac vita inflictis, quæ erant tanquam futurorum proœmia, facile licebat animaduertere. Nam non longo tempore post facinora, quæ in Pamphilum nefarie consciuerat, diuina vltio, dum adhuc præfecturam gerebat, eum ex inopinatò adorta est ad hunc modum. Qui iam dudum in sublimi & excelso sedens solio iudicia dabat, qui satellitio militari stipatus, qui vniuersæ Palæstinorum gentis præfectus, qui conuictor tyranni, tanquam ei intimus, qui eiusdem mensæ cum illo particeps erat, vindicta Dei vna nocte non solum fuit tantis dignitatis ornamentis orbatus, ignominiæ & dedecori coram illorũ oculis, qui eum vt principem admirati fuissent, expositus tumidus & ignauus factus, adeo vt voces muliebres turpiter funderet, & abiecto animo vniuersæ genti, cui præfuerat, supplicaret: verum etiam *Maximino, de cuius gratia anteà insolens & superbus arroganter se extulerat, (quippe eum egregie præter cæteros ob facinora in nos crudeliter edita amplexabatur) duro & crudeli iudice vsus est, adeo vt post turpem ignominiam, quam pro sceleribus, quorum erat conuictus, subibat, sententia ab eo pronunciata morti addiceretur.

Cap 17.

Pamphilus diuè cruciatur. An. 306.

Deus vlciscitur crudelissimum Præsidem Vrbanum.

*al. Maximiano.

II. TEMPVS iam eô me vocat, vt illustre quasi theatrum martyrum, qui cum Pamphilo, cuius nomen mihi semper optatissimum fuit, mortem oppetiuerunt, in hoc sermone ante oculos cuiusque ad intuendum proponam. Duo-

Cap. 21. An. 308.

decim quidem erant, & non modo quodam prophetico dono, aut potius Apostolico, sed Apostolorum etiam nu-
Pamphili virtutes & encomion. mero dignati: quorum coryphæus, & princeps solus Pamphilus presbyterij dignitate Cæsareæ ornatus, extitit : vir toto vitæ cursu omni virtutum genere eximius, abiectione & contemptu sæculi insignis, facultatum in pauperes largitione magnificus, spei, quæ in caducis mundi rebus defigi solet, despicientia mirus, ratione viuendi & consuetudine vero Philosopho digna singularis: quinetiam ardenti diuini eloquij & sacrarum literarum studio præter cæteros nostræ memoriæ homines egregius, attentissima & propè inexhausta in eas res industria & assiduitate, quas apud a-
Eusebius tribus libris complexus est Pāphili vitam. nimum proposuerat, præstabilis, & in cognatis omnibusque propinquis iuuandis perliberalis. Cætera virtutis eius officia & recte facta, quoniam longiore explicatione eguerunt, in separato & proprio volumine, de eius vita perscripto, inque tres libros dispertito, iampridem pluribus verbis tradidimus. Eos ergo, qui acri illius vitæ, & virtutum in ea elucentium, plenius cognoscendarum cupiditate incenduntur, eô amandamus : nos autem illis solum in præsentia insistemus, quæ ad martyres cum eo ad supplicium adductos pertinent.

III. SECVNDVS post Pamphilum in certamen descendit veneranda canitie honoratus Valens, Aeliæ ciuitatis
Valens Diaconus. * *suum* Paulus. Diaconus, ipso aspectu senex grauissimus, diuinarum scripturarum, si quisquam alius, inprimis peritus. Nam tantam illarum memoriam in pectus *eius incluserat, vt si quando aliquem locum citare vellet, perinde expeditè illud poterat absq; scripto efficere atque ex scripto legere. Tertius Paulus, pietate maximè inflammatus, & spiritu nō minus feruid⁹ ex ciuitate nitarū, in qua famâ percelebris fuit, prognat q̄nte martyriū, cauteriorū exustiones perpessus, egregium certamē pro fidei cōfessione cōfecit. His in carcere toto biennij spatio cōmorantibus, fit martyrij dilatio Intereà fratrum Aegyptiorum, qui cum illis vnà martyrium subierunt, accessio facta est. Isti Aegyptij simulatque cōfessores illos, qui erant ex Cilicia, ad metalla vsque quæ ibi erant, produxerunt, domum redierunt. Qui similiter apud ipsos portarum Cæsareæ introitus à custodibus (Barbari autem isti erant & moribus agrestes) quinam essent, & vnde venissent, interrogati? cum veritatem occultare non possent, tanquam malefici in ipso facinore manifesto prehensi, tenebantur. Quinque erant numero, qui quidem ad tyrannum deducti, & coram illo libere fidem confessi, statim in carcerem contruduntur.

IV. POSTRIDIE, hoc erat decimo sexto die mensis Peritij, id est, Secundum Romanos, ad decimum quartum Calen. Martij, hi pariter cum Pamphilo & reliquis eius sociis, quos supra posuimus, ex mandato ad iudicem producuntur. Iste primum inexpugnabilis Aegyptiorum constantiæ & firmitatis animi diuersis cuiusquemodi tormentorum formis, nouis peregrinarum & variarum machinarum inuentis periculum facit. Et simul ac illum, qui inter eos
V. Aegyptij martyres Prophetica sibi nomina imponunt. omnes principatum tenuit, his certaminibus exercuerat, quisnam esset? primum scisscitatus est. Deinde vbi pro proprio nomine, prophetæ cuiusdam nomen ab eo acceperat (Hoc enim ab illis factitatum erat, quod pro nominibus idolorum, quę erant forte à parentibus ipsis imposita, noua nomina, facta mutatione, ipsi sibi asciuissent: Eliæ enim, Hieremiæ, Esaiæ, Samuelis & Danielis nomine seipsos nuncupasse, & germanum ad verum Dei Israelem, qui Iudæis erat in occulto, non solum rebus ipsis, sed nominibus propriè & significanter explicatis, commonstrasse audire potuisses) vbi, inquam, tale nomen à martyre acceperat Firmilianus, non in verbi vim & significationem animum omnino intendens, secundo loco eum interrogauit, quæ illius patria esset? Ille nomen priori aptè respondens effert,
Galat. 4. *Hebr.* 12. Hierusalem suam patriam esse ait: eam certe intelligens, de qua apud Paulum dicitur: Quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrûm. Item alio loco: Accessistis ad montem Sion, & ciuitatem Dei viuentis, cælestem Hierusalem. Is quidem planè hanc intellexit : Sed Firmilianus cogitatione sua humi abiecta, quæ tandem ciuitas illa esset, & vbi terrarum sita? accuratè & curiosè disquirit. Vnde cruciatum illum affligit, vt verum fateretur, Hic manibus à tergo vinctis, obtortisque, & pedibus machinamentis peregrinis inusitatisque diuulsis excruciatus, verum se dixisse constanter asseuerat.

V. DEINCEPS iudice rursus sæpè quærente, quisnam esset, & quo loco ciuitas illa quam dicebat, locaretur? eam affirmat piorum solùm patriam esse, neque alios præter hos solos fore illius participes: illāq; ad Orientem, vbi Sol primo manè suos radios fundere incipit, positam. Atque in istis denuo proferendis seorsum apud animum suum ita diuinitus philosophatus est, vt eorum, qui illum vndique tormentis diuexabant, nullam prorsus rationem duceret : sed tanquam carnis corporisque expers, ne minimum quidem videretur doloris sensum percepisse. Iu-
Mēte degit in cælis martyr, tormenta contēnens. dex animo hæsitans, intra se tumultuari cœpit, putabatque Christianos eam ciuitatem, de qua martyr locutus fuisset, infestam omnino & inimicam Romanis effecturos. Multum igitur de ea re scrutari, & vbinam tandem illa regio, quæ in Orientem ferebatur, existeret? admodum conquirere. Postquam autem adolescentulum verberibus sæpius dilaniatum, & tormentis cuiusque generis discruciatum, firma & immutabili mentis
V. Aegyptij pro Christo trucidātur. constantia illis, quæ ante dixerat, adhærescere animaduertit, ad extremum mortis sentētiam, vt securi percuteretur, contra eum protulit. Tandem igitur is velut vitæ suæ peregit fabulam. Cæteri eius socii paribus certaminibus à iudice exagitati, pari mortis genere è vita cesserunt.

VI. POSTEA demū Firmilianus, quanquā prope defatigatus erat, & frustrà viros illos supplicio affici cernebat, sua tamen cupiditate eorum morte exaturata, ad Pamphilū & eius socios se contulit: & cū satis expertus erat, quā inflexibilem in fide tenenda constantiam etiam iam anteà in tormentis ostendissent, iterū interrogat: vtrum deinceps modo illi morem gererent? Atque cum à singulis eorum definitū & postremum responsum de fidei confessione, quæ est martyrij propria, excepisset, similem cum priorib. pœnam & supplicium illis irrogat. Quibus ad exitum perductis, ado-
Porphyrij adolescētis eximia virtus. lescentul⁹ quidā ex famulis Pāphili, qui ita erat exult⁹ instructusq;, vt dignus ingenua talis & tā ti viri educatione & disciplina merito videretur, simulatque iudicis sententiam contra dominum suum pronuntiatam intellexit, è media hominum multitudine exclamat, & vti illius aliorumque sociorum corpora, cum è vita decederent, terræ mandarentur, postulat. Iudex verò non hominis, sed belluæ aut si quid sit bellua immanius, naturam secutus, ne adoles-
Crudelissimè excarnificatur. centulo quidem ætatis causam quicquam veniæ tribuit: sed vt primum eum rogarat, essetne Christianus? ipseque se esse respondere rat, iracundiæ æstu intumescens, quasi telo saucius, tortoribus in mandatis dedit, vt omnes suas vires & impetus contra eum exercerent. Postquam verò, cum immolare ei iussum esset, recusantem videbat, non vt hominē carne circundatum, sed vt statuam ex lapidibus, aut ligno, aut alia re quapiam confectam ad ossa vsque & intimos viscerū recessus, acriter & absq; vlla remissione deradi dilacerariq; præcepit. Quo supplicij genere diu sustentato, iudex cum illū nec vocē emittere, nec sensum doloribus vllum præ se ferre vidit, idq; cū parū abesset, quin illius corpus esset omnino inanimatū, & tormētis penè contritū exhaustumq;, se frustra illū torquere perspexit, tamen animo duro, ferreo & omnis humanitatis experte perstans, confestim igni pedetentim exardescente & remisso comburi
Lento igni cruciatur. decernit. Hic igitur adolescētulus postrem⁹, ante Pāphili mortē, q̄ erat domin⁹ eius secundū carnē, in certamē ingressus, ante illū è corporis vinculis solutus fuit, ꝓpterea ꝙ qui erant in aliis trucidādis occupati, tardare videbātur. Licuerat ergo Porphyriū videre (Sic enim puer vocabatur) iā in omni genere certaminum exercitatū, incredibili studio et ardore, more hominis ꝓ augusta et sacra victoria decertātis, incensū, corpore puluere q̄dē cōsperso sordidatum,

sed

sed decoro oris habitu eximium, erecta & generosa animi elatione post tantos cruciatus ad mortem gradientem, diuino spiritu reuera completum, habitu philosophico, quo vti solebat, hoc est, indumento ad modum pallij humeros solùm obtegentis vestitum, familiaribus suis, quid illos * eius causa facere vellet, modesto & tranquillo animo præcipientem, nutuque significantem, & cùm iam ad palum esset alligatus vultum splendidum & hilarem seruantem: quinetiam cùm rogus longo interuallo ab illo tanquam in ambitum orbemque exardesceret, hinc illinc que flammam ore ad se arripientem, & post hæc verba, quæ iam flammarũ incẽdio primum corpus attingente clara voce profundebat, nempè Iesum filium Dei eius adiutorem fore, constantissime cum silentio omnes cruciatus ad extremum vsque spiritum tolerantem. Tale Porphyrij in martyrio certamen fuisse constat.

* *sui* Cõstantissimè profert omnia & decedit.

VII. CVIVS vitæ exitum Seleucus confessor quidam ex militum numero, Pamphilo nũtiauit: qui, vt par erat, ex eiusmodi nuntij ministro, quam primùm fuit eadem sorte cum illis martyribus dignatus. Nam mox vt mortem nuntiauerat Porphyrij, & vnum ex martyribus osculo sancto salutauerat, eum milites quidam cõprehendentes, ad præsidem deducunt. Iste tanquam eius profectionem maturans, quo Prophyrio comes itineris ad cælum suscepti adiũgeretur extemplo capitis supplicio mulctari iubet. Hic in Cappadocia natus, præ delecto iuuenum globo, qui in exercitu Romano militabant, præque illis, qui erant apud Romanos in amplis dignitatum gradibus locati, non exiguum honorem adeptus est. Aetate enim florente, robore, proceritate firmitateque corporis plurimùm omnibus militibus antecelluit: adeo vt aspectus eius celebris, & omnium sermone prædicatus existeret, tota corporis forma ac specie tum ob magnitudinem, tum ob pulchritudinem & aptam membrorum compositionem admirabilis. Qui in ipso persecutionis initio, plagarum perpessione in certaminibus pro fidei confessione susceptis admodum enituit: & vbi militiæ munere, quo fungebatur, spoliatus fuit, eorum qui ascetæ, id est, pietatis cultores vel monachi, † qui dies noctesque diuinis meditationibus se exercent, æmulum se & imitatorem effecit: orphanis desertis, viduis omni ope destitutis, hominibus inopia & corporis infirmitate afflictatis, instar patris alicuius indulgentis & curatoris, benignè prospexit & opitulatus est. Vnde meritò quidem, cùm Deus ab eiusmodi pietatis officiis plus capiat oblectationis, quàm à victimis fumo redundantibus & sanguine aspersis, ad insigne & eximium martyrij decus per eius gratiam accersitus fuit. Hic decimus athleta inter eos, quos supra ostendimus, vno eodemque die mortem oppetit: quo certe, vt apparet, maxima quasi cæli porta Pamphili martyrio decora illa quidem & congruens patefacta, tum illi, tum aliis qui cum eo erant, in regnum cælorum aditum, dedit perfacilem.

Seleucus egregius martyr.

ἄσκηται.

† *videtur deesse, dicũtur, aut quippiam eiusmodi.*

VIII. THEODVLVS itẽ grauis quidem & religiosus senex, vnus ex præfecti Firmiliani familia, & ab eo plùs quam cæteri omnes domestici honoratus, partim prouectæ ætatis causa (Proauus enim erat, id est, tertiæ progeniei pater) partim propter beneuolentiam & fidelem animum, quem erga ipsum semper seruauerat, iisdem vestigiis cum Seleuco insistens & facinus illius facinori haudquaquam dissimile admittens, ad Firmilianum dominum suum deductus fuit: eique maiorem bilem quam superiores commouens, tandem crucis afflictationi addictus, idemque martyrij genus, quod Saluator olim, lubens perpessus est.

Item Theodulus senex.

Cruci affigitur.

IX. DEINCEPS quoniam vnus adhuc restabat, qui inter martyres commemoratos locum duodecimum expleret, idcirco Iulianus, eum expleturus accessit. Qui peregrè iam eô aduentans, & locum adhuc minimè ingressus, simulac inter vias de eorum morte intellexerat, exemplo ad insigne martyrum spectaculum recta se contulit: atque vt humi posita sanctorum vidit corpora, solido expletus gaudio, sigillatim ea complexus salutauit. Quod dum faciebat, lictores & cædis ministri eum prehensum ad Firmilianum ducunt. Qui ea, quæ sibi erant, suæque crudeli naturæ consentanea, executus, lento & remisso igni eum cremandum tradit. Iulianus ergo præ lætitia exultare, valdeque gestire, atque clara voce gratias agens domino, qui eum talibus præmiis, tamque insigni splendore afficere dignatus fuerat, præclara martyrum corona donatur. Erat hic quidem Cappadocum genere secundum carnem oriundus, moribus & vita sanctissimus, fidelissimus & maximè ingenuus: & cum in aliis rebus spectatus, tum diuino ipsius sancti spiritus afflatu imbutus.

Admirãda Iuliani alacritas.

Igne cremãtur.

X. TALIS erat caterua eorum, qui per Dei gratiam in martyrij societatem cum beato Pamphilo asciti fuerunt. Sacra autem & sancta reuera illorum corpora ex impij præsidis mandato quatuor diebus, totidemque noctibus, vt à bestiis auibusque carniuoris deuorarentur, sub dio seruabantur. Verum vbi tanquam miraculo quodam nulla neque bestia neque volucris, neque canis ad ea accedebat, rursus per diuinæ prouidentiæ dispensationem integra illæsaque inde ablata fuerunt: & exequiarum iustis potita, sepulturæ vt moris est, honorificè commendantur.

Corpora Martyrum non attingũtur à bestiis & auibus.

XI. PORRO dum sæuitia aduersum istos vsurpata, in omnium ore & sermone versabatur Adrianus & Eubulus ex regione, quæ Manganæa dicitur, ad reliquos confessores Cæsaream versus accedentes, ad portas vrbis causam sui itineris eô suscepti rogantur. Deinde rei veritatem ingenuè confessi deducuntur ad Firmilianum. Iste nulla dilatione aut mora interposita, post multa tormenta, quæ in eorum latera impegerat, bestiis dilaniandos condemnat. Biduo autem interiecto, Adrianus quinto die mensis Dystri, hoc est ad tertium Nonas Martij, die festo quo natalicia Fortunæ Cæsareensium, (sic enim putabatur) celebrari solent, leoni primum ad discerpendum proiectus fuit: deinde gladio iugulatus, obiit mortem. Eubulus autem perendino die ad meridiem ipsis Nonis Martij, qui est septimus dies Dystri, cùm index illum admodum rogaret, vt hostias immolaret idolis, quò libertate eorum legibus decreta potiretur, gloriosam mortem pro pietate susceptam huic vitæ breui & caducæ præposuit: & post bestiarum laniatus gladio, vt socius ante illum, trucidatus fuit: omniaque martyrum certamina Cæsareæ confecta suo sanguine postremus obsignauit.

Adrianus martyr, passus 5 Martii Eubulus 7. Martij.

Firmilianus præfectus gladio cæditur.

XII. CÆTERVM operæprecium est hoc loco commemorare, quo pacto tandem, non idque longo tempore post, cælestis & diuina prouidentia eos impios magistratus cum ipsis tyrannis vltra sit. Nam firmilianus, qui tam petulanter & contumeliosè in Christi martyres debacchatus fuisset, cum aliis eiusdem sceletis participibus extrema supplicia subiens gladio finem viuendi fecit.

VITA S. CAPRASII ABBATIS MONASTERII LIRINENSIS, AN. 390.
EXCERPTA EX VETVSTO ANNOSOQVE CODICE EIVSDEM *Monasterij, & ad nos fideliter transmissa.*

IVNIJ 1.

I. VIDEMVS quamplurimos homines gentilium libros studiosè perlegere, fabulas poëtarum comœdiasque & carmina perscrutari: alios cernimus Ethnicorum gesta, quibus iuxta huius mundi stultitiam aliquid strenuè gessisse cernuntur, curiosè perquirere, tenacique memoria retinere: quosdam etiam perpendimus talium perditorum hominum libentius historias allegare, quam sanctorum doctrinas virtutes & exempla referre: cùm tamen sanctorum vitam & merita recitando, quam maxima

Sanctorum vitæ, quam

tum afferat legentibus vtilitatis.

cunctis immineat vtilitas. Nam in hoc (vt Propheta admonet) Dominum laudamus in sanctis eius, qui in illis semper mirabilis apparet. Insuper eius propitiationis gratiam, sanctorum interuentione promeremur, & eorum consideratione virtutum, nobis incitamenta præparamus. Omissis igitur stultorum hominum studiis, glorioſi Patris nostri Caprasij, cuius hodie festum colimus, virtutes ac merita ad memoriam reuocemus.

FVIT itaque beatus Caprasius ingenuus ac spectabilis genere, sed, quod laudabilius est, virtute mentis excel- II.

1. Cor. 3. & 8.

sus: à primæuo iuuentutis flore Philosophiæ artibus imbutus, miroque claruit ingenio. Sed tandem diuina præuentus gratia, prudenter attendens quia iuxta Apostoli dictum: Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum, & quia scientia inflat, charitas autem ædificat: elegit potius stultus ab hominibus reputari, vt apud Deum sapiens mereretur

Matth 11. Luc. 10.

haberi, illa secreta sapientiæ diuinæ adipisci cupiens, quæ Pater cælestis abscondit à sapientibus & prudentibus, sed mira dignatione paruulis, id est humilibus & simplicibus, reuelauit: nec suo est desiderio fraudatus, nam pius & misericors Deus, qui tam salubre propositum cordi eius inspirauit, gerendi gratiam & perficiendi virtutem ministrauit.

a S Caprasius distribuit suam substantiã pauperibus

BEATVS igitur Caprasius verus Christi discipulus mundanam illam relinquens Philosophiam, Euangelicam aggressus est disciplinam. Inprimis [a] possessiones, & quæcunque in hoc sæculo habere poterat, amore Christi contemnere, pauperibusque distribuere disposuit. Euangelicam ergo illis expeditus aggreditur paupertatem, onusque, mundanæ solicitudinis deponit, & iuxta Apostoli doctrinam, quæ retrò sunt obliuiscens, ad ea quæ anteriora sunt se extendit. Omnia huius sæculi *concupiscibilia arbitratus est vt stercora, vt Christum lucrifaceret: & vt soli Deo liberius vacaret, non solum corde, sed etiam corpore ab hominum aspectibus & seculi conuersatione recessit, & in quadam arcta aridaque solitudine monasticam vitam ducere, solitariamque institutionem aggredi deliberauit. In qua nimirum eremi solitudine ad tantum virtutum apicem prouectus est, vt non solum sibiipsi proficeret, sed [b] etiam quamplurimorum Deo militantium monachorum Pater & dux efficeretur, qui eius exempla sectantes pariter & doctrinã, latam viam & spatiosam, quæ ducit ad mortem deserentes, arctam quæ ducit ad vitam æternam, Christo authore, ingredi contendebant.

Philip 3. Phil 5. * Corruptibilia. b Attrahit multos suo exemplo, ad vitæ melioris institutum. Matth 7.

III.

INTEREA eius magisterio se subdidit ille Christi Præsul, virtute, sacerdotio & nomine [c] Honoratus, Lirinensis monasterij Pater, qui postmodum Arelatensi ecclesiæ præfuit Episcopus: cui etiam adhæsit preciosissima illa gemma interno splendore perspicua, beatus videlicet Venantius, [d] eiusdem S. Honorati frater, qui ambo præfatum sanctum senem Caprasium pro suo vitæ merito & eximiæ sanctitatis prærogatiua (Domino sic ordinante) tanquam Patrem & Ordinatorem in Domino, atque custodem suæ adhuc teneræ ætatis elegerunt. Qui videns prædictos egregiosque duos Iuuenes Christum sitientes, Honoratum videlicet atque Venantium, patriam ac parentes pro Christo velle relinquere, eorum approbans propositum, per terras mariaque eos assiduè comitatus est, licet iam esset ætatis grauitate confectus. Transcursis igitur, è Nicomedia immensis terræ marisque spatiis, vir Domini Caprasius cũ duobus regalibus *geminis, Honorato scilicet & Venantio, Cisalpinam ingressus prouinciam, talibus lampadibus, fidei igne fulgentibus sanctam insulam Lirinensem illustrauit. In quorum aduentu illa sacra Lirinensis insula diuino mox est cultui mancipata, summæ religionis priuilegio decorata.

c Vide vitã S. Honorati 16 Ianuarij. d B Venãtius S. Honorati frater. * gemmis

IV.

O felix virtutum magister, qui tantos ac tales meruit habere discipulos. O laudabilis pastor animarum, qui talium gloriatur in Christo spiritualium propagine filiorum. Quanti putamus fuisse meriti, quantæ virtutis virum hũc, qui, vt ita dicam, Magistrorum valuit esse Magister? Quam felix & beata habitatio illius sanctæ Lirinensis insulæ, quæ tam præclaris est munita patronis, per Dei prouidentiam ad multorum vtilitatem de tam longinquis ignotisque regionibus adductis.

S. Caprasius Cisalpinam ingreditur prouinciam.

V.

Attende quãtis virtutũ generibus fuerit decoratus S Caprasius

VIR ergo Domini Caprasius feruidus erat charitate, humilitate deiectus, mitissimus pietate, in spe firmissimus, modestus in incessu, obedientia promptus, abstinentia singularis, aspectu serenus contemplatione sublimis, longanimitate fortis, orationis instantia continuus, nihil in hoc sæculo consolationis quærens, nihil desiderans, nisi Christum, quem solum desiderando assequebatur, beatam quærendo vitam, beatam agebat. Optabat à peccatoribus segregari: & iam non solum à peccatoribus, sed etiam à peccatis segregatus erat. Omne in Dei laudibus tempus habere volebat: & toto tempore Deo vacabat. Appetebat sanctorum congaudere cœtibus: atque etiam in præsenti adhuc vita positus similiter gaudebat. Christo frui cupiebat: mente & spiritu fruebatur. Vir iste beatus pro virtutum magnitudine tantæ fuit opinionis & famæ, vt multi sanctorum Doctorum suæ tempestatis, eius dignæ conuersationi testimonium perhiberent, ac de ipso in suis tractatibus memoriam facerent.

Quantæ fuerit sanctitatis Caprasius, Doctorum scripta testantur.

VI.

VNDE præcipuus ille Lugdunensis ecclesiæ antistes Eucherius, in fine libri, quem de Eremi laude conscripsit, cùm de sanctis Lirinensis insulæ incolis loqueretur, hunc virum Dei inter reliquos præcipuè nominauit, ita dicens: Hæc videlicet Lirinensis sancta insula, nunc possidet venerabilem grauitate Caprasium, veteribus sanctis parem. Hæc nũc habet sanctos senes illos, qui diuersis cellulis Aegyptios patres nostris Galliis intulerunt. Et beatus Hilarius, in sermone, quem funebrem in sancti Honorati laudem habuit, Beatum Caprasium perfectæ consummatæque grauitatis fuisse, angelica in insulis conuersatione degisse, & inter Christi amicos connumeratum describit.

S. Michael Archangelus apparet ei ante mortem.

VII.

CVM ergo beatus Caprasius annosus plurimum grandæuusque esset atque decrepitus, & tempus suæ resolutionis instaret, (vt legitur) apparuit ei sanctus Michael Archangelus atque suum felicem exitum post biduum immineret, diuino nutu reuelauit. Nec incongruè quidem, vt angelico viro migraturo ex hac vita, angelica legatio occurreret, quæ sanctam illam animam, & ab hostili improbitate defenderet, & cælestium ciuium gloria sublimaret. In eius igitur extremis conuenerunt glorioſæ & inclytæ memoriæ Sacerdotes, Faustus scilicet, Theodorus, Maximus & Hilarius, cuius mentionem iam dudum fecimus. Qui beati viri Caprasij conscius meritorum: suæ pontificalis dignitatis oblitus, ad eius pedes residens, ipsius se orationibus commendabat, atque vt sui memor esset, grandi cum humilitate efflagitabat, non indignum reputans tanto eremi incolæ obsequium impendere, ipsiusque eximiæ sanctitati dignitatem sacerdotij substernere.

Interfunt eius obitui multi sacerdotes, eius suffragia expostulãtes.

VIII.

QVID igitur officij nos peccatores & indigni huic beato viro iam cum Christo regnanti poterimus exhibere, cùm audimus tantum Pontificem eius adhuc in terris positi suffragia tanta cum humilitate deposcere? Eius ergo intercessionis opem ardenter imploremus, auxilij eius beneficia poscamus, illius vitam atque mores pro nostræ modulo virtutis imitemur. Transiit autem ex hac vita vir Dei Caprasius ad optata gaudia supernorum, die Calendarum Iuniarum, in sacra Lerinensi insula circa annos humanæ redemptionis triginta super quadringentos, inibique sepultus, regnante Domino nostro Iesu Christo in sæcula sæculorum, Amen.

(:)

VITA

VITA S. SIMEONIS, MONACHI TREVIRENSIS, AB EVERVVINO ABBATE MONASTERII DOLEIENSIS CONSCRIPTA.

AN. 1031.

Stylum hincinde modicè elimauit Fr. Laurentius Surius, nihil mutata sententia.

Præfatio.

DOMINO sancto & venerabili Popponi Archiepiscopo, frater Eueruinus, Abbatis nomine indignus, deuotos vtriusque hominis famulatus. Mones, immò iubes, sanctissime pater, vt inops ingenio, stultus eloquio, aliquid de vita & conuersatione ac obitu viri Dei Simeonis, & de miraculis, quæ per eum Dominus operatur, edisseram, multisque ad laudem & gloriam Iesu Christi desiderantibus scire, notum faciam. Fateor magnũ onus mihi infirmo imponis, maximè cum toto corpore debilis, tremendum Dei iudicium pertimescam, si aliquid falsitatis confingam. Confisus igitur de Dei adiutorio, tuis iussionibus vt tremens obtemperabo, plano, breui & simplici sermone describens, quæ vel ipse ex ore eius audiui, vel à fidelibus viris ab ipso audita, siue de miraculis visa didici. Tui igitur examinis est iudicare, num istud tantillum opus iubeas in publicum venire, siue tuis scholasticis corrigendum, exornandum, dilatandumue tribuere. Quicquid enim in me reprehenditur, tibi potius præcipienti, quam mihi obedienti, necessario imputabitur. IVNIJ 1.

Fides historiæ huius.

I. IGITVR vir Dei Simeon patre Græco Antonio, matre Calabrica in Sicilia ciuitate Syracusana progenitus, & nobilissimis & Christianis parentibus christianè est educatus. Cùm verò bonæ indolis puer septem annorum esset, à patre, qui militaturus erat, Constantinopolim deducitur, ibique eruditissimis viris sacris literis imbuendus traditur, & in timore Domini diligenter enutritur. Adultus itaque, incrementis virtutum indies cœpit augmentari, vidensque quosdam ex nostris partibus desiderio infatigabili currere ad sepulchrum Domini, desiderabat & ipse pro nomine Christi peregrinus fieri. Despectis ergo cunctis mundi vanitatibus, abiectis desideriis carnalibus, domũ, patriam, parentesque relinquens, & pauper pauperem Christum sequi cupiens, sanctorum gratia visitandorum locorum Hierosolymam venit: vbi desiderio, quo venerat, loca passionis, resurrectionis atque ascensionis sæpius frequentando, aliquandiu mansit. Post hæc cum quodam Hilario sanctissimo viro, qui hac de causa in Lycaonio habitabat, per septem annos ductor peregrinorum fuit. Iam verò in amore Christi totus fundatus, perquisiuit si illis in locis aliquis inueniretur, qui pro nomine Christi solitarius degeret, cuius instrui moribus, cuius subdi institutionibus posset. Audiuit autem quendam ad ripam fluminis Iordanis in quadam turri inclusum commorari, virtutibus præclarum, sanctitate conspicuum. Illum ergo tota mentis intentione sitiens, illius alloquio atque consortio frui concupiscens, requisitũ reperit, inuentũ dilexit, eiq; tota voluntate in hæsit, & inquantũ potuit, deuotissimè ministrauit.

Parentes & patria Simeonis.

Studet puer Constantinopoli.

It Hierosolymam religionis ergo.

Viuit apud quendam eremitam.

II. DE illo Christi seruo vir Dei Simeon multa solitus erat narrare, & quod prophetiæ spiritum habuisset, plenius his verbis edicere. Cùm quodam die in inferioribus eiusdem turris partibus habitarem, & mulierculas, quæ camelos & cætera animalia in flumine adaquatum venerant, inaniter & lasciuè per fenestram adspicerem, per spiritum, quicquid vanitatis in corde retinerem, vir Dei in superioribus manens, & me omnino videre non valens, cognouit, factoque signo in locum, vbi verba loquentis audire possem, euocauit, mihique stupenti, quæ cogitaueram vel egeram, increpando retulit, atque tali sermone dulciter corripuit: Quid tibi prodest, fili, patriam & facultates reliquisse, si mundi desideria & carnis illecebras in corde vis retinere? Si ergo cupis discipulus Domini fieri, non debes deinceps mundi vanitatibus implicari. Decet enim seruum Dei spirituali virtute esse circunspectum, ne callidus tentator decipiendi inueniat aditum. Cumque inter hos & id genus alios sermones verecundo me videret perfusum rubore: Noli, ait, noli timere: bonam spem per Dei gratiam concepi de te. Tuum est contra hostem pugnare. Dei est auxilium præbere, vt possis vincere. Credo in Deo meo, quia maiora tibi parantur certamina: sed confide, quia præsens diuina aderit clementia. Inter cætera Deus retribuat tibi, charissime, pro seruitio, quod mihi per hos annos officiose impendisti: ego vero frequentiam populi amplius ferre non possum. Concedendum est mihi alibi, vbi secretius possim viuere. Inter turbas enim huc aduentantium, meum non possum implere propositum. Cumque multis lachrymis eũ rogarem, vt quocunque iret, sequi possem, non assensit: sed me ad alia occupato, aufugit, me que ignorantem, quò abirer, occultè reliquit.

Eremita indicat Simeoni, quid cogitauerit.

III. IGITVR Simeon tanto patre orbatus, cogitare cœpit quid ageret, anxius quò se verteret, nec erat, qui nutantem animum consolaretur: vnde magis magisque turbabatur. Iam tunc eremiticam & solitariam vitã concupiscebat, sed quomodo inciperet, necdum perspectum habebat. Igitur vitas Patrum frequenter legens, intellexit nullum in eremo sibi præesse posse, nisi prius in monasterio didicerit subesse: nec perfectum aliquem fore in contemplatiua, qui exercitatus non fuerit in actiua vita. Consolatione ergo accepta Bethleem, natiuitate Christi præclaram ciuitatem, adiit, seque in monasterium sanctæ Mariæ admitti expetiit: quod & obtinuit. In omni verò monasterij districtione probatus, atque diaconi officio functus, post duos annos ad aliud monasterium, quod est situm ad radices montis Sinai, in eo scilicet loco, vbi sanctus Moyses ardentem vidit non ardere rubum, secessit: vbi ab Abbate receptus, per aliquot annos in seruitio fratrum permansit. Crescente autem perfectioris vitæ desiderio, Abbatem humiliter rogauit, vt liceret ei in aliquo secretiori loco commanere, & impetrauit. Ad oram igitur rubri maris paruulam sibi speluncam in quadam rupe inuenit, vbi per duos ferme habitauit annos solus. De monasterio verò pro numero dierum Dominicis diebus numerus ei mittebatur panum. A qua stillans de rupe, sitienti haustum præbebat. Hoc pastus edulio, in eodem aliquandiu mansit loco.

Degit in monasterio montis Sinai.

Viuit in specu.

IV. CVM verò à nauigantibus, vel etiam ab his, qui propter varios vsus sanitatum oleum colligebant, quod de firma petra prope speluncam illius fluebat, visitari cœpisset, fratrem quoque qui panem adferebat, frequentatione & longioris itineris fatigatione tristem vidisset, sciensque se homines latere non posse amplius, ad monasterium rediit, & iuxta cuiusdam viri sancti habitationem cellulam sibi acquisiuit. Cuius fidei se totum commendans, & magistrũ eum post tantos labores adoptans, illius viuebat imperio: quippe qui eum aliquando ab oratione, lectione vel opere vacantem paternè reprehenderet, & quasi recens conuersum instanter argueret. In vertice autem montis Sinai, eo videlicet loco, in quo Moyses gloriam Dei vidit, & legem in tabulis lapideis scripsit, aliud monasterium erat, quod propter incursantes Arabes, qui per illam eremum semper vagantur, omni habitatore desertum remanserat. Eò post hæc exercitia vir Dei Simeon mittitur, & vt ibi moraretur, præcipitur. Implet quod iubetur, & noua machinamenta antiqui hostis perpetitur. Nocturnis horis vt Missam celebret, dæmon hortatur. Ipse nec planè dormiens, nec perfecte vigilans contradicit, non debere sine presbyterii ordine aliquem hoc ministerium implere. Contra inimicus instat, se Dei legatum esse, Christum hoc velle, nec decere sanctum locum ministerio tali diutius priuari. Renitentem ergo & contradicentem, adiuncto sibi consortio alterius dæmonis, de lectulo educunt, ante altare iam vigilantem statuunt, albâ induunt, de stola vtrinque altercantur, hostis more presbyteri, Simeon more diaconi contendebat sibi imponi debere. Tandem Dei famulus ad se reuersus, virtute orationis & signo Crucis inimicum repellit, seq; delusum ingemiscit. Post hæc ad monasterium regreditur, suo magistro iterũ subditur:

Monasterium in vertice montis.

Tentationes dæmonis.

Mira abstinentia.

cui confitens perpessas insidias diaboli, districtiori se continentia constrinxit, per aliquot hebdomadas in die tantum Dominica cibum sumens. Regula autem monasterij talis erat, vt non prohiberetur, quicunque ieiunare vellet. V.

Nota famē ingentem in Aegypti Babylonia

DIGNVM ergo duxi huic operi adiungere, quod suis temporibus in eodem monasterio mihi retulit contigisse. Per totam Aegyptum orta est fames valida, ita vt in sola ciuitate Babylonia mortuorum corpora numerarentur vsque ad centum millia, ciuibus refertis auro, gemmis, cæterisque ornamentis, morientibus præ inopia panis. Fratres igitur monasterij hac calamitate constricti, ex toto corde Deum inuocant, & qui filios Israel in eodem deserto pauerat pane cælesti, seruorum suorum dignaretur misereri. Sicque habito consilio, cum hymnis & orationibus ad cumulum, quod superfuerat, frumenti accedunt; & quia ab Abbate in mandatis acceperant, vt vnusquisque, quò vellet, abeundi copiam haberet, vnaminiter se consolantur, vt quamdiu granum vnum ibi reperiri posset, nullus recederet. Mira res. Ab illa die vsque ad nouas fruges non defecit illud frumentum, cùm quotidiè inde sumeretur, &

Egregium miraculum

non solum victui fratrum pararetur, verum etiam Arabibus, qui cum mulieribus & paruulis septa monasterii obsidebant, abundantissime distribueretur. Sed ad propositum redeamus. Vir itaque Dei Simeon omnes suos labores, quasi pro nihilo ducens, & amore solitudinis interius ardens, de monasterio cautè exiens, eremum peruagatur, & vbi sine humano auxilio solus viuere possit, diligenter inquirit & speculatur. Igitur itineris sui vestigia molli sabulo impresso, arte, qua poterat destruebat, ne aliquis eum insequi posset vel inuenire. Panem, quem portabat, lassus frequenter reiiciebat: sed recogitans se diù non posse viuere sine cibi sustentatione, gaudens resumebat. Tandem de altissimis rupibus deorsum prospectans, paruissimam planitiem contra morem eremi raro germine virentem respicit, semque illuc non sine magno periculo deponit. Paruum fontem inuenit, Deo gratias reddit, ibique manere disponit.

Viuit in loco valde solitario.

Deliciæ, quas secum detulerat, erant Psalterium, sanctum Euangelium, vas ad potandum, panis, semina caulium. Præter pauca vestimenta, nil aliud possidebat. Sata semina post triginta dies iucundum sine igne præbuerunt victum. Cum capreolis & aliis eremi bestiolis, ne sibi caules auferrent, cum pabulatum venirent, frequens habebatur prælium.

POST multos ergo dies ab Abbate requiritur, vbi frater Simeon habeatur? Responsum est à quodam fratre, VI.

Redit iussus ad monasterium.

in eremo illum esse se scire, sed vbi locorum, nescire. Ad requirendum ergo fratres circunquaque mittuntur, & vt ad monasterium reuertatur, per obedientiam mandatur. Diù requisitus, vix post aliquot dies inuenitur, & secundum Abbatis præceptum, ad monasterium regreditur. Interea fratres aliquot, pro necessitatibus loci in occidentales partes directi, moriuntur. Pecunia, cuius causa fratres abierant, quæ de terra Richardi Comitis Nortmannici monasterio debebatur, ab ipso diligenter conseruatur, vtque aliquis fidelis mittatur frater, qui eam ad monasterium perferat, per legatos mandatur. Communi consilio id negocij famulo Dei Simeoni committitur. Ille prius renuere, dicere aliud sibi in animo esse, multum obesse sibi vanitatibus huius sæculi denuo immisceri, propositum, quod retinebat animo, vt id liceret re ipsa implere: quibus poterat verbis, humiliter precari cœpit. Cùm verò prædicaretur illi, non suam voluntatem, sed præpositorum sequi iptum debere, assensum præbuit, dicens, se doctum per visionem, illud iter inutile fore, multaque aduersa in via se perpessurum: quod & contigit. Nam cùm paraturus, quæ ad nauigandum necessaria essent, Babyloniam venisset, ab ianitoribus tenetur, & tanquam ignotus & patriæ delator cum sua

Cōprehenditur Babyloniæ ceu explorator

suppellectili ad palatium trahitur & per calumniam defertur. Expurgatus deinde ab iis, quæ falsò ei obiecta erant, liber abire iubetur: ianitor, quod virum innocentem ad sedem regiam detulisset, tunditur, colaphizatur, propellitur. Famulus ergo Dei Simeon libertate donatus, per aliquot dies in ciuitate morat ur.

INTEREA nauis Venetiis cum mercibus aduenit: hanc compositis rebus, cum quodam fratre monacho in- VII.

trat. Cum itaque prosperis ventis per Nilum nauigitur, forte aliæ naues obuiant, & illis in locis piratas ad prædam congregatos nunciant, illorum gladios non posse euadere, nisi per aliquod tempus dum segregentur, libeat eis nauigationem suspendere. Cumque aliæ atque aliæ naues eadem referrent, & nauclerus in sua confisus virtute & armis, non attenderet, famulus Dei Simeon proprio eum vocans nomine, dixit: Frater, si Dominus Christus de cælo angelum misisset, tu territus, ad spectum illius ferre non posses: nunc verò quia hodie, heri, & nudiustertius non vnum, sed plures legatos misit tuî similes, legationem Dei non negligenter suscipere deberes. Crede consiliis meis, & vel per tres dies istos expecta: fortassis ab isto periculo liberabit nos miseratio diuina. Quod si non feceris, & te & nos perdis. Ille verò modis omnibus non acquiescens, sequenti die in latrones incidit, ab hora diei tertia vsque ad nonam

Nota fraudem & sæuitiam piratarum.

ferè vtrinque acriter certatur. Sed cùm latrones viderent se pugna nihil proficere, ad dolos conuertuntur, vt in nauim recipiantur, pugnaturi aduersus alios latrones, humiliter exposcunt. Contradicente Simeone famulo Dei, in nauim recipiuntur. Depositis itaque armis, & omnibus quasi post laborem quiescentibus, (prædones autem nouem erant) vnanimiter insurgunt, gladios impiè stringunt: fit pugna atrox, inimica cædes exercetur. Ipsi nauclero primū caput amputant, cæteros duriter mactant, omnes pariter occidunt & iugulant. Solus Christi famulus in puppe stat,

Vir sanctus mittit se in flumen. Psalm. 76

illum, qui non deserit sperantes in se, toto corde exorat: ab omnibus acclamatur, vt inimicus consultor perimatur: vt caput amputetur, ferus hostis adest. Ille reiecta veste, proiicit se in flumen. Multa post illum iacula mittuntur: sed non potest perire, quem CHRISTVS vult saluare. Per profundum graditur, psalmus in corde ruminatur. In mari via tua Deus, & semitæ tuæ in aquis multis. Ergo per vices natando, per vices in fundo gradiendo, in littore tandem valdè lassus, nudus exponitur.

POST hæc ad vicum, qui proximus erat, tendit: homines illi Christiani ne, an Pagani essent, scire non potuit. IIX.

Instructus Aegyptia, Syra, Arabica, Græca & Romana eloquentia, linguam gentis illius intelligere non poterat. Biduo ita nudus mansit. Tertia die quidam ex illis hominibus miseratus, vilissimum illi vestimentum proiicit. Quo indutus, per multas tribulationes & angustias Antiochiam venit: vbi à fidelibus viris amanter susceptus, induitur, amplexatur & honorifice sustentatur. In breui Patriarchæ & ipsis principibus habetur notissimus. Omnes enim, qui eū nouerant, quasi dulcissimum patrem venerabantur & diligebant. Ea tempestate contigit, Richardum Abbatem virum perfectis viris imitabilem, piæ deuotionis gratia Hierosolymæ velle videre loca. Dum ergo iter per Antiochiam

Venit Antiochiam, & illic honorificè habetur.

haberemus, ibique necessitate itineris cogente, aliquandiu moraremur, famulus Dei Simeon iunctus est nobis amicitia, prædictum Richardum Abbatem adoptans sibi in patrem. Cui cùm exposuisset per ordinem, quæ sibi iniuncta essent, vel quæ contigissent, addidit, nullis periculis vel angustiis se retineri posse, quo minus Abbatis sui mandata

Patientia eius.

exequatur pro viribus. Imus ergo & redimus, eumque nobiscum paratum inuenimus Cumque in comitatu esset nostro, frequenter iniuriis atque flagellis affectus, ceu ouis mansuetissima, patienter tulit. Peruenientibus autem nobis vsque ad ciuitatem Bellegradum, quæ est in confinio Bulgarorum atque Hungarorum: à ciuitatis infelicissimo principe prohibitus est nobiscum transire. Igitur flens & Deo gratias reddens, reliquit nos tristes atque flentes. Per multas denique angustias & latronum insidias reuertitur vsque ad mare. Quo transito prospere, iter faciens per Romam, venit in Franciam. A quodam igitur sibi noto comite benignè susciptur, & apud eum aliquandiu moratur. In illis ergo partibus monachus, vir sanctissimus, comes eius, quem secum de Antiochia adduxerat, moritur: vnde multum contristatur. Cum recogitasset autem, quia nihil fit sine dispositione Dei, post multas lachrymas sese consolatur.

Rothomagum venit sanctus.

Destitutus verò omni humano auxilio, totam spem suam ponens in Domino, solus venit Rothomagum, quæ est ciuitas

titas Nortmannorum nobilissima, sancti Audoëni episcopi & confessoris corpore & meritis valde præclara. Vbi cum Richardum Comitem iam mortuum comperisset, de pecunia & censu, qui de terra illius pro eleemosyna suo monasterio debebatur, nullus ei responsa redderet, mœstus aliquantulùm, non pro suo labore, sed quod locus Sinai frustratus esset tanta vtilitate, toto corde conuersus ad Dominum, quid ageret, quærit consilium. Occurrit autem animo, vt suum patrem charissimum, Richardum scilicet Abbatem, nosque suos comites inuiseret: quod & fecit. Per longum autem tempus moratus est nobiscum: & vt breuiter concludam, quandiù apud nos mansit, irreprehensibiliter vixit.

IX. INTEREA dominus Archiepiscopus Poppo, sanctæ Treuirensis ciuitatis strenuus prouisor, audiens Prophetam dicentem: Et erit sepulchrum eius gloriosum: gratia orationis Hierosolymam venit, huncque famulum Dei eũ-do & redeundo secum conuiatorem habuit: cui post reditum in suo episcopatu, si vellet, manendi facultatem præbuit, & libentissimè concessit. Ex reuelatione igitur Dei prospectans sibi locum idẽ famulus Christi, vbi solus posset vacare orationi, in turri, quæ antea nigra porta vocabatur, paruulum tugurium expetiit, vbi dominus præsul, præsẽte Clero & populo, in festiuitate sancti Andreæ illum inclusit, & quasi mortuum vt verè erat, sæculo, deuotissime sepeliuit. Reclusus igitur, vt verè credimus, vir Dei silentio & ieiuniis attenuauit corpus suum: inprimis aliquando solo pane, aliquando autem reficiebatur aqua, infuso legumine. In nostra quidem terra, propter infirmitatem stomachi, vsus est semper modica potione vini. Illo etiam tempore non defuerunt graues tentatoris insidiæ. Per noctes enim audiebat rugitus leonum, vlulatus luporum, grunnitus porcorum, cæterarumque bestiarum duras infestationes: quæ quasi impetum facientes, vt eum deuorarent, illud tugurium, &, vt verius dicam, sepulchrum immensis clamoribus replebant. Etsi autem voces audiret & gemitus sentiret, nihil tamen cernere valebat. Expansis denique manibus, stans in oratione, cũ se nec inclinare, nec vertere auderet, nec etiam somnum capere posset, fidei mente conuersus ad Dominum, dicebat orans: Domine, etiamsi totum corpus meum est traditum his feris deuorandum, credo tamen, quia tu misereberis animæ meæ, quam tuo redemisti sanguine. Confidentem ergo in te, scio, quia viuum me non extrahent ex hac inclusione. Quicquid autem dispositis de me, fiat mihi secundum multitudinem misericordiæ tuæ.

Poppo Archiepiscopus Treuir.

Esa 11.

S. Simeon apud Treuiros in turri degit solitarius.

Tẽtationes dæmonis.

X. RESPECTV igitur diuinæ misericordiæ liberatus ab hac infestatione, sensit in proximo sibi aliam adesse. Videbatur nanque ei, vultures, coruos, aquilas, miluos, & omnes cæli volucres ad ipsum per fenestras certatim irrumpere velle. Sed cum sæpius facto impetu nihil prævalerent, ingenti clamore locum illum complebant. Voces igitur ille audiens, nihil penitùs videbat. Certus itaque à diabolo hæc monstra immitti, vt terrorem ipsi incuteret, attentius orabat, & supra vires ieiunabat. Liberatus verò etiam ab hac tempestate, quadam nocte dum peruigil in oratione maneret, sensit totam fabricam illius turris funditus concuti, & quasi facto terræmotu, in profundum mergi. Renum, ades, si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Et sic illa quoque commotio quieuit. Alia etiam nocte, cum expergefactus oculos aperuisset, vidit cellam suam immenso lumine fulgere. Et primo miratus, cum recordatus esset illius sententiæ Apostolicæ, etiam satanam transfigurare se in angelum lucis: Domine Iesu Christe, ait, non istud lumen quæro in terris, sed tuum, quod est in excelsis. Sicque clausis oculis in oratione vsque ad diem permansit. Corporalibus quidem oculis ipsum antiquum hostem teterrimum & multiformem adspiciebat, eumque sæuientem multis modis, oratione & signo Crucis repellebat. Sed cùm inimicus nullatenus per se nocere illi posset, insidias aduersus Dei famulum per sua membra ei tetendit. Ea tempestate, exigentibus peccatis nostris, nimia aquarum abundantia excreuit. Eius mali causa Simeoni imputabatur ab omnibus, dicentibus eum maleficum esse: pro eius sceleribus hanc mundo cladem immunere, vt deponatur à pontificè, populus acclamabat quotidie. Ex vrbe tandem concursus agitur, tugurij fenestras obruunt, Simeonem lapidare contendunt. Vidimus, fateor, fenestram fractam, sed athleta Christi Simeon fundatus supra firmam petram, immobilis persistebat, atque Deo gratias reddens, pro persecutoribus cum gaudio orabat. Quantas postea cruces, quantas ibi pertulerit molestias, quis dignè explicet? Solus hæc nouit scrutator cordium, qui illi fuit viuere, sicut mori lucrum.

Dæmonis præstigiæ.

Psalm. 138.

2. *Cor.* 11.

Signo crucis & precibus profligat dæmonem.

Patientia sancti viri in persecutione atroci

XI. INTEREA voluuntur anni, & vir Dei resolutionem præuidet corporis. Denique dominum Episcopum rogat, vt expensas & operarios qui sibi lectum componant, mittat: ipse in parte sui diuersorij locum sepulturæ parat: hæc inquiens, requies mea in sæculum sæculi: hic expectabo diem Domini. Paucis postmodum transactis diebus, ipsum ego humilis adij vocatus, & qui pedum illius osculo eram indignus, in cellam ab eo sum intromissus. Post orationẽ, amplexus, oscula & fletus, consedimus. Referuntur inprimis multa de thesauris sacræ scripturæ, de orthodoxa fide, de salute animæ. Post hæc: Reuelãte Deo, inquit, dissolutionem corporis mei adesse cognoui: peto humiliter, vt hoc corpusculum meum his vestibus exuas istas, quas mihi ad hoc paraui, ordinatim induas, & in hoc locello componas. Cui cum obstupefactus responderem: Quid si dominus Præsul ad domum sancti Petri, vel ad aliud monasterium tè velit sepelire? respondit: Indica illi ex nostra parte, vt pro Christi nomine hæc peregrina membra consentiat hic putrescere, & me permittat hic diem Domini expectare. Cum aũt porrò interrogarem: Quid si præsens non fuero? Eris, inquit, eris, & sic, vt disposui, de me ordinabis. Cumque valde tremens, attẽtius vultum intenderem, sensi, fateor, odorem de corpore eius fragantem, omnibus aromatibus suauiorem. Miratus multum, alia secreta ex illius ore audiui, quæ hic scribere nolui. Interpositis ergo centum & quinque diebus, in octauis Pentecostes ægrotauit.

Prædicit obitum suũ.

XII. STEPHANO autem, qui ei ministrabat, iniunxit, vt per aliquot dies requiem ipsi daret, quo plus solito contẽplationi vacare posset. Ille vnum diem expectat, & tertia feria ad vesperam signo facto, corbem cum pane ad fenestram suspendit: mane autem, sicut miserat, intactum reperit: multum anxius ad eum ascendit. Interrogatus, hoc solum respondit: Quid vis? vade in pace. Ille timens, Hothelino clerico, qui viro Dei satis familiaris erat, per ordinem pandit, dominum Simeonem valde laborare, nec sibi vt solitus erat, loqui. Clericus feria quinta illum visitat: famulus Dei nullum responsum dat. Sed tandem de manu eius potum suscipit, seque in lectum suum recolligit. In die octauo, dum reuisit illum diluculo, in extremis reperit, mihique notum facit. Concitus cucurri infirmus toto corpore, & maxime debilis pedum inualetudine, quasi sanus ascendi sine dolore. Inueni adhuc viuentem, & iam vltimum spiritum trahentem. Exequias, quæ pro absolutione animæ celebrantur, cum solis duobus fratribus, qui mecum aduenerant, prout potuimus, peregimus. Sicque animam sanctam hora tertia, Calendis Iunij, benignissimo, cui semper seruierat, reddidit creatori. Subito fit cõcursus omnium, monachi, clerici, Deo sacratæ, vulgus promiscui sexũs, quicunque audire poterant, ad tanti viri funus properabant.

Excedit è vita An. 37.

XIII. IGITVR, sicut ipse disposuerat, immò prædixerat, corpusculum more suæ patriæ componimus, & cum psalmis & laudibus Dei in sepulchro collocamus. Quod apertum dimittentes, qui in vigiliis & obsequiis deseruirent, deputamus. In crastino tota ciuitas quasi vir vnus congregatur, interior domus ornamentis ecclesiasticis decoratur. Dum ergo exequiæ cõmuniter celebrantur, sancti viri corpus, sicut solent homines in calidis balneis, sudare cœpit.

Miramur

Corpus ei⁹ exanime sudat.

Miramur omnes. Aliqui sudorem extergebant, viuere eum credentes. Sed cùm multis modis probatum esset, quia non è viuo corpore ille sudor procederet, nec sine prouidentia Dei isthuc fieret, visum est omnibus vt illud tanti viri corpus non negligeretur, sed à Clericis per proximos triginta dies vicissim custodiretur. Deputatis igitur illis, post horam nonam sepulchrum diligenter clauditur. Cum autem Clerici per vices in cellula, vbi humatum erat corpus viri Dei, psalmos canerent, vnus negligentior, dormitare cœpit. Qui graui depressus somno, audiuit quasi cælitùs ingentem sonitum eo loco existere. Quo territus, aliis excitantibus est expergefactus. Oculis verò apertis, vix sensũ recepit: sed per aliquot horas linguæ officium perdidit. Admonitus ergo ab aliis, vt quam non posset sermone, confessionem corde faceret, ante sepulchrum viri Dei veniam postulat, pectus tundit, atque eius meritis absolutionem linguæ obtinuit, & quæ ipsi contigerant, narrauit. Cumque eadem accidissent iterum dormienti, omnibus nimio perterritis terrore, extra cellam ad pedes viri Dei psallere placuit. Credimus siquidem angelicam visitationem illuc aduenisse, quam mortalia corpora ferre non possent.

Pœna negligenter canentis psalmos ad corpus eius.

Miraculũ.

XIV. TRICESIMO deinde viri Dei Simeonis die, multus populus cum cereis atque aliis donis ad sepulchrum cœpit confluere. Quædam anus de ciuitate, multis annis curua, vt se penitus erigere non posset, cum reliqua multitudine aduenit, & cæteris ascendentibus ad sepulchrum viri Dei, & ipsa, si ascendere posset, tentauit. Erecta igitur toto corpore, ascendit, viro Dei Simeoni gratias reddidit, sicque mirantibus, qui eam nouerant, ciuibus, sana & incolumis domum remeauit. Multi etiam alij variis doloribus & morbis affecti, eo ipso die sunt liberati. Ex eo tempore sepulchrum viri Dei populus veneratur & inuisit. Cùm autem commodus ascensus in ædificio turris pararetur, quodam lignum à multis trahebatur: & cùm in altum iam esset sublatum, rupto fune, multitudini, quæ conuenerat & subtus stabat, mortem cœpit minari. Exterritis omnibus, atque, vir Dei Simeon, adiua nos, inclamantibus, mirabile dictu, quasi manibus sustentaretur, fluctuando paulatim deponitur, atque multitudine perterrita vtrinque locum dante, ad terram sine periculo submittitur. Qui periculum euaserunt, Christo laudes referunt, & Simeoni tanti miraculi ministro gratias reddunt.

Mulier cõtracta fit sana.

Præclarum miraculũ.

XV. HIC duo miracula placuit inserere, quæ iidem ipsi, qui sanati sunt, testificantur in eius vita esse patrata. Cum per longum tempus quædam fœmina acri corporis ægritudine vexaretur, & præ nimia valetudine oculorum visu omnino priuaretur quadam nocte in somnis admonetur, si de manu viri Dei Simeonis cibum sumeret ab illo morbo liberam ipsam fore. Manè virum interrogat, quis Simeon ille sit? Saluti vxoris congaudens maritus, cœpit diligenter inquirere de viro Dei Simeone. Dictũ est autem ei à quodam Gothelone clerico, quia is esset, qui cum domino Episcopo de Hierosolymis venisset. Deo gratias ille refert, visionem suæ vxoris refert, & vt de manu eius cibum capere ei liceat, humiliter precatur. Clericus per ordinem viro Dei nunciat, & quod petebatur, vt impleat, multum rogat, sed vix impetrat. Cum ergo panem & piscem, à viro Dei cum benedictione transmissum, iam desperata & penè mortua mulier suscepisset, panem comedit, de pisce oculos inunxit, atque ita obdormiuit. In gallicantu expergefacta, & cum lumine oculorum plena corporis sanitate recepta, ad opus resedit, & mirantibus amicis, Iesu Christo gratias egit, qui per merita sui famuli Simeonis perfectam sanitatem ipsi concessisset.

Mulier cæca & penè exanimis curatur.

XVI. QVIDAM puerulus, hydropis morbo miserabiliter distentus, cùm etiam à Medicis desperaretur: (venter enim, virilia & quæque interiora ita intumuerant, vt vix incedere, vix stare vel sedere valeret) petiit se ad virum Dei Simeonem deduci, dicens, quod Medici non possent, illum posse. Adductus igitur, per tres dies de potu illius bibens, quarta demum die cœpit meliùs habere: sicque oratione viri Dei restitutus est pristinæ sanitati.

Itẽ hydropicus.

XVII. QVÆDAM mulier, quæ manum dexteram digitis palmæ adhærentibus, aperire nunquam poterat, ad sepulchrum viri Dei venit, manum cum fide superposuit, moxq; digitis extensis, meritis viri Dei sanam retraxit.

IN festiuitate sancti Petri ad vincula, alia mulier, quæ sinistrum brachium cum manu contractum habebat, ad sepulchrum beati Simeonis venit: quæ extensis venis & rupta cute, sub omni celeritate medelam promeruit. Eodem tempore puer quidam mutus ad sepulchrum viri Dei adductus, officio linguæ est restitutus. Alius similiter mutus, puerulus ad viri sancti sepulchrum mittitur, in via loquitur: domum reuersus mutus, sicut antea, efficitur. Iterum cum votis ad sepulchrum reuersus, perfecte sanatur.

XIIX. QVADAM die Dominica dum quædam puella, cuius brachium ventri inhærebat, ad sepulchrum famuli Dei Simeonis venisset, brachium, quod excrescente carne vix videri poterat, præsente populo exiliuit, & perfectam sanitatem, quam petebat, promeruit. Alia Dominica mulier cum paruula filia, quæ cæca à natiuitate fuerat, venit ad beati viri sepulchrum. Dum ergo Missa celebratur, puella illuminatur. Matrem respicit, sed non cognoscit. Illa interrogans, quid sibi esset? cognoscit quòd filia sua videret. Gauisa, factam in se misericordiam populo nunciat. Populus verò virtutem Christi in meritis sancti Simeonis laudat. Sed cùm Clerus magnitudinem tanti miraculi non crederet, subitò parentes illius mulieris & ministri de villa aduenium, qui illam à natiuitate cæcam fuisse testabantur. Mox tota ecclesia Christum laudat, qui famulum suum Simeonem tot miraculis illustret.

Cæca visũ obtinet sub Missa.

XIX. QVIDAM Adalmannus ciuis Treuirensis, iter faciens, hospitatus est in domo cuiusdam, qui filium habebat cæcum. Suasit ergo illi, vt filium ad sepulchrum hominis Dei duceret, misericordiam inuenturus. Ille votum faciens, censum aliquot annorum viro Dei promittit reddendum, moxque in domo eius puer lumen recipit. Videntem itaque ad sepulchrum adducit, & gratias sancto viro Simeoni reddit. Quædam mulier per multos annos visu oculorũ priuata, dum sepulchrum beati confessoris per aliquot dies frequentaret, meritis illius illuminata est. Ad idem sepulchrum quædam dæmoniaca perducta, quæ, quos poterat, dentibus mordebat & manibus laniabat, per noctem ligata mansit. Manè facto, dæmone liberata, incolumis remeauit ad propria.

Item cæcus puer, &c.

XX. QVIDAM seruus Palatini comitis habuit ancillam, cuius manus vna arida, imbecillis & tam exilis erat, vt ad nullum opus valeret. Cum ergo non esset vlli vsui, tradidit eam ad sepulchrum viri Dei Simeonis. Eadem nocte miro modo ipsa manus intantùm creuit, vt alteri non dissimilis esset. Quidam miles quandam habuit famulam, adeò paralysi corpore dissolutam, vt nec de lecto surgere, nec in latus alterum se conuertere posset. In cophino igitur ad viri Dei sepulchrum deportata, per aliquot hebdomadas ibi hospitata est. Cum ergo in festo quodã populum videret ad Missas cõcurrere, & ipsa subito de lecto exiliẽs, cũ eis cœpit ambulare. Ad sepulchrũ igitur viri Dei veniẽs & sua vota coram populo nuncupans, quæ apportata fuerat aliorum manibus, sana & incolumis propriis repedauit pedibus.

Arida sanatur manus.

Paralytica reualescit.

XXI. IN Calendis Nouembris cùm placuisset domino Archiepiscopo in ædificio turris, vbi corpus viri Dei sepultũ erat, altare in honorẽ omniũ sanctorũ cõstruere, multus vndiq; populus cõfluxit. Dũ ergo apparatus fit, & dominus episcopus expectatur, quidã puerulus contractus ante sepulchrũ viri Dei sanus erigitur. Eodẽ die quidã iuuenis, cũ ad tantã diei lætitiã ascendere vellet cũ reliqua multitudine, nullo modo valet. Impingitur itaq; à populo, trahitur & portatur: sed vires portantiũ deficiũt, & ipse toto corpore sanus, magis magisq; fit põderosus. Cõsulentibus quibusdã peccatorũ suorũ confessionẽ facit, & tandẽ ad vesperã leuis factus, ascẽdit, emẽdationẽ vitæ sancto Simeoni promittit, sicq; lætus domũ redit. Alio tempore quędam meretrix cum ascẽdere ad sepulchrũ viri Dei vellet, quasi à quodã repellẽte reiecta, de gradu cecidit, & facta exanimis, cum putaretur à populo statim moritura, foras trahitur.

Nota isthuc de Cõfessione peccatorũ. Item de meretrice.

Sed

Sed cùm ex illo ædificio exportata esset, quasi nil mali passa, in pedes constitit, & de illa ciuitate ociùs aufugit.

XXIII. QVIDAM rusticus cum debile corpus ac penè dissolutum, manibus atque genibus rependo, miserabiliter traheret, & per quinque menses viri Dei sepulchrum indesinenter frequentaret, quadam die profusis lachrymis eum his vocibus interpellare cœpit: Eia, serue Dei Simeon, quam durum & immisericordem te mihi præbes: quotidie te requiro, quotidie te inuoco, & tamen ad misericordiam non flecteris, mihique soli negas beneficium, quod aliis impendis. Certe deinceps ad te venire recuso: iamiam desperans, domum repeto: Sed quid dicam amicis, propinquis & vicinis meis? Noli noli sancte Dei tam immisericorditer me solum dimittere, saltem aliquid mihi largire. Toto ergo animo turbatus, ad hospicium se retrahit, deliberat vt in crastinum ad patriam reportari possit. Interim præ nimio dolore graui somno oppressus post gallicantum quasi in ecstasi iactus, vidit quendam venusto vultu cum magno lumine assistere, hisque verbis ipsum blanditer affari: Quid iaces, homo? Surge velociter, & ad viri Dei Simeonis sepulchrum cito accede. Cumque responderet, non posse se ire, se iam ante illuc venisse, & nihil profecisse: ille ait: Ego te adiuuo, ego sustento: noli tardare: præstò sum vt auxilium tibi feram. Excitatus ergo, sensit membrorum virtutem rediisse: sicque, qui solebat curuus atque prostratus infirmis repere manibus, ad sepulchrum viri Dei, mirante populo toto corpore erectus, solidatis ascendit pedibus. Instauratur corpus miserabile rustici.

XXIV. EA tempestate, cùm Treuirorum ciuitas, tantis polleret miraculis, ad domini Simeonis sepulchrum apportatus fuit puer octo annorum, cui morbus ambulandi eripuerat officium, pro quo iam triduo Simeonem interpellarat deuotio parentum. Fortè erat apud nos de Alemannia monachus non mediocriter liberalibus institutus disciplinis, verùm tantis non bene credens miraculis: qui etiam tunc præsens aderat, cum ibidem Dei effulgent miracula, & exorabile beati Simeonis meritum votis adspirat adstantium. Puer vtrisque manibus altari adhærebat, donec membrorum resoluta compage, sano adstitit erectus in corpore. Itaque ingreditur pedibus, sed tremuli titubant incessus, quos nondum naturæ docuerat vsus. Tandem sanus rediit: isque de quo diximus, visis credidit, Deum laudauit, hæcque commemorans, lætus abscessit. Puer claud⁹ ambulat.

EX CHRONICIS HIRSAVGIENSIS MONASTERII, IOHANNE Abbate Spanheimense authore.

EODEM anno (nempe 1037.) S. Simeon monachus & inclusus Treuiris moritur Calẽdis Iunij, qui tantis mox coruscauit miraculis, vt à Benedicto Papa IX. Poppone Archiepiscopo petente, statim post mortem sit canonizatus.

VITA S. SECVNDI MARTYRIS, DESCRIPTA AB ANTONIO MARIA GRATIANO A BVRGO S. SEP. Episcopo Amerino. AN. 280.

I. IN illa Christianorum, ac piorum hominum strage, quam Diocletianus Imperator execrabili percitus errore, & crudeli, atque impio animo edidit, inter multos, qui vt tam atrocis temporis, ac veluti pestiferi turbinis vim declinarent, secesserant è medio, ac se latebris abdiderant, vir claritudine quidem stirpis longe nobilissimus (quippe ortus imperator domo, ac genus ab Aureliano principe ducere ferebatur) sed sanctitate, & Christianæ religionis laude multo nobilior, cui nomen Secundo fuit, apud Spoletum in Eudoxiæ piæ Matronæ domo, præbitis ab illa clam vitæ alimentis, occultabatur. Dionysius quidam ea tempestate pro consulari iure Spoletum administrabat, qui Diocletiani furori, atque immanitati, pari & ipse sæuitia subseruiens, in Christianos magna cura conquisitos, & vndique ex occultis, atque abditis locis protractos, supplicijs grassabatur. Ex quo tantus omnium animos incesserat terror, vt hiscere in ea vrbe iam nemo, nemo palam ferre Christi nomen auderet: omnes mortis, atque adeo acerbissimorum cruciatuum metu, quibus, quicunque Christianę pietatis argueretur, nulla venię spe miserabiliter necabitur, mentis suæ sensus dissimularent: & quidam etiam, (quod vnum deprehensis mortis effugium erat) deserta fide ad impium cultum Deorum reuoluerentur: aut quos, ne tantum in se admitterent nefas religio insidens animis prohiberet, hi in abditas solitudines, ac in deuios elapsi saltus, in speluncis, ac in ferarum lustris delitescerent, ferarumque ritu vitam sustentarent. I. IVNII Secundi genus. Latet apud Eudoxiam.

II. HÆC cum Secundus ab Eudoxia cognouisset, ingenti dolore, ac religione incensus, seipsum ac suam infirmitatem vehementer incusauit, qui vecordi metu muliebriter perterritus, Euangelij ipsius oblitus videretur, non qui corpus, sed qui animam occidere possunt hostes esse metuendos, monentis, & eos qui vere Christianos animos induissent, his verbis alloquentis, Qui me confessus fuerit coram hominibus cõfitebor & ego eum coram patre meo. Igitur cœlestis pietatis studio elatus protinus è latebra erumpit, etiam non tam mortem timens quam vitam pro gloria Christi profundere cupiens, primum quidem pecunias, bona, resque suas omnes, ne iis Tyrannus potiretur egentibus largitur, deinde non occulte, sed propalam Christianum se ferens, Christianæ pietatis instituta, non commento hominum, sed diuina voce sancita, prædicabat: Deorumque stultæ antiquitatis mendacio confictorum cultum, vt profanum, atque impium damnabat, execrabaturque. Res suas pauperibus destribuit. Palam se profitetur Christianũ.

III. ATQVE hæc apud Populum concionis in modum circumfusum edisserentem, Dionysij satellites cõprehendunt, protinusque ad eum adducunt, & compertum ab se in manifesto scelere, seditiosos, scilicet cœtus habentem, contumeliasque in Deos iacientem, & Christianæ disciplinæ instituta tradentem, aiunt. Dionysius speciem habitumque viri haud quaquam contemnendi contemplatus, quærit ab eo, quis, & vnde sit. Cum vtrumque accepisset, benigne monuit, nè patriæ, generisque sui dignitatem seruilibus, atque abiectis Christianorum moribus dehonestaret: sed qui originem suam ad Cæsarum sanguinem referret, Cæsaris quoque gratiam inire studeret, & patrios Deos venerari, atque iis patrio ritu sacrificare in animum induceret. At ego, respondit beatus Secundus, me ipsum iam amo, ac destinatione vero Deo sacrificaui. Nam quos tu Deos esse dicis, quæso te quid diuini habent? Quæ verò tanta amentia mentes vestras occupauit, vt simulachris hominum manu fabricatis, exsculptisque diuinitatem tribuatis, Deum cœli, ac mundi conditorem contemnatis? Audebis ne inquit Dionysius, Herculem, cui ab Cæsaribus nostris præcipuus honor tribuitur, Deum esse negare, aut debitum illi cultum tribuere recusabis? Atqui Hercules iste, inquit Secundus, non homo solum mortalis, sed etiam flagitiosus, & facinorosus fuit, tantum abest vt haberi Deus possit, nisi forte à vobis, qui in summis ignorantiæ tenebris versantes, aspicere hanc veritatis lucem, quam Iesus Christus prætulit hominibus, nequitis. Tum verò Dionysius tam licenter maledicentem Diis, suspendi protinus in equuleo præcipit, eiq; aut per summos cruciatus moriendum, aut sacrificandum Herculi esse denunciat. Sed cum lethum subire, ac pati tormenta cerneret, abduci inde in Herculis fanũ, & ad simulachrum Dei venerandũ adigi vi iubet. Cum in conspectu haberet templum, videntibus, qui eum ducebant, beatus martyr sublatis in cœlum oculis, Christe, inquit, tibi iustum à nobis cultum, tibi diuinos honores, tibi aras deberi, tuũ esse numen verendum, te precor, vt prophani huius templi ruina testatum facias. Vix dum loqui desierat sanctus vir, cũ repentino terræmotu quassatis conuulsisque fundamentis moles illa templi horribili fragore, ac strage cum ipso Herculis signo corruit. Quo casu magna omnium mentes admiratio, magnus Dei, quem Christiani colebant metus, incessit. Comprehenditur. Suspẽditur in equuleo. Herculis fanum euertit.

DIONYSIVS

DIONYSIVS eare magnopere commotus, nec diuina vi, sed magicarum artium carminibus id patrasse Secundum existimans, morti eum damnauit: & quo terrorem supplicii eius in plures diffunderet, circunduci illum, reuinctis post tergum manibus, per vicina loca, ac postremo Ameriæ ostentatum in proximo Tyberis flumine obrui, saxo, quem ægre multi simul homines mouere possent, collo eius alligato, ne emergere vnquam posset, iussit. Cum demum ab impij iudicij ministris in profluentis ripa statutus fuisset, sanctus Martyr datis ad terram genibus grates Deo egit, & implorata erratorum suorum venia, pia precatione animam suam diuinæ benignitati commendauit, ac statim arcte constrictus, ac molari lapidi reuinctus, præceps in flumen est deiectus Calendis Iunij, qui dies hodie quoque festus Amerię agitur. At facinus tam indignum iniquæ cædis ministris impune non fuit, nam Spoletum redeuntes, duobus forocissimis Vrsis cum occurrissent, ab iis necati, ac dilaniati omnes ferme sunt. Pauci qui fuga euaserunt, partim cogitatione periculi cui obiecti fuerant, partim miraculi religione commoti, cum ea fieri sine diuina vi non posse intelligerent, Sacerdotem haud longe ab eo loco latitantem adiêre, & ab eo in Christiana fide institui, & sacra perfundi aqua petierunt, vitamque inde in Christiana religione sanctæ traduxerunt. Neque hi solum, sed alij præterea multi miraculorum, & martyrij huius fama adducti, Iesu Christi doctrinam fidemque amplexi, baptismo procurati sunt.

Submergitur.

Pœna ministrorum necis.

AT Eudoxia apud quam Spoleti delituisse aliquando Secundum diximus, nece eius accepta, pro sua religione, & in Sanctum virum pietate profecta domo, ad locum vnde proiectum in flumen beatum Martyrem audierat, aliquot piis hominibus comitata venit, corpusque eius iacens in ipso ripæ margine nullo suppliciorum vestigio, nulla limosi gurgitis, quo plures per dies obrutus fuerat, illuuie deformatum reperit. Quod cum diuinitus factum nõ dubitaret, læta Iesu Christi tam manifesta in cultores suos benignitate, sublatum inde in prædio, quod Amerino in agro habebat quam officiosissime potuit sepeliuit. Quo ex loco translatum postea Ameriam creditur, vbi ad Romanam Portam paulum extra mænia, vetusta in æde, quæ Sancti Secundi nomine nuncupatur, repertus marmoreus lapis est ita inscriptus. Hic iacet corpus Sancti Secundi Martyris. Corporis tamen ipsius nullæ reliquiæ, nullum aliud vestigium extat. Et Amerinus populus martyrem ipsum inter Sanctos Vrbis patronos adoptatum, religiose colit.

V.

Sepelitur martyr ab Eudoxia.

AN. 170. ILLVSTRE CERTAMEN CLARISSIMORVM MARTYRVM APVD LVGDVNVM GALLIAE, PHOTINI VEL POTHINI, EIVS VRBIS Episcopi, Sancti diaconi, Epagathi, Maturi, Attali, Blandinæ, &c. quemadmodum illud luculenter descripsere Christiani Viennenses & Lugdunenses: quorum verba hic subijcimus ex Eusebij Cæsareens. Historiæ Ecclesiasticæ lib. 5. cap. 1. & 2. interprete Iohanne Christophorsono, Angliæ Episcopo.

IVNII 2. ex cap. 1.

SERVI Iesu Christi, qui Viennam & Lugdunum Galliæ incolunt, fratribus in Asia & Phrygia, qui eãdem nobiscum redemptionis fidem & spem habent: Pax, gratia, & gloria à Deo patre & Christo Iesu Domino nostro sit vobis. Deinde cum in Epistolæ exordio alia istis deinceps adiecerint, his verbis initium narrandi faciunt: Magnitudinem afflictionis, quæ hoc loco ingrauescit, ingens gentilium odium contra sanctos incitatum, supplicia, quæ beati martyres placide sustinuerunt, neque nos dicendo accurate exprimere, neque scribendo facile à quoquam comprehendi possunt. Nam aduersarius noster aduentum suum (in quo audacter ac libere Ecclesiam Christi oppugnaturus sit) iam quasi prolusione quadam ac proœmio breui futurum prænuncians, omnibus viribus, vt dicitur, Christianos adortus est: atque adeo vbique grassatus, suos cõsuefecit, & ad bellum contra seruos Dei gerendum vsu & exercitatione mire instruxit. Quapropter non solum ædificiis publicis, balneis & foro nobis interdictum est: sed etiam, ne quisquam nostrum vsquam locorum in conspectum prodeat, ab illis vetitum. At gratia Dei pro nobis cum diabolo decertauit, & hos, qui sunt paulo remissiore animo, eripuit è periculo: illos autem, qui patientia armati, tanquam firmæ fidei columnæ, non modo impetum hostis nostri diaboli, facile laturi videbantur, verum etiam in sua ipsorum capita eundem quodammodo prouocaturi ex aduerso oppositi. qui tum in acie fortiter cum aduersario conflixerunt, omne opprobrij & supplicij genus toleranter sustinendo: tum celeri gradu maturarunt ad Christum, ea mala, quæ erant ingentia & grauia, exigua, & pene nulla existimando: perspicueque reuera ostenderunt: quod non sunt condignæ passiones huius tẽporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

I.

Persecutio immanis in Galliis.

Martyrum inuicta fortitudo. *Roma. 8.*

ACprimum cruciamenta, quæ confertim erant, & tanquam cumulo à multitudine in illos coaceruata, viriliter & magno animo subieruut vociferationes, plagas, violentos tractus, dilacerationes, lapidum proiectiones, carceres, & quicquid denique ab agresti & furiosa multitudine contra nos, velut, contra hostes & inimicos fieri solet. Quotquot igitur erant à Tribuno plebis aliisque magistratibus, qui ciuitati præerant, in forum deducti, cum coram vniuersa multitudine esset ab illis de fide quæsitum, & eam libere ipsi confessi fuissent, vsque ad Præsidis aduentum in carcerem coniecti, conclusique erant. Deinde cum ducerentur ad Præsidem, & ille in iudicando omni crudelitatis genere contra nos nostrosque vteretur, Vetius Epagathus, vnus ex fratribus, immenso charitatis erga Deum & proximum ardore inflammatus, (qui quidem cum non modo ad omne officium erga proximum sedulo exequendum impiger & propensus esset, verum etiam flagranti Dei amore & sacrosancto Spiritûs instinctu exardescens, in omnibus Domini præceptis & iustitiæ æquitatisque institutis integre incederet, adeo sane accurate vitam instituisset, vt quanuis esset adolescens, eodem tamen testimonio, quod scriptura seni Zachariæ sacerdoti tribuit, dignus videretur) hic Vetius, inquam, iudicium tam temere & iniuriose contra nos pronunciatum, non poterat omnino æquo animo ferre: sed supra modum succensebat, postulabatque vt potestas ei daretur, libere in illo confessu pro fratribus respondendi, seque perspicue probaturum dicebat, nihil sceleris, nihilve impietatis in nobis omnino posse reperiri. Contra quem cum multitudinis frequentia, quæ tribunal circunsistebat, admodum vociferata fuisset, (erat enim inter illos illustris atque eximius) cumque Præses etiam iustam ab eo propositam postulationem minime posset tolerare, sed solum istud ab eo quæreret, vtrum esset Christianus: ille tum simulatque erat clarissima voce hoc ipsum confessus, in sortem & numerum martyrum relatus est, ac deinceps aduocatus Christianorum appellatus: nec plane immerito. Habuit enim aduocatum Iesum in animo commorantem, & Spiritũ sanctum multo, quam Zacharias, feruentiorem: quem peringentem charitatis quasi cumulum, quo adductus, adeo alacri & ardenti studio pro fratrum propugnatione suam ipsius vitam profudit, satis perspicue ostendebat. Christi igitur & est & fuit verus & germanus discipulus, qui agnum quocunque eat, sequitur. Inde igitur inter reliquos Christianos facilè internoscebatur: nam martyres, qui videbantur cæteris facile præstare, in publicum prodibant, se paratos ad omnia tormenta ostendebãt: omni deniq; animi alacritate confessionẽ illam, quæ est martyrij propria, cumulate pleneq; explebant.

II.

Mittuntur in carcerẽ.

Vetius Epagatus Christianorum aduocatus. *Luc. 1.*

Martyribus Epagathus adiungitur.

SED

Decem à Christo deficiunt.

III. SED extabant alii imparati, inexercitati, & animo fracto, qui acrem certaminis impetum ferre non poterant: ex quibus circiter decem numero, animis ignaue & muliebriter conciderunt. Qui profecto non modo magnum dolorem mentibus nostris & immensam acerbitatem inurebant: verum etiam aliorum, qui hactenus non comprehendebantur, quique martyribus etiam in acerbissimo cuiusque generis cruciatu iacentibus præsto semper aderant, & eos non aliquando desertos esse passi fuerant, alacritatem penitus retuderunt. Omnes igitur id temporis, propter incertum confessionis euentum, eramus graui metu perculsi, non plagas quidem & supplicia, quæ illis pòst infligerentur, veriti, sed ancipiti confessionis exitu mente præuiso, magnopere extimescentes, ne quis prælanguida animi infractione prorsus succumberet. Quotidie tamen, qui digni corona martyrij habebantur, ad illorum numerum supplendum, prehensi erant, vsqueadeo, vt ex duabus hisce ecclesiis omnes pij & studiosi viri (quorum virtute & doctrina inprimis status illarum ritè administrari solet) eximerentur. Quidam etiam Ethnici, nostrorum serui, vna capiebantur (siquidem Præses omnes nos passim perquiri præceperat) qui tormenta, quæ sanctos tolerare cernebant, reformidantes contra nos, militibus Satanæ impulsu illos ad hoc idem incitantibus, Thyestæas cœnas, & incestus Oedipodis, falso commenti sunt, & alia, quæ nobis nec eloqui, nec cogitare quidem fas esse iudicatur: quin tale facinus aliquando inter homines admissum fuisse, ne credi quidem propemodum debet. Quæ sane cum essent fama & sermone hominum passim dissipata, omnes, velut immanes belluæ, contra nos furere cœperunt: ita vt si qui antea propter necessitudinem moderate se erga nos gessissent, tunc veluti rabie quadam incitati, dentibus frendere, insanireque prope viderentur: atque id adeo, quod à Domino nostro prædicebatur, in eo esset impletum, tempus venturum, in quo omnis, qui vos occiderit, videbitur obsequium præstare Deo. Vnde decætero sancti martyres maiora quædam cruciamenta, quam quæ possunt oratione explicari, (idque, Sathana in illud pro viribus incumbente, vt aliquid blasphemiæ contra Christum ex eorum ore educeret) sufferre cogebantur.

Calumniæ in Christianos.

Ioban 16.

IV. SVPRA modum igitur lethale multitudinis vniuersæ, Præsidis, & satellitum odium in diaconum, nomine Sanctum, Viennæ prognatum, & in Maturum etiam, recens quidem baptizatum, sed generosum tamen Christi athletam, efferbuit: in Attalum porro, genere Pergamenum, columnam & stabilimentum continuum ecclesiarum, quæ hic sunt: in Blandinam denique, per quam Christus euidenter ostendebat eos, qui apud homines, viles, despecti & contempti videantur, apud Deum propter charitatem erga illum, non specie iactatam & simulatione, sed vi & virtute declaratam, magno splendore & gloria donari. Nam cum non nos solum pertimescerem us, sed etiam hera illius secundum carnem, (quæ etiam ipsa vna in martyrum pugna dimicauerat) ne cum in certamen descēderet, præ corporis imbecillitate non libere & ingenue fidei suæ confessionem proloqui pergeret: Blandina tanto animi robore & virtute imbuebatur, vt tortores, qui illam vicissim omni suppliciorum genere à primo mane ad vesperam vsque afflixissent, prope labore defessi languescerent, seque tum ab illa victos, tum nihil amplius habere cruciamenti reliquum, quod ei irrogarent, faterentur: atque adeo magnopere mirarentur, quo pacto, cum totum eius corpus ita dilaceratum esset, præseuerans spiritum duceret: palamque testarentur, vnum tormenti genus satis habuisse virium ad vitam ei eripiendam, nedum tam multis & variis opus fuisse. Verum beata martyr, sicut generosum athletam decet, in ipsa fidei confessione vires colligebat, atque prolatio istorum verborum: Christiana sum, & : Nihil apud nos admittitur sceleris: era t dolorum, qui eam vrgebant, summa leuatio, fomentum cruciatus, & cuiusque molestiæ depulsio.

Sanctus, diaconus. Maturus. Attalus. Blandina.

Blandinæ egregia cōstantia.

V. DIACONVS ille, Sanctus nomine, supra quam credibile est, & supra omnem humanum captum verberà à carnificibus impacta toleranter sustinens, cum scelerati illi carnifices propter assiduitatem & magnitudinem tormētorum, quæ ei infligebant, sperarent se aliquid, quod indecorum & eius professioni parum consentaneum videretur, ab eo audituros, ipse tanta animi celsitate & constantia illis ex aduerso restitit, vt ne nomen quidem vel suum, vel gentis, vel ciuitatis, vnde fuit, neque vtrum seruus an liber, illis vellet dicere: sed ad omnia rogata, ita Latino sermone responderet, Christianus sum: istudque pro nomine, pro ciuitate, pro genere, & denique pro re quaque iterū ac sæpius eloqueretur: aliam autem vocem gētiles ab eo elicere audireque non poterant. Vnde tam graui & acerba bile animus cum Præfecti, tum tortorum contra illum inflammabatur, vt cùm nihil haberent supplicij, quod ei deinceps imponerent, ad extremum laminas æneas feruentes & ignitas tenerrimis corporis membris affigerent. At ille, quanquam corporis membra exurebantur, firmus tamen, constans & immutabilis in fidei confessione perstitit: quippe qui diuino & cælesti fonte aquæ vitalis, quæ ex Christi ventre profluit, tanquam rore cùm aspersus, tum roboratus erat. Corpus autem testimonio fuit eorum, quæ ipsi acciderant: vtpote vulneribus & vibicibus totum cruentatum, quod quidem sic in rugas erat contractū, vt exteriorem hominis formam prorsus abiecisset: in quo Christus, afflictionis particeps, res præclaras ad suam ipsius gloriam gessit. cum aduersarium profligando, tum cæteris præclarum exemplum ostendendo, nullum esse metum, vbi Dei patris charitas, nec vllam molestiam, vbi fides Christi viget. Nam quanquam impij carnifices paucis diebus post, cum martyrem denuo torquerent, putabant, si corporis membris superiore iam cruciatu tumidis, & inflammatione quadam efferuescentibus, eadem supplicia accumularent, vel se illum facile euicturos, præsertim cum nec manuum prope tractationem perferre iam posset: vel illū tormentis tandem extinctum grauem reliquis horrorem incussurum: tamen tantum abfuit, vt in illo aliquid eiusmodi contingeret, vt etiam præter omnium hominum opinionem, corpus in illis posterioribus tormentis recreatum, & in integrum restitutum, formam priorem atque vsum membrorum recuperaret: adeo vt secunda illa carnificina, non inflicta pœna, sed medicina per Christi gratiam adhibita videretur.

Item Sancti

Nulla ab eo vox extorqueri potest, nisi Christianus sum.

1. Ioan. 4.

Vide mirā Christi virtutem.

VI. PORRO Biblidem, vnam ex eorum numero, qui fidei cōfessionem pernegassent, cum iam diabolus à se prorsus absorptam putaret, cupiens etiam per blasphemiam in Deum condemnationem eius augere, ad supplicium deducendam curauit, eamque velut fractam & ignauam, impia in nos & flagitiosa probra loqui impulit. Illa tamen in tormento rediit ad se, atque (vt ita dicam) ex profundo somno excitata est, præsenti supplicio quodammodo submonita, vt de æterna gehennæ pœna serio cogitaret. At contra quam diabolus expectabat, maleuolis Christianorū obtrectatoribus ex aduerso sic respondet: Quomodo eiusmodi viri liberos suos deuorare in animum poterunt inducere, quibus ne licitum quidem sit sanguinem animalium ratione carentium comedere? Et ab eo tempore se Christianam ingenue confessa est, & sorti numeroque martyrum adiuncta. At cum tyrannica crudelia que illa supplicium genera per beatorum patientiam, Christi virtute firmatam, frustra imposita irrogataque viderentur, diabolus alias quasdam machinas de integro contra illos excogitauit, nempe vt in carcerem coniecti, interdum in locis horrida caligine obsitis, & plenis molestiarum, misere iacerent: nonnunquam illorum pedes in crassas compedes impositi, distenderentur: aliquando vexarentur aliis plagarum modis, quos rabidi diaboli ministri, illiusque maleuolentia suffusi, hominibus in carcerem conclusis incutere solent, vsqueadeo, vt complures, quos Dominus eo pacto è vita exire volebat, ibi ob fœtidum odorem & loci angustiam penitus suffocarentur. Quinetiam non pauci (in quibus illic Dei gloria perspicue ostentata erat) quanuis ita acerbe excruciati fuissent, vt nulla curatione adhibita, viderenter amplius posse vitam protrahere, in carcere tamen superstites manebant, omni humana quidem cura & subsidio orbati ac destituti, à Domino tamen tum corporis tum animæ viribus ita roborati confirmatique erant, vt

Biblidis resipiscentia & constantia.

Moriuntur quidā præ carceris fœtore.

cæteros & ad fidem constanter tenendam tuendamque incitarent, & grato admodum subleuarent solatio. Alij autem modò capti, & recentes in carcerem contrusi, (quorum corpora ante hac tormentis subeundis callum haud contraxerat) pondus carceris & grauitatem minimè poterant ferre, sed intùs breui mortem oppetebant.

Pothini Episcopi martyrium.

VII. BEATVS item Pothinus, cui Lugdunensis episcopatus ministerium erat concreditum, cùm nonagesimum suæ ætatis annum præteriisset, & corporis imbecillitate ita languescceret, vt vix posset, propter virium infirmitatem, qua distinebatur liberè spirare, spiritùs tamen alacritate propter ardentem, qua flagrabat martyrij cupiditatem, plurimũ recreatus, ad tribunal gestabatur: & tametsi corpus eius iam præ decrepita ætate & cruciatu morbi penè exhaustum esset, anima tamen in ipso seruabatur integra, vt per eam Christus gloriosè triumpharet. Qui quidem ad tribunal, magistratibus ciuitatis eum comitantibus, & vniuersa multitudine varias cuiusquemodi vociferationes contra illum, vt potè Christianum, edente, à militibus deductus, præclarum fidei testimonium perhibuit. Cum enim à Præside rogaretur, quis esset Christianorum Deus? respondit: Si tu ea re dignus sis, cognosces. Inde igitur asperè & immisericorditer raptatus, varias plagas excepit, cum ab his, qui stabant in proximo, qui nihil eius ætatem reuerentes, manibus pedibusque in illum contumeliosè insultabat: tum ab illis, qui longius erant remoti: qui, quod singuli habebant in manibus, illud in illum coniecerunt: idque propterea, quod omnes permagnæ culpæ & impietatis loco ducebant, si quisquam petulanter illum insectari vlla ex parte omitteret: nam deorum suorum causam ita se vindicaturos arbitrabantur. Ille vix iam spiritum ducens, in carcerem coniectus fuit, ac biduo pòst efflauit animam.

Obserua vt Christus cohonestarit martyres istos.

VIII. IBI verò singularis Dei prouidentia apparuit, & infinita Iesu seruatoris misericordia patefacta est: quæ sanè talis fuit, qualis quidem rarò inter fratres Christianos contigisset, à diuina tamen Christi virtute ac potentia non omnino aliena. Nam qui, vt primum erant comprehensi, fidem inficiati fuissent, non modo in carcerem cum cæteris condebantur: (nihil enim illis, vt tempus ferebat, negatio attulit adiumenti) verum etiam suppliciorum eorundem erant facti participes: atque sicut illi, qui ingenuè fatebantur se esse, quod erant, nullo alio crimine obiecto, nisi quod Christiani essent, tradebantur in custodiam: sic isti, qui fidem pernegarant, de reliquo in carcere tanquam homicidę & scelerati detinebantur, duplo grauiore cruciatu & angore, quam cæteri, afflictati. Illos enim subleuabat lætitia ex martyrio percepta, spes promissorum, charitas in Christum, sacer Patris spiritus: hos magnum & graue conscientiæ pondus admodum vexabat, vsqueadeo, vt dum per hominum frequentiam palàm gradiebantur, ipso vultu ab omnibus aliis facile internoscerentur. Illi enim hilares in publicum progressi sunt, in quorum vultu decor quidam, gratia & venustate multa adspersus, enituit, sic vt vincula etiam, quibus velut sponsa, aurearum fimbriarum varietate decorata, mirè erant illustrati, egregium quendam ornatum illis adiecisse viderentur: tam suauem item & fragrantem, ex ipso Christo egredientem, efflarunt odorem, vt nonnullis artificioso quodam vnguento & manu compositorò delibuti putarentur. Hi autem dimissi, abiecti, aspectu horridi, turpi ignominiæ labe deformati, à gentilibus portò, velut ignaui effœminatique, probris contumeliosè affecti, ac denique cùm honoratum, glorioſum & salutare nomen Christi amisissent, perinde ac si homicidij rei fuissent, homicidæ iam appellati. Ista vbi cæteri coram adspexissent, magnopere roborati erant & animo constabiliti. Qui enim prehendebantur, omni memoria diabolicæ cogitationis ex animo deposita, absque hæsitatione fidem suam profitentur. Isti porrò, paucis verbis obiter interiectis, rursus, quæ sequuntur adiungunt.

Mala conditio fidei defertorũ.

IX. HIS igitur rebus confectis, de reliquo martyria, quæ in ipsorum vitæ exitu sufferebant, in quæque supplicio- rum genera dispertiebantur. Siquidem vnam coronam beati martyres ex vniuersis & variis cuiusque generis floscu- lis contextam complicatamque Deo patri obtulerunt. Quocirca par erat generosos & insignes Dei athletas, vbi multiplex & variũ martyrij certamen subierant illustremque ab hostibus reportarant victoriã, præclara immortalitatis corona decorari. Maturus ergo, Sanctus, Blandina & Attalus, die cum bestiis dimicandi in nostrorum hominum cruciatum de industria præstituta, ad bestias ducebantur, quò publicum & commune gentilibus spectaculum, plenum inhumanitatis & sæuitiæ, exhiberent. Atque Maturus & Sanctus in amphitheatro omne genus tormentorum denuò subeunt, perinde acsi nihil cruciatûs anteà fuissent omninò perpessi, immò verò vt athletæ, qui modo aduersarium per varias certaminum vices strenuè profligassent, et pro corona vitæ ipsis proposita postremum iam certamen haberent in manibus ad conficiendum, deintegrò tum verberum traiectiones, quibus homines illic plecti solent, sustinent: tum crudeles ferarum tractus, tum alia omnia cruciamentorum genera, quæ insana & furiosa plebs alij aliunde cum vociferatione illis infligi postulabant, tum ferreas denique cathedras & ignitas illorum membris suppositas, quibus corpora miserè frixa & exusta erant: & quanquàm gentiles pestifero illorum nidore non absque molestia saturabantur, tamen ne ea quidem re deterriti, ab insania sua desistunt: sed pergunt adhuc magis magisque furere, quandoquidem illis in optatis erat, eorum patientiam prorsus euincere. Cæterùm ab ipso Sancto nihil aliud elicere poterant, præter illam vocem, quam ab initio de fidei suæ confessione proferre consueuisset. Isti autem martyres, quoniam in hoc ingenti certamine vita adhuc in ipsis residebat, singularium certaminum loco, quæ magna cum varietate ibi fieri solebant, illo die spectaculum vniuerso populo præbentes, ad extremum securi percutiuntur.

Maturus & Sanctus denuò immaniter cruciantur.

Securi cædũtur.

Blandinæ præclara virtus.

X. AT Blandina trabi ligneæ sublimis affixa, præda bestiis incursantibus obiicitur: quæ quoniã & in crucis specie suspensa cernebatur, & ardenter preces fundebat, magnam concertantium mentibus alacritatem iniecit: quippe in ipso certamine, ex sorore cruci suffixa, ipsum Christum, qui pro nobis crucifixus est, oculis corporeis quodammodo videbant, vti credentibus in illum pro certo persuaderetur, quòd qui pro eius gloria quicquam perpetiatur, hæreditatis sit cum Deo viuente consors & particeps futurus. At cum nulla bestia eius carnem tangere vellet, à trabe mox abrepta, in carcerem iterum truditur, & ad aliud reseruatur certamen: vt per varia concertationum genera victrix facta tum tortuosum serpentem condemnationi, quam ab se auertere non posset, iure addiceret, tum fratres pariter ad constantiam incitaret: quæ licet humilis, imbecillis & propè abiecta virgo esset, armatura tamẽ Christi fortis athletæ induta, non solùm per multas cruciamentorum vices aduersarium superauit, verum etiam per illustre illud certamen, coronam immortalitatis tandem assecuta est.

Attali certamen.

XI. ATTALVS item, clarus & magni nominis vir, importuno multitudinis rogatu ad supplicium euocatus, ob rectę factorum conscientiam (siquidem ingenuè in Christiana institutione & disciplina exercitatus, fidelis semper apud nos & constans veritatis testis extitisset) alacri animo certamen ingreditur. Ac cùm vndique per amphitheatrum circunduceretur, tabulâ, in qua Latinis literis hæc inerat inscriptio: Hic est Attalus Christianus: illum præcedente: cumque in eum admodum petulanter populus insultaret, Præses, vbi Romanum esse didicisset, mandauit vt in carcerem denuò cum reliquis, qui in eodem erant, concluderetur: de quibus literas ad Cæsarem scripsit, eiusque expectauit de illis sententiam. Tempus verò, quod interea intercedebat, illis quidem neque ociosum, neque infrugiferum fuit: sed per mortem eorum dilatam, immensa Christi clementia, quasi lumen suum propalàm profudit. Nam intermortua Ecclesiæ membra, viuorum subsidiis fuerunt ad vitam reuocata, & qui fidem confessi fuissent, iis, qui eandem pernegassent, magna beneficia detulerunt: atque ideò permagna lætitia matri & virgini Ecclesiæ exorta est, cùm eos, quos ab ortu tanquam mortuos eiecisset, viuos & incolumes recuperasset. Illorum enim hortatu & exẽplo complures,

Resipiscũt qui à fide exciderant.

complures, qui fidem negassent, erant tanquam in vtero matris Ecclesiæ iterum concepti, iterum in membra formati ad vitam reducti, iterum denique ad fidem suam confitendam perdocti. Atque cum ad vitam essent restituti, & viribus confirmati, suauitatem Dei (qui non vult mortem peccatoris, sed pro sua benignitate eum ad pœnitentiam inuitat) animis haurientes, ad tribunal sponte accedunt, vt iterum à Præside de fide denuò rogarentur. Nam cùm Cæsar responsum per literas misisset, illos qui fidem Christi confiterentur, tympanis esse torquendos: hos autem, qui eandem inficiarentur, in principio mercatûs (qui hic celebrari solet, quique est, propter frequentiam hominum, ex omnibus eô gentibus commeantium, multorum sermone nobilitatus) liberos dimittendos, Præses beatos martyres, tanquam spectaculum & glorioſam pompam de illis multitudini præstaturus, ad tribunal deduci iubet, iterũ in quæstionem vocat, datque sententiam, vt qui municipes Romani essent, securi percuterentur: reliqui autem amandarentur ad bestias. Christi verò gloria in his, qui antea fidem abnuerant, tunc tamen præter Gentilium opinionem, eandem ingenuè confitebantur, magnopere illustrata fuit. Et enim illi cum priuatim in quæstionem dati essent, quasi pro certo absoluendi, tamen se Christianos verè confitentes, martyrum choro adiiciebantur. Alij autem falsi Christiani, à fide penitus lapsi, qui neque vestigium aliquando fidei, neque sensum & significationem vestis sponsalis, neque cogitationem timoris Dei in animis insidentem habebant, sed per nequam eorum conuersationem, viam veritatis contumeliis affecerant, hoc est, filij perditionis, foris extra Ecclesiam permanserunt: cæteri vniuersi fuêre in Ecclesiam denuò asscripti.

Ezech 18. & 33.

Mercatus Lugdunen.

Constantia eorũ, qui antea defecerant.

XII. De quibus cum haberetur quæstio, Alexander quidam genere Phryx, arte & scientia Medicus, multis annis in Gallia commoratus, omnibus ferè propter charitatem erga Deum, & liberam in verbo prædicando alacritatem cognitus, (non enim doni & muneris Apostolici expers erat) cum adstaret tribunali, & illos fratres nutu ad fidei confessionem hortaretur, (iis, qui vndique tribunal circunsistebant, videbatur tanquam parturiens) populi multitudo confessionem eorum, qui anteà inficias iuissent, ægrè ferens, contra Alexandrum, tanquam eius rei caput & authorem, vociferari cœpit. Vbi verò Præses instabat, sciscitaturque quisnam esset? respondet se Christianum esse. Vnde Præses ad iracundiam prouocatus, illum condemnat ad bestias. Postero autem die eandem cum Attalo dimicationem (Præses enim, quo populo gratificaretur, Attalum denuò bestiis obiecit) Alexander ingreditur. Hi duo in amphitheatro omnes machinas ad eorum cruciatum excogitatas, tanquam præteruecti, maximumque certamen perpessi, ad extremum gladio feriuntur. Alexander autem neque ingemuit, immo verò ne gry quidem ore extulit, sed interiore mente & cogitatione quasi cum Deo sermones contulit. Attalus, vbi in ferrea cathedra iam candenti esset impositus, & eius incendio ambustus, quando nidor & fumus è corpore in sublimi ferebatur, Latino sermone multitudinem sic affatus est: Ecce ecce, hoc, quod vos præstatis, est homines vorare. Nos quidem neque voramus homines, neque aliud quicquam sceleris patramus. Rogatus tamen, quod nomen Deus haberet? respondet, Deum nomen non habere more hominum.

Alexandri virtus & Martyriũ.

Attali certamen.

XIII. Qvibvs omnibus confectis, postremo die singularium certaminum aduentante, Blandina & adolescens Ponticus, circiter quindecim annos natus, (hi autem quotidie introducebantur ad reliquorum supplicia contemplanda) in amphitheatrum inferebantur, vrgebanturque per gentilium idola iurare. Ac quoniam illi perstabant cõstantes, & ea despicatui ducebant, vesana multitudo contra illos asperè & ferociter sæuiebat: adeo, vt neque adolescentuli commiserarentur ætatem, neq; mulierem omnino reuererentur. Omnibus igitur tormentis eos obiectare, & per quoduis supplicii genus vndique agitare cœperunt, & sine intermissione nunc hanc, nunc illum per ipsorum deos iurare impellebant. Cæterum hoc nullo modo poterant efficere. Nam Ponticus, qui ita à sorore erat exuscitatus, vt gentes eam esse animaduerterent, quæ illum cohortata fuisset, confirmásset que, post omnia cruciamentorũ genera, viriliter, & magno animo tolerata, extremum spiritum edidit. Beata Blandina omnium postrema, tanquam nobilis & generosa mater, vbi liberos animauerat ad pœnam, & victores ad Christum Regem præmiserat, ipsa eosdem cum liberis certaminum cursus remensa, ad eosdem lętitia gestiens, ac de ipso vitæ suæ exitu permagno gaudio exultans, properabat, non quasi ad bestias crudeliter proiecta, sed ad cœnam sponsi amicè inuitata. Atque post verbera, post bestiarum laniatus, post sartaginis exustionem, ad extremum in rete inuoluta, tauri rictibus obiectatur. Quæ cum ab animali illo diù multumque icta exagitataque fuisset, ac nullum sensum cruciamentorum, quæ hactenus ei obtigissent, partim propter spem, qua Dei promissis firmè adhæresceba t, partim propter colloquia, quæ intra se cum Christo conferebat, omnino haberet, tandem ense iugulata fuit. Vnde gentes ipsæ palam testabantur, mulierem apud se nunquam tot tamque acerba tormenta tam constanter pertulisse.

Blandinæ & Pontici pueri martyrium.

Enarrarum supplicij genus Blandinæ adhibitum.

XIV Vervm eorum rabies & crudelitas in sanctos: non ita exaturata fuit. Nam ab immani & furiosa bellua, diabolo, immanes illæ & barbaræ gentes exagitatæ, vix aut ne vix quidem à furore suo aliquando acquieuerunt, immò verò in corporibus martyrum suam deintegro contumeliam cœperunt & maleuolentiam exercere. Nam quanuis martyrum constantia penitus essent superatæ, tamen quia omnem humanam rationem omnino exuissent, illorum amentia minimè fuit retardata repressaque: sed acerba bilis cùm Præsidis, tum populi (qui quidem in nos lethale odij sui virus euomebant) tanquam immanis belluæ magis magisque incensa, sic vt scriptura verè impleretur: Impius adhuc impiè agat, & iustus iustificetur adhuc. Etenim corpora eorum, quos carceris pestifer odor & cruciatus suffocauerat, canibus laceranda obiiciunt, studioseque nocte dieque obseruant; ne quisquam è nostris illa tumulis mandet. Tandem vero martyrum in amphitheatro interfectorum membra, quæ nec bestiæ adhuc vorârãt, nec ignis absumpserat, partim minutatim dilaniata, partim instar carbonum ambusta, quinetiam securi percussorum capita vnà cum corporum truncis collecta, dies complures similiter militum excubiis insepulta custodiunt. Porro alij fremere, & dentibus contra eos frendere cœperunt, toto animo connitentes aliquam grauiorem in ea exercere contumeliã. Nonnulli irrisione ludere, & falsos cachinnos tollere, summaque commendatione & præconio idola sua efferre, quibus quidem, tanquam authoribus, pœnam & vltionem Christianorum acceptam retulerunt. Non pauci, quanquã factis aliquando modestiores erant, & de illorum afflictatione aliquantulum condolescere videbantur, verbis tamen acerbe eos vexare ad hunc modum: Vbi iam illorum Deus? Quid illis hæc profuit religio, quam suæ ipsorum vitæ præposuerunt.

Apoc. 22. Corpora Sanctorum obiiciũtur canibus.

XV. Qvæ ad gentilium crudelitatem pertinebant, talem habebant varietatem. Quæ autem ad nos, videbantur sanè magnum mœrorem propterea à in se complecti, quod martyrum corpora humo tegendi nulla dabatur facultas. Neque enim nox ad hanc rem aliquid afferre præsidij, neque magna pecuniæ vis eorum animos flectere, neque preces vlla ex parte placare poterant: sed nulla non ratione & via corpora illa erant assiduè ab illis obseruata, & id quasi in magno lucro deputatum, si penitus inhumata iacerent. Paulò post etiam ista addunt. Martyrum corpora, sex dies continuos sub dio iacentia, & maxima ignominia affecta, post autem ab impiis illis & facinorosis carnificibus exusta in que cineres redacta, in Rhodanum fluuium, qui illic in proximo defluit, spargebantur, quo nullæ quidem illorum reliquiæ amplius super terram restarent. Ista eo consilio patrabant, quod Deum se posse vincere, & illis regenerationem corporum prorsus eripere arbitrati sunt: quo ne vlla quidem (sic enim dicebant) spes resurrectionis reliqua fieret illis: qua freti (inquiunt) non solum peregrinam quãdam & nouam nobis induxerunt religionem, verum-

Non sinũtur sanctorũ corpora sepeliri.

Antoninũ Vērũ dicit

etiam neglexerunt penitus tormenta, & prompto atque alacri animo ad mortem properarunt. Iam videamus, vtrũ sint resurrecturi, & vtrum illorum Deus ipsos iuuare, & è manibus nostris eripere possit. Eiusmodi persecutionis tẽpestas, regnante Imperatore, de quo docuimus, istis Christi ecclesiis obtigit. Vnde certe, quænam fuerint in reliquis prouinciis eodem tempore fractitata, coniectura assequi poterimus.

XVI.

Phil. 2.

Illas item voces, ex eadem epistola depromptas, in hunc sermonem includere operæprecium arbitramur, quibus modestia & singularis martyrum, quos diximus, benignitas hoc ferè modo descripta sit. Isti verò ipsius Christi (qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, se esse æqualem Deo, sed seipsum exinaniuit, formam serui accipiens) tam verè æmuli & imitatores erant, vt quanuis in tali gloria & splendore locarentur, & non semel & iterum, sed sępius, vt martyres decet, pro fidei confessione acerba tormenta perpessi, bestiis obiecti, ab eisdem denuò ablati, ignito ferro exusti, vibicibus liuidi, vulneribus vndique inflictis excruciati: non tamen se ipsi martyres esse prædicarent, neque cuiquam nostrũm copiam facerent illos eo nomine appellandi: sed si quisquam nostrum eos vel per literas, vel per sermonem vt martyres forte salutauisset, grauiter eum reprehenderunt. Libenter enim martyris appellationem Christo fideli & vero martyri, primogenito, mortuorum, duci & authori vitæ, quæ est ex Deo, cõcesserant: martyrum etiam, qui iam ad Christum ex hac corporis custodia migrauissent, nos non grauatè in memoriam redegerunt, dixeruntque: Illi iam verè sunt martyres, quos Christus propter fidei confessionem ad se recipere dignatus est, & quorum martyrium ipso præclaro vitæ exitu, tanquam sigillo certissimo obsignauit: nos autem tenues solum & abiecti Christi nominis confessores: atque fratres obsecrabant cum lachrymis, vt preces pro illis ardenter & obnixe Deo funderent, quo ipso discessu è vita opus, & Deus tã benignè in illis incepisset, cumulate expleretur. Et quanuis non modo libera responsa gentilibus dando, sed etiam patientia, magnanimitate, fidẽti animi robore contra omnes cruciatus se generosos ac strenuos palam ostendendo, vim & virtutum martyrij perspicue declarassent, tamen timore Dei referti, martyrum appellationem, qua fratres illos donare voluissent, ab se repellere studebant. Et iterum, paucis verbis interiectis, sequuntur ista: Humiliauerunt se sub manu potenti, qua iam satis exaltati sunt. Dum inuita manebant, defendere omnes, neminem accusare, omnes è vinculis eripere, colligare neminem conebantur. Pro illis, qui supplicia eorum corporibus inflixerant, exemplum Stephani perfecti martyris imitati, benignè orare, dicentes: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Quod si pro eis, qui ipsos tam contumeliosè torsissent, precabantur: quanto magis pro fratribus idem ipsum præstiterunt.

Nota insignem martyrũ modestiam.

Act. 7.

Diabolus cur eos tam atrociter insectatus sit.

XVII.

Hæc item, paulo longius sermonem producentes, adnectunt: Grauissimum autem bellum ab illis, propter ingenuam erga fratres charitatem, cum ipso diabolo ideo susceptum erat, quod tantopere nitebantur, vt voracem illius, tanquam malæ bestiæ, gulam stringendo, eos viuos denuo euomere cogerent, quos prius tanquam mortuos, se penitus deuorasse putauerat. Non enim illi fratrum imbecillorum lapsu gloriabantur, sed quæ dona ipsis per Dei gratiam affatim suppetebant, aliis, qui maioris opis indigerent, benigne largiebantur: atque adeo velut matris indultis misericordia commoti, multas lachrymas pro eorum salute in conspectu Dei patris profundebant, vitam illis flagitabant: vitam concessit Deus, vitam etiam cum proximis communicarunt, victores in omnibus, ad Deum profecti sunt, pacem amplexati, pacem nobis commendarunt, cum pace denique ad Deum decesserunt,, non matri Ecclesiæ molestiam & angorem, non fratribus bellum & seditionem, sed gaudium, pacem, concordiam & charitatem reliquerunt.

XIIX.

Ex Adone Viennen in martyrologio die 2 Iunij.

Sanctorum martyrum nomina.

Sanctorum cinerum eorum inuentio.

Nomina quadraginta octo martyrum hęc sunt: Photinus Episcopus, Zacharias presbyter, Epagatus, Macharius, Alcibiades, Siluius, Primus Vlpius, Vitalis, Cominꝰ, Octuber, Philominꝰ, Geminus, Iulianus, Albinus, Grata, Rogata, Aemilia, Potamia, Pompeia, Rudona, Biblis, Quartia, Materna, Helpes, quæ & Amnes. Hi sunt a. qui bestiis traditi sunt: Sanctus Maturus, Attalus, Alexander, Pontius, Blandina. Hi vero qui in carcere spiritum reddiderunt: Aristæus, Cornelius, Zosimus, Titus, Iulius, Zoticus, Appollonius, Geminianus, Iulia, Ausonia, Aemilia, Iamnica, Pompeia, Domna, Iusta, Trophima, Antonia. Hi omnes famuli Christi sub præfatis Imperatoribus pariter coronati sunt. Reliquiæ eorum à persecutoribus incensæ, & in Rhodanum fluuium dispersæ. Sed cum Christiani maximum mœrorem haberẽt, quasi deperissent sacræ reliquiæ, nocte apparuerunt sancti viris fidelibus, in eo loco quo igni traditi sunt, stantes integri & illæsi. Et conuersi ad viros, dixerunt eis: Reliquiæ nostræ ab hoc colligantur loco, quia nullus periit à nobis. Sed ex hoc translati sumus ad requiẽ, q̃ nobis promisit Rex cælorum Christus, ꝓ cuius nomine passi sumus. Hæc renũtiantes viri illi, gratias egerũt Deo, & cõfortati sunt in fide: colligentesque sacros cineres, condigno honore sub sancto altari condiderunt. Vbi semper, virtutibus manifestis, se cum Deo habitare declarant. Harum festiuitatem ciues Lugdunensis vrbis, omnibus vndequaque lætanter accurentibus, per descensum fluminis, cum hymnis & canticis gratulationis concelebrantes, Missarumque solennia in Apostolorum Ecclesia (vbi sancti cineres eorum conditi seruantur) festiue Domino reddentes, ex antiquorum traditione, ipsam diem miraculorum appellant. Locus in quo passi sunt, Athanaco vocatur: ideoque dicuntur martyres Athanacenses.

MARTYRIVM SS. MARCELLINI ET PETRI, GRAVITER CONSCRIPTVM. ADSTIPVLANTVR EI ANTIQVA MARTYROLOGIA, & habetur in vetustis MSS. Codicibus. Stylum aliquot locis nonnihil correxit F. Laur. Surius.

Ivnii 2.

S Petrus crebro cæsus, mittitur in obscurissimum carcerem.

I.

Benignitas Saluatoris nostri, martyrum perseuerantia comprobata, eousque processit, vt & fidei amicos coronaret, & inimicos eorum ex ipsius inferorum claustris erueret. Denique cum Romæ à paganis teneretur Petrus Exorcistæ officium gerens, & multis vicibus cæsus, missus in obscurissimam habitationem, maneret in vinculis ferreis immotus, custosque carceris Arthemius Paulinam vnicam filiam suam virginem, quam impensius amabat, à dæmonio vexari quotidie plangeret, dixit ad eum vir Dei Petrus Exorcista. Audi consilium meum, Arthemi, & crede in vnigenitum filium Dei viui Iesum Christum, qui est liberator omnium in ipsum credentium. Si enim verè credideris, mox erit salua filia tua. Respondit Arthemius: miror valde imprudens consilium tuum, quod cum te iste Deus tuus liberare non possit in ipsum licet credas, & quotidie pro eius nomine plagas & vincula perferas, mihi persuadere vis liberaturum illum filiam meam, si ego in eum credidero. Dixit ei Petrus: Potest me liberare Dominus meus & de his vinculis, & de pœnis omnibus: sed non vult impedire coronam meam. Vult autem, vt perficiam cursum meũ perferendo hos cruciatus temporarios, vt possim adipisci gloriam sempiternam. Arthemius ait: Si vis me tuo credere Deo, da operam vt fiat quod dicturus sum. Ecce ego hodie duplicabo super te catenas, & claustra carceris omnia communiam, teque in ima hac & obscura custodia

solum

obscura solum includam: & si ex his omnibus te eripuerit Deus tuus, credam equidem in illum, sed tunc demum, cum videro incolumem filiam meam.

II. TVM beatus Petrus subridens, ait: Infirmitas fidei tuæ poterit curari, si hoc, quod dicis, feceris? Arthemius dixit: Credam planè in illum, si & te his vinculis absoluerit, & meam filiam curauerit. Petrus ait: Vade in domum tuã, & præpara mihi mansionem, & te, neque absoluente me his vinculis, neque ostium aperiente, neque per iter deducente, ad te perueniam in nomine Domini mei Iesu Christi. Cumque eô venero, palpabunt me manus tuæ, conspicient me oculi tui, atque hos eosdem sermones tecum conferam. Et si vel sic credideris, habebis sanam filiam tuam. Hoc verò fiet non pro libidine tentationis tuæ, sed ad declarandam diuinitatem Domini mei Iesu Christi. Hæc vt ille dixit, Arthemius caput agitans: Hic homo, inquit, nimiis confectus afflictionibus, delirat & aliena loquitur: sicq; discessit. Veniens autem domum, narrauit ea Candidæ vxori suæ, quæ dixit ei: Miror te illum hominem existimare insanum, qui & tibi sanitatem promittit, & nostræ filiæ sospitatem. An verò longum ille tempus tibi præfixit? Hodie dicit se venturum. Id si factum fuerit, quis dubitet Christum verum esse Deum, in quem ille credit? Arthemius dixit: Horrori est mihi fatuitas tua. Ipsi dij si de cælo descendant, non eũ absoluent à vinculis: immo si vel Iupiter ipse ad eum veniat, aperire illi carcerem non poterit. Candida respondit: Nimirum idcirco magnus habebitur Deus eius, & credendum illi erit, si hoc fecerit, quod nec ipse, vt ais, Iupiter facere possit.

Videtur delirare custodi carceris Arthemio.

III. HÆC & pleraque alia cum inter se loquerentur, & occumbente diei lumine, nox initium suum stellarum ortu indicaret, adest homo Dei Petrus, Arthemio, & Candidæ se offerens, candidis indutus vestibus, trophæum Crucis tenens in manu sua. Mox igitur ad eius vestigia corruunt Arthemius & Candida, exclamantque, dicentes: Vere vnus est Deus omnipotens Iesus Christus. Statimque filia eorum Paulina virgo, ab immundo vexata spiritu, Deum confitens, & ad pedes eius procidens, purgata est, ita vt dæmon clamaret in aëre: Virtus Christi, quæ in te est, Petre, me ligauit & expulit à virgine. Cumque hæc fierent, omnes, qui in domo Arthemij erant, crediderunt. Peruenit autem fama ad eos, qui in vicinia morabantur, & conuenêre viri amplius trecenti, plures verò fœminæ: qui omnes vna voce clamabant: Præter Christum, non est alius Deus omnipotens. In conspectu enim illorum, & à dęmonibus obsessi liberabantur, & infirmi omnes sanabantur. Cumque omnes qui ad ædes Arthemij confluxerant, cuperent fieri Christiani, abiit vir Dei Petrus, & adduxit sanctum Marcellinum presbyterum, à quo omnes in domo Arthemij baptizati sunt. Porro Arthemius ingressus ad eos, qui erant in vinculis, dixit eis: Si quis vult credere in Christũ, exeat liber, veniatque ad domum meam, & fiat Christianus. At illi omnes promittentes se in Christum credituros, egressi sunt: venientesque ad ædes Arthemij, à sancto Marcellino presbytero baptizati sunt, & sancta consecratione illuminati. Interea dum hæc agerentur, pestilentissimus Iudex Serenus in morbum incidit, & toto spatio ægritudinis eius datum est tempus baptizatis omnibus, vt sermone quotidiano Marcellini & Petri in fide Domini confirmarentur, per quadraginta & eo amplius dies.

Miro modo è carcere venit ad Arthemium.

Paulina sanatur.

Multi credunt in Christum.

IV. POST hæc commentariensis misit ad Arthemium custodem carceris, indicauitque sessurum esse vicarium, eumque iussisse, vt nocte proxima præsto sit ipse cum illis, qui erant in carcere. At ille baptizatorum omnium osculabatur manus, dicebatque eis, si quis vellet venire ad martyrium, faceret id intrepidus: si quis verò mallet recedere, abiret illæsus. Cum ergo ad primum pullorum cantum sederet Serenus vicarius, iuberetque personas audiendas intromitti, ingressus Arthemius, coram omnibus dixit: Petrus Exorcista Christianorum, quem cæsum & tortum ac semiuiuum in carcere seruari iussisti, in nomine Dei sui omnium vincula soluit, ostia omnia patefecit, cunctosque efficiens Christianos, quô vellent, eis fecit abeundi potestatem. Ille verò cum Marcellino presbytero nusquam abscedere voluit: sed quoties ego eum custodire volui, non comparuit. Tunc Serenus immani furore incensus, iussit Arthemium plumbatis cædi: & trudi in custodiam: sanctos autem Dei martyres Marcellinum & Petrum, intromitti sub voce quæstoria, iisque intromissis, ait: Mitius vobiscum agerẽt carnifices, si sacrilegos religionis vestræ ritus abiiceretis, neque homines noxios & criminum reos è carcere egredi iussissetis. Marcellinus presbyter dixit: Tamdiu criminum reus manet in suis criminibus, quamdiu in Christum non credit: porro simulatque crediderit, mox omni culpa ablutus & absolutus, summi Dei filius appellatur. Cum hæc & his similia diceret Marcellinus presbyter, iussit eum Serenus pugnis cædi in arteriis. At vbi cædentes defecerunt, præcepit separari Marcellinum à Petro, & mitti nudum in carcerem, illicque vitrum contritum spargi, sicque vinctum inclusum relinqui, lumenque & aquam ei negari.

Arthemius cæsus, truditur in custodiam.

Marcellinus cęditur & dirè cruciatur.

V. AD Petrum inde conuersus, ait: Nolo te existimes eculeo & lampadibus iterum esse torquendum: sed ad palũ cras ligaberis, ferarumque morsibus laceratus, vitam amittes, si hodie diis sacrificare contempseris. Respondit Petrus: Cum sis Serenus nomine, totum te tenebrosum & tetrum atque nubilum factis ostendis: & cum homo sis mortalis, pœnas atroces intentas, minis & terroribus te perturbaturum sperans immortalem fidem, quæ regnat in mentibus Christianorum. Tum etiam summi Dei sacerdotem Marcellinum, quem te rogare oportebat, vt tui misereretur, & oraret pro te, vt incredulitatis tuæ criminibus posses absolui, pugnis cædi voluisti, & diro carceri mancipasti: quo quidem nomine ille gloriatur & gaudet, te autem luctus excipiet sempiternus. His dictis etiam Petrum iussit Serenus in vincula coniici, & pedes eius in cippo arctissimè constringi. Cum sic autem abinuicem separati essent, & Marcellinus quidem nudus in vitreis fragmentis iaceret, Petrus verò in cippo teneretur: angelus Domini apparuit Marcellino oranti, induitque eum vestimentis ipsius, & dixit ei: Sequere me. Sequens ergo angelum, ingreditur cum eo, vbi Petrus in cippo & ferro vinctus asseruabatur: & cum illum quoque absoluisset angelus, iussit ambos se sequi: atque ita pariter venerunt in domum illam, in qua baptizati omnes vnanimiter in preces incumbebant. Dixitque angelus ad eos, vt diebus septem confirmarent populum, qui per ipsos crediderant: ac deinde ostenderent se Sereno vicario.

Petrus in carcerem ducitur.

Angelus ambos liberat.

VI. POSTERO die mittuntur quidam ad carcerem, & neque Marcellinum neque Petrum inueniunt, idque iudici renuntiant. Tunc Iudex acciri iubet Arthemium & vxorem eius Candidam cum filia Paulina virgine: cumque venissent, vrgere eos cœpit: vt diis sacrificarent. At illi dixerunt: Nos Dominum Iesum Christum confitemur, filiũ Dei viui: & ideo nulla ratione possumus sacrificiorum vestrorum ritu nos polluere. Eos igitur omnes Serenus iubet via Aurelia immensa ruderum mole obrui.

Legendum videtur Ea hora Marcellinus & Petrus cum Christianorum magna copia occurrerunt Arthemio. Vide Baron. ad a. 302. §. 109.

VII. EA autem hora, qua ad passionem ibant, in eodem loco Christiani omnes occurrerunt sanctis Marcellino & Petro. Videntes autem officiales & carnifices tam multum populum, fugerunt: currebant verò post eos quidam iuniores è populo Dei, tenueruntque eos, & blandis sermonibus inuitabant ad fidem. Sed cum nollent credere, tandiu à populo retenti sunt, donec Missas faceret S. Marcellinus presbyter in crypta, in qua puniendi erant sancti. Cumque completa essent, quę Dei sunt, iussu presbyteri omnis populus abscessit: factoque silentio, sancti Marcellinus & Petrus dixerunt ad eos, qui credere nolebant: Ecce in potestate nostra fuit, vt læderemus vos, neque tamen id fecimus: in potestate nostra fuit, vt tolleremus è manibus vestris Arthemium & Candidam, filiamque virginem, nec fecimus. Est etiam in potestate nostra, vt si velimus, hinc abire, possimus, Dei gratia id agente: sed neque hoc facimus. Quid vos igitur ad hæc? Tum illi frementes in homines Dei: Arthemium gladio percusserunt: porro Candidam

Arthemius cũ vxore &

filia perimitur. didam & Paulinam per præceps in cryptam impellentes, lapidibus oppreſſerunt. Marcellinum autem presbyterum & Petrum Exorciſtam manibus retrò ad arborem alligauerunt, donec referrent de iis ad vicarium. Qui, vt res geſtas cognouit, iuſſit eos duci in ſyluam nigram, quæ hodie in honorem illorum ſylua Candida appellatur, atq; illic ambos pariter decollari. Vbi ad mediam ſyluam ventum eſt, ipſi ſuis manibus mundauerunt locum à ſpinis: ac deinde orantes, & pacis oſculo inuicem ſe ſalutantes, flexis genibus capite plexi ſunt. Qui autem eos decollauit, teſtatus eſt, ſe vidiſſe animas eorum exeuntes è corporibus, tanquam virgines auro & gemmis ornatas, veſtibus indutas ſplendidiſſimis angeliciſque manibus in cælum ſublatas, per auras iuiſſe gaudentes.

Marcellinus & Petrus capite puniuntur.

PER id tempus Lucilla & Firmina, Chriſtianiſſimæ fœminæ, propinquæ S. Tiburtij martyris, cuius nobilitas inter Senatores inſignis fuit in terris, & inter martyres illuſtrior eſt in cælis, amore beati martyris à ſepulchro eius nõ recedebant, ſed conſtructo illic cubiculo, die noctuque ibi permanebant. Iis ergo in viſu apparuit S. Tiburtius cum his duobus martyribus, edocuitque eas, quemadmodum corpora eorum è nigra ſylua abſportata, iuxta ipſum in parte inferiori in crypta ſepelire deberent. Fuerunt autem eis adiutoria Acolythi duo eccleſiæ Romanæ. Hæc omnia Damaſus, cum lector eſſet, puerulus didicit ab eo, qui eos decollauerat: & poſtea factus Epiſcopus in eorum ſepulchro his verſiculis * declarauit. IIX.

*limina decorauit.

Marcelline tuos, pariter Petre, noſce triumphos.
Percuſſor retulit Damaſo mihi, cum puer eſſem.
Hæc ſibi carnificem rabidum mandata dediſſe,
*Sentibus in mediis veſtra vt tunc colla ſecaret,
Ne tumulum veſtrum quiſquam cognoſcere poſſet.
Vos alacres veſtris manibus * mundaſſe ſepulcra.
Candidulo occultè poſtquam iacuiſtis in antro,
Poſtea commonitam veſtra pietate Lucillam,
Hîc placuiſſe magis ſanctiſſima condere membra.

*Sepibus.

*Fodiſſe.

Dorotheus baptizatur.

IS verò, qui eos decollauit, nomine Dorotheus, poſtea ſub ſancto Iulio Pontifice publicam egit pœnitentiam, & omni populo indicans, quæ vidiſſet, baptizatus eſt in ſenectute ſua, & per bonam confeſſionem peruenit ad miſericordiam Saluatoris, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen. IX.

AN. 826. DE TRANSLATIONE EORVNDEM SS. MARTYRVM MARCELLINI ET PETRI, LIBRI IV. AVTHORE EINHARDO SEV EGINHARDO, QVI FVIT

Cancellarius Caroli Magni Imperatoris & poſtea monachus Benedictinus, & primus Abbas Selgenſtadienſis in monaſterio horum martyrum, quod Imperatoris Ludouici Pij, & ipſius impenſis conditum eſt circa annum Domini 821. Eſt opuſculum eruditum, & hactenus, quod ſciam, typis non excuſum.

Prologus.

Scopus ſacrarum hiſtoriarum

VERIS veri Dei cultoribus, & Ieſu Chriſti Domini noſtri, Sanctorumque eius non fictis cultoribus Einhardus peccator. Qui vitas & facta iuſtorum ac ſecundum diuina mandata conuerſantium hominum literis ac memoriæ mandauerunt, non aliud mihi efficere voluiſſe videntur, niſi vt ad emendandos prauos mores, & collaudandam Dei omnipotentiam, per eiuſmodi exempla, quorumcunque animos incitarent. Feceruntque hoc, non ſolum, quia liuore carebant, ſed quia charitate, quę omnibus cupit eſſe cõſultum, granditer abundabant. Quorum laudabile propoſitum, quia tam in propatulo eſt, vt præter ea, quæ dixi, nihil aliud eos moliri voluiſſe lucidiſſimè clareat, cur à multis imitari nõ debeat, omnino non video. Ac proinde quia mihi conſcius ſum, quod libri, quos de tranſlatione corporum beatorum Chriſti martyrum, Marcellini & Petri, ſignisque ac virtutibus, quæ per eos Dominus ad ſalutem credentium fieri voluit, qua potui facultate conſcripſi eadem ſunt voluntate atque intentione compoſiti, eoſdem edere, ac Dei amatoribus ad legendum offerre decreui. Arbitror enim, quod hoc opus non ſolum inane ac ſuperuacuum cuilibet fidelium videri non debeat: ſed etiam fructuosè atque vtiliter me laboraſſe præſumo, ſi efficere potuero, vt in laudem ſui conditoris anima illa legentis aſſurgat.

Cur Einhardus hos cõſcripſerit libros.

LIB. I.

CVM adhuc in palatio poſitus, ac negotiis ſæcularibus occupatus, otium, quo aliquando perfrui cupiebam, multimoda cogitatione meditarer, quendam locum ſecretum atque à populari frequentia valde remotũ nactus atq; illius, cui tunc militaueram, principis Ludouici liberalitate conſecutus ſum. Is locus eſt in ſaltu Germaniæ, qui inter Neccarum & Mœnũ fluuios medius interiacet, ac moderno tẽpore ab incolis & circũmanentibus * Odanuuald appellatur. In quo cùm pro modo facultatũ ac ſumptuũ non ſolùm domos & habitacula ad manendũ, verùm etiã baſilicam diuinis officijs congruentẽ, non indecori operis ædificaſſẽ, dubitare cœpi, in cuius potiſſimũ ſancti vel martyris nomine atq; honore dedicari deberet. Cumq; in hac animi fluctuatione plurimũ temporis eſſet euolutũ, contigit vt quidã Diaconus Romanæ Eccleſiæ, nomine Deuſdona, pro ſuis neceſſitatibus regis opẽ imploraturus ad palatiũ veniret: vbique aliquandiu moratus, cum peracto, propter quod venerat, negotio, Romam redire pararet, quadam die humanitatis cauſa velut peregrinus ad prandium noſtræ paruitatis à nobis eſt inuitatus: ibique inter prandendũ plura locuti, eouſque ſermocinando peruenimus, vt de tranſlatione corporis beati Sebaſtiani, ac neglectis martyrũ ſepulchris, quorum Romæ ingens copia eſt, mentio fieret. Inde ad dedicationem nouæ baſilicæ noſtræ ſermone conuerſo, percontari cœpi, quonam modo ad id peruenire poſſem, vt aliquid de veris Sanctorum reliquiis, qui Romæ requieſcunt, mihi adipiſci contingeret? Hic ille primo quidem hæſitauit, & qualiter id fieri poſſet, ſe neſcire reſpondit. Deinde cum me de hac re ſolicitum ſimul & curioſum eſſe animaduerteret, altera die ſe percontationi meæ reſponſurum eſſe promiſit.

*Odanuuald.

Einhardus in ſolitudine baſilicã ædificat.

Hæc eodem anno Hilduinio perâ Sueſſionẽ tranſlatæ ſunt.

Romę plurima martyrum monumenta.

POST hæc cum iterum à me fuiſſet inuitatus, protinus è ſinu libellum mihi porrexit, rogans vt eum ſolus perlegerem, ſibique de his, quæ in eo ſcripta erant, quid mihi placeret, indicare non dedignarer. Accepi libellum, & vt ille petiit, ſolus ſecrete perlegi. Continebatur in eo, eſſe ſibi domi plurimas Sanctorum reliquias, eaſque ſe mihi dare velle, ſi meo fultus adiutorio Romam reuerti potuiſſet: compertum ſibi fore, quod duos mulos haberem, quorũ ſi alterum ſibi darem, ac ſecum hominem meum fidelem mitterem, qui illas reliquias ab illo reciperet, mihique deferrer, ſtatim eas mihi eſſe miſſurum. Complacuit mihi ſuadentis conſilium, ſtatuique fidem ſponſionis incertæ celeriter experiri: ac proinde dato quod petebat iumento, addita propter viaticum pecunia notarium meum nomine Rathleicum, quia & ipſe orandi cauſa Romam eundi votum habebat, cum eo pergere iuſſi. II.

Diaconus ad viaticũ ſibi parandum mittitur ſe domi habere reliquias.

IGITVR de Aquiſgrani palatio profecti (Nam ibi eo tempore Imperator cum ſuo comitatu erat) Auguſtam Sueſſorum venerunt: ibique cum Hildoino Abbate in monaſterio S. Medardi locuti ſunt, quia memoratus diaconus ei III.

Hildoino Abbati

nus ei pollicitus est, se efficere posse, vt corpus beati Tiburtij martyris in eius veniret potestatem. Quibus ille promissionibus illectus, misit cum eis quendam presbyterum, hominem callidum, nomine Hunum, iubens vt acceptũ ab eo memorati martyris corpus deferret, inde iter ingressi, Romam quanta potuerunt celeritate, perrexerũt. Contigit autem, postquam Italiam intrauerunt, vt puer notarij mei, nomine Reginbaldus, tertiana febre correptus, non modicum profectioni eorum suis laboribus faceret impedimentum: quoniam his horis, quibus ille febrium æstibus tenebatur, iter agere non potuerunt. Erant enim pauci, ac per hoc ab inuicem separari nolebant. Cumque hoc incommodo iter illorum non mediocriter fuisset retardatum, illi tamen prout poterant illud accelerare contenderent, tribus diebus priusquam ad vrbem venirent, apparuit in visu illi febricitanti quidam homo in habitu Diaconi, perquirens ab eo, quam ob rem dominus suus Romam ire festinaret? Cui cùm ille & promissa Diaconi de reliquiis sanctorum mihi mittendis, & de his quæ Hildoino Abbati pollicitus est, prout illi comperta erant, exponeret: Non ita, erit, inquit, sed longe aliter, ac vos existimatis, causarum propter quas venistis, exitus adimplebitur. Nam Diaconus iste, qui vos Romam venire rogauit, aut parum aut nihil de his, quæ vobis promisit, facturus est: ac proinde volo sequaris me, atque ea quæ tibi ostensurus atque dicturus sum, mente solicita cures aduertere.

spõdet corpus S Tiburtij martyris.

Visio famuli cuiusdã.

IV. TVNC manu comprehensum, vt sibi videbatur, montis præcelsi cacumen secum conscendere fecit: in quo cũ simul positi consisterent: Conuertere, inquit, ad Orientem, & subiectos oculis tuis campos intuere. Quod cum fecisset, & campos, de quibus dixerat, fuisset intuitus, videt in eis molis immensæ fabricas, in modum magnæ cuiusdam ciuitatis extructas: & interrogatus ab eo, si sciret quid hoc esset? se nescire respondit. Tum ille: Roma est, inquit, quod vides, statimque addidit. Dirige oculos in vlteriora ciuitatis, & contemplare si aliqua tibi in his locis appareat ecclesia. Cumque sibi quandam ecclesiam apparere dixisset: Vade, ait, & Ratleico nuntia, quoniam in ecclesia, quam modo vidisti, illa res est recondita, quam ille domino suo debet adferre: & ideo det operam, vt eam quanto celerius fieri potest, accipiat, & ad dominum suum reuertatur. Cumque ille diceret, quod nemo de his, qui secum venerant, in huiusmodi re fidem dictis suis esset habiturus, respondit & dixit. Tu nõsti, quod omnes, qui tecum hoc iter agunt, tibi conscij sunt, quia complures dies in febre tertiana laborasti, & nondum te* ab illis vllam habuisse remissionem. Et ille, Ita est, inquit, vt dicis. Quapropter, ait, volo vt pro signo tibi sit, atque his, quibus verba quæ dixi, relaturus es, quoniam ex hac hora, febre qua vsque modo detinebaris, sic per Dei misericordiam carituras es, vt te vlterius in hoc itinere non contingat. His dictis expergefactus, omnia quæ sibi vidisse vel audisse videbatur, Ratleico referre curauit. Quæ cum Ratleicus presbytero secum pergenti exposuisset, visum est ambobus, vt experimentum somni ex veritate promissæ sanitatis approbarent. Nam eadem die iuxta qualitatem febrium, quibus laborare consueuerat, febricitare debebat is qui somnium viderat. Et vt non vana illusio, sed potius vera reuelatio fuisse ostenderetur, neque illa die, neque cæteris, quæ illam secutæ sunt, vllum in corpore suo consuetarum febrium sensit indicium. Sic factum est, vt & visioni crederent, & fidem Diaconi promissis non haberent.

Visionis eius veritas.

*ab illis, subaudi febribus.

Febricitans in visione curatur.

V. IGITVR Romam venientes, iuxta basilicam beati Petri Apostoli, quæ dicitur Ad Vincula, in domo ipsius, cum quo venerunt Diaconi hospitium acceperunt, manseruntque cum eo per aliquot dies, opperientes promissorum eius adimpletionem. Sed ille, qui suas pollicitationes perficere non valebat, ipsum quod non poterat, quibusdam procrastinationibus palliabat. Tandem locuti cum illo, cur eis illo modo vellet illudere? percontati sunt: rogantes simul, ne se diutius fallendo detineret, & reuersionem suam vanis spebus impediret. His ille auditis, cum cerneret se huiusmodi calliditate eis iam amplius non posse imponere, primo notarium meum certum fecit de reliquiis mihi promissis, quod eas habere non posset, eò quod frater suus, cui & domum, & cuncta quæ habebat, inde abiens commendauerat, negotiandi gratia Beneuentum esset profectus, ac se penitus ignorare, quando esset reuersurus. Et quia ei reliquias illas sicut & cæteram supellectilem ad seruandum commiserat, nec omnino se scire posse quid de his fecisset, quoniam eas in eadem domo nusquam inuenisset: proinde videret quid faceret, quia de parte sua nihil restaret, quod sperare posset. Postquam hæc notario meo dixit, & ille se ab eo illusum ac male sibi impositum quereretur, nescio quibus vanis ac friuolis etiam & presbyterum Hildoini allocutus, spe simili animatum à se fecit abscedere.

Diaconi promissio vacua redditur.

VI. POSTRIDIE verò cum valde tristes videret, hortatus est vt simul cum illo ad cœmeteria sanctorum pergerent, videri sibi quod in eius aliquid tale inueniri posset, quo eorum desideriis satisfieret: nec fore vllam necessitatem, vt in patriam vacui reuerterentur. Cumque eis hoc consilium placuisset, vellentque vt quantocyus id, ad quod faciendum eos hortabatur, inchoarent, more solito negotium dissimulauit, & eos, quorum animi tunc paululum erãt erecti, in tantam desperationem hac dilatione deiecit, vt, omisso illo, statuerent in patriam quanuis infecto negotio reuerti. Sed notarius meus recolens somnium, quod puer suus viderat, cœpit comitem suum hortari, vt sine hospite suo irent ad cœmeteria, atque visenda ille eos se ducere velle promisit. Itaque inuento atque conducto duce, locorumque monstratore, primo ad basilicam beati Tiburtij martyris, in via lauicana, tribus ab vrbe passuum milibus distante, veniunt, martyrisque tumbam quanta possunt diligentia contemplantur, & vtrum sic, vt alij non sentirent, aperiri posset, cauta circunspectione considerant. Deinde in cryptam eidem basilicæ contiguam, in qua beatorum Christi martyrum Marcellini & Petri corpora erant tumulata descendunt, atque explorata etiam illius monumenti qualitate discedunt, æstimantes hoc factum hospitem suum posse latere. Sed aliter euenit atque arbitrati sunt. Nam licet ipsi nescirent, quibus indiciis, cito tamen ad illum huius facti notitia peruenit: veritusque ne sine illo voluntati suæ satisfacere debuissent, statuit consilium eorum festinando præuenire. Et quia ille eorundem locorum plenariã atque omnimodam notitiam habebat, blande illos alloquitur, hortaturque vt illuc simul veniant, & si Deus votis eorum fauere dignaretur, communi consilio facerent, quicquid eis videretur faciendum.

Basilica S. Tiburtij.

VII. ASSENSI sunt eius voluntati, tempusque id eggrediendi pari consensu constituunt. Tunc peracto ieiunio triduano, noctu ad locum nullo Romanorum ciuium sentiente perueniunt: ingressique basilicam S. Tiburtij primo altare illud, sub quo sacrum eius corpus situm credebatur, aperire tentauerunt. Sed parum successit eorum voluntati molitio operis inchoati. Nam monumentum durissimo marmore extructum, inermes id aperire conantium manus facile repellebat. Igitur, omisso illius martyris sepulchro, ad tumbam beatorum Marcellini & Petri descendunt, atque ibi inuocato Domino nostro Iesu Christo, & adoratis sanctis martyribus, lapidem, quo summitas sepulchri tegebatur, de loco suo leuare moliuntur. Quo sublato, vident sacratissimum sancti Marcellini corpus in superioribus eiusdem sepulchri partibus positum, tabulamque marmoream ad caput positam, quæ titulo, quem continebat, euidens indicium dabat, cuius in eo loco martyris membra iacuissent. Quod, vt par erat, cum summa veneratione suscipientes lauant, & munda sindone inuolutum Diacono ferendum atque seruandum tradunt. Ac ne vlla sublati corporis indicia remanerent, lapidem loco suo reponentes, in vrbem ad hospitia sua reuertuntur. Diaconus autem corpus beatissimi martyris, quod acceperat, iuxta basilicam B. Petri Apostoli, quæ vocatur Ad Vincula, vbi & ipse domum habebat, se seruare velle ac posse affirmans, fratri suo nomine Lunisoni, ad custodiendum commisit. Arbitratusque

Vide antiquam reuerent à erga reliquias sanctorum quæ præmisso ieiunio quærunturAdoratio hic pro veneratione accipitur.

bitratúsque notario meo hoc satisfactum esse cœpit illum hortari, vt accepto corpore beati Marcellini, rediret in patriam. III.

SED ille longe aliud meditabatur ac mente voluebat. Nam, vt mihi postea retulit, videbatur illi nequaquam sibi licere cum solo beati Marcellini corpore in patriam regredi, quasi nefas esset, vt corpus beati Petri martyris, qui ei socius in passione fuerat, & per quingentos & eo amplius annos in eodem sepulchro vnà cum illo requieuerat, illo inde transeunte ibi remaneret. Atque hac cogitatione mente concepta, tanta animi sui parturitione simul ac perturbatione laborabat, vt nec cibum capere, nec somno acquiescere dulce sibi videretur atque iucundum, nisi martyrũ corpora, sicut in passione ac monumento coniuncta fuerant, sic etiam peregre profectura iungerentur. Sed de hoc qualiter fieri posset, vehementer ambigebat. Nouerat enim neminem à se Romanum inueniri posse, qui sibi ad hoc vllum ferret auxilium: sed ne talem quidem, cui hæc animi sui secreta auderet ostendere. In hac cordis anxietate cõstitutus reperit quendam monachum peregrinum, nomine Basilium, qui ante biennium de Constantinopoli Romam venerat, atque ibi in monte Palatino apud alios Græcos, qui eiusdem professionis erant, cum quatuor discipulis suis hospitium habebat. Hunc adiit, atque ei quam patiebatur solicitudinem aperuit. Tunc consiliis eius animatus, & orationibus fretus, tantam accepit in corde suo constantiam, vt statueret rem quanuis cum periculo capitis sui celerrime experiri. Vocatoque ad se comite suo Hildoini presbytero, cœpit cum eo tractare, vt iterum ad basilicam beati Tiburtij, sicut prius fecerant, clanculo pergerent, ac tumbam, qua martyris corpus reconditum credebatur, aperire denuo molirentur.

Monachi Græci Romę in mõte Palatino.

PLACVIT consilium, assumptisque, quos secum adduxerant, pueris, hospite eorum penitus ignorante quô irent, clam noctu profecti sunt. Cumque ad locum ventum esset, votis pro re prosperanda ante ædis ianuam factis ingrediuntur: diuisisque sociis inter se, presbyter ad corpus beati Tiburtij quærendum in ipsius basilica cum aliquibus remansit, Ratleicus cum reliquis in adhærentem eidem ecclesiæ cryptam ad beati Petri corpus accessit: aperto- que sine vlla difficultate sepulchro, sacra sancti martyris membra nullo prohibente sustulit, & serico puluino, quem ad hoc parauerat, recepta diligenter inclusit. Interea presbyter, qui corpus beati Tiburtij quærebat, magno labore frustra consumpto, postquam se vidit nihil posse proficere relicto opere, in cryptam ad Ratleicum descendit, & quid sibi faciendum esset, ab eo quærere cœpit. Cui cum ille arbitrari se diceret, quod S. Tiburtij reliquiæ essent inuentæ, eique id de quo dicebat ostẽderet. Nam paulo ante, quam idem presbyter ad eum in cryptam veniisset, reperit in eodem sepulchro, in quo sanctorum Marcellini & Petri sacra corpora iacuerunt, foramen quoddam rotundi schematis trium fermè pedum longitudine introrsus excauatum, pedali amplitudine patens, & in eo minuti pulueris non modicam portionem repositam. Visum est ambobus, quod hic puluis de corpore beati Tiburtij ossibus inde sublatis remanere potuisset: & ob hoc, vt difficilius inueniretur, medio loco inter beatum Marcellinum & Petrum in eadem tumba fuisset repositus: conuenitque inter eos, vt eum presbyter sumeret, & pro reliquiis beati Tiburtij secum deferret. IX.

Tollitur corpus B. Petri martyris.

HIS ita transactis atque dispositis, cum rebus, quas repererunt, ad hospitia sua reuersi sunt. Post hæc Ratleicus cum hospite suo locutus, rogat vt sibi sacros beati Marcellini cineres, quos ei ad seruandum commendauerat, reddat, seque in patriam redire volentem nulla non necessaria dilatione detineat. Cui ille non solum quod repetebat, sine mora restituit, verum etiam de sanctorum reliquiis in vna ligatura collectis, haud paruam portionem mihi deferendam obtulit: & requisitus de nominibus eorum, mihi se illa dicturum, quando ad me veniisset, respondit. Monuit tamen, vt eadem veneratione, quâ cæteræ sanctorum martyrum reliquiæ colerentur, eò quod non minoris apud Deũ essent meriti, quam B. Marcellinus & Petrus: & hoc me esse crediturum, cum primum ad me nominum illorum notitia peruenisset. Suscepit ille manus oblatũ, atq; id, vt sibi persuasum erat, sanctorum martyrum corporibus sociauit. Initoque consilio cum hospite suo, sacrum illum ac desiderabilem thesaurum in scriniis reconditum atque signatum, per Luniſonem fratrem eius, cuius superius fecimus mentionem, nec non & presbyterum Hildoini, qui secum venerat, Papiam vsque deportari fecit: ipse cum eodem hospite suo Romæ substitit, operiens atque auscultãs per continuos septẽ dies, si de sublatis sanctorum corporibus aliquid ad notitiam ciuium peruenisset. Cumque vidisset nullam à quolibet extraneo de hoc facto fieri mentionem, latere illud existimans, post eos, quos præmiserat, sumpto secum hospite suo profectus est. Quos cùm *Ticenis apud basilicam B. Iohannis Baptistæ, quæ vulgo Domnanæ vocatur, ac tunc ex beneficio regum ad meam pertinuit potestatem, aduentum eorum præstolantes inuenissent, statuerunt etiam, vt & ipsi aliquot diebus ibi morarentur, & propter iumentorum, in quibus venerant, refectionem, & propter seipsos ad longiorem viam præparandos. X.

Reliquiarũ facer & desiderabilis thesaurus.

*for Ticini.

IN hoc morarum suarum articulo fama exiit, legatos sanctæ Romanæ ecclesiæ à Pontifice ad Imperatorem directos, illò breui esse venturos. Itaque veriti de aduentu illorum aliquid sibi incommodi, vel etiam impedimenti accidere posse, si se ibi deprehenderent, decreuerunt, vt quidam ex eis abeundo, aduentum eorum festinando præuerterent, alii in loco remanerent, & re, de qua soliciti erant, diligenter inuestigata, post eorundem legatorum abscessum socios suos, quos præmiserant, sequi properarent. Cum ita inter eos de hac re constitisset, Deusdona cum presbytero Hildoini legatos Roma venientes præcessit, & Augustam Suessorum, vbi Hildoinum esse rebatur, quanta potuit festinatione contendit. Ratleicus verò cum thesauro, quem secum habebat, Papiæ remansit, expectans donec legati sedis Apostolicæ præterirent: vt illis Alpes transgressis, viam suam securius carpere potuisset. Veritus itaque ne presbyter Hildoini, qui cum Dousdona præcesserat, quique omnium, quæ apud eos gesta vel tractata fuerant, plenariam atque integram notitiam habebat, quia vafer ac lubricæ fidei videbatur, aliquid impedimenti sibi in via, qua ire dispositum habebat, machinari debuisset, altera sibi eundum iudicauit: missoque ad me procuratoris nostri Ascolfi puero cum literis, quibus me & de reuersione sua, & de allatione thesauri, quem diuinitus adiutus inuenerat, certum efficeret: ipse postquam Romanos ex coniectura mansionum, quæ eis parabantur, Alpes superasse putauit, Papia relicta, sexta die ad S. Mauritium venit. ibique comparatis, quæ ad hoc necessaria videbantur, sacra illa corpora loculo inclusa, feretro imposuit, atque inde promouens, palam & aperte cum adiutorio populi occurrentis portare cœpit. XI.

VBI autem locum, qui Caput laci vocatur, prætergressus, biuium, quo itinera in Franciam ducentia dirimuntur, attigit, dexteriorem viam ingressus, per Alamannorum fines vsque ad *Solodorum Burgundionum oppidum venit. Ibi obuios habuit, quos ego post indicium aduentûs illius mihi factum, de Traiecto ei occurrere iussi. Nam ego tunc temporis iuxta Scaldim fluuium in monasterio S. Bauonis eram, quando literæ notarij mei per puerum procuratoris nostri, cuius superius mentionem fecimus, mihi redditæ sunt: ex quarum lectione de aduentu Sanctorum certior factus, illicò vnum ex familiaribus nostris Traiectum ire, ibique presbyteros atque alios clericos, nec non & laicos secum sumere, ac Sanctis venientibus vbicunq; primũ potuisset, obuiã festinare præcepi: Et is nihil moratus, cũ his quos secũ duxerat in loco memorato, post paucos dies his, q Sanctos adferebãt, obuiauit, iunctiq, simul, comitãtibus iam atque hinc inde cõcurrentibus hymnidicis populorũ turmis, cum ingenti omnium lætitia Argentoratum vrbem, quæ nunc Stratburgus appellatur, celeriter veniunt. Inde per Rhenum secundâ aquâ nauigantes, XII.

*Solodurũ Traiectum ad Mosam dicit. Obserua quanta veneratione Maiores nostri sacras reliquias prosecuti sint.

nauigantes, cum ad locum, qui Portus vocatur, veniſſent, orientalem flu minis ripam egreſſi quinta manſione ad locum Michilunſtat nuncupatum cum immodica hominum in Dei laudibus exultantium multitudine perueniunt Is locus eſt in eo ſaltu Germaniæ, qui tempore moderno Odonouuald appellatur, & diſtat à Mœno flumine circiter leucas ſex. In quo cum baſilicam nouiter à me conſtructam, ſed nondum dedicatam inueniſſent, in hanc illos ſacros cineres intulerunt, & velut ibi perpetuo permanſuros depoſuerunt.

XIII. CVMQVE id mihi fuiſſet allatum, confeſtim illuc quãta potui celeritate venire feſtinaui: vbi cum triduo poſt aduentum noſtrum exacto, quidam puer Ratleici iubente eo, officio veſpertino completo, cæteris exeuntibus ſolus in eccleſia remanſiſſet, & clauſis ianuis, iuxta illa ſacra corpora in parua ſellula quaſi vigilaturus conſediſſet, ſubitaneo ſomno depreſſus, vidit quaſi duas columbas per dexteriorem abſidæ feneſtram volando intrare, & in culmine lecti ſuper ipſa Sanctorum corpora conſidere. Quarum altera tota alba, altera cani & albi coloris mixtura varia videbatur. Cumque in eodem culmine diutius deambularent, & conſuetum columbis gemitum viciſſim velut colloquentes ederent, rurſus per eandem feneſtram egreſſæ, non comparuerunt: ſecutaque vox ſupra caput pueri ſonuit: Vade, inquit, & dic Ratleico, vt indicet domino ſuo, quia iſti ſancti martyres nolunt, vt eorum corpora in hoc loco requieſcant. Alium enim elegerunt, ad quem celeriter migrare diſpoſitum habent. Huius vocis author ab eo videri non potuit: qua tamen finita, euigilauit, ſomnoque excitus reuerſo ad baſilicam Ratleico quid vidiſſet indicauit. At ille in craſtinum vbi me primum conuenire potuit, quid ſibi puer ſuus retuliſſet, mihi nunciare curauit. Ego autem, licet huiuſce viſionis arcanum ſpernere non auderem, ſtatui tamen operiendum alicuius ſigni certioris indicium: atque interim illos ſacros cineres de linteis, in quibus ligati venerant, ſublatos ſericis ac nouis puluinis inſuere feci. Cumque in eorum inſpectione reliquias B. Marcellini minoris quantitatis, quam ſancti Petri eſſe cernerem, arbitratus ſum eum in ſtatura corporis ſui minoris fuiſſe menſuræ, quam S. Petrum Sed hoc aliter ſe habere, furtum poſtea patefactum approbauit: quod vbi, vel quando, vel à quo, vel qualiter admiſſum ac proditum ſit, ſuo loco dicturus ſum, nunc ordo narrationis inchoatæ texendus atque tenendus eſt.

Viſio cuiuſdam apud ſacras reliquias.

XIV. IGITVR poſtquam illum magnum atq; mirabilem, omnique auro pretioſiorem inſpexi theſaurum, loculus, in quo idem continebatur, propter vilitatem materiæ, de qua compactus erat, cœpit mihi oppido diſplicere. Quem emendare cupiens, quadam die poſt completum veſpertinum officium præcepi vni ex ædituis, vt menſuram loculi virga collectam mihi afferret. Cum ille hoc facturus cereum accenderet, & circumpendentia pallia, quibus idem loculus tegebatur ſubleuaret, animaduertit loculum mirum in modum humore ſanguineo vndique diſtillantem: & rei nouitate perterritus, hoc quod viderat propere mihi nuntiare curauit. Tum ego cum eis, qui aderant, ſacerdoti bus acceſſi, & illud ſtupendum atque omni admiratione dignum miraculum aſpexi. Nam vt columnæ atque abaci vel ſigna marmorea pluuia inſtante ſudare ac circumfluere ſolent: ſic loculus ille, qui ſacratiſſima corpora cõtinebat, vero cruore madens, & ex omni parte perfuſus inuentus eſt. Terruit nos inſolita & nunquam prius audita miracu- li ſpecies. Quapropter inito conſilio, triduanum ieiunium cum ſupplicationibus facere decreuimus, vt ex reuelatione diuina ſcire mereremur, quid ſibi vellet. quidve faciendum moneret magnum illud & ineffabile prodigium. Itaque peracto illo triduano ieiunio, cum iam adueſperaſceret, humor ille cruoris horrendi ſubito cœpit areſcere, ac mirum in modum, qui per continuos ſeptem dies more perennis aquæ ſine intermiſſione diſtillabat, ſic intra pauciſſimas horas exiccatus eſt, vt eo noctis tempore (Nam Dominica erat) quo ſigno dato, ad antelucanum officium celebrandum eccleſiam intrauimus, nullum iam in loculo veſtigium illius poſſet inueniri. Lintea verò quæ circa loculum pendebant, vt eodem fuerunt humore reſperſa, ita vt erant ſanguineis maculis infecta ſeruare iuſſi: in quibus adhuc magnum illius inauditi portenti paret indicium. Cõſtat enim humorem illum ſaporis fuiſſe ſubſalſi, ad lachrymarum videlicet qualitatem: & tenuitatem quidem aquæ, colorem autem veri ſanguinis habuiſſe.

Nota quãti fecerint olim ſacras Reliquias.

En ſtupendum miraculum.

Aliud admirandum miraculũ.

XV. EADEM nocte cuidam ex pueris noſtris, nomine Ruodlando per quietem duo iuuenes viſi ſunt adſtitiſſe, qui ei, vt ipſe teſtatus eſt, de transferendis Sanctorum corporibus multa mihi dicenda mandauerunt, & ad quem locũ, vel qualiter id fieri deberet, oſtenderunt: & vt hoc mihi ſine mora fuiſſet nuntiatum, terribiliter comminando præceperunt. Qui mox vt me adire potuit, omnia quæ iuſſus fuerat, mihi intimare curauit. Quibus auditis, curis ingentibus æſtuare, & quid mihi eſſet agendum, animo tractare cœpi: vtrum iterum ieiunia & ſupplicationes celebrandæ, ac Deus rurſus pro noſtra curioſitate ſolicitandus: an aliquis Deo deuote ac perfecte ſeruiẽs eſſet quærendus, cui anxietatem cordis noſtri & curarum noſtrarum querimonias indicare, quemque rogare potuiſſemus, vt orationibus ſuis à Deo nobis huius rei manifeſtationem impetraret. Sed vbi vel quando ille talis Chriſti famulus à nobis poſſet inueniri, præſertim in illa regione, in qua tametſi quædam cœnobia ab eo loco, in quo eramus, haud longe poſita eſſe conſtabat, tamen propter rudem in his locis eius conuerſationis inſtitutionem, aut rarus aut nullus erat, de cuius ſanctitate tale aliquid vel tenuis fama loqueretur. Interea dum his anxius curis ſanctorum martyrum ſuffragiũ imploraſſem, atque omnes qui vnà nobiſcum erant, vt idem facerent, ſedulo commonuiſſem, factum eſt vt per continuos dies nulla nox pręteriret, in qua vel vni vel duobus, vel etiam tribus ſociorum noſtrorum in ſomnis reuelatũ non fuiſſet, quod illa Sanctorum corpora de eo loco in alium eſſent transferenda. Ad extremum autem cuidam presbytero de his, qui ibi nobiſcum erant, nomine Hildfrido, apparuit in viſione, vt ipſe fatebatur, vir quidam habitu ſacerdotali, canitie veneranda conſpicuus, candida veſte indutus, qui eũ talibus verbis compellauit: Cur, inquit, Einhardus tam duri cordis, tantæque obſtinationis eſt, vt tot reuelationibus non credat, ac tot monita ad ſe diuinitus miſſa arbitretur eſſe contemnenda? Vade & dic ei, quia hoc quod beati martyres de ſuis corporibus fieri deſiderant, infectum remanere non poterit, quanuis ille hactenus voluntatem eorum in hac re facere diſtuliſſet. Et iam nunc, ſi non velit vt huius facti meritum ad alium tranſeat, feſtinet eorum adimplere iuſſionem, & ad locum, quem ipſi elegerunt, corpora illorum deportare non negligat.

Viſio cuiuſdam.

Crebræ diuerſis viſiones offeruntur.

XVI. POST has aliaſque multimodas ad me perlatas admonitiones, viſum eſt mihi illam ſacrorum cinerum tranſlationem non eſſe diutius differendam: ac proinde inito conſilio, decreuimus vt id quanto celerius fieri potuiſſet, perficere certaremus. Igitur omnibus, quæ ad hanc defectionem neceſſaria videbantur, raptim & cum ſummo ſtudio præparatis, prima luce poſt completum matutinum officium, ſacrum illum & inæſtimabilem theſaurum cum ingenti luctu ac mœrore illorum, qui in loco erant remanſuri, ſuſtulimus, atque iter ingreſſi portare cœpimus, comitante nos pauperum turba, quæ illò per eos dies ob eleemoſynam accipiẽdam vndecunque confluxerat. Nam circa manentes populi quid apud nos ageretur, penitus ignorabant. Erat cælum graue ſordidis nubibus, & quæ in ingentem pluuiam cito reſolui poſſent, niſi id diuina virtus fieri prohiberet. Nam tota nocte illa intantum ſine intermiſſione pluebat, vt nobis iter illud ea die inchoari poſſe minime videretur. Sed illam noſtram dubitationem, ex infirmitate fidei venientem, ſuperna gratia per ſuorum merita Sanctorum longe aliter, atque exiſtimauimus, habere ſe fecit, quando viam, per quam inceſſimus, in aliam quam ſperabatur qualitatẽ vidimus fuiſſe commutatam. Nam & luti parum inuenimus, & riuos, qui in tam grandi ac iugi pluuia, vt ea nocte erat, creſcere ſolebant, pene nihil creuiſſe reperimus. Vbi verò de ſaltu egreſſi, proximas villas acceſſimus, frequentibus obuiorum ac Deo laudes dicentium

Reliquiarũ ſacer & inæſtimabilis theſaurus.

Priſca Germanorum

erga Sãctos deuotio.

dicentium turbis excipimur : qui nos per octo ferè leucarum ſpatium comitati, nobis ac noſtris & in ſacro onere fe-
rendo deuoti adiutores, & in diuinis laudibus dicendis impigri fuêre concentores. At vbi vidimus, quod ea die ad
locum deſtinatum peruenire non poteramus, diuertimus ad villam Oſtheim appellatam, quæ viæ noſtræ contigua
cernebatur: & inclinãte iam veſpera in baſilicam B. Martini, quæ in eadem villa eſt, ſancta illa corpora intulimus: &
ſociis noſtris ad excubias ducendas ibi dimiſſis, ego cum paucis ad locum quo tendebamus, feſtinando præceſſi, &
ea, quæ ad receptionem ſanctorum corporum vſus poſtulabat, per noctem præparaui. XVII.

Reliquiarũ ſacroſanctus theſaurus. Paralytica ſanatur.

A D baſilicam verò, in qua illorum ſacroſanctum theſaurum dimiſimus, ſanctimonialis quædam paralytica,
nomine Ruodlang, de monaſterio Machesbach, quod ab eadem eccleſia vnius leucæ ſpatio diſparatum erat, ab ami-
cis ſuis ac propinquis in carro adducta, cùm iuxta feretrum Sanctorum inter cæteros vigilans atque orans pernocta-
ret, recepta omnium membrorum ſanitate, propriis pedibus nullo ſuſtentante, vel quolibet modo adminiculante, IV.
ad locum vnde venerat, in craſtinum regreſſa eſt. At nos albeſcente cælo ſurgentes, ſociis noſtris venientibus obui-
am ire perreximus, habentes nobiſcum immodicam vicinorum noſtrorum multitudinem, qui fama aduentûs San-
ctorum exciti, ad hoc primo diluculo pro foribus noſtris conſtiterunt, vt vnà nobiſcum Sanctis obuiam procede-
rent. Et occurrimus eis in eo loco, vbi Gaſpentia fluuiolus Mœno miſcetur. Inde pariter incedentes, ac Domini noſtri
Ieſu Chriſti miſericordiam collaudantes, ſacras illas beatiſſimorum martyrum exuuias ad * Mulinheim ſuperiorem
(Sic enim moderno tempore locus ille vocatur) cum magna omnium, qui ibi adeſſe potuerunt, lætitia & exultatio-
ne detulimus: ſed præ nimia populi multitudine, quæ præcedens cuncta compleuerat, neque eccleſiam adire, neq;
feretrum in eam inferre valuimus. Idcirco in campo adiacente, atque in loco editiore altare ſub diuo ereximus, ac fe-
retro ponè altare depoſito, Miſſarum ſolennia celebrauimus. Quibus expletis, ac multitudine ad ſua recedẽte, in ec-
cleſiam à beatis martyribus iuſſam, eorum ſacratiſſima corpora intulimus : ac feretro propter altare locato, iterum
Miſſam celebrare curauimus: ibique inter celebrandum puer quidam annorum circiter quindecim, nomine Dani-
el de pago Portiano, qui illuc inter alios pauperes mendicando venerat, atque ita curuus erat, vt niſi ſupinus atque
iacens cælum aſpicere nequiuiſſet, ad feretrum acceſſit, ac ſubito velut ab aliquo impulſus corruit: cumque diù ve-
lut dormienti ſimilis iacuiſſet, correctis omnibus membris, & recepta firmitate neruorum, coram oculis noſtris ſur-
rexit incolumis. Facta ſunt hæc decimo ſexto Calendas Februarias, & erat eius diei tanta & tam clara ſerenitas, vt æ-
ſtiui ſplendorem ſolis adæquaret: atque ipſius aëris tam mitis atque iucunda tranquillitas, vt Veris temperiem apri-
citate blanda præcederet. XIIX.

Puer miſerè contractus reualeſcit.

POSTRIDIE verò ſacra beatorum martyrum corpora, nouo loculo recondita, in abſida baſilicæ locauimus,
& ſicut in Francia mos eſt, ſuperpoſito ligneo culmine, linteis ac ſericis palliis ornandi gratia conteximus, apponen-
tes altare, ac duo vexilla Dominicæ paſſionis, quæ in via feretrum præcedere ſolebant, hinc atque inde erigentes, lo-
cum illum diuinis officiis celebrandis pro modulo paupertatis noſtræ idoneum atque aptum facere curauimus: Or-
dinatiſque clericis, qui inibi aſſiduè & excubias ducerent, ac diuinis laudibus dicendis curam ſolerter impenderent, V.
ipſi non ſolum noſtra ſponte, ſed etiam regali diplomate, quod nobis in via obuiam venerat, euocati, Domino iter
noſtrum proſperante, ad palatium ſumus cum magna exultatione regreſſi. LI. IT.

TRANSACTIS admodum paucis, poſtquam ad comitatum veneram, diebus, ego ſecundum conſuetudinem L.
aulicorum maturius ſurgens, primo mane palatiũ petij. Ibi cum ingreſſus, Hildoinum, cuius libro ſuperiore mentio-
nem feci, ante fores regii cubiculi ſedentem atque egreſſum principis operientem inueniſſem, ex more ſalutatum
ſurgere, atque ad quandam feneſtram, de qua in inferiora Palatii proſpectus erat, mecum accedere rogaui. Ad quam
pariter ſtando incumbentes, de translatione ſanctorum martyrũ, Marcellini & Petri, nec non & de miraculo, quod
in fluxu cruoris, quo loculum eorum ſeptem diebus ſudaſſe commemoraui, oſtenſum eſt, mirando multa ſumus lo-

Veſtes repertæ cum Sanctorum corporibus.

cuti. Cumque ad id loci ſermocinando veniſſemus, vt etiam de veſtimentis, quę cum corporibus eorum inuenta sũt,
mentio fieret, atque ego miræ ſubtilitatis veſtem B. Marcellini fuiſſe dicerem, ille velut, qui rem æquè vt ego notam VI.
haberet, vera me de veſtibus dixiſſe reſpondit. Hîc ego ſtupefactus atque admirans, percontari cœpi, vnde illi hæc
veſtimentorum, quæ nunquam viderat, notitia contingere potuiſſet. At ille me intuitus, paululum ſiluit: ac deinde,
Satius, inquit, eſſe arbitror, vt per me cognoſcas, quod me tacente, tamen per alios celeriter es cogniturus: & ego il-
lius rei ſim proditor ſimplex, quam fortaſſe alter ſi prodiderit, non ſimpliciter enuntiabit. Neque enim poteſt: quia
ſic natura comparatum eſt: vt hoc quiſquam veraciter dicere nequeat, cuius notitiam non per ſeipſum, ſed aliorum
relatione fuerit aſſecutus. Tuæ tantum fidei committo, qualiter inde mecum acturus ſis, poſtquam meo relatu om-
nem rei geſtæ veritatem agnoueris. II.

CVI cum me non aliud acturũ, quam quod inter nos conueniret, breui ſermone reſpondiſſem: Presbyter, in-
quit, ille, qui ad deferendas B. Tiburtij reliquias Romam meo iuſſu profectus eſt, cũ id, propter quod illo venerat, i-
ta vt volebat perficere nequiuiſſet, iamque notarius tuus acceptis, de quibus loquimur, ſanctorũ martyrum reliquiis
domum redire ſtatuiſſet, iniit cum illo conſiliũ, vt illo Romæ paululum moras faciente, ipſe cum Luniſone fratre
Deuſdonę & cum hominibus eius, qui illos ſacros cineres ferre debebant, Papiã vſq; præcederet, ibiq; illius ac Deuſ-
donæ præſtolaretur aduentũ. Placuit ambobus iſta cõuentio, illiſq; Romæ ſubſtantibus, presbyter cum Luniſone ac

Diligenter cuſtodiuntur nocte ſacræ reliquiæ.

pueris reliquias ferentibus Papiam proficiſcitur. Quò cùm eſſet peruentum, ſcrinia ſacros cineres continentia in ec-
cleſia tua ponè altare ſunt poſita, atque ab excubantibus in eadem baſilica clericis ac laicis diligenti ſolertia cuſtodi-
ta. Quadam verò nocte, cũ & ipſe inter cæteros ad eaſdem excubias in eccleſia vigilaret, cõtigit, vt ipſe aſſerit, circa
mediam ferè noctem, vt obrepente paulatim ſomno, vniuerſi qui intra eandẽ baſilicam vigilandi gratia conuenerãt,
præter ſe ſolũ obdormirent. Tum ſibi in mentem veniſſe, viſumque fuiſſe nõ ſine magna quadam cauſa factum, vt
tot hominibus tam ſubitaneus ſopor obrepſerit: ratuſque ſibi oblata occaſione vtendum, ſurrexit, atque accenſo lu-
mine ad ſcrinia ſilenter acceſſit. Tum filis ſigillorum admota cerei flamma crematis, ſcrinia ſine claue celeriter ape-
ruit, ac de vtroq; corpore portionẽ, quæ ei videbatur accipiens, ſigilla vt erant integra filorum crematorum ſummi-
tatibus annectit, nulloq; id factum ſentiente, in loco ſuo reſedit. Poſt hæc ſublatas tali furto Sanctorum reliquias, cũ
ad me fuiſſet reuerſus detulit: primoq; illas non S. Marcellini vel Petri, ſed ſancti Tiburtij eſſe aſſeuerauit. Deinde cũ

Cultus reliquiarum.

neſcio quid vereretur, ſecretè mecum locutus, quorum Sanctorum eſſent reliquiæ, quoq; modo eas fuiſſet adeptus,
patenter aperuit. Habemus illas apud S. Medardum in loco celebri honorificè collocatas, vbi ab omni populo cum
magna veneratione coluntur: ſed vtrum eas nobis habere liceat, in tuo manet arbitrio.

HIS auditis recordatus ſum quid in itinere, quo proxime ad palatium proficiſcebar, à quodam hoſpite meo III.
audierim. Qui inter cætera, quæ mecum loquebatur, Nunquid nôſti, ait, qualis de SS. martyribus Marcellino &
Petro per hanc regionem fama diſperſa ſit? Cumque id me neſcire reſponderem : tum ille : Dicunt, inquit, qui

Rumor falſus aſtu diaboli ſparſus de reliquiis SS Marcellini & Petri.

de S. Sebaſtiano veniunt, quod presbyter quioam Hildoini Abbatis, qui vnà cum notario tuo Romam profe-
ctus eſt, cum inde reuerterentur, & in quodam loco communi diuerſorio vterentur tuis omnibus ebrietate ac ſomno
depreſſis, & id, quod agebatur penitus ignorantibus, ſcrinia quibus Sanctorum corpora continebantur, aperuiſſet
eaque inde ſuſtuliſſet, atq; abiens Hildoino detuliſſet, & modo apud S. Medardũ ſint: in ſcriniis verò tuis parũ quid-

dam

dam sacri puluerisremansisse,quod ad te per notarium tuum perlatum sit.Horum reminiscens,eaque cum his,quæ ab Hildoino dicebantur,conferens,non modica mentis perturbatione commotus sum: ob hoc præcipuè,quia nódum inuentum habebam consilium,quo illam execrabilem atque astutia diaboli vbique diuulgatam famam extinguere,ac de cordibus deceptæ multitudinis depellere potuissem.Illud tamen optimum iudicaui,vt Hildoinum rogarem idipsum mihi reddere,quod de meis scriniis sublatum,& ad se delatum atque à se receptum post illam spontaneam confessionem negare non poterat. Quod etiam quanta potui instantia facere curaui:& licèt ille paulò durior ac difficilior,quam optaueram,in assensione fuisset,victus tamen est sedulitate precum mearum, cessitque improbitati meæ,qui se paulò ante nullius iussioni,in hac præsertim causa,cessurum pronuntiauerat.

Obtinet ab Hildoino sublatas reliquias Einhardus.

IV. INTEREA missis ad Ratleicum & Lunisonem literis(Erãt enim in eo loco,vbi martyrum corpora collocaui) qualis per totam penè Galliam de iisdem sanctis martyribus fama esset, eis indicare curaui: commonefaciens eos, vt cogitarent si aliquid tale vel simile his,quæ Hildoinus de facto presbyteri sui asserebat, in via eorum aduertere vel reminisci potuissent.Qui statim ad me in palatium venientes,valde disparem his,quæ Hildoinus dicebat,fabulam detulerunt.Nam in primis omnia,quæ presbyter ille Hildoino retulerat,falsa esse testati sunt,neque vllam posteaquam Româ exierunt,vel illi presbytero vel cuilibet alteri datam fuisse occasionem, per quam ad eiusmodi facinus perpetrandum aditum habere potuisset. Sed hoc ipsum, quod de sacris martyrum cineribus aliter atque debuerat accidisse constabat.Romæ in domo Deusdonæ per auaritiam Lunisonis & vafritiam memorati presbyteri contigisse:eo videlicet tempore,quo corpus beati Marcellini de tumba sua sublatum,in domo Deusdonæ seruabatur:modumque facti talem fuisse dixerunt.Memoratus ille Hildoini presbyter spe,quam de S.Tiburtij corpore adipiscendo conceperat,frustratus,ne omnino vacuus ad dominum suum reuerteretur,quod fide non poterat,fraude assequi molitus est. Nam Lunisonem aggressus,quia pauperem ac proinde cupidum esse cognouerat,oblatis ei quatuor aureis nummis,quinisque argenti solidis,ad proditionem faciendam illexit. Accipiens enim oblatam pecuniam,arcam in qua corpus beati Marcellini erat à Deusdona depositum atque inclusum aperuit, & illi nequissimo nebuloni auferendi ex ea,quod vellet,qualem ipse optauerat potestatem fecit. Nec ille in ea rapina parcus fuit: nam tantum de sacris beati martyris cineribus sustulit,quantam vas sextarij mensuram habens capere posse videbatur.Hoc eo modo factum esse,ipse qui id cum memorato presbytero machinatus est Lunisо,pedibus meis prouolutus flendo testatus est. Tum ego rei veritate comperta, Ratleicum ac Lunisonem eò vnde venerant redire præcepi.

Vt nõnihil ablatũ fuerit de reliquiis S. Marcellini.

V. AC deinde cum Hildoino locutus, conuentione inter nos facta, quando sacræ mihi reliquiæ redderentur, duos clericos de domo nostra,Hiltfridum videlicet ac Filimarum(Alter presbyter,alter *subdiaconus erat)ad recipiendas eas Augustam Suessorum pergere iussi.mittens per eosdem ad locum,de quo eædem reliquiæ auferendæ erant,benedictionis gratia nummos aureos numero centum. Qui vbi ad monasterium S.Medardi in die Palmarum venissent per triduum ibi morati sunt & recepto illo,propter quem missi fuerant, incomparabili thesauro,comitantibus secum duobus ex eodem monasterio fratribus,quanta potuerunt celeritate ad palatium reuersi sunt.Reliquias tamen non mihi,sed Hildoino detulerunt. Quas ille recipiens,in oratorio domûs suæ fecit custodiri, vsque dum transactis Paschalis festi occupationibus vacuum tempus haberet, quo mihi id,quod reddendum erat,priusquam redderet ostendere potuisset.Completisque post sanctum Pascha octo vel eo amplius diebus, cum ex venandi gratia de palatio fuisset egressus.Hildoinus secundum quod inter nos conuenerat, memoratis reliquiis de oratorio suo,vbi seruabantur,sublatis atque basilicæ sanctæ Dei genitricis illatis,altarique suppositis, me vt eas *suscipere fecit acciri. Tum capsam in qua reliquiæ continebantur,aperiens ostendit mihi vt viderem quid esset,quod & ille redderet,& quod ego reciperem.Exin sublatam de altari eandem capsam manibus meis imposuit,dataque oratione competenti,præcentoris etiam officio functus,antiphonam laudi martyrum conuenientem clericis ad psallendum paratis imposuit,nosque cùm illo inæstimabili thesauro recedentes, vsque ad ostium basilicæ concinendo prosecutus est.Processimus inde paulatim cum crucibus & cereis,laudantes Domini misericordiam, vsque ad oratorium,quod erat in domo nostra vili opere constructum,eique quia aliud ibi non habebatur,illas sacras reliquias intulimus.

*diaconus

*inspicere

Nota quãti olim fecerint sacras reliquias etiam viri graues.

Inæstimabilis reliquiarum thesaurus.

VI. IN illa vero processione nostra,quam de basilica vsque ad oratorium nostrum nos fecisse dixi, quid miraculi acciderit,censeo non esse tacendum.Egredientibus enim nobis de ecclesia,laudemque Domino Deo nostro excelsa voce canentibus,tanta vis suauissimi odoris eam partem vici Aquensis, quæ ab ecclesia ad Occidentem respicit, totam impleuit,vt illa fragrantia penè omnes eiusdem partis habitatores,itemque vniuersi,qui pro quibuslibet causis atque negotiis eadem in parte fuerant constituti,ita diuinitus commouerentur,vt omissis quæ in manibus habebantur operibus,cuncti cursu rapidissimo primò ad ecclesiam,deinde quasi per vestigium ad oratorium nostrum, in quod illas reliquias illatas esse audierant,summoperè festinarent.Fit immodicus intra septa nostra exultantis simul atque admirantis populi concursus:& cum magna pars eorum,qui confluxerant,id quod agebatur quid esset ignoraret,gaudio tamen & exultatione repleti,Dei omnipotentis misericordiam collaudabant. Postquam autem fama crebrescente diuulgatum est,reliquias S.Marcellini martyris in eum locum esse delatas, non solùm de eodem vico Aquensi,& vicinis atque adiacentibus villis, verùm etiam de longinquioribus locis ac pagis adeò frequens atque immanis multitudo congregata est,vt nobis ad officium in eodem oratorio celebrandum, præter vespertinas horas atque nocturnas,haud facilis pateret introitus.Adducebantur vndique debiles,& varij affecti languoribus circa oratorii parietes à propinquis suis atque amicis collocabantur. Videres ibi pene omnia infirmitatum genera per virtutem Christi Domini,& per meritum beatissimi martyris in omni sexu & ætate curari.Cæcis visus, claudis incessus, surdis auditus, mutis sermo redditur:paralytici etiam & qui totius corporis viribus destituti,alienis manibus apportati sunt,sanitate recepta,propriis pedibus ad sua reuertebantur.

Nota de odore miri. fico sacrarum reliquiarum.

Permulti curantur morbidi ad sacras S. Marcellini reliquias.

VII. HÆC vbi ad regias aures relatione Hildoini perlata sunt, statuit primo, vt ad palatium regressus oratorium, nostrum in quo fiebant,martyrem venerabundus accederet: sed ne id faceret,eodem Hildoino suggerente prohibitus,ad maiorem basilicam reliquias deferri præcepit:ibique delatas,humili supplicatione veneratus est: celebratisque Missarum solenniis,obtulit beatis martyribus Marcellino & Petro quoddam prædiolum,situm iuxta fluuiũ Aram,vocabulo Ludouestropf,habens mansos quindecim,& vinearum aripennes nouem.Obtulit & regina cingulum suum,ex auro & gemmis factum,pensans libras tres. Quibus expletis,relatæ sunt reliquiæ ad locum suum,in oratorium videlicet nostrum,fueruntque in diebus quadraginta vel eo amplius, vsque dum Imperator palatio egrediens,vanandi gratia solenni more syluas peteret.Quo facto, & nos comparatis,quæ ad profectionem nostram necessaria videbantur,cum eisdem reliquiis de vico Aquensi promouimus.In ipso aũt nostræ egressionis articulo, cùm Missarum solennia celebrarentur,anus quædam in palatio notissima, annorum circiter octoginta, neruorum contractione laborans, in conspectu nostro curata est. Quæ, vt ipsa narrante didicimus, per quinquaginta annos hoc morbo detenta, more quadrupedum genibus manibusque nitendo officium ambulandi reptando impleuerat.

Ludouici Imperat. deuotio erga Sanctorum reliquias.

Contracta anus fit sana.

INDE

*sexto demum.

INDE iter ingressi, suffragantibus Sanctorum meritis* sextodecimo die Mulinheimum vicum, in quo sacros beatorum martyrum cineres ad comitatum profecturi dimisimus, Domino adiuuante peruenimus. In quo itinere quantum gaudij, quãtumque lætitiæ de illarum aduentu reliquiarum populis in eadem via consistentibus accesserit, neque mihi silendum est, nec tamen ita vt fuit, plene dici atque enuntiari potest. Dicendum tamen est, ne res ad Dei laudem maxime pertinens, quasi per desidiam silentio suppressa videatur. Ac primum quidem gestit animus id referre, q palatio egressi, in multorũ præsentia nos vidisse reminiscimur. Vurmius dicitur fluuiolus duobus fere passuum millibus ab Aquensi palatio distantem habens pontem. Ad quem venientes, propter multitudinem, quæ nos eousque de palatio prosequebatur, iamque redire volebat, vt orãdi locum haberet, parumper constitimus. Ibi quidam de orantibus cum alio ad reliquias accedens, sociumque respiciens, Propter amorem, inquit, atque honorem huius sancti ære alieno, propter quod te mihi obnoxium esse non ignorans, absoluo. Debebat ei, vt ipse fatebatur, dimidiam argenti libram. Idemque alter socium suum manu comprehensum ad reliquias trahens, Patrem, ait, meũ occidisti, ac proinde inimici eramus adinuicem. Nunc autem propter amorem atque honorem Dei, & huius sancti, deposita simultate, fœdus tecum iungere atque inire volo, vt abhinc in futurum perpetua inter nos amicitia permaneat: sitque hic sanctus condictæ in inuicem charitatis testis, & vltor in eum, qui hanc pacem prior irrumpere tentauerit. Hic illa turba, quæ nobiscum de palatio fuerat egressa, adoratis atque osculatis sacris reliquijs, cum multis lachrymis, quas præ nimio gaudio continere non poterat, domum reuertitur: alia multitudine, quæ ibi nobis obuiauit, nos comitante atque Kyrie eleison sine intermissione cantante, vsque ad eum locum, in quo simili modo ab aliis occurrentibus expiebamur. Quæ tunc similiter, vt prior, supplicatione facta ad sua reuersa est.

Res sane memorabilis de debito & iniuriis sponte remissis

Obserua priscorum, & veterem morem in reliquiarũ translatione seruatã.

IIX

HOC modo per singulos dies à prima luce vsque ad vesperam comitantibus, ac Domino Christo laudem dicentibus populorum turbis ab Aquensi palatio vsque ad memoratum Mulinheim vicum, Domino iter nostrum prosperante, peruenimus. Atque ibi illas reliquias super altare, ponè quod loculus sacros martyrum cineres continens positus erat, gemmata capsa reconditas collocauimus: fuerantque ibi sic positæ, vsque dum nos mense Nouembrio ad palatiũ ire parantes, per reuelationẽ admoniti sumus, ne prius de illo loco proficiscerem̃ur, quam eas corpori, de quo sumptæ erant, coniungeremus. Qualiter aũt reuelatum fuerit, vt hoc fieri deberet, non est silentio transeundum: quia non solum somnio, vt fieri solet, sed etiam signis quibusdam ac terroribus ad vigilantium curam pertinentibus, ostensum est beatos martyres omnimodis voluisse, vt in hac re iussio illorum fuisset adimpleta. Erat vnus de clericis, qui ad excubias basilicæ deputati fuerunt, nomine Landolphus, cui tunc signi tangendi cura commissa fuerat, habens stratum suum iuxta australem basilicæ ianuam. Qui cum secundum consuetudinem nocturni ac matutinalis officij solenni more surgeret, signumque moueret, completoque ante lucem eodem officio, rursum dormire vellet, clausis Ecclesiæ foribus, coram sanctis martyrum cineribus supplicandi gratia se prostrauit. Ibi cũ psalmum quinquagesimum, vt ipse asserit, dicere inciperet, audiuit iuxta se in pauimẽto velut sonitum pedum hominis, huc atque illuc ibidem deambulantis. Consternatusque pauore non minimo, erexit se paululum in genua, & in omnem partem circunspicere cœpit, æstimans aliquem de pauperibus, clausis ecclesiæ ianuis, in quolibet angulo delituisse. Cumque nullum alium quam se solum intra parietes basilicæ esse cerneret, iterum se ad orationem inclinauit, ac psalmum quem prius inchoauerat, repetiuit: sed antequam vnum eius versum complere potuisset, capsa quæ altari imposita sacras beati Marcellini reliquias continebat, repentino crepitu tam vehementer insonuit, vt quasi malleo percussa dissiluisse putaretur. Duo quoque ostia basilicæ, quæ iam clausa erant, occidentale videlicet atque australe, velut aliquo pulsante, atque impellente, simili modo sonuerunt.

Gemmata capsa reliquiarum.

IX.

QVIBVS exterritus ac stupefactus, cum quid sibi agendum esset penitus ignoraret, surgit ab altari, & in lectũ suum se pauitando proiecit: subitoque sopore depressus, vidit sibi quendam ignoti vultus virum assistere, qui se talibus verbis compellaret, Certumne est, ait, Einhardum sic ad palatiũ properare velle, vt reliquias S. Marcellini, quas huc detulit, prius in locum de quo sublatæ fuerant, non reponat? Cùm ille se huius rei ignarum esse respondisset, Surge, inquit, primo diluculo, eique ex authoritate martyrum præcipe, ne hinc abire vel alicubi pergere præsumat, antequam reliquias illas loco suo restituat. Expergefactus surrexit, & vbi me primum conuenire potuit, hoc quod sibi fuerat imperatum, mihi intimare curauit. Sed neque ego segniter in huiuscemodi negotio aliquid agendum arbitratus, imo id quod iubebatur, sine vlla morarum interpositione adimplendum esse iudicans, ipsa quidem die ea, quæ ad hoc necessaria videbantur, præparare iussi: Sequenti vero sacras illas reliquias corpori, de quo sumptæ fuerant, cum summa diligẽtia sociare curaui. Quod factum quam gratum beatissimis martyribus foret, attestatione miraculi subsequentis liquidò comprobatur. Nam proxima nocte cum ad matutinum officium in basilica solenniter sederemus, senex quidam gressuum officio destitutus, genibusque ac manibus nitens reptando ad orationem intrauit. Is coram omnibus nobis per virtutem Dei, & merita beatissimorum martyrum eadem, qua ingressus est, hora ita perfecte curatus est, & ad incedendum ne baculi quidem sustentatione vlterius indigeret. Qui etiam & surdum se per continuum quinquennium fuisse, simulque cum officio pedum auditum sibi redditum affirmabat. His ita peractis, ad comitatum, sicut superius me facere voluisse retuli, ibidem hyematurus multa mecum reputando profectus sum.

Visio cuiusdam.

Surdus & claudus sanex restituitur.

X.

SCRIPTVRVS virtutes atque miracula, quæ beatissimi martyres Christi Marcellinus & Petrus, postquam eorum sacratissima corpora de Roma in Franciam delata sunt, per diuersa loca fecerunt, imo quæ per illorum merita & pias orationes ipse rex martyrum Deus & Dominus noster Iesus Christus ad salutem hominum operari dignatus est: necessarium iudicaui breui præfatione perstringere, quod ex his quę scribere disposui, maior pars ad notitiam meam aliorum relatione perlata est: quibus tamen vt fidem haberem, ex his quæ ipse vidi & coram positus agnoui, tam firmiter mihi persuasum est, vt sine vllo dubitationis scrupulo vera esse crederem, quæ ab his dicebantur, qui se illa vidisse testati sunt, tametsi personarum, à quibus hæc audieram, aut paruam, aut nullã eatenus notitiã haberem. Cæterum de his omnibus ea primum scribenda videntur quæ in eo loco gesta, & à meipso visa sunt, ad quẽ suos sacratissimos cineres ijdẽ beatissimi martyres transferri præceperunt. Deinde illa, quæ in Aquensi palatio sub ipsis aulicorum obtutibus facta memorantur: tum ea quæ per diuersa loca, ad quæ religiosis viris petentibus ac metribuente, sacræ illorum reliquiæ delatæ sunt, gesta referuntur, censui esse ponenda: vt hoc ordine in relatione seruato, nihil remaneat ex omnibus signis atque miraculis, quæ ad nostræ paruitatis notitiam peruenire potuerunt. Sed iam nunc præfatione completa, ipsa quæ dicenda sunt, miracula proferamus.

Sacratissimi martyrũ cineres.

LI. III. Præfatio.

I.

POSTQVAM sacra beatissimorum martyrum corpora, sicut iam in superioribus demonstratum est, ipsis iubentibus & nobis morem gerentibus ad locum, in quo nunc requiescunt, cum ingenti fidelium populorum exultatione perlata, & celebratis in campo Missarum solenniis, manibus sacerdotum, quorum ibi tunc non paruus numerus erat congregatus, in basilicam deportata sunt feretrumque quo vehebantur iuxta altare positum est, & iterum aliud officium ibidem celebrari cœptum: subito quidam adolescens renum dissolutione affectus, atque ideo curuus ac baculis innitens, de media circũstantis populi multitudine prorupit, seque ad adorandum inclinare cupiens,

piens, in genua procubuit: sed mirum in modum velut aliquo se reuellente, vel potiùs retrahente, supinus cecidit, similisq; dormienti diutissimè iacuit. Tum quasi euigilans, in sessum se erexit: ac deindè post paululùm, nullo adminiculante surrexit, stansq; in medio circumfusæ multitudinis, vnà cum cæteris de recepta sanitate gratias agendo, Dei misericordiam collaudauit. Hic se de pago Portiano cum aliis pauperibus ac peregrinis illuc venisse, Danielemque vocari nobis percontantibus indicauit. Eadem ferè hora, eodemq;, vt ita dicam, momento, quo is, de quo nunc diximus, intra Ecclesiam & coram ipso altari per virtutem Christi & intercessionem martyrum sanitatem est consecutus, mulier quædam paralytica, & penè omnium membrorum officio destituta, pro foribus Ecclesiæ iacens, in auxilium suî sanctos martyres inuocauit, & mox cunctis cernentibus, qui circà steterant, cœpit commotis visceribus velut nauseabunda concuti, ac deindè magnam vim phlegmatis ac bilis vomendo proijcere. Quo facto, paululùm aquæ frigidæ sumens, de loco in quo iacebat, se leuari rogauit, & baculo nitens basilicam introiuit, adoratisq; martyribus ac recepto membrorum vigore, ad propria repedauit.

A dolescens contractus curatur.

Item paralytica.

II. Interea quidam homo Willibertus nomine, haud longè à basilica, in qua nunc beatorum martyrum corpora requiescunt, domum habens, inter cæteros, qui ad venerationem Sanctis exhibendam conuenerant, ad feretrum accessit, & quasi pro dono quadraginta denarios obtulit. Qui cùm à nobis fuisset interrogatus quis esset, quidq; sibi vellet huiusce muneris oblatio, retulit se ante paucos dies, grauissimo languore correptum, ad extrema fuisse perductum, adeò vt ab omnibus, qui se viderant, desperatus admoneretur, vt omnes facultates suas pro remedio animæ suæ celeriter erogaret: seq; ita fecisse. Iamq; omnibus quæ habebat, ad quæ pia loca danda forent, dispositis, vnum ex seruis suis cum ingenti gemitu fuisse conquestum, quòd perperam ac valdè negligenter ab eis factum esset in eo, quòd nihil de bonis eius Sanctis nuper de Roma venientibus datum esset. Tum se circumstantes interrogasse, si aliquid de rebus suis supersse scirent, quod ad martyres mitti potuisset. Erant * enim adhuc in Michilunstat, & nondum aliquibus signis inclaruerat, quòd indè migrare deberent. Tum quendam respondisse, quoniam de omnibus rebus eius vnus tantùm porcus remansisset, & non esse deputatum, quò dari deberet. Tunc sibi complacuisse, seq; præcepisse, vt venundaretur, & post obitum suum pretium illud ad martyrum luminaria mitteretur. Quibus verbis expletis, tam subitam se asserit sensisse medelam, vt protinùs omni dolore fugato, etiam edendi desiderium habuerit, ciboq; sumpto intantùm breui confortatus sit, vt in crastinum ad omne opus, quod rei familiaris necessitas postulasset, procurandum vel faciendum percommodè ire potuisset. Post hoc porcum illum fuisse venditum, & hoc esse pretium eius, quod ex voto beatis martyribus offerebat.

* *autem.*

Mira curatio hominis iam desperati, post votum martyribus nuncupatum.

III. Reliqvas virtutes atq; miracula, quæ per eos Dominus ad salutem hominum operatus est, quoniam quo ordine dicantur nihil referre video, ita vt memoriæ occurrerint, censui describenda: quia in earum relatione magis quid & quare, quam quando aliquid gestum sit, considerandum est. Collocatis igitur in eadem basilica more solenni beatorum martyrum reliquijs, cùm secundùm ecclesiasticæ institutionis consuetudinem sacra Missarum solennia quotidiè celebrarentur, contigit vt quadam die, cum diuina res ageretur, & nos in superioribus eiusdem Ecclesiæ locis constituti, super subiectum atq; inferioribus constitutum populum intenderemus, clericus quidam seminudus qui inter cæteros ad idem officium venerat, atq; in media multitudine consistebat, tam graui ruina subitò collapsus est, vt mortuo similis in pauimento diutissimè iacuisset. Quem cùm stertentem aliqui ex circumstantibus leuare atq; erigere conarentur, tanta vis sanguinis ex ore & naribus erupit, vt tota anterior pars corporis, id est, pectus & venter, & vsq; ad vestem, qua inguina tegebantur, hac esset exuberatione perfusa. Qui cùm allata aqua fuisset refocillatus, resumptis viribus clarè locutus est. Nam postmodùm à nobis interrogatus, testatus est se ab infantia sua vsque in præsens neq; audire aliquid, nec loqui potuisse. Patriam sibi esse Britanniam, se natione Anglum, matrem suam visitandi gratia, quæ Romæ peregrinaretur, iter arripuisse, atq; ita inter cæteros peregrinos, qui vnà Romam ire volebant, in illum locum peruenisse: sed socijs abeuntibus se substitisse, ipsumq; diem, quo sanus factus est, septimum esse ex quo in locum illum venerat. Cumq; ab eo nomen eius quæreremus, respondit se nomen suum penitùs ignorare, pro eo, quòd ex eo tempore, quo obsurduit, nunquam nomen suum audierit.

Clericus surdus & mutus fit incolumis.

IV. Exin post aliquot dies, cùm more solenni ad vespertinum officium in Ecclesia fuissemus congregati, puella quædam surda & muta, quam de pago Biturigum pater eius ac frater salutem quærendi gratia per multa Sanctorum loca trahentes, tandem illuc perductam inter cæteros in eadem Ecclesia stare fecerunt, subitò velut insania quadam excitata, tabulas, quarum crepitu ad eleëmosynam petendam vtebatur, quanta potuit virtute concussit, atq; in populum antè se constitutum, furibunda proiecit. Tum ad sinistrum Ecclesiæ parietem accurrens, velut in eundem ascensura, trium vel eo ampliùs pedum saltu in altum dato, supina corruit: & cùm ibi paululùm mortuo potiùs quam dormienti similior iacuisset, atq; eruptione sanguinis, qui ex ore ac naribus nimius profluebat, esset penè tota respersa, à circumstantibus sublata, atq; in medium basilicæ deportata est. Cumq; & ibi aliquamdiù iacuisset, velut de graui somno experrecta resedit: ac deindè manus his qui astiterant porrigens, vt in pedes erigeretur quibus poterat nutibus orauit. Erecta ad altare deducitur: vbi cùm Ratleicum inter alios clericos, qui iuxta altare constiterant, stantem ac se respicientem cerneret, protinùs in hæc verba prorupit: Tu es, inquit, Ratleicus: tu, ait, hoc nomine vocaris: tu es seruus horum sanctorum. Quam cùm ille percontaretur vndè hoc sciisset, vel quis ei nomen suum indicasset: Sancti, inquit, isti, qui hîc requiescunt, quando velut dormiens iacui, accesserunt ad me, & miserunt digitos suos in auriculas meas, dixeruntq; mihi: Cùm surrexeris, & ad altare accesseris, clericus ille iuuenis, quem coram te assistere, ac te intendere videris, scito quòd ille Ratleicus vocatur, & ille seruus noster est. nam ipse est, qui ad hunc locum corpora nostra detulit. Et reuerà ita erat. Siquidem ipse erat, quem propter sanctorum reliquias à quodam Diacono recipiendas, nobisq; referendas Romam nos misisse in primo libro memorauimus. Et hæc quidem hoc modo coram nobis per virtutem beatissimorum martyrum depulso infirmitatis spiritu, integerrimam corporis sui sanitatem est consecuta: quam pater ac frater qui eam illò deduxerunt, à tempore natiuitatis suæ surdam & mutam semper fuisse testati sunt.

Per visum Sancti fœminam surdam & mutam sanant

V. Miracvlvm autem, quod nunc narraturus sum, ego ipse non vidi, sed verbis eorum, quorum hoc relatione mihi compertum est, non minùs quam proprijs oculis credere possum. Ideoq; non vt auditum, sed potiùs vt à meipso visum, incunctanter, ac sine vlla dubitatione proferre decreui. Mercatores quidam de ciuitate Moguntiaca, qui frumentum in superioribus Germaniæ partibus emere, ac per fluuium Mœnũ ad vrbem deuehere solebant, cæcum quendam natione Aquitanum, nomine Albricum, mercedis à Deo promerẽdæ gratia naui suæ impositum, sicut ipse petiuerat, ad basilicam beatorum martyrum deduxerunt. Qui cùm ibi egressus, atq; in domo custodis Ecclesiæ esset hospitio receptus, septem vel eo ampliùs dies ibidem moratus est. Habebat enim præter cæcitatem, quæ ei propter quod oculis carebat, & naturalis iam esse videbatur, horribilem ac fœdam totius corporis infirmitatem. Erat enim omnium membrorum ingens tremor, qui eundem tam graui quatiebat incommodo, vt proprijs manibus cibum ori suo porrigere penitùs non valeret. Is cùm die quadam horis antemeridianis in hospitio iacens obdormisset, vidit per soporem quendam sibi assistentem, seq; monentem vt citò surgeret, atq; ad Ecclesiam festinaret: tempus dicens aduenisse, quo de illa miserabili passione per virtutem sanctorum liberari deberet. Expergefactus, atq; ad Ecclesiam

Visio hominis miserabilis.

ductus, pro foribus in quodam lapide consedit. Agebatur tunc in Ecclesia more solenni diuinum officium, & expletis orationibus quæ sacram Euangelij lectionem præcedere solent, ipsum legi cœptum est. Cuius cùm vix duo versus fuissent legendo completi, ecce repentè velut vim patiens, tremulosus ille vociferatus est, dicens: Adiuua me, sancte Marcelline. Quo clamore tametsi omnes, qui in Ecclesia erant, haud parua forent perturbatione commoti, maiore tamen parte propter reuerentiam euangelicæ lectionis in loco remanente, plures ad videndum quænam causa hiusce clamoris existeret accurrerunt: & vt postea testati sunt, inuenerunt eundem in eo, quo confederat loco, extento ac resupinato corpore iacentem, mentumq; ac pectus cruore ex naribus profluente inundatum. Qui cùm ab eis erectus, & paululùm aquæ frigidæ sumens fuisset recreatus, retulit sibi visum fuisse tunc, cùm illam vocem emiserat, quòd aliquis eum pugno in ceruicem percussisset, atq; ideò beati martyris auxilium imploràsset. Cæterùm hunc ictum tam salutarem ei fuisse constat, vt ex illo temporis momento nullum illius fœdæ agitationis vestigium in eius corpore vlteriùs appareret. Is postea per duos ferè annos in eodem loco mansit, & vt ipse testatus est, nulla nox in hoc biennio fuit, in qua per somnium eosdem, qui eum saluum fecerunt, martyres non vidisset, multa quoque ab eis audisset, quæ alijs dicere iubebatur: ex quibus pleraque nunc impleri cernimus, quæ ille tunc futura esse prædixit.

Redditur ei incolumitas à S. Marcellino.

VI. Post paucos dies vidimus & alium quendam simili morbo implicitum, in eadem basilica per eorundem sanctorum merita non dissimili morbo curatum. Nam quadam nocte cùm ad matutinum officium celebrandum, & diuinæ legis lectiones audiendas in Ecclesia sederemus, intrauit quidam habitu clericali, trementibus membris: baculoq; nitens, titubantia vestigia ægrè gubernabat. Cumq; se iuxta parietem ad orandum inclinaret, ingenti voce emissa, repentino casu cernuus ruit, ac parua temporis mora interposita, ab eo quo tenebatur incommodo sanus surrexit. Is, cùm ab eo quæreremus, si aliud aliquid præter quod nos omnes videre potuimus, sibi visum fuisset ea hora, qua salutem est consecutus: dixit se paulò antè, quàm basilicam fuisset ingressus, ad Ecclesiam veterem, quæ Occidentem versùs à noua basilica, in qua martyres tunc quiescebant, paruo spatio distabat, orandi gratia venisse, & cũ eam clausam offendisset, pro foribus orasse. Deindè cùm se erexisset, & ad Ecclesiam ire cœpisset, vidisse quendam clericum veneranda canitie, stola alba indutum, eò quò & ipse ire volebat se præcedentem. Quem, vt ipse asserit, secutus est vsq; ad ostium basilicæ: quò cùm ambo venîssent, is qui præcedebat substitit, sinistro posti se applicans, quasi vellet vt ille priùs ingrederetur, quem ipse paulò antè præcesserat: cunctantiq; vt antè se intraret, annuendo imperauit. Qui cùm intrasset, & ad orandum se inclinasset, post tergum eius stetit, & eum pugno in ceruicem percussit atq; prostrauit, & confestim euanuit. Quem tamen nemo alius, nisi solus ille qui sanatus est, videre potuit.

Sanitas restituitur etiam alteri morbido.

Visio eius.

VII. Svb idem ferè tempus, cùm quadam nocte surgentes, ad Ecclesiam iremus, inuenimus pro foribus Ecclesiæ quendam puerum in porticu iacentem, adeò miserabiliter contractum vt mento genua iungerentur. Qui vnum ex his, qui nos sequebantur, rogauit vt se in Ecclesiam deportaret, & ille misericordia motus sustulit eum, & in Ecclesia iuxta cancellos iacere fecit. Qui confestim irruente sopore, vbi iacuit obdormiuit, nec priùs euigilauit plenè, quàm de illa miserabili contractione per suffragia Sanctorum ita perfectè sanatus est, vt euigilans per se de loco, in quem alio portante delatus est, surgeret, atq; ad altare Deo gratias acturus accederet. Is tamen vbi dies illuxit, & nos cum eo loqui potuimus, retulit se tribus vicibus, priùs quam signum Ecclesiæ sonuisset, à quodam sibi ignoto clerico excitatum, atq; admonitum, vt nequaquam prætermitteret, quin tempore matutini officij in Ecclesiam veniret. Se quoq; ita fecisse, ac postea, sicut nos vidimus, in Ecclesia dormientem integram sui corporis sanitatem recepisse. Et hic quidem annorum circiter quindecim esse videbatur.

Puer miserè contractus reualescit.

VIII. Alivm itidem vidimus, non puerum, vt hic erat, sed valdè senem atq; decrepitum, pari morbo affectum, eodem in loco, simili modo simili in tempore curatum. Quem & ipsum nocte quadam, cùm propter matutinũ officium celebrandum ad ostium Ecclesiæ veniissemus, in ipso limine reperimus. Qui genibus nitens, duobus se baculis sustentabat, ac sic illo tardissimo motu ad ingrediendum nos morabatur. Cumq; post tergum eius constituti, illam pigram promotionem præstolaremur, tanta suauissimi odoris fragrantia de basilica procedens nares nostras impleuit, vt omnium aromatum ac thymiamatum artificiosam compositionem sua præstantia superaret. Intrauit tandem, & corã nobis iuxta cancellos quasi ad dormiendum procubuit: nos quoq; basilicam ingressi, nostris locis constitimus, ac simul cum alijs psalmos, qui dicebantur, solenni more cantauimus. At vbi prima lectio recitari cœpta est, audiuimus eundem senem gemere, & quasi qui vim pateretur, auxilium implorare, ac deinde interiecto parui temporis spatio, vidimus in sessum se erigere, ac protinus baculis, quibus incessum regere solebat, assumptis etiam in pedes constitisse. Et nos quidem hæc vidimus: ipse autem fatebatur sibi visum fuisse, quòd se iacentem quasi duo quidem apprehẽdissent, vnus per humeros & brachia, alter per crura & pedes, ac sic trahendo, neruos suos qui contracti erant extendissent. Et quia prẽter hoc contractionis incommodum etiam surdum se fuisse asserebat, dixit sibi cum in sessum fuisset erectus, velut ictum pugni validissimè ferentis in caput superueniisse, vocemq; simul vt in futurum audiret imperantis audisse. Hic senex hoc modo sanatus, de pago Heluetiorum qui nunc Aragaouin vocatur, se venisse, & natione Alamannum esse testatus est.

Odor suauissimus sentitur.

Senex contractus erigitur.

IX. Alivs autem simili modo neruorum contractione debilitatus, qui se de vico Leodico, vbi S. Lambertus corpore requiescit, venisse dicebat, quadam Dominica nocte post peractum matutinale officium nobis iam de Ecclesia regressis, cùm propter eos, qui de longè venerant, & ad sua redire festinabant, hostiæ salutaris sacramenta presbyter ex more celebraret, coram omnibus qui aderant in pauimentum cecidit, ibiq; paruo temporis spatio velut soporatus iacuit. Dein quasi de somno expergefactus, nemine se subleuante surrexit. Cumq; vnus ex circumstantibus baculos, quibus antè vti solebat, & cùm caderet, de manibus eius elapsi procul iacebant, sumeret, eiq; porrigeret, renuit dicens: Absit à me, vt eos vlteriùs attingam. Sed & iste ad hunc modum curatus, in patriam repedauit, de qua reptando potiùs quàm incedendo, ad martyrum limina peruenerat.

Redit salus etiam alteri contracto.

X. Nec multò post, cùm ego mense Nouembrio secundùm consuetudinem in palatio hyematurus, ad comitatum ire disponerem, iamq; iter ingressus, transmisso flumine Rheno, in villam regiam, cui Sinciacus vocabulum est, ad manendum venirem, & post cœnam, quæ aliquam noctis partem occupauerat, in cubiculi secretum, vbi quieturus eram, cum familiaribus meis me recepissem, minister qui potum nobis porrigere solebat, quasi noui aliquid nuntiaturus festinanter intrauit. Quem ego intuitus: Quid tu, inquam, narrare vis? Nam vt video, habes nescio quid, quod ad nostram vis perferre notitiam. Tum ille, signa, inquit, duo coram nobis modò facta sunt, quæ vobis indicare veni. Cumq; eum quicquid vellet dicere iussissem: Modò, ait, cùm de cœna surgentes hoc cubiculum intrastis, ego cum socijs meis descendi in cellarium, quod huic cœnaculo subiectum est. Vbi cum ceruisiam ministris petentibus distribuere cœpissemus, superuenit puer missus à quodam conseruo nostro flasconem ferens, quem sibi impleri flagitabat. Qui cùm esset impletus, petijt vt etiam sibi de eadem ceruisia quantulumcunq; daretur ad bibendum. Datum est in vase, quod casu vacuum supra cupam, in qua ceruisia erat, positum fuerat. Sed vbi hoc hausturus ori admouit, cum ingenti admiratione vinum hoc, non ceruisiam esse clamauit. Cumq; eum is, qui & flasconem impleuerat, & idipsum, quod illi datum fuit, de eodem foramine traxerat, mendacij cœpisset arguere: Sume, inquit, & gusta,

Ceruisia mutata in vinum.

& gusta,& tunc me non falsum, sed potiùs verum dixisse probabis. Sumpsit ille atq; gustauit,sibiq; similiter vinum hoc,non ceruisiam sapere testatus est. Tunc tertius & quartus cæteriq;, qui aderant,singillatim gustando & mirando,totum quod in vase fuerat,ebiberunt.Quotquot autem inde gustauerunt,meri,non ceruisię id saporem habuisse testati sunt.Intereà cùm in huius signi admiratione attoniti stuperent,contigit,vt cereus,cuius lumine ibidem vtebantur, & tunc propter cupam parieti affixus ardebat, nemine contingente in madens humore pauimentum caderet,atq; ita esset extinctus,vt ne paruissima quidem in eo scintilla remaneret.Quem vnus eorum arripiens,ad ostium cucurrit, sed horrore tenebrarum permotus, priusquam egrederetur, in ipso limine stans. Sancti,inquit,martyres Marcellinus & Petrus nos adiuuent.Ad quam inuocationem cereus ille,quem manu tenebat,accensus est. Hæc vbi audiui,confestim Deo omnipotenti,vt par erat, laudem dixi & gratias egi, qui sanctos suos semper & vbiq; glorificat,& nos famulos suos,qui sacras eorum reliquias tunc nobiscum habebamus, de tantis virtutibus lætificare dignatus est. Illum autem,qui hæc mihi nuntiauit, expleta narratione ad mansionem suam secedere iussi. Cæterùm cùm me ad quiescendum in lectulo collocassem, cœpi mecum multa voluendo tractare atq; mirari,quidnam sibi vellet, quidve portendere posset illa ceruisia in vinum, id est, deterioris potionis in meliorem facta mutatio: aut cur in eo loco, id est,in regia domo, ac non potiùs in eo,vbi beatorum martyrum, qui hæc prodigia per virtutem Christi fecerunt,sacratissima corpora recondita sunt, huiuscemodi miraculum euenisset. Sed licèt ad huius quæstionis certam indaginem longa ac solicita cogitatione peruenire nequirem, certum tamen habui & certum semper habebo, illam diuinam atque supernam virtutem,per quam hæc atque alia huiusmodi miracula fieri creduntur, nihil vnquam sine causa vel facere vel fieri sinere in creaturis,quas ad suam prouidentiam & gubernationem pertinere non dubito.

Cereus diuinitùs accenditur.

VI.

XI. IGITVR inde digressus,sicut superiùs dixi,ad comitatum perrexi. Nam Imperator Ludouicus eo tempore Aquisgrani palatio consistens, conuentum procerum ibi fieri media ferè hyeme præceperat: vbi & ego inter cæteros adesse iussus,quia de vicinia beatorum martyrum abesse cogebar,parùm iucundas in palatio moras faciebam. Ideoque post vnum,ex quo illò veneram, mensem exactum,misi quendam ex nostris, nomine Ellenhardum,præcipiens ei,vt ad limina beatorum martyrum quanta posset celeritate festinaret,visitatisq; fratribus nostris, quos inde digrediens ad diuinum seruitium faciendum ibi dimiseram,atq; omnibus,quæ ibidem agerentur,diligenter exploratis,ad nos citò recurreret.Qui cùm illuc veniisset,tribus ibi mansit diebus.Quarto verò cùm iam ad nos reuerti disponeret, cæcus ille,nomine Albricus,cuius in superioribus fecimus mentionem, detinuit abire parantem,affirmans eum non priùs iter suum ingressurum, quàm tale signum fieri vidisset, cuius relatione me lætum atq; oppidò gaudentem efficeret. Addidit etiam,beatissimos martyres præterita nocte sibi in somnis apparuisse,atq; hoc in mandatis dedisse,vt perquireret quendam pauperem, nomine Gisalbertum, immani gibbo depressum ac proinde curuum & breuibus baculis innitentem, atque inuentum in cœnaculo,quod supra porticum basilicæ est, tempore matutini officij iuxta reliquias,quæ ibi erant, collocaret, eò quòd ibi per merita & virtutem Sanctorum, quorum illæ reliquiæ essent, de illa gibbi deformitate atq; curuitatis incommodo liberari deberet. Paruit ille suadenti,atq; iter,quod aggredi parauerat,distulit in crastinum. Ac cæcus ille iussum pauperem perquirens inuenit,& vt sibi præceptum erat,in superioribus Ecclesiæ partibus iuxta prædictas reliquias officij matutini tempore collocauit. Erant autẽ illæ reliquiæ,quod nondum noueramus,beati Marij martyris,& vxoris ac filiorum eius,Marthæ videlicet,Audifacis & Habacuc. Quæ vtiq; simul cum sanctorum Marcellini & Petri corporibus, & in eodem loculo ad nos perlatæ sunt: sed is qui eas detulit, cuius essent reliquiæ nesciuit. Nam ille,qui eas mihi miserat,promisit se ad me esse venturum, ac nomina Sanctorum,quorum hæ reliquiæ forent, per semetipsum mihi indicaturum, quod postea factum est. Pauper verò,qui iuxta illas à memorato cæco fuerat collocatus,cùm secunda lectio ad nocturnum officium ex more legeretur, edito ingenti clamore,non modicum pauorem audientibus incussit.Ad quem cùm nonnulli clericorum vnà cum illo,qui hoc ibi opperiri iussus fuerat accurrissent, inuenerunt eum pronum atque extensum prope altare iacentem, pauimentumq; quod ori eius subiectum erat,plurimo sanguine madens.Quem leuantes, & allata aqua refocillantes,sanum & rectum, neque vlla camelinæ illius tortitudinis signa retinentem in inferiores Ecclesiæ partes gratulabundi deduxerunt. Quo miraculo in hunc modum peracto,is quem illuc miseram,ad me cum summa festinatione regressus,cùm ea quæ viderat retulisset,magno nos gaudio atq; exultatione repleuit.

Conuentus procerum Aquisgrani An. 828.

VII.

Sancti martyres apparent cuidã.

XII. NEC multò pòst Ratleicus,qui sacros martyrum cineres,sicut in superioribus demonstrauimus,Roma detulit, vt ipse asserebat,iussus venit,deferens libellum complura capitula continentem. Cuius rationem talem esse retulit, dicens sibi cæcum illum, cuius modò fecimus mentionem, ex authoritate martyrum præcepisse, vt ea capitula describeret,mihiq; deferret,ac diceret vt ea susciperem, atq; Imperatori legenda offerrem. Suscepi ab eo libellum atq; perlegi,emendatumq; ac nouiter scriptum Imperatori,vt iusserat,obtuli.& ille quidem suscepit atq; perlegit: sed de his,quæ per hunc libellum facere iussus vel admonitus fuerat,perpauca adimplere curauit.Quid autem illa capitula continerent,aut quid ab eo factum,quidue dimissum sit,alio potiùs in loco,quam in isto,commemorandum est. Illud tamen non solùm non prætereundum, quinimò apertè ac dilucidè censeo conscribendum, qualiter reuelatum & iussum sit,vt libellus ille fieri,atq; regi dari debuerit quæ Ratleicus hoc modo contigisse retulit. Ante paucos,inquit,dies cùm in Ecclesiam ad agendum nocturnum officium ex more conuenissemus,adijt me cęcus ille,quem nôstis, rogans vt in partem aliquam secretiorem cum illo secederem. Feci vt volebat,& cum eo cellulam,in qua quiescere solebam, ingressus sum. Tum ille prior, Hac,inquit,nocte paulò antè quàm sono signorum excitati surgeremus,apparuit mihi per visum quidam vir canitie venerabilis,veste candida indutus,virgam auream manu tenens,ac talibus me verbis compellauit: Vide,inquit,Albrice,vt cuncta quæ tibi dixero,benè intelligas,eaq; adeò tenaci memoria retineas,vt etiam aliis,qui illa scripturi sunt,exponere valeas. Volo enim vt scribantur,& Ludouico Imperatori ad legendum per seniorem vestrum ostendantur. Sunt quippè valdè necessaria non solùm ad cognoscendum, verùm etiam ad faciendum principi,in cuius regnum isti martyres diuina iussione venerunt. Tunc incipiens,duodena vel eo amplius capitula per ordinem pronuntiauit, mihiq́ue præcepit, vt tibi & aliis quatuor, quos tibi dicturus sum,illa enumerem atq; exponam. Et post hæc tu libellum facias, eumq; seniori tuo, qui nunc in palatio moratur, deferas, eiq; ex martyrum authoritate præcipias,vt eundem quantò celeriùs possit,Imperatori offerat. Deinde subiungens,Nostine,inquit,quis ego sim,qui tibi ista præcipio? Tum ego nihil hæsitans,sanctum Marcellinum eum esse respondi. Et ille, Non ita est,inquit,vt opinaris: sed Gabriel Archangelus ego sum,personamq; ac formam Marcellini idcircò assumpsi, quia Dominus Deus omnium rerum atq; causarum,ad istos martyres pertinentium, curam mihi commisit: & nunc veni, vt hæc tibi indicarem, quæ scribere præcepi: quoniam diuinæ voluntatis est,vt ea ex authoritate eorum ad notitiam regis sine morarum interpositione perueniant. Tu verò sicut tibi præcepi, primo diluculo post completum matutinum officium nuntia quæ audîsti his, quibus ea nuntiare iussi. Tum ego, Nemo est, inquam,qui credat,quod Angelus mecum locutus sit,aut me ista nuntiare mandauerit. Non erit,inquit,ita,sed dabo signum,quod facias coram eis: quo viso, nullam vltrà dubitationem habebunt de his, quæ ad eos ex mea iussione pertuleris. Proindè volo dicas Ratleico, vt exhibeat tibi duos cereos nouos, qui nondum accensi fuissent: & vnum ex eis dextra, alterum sinistra tenens, sta coram altari: & cùm omnia,quæ tibi præcepi, narrando compleueris,

Reliquiæ Marij, Marthæ, Audifacis & Habacuc martyrum.

Gibbosus & curuus sanatur.

Libellum quendam iubent martyres Ludouico Imp. offerri.

Visio cuiusdam.

Euidenti signo visionis veritas comprobatur.

dic eis qui hæc audiunt, vt in hoc credant vera & ab Angelo Dei esse mandata, quæ dixisti, si hi cerei in manibus tuis sine adhibitione ignis visibilis fuerint videntibus illis illuminati. Quo facto, scriptus est libellus, mihiq; allatus, ac per me regi oblatus, ab illo quoq; acceptus atq; perlectus est. Idcircò visum est mihi, inter cætera miracula libelli huius facere mentionem: quia per occasionem, qua ille scribi iubebatur, contigit illa mirabilis & inusitata cereorum accensio, quam per merita beatorum martyrum fieri debere ipse, qui eos illuminauit, Angelus prænuntiauit.

XIII. SVB idem ferè tempus, cùm Ratleicus à nobis ad basilicam martyrum regressus est, allatus est nobis indè alter libellus, continens verba & ratiocinationem cuiusdam dæmonis, qui se Wiggonem nominauit: quæ facta est ab eo coram multis testibus antè altare, iuxta quod sacri martyrum cineres repositi sunt, ad interrogationem presbyteri, qui exorcismum super energumenum legerat: quod hoc modo contigisse narratur. Prædium est in pago Nithagonne, vocabulo Hecgstat, pertinens ad monasterium S Nazarij: de quo puella quædam annorum circiter sedecim, ab eodem erratico spiritu possessa, ad basilicam martyrum à parentibus suis adducta est. Quæ cùm antè tumbam sacra corpora continentem venisset, & presbyter super caput eius exorcismum secundùm consuetudinem perlegisset, ac deindè dæmonem qualiter & quando in eam fuisset ingressus percontari cœpisset: non barbara lingua, quam solam puella nouerat, sed Romana locutione presbytero respondit. Cumq; presbyter miraretur atq; interrogaret, vndè illi Latinæ linguæ notitia, cùm parentes eius, qui ibi præsentes astabant, huiuscemodi sermonem penitùs ignorarent, Parentes, inquit, meos nunquam vidisti. Tum presbyter, Tu ergò, inquit, vndè es, si isti non sunt parentes tui? Et dæmon per puellam, Ego, ait, sum satelles atq; discipulus satanæ, & multo iam tempore apud inferos ianitor fui: sed modò per annos aliquot cum socijs meis vndecim regnum Francorum vastaui, frumentum & vinum, & omnes alias fruges, quæ ad vsum hominum de terra nascuntur, iuxta quod iussi eramus, enecando deleuimus, pecora morbis interfecimus, luem ac pestilentiam in ipsos homines immisimus: omnes quoq; aduersitates & cuncta mala, quæ iamdiù pro meritis suis patiuntur, nobis facientibus atq; ingerentibus, eis acciderunt. Hîc cùm presbyter ab eo quæreret, quanam de causa ei fuisset huiusmodi concessa potestas: Propter malitiam, inquit, populi huius, & multimodas iniquitates eorum, qui super eum constituti sunt: qui munera & non iustitiam diligunt, qui plùs hominem quàm Deum metuunt: qui pauperes opprimunt, viduas & pupillos ad se vociferantes exaudire nolunt, nulli iustitiam nisi mercanti faciunt. Præter hæc sunt & alia multa ac penè innumerabilia, quæ tam ab ipso populo, quàm à rectoribus eius quotidiè committuntur: vt sunt periuria, ebrietates, adulteria, homicidia, furta, rapinæ: quæ nemo fieri prohibet, & cùm facta fuerint, non est qui vindicet. Potentiores quiq; turpibus lucris inseruiunt, & loco superiore, quem propter regendos inferiores acceperunt, ad superbiam & inanem gloriam abutuntur: odium & inuidiam non tam inter extraneos, quàm inter propinquos & affinitate coniunctos exercent: amicus amico non credit: frater fratrem odit: pater filium non diligit. Rari sunt, qui fideliter ac deuotè decimas dent: rariores, qui eleëmosynas faciunt. Et hocideò, quia quicquid Deo vel pauperibus dare iubentur, id sibi perire arbitrantur. Iniquas mensuras & iniusta pondera, contra Dei præceptum habere non verentur: fraude se alterutrùm circumueniunt, falsa testimonia dicere non erubescunt. Dies Dominicos ac feriatos non custodiunt: sed in his, ac si in cæteris, prout voluntas eorum tulerit operantur. Propter hæc & alia multa, quæ Deus aut præcepit hominibus vt facerent, aut prohibuit ne facerent, quia populus hic per contumaciam mandatis eius inobediens effectus est, permissi, immò iussi sumus ea facere in rebus humanis, quæ superiùs enumerauì, vt perfidiæ suæ pœnas luant. Sunt enim perfidi atq; mendaces, cùm hoc seruare non curant, quod in baptismo promiserunt. Hæc omnia dæmon per os barbaræ puellæ Latinè locutus est. Et cùm presbyter imperando vrgere cœpisset vt exiret, Exibo, inquit, non propter tuum imperium, sed propter Sanctorum potestatem, qui me in illa diutiùs manere non permittunt. His dictis, puellam in pauimentum proiecit, atq; ibi aliquantulùm velut dormientem prono corpore iacere fecit. Post paululùm verò illo recedente quasi de somno euigilans, per virtutem Christi & merita beatorum martyrum puella cunctis, qui aderant, cernentibus atq; mirantibus sana surrexit, nec post exactum à se dæmonem Latinè loqui potuit: vt palàm posset intelligi, non illam per se, sed dæmonem per os eius fuisse locutum. Heu proh dolor ad quantas miserias tempora nostra sunt deuoluta, in quibus non boni homines, sed mali dæmones doctores sunt: & incentores vitiorum, ac persuasores criminum, de nostra nos correctione commonent.

Videcõcionatorẽ dæmonem, carpentem vitia, quorum ipse incentor est.

Diabolus per obsessam puellã multa Latinè loquitur

Sanctorum potestatẽ cogitur dęmõ exire è pũella.

XIV. EODEM ferè tempore sanctimonialis quædam, nomine Marethrudis, de pago Wetareiba, quæ dira paralysis ægritudine per decem annos tam immaniter tenebatur, vt tanto temporis spatio penè nullo ad humanos vsus corporis officio fungeretur: etiam à parentibus suis erat desperata, quoniam ad omnia Sanctorum loca, ad quæ ipsi poterant peruenire, eandem deduxerant. Sed tandem ab eisdem tunc ad basilicam martyrum adducta, & tempore nocturnalis officij iuxta cancellos posita, per merita & intercessionem eorundem Sanctorum diù desiderata sanitate sine mora donata est adeò integrè atq; perfectè, vt omnium membrorum firmitate recepta, quæ illuc lectica venerat, pedibus ad propria remearet. Sed vbi domum redire cœpit, in ipso itinere eadem, qua liberatam se gaudebat, infirmitate corripitur. Itaq; reuersionis suæ pœnitentiam agens, iterùm se ad martyrum limen reduci rogauit. Moxq; vt reducta est, quam discedendo amiserat, sanitatem sine vlla dilatione recepit. Voto igitur facto, vt sua sponte de Sanctorum obsequio iam ampliùs discedere non deberet, paruam sibi cellulam haud procùl ab Ecclesia ad manendum construxit: ac deinceps religiosè conuersata, in obsequio beatorum martyrum cum magna deuotione permansit.

Paralytica desperatas integerrimè reuale-scit.

XV. ALIAM quoq; fœminam constat non multò pòst per eosdem beatissimos martyres magno incommodo liberatam: quæ res hoc modo gesta esse cognoscitur. In pago Nithagonne fundus est, Vrsella vocatus, qui à basilica martyrum sex ferè leucarum interuallo dirimitur. In quo mulier quædam cùm manè facto de somno euigilans in lecto suo resideret, & iuxta consuetudinem expergiscentium protensione brachiorum & assidua oscitatione ad discutiendum marcorem se extenderet, os paulò diductiùs, q̃ debebat, aperuit, disiunctisq; iuxta aures maxillarum coagmentis, hians rictus constitit immobilis: nec iam os claudere valens, personæ q̃ homini, simili or effecta, grauissimas incautæ oscitationis pœnas luebat. Hoc vbi mulierculis in eodem fundo habitantibus innotuit, accurrunt, herbisq; & friuolis incantationibus malè habenti succurrere moliuntur. Sed non habuit effectum vana ac superstitiosa præsumptio, vexabatque potiùs laborantem atq; lædebat, quicquid imperitæ manus velut studio medendi eidem adhibuerunt. Interea frater mariti eiusdem mulieris superuenit, salubriq̃ue consilio rogauit, vt ad basilicam martyrum sine mora duceretur, ibi affirmans esse sanandam, si vnquam foret receptura sanitatem. Statimq; iumento impositam ducere incipiunt: appropinquantes autem basilicæ, de iumento depositam pedibus incedere faciunt. Cumq; eo loci ventum esset, vt iam turricula, quæ signa basilicæ continebat, ab eis conspici potuisset, eiq; vt ad eam videndam oculos leuaret hi, qui eam ducebant, impetrarent, aspexit, vidit, ac sine vlla interposita mora sanitatẽ recepit. Ibi omnes pariter in terram corruunt, diuinam misericordiam, quibus valent laudibus extollunt, surgentesque ad basilicam properanter pergunt: & adoratis sanctissimis martyribus, ac votis pro modo facultatum persolutis, ad propria cum multa exultatione reuertuntur. Vidimus nos eandem fœminam, & cum illa locuti sumus, & ea quæ circa illam gesta fuerunt, ipsa narrante didicimus.

Signa basilicæ, cãpanas dicit:

Admiranda curatio fœminæ cuiusdam.

XVI. NVNC illud referre volo, quod ipse in die natalitio beatorum martyrum contigisse vidi. Puer quidam surdus & mutus, qui antè triennium illuc venerat, & in domo custodis ecclesiæ ostiarius ab eo fuerat constitutus, festo die iam finito,

finito, & officio vespertino consummato, cum iuxta ostium sederet, repentè consurgens basilicam intrauit, & à dextris altaris pronus corruit. Cumque eum ædituus, qui candelabrum cum cereo ante altare ponebat, ibi iacentem inuenisset, continuò mihi hoc indicare curauit. Nos autem, qui tunc vnà eramus Ecclesiam celeriter ingressi, eundem sicut ab ædituo repertus est, iacentem inuenimus. Quem cùm leuare iuberemus, velut grauissimo sopore depressus excitari non potuit. Tandem igitur quasi euigilans erexit se, cernensq; nos circumstantes surrexit, atque ad eos, qui propè sibi assistebant, Latinè locutus est. Sunt quidam ex nostris, qui dicunt eundem puerũ ferè ante 6. menses, cum in cuiusdam hominis nostri domo noctu dormisset, duo quædam verba per soporem fuisse locutum, & auditum, quo eatenus itidem vt loquela carebat, in illa hora recepisse. Quod ita factum inde conijciebatur, quia postquam de illo somno experrectus est, cuncta quæ ei à quolibet imperabãtur, acsi intelligeret facere curauit. Sed hoc videtur in hac virtute præcipuum, quòd idem non Latinè sed hebraicè sibi loquentem intelligebat: curatus autem, non barbaro, sed Latino sermone loquebatur. Qui etiam beatos martyres se vidisse, & multa quæ alijs dicere deberet, ab illis se audisse narrauit. Sed cum ea velut in crastinum dicturus, in præsenti referre distulisset, intantum illi per obliuionem deleta sunt, vt nihil de his omninò se audisse recoleret. Hunc ego, quia nomen suum ignorabat, propter prosperum virtutis effectum Prosperem vocari iussi. Qui adhuc supersest, & apud custodem Ecclesiæ in eodem, quo prius fuerat, permanet officio.

Puer surdus & mutus, cùm nesciret Latinè, postquã sanatus est, sic locutus est.

XVII. PRIDIE verò quam hic Prosper loquelam recepisset, hoc est, in vigilia eiusdem festiuitatis venit quidam iuuenis, similiter surdus & mutus in basilicam: & cùm supplici gestu opem Sanctorum imploraret, adiuuante Domino, & ipse plenariam de vtroque morbo meruit recipere sanitatem. Hunc itidem, vt priorem, quia nomen suum nunquam audierat, Godescalcum appellaui. Is tamen, non vt Prosper, sed vt sibi gentilitium erat, barbaro sermone loquebatur, postquam ei per merita Sanctorum copia fandi concessa est.

Alius curatur surdus & mutus

XIIX. CVM me quædam necessitas secundum consuetudinem comitatum regis adire compelleret, mense Decembrio in ipsis, si benè recolo, Calendis de loco martyrum promouens, sequenti die ad castrum, quod moderno tempore Wisibada vocatur, ibi mansionem habiturus adueni. Ibi cum propter saltum, qui eidem loco contiguus est, commodiùs transeundum solito maturius surgeremus, profecti sunt pueri, qui nos cum impedimentis præcedere debuerunt. Sed postquam de vico, in quo mansimus, egressi viam carpere cœperunt, tanta eos tetræ noctis caligo circumdedit, vt quò se vertere deberent, omninò scire non possent. Erat præterea frigus ingens, & tecta pruinis terra, videndæ viæ copiam denegabat. Ipsa quoque montium iuga, per quæ eundum erat, nubibus obsessa, quam longè vel propè essent videri non poterant. Accessit ad hæc etiam vallibus insidens nebula, quæ sua crassitudine visum impediens, iter moliri cupientes remorabatur. Qui cum tot obstaculis se impediri cernerent, nec quid agerent in promptu haberent, equis desiliunt, & viam quam videre non poterant, palpando quærere tentant. Sed vbi hoc parum successit, ascensis denuò equis, errori quem abominabantur, se potius committere, quam moras facere decernunt. Igitur paululum per tenebras procedentes, ad Crucem, quæ in via, per quam ituri erant, ob memoriam beati Marcellini erat posita, perueniunt. Causa autem eiusdem Crucis ibi ponendæ erat, quòd in eo loco habitatores vici, in quo eadem nocte mansimus, mihi ante biennium de palatio reuertenti, & reliquias beati martyris Marcellini, quæ tunc mihi redditæ fuerunt, deferenti occurrerunt, eamque ob recordationem huius facti ad venerationem beati martyris, quasi pro titulo vel monimento ponere curauerunt. Quò cum prædicti pueri errando potius, quam iter agendo peruenissent, iniêrunt consilium, vt ibi socios suos qui sequebantur operiri deberent, eosque ne aberrarent, sonitu buccinæ ad se congregarent: ac deinde cum simul essent, beatos martyres ad opem sibi ferendam inuocarent, sublatisque in altum vocibus Kyrie eleison ter decantarent. Quo facto, tantus super eos totidem vicibus cælitus emissi luminis fulgor emicuit, vt diurnæ claritatis candorem adæquaret. Quæ coruscatio tantum eis commodi ad iter suum agendum attulit, vt consumpta nebula tenebrisque discussis, via quoq; qua ire debebant, clarè conspecta, iter suum, quamuis per syluas & opacos nemoribus montes, absq; erroris impendimento vsque ad ortum auroræ perageret. In prima siquidem coruscatione tantus calor vnà cum illo lumine venit, vt eum se velut accensæ fornacis vaporem sentire faterentur. Cuius afflatu non solum nebula, verum etiam illa, quæ tum & montes totamq; syluam operuerat, pruina ita consumpta est, vt tertia coruscatione peracta, nullum illius algoris vestigium penitus appareret. Hæc nobis ad vesperam eiusdem diei, postquam ad mansionem venimus, hi qui viderunt atque experti sunt, narrauerunt. Quorum verbis fidem adhibentes, Dei omnipotentis misericordiam cum gratiarum actione laudauimus, eò quòd nos per merita Sanctorum suorum in omnibus necessitatibus nostris adiuuare & consolari dignatus est.

Crux in S. Marcellini memoriam posita in via publica.

Illustre miraculum ad inuocationem martyrum.

XIX. QVANQVAM omnia magna sint, & ad diuinam debeant referri potentiam, quæ propter mortalium salutem ex meritis beatorum martyrum gesta cognouimus: in eo tamen miraculo, quod nunc memoriæ mandare decreui, tam patenter Dei omnipotentis virtus clarè cognoscitur, vt nulli dubium relinquatur, quin in omni creatura sua quicquid voluerit facilimè possit efficere. Suntiligna dicitur villa in pago Nithagouue, in qua presbyter quidam, nomine Waltbertus, tenebat Ecclesiam. Is mente captus magno suorum mœrore, ad basilicam martyrum adductus est. Ex quibus tres erant fratres eius, vnus presbyter & duo laici: quartus erat monachus propinquus ipsius de monasterio Hornbach, in quo & ipse presbyter à parua ætate fuerat educatus. A quibus cum requirerem, si adhuc aliquid medelæ à quolibet Medico eidem fuisset impensum, Statim, inquiunt, cũ eum hac passione comperimus fuisse correptum, ad monasterium in quo nutritus fuit, à nobis adductus est. Vbi cum ei Medici secundum artis suæ peritiam multa fecissent, nec morbum ab eo depellere potuissent, suaserunt nobis amici nostri, vt eum ad horum Sanctorum misericordiam duceremus. Confidimus enim, quòd illum saluare possint, sicut alios multos accepimus hîc fuisse saluatos. Post hæc hospitio recepti, quatuor diebus fuêre nobiscum, ducentes eum quotidiè ad Ecclesiam, & coram sacris martyrum cineribus iacere facientes. Quinta verò die, frater eius presbyter, & monachus qui cum eo venerat, petierunt vt eum cum duobus fratribus suis laicis reciperem, donec ipsi reuerterentur. nam post triduum se dicebant esse reuersuros. Feci, vt voluerunt, eumq; presbytero nostro Hilfrido commendaui. Is cum à presbytero receptus, & cellulam in qua ipse manebat, fuisset inductus, circa vesperam eiusdem diei commota vehementius, qua tenebatur, insania, vnum è fratribus suis, qui eum custodiebant, arrepto cultro, quod furenti casus obtulerat, voluit occidere: sed ille necem fugiendo declinauit, & nostris hominibus, qui propè erant, de vesania illius indicauit. Tum presbyter, cui cura eum custodiendi à nobis erat iniuncta, suggessit mihi simulq; persuasit, vt eum vinciri permitterem. Vinctus igitur catenis ferreis, in lecto collocatur, obseratisq; foribus, solus in cubiculo relinquitur. Excubant ante ostium fratres eius, & velut erumpere valentem peruigili cura custodiunt. Cæterùm vincula quibus tenebatur adstrictus, eiusmodi erant, vt dum in his esset, non in dextrum aut sinistrum latus se conuertere, neq; aliter nisi supino corpore iacere potuisset. Dormiuit itaq;, vt ipse testatur, neq; ante mediam noctem euigilauit. At vbi galli cantare cœperunt expergefactus, vidit se non solum vinculorum nexibus solutum, verùm etiam morbo insaniæ, quo laborauerat, liberatum: statimque ad laudes Deo dicendas tota mente conuersus, psalmis & hymnis, quos præ nimia gratulatione tametsi solus erat, satis clarè decantabat, omnes in vicinia eiusdem cubiculi dormientes excitauit. Tum

Fruſtrà Medici conantur mente capta mederi.

Stupẽdum in modum vinculis absolutur & sanatur ho-

mo mentis inops; surgens, ad ostium accessit, fratresq; suos, qui ibi excubabant, vt se ad requisita naturæ foràs exire permitterent, rogauit. Illi autem hunc insanientis dolum rati, nequaquàm ei assentire ausi sunt: sed accersito hospite suo, qui eum ibidem incluserat, vt cum eo loquatur exorant. Qui postquàm cum eo locutus est, atq; ex ratione responsionum suarum sanę mentis esse intellexit, aperto ostio quò volebat ire permisit. Reuersumq; recipiens, quid de vinculis, quibus eum oneratum incluserat, factum esset inquisiuit. Et ille, Catena, inquit, qua me vinxisti, salua est: & si vis scire vbi sit, quære eam & inuenies. Accenso itaq; lumine, inuenerunt eam ante lectum, in quo ipsum quiescere fecerant, iacentem eo modo compositam, atque eisdem nodis adstrictam, quibus tunc fuerat, quando eum cum ea in eodem lecto collocârunt, ac solum in eodem cubiculo dimiserunt. Quis hoc fecisse credendus est, nisi ille, qui de nihilo creauit omnia, & qui in rebus quas condidit, talia potest facere, quæ nec intellectu comprehendi, nec humanis possunt sermonibus explicari? Quis enim aut cogitatione conijcere, aut verbis valeat enarrare, qualiter ille presbyter his vinculis fuerit absolutus, cùm nobis certissimum sit neminem esse, qui se solus possit eiusmodi nexibus exuere, si eis fuerit simili modo constrictus, sicut idem presbyter fuit, quando solus in illo cubiculo inclusus est? Hi verò, qui eum ibidem dimiserunt, postquàm reuersi sanum & mentis ac memoriæ compotem inuenerunt, læti & laudantes Deum simul cum eo ad propria regressi sunt. Hoc ita gestum, non quorumlibet testium relatione didicimus, sed ipsi per nos, quia ibidem tunc eramus, Deo volente cognouimus: atq; ideò fiducialiter scribimus, ꝙ nos contigit oculata, vt dicunt, fide cognoscere. Verùm quia cuncta, quæ de martyrum virtutibus scribenda suscepimus, nequaq̃ possunt p̃senti sermone compleri, hic liber iste finem accipiat, vt ea quæ restãt, ab alio rursus exordio commodiùs inchoentur.

Vide rem admiratione dignissimam.

Lib. iv

I. IN relatione signorum atq; virtutum, quas me in hoc libro scribere velle proposui, illæ in capite ponendæ videntur, quæ in palatio factæ, non solùm ad plebis, verùm etiam ad ipsius principis ac procerum eius, omniumque, vt ita dicam, aulicorum peruenêre notitiam: & non tantùm propter hoc, sed etiam propter illud, quòd in oratoriolo nostro, vbi eadem miracula gesta sunt, non aliæ tunc temporis, quàm beatorum Marcellini & Petri reliquiæ fuerunt: vt quicquid ibi sanitatum atq; signorum factum esse cognoscitur, singulariter ac propriè ad illos pertinere ac referri debeat, quorum solas constat ibi fuisse reliquias. Fecerunt ijdem beatissimi martyres, sicut in sequentibus demonstrabimus, in aliorum Sanctorum locis multas virtutes atq; miracula, quæ quibusdam velut communia illis cum his Sanctis, in quorum basilicis facta sunt, non immeritò videri possunt, ob hoc præcipuè, quoniam qui apud Deum æqualis creduntur meriti, non absurdè putantur in patrandis miraculis communiter operari. Sed hoc aliter esse ea ratione conuincitur, qua liquidò demonstratur nullas in his locis factas fuisse virtutes, antequàm in illa memoratæ beatorum martyrum essent delatæ reliquiæ. Sed iam nunc vt promisimus, ea quæ in prædicto palatio sunt gesta miracula proferamus.

* Drogus.

II. ERAT quidam iuuenis inter cubicularios regis, natione Græcus, nomine *Drogo: qui febre correptus, aut negligentia suorum, aut insciti a medicorum iam per aliquot menses longa atq; aduersa valetudine laborabat. Is postea quàm Hildoinus Abbas reliquias beati Marcellini, sicut in secundo libro demonstratum est, nobis reddidit, admonitus in somnis, vt ad oratorium nostrum veniret, ibiq; cereum quatuor denariis emptum accenderet, ac S. Marcellinum martyrem, cuius caput ibi esse asserebat, sibi in adiutorium inuocaret: sciretq; se si hoc faceret, ea qua iamdiù laborauerat infirmitate citò esse carituram: credidit admonenti, & id quod imperatum fuerat, quanta potuit celeritate compleuit. Statimq; sanus factus, & receptis membrorum viribus, propriis pedibus ad sua regressus est.

Redit bona valetudo diû febricitanti.

III. ERAT ibidem alter ęquè iuuenis, nomine Gerlacus, de vrbe Rhemorum, inter eos, qui propter ædificia palatij cõstruenda iussi de illa ciuitate venerunt. Is ante dimidium ferè annum in eodem vico tam valida atq; immani neruorũ contractione correptus est, vt pedes natibus & genua mento cohærerent. Hunc socij atq; propinqui in vlnis suis ferentes, ad memoratum oratorium detulerunt, & quia aliter non poterat, pronum iacere fecerunt, sanctumq; martyrem, vt ei sanitas redderetur, cum magna deuotione rogauerunt. Dies erat Dominica, atq; hora diei tertia, quando illuc allatus est: iacuitq; ibi vsq; ad horam nonam. Cumq; officium eiusdẽ horæ à clericis esset solenniter impletũ, ecce totam oratorij cellulã impleuit, vt in admirationem eius oẽs, qui aderant, incunctanter assurgerent, ac se mutuò an idem omnes ęqualiter sentirent, curiosa interrogatione perquirerent. Cum subitò vident eum, qui iuxta iacebat, velut à quibusdam tenentibus trahi, & membra quæ morbo erant contracta extendi: intelligentesq; diuinam adesse virtutem, tulerunt hominem & coram altari collocauerunt. Qui cùm ibi positus cum multis lachrymis diuinum imploraret auxilium, cunctis cernentibus ita correctus est, vt qui manibus alienis subuectus in oratorium venerat, propriis pedibus de oratorio procederet. Testimonium tamen quam perpessus est passionis, adhuc in suo corpore circumferre cognoscitur. Nam crure ac pede sinistro sic posteà claudicauit, vt ad regendum incessum baculo semper indiguerit. Hoc cur non sit percuratum, dicant qui velint. Ego enim id me video non aliter posse conijcere, nisi vt existimem interiori eius saluti competere, vt aliqua in eo exterioris debilitatis vestigia remanerent.

Mira odoris suauitas è capsa reliquiarum.

Vide miraculum.

Ivliacvs vocatur antiquum municipium, à vico Aquensi octo leucarum spatio disparatum. De cuius territorio puella quædam simili morbo, similiq; modo affecta, à matre atq; aliis propinquis suis ad memoratum oratorium adducta, cùm præ multitudine hominum, qui tum fortè propter Missarum audienda solennia illuc conuenerant, introferri non posset, extrinsecùs eam ad orientalem oratorij fenestram collocârunt, expectantes opportunitatem, vt recedente populi frequentia, faciliùs oratorio inferri potuisset. Sed vbi ad medium ferè officium ventum est, & expleto Euangelio, hostiæ salutaris oblatio peracta est, cernunt eam angustijs affici, & erumpente per totum corpus sudore, velut in somnum labi. Quibus signis diuinam adesse virtutem haud inaniter conijcientes, de illo loco leuatam quadro lapidi, qui prope iacebat, soporatæ similem superponunt. Ibi coram omnibus, qui huius miraculi conspiciendi gratia concurrerunt, integerrimam omnium membrorum sanitatem in vnius horæ momento Domino opitulante recepit. Erant ibi inter cæteros spectatores & Iudæi, quorum vnus Dauid nomine post huius signi expletionem ad fenestram cubiculi, in quo ego tunc eram, celeriter accurrẽs, meq; compellans, miraculum quod viderat indicauit, gratias agens Deo, qui per martyres suos tanta miracula ad salutem mortalium operari dignatus est.

IV.

Sanatur puella miserè contracta.

Visio cæci.

ERAT in eodem vico cæcus quidam prouectæ ætatis, qui vt ipse asserebat, ante triennium subita cæcitate percussus, inter alios pauperes stipem ostiatim mendicare solebat. Is cùm in tugurio suo dormiret, vidit per soporem quendam sibi assistentem atq; dicentem, vt si videre vellet, ad oratorium nostrum iret: ibi esse medicum, qui ei roganti lumen reddere potuisset. Renuit ille, & lumen quod offerebatur abominatus, Quid, ait, mihi nunc cum visu, quem iam olim perdidi? melius mihi est, si eo caruero, quam si habuero. Modò mendicantem omnes exaudiunt, & ea quæ necessaria sunt, præstant. Nam videntem mendicare non decet. Senex autem & debilis operari non possum.

V.

Item altera

Tum ille qui cum eo loquebatur, Vade, inquit, & noli morari. nam velis nolis visum recepturus es. Paruit ille imperanti, perrexitq; ad oratorium, atq; in eo pernoctauit. Et cùm illa nocte nihil esset factum, ad tugurium suum reuersus est. Cui denuò is qui priùs, per soporem apparuit, & similiter vt antè imperauerat, ad oratorium pergere præcepit.

Rursus tertia.

Fecit ille, vt iussus fuerat, sed ne tunc quidem aliquid actum est. Tertiò verò commonitus venit, & vbi coram altari

Videt cæc⁹, ad orandum se prostrauit, visum recepit. Hunc nos dum adhuc cæcus esset, inter alios pauperes ac debiles multoties

in domo

in domo noſtra mendicantem vidimus. Ideoque alium illuminationis eius teſtem non quæſiuimus, quia ſufficere nobis credebamus teſtimonium non fallentis conſcientiæ noſtræ.

VI. CVM ex his aliisque compluribus virtutum operationibus per circumpoſitos vicos & pagos ſalutaris fama crebreſceret, mulier quædam de pago Ribuarenſi multo iam tempore cæca, viſum recipiendi & deſiderium ſimul & fiduciam habens, ad memoratum oratorium ſe rogauit adduci. Cumque illo veniſſet, tres totos dies, totidemque noctes ibidem orando & ieiunando continuauit. Sed cum ad præſens nullum in ſe exoptatæ ſanitatis ſenſiſſet indicium, domum reducta eſt. Pauciſque interpoſitis diebus, ſpe recipiendi luminis haud vane concepta, iterum ſe ad ſacras reliquias deduci rogauit. Quo cum ab vno puero duceretur (Nam qui prius eam illo deduxerunt, ſpem eius velut inanem ac ſuperuacuam iudicantes, vlterius cum illa ire noluerunt) & vbi ad cœmeterium Aquenſis palatij, quod in monte, qui eidem vico ab orientali parte imminet, ſitum eſt, eodem comitante atque ducente peruenit, ibi quaſi obuiante ſibi diuina gratia, diu deſideratum lumen recepit. Tum mirans atque attonita conſtitit, pueroque ducenti vt ſequeretur imperauit: Hactenus, inquiens, quo tu præcedens ducebas ſecuta ſum: modo autem tuo ductu non egeo: quia viam qua ire debemus, video, & hunc vicum in quo ſacræ reliquiæ ſunt, ad quas venire diſpoſui, Domino adiuuante conſpicio. Tu tantum vide & cura, vt me recta via ad oratorium martyrum in ipſo vico adducas. His dictis ad oratorium perrexit, gratias egit, factique in ſe miraculi nobis indicium fecit, videnſque & gaudens ad propria remeauit.

Cæca recipit viſum.

VII. ASCVILAREM vocant fundum regium ab Aquenſi palatio quatuor leucarum ſpatio diſtantem. In quo quidam homo erat diutina præcordiorum infirmitate detentus atque laborans: iamque à ſuis eo modo deſperatus, vt non aliter niſi cauterio curari poſſe videretur. Quæritur ad hoc medicus, & vſtioni non profuturæ dies conſtituitur. Interea cuidam fœminæ in eodem fundo habitanti in ſomnio reuelatum eſt, non debere illum ad ſuam curationem eiuſmodi medelam admittere, quæ & pro ſui moleſtia vix tolerari poſſet, & quia ſuperuacua eſſet, ſalutem patienti non afferret. Cæterum ſi ſanus fieri vellet, ad Aquenſe palatium iret, oratorium noſtrum inquireret, in que eo ſe collocari faceret, & ante triduum completum inde non recederet: hoc modo plenariam eum conſecuturum ſanitatem. Quod vbi ei annuntiatum eſt, conuocatis amicis ac proximis, petiit vt erga ſe illius reuelationis iuſſa complerent. Qui mox iumento impoſitum, ad oratorium adducunt, atque in eo vt iuſſum fuerat, collocantes, abeunt poſt triduum reuerſuri. Ille autem ibidem dimiſſus per tres dies & noctes Domino pro ſalutis ſuæ recuperatione haud inaniter ſupplicans, ita perfecte ſanatus eſt, vt nullum in ſuis viſceribus morbi, quo multo tempore tenebatur, aſſereret remanſiſſe veſtigium. Suis igitur ſicut promiſerant ad ſe reuerſis, ac ſanum ſicut optauerant inuenientibus, non dorſo iumenti vt venerat, ſed pedum ſuorum officio ad propria cum ingenti & ſua & illorum gratulatione atque lætitia regreſſus eſt.

Per viſum monetur æger viſere ſacras reliquias.

Sanitas illi reſtituitur.

IIX. EST item fundus regius in pago Moſano, octo circiter leucis ab Aquenſi vico diſparatus: Gangluden habitatores appellant. In quo mulier quædam, quæ octo fere annorum filiam dira paralyſis ægritudine adeo confectam habebat, vt iam ex longo tempore nullum pene membrum ad officium ſuum mouere potuiſſet: audita virtutum fama, ſpem de recuperanda filiæ ſalute pio corde concepit: Protinusque ſublatam vlnis propriis, ad memoratum oratorium deportare curauit. Quæ cum illo antemeridiano tempore, hora videlicet prandij peruenisſet, & clericorum neminem ibidem inueniſſet (Nam reficiendi cauſa paulo ante diſceſſerant) tamen introgreſſa, filiam iuxta ſe in pauimento collocauit. Ipſa autem præparuum cereum, quem pro munere detulerat, accendens, ante illam in eodem pauimento poſuit, ſeque ad orandum coram ſacris cineribus cum ſumma deuotione proſtrauit. Quo facto, ſine vlla interpoſita mora puella per ſupernam gratiam omnium membrorum ſanitate ac firmitate recepta, matre non ſentiente ſurrexit, cereumque qui coram ſe iacebat ſuſtulit, ac poſt tergum iacentis conſtitit. Quæ cum oratione completa caput de pauimento leuaſſet, & nec cereum, nec filiam in eo quo poſuerat, loco eſſe, vidiſſet, ſurrexit, conuerſaque filiam pone ſe cum cereo ſtantem Deum laudans ac lætabunda conſpexit. Igitur cum nullum ibi cui de virtute quæ geſta fuerat referre poſſet, adeſſe videret (Nam præter pauperes, qui ibidem mendicandi gratia excubabant, nemo intra oratorij parietes, excepta ſe ac filia ſua, tunc erat, quando illud miraculum factum eſt) votis cum gratiarum actione ſolutis, domum cum filia ſana atque incolumi repedauit. Cuius virtutis indicium qualiter ad nos perlatum ſit, paucis expediam. Gerwardus palatij bibliothecarius, cui tunc temporis etiam palatinorum operum ac ſtructurarum à rege cura commiſſa erat, de Nouiomago veniens, palatium Aquenſe petebat. Is cum in memorato fundo quadam nocte manſiſſet, quæſiuit ab hoſpite ſuo, ſi aliquid noui de palatio nuper audiſſet. Cui ille, Nihil, inquit, modo apud aulicos tam celebre eſt, quam ſigna & virtutes, quæ fiunt in domo Einhardi per quoſdam ſanctos, quorum reliquias in oratorio domus ſuæ habere dicitur. Ad quarum venerationem omnes vicini noſtri quotidie feſtinant, & quicunque infirmus illò fuerit adductus, ilico curatur. Cœpitque ei de filia mulieris illius, qualiter ante paucos dies ſalua facta ſit, intimare. Tum Gerwardus: Vade, ait, & eandem mulierem adduc ad me, vt ipſa mihi dicat, quod audire deſidero. Venit mulier, & omnia prout geſta erant, patenter expoſuit. Gerwardus vero, cum in craſtinum ad regem veniſſet, ea quæ de hoc ſigno reuelatione illius fœminæ compererat, eidem indicauit. Rex autem cum ego ſecundum conſuetudinem ingreſſus, coram illo ſtarem, quid ſibi Gerwardus de hoc miraculo retuliſſet, tam mihi, quam cæteris ſibi aſtantibus, diuinam miſericordiam atque potentiam admirando ſimul atque laudando, inſinuauit. Sic nos contigit ſignum, quod nobis ignorantibus in domo noſtra geſtum eſt, ex huiuſmodi relatione cognoſcere.

Puella liberatur dira paralyſi.

Palatij Cæſarij bibliothecarius.

Obſerua veterem deuotionem erga Sanctorum reliquias.

IX. HÆC de miraculis beatorum martyrum, quæ in palatio geſta ſunt, in præſenti opere commemoraſſe ſufficiat. Nunc ad eas virtutes veniendum eſt, quæ in his locis factæ ſunt ad quæ religioſis viris petentibus, ac me largiente, venerandæ eorundem martyrum reliquiæ venerunt, & in quibus hactenus cum magna reuerentia coluntur. Quas primus omnium Georgius presbyter & rector monaſterij S. Saluij martyris, quod in pago *Fanomartenſi in vico Valentianas appellato in ripa Scaldis fluuij ſitum eſt, me dante ſuſcepit, & per quendam Diaconum ad memoratum monaſterium de Aquenſi palatio deſtinauit. Is vnum tantum comitem ſecum habens, cum in pago Hasbanio ad vicum regium, quem Waſidium vocant, veniſſet, atque in prato, quod vico proximum erat, reficiendorum iumentorum gratia deſcendiſſet, ecce vnus de habitatoribus loci gibbo depreſſus, maxillis etiam ex nimio dentium dolore, quem vt ipſe dicebat, diutinum patiebatur, nimio tumore diſtentis, furcam ferratam in collo ferens, idem pratum furibundus intrauit, & cur pratum ſuum depaſcerentur, ſtomachando percontatur. Cui Diaconus, qui reliquias martyrum ferebat, & eas tunc in ſummitate virgæ, quam ob hoc in eodem loco fixerat, ſuſpendere parabat, Melius, inquit, tibi eſt, vt coram his Sanctorum reliquiis, quas hic in manibus habeo, proſternaris, Deumque roges, vt te per merita eorundem Sanctorum de dolore, quem pateris, liberare dignetur. Nam tumor, qui in facie tua videtur, teſtatur aliquem magnum in ore tuo eſſe dolorem. Ad hæc homo proiecta furca, quam manu ferebat, ante reliquias pronus corruit, &, vt Diaconus ei ſuaſit, pro ſalute ſua Domino ſupplicauit. Nec longa interpoſita mora ita ſanus ab oratione ſurrexit, vt nec tumor in facie, nec dolor in dentibus, nec gibbus, quo premebatur, remaneret in dorſo. Ac proinde concito gradu vicum ingreſſus, omnes propinquos ac vicinos ſuos in eodem loco conſtitutos ad

** Sanomartenſi.*

Homo gibboſus & dē-

tibus dolens mire sanatur.

laudem Deo dicendam, & gratias Christo Domino referendas inuitauit. Confluxit in pratum ingens populi multitudo, & pro eo qui sanatus fuerat, gratias actura circuniacentis regionis turba congregata est. Rogant omnes Diaconum, vt illâ noctem ibi moraretur: nec ille eis hoc negare poterat, quia parati erant, nisi assentiret, etiam inuitum detinere. Ducunt deinde peruigilem noctem, & in Dei laudibus tota regio resonabat. In crastinum autem cum Diaconus iter suum capere cœpisset, omnis illa congregati populi frequentia abeuntem cum ingenti deuotione comitata est, nec ante vel subsistere vel discedere voluit, quam ab aliis, quos miraculi huius fama commouerat, obuiam sibi

En priscam religionē.

venientibus fuisset exceptus. Hoc modo sacræ martyrum reliquiæ ex huius occasione miraculi à populis illarum regionum exceptæ, & ad basilicam S. Saluij, quo eas memoratus Georgius miserat, Domino ducente perlatę sunt. Hoc signum ipsius Georgij relatione constat mihi esse compertum. De cæteris autem, quæ nunc dicenda sunt, ab eo libellum accepi, cuius ordo vel series hunc modum habere cognoscitur.

An. 827. X. Anno quartodecimo, Christo propitio, imperij Ludouici Augusti, cum ad corroborandam Christi populi fidem, sicut in initio nascentis ecclesiæ signa & prodigia in ipso regis palatio per merita Sanctorum suorum Dominus dignaretur ostendere: petiit & obtinuit Georgius presbyter Aquisgrani palatio ab Einhardo Abbate reliquias beatorum Christi martyrum Marcellini & Petri, quorum corpora ipse de Roma per homines suos allata nuper accepe-

Capsa reliquiarum, auro & gemmis ornata.

rat: easque in capsa, quam auro & gemmis decenter ornauerat, reconditas per Diaconum suum, nomine Theotharium ad basilicam S. Saluij martyris, quam ipse tunc temporis per beneficium regis tenebat, dirigere curauit. Qui Diaconus cum ad villam regiam, quæ Wasidium vocatur, venisset, occurrit ei homo gibberosus, & ex dentium dolore ita vexatus atque confectus, vt iam per dies quindecim nullum alium victum quam solam aquam posset assumere. Qui cum hortante Diacono coram reliquiis, quas ille ferebat, se ad orandum prostrasset, & Dominum Christum vt sui misereretur, deuote ac suppliciter inuocasset, per intercessionem sanctorum Marcellini & Petri cuncta corporis incommoditate depulsa, sanus ab oratione surrexit. Factum est hoc miraculum tertiodecimo Calendas Iulij, quod à me superius plenius est enarratum: quia ego illud iuxta relationem memorati Georgij conscribere curaui.

XI. Diaconvs autem cum reliquiis tertia die Valentianas veniens, cum eas in basilicam S. Saluij, sicut ei fuerat imperatum, reuerenter & honorifice inferret, quidam iuuenis de villa regis, quæ Listina vocatur, Dominicus nomine, qui eo morbo, quem Græci spasmum appellant, iam per annum integrum sic vexabatur, vt manus eius dextera

Curatur spasticus.

penitus contineri non posset, sed agitatione continua, quasi qui molam verteret, moueretur in gyrum: statim in ipso introitu per merita beatorum martyrum coram omni populo ita curatus est, vt post hæc nullum illius horrendæ agitationis pateretur incommodum.

Redditur lumen cæcæ. Surdus & mutus curatur. Item cæca. *Domitianus.

XII. Exinde die quarta, in festiuitate videlicet B. Ioannis Baptistæ, anus quædam nomine Gerrada, quæ se annum vnum cæca fuisse testata est, dum Missarum solennia celebrarentur, inuocatis beatis martyribus lumen, quod ex fide petierat, cunctis qui aderant videntibus, per illorum merita recepit. Similiter in festiuitate sancti Saluij, quæ euenit sexto Calendas Iulij, quidam homo surdus & mutus inter solennia Missarum per suffragia Martyrum & auditum & loquelam recipere meruit. Eadem die anus quædam de pago Laudunensi Rodeltrudis nomine, quæ per tres annos lumen cæli non vidit, in eadem celebratione Missarum visum recepit. Quinto Calendas Iulij puer quidam annorum circiter septem, *Donitianus nomine, qui fuit cæcus à natiuitate, dum diuinum celebratur officium, per merita beatorum martyrum illuminatus est.

Item alia cæca. Contractus sanatur.

XIII. In vigilia vero beatorum Apostolorum Petri & Pauli, id est, quarto Calendas Iulij, puella quædam parua, nomine Theotbalda, habens ætatis annos, vt putabatur, nouem, quæ tribus annis nihil viderat, tempore salutaris officij in media populi multitudine constituta, martyrum suffragantibus meritis, lumen amissum ex diuina miseratione recepit. Eadem die quidam homo, nomine Dado, de villa Ponticuli vocata, qui annos sex curuus erat, & ad cælum se erigere non poterat, ideoque breuibus anticulis sustentandi se gratia sub axillis positis cernuus incedebat: is eadem hora, eodemque in loco per misericordiam Dei & per merita beatorum martyrum erectus ac sanus effectus est.

Duæ cæcæ illuminantur. *Ruoida.

XIV. Die quarto Nonarum Iuliarum quædam vidua, nomine Adalrada, quæ annis quatuor oculorum lumine priuata nihil videbat, audita virtutum fama, spem visus recipiendi non vana fide concepit, arreptoque baculo, sola sine ductore ad Valentianas ire contendit. Cumque vico appropinquare cœpisset, visum est ei, quod velut vnum solis radium oculo dextro conspiceret: ac proinde diuinam clementiam puro corde deprecata est, vt per intercessionem Sanctorum suorum ecclesiam beati Saluij se videre permitteret. Statimque exaudita est, & quod optauerat, Domino miserante, sine mora est consecuta. Ipsa quoque die, altera quædam fœmina de pago Nouiomensi, nomine *Ruoitla, quinquennio cæca, inter Missarum solennia lumen quod amiserat, Christo Domino per merita Sanctorum suorum donante recepit.

Multi alij curantur.

XV. In octauis Apostolorum, id est, pridie Nonas Iulij, quidam homo Gunthardus nomine, de eodem pago, velut paralysi percussus, ad basilicam S. Saluij à suis adductus est: qui vt dicebant, iam vnum annum habebat in eadem infirmitate, & tam vehementer in sinistra parte corporis sui debilitatus est, vt nec manum ad os ducere, nec se vel lauare vel calceare valeret. Hic per misericordiam Dei, meritaque Sanctorum tempore matutinalis officij in ipsa solennitate sanus effectus est. Similiter & alius homo, nomine Hildebonus, veniens de monasterio, quod ad duos Gemellos appellatur, cum ab infantia cæcus esset, ac lumen cæli in tota vita sua non vidisset, in celebratione Missarum eadem die in eadem basilica per eosdem Sanctos, eodem Domino miserante atque auxiliante, visum recepit, & omnia quæ prius non vidit, clare videre meruit. Die vero Nonarum Iuliarum puella quædam paruula, nomine Reginlindis, quæ non amplius quam septennis esse videbatur, cum tribus annis oculorum suorum lumine caruisset, & inter cæteros in basilica ad diuinum officium audiendum constitisset, interuenientibus Sanctorum meritis coram omni multitudine illuminata est. Quarto Idus Iulij cæca quædam, nomine Alagia, quæ duobus fere annis visu carebat, inter sacra Missarum solennia, suffragantibus sibi Sanctorum precibus, à Domino Iesu Christo illuminata est. Eadem die cæcus quidam valde senex de villa Gualiacas, Ermenwardus vocabulo, qui annis quatuordecim nihil videre potuit, ad vespertinum officium ecclesiam ingressus, beatos martyres inuocauit: ac statim cæcitate depulsa, diu desideratam lucem Domino adiuuante recepit. Septimo Calendas Augusti puella quædam, quæ ab immundo spiritu vexabatur, in basilicam adducta, dum sacræ oblationis officium celebratur, per virtutem Christi & merita beatorum martyrum fugato dæmone, integerrimam mentis & corporis meruit recipere sanitatem.

XVI. Hæc sunt miracula atque virtutes, quas Dominus noster Iesus Christus per merita sanctorum martyrum suorum Marcellini & Petri in vico Valentianas ad salutem humani generis operari dignatus est. Quę memoratus Georgius presbyter breui libello collecta nobis mittere curauit, & nos huic operi nostro censuimus inserenda. Hic est Georgius Veneticus, qui de patria sua ad Imperatorem venit, & in Aquensi palatio organum, quod Græce hydraulica vocatur, mirifica arte composuit.

XVII. Alter libellus mihi oblatus est de monasterio S. Bauonis, quod situm est iuxta Scaldim in loco Ganda vocato, vbi idem amnis Legiæ flumini coniungitur, à fratribus ibidem Deo seruientibus. Quorum rogatu reliquias memoratorum

moratorum Christi martyrum ad idem monasterium misi, in quo hæc per ordinem gesta reperta sunt. Anno ab incarnatione Domini nostri IESV Christi octingentesimo vicesimo octauo venerunt reliquiæ sanctorum Christi martyrum Marcellini & Petri ad monasterium S. Bauonis die quinto Nonar. Iul. feria sexta, Indictione vj. Tertia vero die, id est, Dominica proxima, quæ fuit tertio Nonas Iulias, quædam puella cæca, nomine Hartlinda, de villa quæ * Fursenum appellatur, quam pater & mater testati sunt octo annis oculorum officio caruisse: cum ante altare super quod sacræ martyrum reliquiæ erant positæ, fuisset adducta, coram omnibus qui aderant visum Domino miserante recepit. Inde post dies octo, id est, quarto Idus Iulij adducta est altera puella similiter cæca, nomine Helmrada, de villa Magle nuncupata: cuius parentes de ea retulerunt, quod octaua die postquam baptizata fuit, subita cæcitate percussa sit. Quæ & ipsa statim coram sacris martyrum cineribus lumen, quod iamdudum perdidit, Domino sibi reddente recepit. Exin die tertia, quod fuit pridie Idus Iulij, venit illuc puella quædam curua, nomine Blidrada, de villa Boderetio, quæ pertinet ad monasterium sancti Vedasti. Quæ cum ante memoratas Sanctorum reliquias pro restitutione salutis suę Dominum Christum suppliciter inuocasset, coram omnibus qui aderant erecta est, & integrum corporis sui statum in momento temporis recipere meruit.

* *Fursenū.*

Multa miracula facta Gandaui ad martyrum horum reliquias.

XIIX. POSTEA vero duodecimo die Calendarum Augustarum fœmina quædam, nomine Eddela, ancilla Sancti Amandi, de villa Baceroda vocata, quæ plurimis annis oculorum lumine caruisse dicebatur, ibidem fideliter orans visum recepit. Eodem die seruus quidam S. Bauonis, Eberaldus vocabulo, de villa Millinio, qui & ipse per plures annos lumen cæli non vidit, cunctis qui aderant cernentibus, eodem in loco diu desiderata luce donatus est. Ipsa quoque die duæ viduæ, quæ plurimis annis cæcæ fuerant, ibidem illuminatæ sunt: quarum altera nomine Blidwara de villa Accinio, altera Ricberta vocata, de villa Werminio fuisse narratur. Deinde post dies vigintiquinque, id est, in festiuitate Assumptionis S. Mariæ, fœmina quædam vocabulo Angarihilda, de villa Goiaco, coram sacris martyrum reliquiis omni populo cernente, & id, quod euenerat admirante ita incuruata est, vt penitus se ad cælum videndum erigere non posset. Eademque sequenti die, id est, decimoseptimo Calendas Septembris in eadem ecclesia cum Euangelium legeretur, eodem populo teste ita erecta, atque in statum pristinum restituta est, ac si nunquam per vllam corporis sui læsionem ad terram fuisset inclinata. Postea vero secunda & vicesima die mensis Septembris, id est, decimo Calendas Octobris homo quidam de pago Texandria, ex villa quæ Appennia nominatur, vocabulo Liodoldus, qui propter sinistri cruris ac pedis imbecillitatem duobus se baculis ad incedendum sustentabat: ita ibidem in conspectu populi perfecte curatus est, vt vltra iam in ambulando baculorum adminiculo non egeret.

Item alia miracula.

XIX. QVARTA vero die post patrationem huius miraculi, id est, septimo Calendas Octobris, iuuenis quidam surdus & mutus, sinistra quoque manu contractus, nomine Hunwaldus de villa Coruio nuncupata, cum ante sacras martyrum reliquias veniisset, atque ibi suppliciter orasset, statim per virtutem Christi depulsis vniuersis, quibus afficiebatur, incommodis, ita sanus effectus est, ac si nunquam aut surdus, aut mutus, aut ex contractione neruorum in manu fuisset aliquo modo debilitatus. Sequentique die, hoc est, sexto Calendas Octobris, fœmina quędam, nomine Engilgarda, quæ per multos annos dira paralysis passione tenebatur, eadem in basilica per merita beatorum martyrum coram omni populo est curata. Erat eadem ancilla pertinens ad Episcopium Tornacense, de villa quæ Werecundia nominatur. In crastinum vero, id est, quinto Calendas Octobris, altera quædam fœmina, nomine Ramburga, de villa Bettingaheim, simili passione in inferiori corporis sui parte valde debilitata, cunctis qui aderant videntibus, coram eisdem Sanctorum reliquiis perfectam membrorum suorum firmitatem recepit, atque à morbo, quo per decem annos laborasse ferebatur, Deo volente in momento temporis liberata est. Eadem die vir quidam cæcus, nomine Germarus, de villa * Schaltheum, quæ iuxta ostium Scaldis fluminis in maritima Frisonum regione posita est, cum ibi pro calamitate, quam patiebatur, Domini misericordiam & beatos martyres inuocasset, diu negatum lumen cum lætitia recipere meruit. Quarta autem die, postquam hoc signum Domino volente contigit, id est, pridie Calendas Octobris quædam ancilla S. Bauonis, vocabulo Gundrada, de villa Aldingaheim, quæ tribus fere annis solem non viderat, vbi se coram altari ad orandum prostrauerat, lumen quod amiserat, Christo Domino per merita Sanctorum suorum largiente recepit.

Surdus & mutus abit incolumis.

Item paralyticæ duæ.

* *Schaltheim.*

Cæco redit lumen. Itemque cæcæ.

XX. TERTIVM quoque libellum detulerunt mihi fratres de monasterio S. Seruatij confessoris, quod situm est in ripa Mosæ fluminis, in vico qui hodieque Traiectus vocatur, & distat ab Aquensi palatio octo circiter leucas, estque habitantium & præcipue negotiatorum multitudine frequentissimus. Cuius textus si bene recolo, in hunc modum videtur esse compositus. Aduentus Sanctorum Christi martyrum Marcellini & Petri ad vicum Traiectum contigit pridie Nonas Iunij. Nam ipso die venit eis obuiam de eodem vico immanis multitudo populi ad susceptionem illorum congregata, laudans & benedicens Deum super immensa atque inenarrabili misericordia sua, qua per tantos patronos populum in se credentem & confidentem visitare dignatus est. Cumque his laudibus, & lætitia spirituali vsque ad basilicam beati Seruatij peruentum est, celebratisque cum magna omnium gratulatione Missarum solenniis, & vniuersis ad sua reuersis, feretrum quo sacri cineres aduecti sunt, à dextris altaris iuxta cancellas collocatum est: totusque ille dies cum ingenti eodem in vico consistentis populi exultatione atque iucunditate consummatus est. Cumque ad vespertinum officium iuxta consuetudinem celebrandum, eandem basilicam fuissemus ingressi, aderat inter cæteros puer quidam, nomine Berngisus, quem propinqui sui de pago Cundensio ante paucos dies illuc venientes, adduxerunt cæcum à natiuitate. Qui subito coram omnibus in pauimentum cecidit, ibique aliquandiu velut sopore depressus iacuit: moxque apertis oculis lucem, quam nunquam ante vidit, Christo Domino per merita Sanctorum suorum donante conspexit. Exin quinta die, id est, sexto Idus Iunij homo quidam cognomento Hildimarus, qui surdus erat & mutus, coram eisdem sacris Sanctorum reliquiis, & auditum pariter & loquelam per virtutem Christi recepit.

Antiqua erga Sanctorum reliquias deuotio.

Cæcus ab ortu inuisam intuetur lucem.

XXI. EODEM quoque die puella quædam, de familia S. Lamberti, nomine Adallinda, quæ non solum surda & muta, sed etiam cæca, totoque corpore tam miserabili modo ex neruorum contractione erat complicata, vt genua pectori iungerentur: iuxta sacras martyrum reliquias à suis posita, & visum & auditum, loquelam etiam omniumque membrorum rectitudinem ac salutem coram omnibus, qui aderant, mirabili celeritate diuino munere consecuta est. Postridie vero, id est, quinto Idus Iunij quidam seruus regius, nomine Berohadus de villa Cresciaco, in dextera sui corporis parte per totum ex neruorum contractione debilitatus & inutilis factus, cum ante memoratas Sanctorum reliquias veniisset, statim erectus, & sanitati quam desiderabat, sine mora est redditus. Similiter & puella quædam de ipso vico Traiecto, vocabulo Theothildis, cuius dextera manus erat simili contractione intantum complicata atque distorta, vt ad omnem vsum esset inutilis; hac eadem die ante easdem Sanctorum reliquias pari modo curata est. Quibus visis, populus in basilica congregatus cœpit prę nimia exultatione atque lætitia in hymnis & litaniis, sublatis in altum vocibus, laudes Domino decãtare. Cum subito intrauit puer quidam surdus, atq; in media plebis multitudine stupefactus & attonito similis constitit. Ac deinde cum ante altare sancti Saluatoris, quod in media ecclesia positum est, peruenisset, erũpente protinus de naribus eius sanguine, quo diu priuatus fuerat, auditus

Alia miracula.

Visis miraculis plebs lætabunda laudat Deũ.

officio

officio donatus est. In crastinum autem, id est, quarto Idus Iunij visum est nobis, vt feretrum quod sacros martyrum cineres continebat, altius eleuari deberet, ad hoc videlicet, vt aliquanto eminentius esset, quam altare cui apponebatur, & facilius ab accedentibus cerni potuisset. Idque nobis facientibus, & inter faciendum litanias cum Dei laude canentibus, puella quædam de familia S. Seruatij à natiuitate sua pedibus ex contractione distortis, manibus etiam ex neruorum distensione, dissolutis, insuper & muta, quam paulo ante in basilicam sui detulerunt, & coram feretro posuerunt, subito sanitati est reddita, ita vt eadem hora & loqui, & incedere, & manibus ad omnia necessaria perfecte vti potuerit.

Multiplex malum curatur in puella vna.

FOEMINA quædam de ipso vico Traiecto, cum haberet ancillam cæcam, nomine Adalgardam, ingressa basilicam tradidit eam sanctis martyribus Marcellino & Petro, vt per eorum suffragia visum recipere mereretur, ibique dimisit. Quæ cum post peractum vespertinale officium in eadem ecclesia substitisset, subito velut ab aliquo impulsa in pauimentum cecidit, atque ibi diu volutata, tandem cum ingenti circunstantis populi stupore atque admiratione clare videns surrexit. Contigit hoc Idibus Iuniis ad vesperum, ipso noctis incipiente crepusculo. Homo quidam de Prouincia Burgundia ex territorio Gennauensi, nomine Theotgarius, ea passione laborans, quam medici Græco vocabulo spasmon appellant, Latine autem ab assidua membrorum agitatione, tremulosa non incongrue vocari potest: venit in basilicam, atque in media populi turba, quæ ad audienda Missarum solennia, vt in die Dominico moris est, fuerat congregata, constitit. Cumque post recitatam Euangelij lectionem Christianæ credulitatis symbolum recitaretur, tremulosus ille subito ad terram corruit, & dum diuinum officium peragitur, pene immobilis ac mortuo quam viuenti similior iacuit: multoque ex naribus eius sanguine manante, post completum sacrum officium, cum magna inspectantis populi admiratione sanus ac sine vlla trepidatione surrexit. Factum est hoc miraculum decimo octauo Calendas Iulij die Dominico, sicut superius comprehensum est. Quarta autem feria, id est, decimoquinto Calendas Iulij puer quidam, nomine Folchardus, de monasterio quod Meldradium vocatur, qui erat cruribus ac pedibus miserabili contractione distortus, eodem in loco coram omni populo curatus est. Vndecimo Calendas Iulij venit quidam homo ad ecclesiam, & inter cæteros intrauit, cuius dextra manus simul cum brachio modo mirabili mouebatur in gyrum, ac si molam vertere deberet, idque incessanter agebat. Is dicebat ob hoc sibi hanc inquietudinem accidisse, quia die Dominica contra vetitum moleret: & iam annum integrum euolutum esse, ex quo huiusmodi pœna mulctatus est. Qui cum ad sacras martyrum reliquias appropiasset, ibique fideliter eos inuocasset, molaris illa commotio subitanea quiete sopita est. Hic homo de monasterio Scotorum, quod Fossæ vocatur, se venisse, Dothium que appellari dicebat.

Cæca videt.

Spasticus fit sanus.

Item contractus.

Alius quoque male affectus.

XXII.

IN vigilia S. Iohannis Baptistæ, quæ est die nono Calendarum Iuliarum, venit quidam vir Traiectum ad basilicam S. Seruatij, qui se de ciuitate Tornaco esse fatebatur. Is, vt ipse aiebat, fuit ab infantia surdus & mutus: ductusque à suis ad S. Sebastianum, cœpit ibi & audire & loqui, sed inefficaciter, quoniam verba eius vix intelligebantur: ipse quoque cum alij ad eum loquerentur, tenuitatem auditus sui dissimulare non poterat. Qui vbi ad matutinum officium venit, coram sacris reliquiis procumbens obdormiuit. Nec multo post velut aliquo excitante euigilans, quis os suum pugno percussisset, à circunstantibus perquisiuit. Cui cum omnes, neminem hoc fecisse, respondissent, surrexit: eademque hora sanus factus perfecte, sine vllo impedimento & audiuit & locutus est. Eadem die dum sacra Missarum solennia celebrantur, fœmina quædam, nomine Adallinda, duos cereos ad lumen in ecclesia faciendum detulit: quorum vnum dextra manu cuidam ex custodibus vt accenderetur porrexit: alium autem interim quasi de illo postea illuminandum, manu sinistra retinuit. Sed mirum in modum, dum custos sibi datum accendit, ille qui in manu fœminæ remansit, cunctis cernentibus diuinitus accensus est.

Surdo & muto redditur incolumitas. Nota rem miram.

XXIII.

MONASTERIVM sanctimonialium, Eike vocabulo, situm super Mosam fluuium est. In quo quædam Deo sacrata, nomine Saliga, toto corpore, excepto dextro brachio, diro paralysis morbo dissoluta iacebat. Huic per quietem quidam ex vicinis suis astitisse, ac tali sermone eam compellasse visus est, vt diceret. Quid agis? Cui cum illa non aliud, quam se in lecto suo quiescere respondisset, Audistine, inquit, aliquid de Sanctis, qui in Traiecto ad S. Seruatium venerunt? Cui cum nihil de his se audisse respondisset, Surge, ait, velociter, atque illuc properanter venire contende. Nam ibi es omnium membrorum tuorum receptura sanitatem. Sed cum expergefacta nihil de his facere curasset, iterum sequenti nocte ab eodem simili modo est admonita, vt Traiectum pergeret. Illa tamen, vt prius, spreta monentis voce, quo iubebatur distulit proficisci. Tertia vero nocte vidit eundem sibi astare, & cum quadam seueritate cur monita sua contempsisset interrogare, baculoque, quem tunc manu tenere videbatur, latus eius percutere, atque vt Traiectum velociter pergeret, imperare. Nec illa iam ausa trinæ visionis authoritati resistere, accitis ad se propinquis & amicis, Traiectum vt sibi iussum erat deducitur, & in basilica beati Seruatij iuxta sacros martyrum cineres collocatur. Cumque ibi promissæ sanitatis præstolaretur euentum, quinto demum die postquam illuc venerat, cum magna omnium admiratione perfectam totius corporis sui meruit recipere sanitatem. Restant adhuc duo valde præclara miracula, quæ non solum tegenda silentio non censeo, quin potius illorum conscriptione conuenientissimum quarto volumini, quod in manibus habetur, finem me facturum esse confido. Et licet eadem signa beatis martyribus Marcellino & Petro cum aliis Sanctis possint videri communia, ex eo quod vnum ex his in aduentu reliquiarum sanctorum Prothi & Hyacinthi, & iuxta ipsas reliquias gestum est, alterumque in die natalitio S. Hermetis sub ipsius reliquiis contigisse certum est: ideo tamen ipsis præcipue adscribenda videntur, quoniam in ea basilica facta sunt, in qua eorum sacratissima corpora requiescunt. Gestorum autem fides ad nos pertinet, qui præsentes fuimus, & quibus ea diuina pietas videre concessit. Ac proinde omissa præfatione, ad ipsa quę dicenda sunt miracula veniamus.

Paralytica integram recipit sospitatem.

XXIV.

GREGORIVS Romanæ vrbis Episcopus, qui Eugenio simulque Valentino in Pontificatus honore successit, cum titulum S. Marci Euangelistæ, in quo presbyter fuerat, ampliare, & in eo monasterium vellet extruere, quæsiuit per cœmeteria & ecclesias longius ab Vrbe constitutas, sicubi Sanctorum martyrum corpora posset inuenire: Inuentaque titulo, quem opere magnifico extruxerat, curauit inferre. Casu igitur factum est, vt eo tempore, quo sepulchrum beatissimi Hermetis erat aperturus, & sacrum illius corpus inde fuerat sublaturus, vnus ex nostris, qui eodem anno supplicandi gratia, vt moris est pœnitentibus, Romam venerat, congregatæ ad basilicam martyris multitudini cum cæteris peregrinis interesset. Is negotio, quod agebatur, diligenter inspecto, spem adipiscendarum memorati martyris reliquiarum, licet corde simplici, non tamen sine causa concepit: & Deusdonam Diaconum, cuius in primo libro crebram fecimus mentionem, adiens obnixe rogauit, vt ex his quantulumcunque à custodibus loci acciperet, mihique deferendum sibi præstaret. Qui confestim precibus eius annuens, id se sine mora facturum pollicetur. Datoque custodibus pretio, non solum S. Hermetis, sed etiam sanctorum Proti atque Hyacinthi, quorum in eadem basilica corpora erant posita, reliquias accepit. Et illas quidem per quendam familiarem suum, cui Sabbatino cognomen erat, simulque & nostrum, qui ei vt hoc faceret persuasit, mittere curauit. Quod autem de corpore beati Hermetis potuit adipisci, ipse ad nos veniens, pro ingenti munere detulit. Cum autem de aduentu reliquiarum sanctorum Proti & Hyacinthi nobis esset indicatum, obuiam illis processimus, easque, vt par erat, honorifice suscipientes, atque

Gregorius Papa 4. auxit & ornauit titulum S Marci. An 829.

Honorifice excipiũtur reliquię Proti & Hyacinthi.

tes, atque basilicæ cum hymnis & orationibus inferentes, propter corpora beatorum Marcellini & Petri cum feretro quo venerant, collocauimus. Vbi cum in crastinum mulier quædam de proximo prædiolo, ꝙ Baldradestat nũcupatur, dæmone possessa cum cætero populo fuisset ingressa, cœpit nequã spiritus fremere, ac prostratã in pauimento collidere, suamq; malitiam coram omnibus confitendo publicare. Cumq; à presbytero se exorcizante fuisset interrogatus, quis esset, vnde venisset, quando & cur in eã intrasset: ad singula respondit, seq; non solũ dæmonem, sed etiam omnium viuentium pessimum esse testatus est. Et cũ presbyter ab eo causam tantæ nequitiæ requisisset, malã voluntatem hanc sibi tribuisse fatebatur. Rursus cum ab eo quæreret, si vnquam in cælo fuisset: in cælo se fuisse, & inde propter superbiam deiectum esse confessus est. Eidem percontanti, vtrum Christum Dominum, nec ne vidisset, ait in inferno eum à se visum tempore, quo pro humani generis saluatione mori, atque illuc descendere dignatus est. Vbi vero ad id ventum est, vt eum interrogaret, si nomina martyrum nosset, quorum reliquiæ pridie eidem ecclesiæ illatæ sunt, Notissima, inquit, mihi sunt eorum nomina: quia quando passi sunt, præsens astabam, ac de eorum sempiterna gloria ingenti torquebar inuidia. Quos etiam hic modo patior infestissimos. cruciant enim me tormento incredibili, atque inuitum de hoc vase, in quo diu latitabam, exire compellunt. Cui presbyter, Cum exieris, inquit, quo perrecturus es? Ego, ait, in viam pessimam perrecturus, & longinquas desertasque regiones petiturus sum. Post hæc cum & occasionem & modum ingressionis suæ iubente presbytero exposuisset, conuersus ad fœminam, Ego, inquit, infœlix mulier, antequam exeam, ossa tua collidam atque confringam, teque debilem ac nostræ societatis memorem relinquam. Et cum illa velut infirmitatis suæ conscia, cœpisset voce supplici atque submissa Sanctorum auxilium implorare, ille statim per os ipsius cum ingenti austeritate fremens & increpitans, loqui volenti silentium imperauit. Erat enim nobis, qui præsentes eramus, ad videndum valde mirabile, quod ille spiritus immundus per os eiusdem mulierculæ tam diuerso modo loquebatur, & nunc masculinæ, nunc fœmininæ vocis qualitatem sic ad purum exprimebat, vt non vna sed duæ in ea acriter altercantes, seque ad inuicem conuiciis lacessentes personæ esse viderẽtur. Et reuera duæ erant, diuersa inter se voluntate dissidentes: dæmonis vna, possessum à se corpus collidere cupientis: mulieris altera, hoste quo tenebatur, liberari desiderantis. Quæ diuersitas voluntatum ex disparitate vocum ac dissimilitudine verborum, quæ inter se iactabant, satis clare atque aperte poterat intelligi. Completo igitur iuxta cõsuetudinem mysterij cælestis officio, nobisque ad curanda corpora de basilica egredientibus, iussimus fœminam cũ custodibus ibidem, donec reuerteremur, opperiri, fiduciam habentes, quod per virtutem Christi & merita martyrũ suorum perfidus possessor eius cito foret exiturus. neque nos spes nostra fefellit. Nam post refectionem ad ecclesiam regressi, exacto dęmonio sanam illam & incolumem, ac per omnia mentis suę compotem, atque in Dei laudibus exultantem inuenimus. Et hoc quidem signum in aduentu reliquiarum beatorum Christi martyrum Proti & Hyacinthi iuxta modum à nobis comprehensum constat esse completum: illud autem, quod S. Hermeti adscribitur, quo sit ordine gestum, præsenti narratione clarebit.

Martyres cruciant dæmonem, & cogunt deserere obsessam.

Diuersę voces ex vno ore.

XXVI. Colonia metropolis est in finibus Ribuariorum, super Rhenum posita. Ex qua fœmina quædam erat à renibus deorsum diutina neruorum distensione in tantum debilitata, vt negato sibi crurum ac pedum officio, non aliter quam sedens, porrectis in anteriora pedibus, ac manibus in terram positis innitens, seque hoc modo promouens, vicem ambulandi explere potuisset. Hæc auditis miraculis atque virtutibus, quas Dominus per sanctos martyres suos Marcellinum & Petrum in curatione infirmorum atque debilium operatus est, ad basilicam eorum venire gestiuit. Et quoniam aliter commode nequiuerat, in naue mercatorum, qui illo ad festiuitatem eorundem Sanctorum ibant, aduecta est. Venitque illuc ad diem natalitium, atque ibi spe recuperandæ salutis aliquandiu morata est. Sed vbi vidit curationem suam esse dilatam (& reuera dilata erat, non negata: quia non alibi, sed ibi: neque tunc, sed alio tempore fieri debuit) statuit Moguntiacum proficisci. Erat enim in proximo festiuitas S. Albani martyris, cuius apud eandem vrbem & basilica & percelebre monasterium est. Quo cum venisset, & apud memoriam martyris pro restitutione salutis suæ Domino supplicasset, vidit per soporem quendam iuuenem clericum sibi assistentem, ac nouos calceos manu ferentem, atque vt eos acciperet pedibusque indueret imperantem: se quoque ita fecisse. Illum deinde præcepisse, vt his calceata ad locum, vnde illo venerat, reuerteretur, ibique aduentum Medici præstolaretur, qui eam esset proculdubio sanaturus. Quæ vbi euigilauit, visioni fidem accommodans, quanta potuit celeritate ad Sanctorum martyrum salutifera limina reuersa est: ac per duos menses in eodem loco inter alios pauperes conuersata, pollicitationem visionis opperiebatur. Cum interim circa medium fere mensem Augustum Deusdona Diaconus, cuius in primo operis huius libro crebram fecimus mentionem, Roma veniens, vnũ articulũ digiti beati Hermetis martyris pro magno nobis munere detulit. Quem accipientes, capsula reconditũ in superiori parte basilicę supra ipsum occidentalem ecclesiæ introitum collocauimus. At fœmina, quæ, vt dixi, visione diuinitus admonita illuc venerat, & duobus iam exactis mensibus, nihil promissæ opis sibi aduenisse cernebat, delusam se vano somnio existimans, reditum in patriam meditari cœpit. Statuitque cum negotiatoribus, qui se reducerent, vt proxima Dominica, quæ quinto Calendarum Septembrium die simul cum anniuersaria S. Hermetis solennitate erat futura, nauem eorum in regionem suam reuersura conscenderet. Iamque instante nocte, quæ diem profectioni conditum erat sine dubio præcessura, cum nos secundum consuetudinem completo nocturnali officio, ad quiescendum fuissemus egressi, cæteris exeuntibus, fœmina illa introire volens, in ipso limine consedit: ibique coram omnibus stupore quodam oppressa, parumper obticuit. Ac deinde erumpente ex omnibus pedum vnguibus aliquanto sanguine, ad se reuersa, manum circunstantibus porrexit, erectaque in pedes, ad sepulchrum martyrum ambulare cœpit. Quo cum peruenisset, ad orationem coram altari prosternitur, ibique tandiu iacuit, quoadusque hymnus, quem exultantium simul atque mirantiũ multitudo Deum laudans deuotissime cantabat, compleretur. Quo finito, sana surrexit, sed in patriam vlterius redire noluit. Merito igitur miraculum istud beato Hermeti adscribitur, cuius die natalitio, & sub cuius reliquiis gestum esse constat. Sed nequaquam sanctissimi martyres Marcellinus & Petrus eiusdem operis exortes esse possunt, in quorum basilica patratum est, & quos ipsa, quæ curata est, fœmina toto peregrinationis suæ tempore, vt se adiuuarent, semper inuocauit.

Monasterium S. Albani Moguntiæ percelebre.

Patienter sustinenda curationis dilatio.

Fœmina misere cõtracta sanatur.

XXVII. Hæc sunt, quæ de innumeris Sanctorum virtutibus aut à nobis visa, aut fidelium veraci relatione comperta, literis ac memoriæ mandare decreuimus, quæ Christi amatoribus, ac martyrum eius veneratoribus ad legendum grata fore non ambigo: quoniam nihil eis videtur impossibile, quod vt fiat, Deo omnipotenti placuerit. Incredulis autem ac Sanctorum gloriæ derogantibus, quia fastidiosa esse non dubito, ne omnino legere velint, suadendum censeo: ne forte vilitate nostri sermonis offensi, blasphemiam & inuidentiam deuitare non valeant, ac sic Deum & proximum, quos amare iubentur, se odisse declarent.

IN EO-

IN EODEM VETVSTO MS. CODICE, VNDE HÆC DESCRIPSIMVS, SEQVEBATVR EORVNDEM BEATISSIMORVM MARTYRVM

historia Iambico carmine, licet non admodum exacto, conscripta, non addito Authoris nomine. Qui cum mihi videatur esse idem Eginhartus, qui superiora scripsit, tum propter maiorem historiæ fidem, tum propter Authorem ipsum eam hoc loco subiungere voluimus.

S. Petrus exorcista.

ERat quidem exorcista, Petrus nomine,
Qui doctrinam magni Petri secutus Apostoli,
Veram fidem IESV Christi prædicauit gentibus.
Malignorum adiurator fuit iste dæmonum,
Atque atros verbo potens effugabat spiritus,
Perque signum sanctæ Crucis ægros sanos fecerat.
Comprehenditur & cruciatur à Paganis. Quem pagani comprehensum duris nectunt vinculis,
Ac per multa laniatum tormentorum genera,
Ad extremum tenebroso manciparunt carceri:
Imprudentes arbitrati, quod per artus corporis
Pœna inflicta prævaleret Christi fidem tollere.
Sed cor cælo fixum manens nescit flagris cedere.
Cui custos deputatus præfuit Arthemius,
Qui reorum turbam diris constringebat vinculis,
Atque claustra caligosi seruabat ergastuli.
for. * Paulina. Sic enim in alia Historia vocatur. Erat cui chara valde nata * Virgo nomine,
Quæ inuasa præferoci vexabatur dæmone,
Et paterna sæua pœna cruciabat pectora.
Quod cum Petrus comperisset, compellat Arthemium,
Monens simul & exhortans Christi miles inclytus,
Mercaretur sancta fide vt salutem filiæ:
Deum, dixit, crede Christum, qui creauit omnia,
Qui cælum terramque sua continet in dextera,
Et qui miti potentatu protegit quod possidet.
Hæc beato proferente Petro Christi famulo,
Custos ille tenebrosi carceris Arthemius,
Plura dicta contra refert, sed eadem friuola:
Non est, inquit, verum, Petre, neque verisimile,
Meam tuus possit Christus vt saluare filiam,
Qui nullum exhibet suis solamen cultoribus.
Ferret, puto, si valeret opem suis famulis.
Sed hoc illum non valere produnt illa verbera,
Quæ tu dudum propter ipsum tolerando deficis.
Ad hæc Petrus vultu læto pauca verba referens,
Christum, inquit, confitemur, & in ipsum credimus.
Qui est solus sæculorum saluator & dominus.
Ipse valet, quicquid sibi placuerit, facere,
Tam cælo terraque potens, quam & Ponti fluctibus,
Cui seruit totum suis cælum cum sideribus.
Ille potest quandocunque sibi placet soluere
Duros nexus catenarum, quibus vinctus teneor,
Et de cunctis tormentorum pœnis tutum reddere.
Cur Christus non seruet suos martyres à pœnis. Sed meum credo quod nolit impedire brauium,
Quin peccatis depurgatum peruenire faciat
Per tormenta passionis ad perennem gloriam.
Vellem tamen, ô Arthemi, faceres periculum,
Verum siet, anne falsum, quod de Christo credimus,
Quodque illum tam potentem omnes esse dicimus.
Ad hæc antri carceralis custos nondum credulus,
Fiat, ait, quod hortaris, hodieque clareat,
Valeat quid Christus tuus, quem me rogas credere.
En ego nunc tuis vinclis superaddam vincula,
Teque ipsum tenebroso clausum linquo carcere:
Atque antri postes seris stringam firmioribus.
Si te tantis innodatum liberarit nexibus
Christus vester, ac solutum sospitem reddiderit:
Credam illum, atque Deum colam sine dubio:
Ea tamen ratione, si redemptam videro,
Ipso Christo faciente, meam charam filiam
Ab illius dominatu, quo vexatur, dæmonis.
Tunc subridens fortis ille Petrus Christi famulus,
Fides, ait, imbecilla confirmari poterit,
Si quæ verbis promisisti, factis adimpleueris,
Meque humana sine ope atque adminiculo,
Isto tetro quo includor, liberatum carcere
Domus tuæ limen pede penetrasse videris:
Et non tantum contemplatu, sed palmarum tactibus
Explorando comprobabis ipsum tibi assistere,
Quem inclusum dimisisti tenebroso in carcere.
Arthemius deliratre putat S. Petrũ, dũ pollicetur grãdia. Ad hæc verba crebro caput agitans Arthemius,
Et non credens Deum posse tanta bona facere,
Tali Petro seruo Christi respondet affamine:
Homo, inquit, mente captus, aliena loqueris,
Quod ex multis accidisse reor passionibus,
Quas tu diu propter sectam Christianam sustines.
Ista dixit, & abscessit, seque domum contulit,
Coniugique cuncta suæ cognomento Candidæ
Valde stupens atque mirans dicta Petri retulit.
Cõiux Arthemij reprehẽdit eũ. Cui coniux dubitanti corde fatur credulo,
Se mirari quod insanum voluisset dicere,
Quem audisset sospitatem sibi nunc promittere:
Nec hoc diu differendum esse quod promiserat,
Sed præsenti se facturum fateretur tempore,
Et quod dixit ac spopondit, hodie clarescere.
Ille vero contra nitens, vxorem increpitat,
Cur his verbis fidem daret: & appellat fatuam,
Quia Christum Deum Petri tam potentem crederet.
Non est, ait, numen vllum, sed nec ipse Iuppiter,
Quod eundem sic conclusum possit vinclis soluere,
Vel ex antri tetro lacu liberum dimittere.
Illa Petri verbis credens, quibus se promiserat
Per virtutem IESV Christi mira posse facere,
Tali sibi resistentem repulit elogio:
Hoc est, inquit, quod augebit Dei sui gloriam,
Cum per illum erit factum, quod patrare nequeunt
Illa magna, quæ à nobis nunc coluntur, numina.
Hæc dum simul ac vicissim alternando conferunt,
Atque solis orbe merso, stellæ noctem proferunt:
S. Petrus diuinitus solutus, venit ad illos. Arthemius credit in Christũ cũ suis. Ecce Petrus, vt promisit, adest admirantibus.
Signum Crucis manu gestans, veste fulgens candida:
Seque verum Christi seruum, & non falsum aliquid
Esse monstrat, tum multorum contrectatur manibus.
Hæc cernentem stupor ingens arripit Arthemium:
Atque Petri sine mora pedibus áduoluitur,
Deum solum verum Christum magnis clamans vocibus,
Hoc & coniux, hoc & cuncta consonat familia.
Esse nullum, nisi Christum, rerum potentissimum,
Quem beatus prædicasset Petrus atque coleret.
In aduentu cuius ipsum, quod eorum filiam
Filia Arthemij liberatur à dæmone. Diu male possidendo vexabat, dæmonium
Fugit statim, & inuitus Dei virum prædicat,
Vt in alto malum atrox audiretur aëre:
Virtus, dicens, Christi, Petre, in te manens pepulit
Me de illa, quam tenebam vsque modo virgine.
Hæc tum Petro faciente per virtutem Spiritus,
Fama velox per vicina statim loca volitans,
Multos valde congregauit viros atque fœminas.
Nam non minus quam trecenti conuenêre masculi,
Mulierum quoque maior numerus confluxerat:
Simul omnes admirantes sancti Christi gloriam.
Etenim cernebant cuncti, quod in Christi nomine
Omnes morbi sanarentur per supernam gratiam,
Perque sacra Petri iussa pellerentur dæmones.
Et videntes, corde puro capere desiderant
Multi ad Christum accedunt. Fidem Christi salutarem: simul atque flagitant,
Vt in sacri mererentur vnda fontis ablui.
Huc statim vocante Petro venit Christi famulus,
Magnus martyr & confessor Marcellinus presbyter,
Vt nouellum confirmaret baptismate populum.
Quæ dum essent adimpleta competenti ordine,
Nutu Dei quaterdeni dies euoluti sunt,
Per quos Sancti nouæ gentis nationem roborant:
Vt in Christo permanentes, creaturas colere
Nolint, vitam neque istam velut magni quippiam

Ample-

Amplectantur: immo velint propter ipsum perdere.
His exactis, adest sæui missus lictor Iudicis,
Iubens omnes, qui fuissent tetro clausi carcere,
Ad conspectum nocte prima arbitri assistere.
Quod extemplo cum audisset atri custos carceris.
Blandis vinctos, qui aderant, vocibus alloquitur,
Irent cuncti, quoquouersum vellet quisque pergere:
Qui ad palmam, inquit, regni peruenire cogitat,
Ille mecum ad Sereni Iudicis præsentiam
Pœnas ibi subiturus pergere non hæsitet.
Si quis vero nondum vitam mundialem spernerê
Valet, atque tormentorum est pauore territus,
Eat liber, quo voluntas illum sua tulerit.
Ecce autem Iudex primo noctis gallicinio
Surgit vigil, ac furenti você iubet noxios
Suis omnes alligatos exhiberi visibus.
Huic præsto tenebrosi custos astans carceris,
Petrus, ait, exorcista, quem puniri iusseras,
Per virtutem sui Christi cunctos vinctos soluerat,
Et catenis absolutos, ire iussit liberos.
Ipse tamen Marcellinum quendam secum retinens,
In qua semel iussus erat, permanet custodia.
Hæc dicentem furibundus imperat Vicarius
Iubente Iudice plũbatis cęditur Arthemius. Plumbo cæsum, atq; vinctum carceris Arthemium
In obscuram atque arctam recipi custodiam:
Sanctos vero Marcellinum atque Petrum martyres,
Quæstionem habiturus de illorum actibus,
Suo iubet sæuus Iudex tribunali assistere.
Quos vt toruis coram stantes conspicatur vultibus,
Blandis primo compellandos arbitratur vocibus:
Vt eorum permutaret mentium propositum.
Pœna, dixit, vos minore plecti posse dicerem,
Nisi cunctos criminosos, qui vobiscum carceris
Antro clausi tenebantur, effugisse cernerem,
Et hoc factum vestro nossem Christiano dogmate,
Per quod male miserorum mentibus illuditis,
Fascinantes ac fallentes magicis versutiis.
S. Marcellinus respondet Iudici. Cui magnus Christi martyr Marcellinus presbyter,
Forti pectus pietatis plenum gerens spiritu,
Pauca quidem, sed non parua verba contra reddidit:
Non est, inquit, criminosus, nec dicendus noxius,
Qui omisso paganismo, Christo cœpit credere,
Atque illi sana mente seruiendum iudicat.
Hoc qui facit, Dei summi filius vocabitur,
Et à cunctis peccatorum absolutus sordibus,
Vere esse, quod vocatur, Deo dante visitur.
Hæc dicentem Marcellinum imperat minaciter
Cæditur pugnis, &c. Sæuus Iudex sub duorum pugnis cæsum subigi,
Et in locum, omni luce qui careret, proiici.
In quo vitrum super humum fecit fractum spargier,
Ac desuper assertorem veri nudum sternere,
Atque vinctum volutari illis in fragminibus,
Omni victu abstineri Christi iubens famulum:
Vt his pœnis enecatus, interiret properè,
Cui fidem extorquere se non posse viderat.
Tum deinde Petrum videns, talibus alloquitur:
Nolo, inquit, arbitreris iterum eculeo
Te torquendum, vel ignitis exurendum faculis.
Immo noris, quod nectendus nodis fortioribus,
Stipitique applicatus luce stabis crastina,
Ac ferarum laniatu vitam breui finies.
S. Petri mira constãtia. Tum beatus respondendo Petrus forti pectore,
Iram volens contumacis concitare Iudicis,
Tali voce sæuientem prouocat insaniam:
Cum Serenus vociteris, miror validissime,
Cur tam tetro vultum geras obfuscatum nubilo,
Vt mensuram peruidere propriam non valeas.
Esse nanque te mortalem vniuersi nouimus,
Et tu velut quiddam magnum in te vigens lateat,
Grandes pœnas minitaris Christiano populo,
Stulta nimis ac feroci confidens audacia,
Immortalem Christi fidem de credentum cordibus
Exturbari vnquam posse pœnis temporalibus.
Sacerdotem quidem Christi, quem rogare poteras,
Vt pro tuis exoraret plurimis excessibus,
Pugnis cæsum atque vinctum mancipasti carceri:
De quo tamen tristi facto vero lætus gaudio,
Magnus ille martyr Christi modo nihil queritur:
Immo rerum conditori dignas refert gratias.
His auditis, efferatus tormentorum arbiter,
Petrum iubet catenarum comprehensum pondere
Oneratum, in obscuram recipi custodiam.
Et in cippo furibundus præcipit arctissimo
Plantas simul atque crura pretiosi martyris,
Ne abire præualeret, includendo comprimi.
Sed cum essent isto modo separati martyres,
Celso missus visitator cæli venit culmine
Ad beatum Christi testem consolandum Angelus.
Qui dum sanctum inuenisset vitro superpositum
Marcellinum sine veste nudo vinctum corpore,
Christo Deo supplicantem, sicut erat solitus,
Soluit statim, & opertum indumentis propriis
Quoquouersum præcedentem se sequendum imperat,
Eo dicens perducendum, vbi Petrus fuerat.
Cumque esset illo ventum, verus Dei nuntius,
Petro statim absoluto, Marcellino præcipit,
Vt se ambo præcedentem sequerentur pariter.
Quem sequentes intrauerunt domum quandam subito,
In qua erat congregatus Christianus populus,
Qui per ipsos ad diuinam doctrinam peruenerat.
Tum præcepit ille magnis Angelus martyribus,
Vt cateruam congregatam confirmare studeant
Per septena proximorum dierum volumina:
Ac tum demum sæuienti se tyranno proferant,
Ostendantque parum posse illius potentiam
Contra Dei continentis cuncta prouidentiam.
Tum sequenti luce iussit Iudex crudelissimus,
Vt ministri visitarent loca, quibus martyres
Clausos simul & ligatos custodiri iusserat.
Cumque ibi non repertos referentes dicerent,
Ire iussit, & adduci vna cum Arthemio
Eius quoque mulierem cognomento Candidam,
Atque natam eorundem, nuncupatam Virginem,
De qua Petrus exorcista dæmonem expulerat,
Et purgatam regi Christo credulam reddiderat.
Hos adductos ille truci intuitus oculo,
Diis iussit, immo tetris vt litarent laruulis,
Atque sacram Christi fidem abnegando linquerent.
Et cum nolle peruidisset imperata facere,
Iussit sæuus in ingenti ruderum congerie,
More pressi noxiorum, necarentur pariter.
Qui cum vincti ducerentur viam per Aureliam,
Vident simul Marcellinum atque Petrum martyres,
Et cum eis multam valde populi frequentiam.
Quibus visis, profugisse tremefactos asserunt,
Qui beatos confessores catenarum pondere
Prægrauatos ac depressos puniendos traxerant.
Quos vt pij fugientes turba vidit populi,
Præcurrendo festinauit præuenire pauidos:
Ac mulcere cor furentum verbis cœpit mitibus:
Sed non valens quod volebat pia plebs perficere,
Loco fixos retentauit, donec Christi famulus
Marcellinus obtulisset salutarem hostiam.
Nam in specu, quo futura sperabatur passio,
Martyr Christi celebrauit Missarum solennia.
Quîs completis, abscesserunt quos abire iusserat.
Tum conuersi Marcellinus atque Petrus martyres,
Ambo simul perfidorum alloquuntur populum,
Atque tali furibundos compellabant famine:
En vidistis quod in nostra ditione fuerat,
Vt vos modo, quo vellemus, valeremus lædere,
Et quos vinctos tenebatis, vi ereptos tollere,
Sed hoc nolle Christiana fecit patientia,
Quam suorum ferendo famulorum sensibus,
Suo mites ac modestos Christus facit munere.
Et nunc quidem nos, superna suffragante gratia,
Hinc abire poteramus, si hoc ferret animus.
Vos contra quid possitis, tandem palam dicite.

S Petrus vinctus catenis truditur in carcerem.

Angelus soluit Marcellinum & Petrum, & educit è custodia.

Sententia in Arthemium & coniugem ac filiam eius.

Missa celebrata à S. Marcellino in speuc.

Arthemi⁹ delirare putat S. Petrũ, dũ pollicetur grãdia.

Cõiux Arthemij reprehẽdit eũ.

S. Petr⁹ diuinitus solutus, venit ad illos. Arthemi⁹ credit in Christũ cũ suis.

Filia Arthemij liberatur à dæmone.

Multi ad Christum accedunt.

Arthemius decollatur. Tum frendentes ac frementes satanæ satellites,
Primò ipsum, quem trahebant, trucidant Arthemium,
Ense duro ferientes effecerunt martyrem:
Eius vxor & filia saxis obruuntur. Cuius neci coniunxerunt coniugem ac filiam.
Quas per cryptæ liminare præceps datos obruunt
Saxis simul atq; magnis arenarum molibus.
Tum beatos assertores veritatis alligant
Marcellinum atq; Petrum auidos martyrij:
Annectuntq; catenatos arborum stipitibus,
Donec tetro nuntiarent tormentorum arbitro,
Atq; ipso comperirent decernente ludice,
Quali morte magni forent consumendi martyres.
Qui dum cuncta congnouisset gesta, quæq; iusserat,
Nigram iubet intra syluam sanctos duci martyres,
Et inibi capitalem capere sententiam.
Quò cùm eos deduxissent dæmonum satellites,
Illi læti & alacres, laudantesq; Dominum,
Locum suæ passioni largiorem faciunt:
Nam & spinas atq; vepres euellebant manibus
Ipsi suis, vt purgando terram puram redderent,
Sacrum erat quæ illorum exceptura sanguinem.
Marcellin⁹ & Petrus plectuntur capite. Tunc orantes, atq; pacis sibi dantes osculum,
Genu flexo percussorem patienter perferunt,
Ac proiecta graui petunt cœlum carnis sarcina.
Quorum ipse, qui eosdem magnos Christi martyres
Ferro iussus, iugulauit, se vidisse fassus est
Carnis vinclis absolutos euolâsse spiritus
Forma quasi virginali, tectos veste fulgida,
Auro quoq; radiantes ac gemmarum lumine,
Angelorum coruscantum circundatos agmine,
Lætabundos cum immensa lucis affluentia,
Supra cuncta penetrando celsa mundi sidera,
Subleuatos ad æterna cœli regna scandere.
Duæ quædam referuntur Romæ natæ fœminæ,
Vna dicta est Lucilla, Firminaq; altera,
Veram puris retinentes Christi fidem cordibus,
Quæ propinquæ ter beati martyris Tiburtij,
Ad illius sacrosanctum assidentes tumulum,
Deo gratas vigilando ducebant excubias.
Quibus ipse cum beatis semet comitantibus
Marcellino atq; Petro manifestè retulit
Per soporem, vbi sacra iacuissent corpora
Eorundem electorum, atq; simul admonet,
Vt euntes absq; mora, illa statim auferant,
Et in crypta suum prope curent corpus ponere:
Qui præceptis obsequentes, Nigram syluam adeunt,
Sublatosq; beatorum inde portant cineres,
Et in specu deponentes, iusso loco tumulant.
Quas ad ista peragenda adiuuisse referunt
Duos quosdam de sacratæ sedis Apostolicæ
Clericis, quos ordo sacer nominat Acolytos.
Hæc vt gesta referuntur, retulisse asserunt
Illum ipsum, qui eosdem interemit martyres,
Et ab illo didicisse Damasum Pontificem,
Cùm ætate puerili, per eadem tempora
Sub magistro ministraret, & ad magnum crescceret
Rerum culmen, tunc Romana lector in Ecclesia.
Post hæc cuncta memorâsse, ac mandâsse literis,
Cùm illius almæ sedis obtineret apicem,
Et in tota principatu polleret Ecclesia.
Ille autem, qui beatos martyres percusserat,
Dorotheus cognomento, per diuinam gratiam
Ad baptismi sacramentum peruenisse dicitur:
Sacram sedem tunc regente Iulio Pontifice,
Publicam simul puramque gessit pœnitentiam:
Atque morum probitate consequi promeruit
Sempiterni Saluatoris salutarem gratiam,
Per illorum, quos percussit, beatorum martyrum
Nunc & semper memorandam miram patientiam.
Qui de mundi triumphantes principe diabolo,
In supernis collocati semper gaudent sedibus
Coram Christo per æterna sæculorum sæcula.

§. Tiburtius cũ Marcellino & Petro apparet Lucinę &c.

Damasus Põtifex scripsit historiam Marcellini & Petri.

AN. 280. VITA S. ERASMI EPISCOPI ET MARTYRIS EX MOMBRITII TOM. I.

2. IVNII. Erasmus latet in eremo. ACTA est persecutio Christianorum Diocletiano Imperatore, vt si quis inuentus fuisset non sacrificare dijs, multis supplicijs interiret. Hæc audiens beatus Erasmus heremum petijt annis septem, vbi multa mirabilia fecit in monte qui dicitur Lybanus, die ac nocte Dominum deprecans: nam esca ei per coruum vectabatur. Multas enim virtutes per eum Dominus faciebat, ita vt angeli cum eo loquerentur: diuersæ etiam feræ veniebant in cellulam eius; & prosternebant se ad eius vestigia; & facta est vox de cœlo dicens, Erasme descende ad tuam ciuitatem: & statim surrexit & descendit ad ciuitatem: cumque descendisset multi qui vexabantur à spiritibus immundis, occurrebant ei: Tunc beatus Erasmus imponebat eis manus in nomine Domini, & statim salui fiebant. Multos etiam per Baptismum conuertebat ad Dominum. I.

Redit ad ciuitatem.

Sistitur Diocletiano Imperatori. HOC audiens Diocletianus Imperator, iussit beatum Erasmum teneri & sibi præsentari. Cumque introduceretur sedens Imperator pro tribunali, interrogauit eum, dicens: Quid vis esse, aut ex quo genere es tu? Tunc beatus Erasmus dixit: Christianus sum, & Christi seruus: & ipsum confiteor. Erat autem beatus Erasmus non solum spiritu, sed & corpore pulcher, vultus etiam eius angelicus, oculi sicut radij solis, loquela ipsius sine vlla offensione: Securus itaque respondebat, & non trepidabat, ad quem ait Imperator: Acquiesce, & sacrifica dijs meis, vt non male moriaris. Ad quem Erasmus: O Imperator, nunquam ero, vt lapidibus & sculptilibus, quibus tu ipse similis es, sacrificem: sed ego sacrifico Deo viuo qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ eis sunt, ipsi soli seruiet anima mea, tibi nunquam consentio. II.

Psal. 145.

Plumbatis cæditur. TVNC Imperator furore repletus, iussit ministris plumbatis latera eius tundi, qui dum cæderetur, respexit in cœlum, & dixit: Gratias tibi ago Domine Iesu Christe, qui es via in te credentium, qua peruenit ad quod desiderat anima mea: adiuua seruum tuum, vt non me absorbeat abyssus mortis: Tunc Imperator dixit: Erasme, video te iuuenem pulchrum, consule animæ tuæ, & sacrifica dijs meis, & dabo tibi aurum, argentum, & vestem inæstimabilem, faciamque te nobilem in palatio meo. Dicit ei beatus Erasmus: Lupe rapax, seductor animarum, non præmia tua separant me à charitate Christi. Nam aurum & argentum & vestes tuæ inæstimabiles, sunt tecum in die perditionis tuæ: Ego autem habeo loricam fidei, quam infirmus corrumpere non potest: tu verò cum patre tuo diabolo eris in igne æterno arsurus. III.

Fustibus mactatur. TVNC Imperator furore repletus, iussit beatum Erasmum fustibus mactari. Ter nouos mutauit, & in dorso eius nulla macula videbatur. Vniuersa verò plebs clamabat: verè magnus est Deus Christianorum, qui tantam virtutem operatur in illo. Imperator dixit: Erratis populi, artes maleficiorum operatur iste. tunc beatus Erasmus dixit: nonne & tu diabolus es similis illi, qui prothoplastum de paradyso eiecit, impie carnifex, draco iniquitatis, dux maleficiorum, maleficia mea: CHRISTVS est filius DEI viui, quem Virgo genuit MARIA ex Verbo, quem Prophetæ venturum prædicauerunt, qui soluit peccata mundi, illuminans tenebras ignorantiæ nostræ, IV.

qui te

qui te percutiet in æternum; cui & tu rationem redditurus es; Imperator furore repletus iussit beati Erasmi carnes vinculis ferreis effodi, ille lętus propheticum psalmum Deo canebat; posuerunt Hierusalem vt pomorum custodiam: posuerunt morticina seruorum tuorum bestiis terræ. *Psal. 78.*

V. TVNC Imperator iussit ministris plumbum, picem, sulphur, resinam; cum cera & oleo solui; & B. Erasmum profundi, stabat autem Angelus Domini, qui ei refrigerium præstabat: tunc B. Erasmus dixit: quid est Imperator? vbi sunt tuæ minæ; & furor tuus magnus? corpori meo præstitisti refrigerium magnum, vniuersa vero plebs clamabat, dimitte hominem iustum, & Episcopum ciuitatis suæ, quia Dominus Christianorum operatur cum illo; & ecce subito factus est terræ motus magnus, & tonitrua & corruscationes, vt pene pars tertia populi moreretur, Angelus vero Domini cum Beato Erasmo stabat, & cæcos homines ad Christi lumen deducebat. Imperator autem fugiens sperabat ciuitatem ab ira Dei perire, qui locutus est ad populum & dixit: Iste, quem videtis, Deos blasphemauit, ideo talis est perturbatio. Resina, sulphure, plũbo, pice, cera, oleo illæsus perfunditur. Multi fidē Christi recipiunt.

VI. TVNC Imperator repletus furore, iussit Beatum Erasmum in carcere retroduci, & centum pondera ferri in ceruicem vel in manibus eius imponi, & præcepit ministris, vt siquis inuentus fuisset, vel aquam ei dare, morte moreretur; & fecerunt ministri, sicut eis præceptum fuerat: Imperator autem annulo suo signauit ostia carceris; & circa mediam noctem exclamauit Beatus Erasmus ad dominum dicens: Domine IESV Christe, accelera & eripe me vt non glorietur inimicus in seruis tuis, ne dicant gentes vbi est Deus eorum? & ecce subito carcer illuxit, & fragrauit quasi fuisset plenus aromatibus, & visa sunt velut duodecim candelabra aurea ardentia ante Beatum Erasmum; Angelus enim Domini ingressus fuerat ad eum, dicens: Erasme, ecce ego veni ad te; & statim liquefactum est ferrum, tamquam cera, & in medio eorum stabat psallens & benedicebat Dominum dicens: benedictus es Domine, qui fecisti cælum & terram, cui adstant Angeli & Archangeli cum tremore, & numerus prophetarum, & martyrum qui passi sunt propter te, qui fecisti cum seruo tuo misericordiam; & liberasti animam meam de manibus inimicorum meorum, sicut liberasti Sidrach, Misach, & Abdenago de medio fornacis ignis ardentis & de manu Nabuchodonosor regis, & Danielem seruum tuum de lacu leonum, allato ei prandio per Abacuch prophetam, & Susannam à falso crimine liberasti, & mecum fecisti misericordiam: & ecce Angelus Domini dicit ad eum: Erasme exsurge & ambula mecum in Italiam, ibi tibi Dominus æternam tribuet vitam in sæculum sæculi: & quasi columbam Christi plaudentem sic in ciuitate Lucida deposuit eum. Immenso pondere ferri constrictus, in carcere reclusus est sub dira custodia. Angelica visitatione soluitur & erigitur. *Daniel 3.* *Daniel 6.* *Daniel 13.*

VII. ALIA autem die Imperator currens ad carcerem signaturam annuli sui inuenit, cumque resignasset, præcepit ministris dicens, adducite magum, qui Deos meos pro nihilo fecit, ingressi autem in carcerem, nusquam eum inuenerunt, ferrum vero sicut cinis inuentum est, & factus est clamor magnus, hominem non inuenimus, nam & ipsum ferrum nobis cinis videtur esse. Quod cum audisset Imperator alapam sibi ipse in fronte percussit, dicens: væ mihi, delusum est regnum meum, quid dicturus ero populo, venerunt enim quasi quadraginta millia virorum, mulierum, ad spectaculum militis Christi. Turbabatur tota ciuitas in timore grandi posita, Christiani, Christianum requirebant Viduæ & orphani, Episcopum quærebant: dicentes quid fecisti? hominem iustum redde ciuitati. Tunc Imperator timore perterritus dixit, quia dij eum in cælum leuauerunt, & præmio magno se redemit, & cum B. Erasmus in Lucem venisset & multos in Christi nomine baptizasset, omnia virtutibus operabatur, nam infirmos & cæcos orationibus curabat.

VIII. NOBILIS quidam erat & primarius ciuitatis, nomine Anastasius, cuius filius mortuus fuerat, & corpus eius ad sepulchrum deducebatur (Iussum enim fuerat, B. Erasmo à Domino, vt eum resuscitaret, & redderet parentibus suis) & apprehendens B. Erasmus pheretrum eius, dixit, Anastasi, si credis in Dominum IESVM Christum, qui natus de Spiritu sancto ex Maria virgine, recipies filium tuum saluum; multa enim turba populi mirabatur hæc verba. Anastasius dixit: & tu potes filium meum resuscitare? B. Erasmus dixit: non ego, sed Dominus IESVS CHRISTVS, cui ego seruio. Anastasius dixit, si mihi filium meum reddideris saluum, credo ego, & domus mea, & hic populus vniuersus. Tunc B. Erasmus, iussit corpus eius deponi & secretius patrem & matrem eius iussit stare, & flexit genua circa corpus eius, & dixit: puer exurge; cumque surrexisset, exclamauit voce magna dicens: vere quia magnus est Deus Christianorum, pater, à quo nunc vsque errauimus: Dij enim, quos colebamus, nihil sunt; vidi enim eos in inferno non habere requiem à tortoribus. Dominus autem huius famuli Erasmi magnus est. Et credidit Anastasius & tota domus eius & populus vniuersus, qui in illa hora fuerunt baptizati, erant quasi centum triginta animæ promiscui sexus. Tunc Beatus Erasmus exclamauit voce magna: gratias tibi ago Domine IESV CHRISTE, quia congregasti tibi populum in via veritatis, tu enim dixisti in Euangelica voce, petite & accipietis, quærite, & inuenietis: pulsate & aperietur vobis. Benedic populum tuum hunc, quem acquisisti tibi, & facta est vox ad eum de cælo dicens: Erasme, serue bone, quia pro me laboras in terris, omnia qua cumque petieris dabuntur tibi, & benedixit Dominus populum hunc quia crediderunt in illa hora. Et omnia idola, quæ colebant euerterunt. Per septem dies B. Erasmus docens, populum confirmans in Christi doctrina dicebat, custodite mandata eius quæ audistis & magnalia eius quæ fecit in vobis, Induite loricam fidei & iam fideles estote. Suscitat mortuum. *Matt. 7.*

IX. AVDIENS ea Maximianus Imperator, quæ facta fuerant in Lucoido ciuitate à Probo, iniquissimo homine & sacrilego, qui dixit. Audi pie Imperator, quæ facta sunt in ciuitate tua, & regnum tuum delusum est, & Dij vestri nescio à quo homine Antiocheno, subuersi sunt, qui confitetur illum IESVM CHRISTVM, qui crucifixus est ab hominibus in Iudæa, Deum esse. Quo audito Imperator iussit B. Erasmum teneri, & præsentato eo præparatum tribunal adscendit, & ingressus est Beatus Erasmus ad quem Imperator dicit, scelerate homo, quæ est tibi religio? Tunc Beatus Erasmus tacuit, & oculis suis in cælum respexit; Imperator autem dixit ei, nihil loqueris? & iussit maxillas eius contundi. Tunc Beatus Erasmus dixit. Lupe rapax, plene iniquitate, malefice quid persequeris seruum Dei? Imperator dixit: quem confiteris? Beatus Erasmus dixit IESVM Christum filium Dei: Imperator dixit, nonne hic ipse est qui crucifixus est ab hominibus in Iudæa? Tunc Beatus Erasmus dixit, ipsius ego seruus sum. Imperator dixit; talis sis qualis ipse est, & sic moriaris. Tunc Beatus Erasmus subridens ait illi; optime Imperator bene dixisti mihi, vt illius ego merear vestigia sequi, quia effusio sanguinis illius nostra illuminatio est: quem si volueris cognoscere, & in illum credere, saluus eris. Imperator dixit, tu in illum credas & genus tuum. Beatus Erasmus dixit, optime dixisti mihi, plane quia sic credimus, & Sistitur Maximiano Imperatori Maxillæ eius contũduntur.

mus, & hostiàs laudis & iubilationis munera offerimus ei, qui saluauit populum suum à peccatis eorum. Imperator dixit, consule tibi & acquiesce, & sacrifica diis meis.

TVNC B. Erasmus respondit, quos deos iubes me adorare? cui Imperator, si tibi dixero, consentis? Ad X. hoc beatus Erasmus respondit, si videro, forte facio. Tunc gaudio repletus Imperator, cum vniuerso populo, vsque ad templum Iouis currens iussit hominem Dei deduci ad ciuitatem Sirmitanam, & præcepit organa, & omne genus musicorum in templo parari. Hoc videns beatus Erasmus ingemuit corde, & oculis suis ad cœlum respexit dicens; Christe fili Dei viui, esto præsens in ista hora, & mitte Angelum tuum, qui mihi auxilietur, & confirmet me in ista pugna Diaboli, quam mihi præparauit. Cumque peruenisset in templum beatus Erasmus, dixit, vbi est Deus quem me iubes adorare? Imperator autem apprehendens manum eius ingressus est in templum, & ostendit ei statuam auream magnitudinis cubitorum duodecim. Et dixit, ecce Deus meus, cui seruio: statimque vt Diabolus adspexit faciem martyris & athletæ Christi, cecidit statua, & in cinerem euersa est, & exiuit draco magnus ex illa, & occidit pene tertiam partem populi; Imperator autem videns se esse delusum adscendit equum, & ad palatium pergebat, percutiens pectus suum, & dicens: væ mihi, delusum est organum meum, à nescio quo homine antiocheno; media autem pars populi clamabat: sancte serue Dei ora pro nobis, vt non perdamus ab isto dracone; Tunc beatus Erasmus dixit, credite in Deum, in quem ego credo & salui eritis, & nolite seduci. Tunc beatus Erasmus imperauit draconi vt vltra quenquam hominum non contaminaret; videns autem vniuersus populus Christianorum voce magna clamabat dicens; quia magnus est Deus Christianorum, qui tantas virtutes operatur per seruum suum. Beatus Erasmus dixit: ecce quales virtutes operatur Christus, per seruos suos, qui credunt in illum. Et baptizati sunt à beato Erasmo quasi mille homines: Erat enim certamen in cælo, & spectacula Angelorum, & pars Diaboli quæ non pugnabat. Tunc beatus Erasmus exclamauit voce magna, Gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, & omnis populus, qui conuersus fuerat ad Deum, responderunt, Amen.

Luc. 2.

CONTVRBATA est autem omnis ciuitas Sirmitana: conterritus vero Imperator misit armatos mi- XI.
CCCXXX Martyres ab Erasmo baptizati. lites, & iussit omnes qui ad Deum conuersi fuerant gladio puniri. Trucidauerunt autem trecentos triginta homines, commendantes se orationibus sancti Erasmi martyris, quibus ait, Ite in nomine domini feliciter ad ciuitatem sanctam, quam vobis Deus præparauit, & ego post modicum tempus venio ad vos. Erant autem Angeli currentes per nubes cæli, suscipientes animas eorum, & triumphantes martyres vsque ad cælum glorioſam passionem. Et audita est vox psallentium in cælo; via iustorum recta facta est, & iter sanctorum præparatum est. Quod videns beatus Erasmus gratulabatur vt bonus pastor super oues, quas tradidit Christo.

TVNC Imperator furore repletus, iussit teneri beatum Erasmum & diuersis suppliciis torqueri, & iussit XII.
Tunica ærea ignea vestitur. ministris tunicam æream fieri, aduersus staturam eius, & igneam, fortiterque eum vestiri dicens: Nunc videro, si Deus tuus eripiet te de manibus meis. Tunc beatus Erasmus dixit, carnifex plene iniquitate fili Diaboli, verecundiam tuam lauda, quia deterior es cane. Dixi tibi & nunc dico, non timeo minas tuas. Et si ampliora facias, cor meum non trepidabit, & signans se signo crucis vestiuit se tunica ignea, psallens propheticum psalmum; Transiuimus per ignem & aquam, & duxisti nos in refrigerium. Et iterum; tamquam aurum in fornace probasti omnes, qui in te credunt, & sicut holocausti hostiam dignam suscepisti eos. Statim tunica ignea, qua indutus fuerat; facta est frigida sicut nix, ita vt nulla macula super eum inuenta fuisset. Tunc beatus Erasmus dixit, ecce Imperator confusus es cum patre tuo Diabolo, cum quo eris in igne æterno arsurus, nam Dominus meus Iesus Christus liberauit me, populus autem clamabat, vere quia magnus est Deus Christianorum, qui tantas virtutes operatur in illo. Imperator dixit, artes sunt maleficiorum, vt igni imperet, & Deos nostros deludat, tunc beatus Erasmus: dixit stultissime Imperator, quæ putas maleficia mea. Mecum est Christus filius Dei viui, ipse qui imperat, & Deos tuos deludit, Lapides & æramenta surda ab hominibus conflata, quibus tu ipse similis es. Nam Dominus meus IESVS CHRISTVS viuus est & virtutibus vincit.

Psal. 65. Sapient 3.

IMPERATOR dicit. Quamdiu iniurias tuas tolerare possum? tunc beatus Erasmus dixit, etiam & ego XIII.
In ollam, plumbo, pice, cera, resina, & oleo feruefacta iterum mittitur miror verecundiam frontis tuæ, quia non erubescis: tunc Imperator iussit ministris suis ollam parari vrnarum viginti, & plumbum, picemq; simul cum cera & resina & oleo solui, & repleri ac succendi. Et fecerunt ministri sicut eis præceptum fuerat. Et feruefacta est olla, & fluctuabat sicut mare. Tunc beatus Erasmus dixit Imperatori; ista olla est refrigerium meum, quare facto signaculo Christi descendit in eam, statimque ait, vox domini super aquas multas, Deus maiestatis intonuit, & effudit vnam vndam ex olla, & instillauit Imperatorem qui exclamauit, ardeo homo Dei, ora pro me: tunc beatus Erasmus dixit, væ tibi lupe rapax, & gehennæ ignis quam tibi parauit simul & patre tuo diabolo & ministris eius Deus. Scio quia cor tuum obduratum est, sed propter populum hunc circumstantem tibi bene erit, & quieuit ille dolor. Multi autem in illa hora crediderunt.

Psal. 28.

IMPERATOR autem vidit se iam fatigatum esse, & iussit martyrem Dei recipi in arctam custodiam & XIV.
Carceri inclusus liberatur ab Angelo, & ducitur in Campaniã eum ingenti ferri pondere colligari. Cumque orasset, apparuit ei Angelus Dei iuueni similis, & vocans eum dixit illi; Erasme, surge, ego sum Michael Angelus, missus sum ad te, vt te ducam in Campaniam prouinciam, quæ vocatur Formias, ad docendum populum. Et apprehendens eum de ciuitate Sirmitana, veniensque ad quendam locum nauiculam à Domino paratam inuenit, & transmigrauit eum in prouinciam Campaniam. Alia vero die turbatus est Imperator quod eum non inuenisset, dicens, quia Deus eripuit eum; Seruus autem Dei & martyr Christi venit & sedit in ciuitate Formiana, cum militia Angelorum, & orauit ad Dominum & requiescebat. Angelus autem Domini panem ei quotidie ministrabat, & facta est ad eum vox de cælo dicens; Erasme, veni & requiesce in ciuitatem quam præparauit Dominus fratribus tuis martyribus, & prophetis, & recipe laborem tuum; per te enim honorificatus sum in cælo & in terra. Et respexit beatus Erasmus in cælum, & vidit coronam inenarrabilem, in occursum sibi decore venientem, & choros Apostolorum & prophetarum, & inclinauit caput suum & adorauit Dominum & dixit, Domine IESV Christe, suscipe animam serui tui, & cum complesset orationem emisit spiritum. Et visa est anima eius plus candida quam nix, & quomodo ab Angelis deducebatur cum gloria magna, & cum illis cælum penetrabat.

Vocante Domino sancto fine quiescit.

TVNC

XV. TVNC beatus Erasmus pro viduis & orphanis deprecabatur dicens; Domine IESV Christe vnigenite fili Dei, patris, qui me feciſti requieſcere in loco meo, qui eſt locus habitationis tuæ, concede, vt qui me petierit in nomine tuo, recipiat mercedem ſuam ſabbatho & dominica, ego Erasmus de hoc loco non recedam, triumphauit autem martyr Chriſti in cælo, & facta eſt ad eum vox de cælo clariſſima dicens: Eraſme, ſerue bone, quæcumque petiſti accipies, intra in gaudium domini tui & epulare cum iuſtis & electis Dei in ſæcula ſæculorum Amen. Paſſus eſt autem beatiſſimus martyr Eraſmus quarto nonarum Iuliarum temporibus Diocletiani & Maximiani Imperatorum, Regnante Domino noſtro IESV Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

FVIT corpus S. Eraſmi olim Formiis, vt ſcribit S. Gregorius in regiſt. lib. 1. epiſt. 8. eratque Formiana Eccleſia ſedes Epiſcopalis, cui idem S. Gregorius vniuit Eccleſiam Minturnenſem. Sed vtraque in propinquum locum, Caietam, vna cum corpore eiusdem ſancti martyris, quod ibi decentiſſime aſſeruatur & colitur, translata eſt. Vide Baron. in notis ad Martyrol. 2. Iunij.

PASSIO SS. PERGENTINI ET LAVRENTINI FRATRVM MARTYRVM. HABETVR IN ANTIQVIS MS. CODICIBVS, ſed per F. Laur. Surium ſtylus mutatus eſt, & pleraque reddita comprehenſius. AN. 245.

I. IMPERANTE Decio Cæſare, grauis fuit perſecutio Chriſtianorum. Multa tum proponebantur edicta, vt qui Chriſtum colerent, nec ſacrificare diis vellent, variis pœnis interficerentur. Cum autem regiones peragraret Decius cum miniſtris ſuis, & Aretium veniſſet, habebat apud ſe vnum ex conſiliariis ſuis, Tiburtium nomine, crudeliſſimum Chriſtianorum perſecutorem. Ibi tum ethnicus quidam ita ait: Sunt hic duo germani fratres Pergentinus & Laurentinus, nobiles genere, qui ſe Chriſtianos profitentur, & quotidie ſcholas adeuntes, literis inſtituuntur, vt poſſint Chriſti doctrinam plene cognitam habere. Quos ſi vos ita pergere ſinetis, cedet id in exitium vrbis huius, & populum omnem ad Chriſti religionem traducent. His auditis, Tiburtius furore percitus, iuſſit eos coram ſe adduci. Cum autem à militibus ducerentur, dixit Pergentinus ad Laurentinum: Iam noſtrum propinquat certamen. Reſpondit Laurentinus: Frater mi, non formidemus hæc tormenta: illa vero potius æterna timeamus ſupplicia & noſtrum redemptorem, qui nos iuſſit non timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere. Pergentinus dixit: Eamus animo virili, & perſtemus in fide, nihil tyranni iuſſa formidantes. Sed tu iudici reſponſa reddes, qui me ad dicendum & reſpondendum inſtructior es. IVNII 3. Deferuntur ſancti Martyres ad Tiburtium. *Matth.* 10.

II. VBI ad Tiburtij conſpectum venere, ait illis: Cur vos relinquitis deos, quos colunt piiſſimi Imperatores, & adhæretis Chriſto, quem Iudæi occiderunt? Reſpondit beatus Laurentinus: Nos præter Chriſtum viuentis Dei filium, alium Deum prorſus ignoramus. Ille enim fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt. Quos vero tu Deos dicis, eos nos ſcimus omni turpitudine inquinatos, tum etiam ſurdos & mutos, nulla vel videndi vel audiendi facultate præditos: quos niſi perdere velitis, ſeruare vos oporteat, & ne forte cadant, ferro & plumbo confirmari neceſſe ſit: denique qui nec ſibi, nec aliis vllam poſſint ferre opem. Tiburtius ait: Propter generis veſtri nobilitatem in præſens parco vobis. Abite igitur, & ab hac vana religione vos reuocate. Nam ſi denuo ad me delati eritis, multiuariis vos ſuppliciis excruciatos interficiam. Conſtanter reſpondent Iudici. Dimittuntur à Iudice.

III. ABIERVNT igitur ex eius conſpectu, magis etiam in fide Chriſti inflammati, quotidieque rogabant Dominum, die noctuque in genua incumbentes: creſcebatque in dies fides illorum in operibus multis, & exhortationibus ſuis non paucos ad Chriſtum adducebant. Quod vt ſenſere infideles, permoti rebus mirabilibus, quas per illos efficiebat Chriſtus, multorumque ad fidem conuerſionem moleſte ferentes, illos comprehenſos ad Tiburtium adduxerunt, ira dicentes: Nihil apud vos valuit iuſſio tua. Nam non ſolum te non audiunt, ſed etiam magicis artibus totum euerterunt populum. Tum ait ad illos Tiburtius: Quid ita vos comparatis, vt nec piiſſimum Cæſarem, nec me propitium habere velitis? S. Pergentinus reſpondit: Nos propitium habemus Chriſtum. Vos autem propitios illi optent, qui Chriſtum propitium habere non merentur: & terrores veſtros illi formident, qui regem æternum non metuunt. Tum vero Tiburtius è ſede exiliens, ſcidit veſtimenta ſua, & ait: Ego vobis inducias dedi, vt reſipiſceretis quandoque: & ecce etiam me præſente Chriſtum veſtrum prædicatis. Iuſſit porro leuari eos, & fuſtibus diutiſſime cædi. Inter verbera autem pſallebant ſancti: Domine Deus in adiutorium noſtrum intende: Domine ad adiuuandum nos feſtina. Subito ergo brachia cædentium arefacta ſunt, ſtupenteque Tiburtio, clamabant miniſtri præ dolore: Rogamus vos ſerui Dei, vt oretis Deum veſtrum pro nobis: &, ſi nos ſanauerit, credemus in eum. Sanctis orantibus, brachia eorum reſtituta ſunt, multique id videntes, ad Dominum conuerſi ſunt vna cum miniſtris illis, ſimulque omnes dixere: Non eſt alius Deus præter illum, quem prædicant Laurentinus & Pergentinus ſerui eius. Dixit vero Pergentinus ad eos: Audite nos fratres, & baptizemini, ſicque eritis liberi ab omni nexu peccati. Multos ad Chriſtum conuertit. Rurſus accuſantur. Cæduntur fuſtibus. Multi credunt. *Pſal.* 28.

IV. HÆC cernens Tiburtius, pertimuit, iuſſitque Pergentinum & Laurentinum in carcerem trudi, & neque panem, neque aquam illis porrigi. Illi vero Dominum inuocabant in carcere, & cum triduo ieiuni permanſiſſent, angelus Domini ſub noctis medium attulit eis panem cæleſtem, dicens: Surgite, & comedite panem, vobis à Chriſto tranſmiſſum. Splendore autem angelico totus illuſtratus eſt carcer, & cuſtodes carceris præ terrore pene exanimati ſunt. Interim ſancti pane illo refecti, pſallebant: Miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe. Deinde illi qui crediderant, vna cum Pergentina ſorore eorum, munera attulere ad cuſtodes carceris, rogaturi vt ipſis copiam facerent ad ſanctos ingrediendi: & ecce carcerem apertum conſpiciunt, & cuſtodes velut mortuos. Ingreſſi igitur ad ſanctos, ad eorum pedes ſe abiiciunt, rogantque cum lachrymis, quandoquidem pateret carcer, vt inde exirent. Vita enim veſtra, aiebant, nobis adhuc neceſſaria eſt, & debemus de Chriſti nomine diligentius edoceri. At illi reſponderunt: Abſit à nobis, fratres, vt hanc rem faciamus, & coronam, quam fide noſtra promeruimus, perdamus. Vos autem facite, quod dicturi ſumus: Eſt hic Cornelius presbyter, qui Tiburtij timore latitat: ſed vos eum inquirite, & ſi eum inueneritis, nunciate ei omnia, & quæ in nobis Chriſtus operatus eſt. Ille enim & nos & parentes noſtros & ſororem noſtram docuit de Chriſti nomine, noſque baptizauit. Ille & vos baptizabit: vos autem vndis ſalutaribus expiati, in fide permaneatis. Accipiunt panem ab angelo ſancti martyres. *Pſalm.* 110.

V. HIS dictis, iterum ſe ad pedes eorum abiecerunt, & cum diutiſſime lachrymati eſſent, rogauerunt vt pro ipſis Chriſtum deprecarentur, vt poſſent ſalui fieri. Itaque ſancti illis prædicabant, haſq; ad Deum fudêre preces: Domine Deus rex immortalis, qui nobis id contuliſti, vt crederemus in te: præſta, vt etiam iſti pertingant ad miſericordiam tuam. Et cum eos conſignaſſent, à ſe dimiſerunt. Illi vero quærebant ſanctum Cornelium presbyterum, & cum inueniſſent, quæ Pergentino & Laurentino contigiſſent, ei indicarunt. At ille magno perfuſus gaudio, in fide prius inſtituens Poſt catecheſin ba-

Baptizantur viri 60.

stituens eos, baptizauit circiter sexaginta viros. Vbi hæc ad Tiburtij notitiam perlata sunt, iussit repente ad suum cō-spectum sisti Pergentinum & Laurentinum, iisque dixit. Maleficiis vestris totam hanc vrbem euertistis. S. Laurentinus illi respondit: Non sunt hæc maleficia, sed beneficia Dei: neque nos malefici sumus, sed serui Domini nostri IESV Christi. Tiburtius ait: Quid multis apud me verbis vtimini? Aut sacrificabitis Deo Ioui, aut variis vos pœnis affectos tollam è medio. S. Laurentinus respondit: Tu cum tuis adora Iouem: nos Christum adoramus. Tiburtius ira incensus, iussit adferri prunas, & sanctos nudis pedibus illis insistere. Fecerunt hoc sancti, & mox prunæ extinctæ sunt: quæ res populum magis accendebat ad credendum in Christum.

Sancti martyres planis suis extinguunt prunas.

TVM vero gentiles dixere ad Tiburtium: Cernis te nihil proficere. Si ergo eos diutius superesse passus eris, & vrbem hanc & omnem eius populum perdes. Iussit ergo Tiburtius Iouis statuam coram se adduci, dixitque ad sanctos: Sacrificate Deo Ioui. Respondit ei sanctus Pergentinus: Iam nos videbis sacrificantes. Accesseruntque ad idolū. Populus vero murmure excitato, putabat eos Ioui sacrificium facere. At illi flexis genibus diutissime adorarunt Dominum: & cum sustulissent capita, mox idolum instar cerę liquefactum est. Rursus autem illi in terram se prosternentes, gratias egerunt Christo. Extitit vero magnus clamor in populo, crediderunt que in Christum viri amplius ducenti. Gentiles itaque in sanctos facto impetu, eos atrociter mactatos ac cæsos diutissime, semiuiuos reliquerunt. Porro Tiburtius statim in eos mortis tulit sententiam: cumque extra ciuitatem essent educti, rogarunt milites vt parumper sinerentur orare. Sub ipsis autem precibus in terram prostratis, miles quidam caput amputauit, reuersique milites ad dominum suum Tiburtium, rem, vt erat gesta, illi exposuerunt. Christiani autem cum Pergentina sorore eorum noctu corpora martyrum ad mille fere passus extra Aretium condiderunt. Passi sunt beatissimi martyres Aretij 3. Nonas Iunij sub Decio Imperatore, regnante Domino nostro IESV Christo. VI.

Cæduntur capite.

AN. 550. VITA S. LIPHARDI PRESBYTERI ET ABBATIS,

AB INCERTO QVIDEM AVTHORE, SED VT APPARET, NON DVBIA fide edita: porro per Fr. Laur. Surium redacta in compendium, sed sine historiæ detrimento.

IVNII 3. Patria S. Liphardi. Eius in iure dicendo æquitas.

BEATVS Liphardus apud Aurelianos inclyta ortus prosapia, in ipsa iuuentute ad iudicis est dignitatem euectus pro sua prudentia & legum cognitione. In quo sane munere administrando ita est rationem & æquitatem semper secutus, vt à iustitiæ rectitudine non deflexerit. Multa eum omnes veneratione prosequebantur, quod dignus Deo sine querela inter homines versaretur: moribus integer, sermone suauis, vultu insignis, ab omni fellis acerbitate alienus, denique inter homines cum degeret, perfectorum Clericorum vitam in se exprimens. Anno autem ætatis suæ quadragesimo, diuino permotus instinctu, loci eius episcopum adiit, & vt in Clerum admitteretur, orauit. Cernens antistes magnum eius erga religionis cultum feruorem, primo eum adscripsit in Cleri album, ac deinde honorem cumulans, Leuitæ ei ministerium mandauit. Quo honore auctus vir Deo plenus, terrenarum rerum abiecta sarcina, verum monachum profiteri cœpit. I.

Fit Diaconus. Mox monachus.

EST mons apud Aurelianos, quem incolæ regionis illius * Magdunum vocant, in quo antiquitus erat extructum castrum, quod Wandalica barbaries ad solum vsque diruit. Ita nullo illic manente habitatore, nemoribus excrescentibus, locus ille quondam celebris, in solitudinem versus est. In eius vero abstrusos recessus Liphardus penetrans, vno solo contentus comite, eoque suo discipulo, apud fluuium * Maluam cellulam sibi ex virgis construxit, cœpitque illic habitare solitarius, vt ab hominum turbis & mundi honoribus separatus, liberius ad diuinæ sese legis præscriptum accommodare posset. Quanta vero illic conuersationis eius sanctitas extiterit, nemo verbis assequi potest. Corpore degebat in terra, animo inter supernos cæli ciues versari videbatur. Operibus Deo dignis vacans, stabat succinctus & paratus ad confligendum aduersus aëreas potestates. Tanta vero eius erat abstinentia, vt panis hordeacei, quem suis ipse manibus conficiebat, non nisi vnciam vnam in cibum sumere diceretur: & cum præter aquam, nullum omnino alium potum admitteret, ea ipsa tertio duntaxat die parcissime vtebatur. Vestes eius, saccus & cilicium: nam elegantiam & mollitiem omnem in vestitu plane aspernabatur: asperitatem contra & vilitatem amplectebatur. Sicut autem antea hominum sæcularium, inter quos vixerat, mores & vitam sanctis studiis longe superarat: ita iam monasticem complexus, in sanctissimorum monachorum vestigiis, vitæ perfectione consectanda, constantissime insistebat. II.

* vul. Meun sur Loire. Viuit solitarius sanctissime. * vulg. Mauluc.

Mira eius abstinētia.

Vestes eius.

NEC defuerunt ei miracula, quæ sanctitatis eius non dubia essent documenta. In eremo illa, vbi morabatur, immanis erat serpens: nec longe fons aberat, gratissimas fundens aquas, sed ad aquas hauriendas præ huius bestiæ metu nemo ausus esset accedere, præter Christi athletam Liphardum & eius discipulum Vrbicium. Is serpens, malo eum perurgente dæmone, summa feritate ad viri Dei habitaculum properabat, eum plane perditurus. Non latebat id hominem Dei. Accitum ergo Vrbicium mittit ad eum locum, vbi iam nouerat esse serpentem, nec tamen indicat, cur ipsum eo mittat, vt eius fidem probaret. Vrbicius cito eo abiens, horridissimum serpentem sibi cernit venire obuiam, nimioque terrore correptus, in pedes se coniicit, refertque ad vitum Dei, quid in via viderit. Tum Liphardus placide subridens: Cur timuisti, inquit, modicæ fidei? deditque ille virgam, iubens vt imperterritus illam sub serpentis adspectu humi defigeret. Abiit ille, Crucisque signo munitus, fecit quod iussus erat. Porro Liphardus ad preces se conferens, rogabat Dominum, vt teterrimum draconem perimeret. Exaudiuit orantem Dominus. Simul enim vt adspexit draco virgam, furibundus accurrit, osque suum ad caput virgæ attollens, eamque mordens, connitebatur confractam in solum deiicere. Sed precibus viri Dei id effectum est, vt nullo pacto incuruare eam posset: cumque immanis belua ita penderet, propter vasti corporis graue pondus, ilico crepuit. Id vbi cognouit vir Dei, cum discipulo suo abiit visum belluam, & pro tanto miraculo gratias Christo egit. Habitauerant autem in illo serpente multi dæmones, qui illo extincto, terribiles dabant per aëra clamores, ita vt vicini ruris habitatores exterriti, inter se perquirerent, quidnam hoc esset. Timebant autem draconem è suo antro progressum, omnia vastatum venire. Cum autem arrigerent aures, nosse cupientes, quæ voces ederentur, audiunt Liphardi nomen appellari: moxque ad solitudinem aduolant, taciti Liphardum requirunt. Verebantur enim, ne à dracone, si is superesset, ferirentur. Vt autem inuenerunt sanctum virum solitis precibus intentum, & draconem extinctum, omnes fleuêre præ gaudio, & in Dei laudes prorumpentes, dicebant cælitus sibi impensam salutem excidio draconis, diemque illum duxêre celeberrimum. III.

Immanem draconem suis precibus interfecit.

* vulg. Nostre Dame de Clery

INTEREA Marcus Aurelianensis antistes, in vico * Clariaco, qui ab Magdunensi oppido tribus distat milliaribus, ob certas causas tum residens, cū viri Dei virtutes didicisset: Non potuit, inquit, Leuita Dei, sanctis pollēs operibus, diutius occultari. Declarant eius res gestæ, quanti sit meriti apud Deū, moxq; exurgens, ad domiciliū viri Dei p- IV.

pere

perè accessit: & post salutaria colloquia, eodem die sacerdotio eum initiauit, atq; templum exiguum illic extruxit, quod hodieq; extat. Creuit hinc fama sancti viri, & in regionem illam omnem propagata est, ita vt mirè eum venerarentur, eius meritis à dracone se dicerent liberatos, eius precibus se apud Dominum muniri confiderent. Permulti quoq; mundo valefacientes, ei adhæsêre, vt eius disciplinis instituerentur. Accidit autem, vt hyeme quadam, sæuiente frigore, quidam in supradicti montis latere sua abscondens indumenta, à viro Dei nudus vestem peteret. Sed iam diuinitùs reuelata erat illi hominis nequitia. Misit itaq; vnum è suis, qui vestimenta illius adferret: locum ei indicans, vbi essent abscondita. Et allata dedit ei, qui vestem sibi dari petebat, ita dicens: Cur voluisti miser per mendacium tentare Christi seruum? An non præsens aderam, quando hoc facinus designâsti? Ille verò se deprehensum sentiens, pudefactus abscessit: & qui viro Dei illudere voluit, se sensit illusum.

Initiatur sacerdotio.

Multi se ei adiungunt.

Nota.

V. QVÆDAM puella nobilis, manus aridas & debilia habens genua, ad eum venit, cadensq; ad pedes eius, salutem sibi restitui petijt. Ille humi se prosternens, Dominum rogat: inde surgens, manus & genua puellæ benedicto oleo perungit. Illa Christi benignitate mox reualescit. Nec mirum, potuisse hoc tam facilè à Christo obtinere virum Dei, cuius pectus ceu gratissimum eius templum, donis gratiæ eius exuberabat.

Oleo benedicto sanat puellam.

VI. NON est autem prætermittendum, quòd cùm Theodemirus Abbas Miciacensis monasterij è corpore esset abiturus, beatus Liphardus in somnis est admonitus, vt ad officia funeris illi patri præstanda properaret. Euigilans ergo, vno secum è suis assumpto, ad monasterium illud profectus est: cumq; ad eius fores peruenisset, videt cælestium agminum choros sanctæ illi animæ psallentes occurrere, eamq; cum ineffabili gaudio ad cœlum deducere. Cantabatur autem hic psalmi versus: Beatus quem elegisti & assumpsisti: inhabitabit in atrijs tuis. Mox vir Dei in cellulam ingreditur, vbi corpus sancti Abbatis exanime iacebat, fratribus debita officia decantantibus, eiusq; funus curat. Peracto sepulturæ ministerio, beatum Maximum, defuncti Abbatis nepotem, in eius locum substituit, fusaq; oratione ad Dominũ, ad cellam suam reuersus est: & cum tandem sui quoq; obitûs diem imminere cognouisset, conuocatis discipulis eum antè prædixit: simulq; eos optimis sermonibus confirmans, hortabatur vt abstinerent à carnalibus desiderijs & mundi oblectamentis: vt seruarent præcepta euangelica: contenderent intrare per angustam portam & arctam viam, quæ ducit ad vitam: resisterent diabolo, & mille eius nocendi artibus, haud secùs atque cruentis belluis: non deficerent in tentationibus, sed memores essent scripturæ, dicentis: Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. His alijsq; id genus sermonibus cùm diù apud illos vsus esset, Vrbicium accersit, eumq; coram omnibus sibi designat successorem. Nocte proxima inter preces & lachrymas sancta illa anima fæliciter è rebus excessit humanis. Id verò postquam Episcopo innotuit, celerrimè ad eius funus accurrit. Iam in medio sacrum corpus positum discipuli tristes luctuosis officijs prosequebantur, illudq; Episcopus vnà cum illis magno studio tradidit sepulturæ. Deindè Vrbicius, ab eodem antistite in sua functione confirmatus, post obitum sancti viri, eius monasterij structuram fecit sublimiorem: vbi hactenus pro meritis beati Liphardi multa diuinitùs signa eduntur: præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum.

Anima Theodemiri it in cælos.

Psal. 64.

Legendum Maximinũ, nempe minorem. Vide Sausseyum in annal. Aurel. lib. 3. c. 24.

Matt. 7 Iacob. 1

Obdormit in Domino S. Liphardus.

Huius Sancti corpus conseruatur in Ecclesia ab ipso nuncupata Magduni. Vide Cl. Sausseyum in Annal. Aurelian. lib. 3. cap. 29.

ACTA SS. ISAAC, ET HIEREMIÆ, SOCIORVMQVE MONACHORVM. ET S. SANCTII MARTYRVM. EX EVLOGII MARTYRIS, ET ELECTI ARCHIEPISCOPI Toletani Memorialis Sanctorum præfatione, & libro secundo, capite 2. 3. & 4.

AN. 840.

PRÆFAT. I. SANCTVS Isaac monachus prior è Tabanensi cœnobio in forum descendens, iudicem adijt, atq; his verbis eum aggreditur: Vellem (inquit) iudex, cultor fidei strenuus fieri, si modo tu non differres ordinẽ, rationemque eius mihi exponere. Cui cum libenter quasi iam tyrunculo fidei suæ credituro iuueni inflatis buccis, turgenti gutture, crepitantia infra caua palati verba institutionis lingua fallax proferret, sectæ huius auctorem Mahomad fore prædixit; qui Angeli Gabrielis magisterio illustratus, verbum Prophetismi ab Altissimo nationibus relaturus accepit: legem instituit, Paradisum disseruit, regnumque cœlorum plenum epulis, & luxibus fœminarum edocuit. Sed & alia plura, quæ hic disponi perlongum est, ex ritu pro vano arbitrio prosequente, protinus Ephebus ille venerabilis monachus, vt erat apprime literis Arabicis imbutus, Arabice dans illi responsum: Mentitus, ait, est vobis (ita maledictionibus tabescat diuinis) qui tanto scelere implicatus, tantorum agmina perditorum inuasit, secumque inferorum barathro mancipauit. Ille etenim dæmonio plenus, dæmonicis fauens præstigijs lethale morbidis propinans poculum, æternæ perditionis luet interitum. Quare vos scientia præditi à talibus non abdicatis periculis? Quare non renuntiantes vlcus pestiferi dogmatis, perennem fidei Christianæ Euangelicam sospitatem optatis?

IVNII 3. 5. & 7.

Isaac monachus martyr. Tabanense monasterium

Erat enim 27 annorũ. Vsuardi martyrol.

II. HÆC, & his similia ore pudico, summis reuerentiæ ausibus, viribusque, lingua peracuta beato differente Isaac, stupore nimio iudex turbatus, ac veluti amens effectus, vbertim lachrymasse perhibetur: & quadam mentis hebetudine occupatus vix potuisse fertur, exprobranti se monacho respondere: sicque manu extensa faciem eius verberanti, confestim monachus dixit: Consimilẽ imagini Dei vultum audes ferire? vide qualem propter hoc redditurus sis rationem. Iccirco, à consedentibus secum sapientibus deprehensus, arguitur, quod grauitatis Censoris oblitus leuiter per semetipsum ad cædendum martyrem egerit: & præsertim, quia secundum legum suarum sententiam, is qui pro crimine dignus est mori, nullius pœnæ conuitijs lacerari debet. Tunc iudex ad sanctum Isaac conuersus ait: Forte madidus vino, aut freneti captus ad ista, quæ profers, non facile potes aduertere. Nam ipsius vatis nostri, quem tu temere conuitijs impetis, sententia manet irrefragabilis, animaduerti debere in eos, qui talia de ipso non verentur profiteri. Ad quem venerabilis Isaac intrepida responsione ait. Ego quidem, iudex, nec vino madidus, nec quolibet morbo saucius sum, sed zelo iustitiæ conflagrans, quia vatem vestrum, vosque expertes existere comperi, veritatem vobis exposui: propter quam si mors furibunda occurrerit, libens excipiam, placidus subeam, nec ab eius casibus ceruices meas auertam. Noui enim, Dominum dixisse: Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Censorem nominat, quem prius & post iudicem nominauit.

Matth. 10.

III. TVNC iudex carceri illum tradens, protinus regi causa eius innotuit, qui tantæ accusationis euentu perterritus, illico ferocioribus animis ferox promit edictum, dicens morti vsquequaque fieri debere obnoxium, talem in auctorem fidei suæ ferentem conuitium. Hinc Dei seruus ad necem damnatus vertice plectitur: hinc in stipite eleuatus capite deorsum appenditur, atq; vltra amnem in spectaculum vrbis locatur, tertio Nonas Iunias, Feria quarta, Era octingentesima, octuagesima nona. Cuius corpus post aliquot dies cum cæteris, qui eum imitando perempti sunt, igne crematum, & in fauillam conuersum, deinceps in amnem proiectum est.

Annus Domini 851.

SED necesse est exponere, quibus indicijs vel prodigijs hic beatus Isaac extiterit in infantia denotatus, vt ex eo diuinitus ad coronam martyrij illum fuisse credamus electum, ex quo in matris vtero positus terribilem valdè parentibus stuporem intulerit. Tribus namq; vicibus vna die, paulò antequam nasceretur, visus est loqui: cuius rei nouitate perterrita mulier pene mortua vim verborum nequaquam potuit intelligere. Alio etiam tempore, cum adhuc septennis existeret, virgo quædam cernit per visionem globum luminis è cœlo descendere, & inter omnium præstolantium turbam solus hic vlnas extendens, manibus lumen excepit, totamq; eius claritatem ori suo iniectam, ebibit: felicem tunc, & vere beatum omnibus tali condignum munere nuncupantibus. Hæc sunt infantiæ eius prodigia & signa, quæ illum dignum martyrio longe antea portenderunt. IV.

Præsagia de beato Isaac martyre.

NAM quidam sacerdos ex cœnobio Tabanensi, ex quo idem beatus ad agonem processerat, peractis Missarum Dominico die solennijs, septimo scilicet Iduum Iuniarum, qui post quintum martyrij sui diem euenerat, in quodam lectulo fratrum recumbens, obdormire paulum cœpit, & ecce subito per somnium vidit puerum decoris pulcherrimi à partibus Orientis venire, schedamq; miræ pulchritudinis manibus gestantem sibi adsistere. Quam ab eo accipiens, scripturam eius legere cœpit: erat enim his exarata sermonibus. Sicut pater noster Abraham Isaac filium Deo in sacrificium obtulit, ita & nunc sanctus Isaac in conspectu Domini sacrificium pro fratribus immolauit. Et continuo quidam è ciuitate venientes, dixerunt beatum Hieremiam martyrio cum alijs fuisse coronatum per Dominum nostrum Iesum Christum, cuius exemplo nonnulli ad publicum sub eadem professione perempti sunt. V.

Dies Iunij 7.

Genesis 22.

Hieremias martyr.

BEATVS itaq; Isaac ex ciuibus Cordubensium nobilibus, & locupletioribus parentibus natus, dum primæuos adolescentiæ annos ingrederetur, atq; inrer opes bonaq; genitorum tenerrime degeret, adeò vt peritus & doctus lingua Arabica * exceptoris reipublicæ officio fungeretur, ex improuiso spiritali flagrans ardore, monachorum vitam optans, Tabanos viculum petijt, qui in partibus Aquilonis inter prærupta montium, & condensa syluarum septenis ab vrbe milliaribus distans, formosissimis in exercitatione vitæ monasticæ virorum, atq; ancillarum Dei rumoribus decoratur. Siquidem in eodem cœnobio virum summa timoris Dei reuerentia præditum Hieremiam patruelem habebat: qui etiam inclytus opibus, rebusq; abundans, & cõiux eius venerabilis [a] Elisabet, ac liberi, totaq; pene cognatio sumptu proprio fundamenta ipsius cœnobij iacientes, diuinarum legum perenni adhæsuri obsequio, pridem sese eo contulerant. Ibi per triennium B. Isaac sub regularibus disciplinis, seu sub reuerentissimo Abbate Martino prædictæ fœminæ fratre, in sancto proposito militans, exemplo diuinitus illustratus, forum adiens iudicem petijt, & ordine quo in præfatione libri disposui, felici obitu sub testimonio [b] Domini nostri Iesu Christi in eadem regia vrbe, 3. nonas Iunias, fer. 4. Era octingentesima octuagesima nona occubuit. Cuius corpus equuleo suspensum, post aliquot dies cum cæteris, qui eum imitando decisi sunt, rapacissimo igni commissum, vsq; ad vltimam fauillam minutum est, ac deinceps amni perdendum immersum est. VI.

Lib. 2. c 2.

* *Scribæ publici.*

Hieremias monachus martyr, Isaac martyris patruelis.

[a] Elisabeth Hieremiæ quondam vxor.

[b] Annus Domini 851. dies Iunij tertij.

SANCTVS verò Sanctius auditor noster, laicus, adolescens, ex * Albensi oppido Galliæ comatæ olim captiuatus, nunc autem inter militares regis pueros liber præscriptus, & regalibus annonis nutritus, in eadem * vrbe regia sub eadem professione, nonas [c] Iunias, Era qua supra, feria sexta, prostratus est, & affixus. VII.

Lib. 2. c 3. Sanctius Martyr.

* *Alabensi.*

* *Corduvæ.*

[c] Annus Domini 851. dies Iunij quinti.

PETRVS Sacerdos in vrbe * Astigitana progenitus, & S. Walabonsus Diaconus ab Elephensi ciuitate exortus, vtriq; prioribus coæui martyribus, Cordubam studio * meditanti adeuntes, liberalibus disciplinis traditi sunt. Sed Deo fautore scientia, & doctrina scripturarum pollentes, sub Frugello Abbate monasterio sanctæ & glorioſæ Virginis MARIÆ præficiuntur. Quod in vico Cuteclara, non longe ab vrbe in parte Occidentali, præclaro ancillarum Dei proposito enitescit. VIII.

Lib. 2. c 4. Petrus & Walabonsus martyres

* *hodie Ecya.*

* *ad studendum.*

SANCTVS quoq; Sabinianus ex vico Froniano montanæ Cordubensis, iam plenæ iuuentutis monachus, ortus. Et Wistremundus ex Astigia adolescens strenuus, è cœnobio Sancti Zoili Aranlabensi, quo dudum sub regula, vel Abbate se dederunt: vnus à tempore longo in castris Domini militans; Wistremundus verò nuper se in idem cœnobium conferens, ad martyrium ambo discurrunt. Qui locus pene à Corduba in parte Septentrionis triginta & amplius milliaribus distans, vastissimam horret inter deserta montium solitudinem: ad cuius collis radices, quo idem situm est, flumen * Armilata discurrens, magno piscium solatio inediam refouet monachorum. Ex quo etiam Armilatense cœnobium appellatur. IX.

Sabinianus & Wistremundus martyres.

* *nũc Guad Almellato.*

BEATISSIMVS verò Habentius virili iam ætate profectus, è ciuibus Cordubensibus monachorum vitam oblectans, S. Christophori monasterium incoluit, quod situm est in spectaculum vrbis, in parte Australi super crepidinem vlteriorem Bœtis. Ibiq; sæculo mortuus, Christo autem sub arctissima regula degens, vtpote spontaneo carceri se tradens, altis maceriarum sepibus circumclusus, ferreisq; laminis intus ad carnem obseptus, per fenestras se aduentantibus exhibebat visendum. X.

Habentius Martyr.

ISTE talis ac tantus cum beato sene Hieremia, de quo supra affati sumus, quiq; inter cæteros Dei seruos, acrioribus stimulatus flagris, occubuit. Hi sex viri fortissimi, & præclarissimi simul ad expugnandum hostem improbum descendentes, omnes quasi ex vno ore clamauerunt, dicentes. Et nos sub eadem professione, ô iudex, manemus, qua pridem confratres nostri sanctissimi Isaac, & Sanctius deciderunt: exerce sententiam, crudelitatem exaggera, & in vltionem tui vatis totis exardesce furoribus. Quoniam Christum Deum veraciter confitentes, præuium Antichristi, & authorem profani dogmatis vatem vestrum esse profitemur. Vosq; lethali succo prophetismi eius infectos, & virulento prædicamine Zabuli propinatos, æterna postmodum luituros tormenta scientes dolemus: vestramq; orbitatem, & ignorantiam satis deflemus. XI.

HÆC cum animoso Spiritu sancti Dei professi sunt, statim decollari iubentur. Prius tamen beatum senem Hieremiam, nescio ob quam assertionem, flagellis grauiter cæsum, & inter ipsa verbera (vt ferunt) emortuum, vix hærentem gressibus foras traxerunt. Qui martyres dum ad locum mactationis accederent, inuicem sese quasi ad epulas inuitarunt. Et primo quidem reuerentissimi Dei ministri Petrus, & Walabonsus ruentes, cæteri deinceps sub eodem iugulantur momento, septimo scilicet idus Iunias, feria prima, Era qua supra. Quorum corpora stipitibus defigentes, post aliquod dierum vastissimo consummarunt incendio, eorumq; cineres perdendos flumini tradiderunt. XII.

Hieremias flagris cæsus.

Annus Domini 851. dies Iunij 7

MARTYRIVM S. QVIRINI EPISCOPI SISCIANI, EX QVODAM EGREGIO MS. CODICE DESCRIPTVM. AVTHORIS NOMEN non extat ibi, sed est historia grauiter conscripta, atque antiqua sanè, vt equidem sentio. Sunt qui eum Laureacensem Episcopum vocent.

AN. 280.

I. VM mundi istius principes ad cruciandas animas diabolus commouisset, & vbiq; Domini ecclesias diuersis persecutionum tempestatibus ventilaret: suscitatis regum amicis, per quos ampliùs aduersùs Dei populum prælia commouerat, agebat quotidiè suæ incrementa sæuitię. Pari mente itaq; Maximiani Imperatoris legibus Christianus infestabatur exercitus. Per Illyricum verò Diocletianus sacrilegis præceptis in Christi populum sæuiebat, addito tyrannidi suæ Maximiano in regno participe, qui & suam rabiem & Diocletiani per omnem * Illyrim ostenderet. Ferè tamen ad omnes prouinciarum iudices nefandorum principum sacrilegi apices mittebantur, vt in templis dæmonum immolare cogerent Christianos: (Christi Ecclesiæ claudebantur) Christi sacerdotes & ministros vt parerent legibus publicis, & confiterentur deos esse: quibus si thura nolint accendere, supplicijs diuersis & mortibus subiacerent.

IVNII 4.

Dira persecutio Christianorum.

* *Illyricum.*

II. INTER multos autem, qui in Christi exercitu triumphabant, beatus Quirinus Episcopus Siscianus à * Maximo Præside iussus est comprehendi. Quem cùm studiosè quærerent, & beatus id sensisset Episcopus, egressus est à ciuitate: & fugiens comprehensus est & deductus. Cumque à Maximo Præside interrogaretur quò fugeret, Quirinus Epi-
Mat. 10 scopus respondit: Non fugiebam, sed iussum Domini mei faciebam. Scriptum nobis est: Si vos persequentur in vna ciuitate, fugite in aliam. Maximus Præses dixit: Quis hoc præcepit? Quirinus Episcopus respondit: Christus, qui verus est Deus. Maximus dixit: Et nescis, quia vbique te Imperatorum præcepta poterant inuenire, & hic quem dicis Deum verum, comprehenso tibi subuenire non poterat: sicut & modò fugiens comprehensus es & deductus? Quirinus Episcopus respondit: Semper nobiscum est, & vbicunq; fuerimus, Dominus quem colimus subuenire potest. Et modò cùm apprehensus essem, mecum erat: & hîc mecum est, confortans me, & ipse de meo ore tibi respondet. Maximus dixit: Multa loqueris, & loquendo magnorum regum instituta diffamaueris. Lege ergo diuinos apices, & fac quod iussum est. Quirinus Episcopus respondit: Ego Imperatorum tuorum iussionem non audio: quia sacrilega est, & contra Dei præcepta iubet seruos Christi immolare †. Quibus ego non seruio, quia nihil sunt. Deus autem meus, cui seruio, ipse est in cœlo & in terra & in mari. Ipse est in omni loco: omnibus autem superior, quia intra se continet omnia: quoniam per ipsum cuncta facta sunt, & in ipso constant vniuersa.

S. Quirinus dum fugit comprehenditur.

* *al. Maximino.*

Præclara sententia.

† *deest, idolis, vel, dæmonibus.*

III. MAXIMVS dixit: Per nimium tempus viuendo quasdam fabulas didicisti. Supponuntur tibi thura, & disce deos esse quos nescis. Non paruum consecuturus es munus intelligentiæ, si præceptis obediens esse volueris. Quòd si ipse tibi non suaseris, vt deuotus appareas, cognosce te subijciendum diuersis iniurijs, etiam morte terribili vitam tuam finiendam. Quirinus Episcopus respondit: Iniurias quas mihi minaris, gloria est: & promissa mors, si merear, vitam dabit æternam. Propterea Deo meo deuotus esse cupio, non regibus tuis. Neq; enim deos credo esse, qui non sunt, & aris dæmonum thura non pono, quia scio aram esse Dei mei, in qua apta ei sacrificia boni odoris incendi. Maximus dixit: Video, quia te insania cogit ad mortem. Iacrifica dijs. Quirinus Episcopus respondit: Non sacrifico dæmonijs, quia scriptum est: Omnes dij gentium dæmonia. &: Qui sacrificant dijs, eradicabuntur. Tunc Maximus Præses iussit eum fustibus cædi, cui & dixit: Respice & agnosce potentes esse deos, quibus Romanorum seruit imperium. Propter quod consentiens, eris sacerdos magno deo Ioui. Alioquin ad Amantium Præsidem primæ Pannoniæ dirigeris, à quo dignam mortis sententiam excipias. Ergo ab stultitia tua reuersus, acquiesce. Quirinus Episcopus respondit: Verè modò sacerdotio fungor: verè modò sacerdos effectus sum, si meipsum Deo vero sacrificium obtulero. Et hoc, quòd corpus meum cæsum est, delector, nullum sentiens dolorem. Ideoque offero me maioribus supplicijs, vt me quibus præpositus fui in hac vita, sequantur ad illam æternam vitam: ad quam per huiusmodi iter facilè peruenitur.

Psalm. 95.

S. Quirinus fustibus cæditur.

Nullũ sentit dolorem

IV. MAXIMVS Præses dixit: Claudatur in carcere, & grauetur catenis, donec superatus efficiatur. Quirinus Episcopus respondit: Non expauesco carcerem, credens Deum meum mecum esse in carcere, qui semper est cum suis cultoribus. Cumq; ligatus fuisset, recluditur in carcerem Quirinus Episcopus, & mittens se in orationem, dixit: Gratias tibi Domine, quia propter te hæ mihi illatæ sunt contumeliæ: & rogo, vt qui in hoc carcere detinentur, sentiant me cultorem veri Dei esse, & credant, quia non est alius Deus, nisi tu. Media autem nocte, apparuit splendor magnus in carcere: quem cum vidisset Marcellus custos personarum, aperuit carcerem, & prostrauit se ad pedes beati Quirini Episcopi, dicens cum lachrymis: Ora pro me Dominum, quia credo non esse alium Deum, nisi quem tu colis. Multùm autem hortatus est eum beatus Episcopus, & consignauit eum in nomine Domini nostri Iesu Christi. Post triduum autem Maximus Quirinum Episcopum iussit ad Amantium Præsidem ad primam Pannoniam deduci, vt pro contumacia, quam in leges Imperatorum exhibuerat, vltimam sententiam sustineret.

Ducitur in carcerem.

V. CVMQVE deductus fuisset beatus Quirinus ad primam Pannoniam, & per singulas ciuitates vinctus catenis ad Præsidis Amantij iudicium traheretur: (siquidem ad ripam Danubij ad singulas ciuitates †) Amantio eodem die reuertente de ciuitate Scarabetensi, offertur ei beatus Quirinus Episcopus: quem Præses ad vrbem Sabariensem ad audiendum censuit repedari. Tunc ingredientes ad S. Quirinum Episcopum Christianę mulieres, cibum potumq; obtulerunt ei. Quarum fidem intuens beatus Episcopus, dum ea quæ offerunt benedicit, catenæ quibus ligatæ manus eius & pedes fuerant, ceciderunt. Acceptaigitur esca, regressis mulieribus, hi qui eum custodiebant, Sabariam duxerunt. Quem Præses Amantius per officium suum offerri sibi iussit in theatro. Qui cùm oblatus fuisset, Amantius Præses dixit: Requiro te, si ea quæ in tua superbia apud iuredicum Maximum gesta monstrantur, vera sunt. Quirinus Episcopus respondit: Apud Siscium verum Deum confessus sum. Ipsum semper colui, ipsum corde teneo: nec me ab eodem, qui vnus Deus & verus est, homo poterit separare. Amantius Præses dixit: Ætatem tuam dolemus maculare verberibus: tamen sensum tuum optamus emendare sermonibus, & præmio promissæ vitæ corrigere, vt reliquum senectutis tuæ tempus iuxta legum Imperialium sanctionem dijs seruiens perfruaris. Beatus Quirinus Episcopus dixit: Quid de ætate dubitas, quam † inuiolatam reddere potest, omnibus supplicijs fortiorem? Nec tormentis frangitur mea confessio, nec vitæ præsentis delectatione corrigitur, nec timore mortis quamuis acerbæ mentis meæ soliditas perturbatur.

† *Videtur deesse, ducebatur, aut quippiam tale.*

Sabaria, Austriæ, id est, Pannoniæ primæ vrbs est.

† *deest (opinor) Christus, aut simile.*

VI. AMANTIVS Præses dicit: Cur instans es ad mortem, vt dijs Romani Imperij appareas indeuotus, & contra humanum morem vitam tibi eligas denegandam, dum hi qui euadere mortem cupiunt, negando quæ gesserunt, tormenta deludunt? Tu autem dicis vitæ tuæ dulcedinem otiosam, & festinus curris ad mortem, Imperatoribus cõtradicis. Propter quod adhuc te hortamur, vt viuas, & vitam tuam redimas, & cultorem te legibus Romanis exhibeas. Quirinus Episcopus dixit: Allocutio ista fortè flectat animos seniles, qui longioris vitæ spatia suspirant. Ego autem didici à Deo meo, vt debeam ad illam vitam peruenire, quæ post mortem, mortis iam intercisione non clauditur: & ideò

Verè moritur, qui Deum negat.

ideò ad temporalem huius vitæ terminum fidelis accedo. Non enim similis sum noxiorum, sicut potestas tua loquitur. Illi enim dum viuere cupiunt, negando Deum verè moriuntur. Ego autem ad æternitatem vitæ confitendo peruenio: nec vestris legibus acquiesco, quia Christi Dei mei legitima, quæ fidelibus prædicaui, custodio. Amantius Præses dixit: Diù te ad obedientiam regalium præceptorum inclinare voluimus, sed quia rigore mentis domari nõ potuisti, eris in exemplum omnium Christianorum, vt formam tuę mortis qui viuere cupiunt expauescant. Tunc inter cæteras, quas pertulit, passiones iussit sancto Dei sacerdoti vel famulo molam ad collum ligari, & vnda demergi. Cumq; de ponte præcipitatus fuisset in * fluuium, & diutissimè supernataret, & cum spectantibus locutus est, ne suo terrerentur exemplo, vix orans vt mergeretur obtinuit. Cuius corpus non longè ab eodem loco, vbi demersum fuerat, inuentum est: vbi etiam locus orationis habetur. Sed ipsum sanctum corpus in basilica ad Scarabentensem portam depositum, vbi maior est pro meritis eius frequentia procedendi. Passus est beatus Quirinus Episcopus Siscianus, martyr Christi, sub die pridiè Nonarum Iuniarum, & coronatus est à Domino nostro Iesu Christo, cui honor & gloria & potestas in sæcula sæculorum, Amen.

Ligato ad collũ saxo molari, in flumen deijcitur vir sanctus An. 308.

* *Sabariam, quem Gunsium nominant.*

Corpus eius Romã transfertur.

VII. FACTA autem incursione Barbarorum in partes Pannoniæ, populus Christianus de Scarabatensi vrbe Romam fugiens, sanctum corpus Quirini Episcopi & martyris afferentes secum deduxerunt. Quem via Appia milliario tertio sepelierunt in basilica Apostolorum Petri & Pauli, vbi aliquando iacuerunt, & vbi S. Sebastianus martyr Christi requiescit, in loco qui dicitur Catatumbas: ædificantes nomini eius dignam Ecclesiam, vbi præstantur beneficia eius, vsq; in hodiernum diem.

VIII. HVIVS Sancti Martyris corpus Roma per Angilbertum Mediolanensem Episcopum Mediolanum fuisse delatum, testantur eiusdem Martyris acta, quæ habet Mombritius tomo II. Verum Molanus in notis ad Vsuardum secundæ editionis, & Cuspinianus in Austria, dicunt cum temporibus Pipini Regis Francorum dux Baioariæ Albertus, & dux Burgundiæ Otto charus gemini fratres, hæredibus orbati limina Apostolorum visitassent, & tum fortè Sarraceni vrbem popularentur, quos fortiter hi Principes & strenuè insequerentur, & vrbem tutarentur, spolia abacta reducerent, & manubias summo Pontifici Zachariæ offerrent, nullum aliud præmium suorum postulasse laborum, nisi vt corpus S. Quirini illis daretur deferendum ad suam fundationem in Bauariam, ad cœnobium *Deegernsce: idq; facile impetrasse. Vtramq; opinionem refert Baronius in Martyrologio, & addit Molanum hanc trãslationẽ in Bauariam certis testimonijs comprobare. Postea tamen M. Welserus rerum Boicarum lib. III. & eum sequutus Matthæus Raderus S. I. in Bauaria Sancta, notant duos martyres Quirinos esse. Vnum sub Claudio Gothico Imper. VIII. Kal. Aprilis Romæ ferro interfectum, & huius reliquias Boiorum Principum pietate ad Tegerenses deportatas esse: alterum hunc Siscianum, eumq; ex Catatumbis Mediolanum Angilberti Episcopi opera translatum esse, inq; S. Vincentij Ecclesia conditum, vbi adhuc hodie magna religione colitur.

* *al. Tegerense.*

AN. 280. MARTYRIVM S. MARTYRIS BONIFACII, EX SIMEONE METAPHRASTE.

IVNII 5. quo die Romę sepultus est: sed Romanũ martyrologium habet eum 14 Maij. quo Tarsi passus est. Ado in martyrol.

ALIORVM quidem Christi martyrum certamina magnum lucrum viris bonis afferunt: nam & communis naturæ maxima & quæ naturam superant, facta ostendunt: & vincentem quidem Christum, apertè autem victum & probro ac dedecore affectum inimicum. Prætereà impios quidem manifestissimè arguunt: pios verò magis confirmant & corroborant, & ad spiritalem decertationem acriores reddunt & vehementiores. Et hæc quidem in illis, in quibus reliqua quoq; vita congruit cum martyrio, & à pueris eis coaluit virtutis exercitatio. Si quis autem ab initio quidem ignauam & dissolutam vitam egerit: postea verò bonis adeò splenduerit, vt repentè martyrij coronam arripuerit, quidnam potest esse hac gratia præstantius apud pios? Nam natura quoq; id, quod præter spem, boni euenit, est delectabilius eo, quod est consuetum. Eò tendit ouis quoque perditæ à Domino inuentio. Talem ergò nouimus quoq; fuisse hunc inclytum Christi martyrem Bonifacium, cuius non æquum est despicere certationem: sed eam literarum mandare monimentis. Sic autem habet: *Luc. 15.*

Aglais mulier nobilis & opulẽta.

I. ERAT Romæ mulier quædam nomine Aglais. hoc autem nomen consequebantur etiam alia congruentia, genus & species & diuitiæ, quæ ei magnum splendorem & decus afferebant. Nam genus quidem erat patritiorum, & eorum, qui proconsularem honorem sunt assecuti: species verò cum iuuentute, quæ efficere possint, vt mulier sit amori vehementius dedita: luculentæ autem diuitiæ, & quæ vel ad eis abutendum satis essent. His omnibus accedens libera viuendi potestas, ignem validè accendebat, & ad turpes amores incitabat. Cùm esset ergò adeò dives Aglais, & terræ bonis floreret, & propterea incontinenter vteretur amoribus, ea cum quodam ex suorum bonorum procuratoribus (is erat pulcher Bonifacius, non ingenij solùm solertia & in eam beneuolentia, sed etiam alia specie longè superans) non honestis vtebatur congressionibus. non erubesco enim hæc dicere, cùm paulò pòst possim ostendere verè diuinam & admirabilem mutationem. Alioqui autem à vino quidem & amoribus vincebatur ab initio: sed & pecuniæ erat contemptor magnificentissimus, & ad eas egentibus distribuendas longè liberalissimus, & hospitalitati deditus, si vllus alius. Si quando ergo vidisset aliquos ex viatoribus, aut æstu & siti eliquatos, aut niue & frigore concretos, aut alia ratione itinere grauatos, ipse festinans hilariter eis ibat obuiam, & rogabat vt à labore requiescerent: & cùm cessissent, in domum suam introductos hospitio benignè accipiebat, & verbis & factis eorum omnem propulsabat molestiam. Hæc etiam antè martyrium ornabant Bonifacium. Neq; est ille solum modò examinandus & spectandus ex alijs: sed sunt etiam coniungenda ea, quæ sunt meliora. Bonifacius enim aliquid quidem voluptati, plurimam verò partem tribuens virtuti, & pulcherrima genera virtutis accuratè exercens, ne esset perfectus ex hoc solo prohibebatur, quòd non esset temperans.

Mala & bona Bonifacij.

Eximia eius hospitalitas

II. CÆTERVM non multo interiecto tempore, hæc quoq; labes, tanquam in toto mundo & pulchro corpore, eluitur, & quòd ex vitio suscipiebatur dedecus, tegitur longè maiori gloria. Non sustinuit enim Dominus despicere animam, adeò omni ex parte pulchram, perpetuò inquinari vnius vitij turpitudine: sed placuit omninò diuinarum rationum dispensationi, martyrico etiam sanguine purpureum & regium ei colorem indere. Quonam modo autem hoc sit effectum, & quodnam sit iactum fundamẽtum martyrij, parata est docere oratio. Adhuc quidem vigebat persecutio in Christianos, & profunda illa caligo simulacrorum totum simul occupabat Orientem. Subit autem illius dominam salutaris cogitatio, & cor eius penetrat vehemens quoddam & inuictum desiderium reliquiarum martyrum. Quoniam verò existimabat Bonifacio nullum esse fideliorem, aut ad in his seruiendum diligentiorem, ei sicut carnalem & turpem, ita etiam laudabilem & beatum amorem communicat, & eum seorsum accipiens: Scis, inquit, frater, qualibus simus coinquinati peccatis, nec nobis curæ esse aliquid, quòd expectamus futurum, vt sistamur antę Deum, & pro his grauia subeamus supplicia. Cæterùm audiui à quodam viro pio, quòd si quis eos, qui propter Christum passi & affecti sunt martyrio, in honore habuerit & coluerit, magna quædam & præclara eum illinc ex eo manet re-

Vehemens desiderium reliquiarũ sacrarum in Aglaide.

net remuneratio, & eadem, qua illi, fruetur beatitudine. Multi aũt nunc quoq;, vt aiunt, pro Christo pulchra adeunt certamina. Tu verò (etenim iam venit tempus, vt meus ostendat Bonifacius, qua sit in nos affectione) ad hæc mihi inserui, & omni studio eò vadens, propera ad me afferre aliquid è sacris his reliquiis: vt cùm eas honorificè deposuerimus, & sacras ædes eis ædificauerimus, eos semper habeamus custodes & seruatores.

Nota quid antiquitas senserit de reliquijs.

III. Hæc cùm ei dixisset, & se lubenter id ministerium promptoque & alacri animo obiturum ostendisset, tradit ei multum auri. Neque enim licebat gratis accipere vllas Martyrum reliquias sed Christianorum magnus in eas amor, erat impiis causa lucri, & efficiebat, vt non nisi magni eas emptas præberent. Ea de causa mittit multum auri, & vt etiam haberet, quod distribueret pauperibus. Mittit autem cum eo equos quoque duodecim, & vnguentum, & sindonas, & quæcunque alia vsui erant ad honorandos sanctos. Sed est attendendum. huc enim venimus, vbi est narratio iucundissima: Cùm iam Bonifacius esset iter ingressurus, statim quasi graphicè victoriam suam & coronam præsignificans: Vidisti, inquit, ô domina, quemadmodum contingit, vt hoc quidem cœpto frustreris: secunda verò, vt aiunt, nauigatio, meum ad te corpus afferat: fuerítne hoc tibi mediocre tui instituti ac scopi solatium, & apud te habendum in honore? Et hæc quidem ille fortasse magis ludens apud dominam, quàm agens seriò: Deus autem id, quod erat futurum, prædixit per illius linguam. Aglais verò: Non est, ô Bonifaci, inquit, tempus ludendi, neque horum verborum: à quibus abstinentem iubeo, vt piè & honestè te geras. Nam iis es inseruiturus, quæ nos non solum tangere, sed etiam adspicere indignos, nimiæ est audaciæ & temeritatis. Cùm his satis increpâsset, & pudore affecisset, & pro ludo intempestiuo ad iustum & rationi consentaneum metum illius animam traduxisset & dixisset: Deus, qui serui formam propter nos accepit, & suum effudit sanguinem, ipse ad mea non adspiciat delicta, & mittat Angelum suum ante te, & dirigat gressus tuos: deinde faustum ei precata reditum, eum emittit.

Obserua religionem hanc & reuerentiam Bonifacij.

IV. Bonifacio verò non mediocriter quidem profuerunt verba dominæ, & vt res diuinas & religiosas reuereretur, effecerunt. Hinc factum est, vt in itinere nec carnes tangeret, nec vino vteretur. Subibat autem eius quoq; mentem cogitatio, veluti quidam bonus pædagogus: Qualia sunt, quæ feci: & qualia sum impuris manibus portaturus? Propter hunc verò metum, sensim negligebat pristinam suam in corpus affectionem, & vt sibi attenderet, sibi persuadebat. Nam metus quidem est pater attentionis, attentio autem est mater tranquillitatis & quietis: ea verò parit conscientiam: quæ facit, vt anima tanquam in pura aliqua & non turbata aqua, sua intueatur dedecora: & sic nascuntur principia & radices pœnitentiæ. Iam tunc autem pulchrè conceperat Bonifacius, & iam apertè ostendebat, se inclinare ad vitam perfectam & accuratam, vt qui à crassis quidem & superuacaneis, vt diximus, abstineret alimentis: assiduis verò precibus & ieiuniis vacaret in itinere. Postquam autem ascendisset in Asiam, & ad celebratam in Cilicia peruenisset Tarsum, quo in loco etiam decertabant martyres, aliis quidem permisit, vt ipsi & equi quiescerent, apud quendam illic hospitio excepti: Ipse verò ne viæ quidem excusso puluere, profectus est ad videndum desideratos martyres: & cùm venisset in stadium, videt populi quidem magnam collectam multitudinem ad ea videnda, quæ fiebant: sanctos autem variis affici tormentis, & vnum quidem omnibus crimen obijci, nempe pietatem ac veram religionem, non eosdem verò subire cruciatus: sed tam multos, vt nemo ferè eodem damnaretur supplicio, etsi spiritu essent coniuncti, & ore nihilominùs eadem loquerentur. Nam alius quidem pendebat capite, subter verò ignis erat substratus: alius autem erat extensus quatuor lignis. Alius serra secabatur. Alius discerpentium manibus comminuebatur: & illius quidem oculi effodiebantur, huius autem manus amputabantur. & huic quidem per collum palus transactus, terræ erat affixus: illi verò manus penè circumagebantur, pedes autem contra improbè refringebantur. & vtrisque sic vinctis similiter ossa conterebantur. Alium (ô magnam impiorum insaniam) licebat videre mutilatum manibus & pedibus, & humi instar globi deuolutum. Sed etsi hæc paterentur viri generosi & fortes, tanquam non subirent aliquid violentum & molestum, sed perinde acsi eorum renouarentur corpora, & sustinerent quandam in melius mutationem, sicut erat reuera, lætabantur, eis diuina virtute ferente auxilium, & confirmante ad certamen: non poterat enim aliter fieri, vt humana hæc pateretur natura, idque cum gaudio, nisi superna eos manus tangeret.

Assiduis precibus & ieiunijs vacat in itinere.

Horrendi martyrum cruciatus.

V. Hæc videns Bonifacius, & non solum videns, sed etiam sedulò & diligenter singula considerans: & partim quidem stupens Martyrum constantiam, partim autem pares coronas consequi desiderans, totus Deo afflatus, descendit in theatrum: & cùm se fecisset manifestum omnibus, Martyres, qui erant omnes viginti, singulatim amplectitur. Deinde etiam omnibus audientibus magna voce, Magnus est, inquit, Deus Christianorum: Magnus est, qui athletas sua ope adiuuit. Hæc cum dixisset, rursus lætus adhærebat martyribus, cum magno desiderio prehẽsabat & amplectebatur pedes. Quibus autem deerant pedes, eas, quæ restabant, partes corporis: beatos quidem eos pronuncias propter animi fortitudinem, & propter ea, quæ passi fuerant, & quòd breue sit id, quod est reliquum, & mox futura sit liberatio à laboribus & æterna lætitia: pro se autem rogans, vt esset eis socius certaminum, & particeps coronarum, quas sunt habituri à Christo.

Vide in Bonifacio miram mutationem.

VI. Cvm autem fieri non posset, vt hæc laterent, maximè cùm vocem altiùs sustulisset, Præses per multitudinem acriùs defigens oculos, & videns Bonifacium: Quis hic est, inquit, qui nos vsque adeò negligit & magnos deos? Ille ipse ergò dicat, accedens propiùs. Postquam autem ille adfuit, rogatus, Sum quidem, inquit, Christianus: Domini verò mei fretus virtute, ex conseruis fideles quidem diligo, te autem & tuos tanquam ingratos despicio. Præses verò: Hæc quidem mitte dicere in præsentia. Dic autem nomen tuum & studium. Bonifacius autem: Primum quidem mihi nomen, & quo maximè vocari gaudeo, Christianus. Quòd si vis etiam scire nomen mihi impositum à parentibus, Bonifacius. Præses verò sancto adhuc loquente, eum interpellans: Age ergò, inquit, ô Bonifaci, priusquam tangam carnes tuas, & ossa, pare & fac imperata, & accedens sacrifica diis propitiis. hoc enim tibi multa bona conciliabit: deorum amicitiam, à rebus grauibus & asperis liberationem, diuitiarumq; & maximorum bonorum suppeditationem. Ad hæc Martyr: Ne tibi quidem, inquit, iustum est respondere: hoc tamen, inquit, dicam, quod sæpè dixi. Sum Christianus. hoc solum audi à nobis. Si hæc autem non feras, fac quod tibi libuerit.

Mira eius constantia.

VII. Hæc cùm dixisset, Præses iubet eum suspendi præcipitem, & fortiter quidem cædi: tormentum autem extendi, donec ossa fiant manifesta. Et hæc quidem, sicut ille iussit, quamprimùm facta sunt à lictoribus: Dei autem Martyr tanquam non dolens, quòd carnes distraherentur, sed potiùs, quòd separaretur à sanctis, in illos quidem defigebat oculos, simul & ipsam desiderans visionem, & tanquam ad pulchrum exemplar, intuens ad illorum propter Christum certamina. Postquam ergò vidit eum Præses hoc tormento nihil remisisse de suo scopo, iubet eum paululùm relaxari: & rursus interiecto aliquo interuallo aggrediens Martyrem, & hoc modo volens eum tentare: Sint tibi, inquit, ô Bonifaci, hæ perpessiones, documenta eius quod est melius, & intolerabiles hos iam expertus dolores, tandem ô infælix tuî misertus, propter ea, quæ te manent supplicia, accede sacrificaturus. Sanctus autem: Mihi iubens sacrificare, ô stolide, existimas te ea aggredi, quæ possint fieri: Ego ad deos accedam, cùm vel sola eorum appellatio sit auribus intolerabilis? Ira rursus intoleranda inuasit Præsidem, & acutæ mox arundines ei trãsfixæ sunt per vngues. Scio vos vel ad solum auditum exhorruisse. est enim tormentum longè grauissimum. Sed Martyr fixis oculis

Cæditur crudelissimè.

Fert patientissimè.

Dirè cruciatur.

oculis cœlum intuens, perindè ac si totum sensum illic cum mente posuisset, ne minimùm quidem curabat crucia-
tum: sed ferebat ipse faciliùs, quàm præses imperabat.

VIII. POSTQVAM ergò impio hoc tormentum fuit inane & irritum, alium rursum excogitat acerbum cruciatum ex
Plumbum feruens in os eius funditur. immanitate & ex improbitate: & iubet Martyris ore aperto plumbum valdè candens ei infundi. Postquam ergò hoc cognouit athleta, manus simul & animum extollens ad Dominum: Domine mi, inquit, Iesu Christe, qui me fe-
cisti fortiorem ijs, qui iam præcessêre, cruciatibus, nunc quoq; adsis mihi, qui es sola mea consolatio, me leuans dolo-
re: & apertè ostende te mihi opem ferre ad parandam victoriam aduersùs satanam & hunc Præsidem. Pro te enim &
tua gloria, vt scis, decerto. Hæc dixit, & sanctos simul rogauit, vt ei opem ferrent suis precibus ad decertationem. At-
que illi quidem ei precabantur victoriam & finem martyrij: extitit autem tunc quoque Christi virtutis opus planè
admirabile. Nam cùm tormentum iam esset paratum, & Bonifacius tanquam quidam strenuus athleta staret, expe-
ctans aduersarium: alij verò martyres, vtpotè non solùm decertatores, sed eorum etiam, quæ in hoc fiebant, acres
spectatores, & magis quàm ille animo anxij, ei quidem, vt diximus, simul precarentur victoriam: tunc quæ erat con-
gregata populi multitudo, & alioqui ex ijs, quæ præcesserant, mota erat misericordia Martyrum: partim autem ægrè
Plurimi transeunt ad Christũ. ferebat nimiam Præsidis crudelitatem, & propter vtraque hæc sanctorum in rebus asperis & grauibus non solùm to-
lerantiam, sed etiam lætitiam stupebat, & sic deducebatur ad fidem in Christum, vniuersa repentè simul tollit con-
fusum clamorem, & mente, & voce consentientem: Magnus est Deus Christianorum: magnus es Rex Christe. om-
nes in te credimus. Hæc & omnes clamabant, & simul aram quidem, quæ illic est, euertebant: Præsidem autem lapi-
Præses fugit. dibus appetebant. Ille verò timore affectus & suæ vitæ metuens, vt qui veniret in periculum, ne mox periret, fuga suę
saluti consulit, turpiter dimisso theatro.

IX. Hæc alium quidem quamuis efferatum & immanem, ira tamen placabilem, persuasissent eadem sentire, quæ
alij, & effecissent vt ad Christum accederet: At non illum sceleratum & execrandum. Sed tantum abfuit, vt ipse ex
timore & ex hac admirabili populi consensione, aliquam acceperit vtilitatem, vt statuerit etiam rem agere maiori
contentione, & ira eum incitante, certamen instaurare. Manè ergò præsidens in tribunali, cùm curasset in suum con-
Mittitur in feruentem picem martyr, sed nihil læditur. *Dan. 3.* spectum produci Martyrem, & illius exprobrabat pietatem, & quòd Dominus noster fuisset crucifixus, ridebat. Cũ
hæc autem non ferens Martyr, pergeret grauioribus probris vicissim insectari Iudicem, pro veris & iustis verbis rur-
sus luit supplicium: & statim lebes pice repletus & valdè accensus suscepit Martyrem. Sed cùm hoc quoq; fieret, non
neglexit Deus ex alto facere consueta miracula. Nam cùm angelus è cœlo descendisset, illius quidem corpus, sicut
etiam corpora trium puerorum, conseruauit illæsum: flamma autem repentè in orbem circumfusa, cùm apprehen-
disset quosdam ex ijs, qui adstabant, infidelibus eadem fecit quę olim Babylone. Tunc impius timens quidem Chri-
sti virtutem, sed ne sic quidem quidquam de impietate remittens, sed tanquam ipse quoque mutari erubescens, aut
ampliùs sanctum videre viuum, arguentem deorum illius imbecillitatem, eum morte condemnat, sic dicens: Boni-
facio, qui non paruit quidem legibus Imperatorum, verbis autem nostris nequaquam cessit, & dijs propitijs noluit
sacrificare, sed crucifixum potiùs colere tanquam Deum, iubeo caput ense amputari. Et ita eum assumentes satelli-
tes, è iudiciali educunt tribunali. Victoria autem insignis Christi Martyr, gaudebat quidem tanquam non ad mor-
tem, sed ad vitam potiùs, sicut etiam reuera ita habebat, proficisceretur, cùm petijsset ab ijs, qui ipsum adducebant,
vt ei parum temporis concederent, stans ad Orientem precatus est: Domine mi, dicens, Domine Deus, citò me præ-
ueniant miserationes tuæ, & nunc adsis mihi adiutor, ne mihi malignus aliquid afferat impedimenti propter ea,
quæ in insipientia mihi præcesserunt peccata: sed suscipe animam meam in pace, & inter eos, qui pro te sanguinem
effuderunt, & fidem vsque ad finem conseruârunt, me quoque annumera. Libera autem tuo quoque precioso san-
Capite plectitur. guine acquisitum gregem, tuum populum, mi Christe, peculiarem, ab omni impietate & errore gentilium: quoni-
am es benedictus & manens in sæcula. Hæc est precatus, & preces statim ensis est consecutus, & amputatum fuit ca-
An 305. put venerandum.

X. FACIT autem hic quoque Deus aliquod miraculum, & sanguinem cum lacte facit fluere ex vulnere: adeò vt il-
Res mira. le quidem esset naturæ, hoc verò piæ fidei: & sic miraculum, quod magnum visum erat ad stuporem, maius fuit ad
550 credũt in Christũ. vtilitatem: quod quingentis & quinquaginta viris infidelibus persuasit, vt Christum sequerentur, & errorem simu-
lacrorum abominantes relinquerent. Hic fuit exitus vitæ Bonifacij. Ita quod illi temerè venerat in mentem, accepit
eum finem, quem ipse prædixerat. Qui autem cum eo missi fuerant ad quærendas reliquias, hæc quidem ignorantes,
totam verò ciuitatem obeuntes, quoniam quærentes ipsum non inueniebant, putantes eum non pulchris, vt sole-
bat, operam dare voluptatibus: Certè ille (dicebant apud se) modò vel omninò coit mulieribus, aut in ijs locis desi-
det, vt id magna ex parte facit. Hæc animo versantes, vt ipsi postremò explicârunt, occurrunt cuidam ciui, qui erat
frater Commentariensis, & eum interrogant, an vidisset aliquem hospitem illuc accedentem. Ille autem dicebat, he-
ri quendam hospitem in stadio martyricum decertâsse certamen, & ense fuisse consummatum: se verò non certò sci-
re, an is sit, qui ab eis quæreretur. Sed dicite mihi, inquit, qualisnam est adspectu, & quæ sunt eius formæ insignia?
Cùm autem illi hominem verbis describerent, nempè quòd breue quidem esset ei corpus, flaui verò capilli, & alia,
quæ satis erant ad exprimendam formam Bonifacij: Hic est ille, inquit, quem vos quæritis. Illi autem in initio qui-
dem non credebant, & eum putabant esse deceptum, dicentes: Non nôsti Bonifacium, qualisnam sit ei vita, & quàm
propensa ac procliuis ad voluptates, & quàm ex diametro vitæ repugnet martyricæ.

XI. CVM verò ille diceret, nihil obstare, quò minùs ipsi accederent ad stadium, & corpus ipsum adspicerent: Illi
Comites eius ignari cędis eius, veniunt ad corpus eius exanime cedentes, accedunt quidem, viro illo eos ducente. Qui cùm etiam eis corpus ostendisset, illi coniectis in corpus ocu-
lis, quod iacebat sine capite, vel ex hoc solo agnoscebant Bonifacium. Deindè etiam cùm inuenissent caput seorsum
iacens, & eius corpori coniunxissent, illum ipsum esse credentes, obstupuerunt: & timore contractus fuit eorum a-
nimus. Timebant enim, ne eis aliquid succenseret, quòd eius mentem accusâssent, eum iudicantes ex eo solo, quod
præcesserat: & nescientes, quali vitæ principio qualem & quàm iucundum finem imposuisset. Sed mox metum ade-
1. Reg. 2. mit Martyr, se placidè & benignè in eos gerens. Nam postquam caput fuit coniunctum corpori, (Tu es omnium Do-
Insigne miraculum. minus ô Christe Rex, qui glorificas eos, qui te glorificant) sensim quidem aperit oculos: eos autem intuetur amicè &
placidè, loquentis speciem præ se ferens, & ostendens se eis benè velle, & probrorum, quæ in eum ingesserant, mini-
mè meminisse. Illi verò acerbè flentes, & calidas lachrymas effundentes: Nè memineris dicebant, serue Iesu, nostra-
rum iniquitatum, neque probrorum, quibus te diuinum & sacrosanctum caput stultè sumus insectati. Cùm sic sibi
Nota precium corporis eius. sanctum placâssent, & eius reliquias, corpus, inquam, & caput quingentis aureis emissent, & odoriferis aromatibus
& vnguentis vnxissent, & candidis lineis inuoluissent, & in honorifica capsa imposuissent, Romam reuersi sunt, sua
nihil interesse arbitrantes accipere alterius martyris reliquias, cùm illum haberent, qui iam erat sibi notus, & qui eos
germanè & syncerè amplectitur, & dat eis fidele testimonium supernæ defensionis.

Cap 12. XII. INTERIM autem, dum isti domum proficiscebantur, aduenit ad Aglaidem visio, nempè Angelus è cœlo, dicens:
Visio Aglaidis. Suscipe eum, qui aliquando quidem fuit tuus famulus, nunc autem est frater noster & comminister: suscipe eum qui
prius quidem erat famulus, nunc autem est tuus dominus, & eum piè honora: vt qui sit tuæ quidem seruator
animæ,

animæ, cuſtos autem vitæ. Illa autem ſurgens tremebunda,& ex eccleſiaſtico choro aliquos inſignes aſſumens,& cũ magno honore procedẽs obuiàm corpori Martyris,id quidem ſuſcipit,& valdè honorificè deponit & magnificè,ſtadijs * quinquaginta procul à Roma:ſacram verò ei ædẽ inſtruit,materia inſignem & pulchritudine,& talem,qualem omninò oportebat ſuſcipere corpus talis animæ: vt nõ ſpiritus ſolus haberet æternum tabernaculũ, ſed illius quoq; corpus frueretur domo conueniente:in *a* qua in hodiernum vſq; diem fiunt multa admirabilia,& dæmones quidem repentè fugantur, morbi verò expelluntur nutibus, qui non cadunt ſub adſpectum. Sunt autem nonnulli,qui cùm non ſint ſani animis,fide fiunt meliores.

Priſcorum Chriſtianorũ erga reliquias reuerentia.

* *Ado quinque.*

a Miracula ad S Bonifacij corpus.

XIII. PORRO autem beata Aglais,Martyre eius informante animam, cum omnes ſuas facultates diſtribuiſſet, & diuiſiſſet pauperibus,de cæterò honeſtè vixit & è virtute,non ſolùm temperantem & caſtam vitam amplectens, ſed etiam aſperrimam eligens exercitationem aduersùs præcedentem nequitiam, vt etiam digna haberetur dono miraculorum,& dæmones quos priùs habebat ipſam ſupplantantes,expelleret ex hominibus.Monaſtica autem eius vita durauit * quindecim annis,& cùm pulchrum ſic ſomnum obdormîſſet, adiecta eſt Martyri. Talis fuit Aglaidis finis & Bonifacij.Sic fuit quidem pulchra eorum mutatio, vt qui carnis quidem affectionibus humanitùs ſeruierint: humanam verò ſuperârint naturam patiendo pro Chriſto, & aduersùs vitia ſe viriliter & fortiter gerentes: ad gloriam Patris & Filij & Sancti ſpiritûs,quem decet honor & gloriatio nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Aglais monaſticam ſectatur vitam

* Ado XIII.

VITA S. BONIFACII ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI, GERMANORVM APOSTOLI ET MARTYRIS, AVTHORE S. Vvilibaldo primo Eiſtatenſe Epiſcopo.

AN. 720.

PROLOG

PERCEPTO piæ paternitatis veſtræ affectu pariter & voto, non propriæ laudis litterali ſcientia confidens,ſed debitum obedientiæ obſequium veſtræ impendens ſanctitati,libenter parui: arduumq; quod ſuggeſſiſtis opus,exiguis viribus inchoaui,ad perfectionis terminum finetenus deducens. Sed obſecro, vt ſi quidpiam aliter,quàm veſtra voluntas expetierit,prouenerit: infirmitatis meæ imbecillitatem,operiſque impoſiti ſublimitatem,æquo animo ſuſtineatis,quoniam maximum mecum reuerentiæ eſt indicium, cum veſtræ ſublimitatis imperio, obedientiæ operam non denego: quia ſi dignum aliquid & noſtris temporibus profuturum confecerim, diuino vtique muneri, ac præcepti veſtri deſiderio conferendum eſt: quoniam pia quandoque deſiderantis voluntas & manum imitatur emunctoris, & impreſſionis ſuæ violentia, vel minimam quandam deſideratæ ſcientiæ dulcedinem parat,famelicumq; impertiendo reficit.Decreuit enim ſanctitas veſtra inſipientem ſapientibus,& minus idoneum prudentibus,coæquare ac præferre; & quod ſine noſtro videlicet conatu, prudenti ſermone releuare potuiſtis,hoc mihi velut ignaro imponere. Sed deprecor, vt quem præcepti veſtri torcular deprimit,precatus aſſiduæ orationis infundat, & mentem ignauiæ caligine obtuſam, voluntas ſpontaneæ dilectionis veſtræ è ſomno reſuſcitet, vt ad ea quæ cogentibus vobis inuitata eſt, tenacior viuaci ſermonum narratione reddatur. Compuliſtis enim me,vt ad normam eorum, quorum aut vitæ caſtimoniam,aut morum ſanctimoniam, ſancti proculdubio Patres,eleganti verborum ambage,chartis inſerẽdo tradiderunt, petentibus religioſis ac Catholicis viris quibus vel in Tuſciæ partibus vel in Galliæ terminis,vel in Germaniæ aditibus aut etiam in Brittaniæ,limitibus S.Bonifacij martyris fama,miraculorumq; coruſcatio perſtrepuit,ſicut Diſcipulis eius ſecum diu commorantib. vel vobis ipſis referentibus comperi; proœmium, mediumq; ac finem vitæ eius, quanta valeam indagatione,literis inſeram.Et quemadmodum primæ præuaricationis reſoluto chirographo,& veræ lucis radio illuceſcẽte, Egeſippus, qui ſub Anacleto Romam veniſſe fertur, quinq; Eccleſiaſticorum actuum libros, ob vtilitatem legentium edidiſſe perhibetur,Euſebius Cæſarienſis,nominatiſſimus hiſtoriographorum ſcriptor, cum Pamphilo martyre & adiutore ſuo,ſuorumq; ſibi antecedentium temporum hiſtorias, mira eloquij diſertitudine texentes, infinita ſcriptis volumina ediderunt.Nec nõ & Gregorius,qui erat vir beatæ memoriæ litterarum ſtudijs eruditiſſimus,glorioſo Apoſtolicæ ſedis culmine ſedens,beatorum ſcribens confeſſorum vitam,dialecticum,miro oſtendens moderamine morem, quatuor logica expreſſit ratione libros, qui hucuſq; Eccleſiarum inſerti bibliothecis, elucubratam poſteris ſcientiæ afferunt dignitatem: Ita Beati viri vitam præcelſaſq; eius virtutes,& cultum pietatis, atq; abſtinentiæ robur,præſentibus ac poſt ſecuturis ſæculis iubetis demonſtrare.Sed quamuis ad demonſtrandam tantarum rerum rationem, exiguum me paruumq; * fieri auctorem agnoſcam, tamen quia exigente beneuolentiæ veſtræ voluntate hoc quod demandaſtis,vobis iuuantibus non propriæ præſumptionis inſolentia fretus,ſed aſſertione Catholicorum confiſus aggrediar opus: neq; ex paruitatis meæ ſtylo propriæ laudis præconium requirens,ſed ex tantæ rei relatione,profuturũ legẽtibus præbens exemplum,dum his quisq; inſtruitur formulis,& ad meliora profectus ſui perfectione perducitur.

5. IVNII.

* *fore.*

I. ILLVSTREM igitur ac vere beatam S.Bonifacij ſummi Pontificis vitam,moresq; eius,ſanctorum magnopere imitatione ſacratos,licet opacitate præpeditæ ſcientiæ, exili tamen opuſculo,huius ſtamine innectere, ac ſimplici hiſtoriæ tegmini,quemadmodum religioſis viris referentibus comperimus,qui quotidiano eius * eloquio,& religionis conuerſatione ſedulo præſentati,ea quæ audierunt,vel viderunt,in exemplum poſteris tradiderunt, congregata verborum * varietate,texendo nitimur enodare,& ab exordio,vsq; ad finem quanta poſſumus indagatione,diuinæ contemplationis eius ſanctimoniam reuelare.Cum enim primęuo puerilis ætatis decore,multa vt ſolet maternæ ſollicitudiuis curâ ablactatus atque enutritus eſſet; magna nimirum delectatione,cæterorum poſtpoſito amore filiorũ, affectatus eſt à Patre. Sed * quia iam labentia cuncta animo ſubiecerat, & æterna magis quam præſentia cogitare diſpoſuerat, cum eſſet annorum circiter quatuor ſeu quinqne,Dei ſeruitio ſe ſubiugare ſtuduit multoque mentis conamine de monaſteriali iugiter vita inſudare:& ad eam mentis quotidie niſibus anhelare. Cum verò aliqui,ſicut illis regionibus moris eſt,Presbyteri ſiue clerici populares vel laicos prædicandi cauſa adiſſent,& ad villam domumq; præfati patrisfamilias veniſſent,mox quantum poſſibilitatis eius puſillanimitas in infantia ſua præualuit, cœpit cum eis de cœleſtibus loquendo tractare: & quid ſibi ſuæq; infirmitati in futurum proficeret, interrogare. * Cumq; ita diu de cœleſtibus diuturna mentis meditatione cogitaret: ac totum ſe in futurum extenderet, & ad ſuperna erigeret patri etiam demum hæc,quæ animo gerebat,reuelauit:& vt ſuæ conſuleret voluntati rogauit.Quo comperto,obſtupefactus pater magna eum increpationis inſtantia,partim minis ne ſe deſereret, prohibuit, partim etiam blandimentis ad ſæcularis curam inſtigabat negotij, vt temporaneo eum tranſitoriæ hæreditatis ſubiungeret lucro: & ſeſe quandoq; defuncto ſuæ terrenæ facultatis cuſtodem,immo etiam hæredem relinqueret. Verbis quidem quamplurimis fraudulenta humanæ calliditatis vſus verſutia tenerum à cœpti perfectione propoſiti animum declinare tẽtauit,magisq; hanc ſuæ tolerabiliorem eſſe infantiæ actiuam, quam vitam monaſterialis militiæ contemplatiuam, multiplici ſermonum adulatione promittit: vt vel ſic à propoſiti huius conamine eum cohiberet, & ad mundani luxus mollitiem incitaret.Sed vir iam Deo in pueritia plenus quanto eſt à Patre plus prohibitus, tanto mentis arrepta fortitudine cœleſtem ſibi acquirere theſaurum,& ſacris ſe cõiungere litterarum ſtudijs anxius anhelabat.Fitq; mirum in modum,ſic-

* *colloquio.*

* *raritate.*

* *qui.*

Puer annũ 4 aut 5. de vitæ ſtatu religioſo cogitat S. Bonifacius.

* *Dumq;*

Dehortatur eum pater à propoſito.

dum, ſicuti ſemper diuina agere ſolet miſericordia, vt ſuo imbecillioris ætatis militi Deus, & cœptæ rei ſolatium & anxiæ voluntatis augmentum, obſiſtentisq; repentinam patris mutationem mentis prouidens * condomaret: ita vt vno eodemque temporis ſucceſſu, & feſtina patrem ægritudo, ſubitaneo iam imminẽte mortis† articulo ſubrepſerit, & pia quantocyus pueri magno interuallo præpedita voluntas ſuccreuerit: Domino Deoq; adiuuante ſuccreſcendo impleta ſit, ac perfecta. Poſtquam enim miro diſpenſationis Dei iudicio, carnalem ingens ſancti viri patrem arripuerat languor, depoſita mox priſtina mentis pertinacia puerũ, propinquorũ facta conuentione, ad monaſterium ꝙ priſcorũ nuncupatur, vocabulo *ad Eſtam caſtrũ ſponte neus à Domino quidẽ correptus direxit: & fideli viro Wolphardo, qui & Abbas extitit illius monaſterij, per fideles ſuæ legationis nuntios redditũ cõmendauit. Quem puerilib. adhuc in annis conſtitutus, ſapienter ſuis ſecum aſtantib. amicis allocutus eſt: & ꝙ multo videlicet tẽpore, monaſteriali ſe regulæ ſubijcere deſideraſſet, rationabili prolata petitione, ſicut à parentib. pridẽ edoctus erat, indicauit. Cui protinus Pater monaſterij, inito fratrũ conſilio, & eorũ accepta, ſicut regularis vitæ ordo poposcit, benedictione: cõſenſum p̃buit, & effectũ. Sicq; vir Dei carnali orbatus patre, *adoptiuum noſtræ redẽptionis ſecutus eſt patrẽ: terreniſq; ſæculi renũcians lucris, mercimonium deinceps æternæ hæreditatis acquirere ſatagebat, vt iuxta veridicam veritatis vocẽ, patrẽ relinquendo, ac matrẽ, aut † agros, aut alia, quæ huius mũdi, centuplũ acciperet, & vitã æternã poſſideret. Matth. 19

EXPLETO igitur, licet ſummatim, primordiali expoſitionis noſtræ ordine, quia quali ſe in initio ſtudioſæ cõ- II.
uerſationis ſanctimonio, ſubdiderit breuiter protulimus, vt fabricæ à nobis fundamento confecto, ſtructuræ paulatim ſublimitas ad ſumma altius erigeretur. *Poſtquam igitur infantiæ ſeptem euoluuntur anni, puerilis adueniente decore ætatis, etiam mira in eo ſcientiæ præualuit fortitudo. Magna ſiquidem mentis, & ineffabili grauitate cœleſti inſpirante gratia, ſicut ſubſequentia huius operis documenta declarant, ditatus eſt, & multarum caſtimonia virtutũ iuxta oſtenſum ſanctorum exemplar, præcedentium & venerabilium inſtitutis patrum ſubditus, declaratus, ac decoratus. Adeo. n. diuino exarſit ingenio, ac lectionis adprime ſe ſubdidit exercitio, vt ſingulis quibuſque additis temporibus momentis atq; horis annorumq; curriculis, augerentur etiã in eo ſuperni adiumenta, diuinaq; donorum incrementa protectoris, quantoq; paſtoralis pædagogio magiſterij eſt præuentus, tanto ad profectum æternæ beatitudinis, ſicut fideles cõfamiliaritatis illius viri pro certo teſtati ſunt, eum quotidiana eius ſtudia iugi laudis literarũ meditatione die noctuq;, incitauere, & contra infeſtas diabolicæ ſuggeſtionis perſecutiones, quæ tenerũ ſæpe apud mortales iuuentutis florẽ, ceu, nebuloſa quadam cœcitatis caligine obtegere ſolent, mirabiliter protexẽre: ita vt etiã propter indefinentem diuturnæ ſollicitudinis eius curam, & ſempiternam ſacrarum legum examinationem, illecebroſa in eo adoleſcentiæ incentiua & carnalium deſideriorum impetus primitus impingentes, domino Deo auxiliante maxima ex parte † ſedaſſent, magisq; ac communẽ prouehunt populorum doctrinam: quam multo tranſacto temporis interuallo, ſecundum pontificale eccleſiaſticum diffinitionis decretum, inchouit, dilatauit, ac perfecit. Quoniam caduca huius mundi contemnens ornamenta, monaſterialis vitæ normam in infantia ſua rite ac regulariter ſub moderata patris præfati gubernatione annos quamplurimos cuſtodiuit: donec pueritiæ [a] fatiſcente laſciuia, & pubertatis inchoante adoleſcentia, [b] ardentis ingenioli ſui voluntas [c] accederet, vt ad finitima quoq; monaſteria magiſtrali lectionis prouocatus penuria, cum conſenſu atq; cõſilio conſeruorum fidelium patrisq; monaſterij perueniret. Cũq; voto ſimul & [d] mente omnipotentis ſibi adeſſe inceſſanter magna precum inſtantia ſuffragium poſtularet, tandẽ diuina cœlitus inſpirante gratia, ad monaſterium quod vsq; hodie Nutſcelle dicitur, peruenit, & beatæ memoriæ Wiberti Abbatis, qui venerabiliter prædictũ ſub regulari diſciplina regebat monaſterium: ſpiritali literarum diligentia prouocatus, elegit magiſterium, fratrumq; ſecũ in domino viuentium contubernia, ac ſic ſeruorum Dei iunctus cõſortio, deuotum domino Deo ſeruitium & laborioſam vigiliarum inſtantiam, lectioniſq; diuinæ operam ingẽti meditationis ſtudio exhibuit: ita vt maxima demum ſcripturarum eruditione tam Grammaticæ artis eloquẽtia, & metrorum medullatæ facundiæ modulatione, quam etiam hiſtoriæ ſimplici expoſitione, & ſpiritali tripertita intelligentiæ interpretatione imbutus, dictandiq; peritia laudabiliter fulſerit, vt etiam alijs demum paternarum extiterit pædagogus traditionum, & auctor magiſterij, qui & diſcipulus antea ſubiectorũ eſſe non recuſauit. Quia ſacræ mos eſt conuerſationis, vt præferre ſe cæteris pertimeſcat, qui ſubijci alijs renuerit, quia & rectæ obedientiæ operam ſubiectis impendere non valebit: quam ſuperna prælatis diſpenſatione iuſtè non exhibebit. Hanc. n. ita omnibus in commune viuentibus & maxime ſuo ſub regulari videlicet diſciplina Abbati, monachica ſubditus obedientia præbebat: vt labore manuum quotidiano, & diſciplinali officiorum adminiſtratione inceſſanter ſecundum præfinitam B. patris Benedicti rectæ conſtitutionis formam inſiſteret, omnibusq; exemplum benè viuendi, in verbo & conuerſatione, in fide & caſtitate ſe præbens, vt omnes de fructu eius perciperẽt: & ipſe omnium mercedis æternæ perciperet portionẽ. Sed & humilitatis quoq; eius & caritatis excellentiam, ſolus qui occultorum eſt cognitor Deus, intimæ inſpectionis ſuæ conſideratione nouit, * quia omnes ſibi commilitones ſolerti cura ſubiunxerat, vt ab eis † timori pariter haberetur & * amori: & quẽ diuina lectione haberent ſocium, mutuo apoſtolicæ admonitionis honore præuenirent, vt patrẽ. Tãtaq; in eo affabilitatis erga fratres, & cœleſtis doctrinæ ſuccreuit magnitudo: vt rumore ſanctę exhortationis, eius crebreſcẽte fama multis per monaſteria, tam virorũ quam etiam virginum Chriſti, apertiſſime † clareret. Quorum quidẽ quamplurimi virilis ſexus robore confortati, & lectionis inſtantia incitati, ad eum confluxere, & ſaluberrimæ ſcientiæ fontem potantes, numeroſa ſcripturarum volumina legendo recenſuere. Quibus ergo ſexus infirmioris imbecillitas inerat, & aſſidua pergendi abnegabatur facultas, tantæ ſibi ſapientiæ virum diuini * inflatum ſpiritu amoris prę̃ſentari fecerunt, paginarumq; tranſcurrentes ſeriem, cœleſti inſtanter ſcrutinio inhæſere, & ſacramentorũ arcana myſteriorumq; abdita, iugiter meditabantur. Quẽ ita ſuperna ſubleuauit gratia, vt iuxta egregij prædicatoris exemplar, & gentium doctoris vocem, formam habens ſanorum verborum, in fide & dilectione Ieſu Chriſti, ſollicitè curans ſeipſum probabilem exhibere Deo operarium inconfuſibilem: rectè tractantem verbum veritatis.

AD generalẽ erga quotidianæ contẽplationis formã, & diuturnam parſimoniæ continentiam ſermo à nobis ali- III.
quantiſper directus deriuatur, vt per ſingulos quoſq; aſcẽſus ſublimia huius ſancti viri opera propẽ ſius compendioſa verborũ ratitate exequamur, ſtudiumq; vitæ p̃ omnia venerabilis Bonifacij ſubtilius indagãdo proſequamur, vt & æquum libraminis moderatione exemplar, nobis æternitatis, & patẽ: fiat Apoſtolicæ eruditionis norma. Qui per ſanctorũ exempla arduam cœleſtis intelligẽtiæ ſemitã feliciter ſcandens, ac præuium populis ducatũ præbens, portã domini Dei noſtri, q̃ iuſti intrabunt, ipſe ingreſſus aperuit, & ab infantia ſua vsq; ad decrepitã ætatis ſenectutẽ pręteritorũ nõ mediocriter patrũ ſapientiam imitatus eſt: dũ prophetarum iugiter, & Apoſtolorũ verba ſtylo ſanctitatis cõſcripta, & glorioſam noſtrã paſſionem nimirũ apicibus literarũ inſertam, ſed & euangelicã domini Dei noſtri traditionẽ, quotidie cõmendabat memoriæ, & ſecũdum Apoſtolũ, ſiue mãducaſſet ſiue bibiſſet, ſiue aliud aliquid egiſſet, laudis ſemper p̃conium, & deuotæ faſtigium iubilationis, tã mente, quam ẽt ore perſoluebat Deo, iuxta illud pſalmographi. Benedicã dominum in omni tẽpore, ſemper laus eius in ore meo. In tantum n. ſcripturarum exarſit deſiderio: vt, omni intẽtione, earũ imitationi & auditioni ſæpius cõiungeret. Et q̃ ob doctrinã * populorũ cõſcripta ſunt: ipſe quippe mira eloquij diſertitudine & ſolertiſſima parabolarũ aſſertione efficaciter p̃dicando retexuit. Cui tale diſcretionis tẽperamentũ inerat, vt & vigori correptionis mãſuetudo, & vigor p̃dicationis mãſuetudini nõ deeſſet. Sed quẽ zelus accẽderat vigoris mãſuetudo mitigabat amoris. Diuitib. ergo ac potẽtib. liberisq; ac ſeruis æqualẽ ſanctæ exhortationis exhibuit

*condonaret. †periculo. *Adeſtancaſtre. *ad optimum. Matth. 19 †agrum. *al. Poſtquam enim ætas & mira in eo ſcientiæ prævaluit fortitudo, infantiæ, quæ ſeptem pueriles a dueniente decore ætatis euoluuntur anni, protectionis & prouectum. †ſedauere. [a] ceſſente [b] ardentior illum [c] accenderet. [d] intẽtione. *qua. †timore. * amore. † clarüit. *inflanti. 2. Tim. 2. *æqua librationis.

buit disciplinam, vt nec diuites adulando demulceret, nec seruos, nec liberos districtione pergrauaret. Sed iuxta Apostolum, Omnibus omnia factus est: vt omnes lucrifaceret. Qui & doctrinæ cœlestis documentum, non suo ante tẽpus arripuit arbitrio: nec obstinationis suæ rapina vsurpatum acquisiuit, sed sanctæ humilitatis profectu, 30. aut eo amplius annorum habens ætatem, magisteriali & familiari subleuatus electione, iuxta canonicæ constitutionis regulam suscepit: & ad sacerdotalis officij gradum, diuersis donorũ ditatus muneribus accessit, ita vt eleemosynis quidẽ, misericordiæq; operibus quantum sub regulari monasterialiq; præualuit districtione, opere penitus ac voluntate deseruiret. Sed & nocturna vigiliarum spatia omnibus horis præueniens, orationis se, sollicitus, laboriosa operatione exercuit. Cuius nec patientiam ita subripuit, nec longanimitatem furor commouit, nec libido continentiam expugnauit, nec abstinentiam gastrimargia violauit; sed ita omni se ieiunij frugalitate subiugauit, vt vinum & siceram non bibens, vtriusq; testamenti imitaretur patres, & cum egregio gentium diceret doctore. Castigo corpus meum & seruituti subijcio, ne fortè alijs prædicans, ipse reprobus efficiar. 1. Cor. 9. 1. Cor. 9.

IV. Collecta ergo sparsim superius sublimitate sancti huius viri virtutum, silentio quæ subsequuntur minimè prætermittenda æstimamus, quæ & fidelium didicimus relatione virorum, & manifesta equidem scripturæ patefactæ exerere curamus: quanta suarum perseuerantia virium, & cœptis bonis inhæreret: & ad alia quæque festine properando animum incitaret.

Cumque diutius mentem supra enumeratis virtutibus edomaret, & de die in diem ad altiora bonorum documenta sub prædicto se presbyteratus gradu proueheret, iam regnante * Meuu Saxonum Rege, subitanea quædã incubuerat noua quadam seditione exorta necessitas: & statim synodale à primatibus ecclesiarum, cũ consilio prædicti Regis seruorum Dei factum est concilium. Moxq; omnibus in vnum conuenientibus saluberrima de hac recenti dissensione consilij quæstio, inter sacerdotales ecclesiastici ordinis gradus sapienter exoritur, & prudentiori inito consultu fidelesin domino legatos ad Archiepiscopum Cantuariæ ciuitatis, nomine Herechtwaldum, destinandos deputarunt, ne eorum præsumptioni, aut temeritati ascriberetur: si quid sine tanti Pontificis agerent consilio. Cumque omnis senatus & vniuersus clericorum ordo tam prouidenti peracta collatione consentirent, confestim Rex cunctos Christi famulos allocutus est: & cui huius præfatæ legationis nuntium imponerent, scisciatus est. Tũ crepente summus in Christo Archimandrita qui prædicto præerat monasterio nomine * Wintreth & Wintra qui monasterio, quod dicitur [a] Tisselburg præsidebat & [b] Boorwaldt, qui diuina cœnobium gubernatione, quod antiquorum nũcupatur vocabulo Glestingaburg regebat: nec non & alij multi huius sancti propositi Patres, sanctum hunc virum accitum adduxerunt ad Regem. Cui & nuntium Rex & legationis notitiam imposuit: & adhibitis secum socijs direxit cũ pace. Qui etiam nuntio sibi impositio iuxta mandatum seniorum, prospero itinere peruenit ad † Cent, & Archiepiscopo summi pontificatus infula prædito, sapienter cuncta quemadmodum edoctus erat à Rege per ordinem reuelauit, & sic spontaneo accepto responso, post non multos dies reuersus est ad patriam, præfatoq; Regi prædictis seruis Dei secũ assistentibus à venerabili Archiepiscopo spontaneũ scienter detulit responsum: & magnũ vniuersis contulit gaudiũ, ac sic deinceps, mira dispensationis Dei beneuolentia, nomen eius diffamatũ est, & celebre apud omnes, tam sæculares dignitates, quàm etiam Ecclesiastici officij ordines habebatur: ita vt amodò ita proficiens in futurum, synodali sæpissimè * eorum interesset instituto. Sed quia mens Deo dicata fauoribus non attollitur humanis nec laudibus subleuatur: cœperat ad alia multa sollicitudinis curà attentius properare & parentum affiniumq; suorum consortia deuitare, & peregrina magis quam paternæ hæreditatis terrarum loca desiderare. Sed cum sic longo temporis interuallo secum solertissimè deliberaret vt patriam parentesque desereret, tandem arrepto beatæ memoriæ prædicti patris consultu, cuncta animi sui secreta intra conscientiam antea abscondita patenter aperuit; & magna precum instantia ad consensum suæ voluntatis sancti viri animum prouocauit. Qui etiam magna primitus admiratione obstupefactus, poscenti sanè supplicantiq; desideratum ad tempus contradixit iter: vt cœpti propositi se daret industriam. Sed ad extremum, inualescente omnipotentis Dei prouidentia, conualuit etiam sermo petentis, & tanta Abbatis, fratrumq; suorum secum sub regulari disciplina viuentium deuotione adoptatum inchoauerat iter, Dominoq; Deo dispensante compleuerat, vt ei etiam humani sumptus solatia libenter impenderent & magna cordis commotione, lachrymarum diutius infusiones, orationum supplicationes, pro eo ad Dominum funderent. Hic etiam dum spirituali confortatus armatura, & sæculari sublimatus sumptura, vtriusque vitæ stipendijs minimè careret, adhibitis secum duobus aut tribus fratribus, quorũ corporali, spiritualiq; indigebat sustentaculo, profectus est: ac sic immensis peragratis terræ partibus, prospero ouans fratrum comitatu, peruenit ad locum vbi erat forum rerum venalium, & vsq; hodie antiquo Anglorum Saxonumq; vocabulo appellatur * Luidewinc. Ac non multo transacto postliminio, nautarum † nauiter nauus quidem epibata, consentiente Nauclero, aggressus est nauem, nauloq; impenso prospero ventorum flatu, peruenit ad Dorstat: ibique aliquandiu commoratus, debitum Domino Deo exsoluit, die noctuq; præconium. Sed quoniam graui ingruente Paganorum impetu, hostilis exorta dissensio inter * Carolum Principem, glorioſumq; Ducem Francorum, & * Radbodum Regem Freſorum, populos ex vtraq; parte perturbabat, maximaq; pars Ecclesiarum Christi quæ Francorum prius in Fresia subiecta erant imperio, Radbodi incumbente persecutione ac seruorum Dei facta expulsione vastata erat, ac destructa, idolorum quoq; cultura extructis delubrorum fanis luguibriter renouata. Tunc vir Dei prospecta peruersitatis nequitia peruenit ad * Trechit, ibiq; aliquantis exspectatis diebus, aduenientem Regem Radbodum allocutus est: & multis illarum circumuallatis ac conspectis terrarum partibus, * vtrum sibi in futurum prædicationis vspiam patesceret locus perquireret: proponensq; animo, vt si qua in parte huius populi Euangelium patesceret aditus quo claresceret, & verbi Dei semina ministraret. Quod etiam multis transactis annorum curriculis, glorioſa martyrij testificatio comprobauit. Sed quorum sanctorum * singulorum vna est sanctitas, vt dum ad tempus suum sine spiritualis vigore germinis laborem minimè pollentem prospexerint, ad alia prorsus loca, fœcundo laboris cum fructu migrent, quoniam incassum inhabitatur locus, si & fructus deest sanctitatis. Sanctus enim vir, dum sterilem aliquamdiu † Freſorum terram inhabitaret, & æstatis autumniq; aliquantulum tempus præteriret: iam arida cœlestis rore fœcunditatis reliquerat arua, & ad natale, suis secum supradictis conuiatoribus, solum migrauit, ac monasterij sui secreta petens, etiam ibidem, secundi siquidem anni hyemem tripudiantium fratrum amore, susceptus hyemando transegerat, vt Doctoris Apostolicam gentium vocem imitaretur dicentis. Ibi enim constitui hyemare. Tit. 1.

* in Vvest.
* Vuyntberch.
[a] dissestaburg
[b] Beerwaldt.
† Cantuariam.
* etiam.
* Lundenuuich.
† Nouiter nouus.
* Carlum.
* Ratuuodum fresonum.
* Trech.
* cum.
* singularum est sanctitatis spirituali.
† Freſonũ.

V. Transcvrsis iam ex parte S. viri virtutibus, subsequentia eius, quemadmodum rem rumigerulis referentibus gestam comperimus, patenter proferimus: vt apertior in perpetuum vitæ morumque eius ad normam sanctæ conuersationis illius tendentibus pateat callis. Cumque ingens peregrinationis exegisset discrimen, gurgitumque maris euasisset dispendium, & fratrum suorum iterum reuersus se societati dedisset, eorumq; contubernio dies deinde plurimos * illuxisset, graui demum mentis arreptus est mœrore, & recenti oppressus animi tristitia, dum senilia * iniunxisiam magistri membra infirmari conspiceret, extremumq; astante Monachorum congregatione, obitus sui diem, languoris conualescente immensitate, vibrando, palpitandoq; imminere: & tandem depósito corporis ergastulo, sub tristi mœrentium aspectu fratrum, vltimum efflare Spiritum videret. Quia in sanctorum frequenter cordibus com-

fet, correptus, mœstitia.

1.Thess 4. & 5 passionis specialiter condolens refulget pietas, qua ad tempus sedulo solent contristari, sed Apostolico inhærentes præcepto in Domino iugiter consolantur: iam blande adorsus est fratres, & spiritualibus eos colloquijs, memor paternæ traditionis, hortatur, vt regularis iugiter constitutionis formam, & Ecclesiasticæ diffinitionis normam in omnibus conseruarent, & vt patris cuiuslibet spiritualis se subiungerent imperio, instruxit. Tunc omnes vnanimiter consonis instabant vocibus, & sanctum hunc virum, qui illo dicebatur in tempore Winfrid, cuncti precabantur vt pastorale super eos Abbatis susciperet magisterium. Sed refutatis mox patriæ facultatibus, & primatu regiminis abiecto, ad prædestinata iam promptus ac paratus, solerti se cura excusauit: omnemque hæredum substantiam abnegando renuit. Cum vero hybernale iam tempus præteriret, & calor æstatis candesceret, pristinaque labentis animi re-

An. 719. nouaretur intentio: omni sollicitudine iter omissum iterando renouare studuit. Tunc litteris etiam commendatitijs à beatæ memoriæ Daniele speculatore plebis Dei, acceptis ad limina Apostolorum Romam venire tentauit. Quem tamen resistentium aliquandiu fratrum, orbata Patris impediuit necessitas, charitasq; eiulantium ac compassio vtrobiq; dolentium ad tempus obsistebat: ita vt magno quidem mentis angore premeretur, & in quam se verteret partem ignoraret. Metuebat enim ne grex Magistro commissus, iam sine vigilantis pastoris custodia, eo decedente, luporum morsibus pateret: & vt peregrè proficiscendi autumnale sibi deficeret tempus, formidabat. Cumq; omnipotens solita non immemor pietatis suæ clementia, seruum suum tanta animi pressura perturbatum, & anxio vellet dolore eri-

*Magistrũ, pere, & iucundum gregi præuidere *Magisterium, iam præfati Antistitis erga fratres intestina facta est meditatio. & bonæ indolis virum, nomine Stephanum, huic præsidere fecit Ecclesiæ, & S. hunc virum per longas peregrinationis vias ire volentem ad loca incolumem destinata direxit. Qui protinus quidem valedicens fratribus profectus est, lo-

*prædicto dicitur nomine Lundenuuich. † Cuentauuich. cumq; per lõga terrarum spatia qui iam prædictus dicitur Londemuuine, voti compos adijt, & celocis celeriter marginem scandens, cœpit ignotas maris tentare vias: tripudiantibusq; nautis, immensa Coro flante carbasa consurgebant, & pleno vento, prosperoq; cursu, ostia fluminis citius quod dicitur Cuent. omni iam expertes periculi naufragio aspiciunt: & ad aridam sospites terrã perueniunt. Sed & castra meratí in † Cuentauuic: donec superueniens se collegarum multitudo congregasset. Omnibusq; collectis, per singulos quosq; dies, imminente hyemis frigore, profecti sunt: multasq; sanctorum Ecclesias orando adierunt. vt tutius, opitulante altithrono, Alpina niuium iuga transcenderent, Longobardorumq; erga illos humanitatem mitius sentirent: militumq; malitiosam superbiæ ferocitatem facilius euaderent. Cumque sanctorum suffragante patrocinio, & Domino Deo dispensante, omnis quippe cohors cõtubernalium comitatui huius sancti viri inhærens, limina B. Petri Apostoli prosperè aggressus est: immensas statim Christo pro sospitate eorum grates persoluunt, atq; ecclesiam S. Petri Principis Apostolorum magno cum gaudio ingressi, abolitionem peccaminum postulantes: diuersa quidem munera eorum quamplurimi detulerunt. Transactis autem diebus non multis, Sanctus iste vir venerabilem sedis Apostolicæ Papam beatæ memoriæ Gregorium à primo secundum, & nouissimo priorem affatus, qui & vulgari ea Romanorum lingua dicitur iunior, omnem sibi per ordinem itineris sui atq; aduentus occasionem manifestauit: & quali anxius desiderio diutius desudasset, aperuit. Sanctus itaq; Papa repente hilari vultu, arridentibusq; oculis intuitus in eum: inquisiuit, an litteras ab Episcopo suo commẽdatitias detulisset. At ille etiam exempto pallio, cartam ex more inuolutam, litterasq; protulit: deditq; mirabili sanctæ recordationis viro. Qui statim acceptis litteris, annuit ei vt abiret. Apostolicus verò Papa perlectis literis & recensita commendatitię conscriptionis charta sedulum deinceps cum eo habebat quotidianæ disputationis colloquium, donec proficiscendi redeundiq; intraret tempus.

VI. Cvm vero Nisan mensis, qui est Aprilis, præteriret, & Iiari, qui est Maius, iam portæ patescerent, tunc etiam postulata atque accepta benedictione & litteris, à beatissimo Papa ad inspiciendos immanissimos Germaniæ populos directus est: vt an inculta cordium arua Euangelico arata vomere, prædicationis semen recipere voluissent, consideraret. Ac sic extemplo collecta numerosa reliquiarum multitudine, reciproco suorum reditu conseruorum Italiæ

*Liodoprandum. † Baicaricarum. fines adijt, optimumq; Longobardorum Regem *Lichobrandum, pacificis salutatũ muneribus compellauit, & honorificè ab eo susceptus, lassata ex itinere membra repausabat, ac sic remuneratus, ardua ac plena agrorum peragrans spatia: prærupta alpium iuga transcendit, incognitosq; †Baguarorum, & confines Germaniæ terminos aggrediens in Thuringiam, iuxta mandatum Apostolicæ sedis, considerando progressus est, ad instar videlicet prudentissimæ apis, quæ suorum camporum circumuolat arua: & numerosam redolentium herbarum copiam, pennigeris molliter per-

1.Thess 5. strepens alis circumuolat, carpentique rostro pertentat melliflua, vbi nectaris latet dulcedo, & suis eam, omni penitus mortiferi succi amaritudine contempta, aluearijs inuehit: & secundum quandam Apostolicæ ratiocinationis eloquij similitudinem, omnia probat, & quod bonum est, tenet. S. itaq; vir Dei in Thuringia iuxta insitum sibi mandatum Apostolici Pontificis, Senatores, deniq; plebis totius populi Principes, verbis spiritualibus affatus est: eosq; ad veram agnitionis viam & intelligentiæ lucem prouocauit, quam olim antè maxima siquidem ex parte prauis seducti

*se, non in. Doctoribus perdiderunt. Sed & Sacerdotes & Presbyteros, quorum alij religioso Dei se omnipotentis cultu *incaluerunt: alij quidem fornicaria contaminati pollutione, castimoniæ continentiam, quam sacris seruientes altaribus seruare debuerunt, amiserant, sermonibus Euangelicis quantum potuit, à malitiæ prauitate ad canonicæ constitutionis rectitudinem correxit, admonuitq;, atq; instruxit, & Franciam deinde, fratribus secum commeantibus, ingres-

*Fresonum sus est: statimque audita Radbodi *Fresorum Regis morte alueum quidem fluminis magno gauisus gaudio nauigio ascendit, optans quod etiam Fresia recepisset verbum Dei, ad incultas cœlesti prædicatione terras peruenit, iamque atrocis cessante Regis Radbodi persecutione, doctrinæ cœlestis semina ministrauit: & verbi Dei fame expulsa, famelicam Paganicæ superstitionis multitudinem æternæ prædicationis refecit pabulo. Cumque desiderantis repente mentem spontaneus operis sequeretur effectus, & votiua prædestinatæ doctrinæ Lux Domino Deo dispensante clarescceret: Caroliq; Ducis glorioso super Fresones roboratum esset imperium, iam buccina cœlestis verbi increpuit, & prædicatorum adueniente superni roris fertilitate vox intonuit: Dei etiam per Willibrordum virum venerabilem ac cooperatores eius propagatus est sermo. Sed quia messis quidem multa, operarios autem paucos inesse cernebat, S. hic Dei famulus cooperator factus etiam est per tres instanter annos VVillibrordi Archiepiscopi: multumq; in Christo laborans non paruum Domino populum destructis delubrorum fanis, & exstructis ecclesiarum oratorijs, præfato Pontifice opitulante, acquisiuit. Cum vero summus hic senuisset Pontifex, & ætatis plu-

*sancti. rimis grauaretur annis: decreuit etiam suggerente discipulorum cœtu, vt solatium *tanti ministerij suæ decrepitæ senectuti prouideret, & fidelem de parua congregatione virum eligeret, qui tanto præesse potuisset populo. Accitoq; hoc famulo, salutari eum instructione admonuit, vt Episcopalis reginiminis susciperet gradum: &, ad regendũ Dei populum, sibi subueniret. Qui etiam humiliter repente respuens, minimè se dignum esse Episcopatus gradu referebat, & ne sibi tantæ dignitatis fastigium, adolescentiæ adhuc in annis constituto imponeret, deprecatus: & quoniam quinquagesimi anni, iuxta canonicæ rectitudinis normam, necdum plenè reciperet ætatem: testatus est: vt omni se penitus excusationis tergiuersatione, ab huius gradus Celsitudine declinaret. Prædictus itaq; tã sancti præconij Põtifex, placidis illũ verbis increpauit, & diligẽti eum cura ad huius propositi gradũ instigauit, populiq; subiecti maximã magnopere paupertatẽ prædicebat. Sed cum neq; sic correptus ad suscipiendũ huius Celsitudinis gradũ consentiret, iãq;

per

per longas tricationum moras ſpiritualis inter eos exorta contentio : & conſona pulchræ diſcretionis facta eſt diſſenſio. Hic vero grandi præuentus humilitate, tanti gradum contradixit honoris : ille autem pijſſimi appetitu lucri irretitus, ſalutem concupiuit animarum. Cumque ſic diuerſa iam ſermocinationum verba inuicem protuliſſent : S. hic Dei ſeruus, velut in ſpirituali quodam ſtadio poſitus placidè prorſus excuſationis exerens ſermonem ait. O ſumme ſanctitatis Pontifex, O ſpiritualis proreta agonis, ego enim à B. ſanctæ recordationis Gregorio Papa, Germanicis mandatum gentibus detuli, ego Apoſtolicæ ſedis legatione fungens, ad occidentales barbarorum regiones ſponte tuæ me Dominio gubernationis iniunxi, & propriæ voluntatis arbitrio, ignorante Dominorum ſublimatu copulaui. Quorum vſq; in hodiernum diem ſponſionis voto conſtrictus ſum, ſeruituti atq; ſubiectus. Quapropter ſine Apoſtolicæ ſedis conſultu, & authenticæ iuſſionis mandato, tam præclaræ ſublimitatis ordinem, ſuſcipere non audeo. Sed & alia quæque rationabili petitionis ſupplicatione verba proferebat, dicens : Obſecro igitur, vt me propriæ ſponſionis vinctum cathenis, ad has, ad quas primitus à ſede Apoſtolica miſſus ſum, terras deſtinando dirigas. Cui protinus vir Dei audita tantæ profeſſionis cauſa, data ei benedictione : licentiam dedit abeundi. Qui etiam ſtatim proficiſcens, peruenit ad locum, cui nomen inſcribitur, * Ameneburgh : iuxta Apoſtolum enutritus verbis fidei & bonæ doctrinæ, quam aſſecutus eſt. * *Amaneburch.*

VII. PER ſingulos enim à proœmio gradus, virtutis documenta, & laboris in Domino conſtantiam, huius ſancti viri perſtrinximus : vt ſequentia ſubtilius bonorum eius exempla, conglobatim ad memoriam reuocemus. *1. Tim 4.*

Cumque ingentem Domino populum in * Freſonibus acquireret, multique ab eo ſpirituali doctrina edocti, ad agnitionem veritatis irradiantibus veræ lucis radijs peruenirent : tunc quippe Domino patrocinante alias Germaniæ, prædicandi cauſa, partes adijt, & ſupradictum locum, cui gemini præerant germani * Detdic videlicet & Deorulf Domino auxiliante obtinuit : eoſque à ſacrilega idolorum cenſura, qua ſub quodam Chriſtianitatis nomine malè abuſi ſunt, reuocauit, ac plurimam populi turbam, rectè patefacta intelligentiæ via, errorum depoſito horrore à malenola gentilitatis ſuperſtitione retraxit & monaſterij, collecta ſeruorum Dei congregatione, cellam conſtruxit. Similiter & iuxta fines Saxonum, Heſſorum populum Paganicis adhuc ritibus oberrantem, à dæmoniorum, Euangelica prædicando mandata, captiuitate liberauit : multisq; millibus hominum, expurgata paganica vetuſtate, baptizatis. Idoneum quippe nũtium ad fidelem ſuarum litterarum portitorem nomine * Bymiam Romam direxit, patriq; venerabili Apoſtolicæ ſedis Pontifici, vniuerſa quæ circa illum, Domino dante, facta ſunt, muta quidem litera miniſtrante per ordinem reuelauit : & quod magna multitudo hominum diuino illuſtrante Spiritu, regenerationis perciperet ſacramentum manifeſtauit. Sed & de rebus, quæ ad quotidianam Eccleſiæ Dei neceſſitatem populiq; proũctum pertinebant, plura, ob conſilium ſedis Apoſtolicæ interrogando, conſcripſit. Cum enim aliquãtos dies præfatus hic nuntius prædicto maneret loco, & iam reditus ſui tempus inſtaret, tunc etiam à præfato ſedis Apoſtolicæ Pontifice, mutuum legationis ſuæ reſponſum accepit : & ſtatim reuerſus, chartam ſedis Apoſtolicæ conſcriptionis, iam non multo tranſacto tempore magiſtro attulit. Cumq; S. vir allatas legiſſet litteras, carptim ſe inuitatum ad Romã intellexit, feſtinuſq; ſummum obedientiæ gradum implere tentauit : clientumq; confeſtim ſtipatus caterua, & fratrum circumſeptus agmine Francorum ac Burgundionum, Italiæq; iam collibus alpium tranſcenſis : limitum fines, militũq; terminos tranſmigrauit, & Romanæ vrbis mœnibus conſpectis, altithrono repente condignas gratiarum laudes rependit : & ad B. Petri mox Eccleſiam perueniens diligenti ſe oratione muniuit. Cumq; laſſata mẽbra pauliſper quieuiſſent, iam B. Gregorio Apoſtolicæ ſedis Põtifici nuntiatum eſt, quod hic Dei famulus adueniret. Qui etiam bene ſuſceptus in Xenodochium adductus eſt. Aduenientе itaq; opportuno collocutionis eorum die, & ad baſilicam B. Petri Apoſtoli aduentante glorioſo ſedis Apoſtolicæ Pontifice : confeſtim hic Dei famulus inuitatus eſt. Et cum paucis adinuicem ac pacificis ſe ſalutaſſent verbis : iam de ſymbolo & fidei eccleſiaſticæ traditione, apoſtolicus illum Pontifex inquiſiuit. Cui mox hic vir Dei humiliter reſpondit, dicẽs. Domine Apoſtolice noui me imperitum : iam peregrinus veſtræ familiaritatis ſermone. Sed quæſo, vt otium mihi & tempus conſcribendi fidei mihi concedas : & mutа tamen litera meam rationabiliter fidem adaperiat. Qui etiam protinus cõceſſit : & vt feſtine hanc ſcripturam deferret, imperauit. Cum aliquanto temporis euoluto ſpatio, ſanctæ Trinitatis fidem vrbana eloquentiæ ſcientia conſcriptam detuliſſet : reddidit præfato Pontifici. Exſpectauit quippe nihilominus dies aliquos, ſic ſaltem reinuitatus eſt, & Lateranum inductus humiliter prono vultu protinus poſtulata benedictione, pedibus Apoſtolici Põtificis aduolutus eſt. Quiq; repente eum eleuauit à terrа : & chartam in qua integrа & incorruptа fidei patuit veritas, huic famulo Dei reddidit, eumq; conſedere fecit, & ſalutari eum admonitione doctrinæ inſtruxit : vt hanc ſine intermiſſione intẽmeratam fidei munitionem obſeruaret, & alijs inſtanter ſuarum pro poſſibilitate virium prędicaret. Multa quoq; alia de religione ſanctitatis, & fidei veritate ſciſcitando profert : ita vt omnem pene diem pariter colloquendo alternatim ducerent, & ad extremum qualiter populi, per deuia prius facinorum oberrantes, fidei documenta ſua prædicatione perciperẽt, ſciſcitatus eſt. Et cum pro certo comperiſſet, quod maximam quidem multitudinem plebis à ſacrilega dæmonum cultura, ad conſortium ſanctæ Eccleſiæ aſſciſceret, intimauit ei, quia Epiſcopatus ſibi imponere gradum voluiſſet, populis paſtorali prius ſollicitudine priuatis, & iuxta ſententiam Domini Dei noſtri iacentibus ſicut oues non habentes paſtorem, præferre. Sed quia contradicere huic tanto Pontifici Apoſtolicæ ſedis prælato non auderet : conſenſit etiam & obediuit. Sicq; ſummus ſanctæ authoritatis Pontifex, diem conſtituit ordinationis : id eſt, pridie Calendarum Decembrium. Cumq; ſacroſanctus ſolẽnitatis dies, & natalitius ſancti Andreæ, & præfinitæ ordinationis illuxiſſet, iam ſacer ſedis Apoſtolicæ Pontifex, Epiſcopatus ſibi & nominis, quod eſt Bonifacius, impoſuit dignitatẽ, eiq; libellum in quo ſacratiſſima Eccleſiaſticæ conſtitutionis iura pontificialibus geſta ſunt conuentibus, accommodauit : & vt ex hoc inconuulſa apud ſe pontificalis hæc diſciplina, & inſtitutionis ordo permaneret, populiq; ſubiecti his imbuantur exemplis, imperauit; ſed & familiaritatem ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, tam ſibi, quam omnibus ſibi ſubiectis ex hoc in futurum condonauit : & Caroli Ducis glorioſi ſuis ſacratiſſimis literis regni munimine ac deuotione, ſanctum hunc virum epiſcopatus gradu pollentem ſubiugauit. *Matth. 9. & 12.*

IIX. IS autem dum per longos viarum anfractus, ingentium populorum adiſſet confinia, iam quidem ad præfatum Francorum Principem venit, & venerabiliter ab eo ſuſceptus literas Prædicti Rom. Pontificis, ſedisque Apoſtolicæ * Carolo duci detulit, eiusq; dominio ac patrocinio ſubiectus, ad obſeſſas antea Heſſorum metas, cũ conſenſu Caroli Ducis redijt, tum vero Heſſorum iam multi Catholicæ fidei ſubditi, ac ſeptiformis ſpiritus gratia confirmati, manus impoſitionem acceperunt. Et alij quidem necdum animo confortati, intemeratæ fidei documenta, integre recipere renuerunt, alij etiam lignis & fontibus clanculo, alij autem aperte ſacrificabant. Alij verò aruſpicia, & diuinationes, præſtigia atq; incantationes occultè, alij quidem manifeſtè exercebant. Alij quidem auguria & auſpicia intendebãt, diuerſoſq; ſacrificandi ritus incoluerunt : alij etiam quibus mens ſanior inerat, omni abiecta gentilitatis profanatione nihil horum commiſerunt. Quorum conſultu atq; conſilio : arborem quandam miræ magnitudinis, quæ priſco paganorum vocabulo appellatur robur Iouis in loco qui dicitur * Giceſmere, ſeruis Dei ſecum aſtantibus ſuccidere tentauit. Cumq; mentis conſtantia confortatus arborem ſuccidiſſet, magna aderat copia paganorum, qui & inimicũ * *Carlo.* *Linguis & faucibus mendosè.* * *Gaeſmere.*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

Deorum ſuorum intra ſe diligentiſſime *deuocabant. Sed ad modicum quidem arbore præciſa, confeſtim immenſa roboris moles, diuino deſuper flatu exagitatur: & palmitum confracta culmine corruit, & quaſi ſuperni nutus ſolatio in quatuor etiam partes dirupta eſt, & quatuor ingentis magnitudinis æquali longitudine trunci, abſq; fratrum labore aſtantium apparuerunt. Quo viſo prius * deuocantes Pagani, etiam verſæ vitæ benedictionē domino, priſtinæ abiecta maledictione, credentes reddiderunt. Tunc autem ſummæ ſanctitatis Antiſtes, conſilio inito cum fratribus ligneum ex ſupradictæ arboris metallo oratorium conſtruxit, illudq; in honorem S. Petri Apoſtoli dedicauit, atq; vniuerſis, quæ prædiximus, completis & ſuperno ſuffragāte nutu peractis, ad Turingiam profectus eſt, & ſeniores plebis, populiq; principes affatus eſt, eosq; relicta ignorantiæ cæcitate, ad acceptam dudum Chriſtianitatis religionem iterando prouocauit, quia * fatiſcente ſuorum Regum dominio, magna quidem eorum comitum multitudo, ſub Theobaldi & * Bedenis periculoſo primatu, qui lugubre ſuper eos tyrannici ducatus, & infeſtum vaſtationis potius quam deuotionis obtinebant imperium, vel corporali per eos pręuenta morte, vel hoſtili ſiquidem eductione captiuata eſt; intantumque diuerſis conſtricta malis, vt cætera quæ manebat reſidua populi turba, Saxonum ſe ſubijceret principatui, quo ceſſante religioſorum ducum dominatu, ceſſauit etiam in eis Chriſtianitatis & religionis intentio, & falſi ſeducentes populum introducti ſunt fratres: qui ſub nomine religionis maximam hæreticæ prauitatis introduxerunt ſectam, ex quibus eſt * Trotroin, & Berechther Etanberecht, & Hunreth fornicatores & adulteri, quos iuxta Apoſtolum Dominus iudicauit, hi validiſſimum aduerſus hominem Dei excitauerant conflictum: ſed veris verborū oppoſitionibus confutati, dignam reprehenſionis ſortiti ſunt ſententiam. Cumq; renouatus per populum fidei ilлуxiſſet candor, & plebs ab ingenti erroris erepta eſſet laqueo: iam expulſis profani hoſtis amicis, & infeſtis populi ſupradictis ſeductoribus meſſem quidem multam cum paucis admodum meſſoribus incoluit, & magnam primitus mundi huius penuriam ac fragilitatem ſuſtinuit: magnisq; tribulationum anguſtijs coartatus, verbi Dei ſemina propagauit. Sed cum credentium polleſceret multitudo, prædicatorum quoq; multiplicatus eſt & Catalogus. Tunc etiam eccleſiæ repente inſtaurantur, & prædicationis eius doctrina multiformiter emanauit: monaſteriumq; congregata ſeruorum Dei vnitate, & Monachorum ſanctitate conſtructum eſt in loco qui dicitur * Ortorf, qui proprijs ſibi more Apoſtolico manibus victum veſtitumq; inſtanter laborando acquiſierunt. Sicq; ſanctę rumor prædicationis eius diffamatus eſt, intantumq; inoleuit, vt per maximam iam Europæ partem fama eius perſtreperet: & ex Britaniæ partibus ſeruorum Dei plurima ad eum tam Lectorum, quam etiam ſcriptorum, aliarumq; artium eruditorum virorum congregationis conueniret multitudo. Quorum quippe quamplurimi regulari ſe eius inſtitutioni ſubdiderunt, populumq; ab erraticæ gentilitatis profanatione plurimis in locis euocauêre: & alij quidem in prouinciam Heſſorū, alij etiam in Thuringiam diſperſi, late per populorum pagos ac vicos verbum Dei prædicabant. Cumq; ingens vtriuſque populi multitudo, fidei ſacramenta multis millib. hominum baptizatis perciperet, iam defuncto beatæ memoriæ Gregorio ſecundo ſedis Apoſtolicæ Papa, & glorioſo præfatæ ſedis Gregorio iuniore Apoſtolici culminis cathedram præſidēte, denuo Romam nuncij eius veherūt, ſanctumq; ſedis Apoſtolicæ Pontificem allocuti ſunt: eiq; prioris amicitiæ fœdera, quæ miſericorditer ab anteceſſore ſuo ſancto Bonifacio, eiuſque familiæ collata ſunt, manifeſtauerunt. Sed & deuotam eius in futurum humilitatis Apoſtolicæ ſedi ſubiectionem narrauerunt: & vt familiaritati ac communioni ſancti Pontificis, atq; totius ſedis Apoſtolicæ, ex hoc deuote ſubiectus communicaret, quemadmodum edocti erant, precabantur. Statim ergo ſanctus ſedis Apoſtolicæ Papa pacificum profert reſponſum, & ſuam ſediſque Apoſtolicæ * familiaritatis, & amicitiæ communionem tam ſancto Bonifacio, quam etiam ſibi ſubiectis condonauit: ſumptoque Archiepiſcopatus pallio, cum muneribus, diuerſisque ſanctorum reliquijs, legatos honorificè remiſit ad patriam. Aduenientibus ergo nuntijs, ac ſpontanea viri apoſtolici referentibus reſponſa, iam gratulabundus Apoſtolicæ ſedis nimium confortatus deuotionis ſuffragio: opeque diuinæ miſericordiæ inſpiratus duas videlicet Eccleſias Domino fabricauit, vnam quippe in Fridislar, quam in honorem ſanctorum Petri & Pauli principis Apoſtolorum conſecrauit, & alteram in * Hameneburg. Hanc etiam in honorem S. Michaëlis Archangeli dedicauit. Duo quoque monaſteriola duabus iniunxit eccleſijs, hisque non minimam ſeruientium Deo multitudinem ſubrogauit: ita vt vſque hodie gloria & benedictio & gratiarum actio domino Deo deuote conferatur. Hisque omnibus rite confectis, * Bauarorum, temporibus † Hugoberti Ducis, adijt terras, prædicationisque ſtudium apud eos diligentiſſime exercuit, & multas conſiderando circuit eccleſias, tantoque diuinæ fortitudinis zelo armatus eſt, quod quendam ſchiſmaticum hæretica prauitate deceptum nomine Heremuulfum, iuxta canonum decreta damnauit atque abiecit, & populum à peruerſa ſectæ eius idololatria correxit, & ad fratres ſuæ Diœceſis conſtituta gubernationis cauſa rurſus migrauit, iuxta illud Apoſtoli: cupiditatem habens veniendi ad fratres.

IGITVR huius viri aliquantiſper meritorum documentis excerptis, quanto ſe religionis regimine per cunctos ætatis ſuæ gradus indeſinenter rexerit, breui videlicet proferamus ſermone. Quoniam quidem diutinus ſanctorum vſus eſt, vt quotidie aliorum per exempla ad meliora ſe prouehant: decreſcente dierum calculo, creſcat in eis etiam intimi virtus amoris. Cumque eccleſiarum eſſet minima in Heſſis & Thuringia multitudo exſtructa, & ſingulis ſinguli prouiderentur cuſtodes, tum etiam tertio propter familiarem ſancti Apoſtolici Pontificis, totiuſque clericatus communionem, diſcipulorum comitante cœtu, Romam venit, vt Apoſtolici videlicet patris ſalubri frueretur colloquio, & ſanctorum ſe, iam ætate prouectus, orationibus commendaret. At vbi, poſt immenſam itineris vaſtitatem, domino Apoſtolico Gregorio iuniori ſecundo præſentaretur, benigne ſuſceptus eſt ab eo, tanta à cunctis tam Romanis, quam etiam aduenis veneratione habebatur: vt multi ad ſalutarem eius doctrinam confluerent. Francorū enim, & * Bauarorum, necnon ex Britannia aduenientium Saxonum, aliarumq; prouinciarum, ingens ſedulo eius admonitioni adhærebat multitudo. Cumq; non minimum anni ſpatium in his moraretur regionibus & ſanctorum peragrando atq; orando circuiſſet reliquias, tunc quippe reſalutato venerando viro, ac ſedis Apoſtolicæ Pontifice, cum muneribus & reliquijs ſanctorum honorificè ditatus remeauit. Italiamq; perueniens Ticenæ vrbis ingreſſus mœnia, apud honorandum Longobardorum * Ludbrandum Regem, iam ſenio feſſis membris, requieſcebat: & recedens non ſolum inuitatus † Bauarorum ab Odilone Duce, ſed & ſponteneus viſitauit incolas, manſitque apud eos diebus multis, prædicans & euangelizans verbum Dei, veraq; fidei ac religionis ſacramenta reuocauit: & deſtructores eccleſiarum, populiq; peruerſores abigebat. Quorum alij pridem falſo ſe Epiſcopatus gradu prætulerunt, alij etiam presbyteratus ſe officio deputabant: alij hæcatq; alia * innumerabilia fingentes, magna ex parte populum ſeduxerunt. Sed S. vir iam Deo ab infantia deditus, iniuriam domini ſui nō ferens, ſupradictum Ducem cunctumq; vulgus ab iniuſta hæreticæ falſitatis ſecta, & fornicaria ſacerdotum deceptione coercuit, & prouinciam * Bauarorum Odilone Duce conſentiente, in quatuor diuiſit parochias, quatuorq; his partibus præſidere fecit Epiſcopos: quos ordinatione ſcilicet facta in Epiſcopatus gradum ſubleuauit: Quorum primus nomine Iohannes, Eccleſiæ in oppido quod dicitur Saltzburg Epiſcopatus Cathedram ſuſcepit. Secundus * Erenberch qui Friſigenſis eccleſiæ † ſpeculatoris tenuit principatum. Tertius * Gaiualdus, qui eccleſiæ ciuitatis Reginæ paſtorale excubitoris ſubijt magiſterium. Quartus Viuilo, qui ſuper Patauienſem Eccleſiam ſacræ indagationis obtinuit dignitatem. Cumq; omnia confirmato Chriſtianitatis ordine rite agerentur, & canonū eſſentiura in Bauaris recuperata, iam ad proprias remeando redijt eccleſias, populiq; ſibi cōmiſſi cu-

*deuotabant.
*deuotantes.
*faceſcēte.
*Hedenes.
*Torthunne & Berechthere, Tanberth, & Hūred. Heb. 13.
*Ordorp.
*familiaritatem.
*Fridislare.
*Hamanaburg.
†Baioariorum.
*Hutperti
Rom 15.
IX.
*Baioariorum.
*Luitbrandum.
†Baioariorum.
*immemorabilia.
† vulgum.
*Baroanorum.
*Erēbercht
† ſuperſpeculatoris.
*Goibalch.

missi curam gerens, caulasq; gregũ circumspiciens, & excubias prouidens, oues à nefandis luporum morsib. eripuit.

CVMQVE [a] Caroli Ducis glorioſi temporale finitum eſſet regnum, & filiorum eius Carolomanni & Pipini roboratum eſſet imperium, tunc quippe domino Deo opitulante ac ſuggerente, S. Bonifacio Archiepiſcopo religionis Chriſtianæ confirmatũ eſt teſtamentum, & orthodoxorum patrum ſynodalia ſunt in Francis correcta [b] conſtituta, cunctaq; canonũ authoritate emendata & expiata: & tam laicorum iniuſta concubinarum copula, partim exhortãte S. viro ſeparata eſt, quam etiam clericorum nefanda cum vxoribus coniunctio ſeiuncta ac ſegregata: tantuſq; in ſupradictis ducibus diuinæ caritatis per doctrinam S. Bonifacij feruor exarſit, vt plebem quidem à peruerſa inolitæ cõſuetudinis cenſura multum liberarent: qua proprio implicata arbitrio, & hæreticorũ decepta ſuggeſtione: [c] ius æternæ hæreditatis amiſerat: adeo enim ſpiritualis in populo doctrinæ lucẽ hæreticorum ſuffocauerat ſecta, vt tenebroſa hæreticæ deceptionis caligo, magnam plebis obtexerit partem: ex quibus quidem [d] Eldebech & Clemens à via veritatis populum, profana pecuniarum cupiditate ſeducti, iugi auerterunt ſtudio. Sed à S. Bonifacio Archiepiſcopo conſentientibus Carolomanno & Pipino glorioſis ducibus, ab eccleſiæ vnitate expulſi, iuxta Apoſtolum traditi ſunt Satanæ in interitum carnis: vt ſpiritus ſaluus fiat in die domini.

[a] *Carli.*
[b] *inſtituta, ſed conſtituta melius.*
[c] *iura.*
[d] *Elbertus.*
1. Cor. 5.

X. CONVENIENTIBVS in vnũ Epiſcopis & presbyteris, diaconibus atq; clericis, omniq; gradu eccleſiaſtico, quos inclytæ recordationis Carolomannus dux ſub regni ſui imperio [e] accerſere fecit, quintum ſynodale factum eſt concilium: in quo Bonifacius Archiepiſcopus Moguntinæ ciuitatis, ipſo Carolomanno conſentiente ac donante, à Pontifice legatus, quatuor primitus principalium ſynodorum numeroſa canonum conſtituta, primum miſſus à S. & [f] venerabili ſedis Apoſtolicæ Põtifice Gregorio iuniore, [g] cum primo tertio, viro honorabili, ob ſalutare doctrinæ cœleſtis augmentum admonuit conſeruari, & quemadmodũ in Nicæa, Conſtantino Auguſto orbis monarchiã gubernante, Arianæ euerſa eſt perfidia blaſphemiæ, & centũ & quinquaginta Patrum, Theodoſio ſeniore Conſtantinopoli imperante, congregatio, quendã Macedonium Spiritũ S. Deum eſſe refutantẽ condemnauit, atq; ducentorũ Epiſcoporũ vnitas; ſub iuniore Theodoſio apud Epheſinam vrbẽ aduentata, Neſtorium geminas in Chriſto perſonas profitentẽ, à Catholica iuſto anathemate ſegregauit Eccleſia: necnon & Chalcedonenſis ſynodi ſexcentorũ triginta ſacerdotũ, conuentio, Eutychen Cõſtantinopolitanæ vrbis Abbatẽ, & Dioſcorũ defenſorẽ eius, catholicæ fidei [h] in vnitate rebellantes, iuxta præfinitã patrum ſententiam, anathematizauit, ita equidẽ apud Franciam omni funditus eradicata hæreticorum perfidia, & exſtirpata iniquorũ coniuratione, legis diuinæ augebantur incrementa, & ſynodales, generalium conciliorũ canones recipiebantur: ſynodaliſq; ſpiritualis [i] concilio Epiſcoporũ congregatio, iuxta præfinitam authenticæ conſtitutionis diffinitionem pariter [k] conueniebat, quæ ob quotidianas bellorum ſuſpiciones, & infeſtam circumuallantium barbararum gentium ſeditionem, [l] qua extraneos alieni Franciam populorũ prædones atrociter demoliri conabatur vel minime facta eſt, vel etiam tantæ erat obliuioni tradita, vt omni penitus obliterata præſentium ſæculorum memoria, iam nulla eſſet ratione cognita, quia mundus in ſe quotidie naturaliter ſui detrimentum diminutionis ſaltim etiam recuperatus patitur: nec renouatus quidem per omnia ſuo euaneſcit diſpendio, & ad prædeſtinatũ anhelando finem feſtinat. Quapropter ſi qua in hac mortali huius peregrinationis vita ad communem [h] in hoc mundo iufirmantium profectum, ab ſpiritualibus medicinaliter ſunt comperta, autoribus, etiam ſi quandoque humanis inſerta fuerint mentibus, [m] magnæ ſunt munitionis fortitudine à Catholicis conſeruanda & præfixa mentis immobilitate tenenda: ne vel obliuio humana [n] occupet, vel etiam [o] humanæ oblectationis illecebroſa delectatio inſtigante diabolo præpediat. Quam ob cauſam [p] hic ſanctus domini Antiſtes, ac ſolertiſſimæ ſollicitudinis cura inſpiratus, plebem à peſtifera tortuoſi ſerpentis perſuaſione eripere curauit, & Carolomannum Ducem ad congregandum ſupradictum ſynodorum conuentum ſæpiſſime [q] concitauit: vt tam præſentibus, quam poſteris, ſpiritualibus ſcientiæ ſapientia pateſceret, & auerſa animarum circumuentione, cognitio Chriſtianitatis innoteſceret.

[e] *adſciſcere fecit quater: ſed in marg. quatenus.*
[f] *Pontificatu præſidens, Romanæ Eccleſiæ ſedi-que Apoſtolicæ legatus.*
[g] *a primo ſecundo, & Gregorio à ſecundo ſuſcepto ſeptimo. contum.*
[h] *non legit. in vnitate.*
[i] *conſilii.*
[k] *conueniebant.*
[l] *quam extraneorum alienigenarum Franciam populorum. cui.*
[m] *magnæ vnitionis.*
[n] *obrepat.*
[o] *mundanæ.*
[p] *hac.*
[q] *incitauit.*

CVM quoddam canonicæ rectitudinis ſpeculum, omnibus ad exemplum gradibus bene viuẽdi opponeret, & euidens cunctis veritatis veſtigium oriretur: iam ſibi ſuæq; infirmitati longæuo ætatis ſenio decrepitus, ſalubre exhibuit conſilium, & iuxta eccleſiaſticæ diſpoſitionis normulam, paſtorale populis præuidit magiſterium: vt ſiue viuente illo, ſiue etiam moriente, medicinali plebs paſcorum officio minime careret, & duos bonæ induſtriæ viros ad ordinem epiſcopatus promouit, Willibaldum, & [r] Burghardum, eiſq; in intimis orientalium Frãcorum partibus & Bauarorum terminis eccleſias ſibi commiſſas impertiendo diſtribuit, & Willibaldo ſuæ gubernationis parochiam commendauit in loco, cui vocabulum eſt [s] Heiſtate. Burghardo vero in loco qui vocatur [t] Wirtzeburg dignitatis officium delegauit, & eccleſias in confinijs Francorum, atque Saxonum, atque Sclauorum ſuo officio deputauit: & vſque ad glorioſum exitus ſui diem, inceſſanter arctam regni cœleſtis viam plebibus patefecit.

[r] *Burchardum.*
[s] *Eichſtat.*
[t] *Wirzaburgch.*

CVM vero Pipinus, domino donante, regale [u] Francorum felix, ſupradicti germani ſucceſſor, regnum ſuſciperet, etiam aliquantulum ſedata populorum perturbatione, in regem ſubleuatus eſſet, cœpit anxius vota domino deuota perſoluere, & ſynodalia confeſtim recuperare inſtituta, ac canonica à germano ſuo iuxta exhortationem ſancti Bonifacij Archiepiſcopi fideliter inchoata, inſtaurare [x] myſteria: eũq; habitu ſimul & honore præferre, & ſuis in domino parere præceptis. Sed quod ſanctus vir infirmitate corporis prægrauatus, ſynodalia conciliorum conuenticula per omnia adire non poterat: iam conſultu atq; conſilio glorioſi Regis, idoneum proponere miniſtrum ſupradicto gregi definiuit, & [y] Lullum, ſuum ingenioſæ indolis diſcipulum, ad erudiendã tantæ plebis numeroſitatem conſtituit, & in Epiſcopatus gradum perũexit, atq; ordinauit: [z] eumq; hæreditati, quam in CHRISTO, inſtanti acquiſierat labore, implicauit, qui & fidelis in Dño comes peregrinationis eius erat; & teſtis vtrobiq; paſſionis & conſolationis.

Pipinus Rex Francorũ factus.
[u] *Francorum.*
[x] *miniſteria.*
[y] *Lul.*
[z] *eiq; hæreditatem, quam in Chriſto inſtanti implicauit labore, acquiſierat.*

XI. [a] CVM aũt ſeruum ſuũ S. Bonifacium Dominus de huius mundi vellet tẽtatione eripere, & temporalis vitæ tribulationibus ſubleuare, tunc etiam Domino diſpenſante diffinitũ eſt, vt ad Freſiam olim corpore, non quidẽ mente omiſſam, ſeruis Dei ſecum migrantibus, perueniret, vt vbi primitus prædicationis ſtudium ingrediens præmiorũ inchoauerat incrementa, etiã à ſæculo rediens ſumptus reciperet et remunerationis. Sed miro quodammodo vaticinij præſagio, ſequentem obitus ſui diem prædicto Epiſcopo Lullo prænuntiauit, & quali mundum fine demũ relinqueret inſinuauit: eiq; per ordinem de Eccleſiarum ſtructura, & populi doctrina propoſuit dicens. Ego enim propoſitũ pergendi iter complere cupio: ego meà deſiderato proficiſcendi itinere reuocare non potero. Iam enim inſtat reſolutionis meæ dies, & tẽpus obitus mei appropinquat: iam enim depoſito corporis ergaſtulo æternæ retributionis renertar ad brauium. Sed tu fili mi chariſſime, ſtructuram in Thuringia à me cœptam, Eccleſiam ad perfectionis terminum deduc: tu populum ab erroris inuio inſtantiſſime reuoca, tuq; ædificationem baſilicæ iam inchoatæ ad Fuldam comple, ibidemq; meum multis annorũ curriculis corpus inueteratum perduc. Hiſq; completis ſemonibus, adhuc ampliora huiuſcemodi addidit verba: & ita inquiens ait. Fili tuo cuncta prudentiſſimè prouide conſilio, quæ in hoc noſtro ſint vſui itinere copulãda, ſed & linteum, quo meum decrepitum corpus inuoluatur in [b] enthecam librorum meorum repone. [c] Cum autem præfatus tantæ quoque religioſitatis Antiſtes ſuſpitia non ferens ſtatim ſe in lachrymas dediſſet: iam S. Bonifacius, finito colloquio, ad alia redijt, & diebus non multis interpoſitis, ab [d] accepto ſe

[a] *Dum.*
[b] *in theca.*
[c] *Dũ enim præfatus minimè tanta quereloſitatis Antiſt.*
[d] *ab incepto.*

minimè retraxit itinere: sed sumptis secum conuiatoribus nauem ascendit, ac per Rheni fluminis alueum penetrans nocturna portuum naugio exquisiuit loca, donec aquosa Fresonum arua ingrediens, trans stagnũ quod lingua eorum dicitur [a] Ælmere, sospes peruenit: infœcundaque diuino germine littora inspiciendo, circuit. Cumque periculosum fluminum, marisque, & ingentium aquarum euasisset discrimen, in periculum iam sine periculo incidit, gentemque Paganam Fresorum visitauit, quæ interiacentibus aquis in multos agrorum diuiditur pagos: ita vt diuersis appellati nominibus, vnius tamen gentis proprietatem prætendant. Sed quia longum est, vt per ordinem replicentur, eo; [b] tamen de nomine denudare studemus, qui ad narrationis nostræ seriem veraciter proferuntur: vt & locus, & lingua, relatam à nobis beati viri sanctimoniam æqualiter prodat, & quali hunc mundum fine desereret, aperiat. Per omnem igitur Fresiam pergens, verbum Domini, Paganico ritu repulso, & terreno gentilitatis more destructo, instanter prædicabat: Ecclesiasque numine confracto delubrorum, ingenti studio fabricauit: & multa iam millia hominum virorum ac mulierum, sed & paruulorum cum commilitone suo [c] Coepiscopo Cæbanco baptizauit, quem ad subueniendum suæ senilis ætatis [d] infirmitati, Fresonibus iniuncto Episcopo in vrbe, qui vocatur Trehit subrogauit, cum Presbyteris ac Diaconibus, quorum hæc nomina sunt, Wintrung, & [e] Walterus simul & Ethelherus sacerdotali officio [f] præditis, Hamud, Scirbald, & Bosa Leuitarum obsequio [g] deputatis [h] Waccar & Gundecer, Illeserus & Hathouulf monasteriali Monachorum ordine subleuatis. Qui etiam in tantum vitæ æternæ semen cum S. Bonifacio latè per populum diuulgantes, Domino Deo patrocinante diffamauerunt, vt quibus iuxta Act. 2.
Apostolicæ institutionis normam, cor erat vnum & anima vna: eademque esset & palma Martyrii & remuneratio triumphi.

[a] *Elmere.*
[b] *centum.*
[c] *debilitate Fresonis iniuncto sibi Episcopio.*
[d] *Chorepiscopo Dobau.*
[e] *Vualteri simul & Trebet.*
[f] *præditus hammit & Vuasa.*
[g] *deputatur.*
[h] *Gunduaccar Illihere, & Bathouufbb.*

Confirmationis sacramentũ.

Postquam igitur fidei, vt prædiximus, per Fresiam illuxerat splendor, & felix sanctæ huius vitæ appropinquaret finis: iam quidem secus ripam fluminis, quod dicitur Bordne, quod est in confinibus eorum, qui rustica dicuntur lingua, [a] Ostor & Westerihe, suorum tamen stipatus clientum numero erexit tentoria. Sed quia festum Confirmationis Neophitorum & nuper baptizatorum, ab Episcopo impositionis & confirmationis populo prædixerat, iam longè lateque dispersо ad propriam vnusquisq; reuersus est domum: vt secundum definitam sententiam S. Episcopi vniuersi prædestinato confirmationis eorum die præsentarentur. Cum autem prædictus dies illuxisset, & aurora lucis orto iam sole prorumperet: tunc etiam versa vice pro amicis inimici, & noui deniq; lictores pro nouitijs fidei cultoribus aduenerant, hostiumq; ingens in castra vibrantibus armis hastata atque scutata irruerat multitudo. Tunc repente ex aduerso pueri è castris prosilientes vtrobique se armis impetunt: & sanctos contra insensatum, postmodum Martyres, furentis populi exercitum defendere gestiunt. Sed vir Dei statim audito tumultuantis turbæ impetu, accersito ad se Clericorum choro, sumptis Sanctorum reliquijs, quas secum indesinenter habere consueuerat, ex tentorio procedit: & confestim increpando, pueris pugnæ interdixit certamen, dicens. Cessate pueri à conflictu, pugnæque deponite bellum: quoniam Scripturæ testimonio veraciter erudimur, ne malum pro malo, sed etiam bona pro malis reddamus. Iam enim diu optatus est dies: & spontaneum resolutionis nostræ tempus imminet. Confortamini igitur in Domino, & permissionis suæ gratiam gratanter sufferte: sperate * in eum, & liberabit animas vestras. Sed & adstantes tam Presbyteros, quam etiam Diacones, inferioris que ordinis viros, Dei subditos seruitio: patris admonens voce, ait. Viri fratres, forti estote animo & ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, quorum animam manentem sine fine necare non possunt. Sed gaudete in Domino & spei vestræ anchoram in eum defigite, quia extemplo perpetuo reddet vobis remunerationis mercedem, & cœlestis aulæ sedem cum supernis Angelorum ciuibus condonabit. Nolite vos vanæ huius mundi delectationi subijcere, nolite caducis gentilium adulationibus delectari, sed subitaneum hic constanter subite mortis articulum: vt regnare cum Christo possitis in æuum. Cumque tali doctrinæ hortamento discipulos ad coronam Martyrij affabiliter incitaret, confestim super eos furens Paganorum tumultus, cum gladijs cunctaque militiæ armatura irruit, & fœlici Sanctorum cæde corpora cruentauit: statimque mortali iustorum multata carne, tripudians gentilium turba victricem suæ damnationis prædam arripuit, castraq; depopulans manubias diripiendo impertiuit. Sed & thecas, quibus multa inerant librorum volumina & reliquiarum capsas abstulit, magnam se ibi tam auri argentiq; copiam credens ad naues quibus quotidianus merat Clericorum ac puerorum victus, & aliquantulum adhuc residuum eiusdem stipendij vinum, obseratis, vt erant, vasculorum claustris asportauit, ac repente ad amati comperto liquoris haustu, cœpit gulosam ventris satiare ingluuiem & vino madidum inebriare stomachum; tandemque de acceptis prædæ spolijs, inito consilio, mirabili omnipotentis Dei dispositione, tractare, & qualiter non visum quidem aurum vel argentum inter se inuicem dispertiretur, consulere. Cumq; prolixius de tanta pecuniarum æstimatione sermocinarentur, iam iamque iurgiorum disceptatio exorta est, & tanta discordia demum inimicitiæ inchoata, vt furore etiam vesaniæ insaniens turba in duas diuisa est factiones: & ad extremum arma quibus sanctos antea Martyres iugularunt, in se ipsos crudeliter pugnando verterunt. Tunc itaque maxima insanientis turbæ parte prostrata, iam qui superuixerant ad lucrum animarum, vitæque damno acquisito, iacentibus aduersarijs, qui super sibi desiderato cupiditatis thesauro, obsistebant gaudentes cucurrerunt: & confractis librorum repositorijs, pro auro volumina, pro argento diuinæ scientiæ chartas repererunt. Sicque precioso auri argentique precio priuati, codices, quos inuenerunt, alios per campi planitiem dispersерunt, alios paludum arundineto inferentes, alios etiam in diuersis quibuscunque locis abscondentes proiecerunt. Sed tam omnipotentis gratia quam etiam precibus, S. Bonifacij summi Pontificis atque Martyris illæsi & intemerati, magno postea dilapso temporis spatio inuenti sunt: & ad domum, in qua vsque hodie animarum prosunt saluti, à singulis quibusque inuentoribus remissi. Carnifices autem super æstimatæ amissione pecuniæ contristati, domum reuersi, maius domesticarum rerum post trium inducias dierum damnum, sed & vitæ dispendium mortis recepta talione perceperunt: quia omnipotens mundi conditor ac reformator vlcisci se voluit de inimicis, & fusum per se sanctorum sanguinem, consuetæ misericordiæ zelo puniri: ac diu protelatam idolorum cultoribus iram nouo recentis malitiæ furore permotus publice ostendere.

Reliquiæ

1 Thess 5.
* mecum.

Luc. 12.

Libri Reliquiæ.

Cumque improuisa sanctorum Martyrum temporalis interemptio per pagos ac vicos omnemq; prouinciam XII.
volitaret, repentè Christiani corporali comperta Martyrum morte, maximam congregantes expeditionem exercitus confinium terminos prompti postmodum futuræ vltionis bellatores experunt: & reuoluta supradicta dierum supputatione, infidelium sospites, sed indeuoti hospites aggrediuntur terram, ac Paganos eis è diuerso obuiantes ingenti strage prostrauerunt. Sed quia Pagani primo populi Christiani impetui obsistere non valebant: in fugam versi magna etiam clade corruerunt. Et terga vertentes, vitam simul cum intestina eorum supellectili & hæredibus perdiderunt. Sicque Christiani, superstitiosorum tanquam vxoribus etiam filijs nec non seruis & ancillis deprædatis, ad propria redierunt. Fitque modo mirabili vt superstites gentilium accolæ præsentibus confracti malis, æterna potius tormenta fidei fulgore illuminati deuitarent: & præfati Antistitis doctrinæ documentum, quod eo viuente renuerunt, etiam morientè diuinæ increpationis moderamine perterriti susceperunt. Corpus verò B. Pontificis prosperis velis, ventorumque flatibus trans fretum, quod dicitur Ælmere, & aliorum Martyrum post dies non multos per-

Prologo.

ros perductum est ad supradictam vrbem quę dicitur * Trieth, ibiq; cõditum ac sepultum, donec * Maguntia religiosi & fideles in Domino fratres, à Lullo Episcopo Successore quidem huius S. Pontificis & martyris Christi directi nauigio ad perducendum B. viri cadauer, ad monasterium quod eo viuente construxerat: & secus ripam fluminis, quod dicitur Fulda, situm est; aduenerant. Quorum vnus, qui & author itineris comitatusq; aliorum extiterat, singularem sanctimoniæ, ac priuatam castimoniæ continentiæq; gerebat vitam, nomine * Hadto, cui priuatim præfatus Præsul legationis huius nuntium, sanctique corporis aduectionem, cum fratribus secum proficiscentibus, imposuit: vt maior sanctæ reuerentiæ viro deuotionis impenderetur honor, & plurimorum amplius testificatio in his, quæ auditu, vel visu perciperent prævaleret. Cumque honorabiles tam sanctæ consocietatis fratres, ad prædictam vrbem peruenirent, tunc quippe aliquantula obuiam eius populi erat congregata collectio, eius deniq; vrbis præfecti, eis audientibus, quemadmodum à glorioso Rege * Pippino exiuit edictum: intonuit interdictum: & ne inde prædicti Pontificis corpus amoueretur, indictum est. Sed quia omnipotentis magis quàm hominum conualescit fortitudo, mirabile statim ac memorabile cunctis astantibus angelica magis quam humana peractam cognitione auditum est miraculum, Ecclesiæq; * Cloceum, in signum admonitionis sancti corporis, humana non contingente manu, commotum est: ita vt omnes repentino timoris pauore percussi maximo timore obstupuissent: & iusti huius reddendum esse corpus proclamarent. Sicq; statim redditum est corpus, & à prædictis sanctæ recordationis fratribus cum psalmis, hymnisque honorificè ablatum, ac sine remigantium labore tricesima obitus sui die perductum est ad ciuitatem supradictam * Maguntiam: miraque Dei omnipotentis prouidentia factum est, vt vno eodemque die siue sine statuto prædiffinitionis die tam legati sanctum deferentes corpus, quam etiam de longinquis longè lateque regionibus multi virorum ac mulierum fidelium ad * tanti viri mortis obsequia conuenerint. Sed & supradictus Dominus Antistes tam venerandæ dignitatis successor, qui regali, illo tempore, præsens erat palatio: huius omnino ignarus causæ, aduentus sancti corporis insçius, ad ciuitatem quam prædiximus, veluti sub vno eodemq; horæ momento peruenit, tantaque omnibus aliunde aduenientibus vel etiam eiusdem vrbis ciuibus & doloris incubuerat mœstitia, & gaudij exuperabat lætitia: vt etiam tanti perfecta Pontificis temporanea morte corporis, & amissum carnaliter dolerent, & futurum sibi suisq; inposterum perpetualiter patronum crederent.

* *Trieth.*
* *à Maguntia.*
* *Hadda.*
* *Pipino.*
* *cloccum.*
* *Maguntiam.*
* *Sancti.*

QVAPROPTER geminis his causis existentibus compuncti cordibus cum Presbyteris & Diaconibus, omniq; gradu Ecclesiastico, ad eum quem viuens prædestinauerat, locum perduxerunt, & nouo in Ecclesia confecto sacrofago, ex more sepelientes posuerunt: omnibusque peractis redierunt, & fidei robore confortati, ad propria peruenerunt. Sed in loco, vbi sanctum deposuerunt corpus, diuina deinceps beneficia redundabant, & sancti viri precibus, hi qui ad eundem diuersis infirmitatibus oppressi, perueniunt locum, salubre tam corporum, quam etiam mentium remedium consequuntur: ita vt alij iam toto corpore præmortui, peneq; per omnia exanimes, vltimum tamen interim exhalantes spiritum, pristinæ redditi sunt sanitati. Alij verò luminibus cæcitate pressis suum recipiunt visum. Alij quidem diaboli laqueis astricti, etiam mente sunt capti, & insanientes animi postmodum detinent integritatem: & pristinæ dediti saluti, laudantes glorificabant DEVM, qui suum dignatus est seruum tanto munere decoratum ditare, honorare & præsentibus ac futuris sæculorum temporibus, patefactione corrusca miraculorum ostensa, quadragesimo peregrinationis eius anno reuoluto glorificare: qui & incarnationis Domini septingentesimus & quinquagesimus quintus annus, cum indictione octaua computatur. Sedit autem in Episcopatu annos 36. menses sex, & dies sex, & sic ordine supradicto, die nonarum Iuuij, martyrij triumpho remuneratus, migrauit ad Dominum, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum Amen.

Miracula.

Ab eo nempe tempore, quo à Gregorio II. munus prædicationis accepit Vide Baron. anno 755. §. verum quod ad præscriptum. Vbi etiam se corrigit, quod in notis ad Martyrologium putarit S. Bonifacium passum anno 754.

EIVSDEM S. BONIFACII, ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS VITA CONSCRIPTA AB OTHLONO PRESBYTERO, à F. Laur. Surio ante hac sine authoris nomine, mutato stylo, nunc prout ab ipso conscripta est, edita ex Henrici Canisii antiquarum lectionum tomo 4.

PROLOG. DETITIONIBVS vestris, fratres Fuldenses, prout scientiæ meæ permisit paruitas, parere studui: petistis enim vt S. Patris nostri Bonifacij vitam præcipuo quidem elegantique, vt pote S. Willibaldi stylo antiquitus editam, sed in locis quibusdam ita infirmo intellectui obscuram, vt difficile pateat, quo ratio tendat; hanc ego sententia apertiori reserarem. Quam nimirum petitionem inprimis miratus, cur tot patribus peritis, tam inter vos, quàm circumquaque commorantibus, hucusque relictis, mihi imperito, & liberalis scientiæ admodum ignaro, tam arduum opus iniungere, vel excogitaueritis, pro nihilo duxi. Deinde cum quidam ex vobis mihi referret, jam antea pro eodem opere laboratum fuisse apud sanctum Leonem Papam, ita vt nonnullos libros vnde plenius ad hoc instrueretur Abbas Egbertus, scriptorem q; ei simul Romam transmisisset, ipsosq; libros eo defuncto, & opere petito minimè expleto ibi remansisse, tunc misertus talium apposui aliquando animam volens scilicet implere petita, si vlla astipularetur scientia. Cumq; diu velle mihi adiaceret, perficere autem in me non inuenirem, dicebam vobis, quod vellem, quodq; nequirem. sed vos, vt scitis, eadem crebrò repetistis, dicentes, si mihi tantummodo solida inesset voluntas, à Domino cætera præstari. exhortatione eiusmodi sæpè incitatus, tandem tentaui vestros implere precatus, confidens in eo quàm maximè, qui dixit, Aperi os tuum, & ego adimplebo illud: quiq; sicut in paucis sæpè victoriam præstans, sic etiam in imperitis peritiam tribuens, gratiæ suæ potentiam ostendit. Hæc autem ideo præmisi, ne quis me forsitan tantum opus vltrò arripuisse per arrogantiam arbitratus diceret, magnæ præsumptionis esse causam, illa quæ à quolibet sancto viro, vtcunq; fuerunt prolata, ab vllo deinceps quasi emendatore in aliud transferri; quasi non ipsa sanctorum prophetarum, sanctissimaq; Euangelij dicta multis obscuritatibus inuoluta à nonnullis scriptoribus in aliam linguam, vel in apertiorem sententiam fuerint translata. His itaque prælibatis contra detractores vniuersos, nihil est dulcius, quàm alios lacerare, alijs laqueos ponere in via, quai ipsi nolunt incedere, iam deinde lectori pandere cupio, quia id mihi maximè fuit studij in opere isto, vt sententiam eandem verbis apertioribus proferrem, exceptis his, quæ ob sui difficultatem & obscuritatem inuestigare penitus nequiui. In tantum autem faciliora sequebar, vt sicuti probari potest, alicubi eadem verba ponerem. Quid enim nobis infimis, qui spectaculum facti sumus mundo, nodosa & perplexa oratio? Habeant amatores sapientiæ sæcularis Tullium, nos imperiti & ignobiles, despecti & contemptibiles, sequamur Christum, qui non Philosophos, sed piscatores elegit discipulos.

Psalm. 80.

INTER

S. Wilibaldum intelligit.

INTER hæc illud notum facio dilectioni vestræ, quia cum in ipso libro, quem me explanare petistis, inspicerem plurima, tam miraculorum, quàm epistolarum insignia non haberi, quæ in alijs libris inueni, molitus sum ex ipsis colligere, & in locis, quæ oportuna videbantur, inserere; fortassis enim ille venerandus vir, qui vitam S. Bonifacij in primis scripsit, virtutes eius multas, epistolasque nesciens, prætermisit. Sed mihi consideranti literas omnes, quas de eo habetis, in nullis maior tanti præsulis authoritas, quam in epistolis ab ipso vel ad ipsum directis videtur esse. Ibi namque apertissimè inspicitur, quanta veneratione primitus fuerit susceptus à Pontifice Romano, qualiterque eum ordinatum miserit ad prædicandum cunctis Germaniæ populis, quanto etiam labore eandem Germaniam ad Christi fidem conuertit, & quòd non solum à paganis & hæreticis, sed etiam à pseudochristianis & prauis Sacerdotibus eam velut à luporum morsibus eripuerit; quantam gratiam à Francorum Principibus Karlomanno scilicet & Pipino, obtinuerit, qui postquam eum Ecclesiæ Mogonciacensi præsulem decreuerat, eandem, quæ prius Ecclesiæ alteri subdita erat, pro illius amore simul & honore metropolim totius Germaniæ, Apostolico Pontifice consentiente, effecerit, quot sedes Episcopales statuerit, quæ priuilegia quibusdam Ecclesiis obtinuerit. Postremò & illud ibi speculatur, quod etiam vobis modo peropus est, quomodo corporis sui locum, Cœnobium videlicet vestrum, possessionibus & decimis specialibus sublimauerit.

Moguntia quando facta Metropolis.

Fuldam intellige.

TANTA igitur authoritas licet à modernis quibusdam Sacerdotibus adnulletur, continget tamen eis in testimonium damnationis, quod scientes terminos antiquos, & sanctorum Patrum decreta non debere transgredi, summoperè transgrediuntur, obliti verborum illorum, quæ Dominus ad electos pastores vel Doctores in Euangelio dicit: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Neque enim hæc verba de præcedentium temporum rectoribus solummodo dicta sunt, sed etiam de illis, qui vsque ad consummationem sæculi Ecclesiam suam sunt recturi, non destructuri. Nam de destructoribus & peruersis pastoribus Dominus alibi dicit, Væ vobis legis peritis, qui tulistis clauem scientiæ, & ipsi non intrastis, nec alios intrare permisistis. Et rursum: Væ vobis Hypocritæ, qui decimatis mentam & anetum, & cyminum, & grauiora legis præcepta reliquistis, hoc est, judicium, misericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Multa quoq; in Ezechiele Propheta huiusmodi pastoribus dicuntur. Sed si placet, interrogemus eosdem pastores, quomodo velint sua roborare, si præcedentium Patrum statuta judicauerint esse destruenda; vel quomodo ædificium superpositum stare possit, si fundamenta eis sunt eijcienda. Fundamenta namq; Ecclesiæ suæ primi Patres fuêre, sicut scriptum est: fundamenta eius in montibus sanctis. Quicunq; igitur lapidum superpositorum fundamenta talia sequi dedignatur, de ædificio cœlesti eliminatur. Ad hęc etiam dicamus quoddam argumentum, quod omnibus constat notum. Si quis itaq; ditionis suæ syluam extirpandam pro agri cultura aggreditur, quantæcunq; longitudinis & latitudinis voluerit agros exinde sibimet metitur, alijs verò non ea, sed qua vult mensura partitur, habens potestatem vnicuiq; prout vult diuidere. Cùm ergò hoc ita esse sciatur ab omnibus, cur rogo ignoratur, quod primi principes Ecclesiarum Apostoli scilicet, omnesq; qui eorum vestigia sequentes, vnicuiq; genti sacram fidem primitus tradiderunt, extirpatis errorum variorum syluis, in quibusdam populis ac prouincijs potestatem habuerunt possessiones vel decimas quæ sibi contingebant, illi & illi Ecclesiæ donare; quandoquidem juxta sanctorum Canonum decreta decimas in quatuor portiones diuidentes, vnam sibi, alteram Clericis, tertiam pauperibus, quartam restaurandis Ecclesiis tradiderunt? Nunquid auaritiæ suæ tantummodo consulentes in distributione decimarum obliti sunt pauperum, restaurationisq; Ecclesiarum, sicut modo, proh dolor, cernimus agi? Canones enim sancti, ex quorum authoritate exiguntur decimæ, non solum decimas dari, sed etiam inter varios jubent distribui; vt in vrbibus quibuslibet, & vicis, xenodochia habeantur, vt pauperes & peregrini alantur. Sed tam sanctum, tam necessarium præceptum in plurimis locis non solum minimè curatur, sed etiam pænè ignoratur. Nam solummodo illud legitur, quòd Episcopis decimæ sint tribuendæ: quid verè exinde agendum sit, vel si quidquam aliud curandum sit circa Monasteria, tam à Clericis, miserabile dictu, quàm à Laicis destructa, *circaq; judicia Christianæ religionis subuersa, obliuioni seu ignorantiæ commendatur. Vnde vereor ne de præsentis temporis rectoribus auaritia inexplebili corruptis Psalmista prophetizans, dixerit: Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis. cum enim nihil dicendum sit corruptum, nisi quod prius fuit integrum, rectores vel pastores, quiq; in hoc quidem dici possunt fuisse integri, quia à Deo sapientia omnimoda ad judicium verum faciendum erant instructi; ideo autem corrupti, quia non secundum datam sibi sapientiam, sed iuxta lucri obtinendi quantitatem judicant. Atq, vtinam ipsi pastores tantummodo dedignarentur pauperibus decimas diuidere, & non alios quosdam, Monachos dico, apud quos aliqua adhuc huiusmodi cura exercetur, prohiberent; moliti antiquæ traditionis decimas ab eorum jure auferre. Cur igitur S. Bonifacius, cui Deus tantam in omni Germania potestatem contulit, vt quouis vellet Ecclesias, cœnobiaq; fundaret, sedes Episcopales statueret, parochiasq; earum diuideret, non cuilibet loco, quem sibi specialiter elegit, possessiones & decimas aliquas donare potuit? Nonne per eandem auctoritatem, qua moderni Pontifices militibus, aliisq; sæcularibus hominibus decimas dare solent, Sanctus Bonifacius Monachis vel pauperibus erogare easdem potuit? si reliqua eius statuta videntur sancta, si omnia quæ Canonicis distribuit, sunt laudanda, cur quæso hoc solum quod Monachis & pauperibus dedit, decernitur iniustum? Heu, heu, quod is, cui plurima diuitibus dare licuit, licentiam dicitur non habere pauperibus vel pauca erogare. Super hoc obstupescite cæli, orbis quoq; terrarum, & vniuersi qui habitant in eo doleant, quia mundus iam in maligno positus est adeo, vt eis viuere inuideat, illos extinguere studeat, qui ad hoc specialiter electi, & segregati sunt de mundo, vt maiori studio intercederent pro ipso.

Luc. 10.

Luc. 11.

Matth. 23.

Psal. 86.

*citraq;

Psal. 13.

SED huius querimoniæ interiectio jam finiatur, vt ad id, vnde recessimus, stylus reuertatur. Dixi namq; prius, quod iterum dico, quia inter omnes literas, quas de S. Bonifacio habetis, Epistolæ illius mihi præcipuæ viderentur. Vnde quascunq; huic operi necessarias inuenire potui, in vnum colligere studui, sperans aliquem æmulum, & tantæ auctoritatis ignarum lectorem exinde posse ædificari. Proinde & vos fratres Fuldenses vnicè peto atq; admoneo, vt easdem Epistolas intentione summa legatis, Deo supplicantes, vt per eius preces, à quo vel per quem scriptæ sunt, quique, vt in eis legitur, sanctam Ecclesiam in Germania positam, maximo labore à prauis Sacerdotibus quondam eripuit, nunc etiam à similium potestate vos locumq; vestrum defendere dignetur. Duos autem libellos, adiuuante Domino, tam de vita sancti viri, quàm de epistolis supradictis scribere gestio; in priori quidem referens quis fuerit, quidq; ante acceptam Mogonciacensis Ecclesiæ sedem in sancta Ecclesia laborauit: in altero verò, quod postea vsque ad finem vitæ suæ glorioſum egerit.

Authoris sunt hæc volentis celari nomen suum.

Quis sim qui vobis fero munus tale laboris,
Vos quoniam scitis, nolite precor dare multis,
Ne persona mei vilis faciat mea sperni.
Sit magis hoc studium vobis deposcere Christum,
Vt sibimet placita maneant præsentia scripta.

Anglia sanctorum virorũ ferax.

CVM gens Anglorum sacræ fidei jugo per S. Gregorij Papæ Apostolatum subdita, eius suffragantibus meritis, in sanctorum virorum procreatione præ multis nationibus splendere cœpisset, multaq; lumina sanctæ Ecclesiæ, quibus

LIB. I. I.

quibus variæ cordium obcæcationes illustrarentur, protulisset, inter huius mundi lumina sanctum quoq; Bonifacium velut luciferum quendam, cæteris sideribus clariorem, huic mundo edere meruit. Qui nimirum magna parentum sollicitudine nutritus, magnarum etiam virtutum, per incrementa temporum, amator est factus. Nam cum adhuc parvulus esset, si quem fortè Clericum vel laicum verbi diuini notitiam deferentẽ audire contigisset, mox quantum ætatis suæ teneritudo præualuit, quid sibi suæq; qualitati exinde profectuosum foret, tractare cœpit. Cumq; ita meditatione diuturna sese ad superna erigeret, patri etiam ea, quæ animo gerebat, reuelauit, & vt suæ consuleret voluntati, rogauit. Audiens hæc autem pater eius, primum obstupuit, deinde eum increpans, nunc minis, nunc verò blandimentis ad sæcularis vitæ curam impellere studuit. Ad hæc etiam, vt eius animum adhuc tenerum à concepti perfectione propositi facilius declinaret, promisit se post vitæ suæ tempora, eum & prædiorum, & omnium rerum suarum hæredem facturum. Præterea protestatus est, lubricæ ætati, humanæq; fragilitati tolerabiliorem esse actiuam vitam, quàm contemplatiuam, meliusq; esse inter mediocres vel extremos regni cœlestis ciues quemlibet studiis facilioribus contubernium quærere, quàm per maxima, & penè impossibilia perfectionis certamina incipere, deinde verò, dum ea nequit percurrere, in via deficere.

Pater eum retrahit a vita monastica.

II. Sed puer sanctus virtute diuina iam plenus, quanto magis eum pater reuocare ad sæcularia studebat, tanto constantius in inceptis perdurare, & ad sacrarum literarum notitiam pertingere anhelabat. Vnde miro dispensationis judicio factum est, vt pater, qui solus erat impedimento, repentina infirmitate correptus, pristinam mentis pertinaciam deponeret, puerumq; per legatos idoneos ad Monasterium, quod prisco nuncupatur vocabulo * Adescancastre dirigeret, commendans eum Wolfhardo, venerabili eiusdem Monasterii Abbati, à quo protinus, sicut monasticus ordo poscebat, benignè susceptus, fratribus commendatus, vniuersa religionis munia, quæ huiusmodi ætas permisit, benè cœpit, meliusq; de die in diem compleuit.

* al. Adescancaster.

S. Bonifacius fit monachus.

III. Postquam verò pueritiæ annos transcendit; in tantum se venerabilium institutis Patrũ, & sacræ lectionis subdidit exercitio, vt quibuslibet momentis augerentur in eo multarum insigna virtutum, impleretur q; in illo quod Psalmista de quorundam profectu testatur dicens: Ibunt de virtute in virtutem. Deniq; cum incessabili sacrarum scripturarum meditationi deditus, omnem regularis vitæ disciplinam sub præfati Abbatis gubernatione, per annos plures custodiret, ibiq; tam pro desiderii sui quantitate, quàm Doctorum penuria, in lectione diuina satiari nequiret, cũ consensu Abbatis, fratrumq; suorum, ad Monasterium, quod vsq; hodie dicitur * Nuiscelle, peruenit, & beatæ memoriæ Winberti Abbatis, qui venerabiliter eidem Monasterio tunc præfuit, Magisterium elegit. Vbi tandem tam Grãmaticæ artis, metricæq; subtilitatis, quàm spiritualis intelligentiæ desiderata eruditione potitus, adeo in hac pollere cœpit, vt eius scientiæ fama vndiq; diuulgata, ad ipsum etiam alij causa discendi cõfluerent. Veruntamen ex tantæ scientiæ dono sese nullatenus extollebat, nullũ minoris ingenij spernebat, sed quanto maiori vel literatoriæ intelligentię, vel aliarum virtutũ excellentia à Deo præ cęteris promouebatur, tanto humilior, tanto deuotior ad eius cõpassionis & subiectionis studiũ sentiebatur, recolẽs jugiter illud Sapientis: Quãto magnus es, humilia te in omnibus.

Psal 83.

* al. Nutscelle for. Nouacella.

Discendi causa aliud petit Monasterium.

Eccles 3.

IV. Cvm ergo eo, quo diximus, nisu, & ipse alios humilitate ac subiectione præueniret, & illum alij sapientiæ eius rumore incitati, vel ipsius saluberrima doctrina instructi, mutuo honore præuenirent, vt patrem, vniuersis in eius laudem conclamantibus, atque ad singulos Ecclesiastici ordinis gradus eum promouentibus, tandem ad sacerdotalis officij dignitatem XXX. aut eo amplius annos habens eligitur. Susceptа verò Sacerdotij dignitate, qualem se exhibuerit, in vtriusque hominis contritione, vt sacramenti cœlestis dignus fuerit participatione, melius colligitur ex operum suorum testimonio, quàm vllo verborum judicio. Eodem verò tempore regnante in * West, Saxonum Rege, noua quædam seditio in partibus illis exorta est, pro qua compescenda statim prædicti Regis præcepto, primatumque suorum consilio synodale seruorum Dei statuitur Concilium. Quo dum omnes conuenirent, & dissensionis exortæ causam diffinirent, sapientibus quibusdam placuit, vt vniuersa ibi diffinita ad Archiepiscopi venerabilis Cantuariæ ciuitatis, qui dictus est * Berthwaldus, notitiam deferrent. Cui Rex vna cũm omnium Clericorum atque Laicorum multitudine consentiens, scisitatus est, quis potissimum huius legationis delator esse potuisset. Tunc præcipuus inter eos Archimandrita Winberth, cuius superius mentionem fecimus, & Wintra, qui monasterio * Wessesburch dicto præsidebat, & Beorwart, qui cœnobium, quod Glestingaburch nuncupatur, regebat, nec non & alij multi venerabiles viri sanctum Bonifacium accitum adduxerunt ad Regem, dicentes, eum legationi tantæ idoneum.

Fit sacerdos.

* Occidentali Angliæ regione Synodus Angliæ.

* al. Beretwaldus, vel Brichtwaldus.

* al. Tiessesburg.

Legationis fungitur.

V. Moxqve commissa à Rege legationis eiusdem causa, adhibitisque secum sociis, profectus est ad * Cent, & Archiepiscopo prænominato sapienter, quemadmodum edoctus erat, omnia per ordinem intimauit, & post non multos dies reuersus, præfato Regi, ac prædictis seruis Dei ex legationis commissæ responso strenuè peracto, magnum vniuersis contulit gaudium. Qua de re nomen eius tam apud sæculares, quam apud Ecclesiastici ordinis viros celebre habebatur, adeò vt postmodum in eorum synodali sæpissimè peteretur interesse conuentu. Sed quia mens eius Deo jam dedita, & ab omni humano fauore fuerat sequestrata, cœpit omni modo tractare, qualiter parentum affiniumque suorum consortia relinquere, & ad aliqua procul posita loca pro Christi nomine posset transmigrare. Cumque hæc secum diutissimè tractaret solertissimeque deliberaret, tandem ad prædicti Abbatis notitiam detulit, & eum ad voluntatis suæ consensum magna precum instantia declinare studuit. Qui licet talia admirans diu poscenti obstiterit, licentiamque huiusmodi negauerit, postremo tamen, prouidentia diuina prædestinante, conualuit sermo petentis, & tantam Abbatis, fratrumque suorum deuotionem simul & curam adoptato itineri habere meruit, vt ei necessaria quæque pro viatico impenderent, variasque supplicationes cũm lacrymis prolatas pro eo agerent, postulantes, vt Angelus Domini bonus comes eius vbique esset, eumque ad prospera cuncta dirigeret. Ad hæc etiam duos fratres, quorum corporali, spiritualique juuamine sustentaretur, secum abire permiserunt.

* Contrariam intelligit.

Humanos respuit fauores.

VI. Sicqve vtriusq; hominis supplemento suffultus, prospero cursu profectus est, peruenitq; ad locum, qui antiquo Anglorum & Saxonum vocabulo appellatur Lundenuuic, ac non multo transacto postliminio, transiit ad Dorstet, ibiq; aliquandiu commoratus, debitas Deo persoluit die noctuq; laudes. Sed quoniam per idem tempus hostilis dissensio exorta inter Karolum Principem glorioſumq; Ducem Francorum & Ratbodum Regem Fresonum, populos ex vtraq; parte perturbabat, maximaq; pars Ecclesiarum Christi, quæ Francorum prius in Fresia subiectæ erant imperio, Ratbodi persecutione incumbente, idolorum culturę lugubriter reddebatur: Ideoq; vir Dei, perspecta tantæ peruersitatis mole, ex illis partibus discessit, & peruenit ad * Treht, ibiq; etiam commoratus aliquantis diebus, aduenientem Regem Ratbodum allocutus est, obsecrans, vt à tanta prauitate quiesceret.

In Frisia Christi Ecclesiæ destruuntur.

* al. Trechtes.

VII. Post hæc verò peragratis illius terræ partibus sollicitè explorauit, si alicubi in ea prouincia prędicationis pateret locus; cumq; diuturna inquisitione intelligeret, se frustra ibidem prædicãdo laboraturũ, arida spirituali fertilitate arua reliquit, & ad natale solum transmigrauit. Interea accidit, vt Monasterij sui pater, depositо carnis ergastulo, vitam præsentem finiret. Cuius obitu fratres nimium contristati, sed à beato viro spiritualibus colloquijs lætificati, & vt regularis vitæ normam conseruantes, patrem quemlibet spiritualem eligerent, omnimodo instructi, omnes

ipsum

n Lib. I.

Abbatis functionē recusat.

ipsum sanctum, qui eo tempore Winfrid dicebatur, vnicè precabantur, vt pastoralem super eos susciperè curam dignaretur. At ille altiora quæque in animo gerens, non eorum preces vllo superbiæ fastu despexit, sed quæ intentio sua esset humiliter pandens, quod scilicet despectis cunctis patriæ facultatibus atq; honoribus, pro Christi amore, proq; aliorum salute peregrinari vellet, cum omnium charitate & licentia fratrum vota sua obtinuit. Et vt eisdem votis maior authoritas eueniret, adiit etiam ipsius loci Episcopum venerandum, nomine Danielem, petens, quatenus eius benedictione, & literis commendatitiis ad Romam profecturus vti mereretur. Quam petitionem Episcopus idem, nutu diuino instinctus, benignè suscepit, efficaciter compleuit. Nam pastoris prouidi intentionem gerens, & bonæ indolis virum, nomine Stephanum orbatæ congregationi præesse fecit: & hunc Dei famulum per longas peregrinationis vias ire cupientem ad loca desiderata cum literis dimisit.

Venit Romam cum sociis.

TALI igitur benedictione suscepta protinus valedicens fratribus, proficiscitur per longa terrarum spatia, per- IIX.
que ignotas maris vias, donec collecta vndiq; non modica multitudo seruorum Dei, eodem Spiritu feruentium, ad eum conueniret. Hi ergò omnes vnanimiter per singulos dies multas Sanctorum Ecclesias adierunt, obsecrantes, vt opitulante Deo tutius Alpium juga transcenderent, Longobardorumq; ferocitatem erga se leniorem sentire merentur. Cumq; vniuersa ferocissimæ gentis discrimina illæsi pertransirent, atq; limina beati Petri Apostoli prosperè adirent, statim debitas Christo grates persoluunt, ibiq; abolitionem peccaminum, atq; itineris sui fœlicem exitum deprecantes, sperata suffragia inuenerunt. Nam postquam sanctus vir venerabilem sedis Apostolicæ præsulem, nomine Gregorium, qui eiusdem nominis secundus tunc habebatur, allocutus, ei aduentus sui causam manifestauit,

A Pontifice comitter accipitur.

& quali desiderio diutius desudasset, aperuit. Mox idem præsul hilari vultu intuitus in eū, inquisiuit, an literas ab Episcopo suo cōmendatitias detulisset At ille concitus chartam ex more inuolutā proferens, dedit Apostolico. Apostolicus verò acceptis lectisq; literis, & cōperto sancti viri desiderio, sedulū deinceps cum eo colloquium habuit, reuerenterque eum ibi commorantem retinens, pro qualibusque Sanctorum reliquiis postulabat, illi tradidit. Ad hæc et illi committens in cunctis Germaniæ populis curam prædicandi tradidit Epistolam, cuius exemplar tale inuenitur.

Literę Gregorij 2. ad Bonifaciū.

GREGORIVS seruus seruorum Dei, Bonifacio religioso presbytero. Exigit manifestata nobis religiosi propo- IX.
siti tui, piè in Christo flagrantis, intentio, & approbata syncerissimæ fidei tua perlata relatio, vt ad dispensationem verbi diuini, cuius per gratiam Dei curam gerimus, te comministro vtamur. Experientes proinde, te ab infantia sacras literas didicisse, profectusq; indolem ad augmentum crediti cælitùs talenti prospectu diuini timoris extendere: videlicet gratiam cognitionis cælestis oraculi, in laborem salutiferæ prædicationis, ad innotescendum gentibus incredulis mysterium fidei instanti conatu expendere, collætamur fidei tuæ, & adiutores effici cupimus gratiæ prærogatæ. Igitur quia præmissi conatus pium affectum vsque ad Apostolicæ sedis modesta prouisione perduxisti consultum, vt membrum ex membro proprij corporis caput requirens, motum mentis probares, capitisque arbitrio humiliter te submittens & eius directioni, iusto tramite properās *, soliditati compaginis plenitudo existas: Ideò in nomine indiuisibilis Trinitatis per inconcussam authoritatem beati Petri Apostolorum principis, cuius doctrinæ magisterio fungimur, & locum sacræ sedis administramus, modestiam tuæ religionis instituimus atque præcipimus, vt in verbo Dei (quo igne salutifero, quem Dominus mittere venit in terram, enitere videris) ad quascunque gentes, in fidelitatis errore detentas, properare Deo annuente potueris, mysteriū regni Dei per insinuationem nominis Christi Domini Dei nostri veritatis suasione designes, & per spiritum virtutis & dilectionis ac sobrietatis, prædicationem vtriusque Testamenti mentibus indoctis consona ratione transfundas. Disciplinam denique sacramenti, quam ad initiandos Deo præuio credituros tenere studeas, ex formula officiorum sanctæ nostræ sedis Apostolicæ, institutionis tuæ gratia prælibata, volumus vt intendas. Quod actioni susceptæ tibi deesse perspexeris, nobis vt voluerit, intimare curabis. Benè valè. Data * Idus Maij, imperante domino pijssimo Augusto ª Leone secundo, à Deo coronato, anno tertio imperij eius, Indictione 2.

* *al. solidati, Luc. 12.*

Prædicandi munus Pontifex ei demandat.

* *for. Idibus.*

ª Alij hunc simpliciter Leonem, alij Leonem 3. vocant.

HIS literis acceptis à venerabili Papa profectus est inde ad Longobardorum Regem Luitprandum, à quo ho- X.
norificè susceptus aliquandiu cum eo est hospitatus. Profectus verò exinde, ardua & prærupta alpium juga transcendit, incognitosque * Bagoariorum & Germaniæ terminos perlustrans, in Turingiam deuenit, considerans & explorans in omnibus instar prudentissimæ apis, vbi postmodum nectaream sanctæ fidei dulcedinem colligere posset. Cumque per aliquot dies in Turingia commoraretur, interim omnes illius prouinciæ principes verbis spiritualibus alloquens, ad sacræ fidei agnitionem, totiusque religionis tramitem reuocauit. Sed & Sacerdotes, quos sceleribus variis deditos comperit, sermonibus Euangelicis admonens, ad institutionis Canonicæ normam correxit. Interea verò audita Ratbodi Fresonum Regis morte, qui persecutionem magnam per idem tempus in Christianos exercuit, magno repletus gaudio in Frenam nauigando deuenit, ibique verbi diuini semina spargens, plurimos ab errore idololatriæ retraxit. Sub eodem quoq; tempore per venerabilem Willibrordum Traiectensis Ecclesiæ præsulem buccina cœlestis doctrinæ in Fresiam insonuit. Cuius studio sanctus Dei famulus Bonifacius omnimodo congaudens & adhærens, per tres continuos annos laborauit cum illo, tam in destruendis fanis, quàm in construendis Ecclesiis, omnibusque negotiis diuinis. Vnde factum est, vt quia prædictus Pontifex ætate jam decrepita grauatus, suggerentibus discipulis, solatium suæ senectuti prouidere cupiebat, hunc Dei famulum ad Episcopalis regiminis suscipiendum gradum, regendumque sibi commissum populum vnicè obsecraret. Sed ille talia humiliter respuens, minimè se dignum esse Episcopali gradu referebat; & ne sibi in annis adolescentiæ adhuc constituto tantæ dignitatis fastigium imponeret, precibus omnibus instabat; attestans etiam, quia, juxta canonicæ institutionis præcepta, nec dum quinquagesimi anni ætatem, qui huius gradus culmini conueniret, pleniter reciperet. Prædicto verò Pontifice blandis illum verbis increpante, & ad suscipiendum Episcopatus ordinem instigante, diuersisque pro hac spirituali contentione verbis inuicem prolatis, hic sanctus vir in tanto agone positus, placitum tandem excusationis sermonem protulit, dicens.

* *al. Baioariorum.*

Venit ad Thuringos. Anno 719.

Item in Frisiam Anno 719

Manet apud S. Willibrordum

Recusat episcopatum.

ONVS regiminis, quod mihi indigno imponere cupis, sancte Præsul, suscipere non audeo, quia à beato Gre- XI.
gorio Papa in Germaniam, ob euangelizandi causam directus sum, ipsiusque legationis gratia in has barbaras nationes aduenies, sponte me tuæ gubernationis imperio subieci. Tantum ergo mandatū præterire, & aliud quodlibet negotium subire, nullatenus præsumo. Vnde Pater venerande, obsecro, vt in illas regiones, ad quas à præsule Apostolico missus sum, cum tua gratia simul & licentia transire merear. Hæc audiens sanctus Willibrordus, data benedictione, permisit eum abire.

* *al. Dietichus & Dierolphus.*

ILLE verò exinde proficiscens, peruenit ad locum, cui nomen est Amanaburg, Deum vbiq; habens conuiato- XII.
rem; cuius etiam virtute atq; protectione suffultus, quocunque perrexit, vbique sacræ doctrinæ notitiam dilatauit. Cumq; ingentem populum Domino in Fresia prædicando acquireret, multiq; ab eius spirituali doctrina educati, ad agnitionem veritatis peruenirēt, adeò, vt supradictum locum, cui gemini præerant germani, Dietih * videl. & Dierolf, Domino Deo auxiliante obtinens, collecta non pauca fratrum congregatione, monasterium construeret Tunc etiam alias Germaniæ partes prædicandi causa adiit, Hessones videl. in Saxonum cōfinio positos. Quos cum similiter

Extruit monasterium.

à paga-

à paganicæ superstitionis cultu magna ex parte conuerteret, multaq; millia hominum baptismatis sacramento abluisset, misit quendam ex suis fidelem nomine Binnam ad Romam cum literis, denuntians venerando præsuli Apostolico vniuersa, quæ circa illum diuina pietas egerit, quantaq; multitudo hominum sancti Spiritus gratia illustrata, regenerationis lauacrum ab eo susceperit. Sed & de rebus variis, quæ ad quotidianam regulæ Ecclesiasticæ necessitatem, populiq; nouiter conuersi curam pertinebant, prudenti interrogatione conscripsit. Prædictus verò legatus cuncta sibi commissa fideliter complens, Apostolico præsuli missas detulit literas, aliasq; ab illo super vniuersis quæstionibus propositis, continentes responsa Magistro suo deferens quantocius rediit.

Multos in Hassia conuertit Anno 712.

XIII. Cvm autem sanctus vir delatas legisset literas, seq; inter cætera inuitatum ad Romam intellexisset, mox summum obedientiæ gradum contendens, clientum, fratrumque circumseptus agmine Italiæ fines adiit. At Romanæ vrbis mœnibus inspectis, omnipotenti Deo condignas gratiarum laudes retulit, seseque beatorum Apostolorum patrocinio commendauit. Deinde comperto sancti viri aduentu, statim venerabilis Papa Gregorius illum ad se inuitauit, & verbis familiaribus salutatum honorifico xenodochio deputauit. Adueniente verò opportuno colloquutionis eorum die, ad Ecclesiam beati Petri Apostoli hic Dei famulus inuitabatur. Vbi cum se mutuis ac pacificis satiassent colloquiis, præsul Apostolicus illum de symbolo, fideique Catholicæ traditione inquisiuit. Ad hæc vir Dei respondit, dicens: Quia Domine Apostolice inquisitioni tantæ in communi sermone idoneus non sum respondere, quæso, vt fidei, quam à me exigis, conscribendæ tempus mihi concedas, sicque mutis tantum literis denudatam agnoscere valeas. Quam petitionem cum Papa benignè susciperet atque concederet, paruo de hinc tempore transacto, vir Domini sanctæ atque Catholicæ fidei sententiam omni conuenientia & eloquentia prolatam literis præfato Principi obtulit. At ille lectis eisdem literis, eum juxta se sedere fecit, & vt huiusmodi fidem constanter retineret, diligenter edoceret, admonuit. Multa quoque de religione spiritalis vitæ cum illo conferens, ita vt interdum integrum penè diem colloquendo ducerent. Ad extremum, quot populi per deuia idololatriæ, vel facinorum prius oberrantes, fidei documenta prædicatione perciperent, sciscitatus est. Cumque Apostolico de his omnibus satisfeciisset respondendo, tunc ille intimauit sancto viro, quia Episcopatus gradum sibi imponere voluisset, vt eo constantius errantes quoslibet corrigere, & ad viam veritatis conuertere posset, quò maiori authoritate Apostolicæ dignitatis fulciretur, essetq; cunctis tanto acceptior in prædicandi officio, quanto plus clarescceret, quia ad hoc à præsule ordinatus esset Apostolico.

Romæ Pontificem inuisit Anno 713.

Fidei suæ professionē scriptam offert Pontifici.

XIV. Qvæ omnia vir Dei sagaciter perpendens, simulque cauens quod scriptum est: Qui noluit benedictionem, elongabitur ab eo, benedictionis tantæ gratiam non recusauit. Adueniente ergò ordinationis eius die, quæ erat pridie Kalendarum Decembrium, hoc est, in natali sancti Andreæ Apostoli, imposuit ei venerabilis Papa & Episcopatus ordinem, & alterius nominis, quod est Bonifacius, dignitatem, nam antea Windfrid dicebatur. Deinde vt eum ad obedientiam sibi, successoribusque suis exhibendam, nec non ad omnem sacræ fidei traditionem obseruandum arctius constringeret, exegit & accepit ab eo juramentum, quod scilicet in antiquis exemplaribus inuenitur ita scriptum. In nomine Domini Dei Saluatoris nostri Iesu Christi, imperante domino Leone magno imperatore, anno septimo post consulatum eius: sed & Constantini magni Imperatoris, eius filij anno quarto, Indictione sexta: Promitto ego Bonifacius, Dei gratia Episcopus, tibi beate Petre Apostolorum princeps, vicarioq; tuo beato Gregorio Papæ & successoribus eius, per Patrem & Filiū & Spiritum sanctū, Trinitatem inseparabilem, & hoc sacratissimum corpus tuum, me omnem fidem & puritatem sanctæ fidei Catholicæ exhibere, & in vnitate eiusdem fidei, Deo operante, persistere, in quo omnis Christianorum salus esse sine dubio comprobatur: nullo modo me contra vnitatem communis & vniuersalis Ecclesiæ suadente quopiam consentire, sed, vt dixi, fidem & puritatem meam atque concursum tibi & vtilitatibus tuæ Ecclesiæ, cui à Domino Deo potestas ligandi soluendique data est, & prædicto vicario tuo atq; successoribus eius per omnia exhibere. Sed & si cognouero antistites contra instituta antiqua sanctorum Patrum conuersari, cum eis nullam habere communionem aut coniunctionem: sed magis, si valuero prohibere, prohibeam: Si minus, [a] fideliter statim [b] domino meo Apostolico renunciabo. Quòd si, quod absit, contra huius [c] promissionis meæ seriem aliquid facere quolibet modo seu ingenio vel occasione tentauero, reus inueniar in æterno iudicio, vltionem Ananiæ *& Saphiræ in curram, qui vobis etiam de rebus proprijs fraudem facere [d] præsumpserunt. [e] Hunc autem indiculum sacramenti ego Bonifacius exiguus Episcopus manu propria scripsi, atque ponens supra sacratissimum corpus S. Petri, ita, vt præsumptum est, Deo teste & iudice, feci sacramentum, quod & conseruare promitto.

Psal 108. Consecratur a Pontifice Episcopus.

Iusiurandum S. Bonifacij.

Matth. 16.

[a] *al. nec fideliter, al. hoc fidel.*
[b] *al. domno*
[c] *al. professionis.*
* *Act 5.*
[d] *al. præsumpserit.*
[e] *al. Hoc autem.*

XV. Postqvam ergò huiusmodi promissionem iurando coram Gregorio Papa peregit, tunc & ipse eum in omnibus adiuuare, præferre, & venerari studuit. Nam libellum, in quo sacratissima Ecclesiasticæ Institutionis jura, pontificalibus digesta conuentibus, habebantur, ei donauit; præcipiens, vt tam Clerus, quàm cæteri populi, suo regimini subiiciendi, institutis talibus erudirentur. Sed & familiaritatem sedis Apostolicæ sibi omnibusque sibi subiectis perenniter reseruandam priuilegio confirmauit, sicque cum literis transmissis non solum Karolo Duci glorioso, qui per idem tempus Francorum regnum gubernabat, sed etiam vniuersis Ecclesiasticis viris, Principibusque in Germania constitutis, muniendum commendauit. literarum autem tunc missarum exemplaria, quia locus præsens exigit, vt inserantur, hic iam inserere cupimus, primum quidem, quæ ad Karolum Ducem, deinde verò, quæ ad cæteros Principes directæ sunt, ponentes.

* *Domino glorioso filio Karolo Duci, Gregorius Papa.*

* *al. Domno*

Literæ Gregorij 2. ad Carolum Martellum.

XVI. Comperientes te, in Christo dilectissime, religiosæ mentis affectum gerere, in multis opportunitatibus, debito salutis præmisso, notum facimus Deo dilectæ tuæ dignitati, præsentem fratrem Bonifacium, fide & moribus approbatum, à nobis Episcopum consecratum, atq; institutionibus sanctæ Sedis Apostolicæ, cui, Deo authore, præsidemus Ecclesiæ generali solicitudine, informatum ad prædicandum plebibus Germaniæ gentis, ac diuersis in Orientali Rheni fluminis parte consistentibus, gentilitatis errore detentis, vel adhuc ignorantiæ obscuritatibus præpeditis, necessariò destinare. Pro quibus eum gloriosæ beneuolentiæ tuæ omnimodò commendamus, vt eum in omnibus necessitatibus adiuuetis, & contra quoslibet aduersarios, quibus in Domino præualetis, instantissimè defendatis, certissimè retinentes, Deo vos exhibere, quæcunque huic promptissimo impenderitis fauore: qui sanctis Apostolis suis, ad lucem gentium destinatis, suscipientibus eos se suscipiendum prædixit: quorum institutionibus per nos informatus præmissus antistes, in sorte prædicationis procedit.

Iohan. 13.

Gregorius Episcopus, seruus seruorum Dei, vniuersis reuerentissimis & sanctissimis fratribus coepiscopis, religiosis presbyteris seu diaconibus, glorioſis Ducibus, magnificis † castaldis, Comitibus etiam vel cunctis Christianis Deum timentibus.

Item ad Episcopos & Principes &c.

† *al. castellis.*

XVII. Solicitvdinem nimiam gerentes pro speculatione credita, quia in vmbra mortis aliquas gentes in Germaniæ partibus, vel plaga Orientali Rheni fluminis, antiquo hoste suadente, errare & quasi sub religione Christiana idolo-

idolorum culturæ eos seruire cognouimus: aliquos verò, qui necdum Dei cognitionem habentes, nec baptismatis sacri vnda sunt loti, sed comparatione brutorum animalium pagani, factorem non recognoscunt: necessariò protrorumque illuminatione, ad prædicandum rectæ fidei verbum harum literarum portitorem Bonifacium, reuerentissimum fratrem nostrum Episcopum, ad easdem partes dirigere studuimus, vt & illis prædicando verbum salutis, vitam prouideat sempiternam, & si quos fortè vel vbicunque à rectæ fidei tramite deuiâsse cognouerit, aut astutia suasos diabolica, erroneos repererit, corrigat atque suî educatione ad portum restituat salutis, eosque ex Apostolicæ sedis huius doctrina informet, & in eadem Catholica fide permanere instituat. Cui, hortamur, ob amorem Domini nostri Iesu Christi, & Apostolorum eius reuerentiam, vt in omnibus solatia exhibeatis, eumque in nomine Iesu Christi recipiatis, vt scriptum est de suis discipulis: Qui vos recipit, me recipit. prouidentes insuper necessaria itineris eius, comitesque tribuentes, cibum etiam ac potum, vel si quid eguerit, largientes: vt vno labore & socia voluntate opus sibi creditum pietatis & negocium salutis, annuente Deo perficiatur, atque præmium laboris percipere mereamini, deque * conuersione errantium merces vobis adscribatur in cœlis. Si quis itaque huic Dei famulo, ad illuminationem Gentium ab hac Apostolica atque Catholica Dei Ecclesia destinato, assensum vel concursum præbuerit, exorantibus Apostolorum principibus, consortium mereatur sanctorum martyrum Christi Iesu. Si quis verò, quod non optamus, aduersari eius labori conatus fuerit, aut contrarius extiterit ministerio sibi credito, successorumq; eius, in eundem laborem intrantium, ex sententia diuina anathematis vinculo ligatus, perpetuæ damnationi subiaceat. Data Calend. Decembr. imperante domino pijssimo Augusto Leone, imperij eius anno septimo, sed & Constantini Imperatoris eius filij, anno 4. Indictione 6.

Iohan. 13.

**al. conuersatione.*

Item ad Clerum & populum, &c.

GREGORIVS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI, CLERO ET PLEBI DILECTISSIMIS *filiis in Domino salutem.*

PROBABILIBVS desiderijs nihil tarditatis præstantes, fratrem iam coëpiscopum nostrum Bonifacium vobis ordinauimus sacerdotem: cui dedimus in mandatis, ne vnquàm ordinationes præsumat illicitas, ne bigamum aut qui virginem non est sortitus vxorem, neque illiteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut * expœnite, vel curiæ aut cuilibet conditioni obnoxium notatumque, ad sacros ordines permittat accedere: sed si quos huiusmodi repererit, non audeat promouere. Afros, passim ad Ecclesiasticos ordines prætendentes, nulla ratione suscipiat: quia aliqui eorum Manichæi, aliqui rebaptizati sæpiùs sunt probati. Ministeria atque * ornatum ecclesiæ, vel quicquid illud est in patrimonio eiusdem, non minuere studeat, sed augere. De reditu verò ecclesiæ vel oblatione fidelium, quatuor faciat portiones: quarum vnam sibi ipse retineat, alteram clericis pro officiorum sedulitate distribuat, tertiam pauperibus & peregrinis, quartam ecclesiasticis fabricis noueritreseruandam: de quibus diuino erit redditurus iudicio rationem. Ordinationes verò presbyterorum seu diaconorum, non nisi quarti, septimi, & decimi mensis ieiunijs, sed & in ingressu Quadragesimæ atque medio vespere * sabbati, noueritcelebrandas. Sancti autem baptismi sacramentum non nisi in Paschali festiuitate & Pentecoste noueritesse præbendum: exceptis his, quibus mortis vrgente periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remedijs subuenire. Huic ergo sedis nostræ præcepta seruanti, deuotis animis obsequi vos oportet, vt irreprehensibile placidumque fiat corpus Ecclesiæ, per Christum Dominum nostrum. Deus incolumes vos custodiat, dilectissimi Filij. XIIX.

** expenitentiæ.*

** ordinatũ. Reditus ecclesiastici vt distribuẽdi.*

** Sabbato sacro.*

HAS quidem duas suprascriptas Epistolas communiter omnibus principibus, in Germania constitutis: duas verò sequentes specialiter Turingis Principibus misit prædictus Papa.

Item ad Thuringos.

VIRIS MAGNIFICIS [a] ASOLPHO, GODOLAO, VVILARIO, [b] GVNTHARIO, [c] ALBODO ET *omnibus Deo dilectis Turingis fidelibus Christianis, Gregorius Papa.*

[a] *Asolfo.*

[b] *Cunthario.*

[c] *Albordo.*

INSINVATAM nobis magnificæ fidei vestræ constantiam agnoscentes, quòd paganis compellentibus vos ad idola colenda, fide plena responderitis, magis velle feliciter mori, quàm fidem semel in Christo acceptam aliquatenùs violare: repleti nimia exultatione, gratias debitas persoluimus Deo nostro & redemptori, bonorum omnium largitori, cuius gratia comitante, vos ad meliora & potiora optamus proficere, & ad confirmandum fidei vestræ propositum, sanctæ sedi Apostolicæ religiosis mentibus adhærere, & prout opus poposcerit sacræ religionis, à memorata sancta sede Apostolica, spirituali omnium fidelium matre, solatium quærere, sicut decet filios cohæredes regni. Ministerio quoque præsentis fratris charissimi Bonifacij, quem ad vos Episcopum consecratum in sorte prædicationis destinauimus, Apostolicis institutionibus informatum ad instruendam fidem vestram, in omnibus volumus & hortamur obedientes ei consentire, ad complementum in Domino vestræ saluationis. XIX.

Item alia ad Turingos.

GREGORIVS SERVVS SERVORVM DEI, VNIVERSO POPVLO TVRINGORVM.

DOMINVS Iesus Christus filius Dei, Deus verus, qui de cælo descendit, homo factus est, pro nobis pati & crucifigi dignatus est, & sepultus, tertia die resurrexit à mortuis, & ascendit in cælum, discipulis etiam suis sanctis ait: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: ipse in se credentibus vitam æternam promisit. Cupientes ergo vos in perpetuum nobiscum gaudere, vbi finis nullus est, nec tribulatio, nec aliqua amaritudo, sed gloria sempiterna: ideò fratrem nostrum sanctissimum Bonifacium Episcopum ad vos direximus, vt vos debeat baptizare & fidem Christi docere, & ab errore ad viam salutis adducere, vt salutem habeatis & vitam sempiternam. Sed & vos ei in omnibus obedite, & sicut patrem vestrum, illum honorate, & ad eius doctrinam corda vestra inclinate: quia illum non pro lucro aliquo temporali acquirendo direximus, sed pro lucro animarum vestrarum ad vos eum misimus. Diligite ergo Deum, & in nomine eius baptismum suscipite: quia Dominus Deus noster, quod oculus hominis nunquam vidit, nec in cor hominis ascendit, præparauit Deus diligentibus se. Iam recedite à malis operibus, & benè agite. Non adoretis idola, nec immoletis carnes, quia Deus non recipit ista: sed in omnibus, secundùm quod vos frater noster Bonifacius docuerit, obseruate & agite, & saluieritis vos & filij vestri in sempiternum. Facite ergo & domum, vbi debeat ipse pater vester habitare: & ecclesias, vbi debeatis orare, vt Deus vobis indulgeat peccata vestra, & donet vobis vitam perpetuam.

Matth. 28.

Esa 64. 1. Cor. 2.

XXI

XXII

XX

Item ad Saxones

GREGORIVS PAPA VNIVERSO POPVLO PROVINCIAE ALTSAXONVM.

SAPIENTIBVS & insipientibus debitor sum, fratres charissimi. Ideoque volens vos scire, qualem solicitudinem habeam pro vobis, & pro his, qui verbum exhortationis fidei Iesu Christi Domini nostri susceperunt, & qui adhuc suscepturi sunt, vt consolentur corda vestra * in charitate & in omni plenitudine sapientiæ: annuncio vobis, quoniam propè est regnum Dei, vt nemo vos ampliùs decipiat in sublimitate verborum, aut in quocunque metallo salutem vestrã quæratis, adorantes idola manufacta, aurea, argentea, ærea, lapidea, vel de quacunq; materia facta: quæ falsidica nomina à paganis antiquitùs quasi dij facti sunt, in quibus dæmones habitare noscuntur: quoniam omnes dij gentium, vt ait scriptura, dæmonia sunt: Deus autem noster cœlos fecit. Quicunque autem in vobis susceperunt Chri- XX.

** instructa in.*

Psal 95.

runt Christum Iesum Dominum nostrum, in ipso ambulent radicati & superædificati & confirmati in fide, abundantes in gratiarum actione. Videte, ne quis vos ampliùs decipiat per philosophiam & inanem fallaciam. Astutiores enim sunt filij tenebrarum, quàm filij lucis. Discedite ab idolorum cultura, & accedite & adorate Dominum Deum vestrum, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt: & vultus vestri non erubescent. Vnus enim Dominus hominum, volucrum, quadrupedum & piscium, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Expoliate vos ergo veterem hominem, & induite Christum nouum, deponentes iram, indignationem, malitiam, blasphemiam: turpem quoq; sermonem nolite de ore vestro proferre. Iam enim adueſperascit dies sæculi, & tempus tenebrarum appropinquat. Ideoque nolite esse otiosi, sed potiùs operamini opus bonum, vt Christus habitet in vobis: & quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi, gratias agentes Deo patri per ipsum: respuentes gentilitatis sectam, scientes vos Dominum habere in cælis. Orationi instantes, ad ipsum Dominum cor erigite: quoniam magnus est Dominus Deus noster & laudabilis nimis, & terribilis super omnes deos: qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire. Hoc etiam commoneo, fratres, vt quicunque ex vobis voluerit ad Christum conuerti, nullo modo eum prohibeatis, nec vim ei faciatis sculptilia adorare. Ministrum quoque & conseruum in Domino, quem misi ad vos, Bonifacium ac coëpiscopum meum ad hoc ipsum, vt cognoscat quæ circa vos sunt, & consoletur corda vestra cum exhortationis verbo, in Christo Iesu Domino nostro susscipite, vt à diabolica fraude liberati, mereamini adoptionis filijs aggregari.

Coloss. 2. Luc. 16. Psal 134. Coloss. 3. Psal. 95. 1. Tim. 2.

XXII. TANTARVM itaque literarum authoritate suffultus sanctus Præsul Bonifacius proficiscitur in Germaniam, venienſque ad præfatum Principem Karolum, literas ei Romani Pontificis detulit, seseque illius dominio atque patrocinio subijciens, cum consensu eius in Hessorum metas, quibus & antea prædicare cœperat, perrexit. Illuc ergò adueniens repperit plures ex eis, relicta Christianæ religionis cultura, variis erroribus implicatos. Alij namq, lignis & fontibus clàm vel apertè sacrificabant, alij verò auruspicia, & diuinationes, præstigia & incantationes exercebant. Quidam autem alia nefanda quædam sacrilegia intendebant, pauci verò in via veritatis, quam semel acceperant, perstiterunt. Quorum etiam consilio arborem quandam miræ magnitudinis, quæ prisco paganorum vocabulo appellabatur arbor Iouis, in loco, qui dicitur Gesmere, seruis Dei secum astantibus succidere tentauit. Ad eiusmodi autem arboris incisionem magna paganorum multitudo concurrit, cupientes in sanctum virum, velut inimicum Deorum suorum, inter ipsa incisionis opera irruere & interficere. Sed dum arbor eadem paululum incideretur, mox quasi nutu diuino agitata, in quatuor partes disrupta est. Quo viso pagani, qui illuc mente peruersa conuenerant, abjicientes omnem malitiam, benedicentesque Deo crediderunt. Tunc sanctus Præsul consilio inito cum Fratribus, ex illa ingentis arboris mole Oratorium construxit, hocque in honorem sancti Petri Apostoli dedicauit.

Redit in Germaniã Anno 728.

Errores Hessorum.

Miraculum

Oratorium in honorem S Petri.

XXIII. HIS itaq; peractis, ad Turingiam quoq; profectus est, illiusq; populi Principes magna ex parte à Christiana Religione deficientes, corrigere studuit. Postquam enim religiosorum Ducum dominatio in eis cessauit, cessare etiam Christianæ Religionis intentio cœpit, falsiq; quidam Christiani, quorum nomina sunt [a] Drothwin & Bertheri, Canbereth & Hunred, inter eos hospitantes, maximam hæreticæ prauitatis introduxerunt sectam. Qui [*] scilicet fornicatores & adulteri cum validissimum aduersus hominem Dei excitarent conflictum, veris verborum oppositionibus confutati, dignã recompensationis sortiti sunt sententiam. Nam excommunicati & expulsi sunt de Ecclesia. Cum autem prædicationis eius fama vndique emanaret, credentiumq; multitudo excreuisset, Ecclesiæ instaurantur, Monasteria ædificantur, Tunc etiam congregata seruorum Dei multitudine, constructum est monasterium in loco, qui dicitur Ordorf, sub honore sancti Michaelis Archangeli. Qui scil. omnes Apostolico more viuentes, labore proprio victum vestitumq; acquisierunt. Cur autem in honore sancti Michaelis constructum fuerit idem Monasterium, breuiter dicendum. Nam cum S. Bonifacius prædicando & baptizando in Turingiam transiret, & prope flumen, cui nomen est Oraha, tentoriis fixis pernoctaret, tunc per totam noctem lux magna de cœlo sese protendens locum, vbi manebat Episcopus, circumfulsit. In qua etiam luce S. Michael Archangelus adueniens, Episcopo apparuit, eumque alloquens, in Domino cõfortauit. Mane itaq; facto, laudans & benedicens Deum, ibidem Missarum solemnia celebrauit. Deinde in eodem loco prandium sibi parari præcipiens, sed à Ministro suo audiens, cibum, quo vesci posset, se non habere, respondit, Nonne qui multitudinem populi in deserto XL. annis manna de cœlo misso, potuit pascere, mihi indigno seruo suo non præualet ad vnius diei refectionem escam impendere? Hæc cum dixisset, vt mensa sibi apponeretur, præcepit. Interea quædam auis aduolans, piscem talem, qui ad vnius diei refectionem sufficeret, attulit, & ante mensam proiecit. Quo viso, sanctus Præsul Deo gratias retulit, piscemque allatum citò præparari iussit. Illo verò præparato & comeso, reliquias in flumen proijci præcepit.

[a] *al Dorthwinus Bertherus Eanberbertus; & Humedus.*

[*] Hæresis authores in Turingia.

Bonifacio S. Michael apparet.

Nota rem miram.

XXIV. EXINDE ceptũ carpens iter, & Turingiam peragrans diligenter inuestigauit, cuius ille locus esset, vbi visio tanta sibi apparuit. Compertoque, quod Hugo, qui dicebatur Senior, illius loci possessor esset, petiit ab eo, vt sibi dare dignaretur. At ille petita annuens, primus omnium Turingorum, hæreditatem suam tradidit venerando Præsuli. Deinde verò Albot, aliique plures contigua prædicto loco prædia tradiderunt. His igitur adeptis, S. Bonifacius rediens, in eodem loco frutecta extirpare, terramque incolere iussit, & jacto fundamento, Ecclesiam construi fecit. Hæc autem in libro quodam antiquo scripta reperiens, ideo inserere decreui, vt agnita causa, vnde Monasterium prædictum extructum fuerit, & ipse locus, & fundator eius angelica visitatione digni, sub veneratione maiori habeantur.

Templum constructt.

XXV. PRÆDICANS ergò & baptizans S. Præsul Bonifacius in Turingorum & Hessorum regionibus, perspexit messem quidem esse multam ibi, sed operarios paucos, ad copiosam multitudinem credentium instruendam. Vnde in prouinciam, patriamque suam mittens, exinde tàm fœminas, quàm viros religiosos, scientiaque varia imbutos, plures venire fecit, suique laboris onus inter eos diuisit. Inter quos erant præcipui viri, Burchardus & Lullus, Willibalt, & Wunnibalt frater eius, Witta & Gregorius: fœminæ verò religiosæ, matertera scilicet sancti Lulli, nomine [c] Chunihilt, & filia eius [c] Berathgit, Chunidrut, & Tecla, Lioba & Waltpurgis, soror Willibaldi, & Wunibaldi, sed Chunihilt, & filia eius Berathgit valde eruditæ in liberali scientia, in Turingorum regione constituebantur Magistræ, Chunitrud in [d] Bagoariam destinata est, vt verbi diuini semina ibidem spargeret, Tecla verò juxta fluuium [e] Moin, in locis [f] Kihhingen & Ochsnofurt nuncupatis, collocauit. Liobam quoque ad [g] Biscofesehein, vt illic multitudini Virginum congregatæ præesset, constituit.

Ex Anglia accersit adiutores.

[b] *Cunigildem.*

[c] *Bertigitem.*

[d] *Baioariã.*

[e] *Moganum.* [f] *Kißingæ & Ochnofurti.* [g] *Sur. Biſchofesheimium.*

CVMQVE millia hominum tam per se, quam per suos prouinciales ad fidem sacram perducta, baptismatis vnda diluisset, jam defuncto beatæ memoriæ Gregorio secundo, sedis Apostolicæ præsule, & tertio Gregorio eandem sedem obtinente, iterum beatus Bonifacius Romam legatos misit, qui apud Præsulem prædictum prioris amicitiæ fœdera renouantes, omnem familiaritatis gratiam, quam ab anteceſſore suo habuisset, expeterent, omnemque subiectionem, Apostolicæ sedi debitam, à se promitterent, conuersionem quoque plurimorum in Germania habitantium intimarent. Postquam verò legati supradicti Romam venientes, venerabili Papæ talia denunciabant, statim

Anno 731.

Deo gratias retulit. Deinde non solum omnia familiaritatis & amicitiæ jura à S. Bonifacio postulata promisit, sed etiam ea, quæ minimè petiit. Idem Archiepiscopatus pallium direxit: epistolam quoque continentem diuersa, pro quibus interrogatus fuerit, Præsuli sancto remisit. Cuius exemplar subsequenter inseretur.

Archiepiscopi pallium mittitur S. Bonifacio.

Literæ Gregorij 3. ad Bonifacium.

Reuerentissimo & sanctissimo fratri Bonifacio coëpiscopo, ad illuminationem gentis Germaniæ, vel circumquaque in vmbra mortis morantibus Gentibus, in errore constitutis, ab hac Apostolica sede directo, Gregorius seruus seruorum Dei.

MAGNA nos habuit gratulatio, lectis sanctissimæ fraternitatis tuæ literis, cùm in eius relecta serie fuisset repertum, Domini nostri Iesu Christi gratia plurimos te à gentilitate & errore ad veræ fidei agnitionem conuertisse. Quod quia diuina institutione docemur in parabolis, cui quinque talenta credita fuerant, alia quinque fuisse lucratum, in talis commercij lucro cum tota plaudimus Ecclesia. Hinc iure tibi sacri * pallij direximus munus, quod beati Petri Apostoli authoritate suscipiens induaris, atque inter Archiepiscopos vnus, Deo authore, præcipimus vt censearis. Qualiter autem eo vtaris, ex mandato Apostolico informatus cognosce. Itaque dum Missarum solennia geris, vel Episcopum te contigerit consecrare, illo tantummodo tempore eo vtaris. Quia verò turbas Domini gratia in eisdem partibus ad rectam fidem asseruisti conuersas, ideoque nequire te occurrere omnibus, quæ salutis sunt, impendere aut intimare, cùm iam longè lateque gratia Christi, eius fides * in illis propagetur: præcipimus, vt iuxta sacrorum Canonum statuta, vbi multitudo excreuit fidelium, ex vigore Apostolicæ sedis debeas ordinare Episcopos, pia tamen contemplatione, vt non vilescat dignitas Episcopatûs. Presbyterum namque quem præterito asseruisti anno ad nos venisse, nostroque iudicio fuisse à suis nefarijs absolutum actionibus, credas, neque nobis confessionem aliquam fecit, nec à nobis, vt suos expleat libitus, absolutus est. Sed si eum errori deditum repereris, hunc Apostolicæ sedis vigore, vt iuxta sanctorum Canonum censuram corrigas & emendes, præcipimus, vel si quos forsan tales inueneris. Ille enim veniens, Presbyter sum, ait, & commendatitias ad filium nostrum * Carolum literas expetijt. Nullam illi aliam concessimus licentiam: quem vitari, si prauè conuersatur, cum reliquis, volumus, eosdemque quos à paganis baptizatos esse asseruisti, si ita habetur, vt denuò baptizes in nomine sanctæ Trinitatis, mandamus. Inter cætera agrestem caballum aliquantos comedere adiunxisti, pleroſque & domesticum. Hoc nequaquam fieri deinceps sanctissime frater sinas, sed quibus potueris, Christo iuuante, modis per omnia compesce, & dignam eis impone pœnitentiam. Immundum enim est atque execrabile. Pro [a] obeuntibus quoque consuluisti, si liceat oblationes offerri. Sancta sic tenet Ecclesia, vt quisq; pro suis mortuis verè Christianis offerat oblationes, atque presbyter eorum faciat memoriam: & quamuis omnes peccatis subiaceamus, congruit tamen, vt sacerdos non nisi pro mortuis catholicis memoriam faciat & intercedat. Non enim pro impijs, quamuis Christiani fuerint, tale quid agere licebit. Eos etiam, qui se dubitant fuisse baptizatos, vel qui à presbytero Ioui mactante, & immolatitias carnes vescente baptizati sunt, vt baptizentur præcipimus. Progeniem suam vnumquemque vsque ad septimam generationem obseruare decernimus: & si valueris, deuitandum doce, ne cui vxor obierit, amplius quàm duabus debeat copulari. De [b] his verò, qui patrem vel matrem vel fratrem aut sororem occiderint, dicimus, vt toto vitæ suæ tempore corpus Dominicum non suscipiant, nisi in suo exitu pro viatico: abstineant etiam se à carnis comessatione & potu vini, donec aduixerint. Ieiunent 2. 4. & 6. feria, vt sic deflentes possint diluere commissum scelus. Hoc [c] quoque inter alia crimina agi in partibus illis dixisti, quòd quidam ex fidelibus ad immolandum paganis sua venundent mancipia. Quod vt magnoperè corrigere debeas, frater, commonemus, ne sinas fieri vltrà. Scelus enim est & impietas. Eis ergo, qui hoc perpetrauerunt, similem homicidæ indices pœnitentiam. At quoties Episcopum consecraueris, duo vel tres conueniant tecum Episcopi, vt Deo sit gratum, quod geritur: & eis conuenientibus ipsisque præsentibus consecres. Hæc te, frater Charissime, diligenter obseruare volumus, & studio pietatis cœptum negotium salutis exequi, vt de lucro apportato valeas à Domino Deo nostro mercedem percipere in æterna beatitudine. Priuilegium verò iuxta quod petisti, facientes, his iunctum direximus, optantes te Domini Dei nostri præsidio de conuersione errantium plenissimum apportare lucrum. Deus te incolumem custodiat, reuerentissime frater.

Matth. 25.

* *palatij.* Vsus pallij perantiquus.

* in illis partibus propagaretur.

* *Karolum.* Si nempe in S. Trinitatis nomine baptizati non sint. Vt ex eiusdem Gregorii Epistola infra cap. 32 & altera Zachariæ lib. secundo, capit. octauo, colligit Baron anno 731 § Eosdē quos.

a Sacrificia pro Catholicis defunctis.

b Pœna parricidarum canonica.

c Nota sacrificia ethnicorum Germanorum.

REDEVNTES ergò nuntii, & gratiosa Præsulis Apostolici dona, scriptaque reportantes, lætissimum efficiunt sanctum Bonifacium. Vnde & debitas Deo laudes, gratiasque agens, duas mox Ecclesias Domino construxit, vnam quidem in * Frideslar, quam in honore Principis Apostolorum, S. Petri consecrauit: alteram verò in † Hamanaburch, quam in honore S. Michaelis Archangeli dedicauit. Duo quoque Monasteriola duabus subiunxit Ecclesiis, hisque non minimam Deo seruientium concionem subrogauit, vbi hucusque laudis & seruitutis diuinæ officia peraguntur. Quæ postquam gesta sunt, S. Bonifacius * Bagoariorum terras, quibus per idem tempus Hugbertus Dux præerat, adiit, prædicationisque studium apud eos diligentissimè exercens, tanto diuinæ æmulationis zelo armatus est, vt quendam schismaticum, hęretica prauitate plenum, nomine [a] Ermwolfum, juxta Canonum decreta, damnasset, atque ab Ecclesia expulisset. His peractis, rursum ad eos, qui sub suæ gubernationis diœcesi commorabantur, remeauit, circuiens vbique, & instaurans, quæ cura popoſcit Ecclesiarum. Eo [b] etiam tempore Romam ire decreuit, tam pro hoc, vt Apostolici patris, cuius faciem nec dum agnouerat, salubri frueretur agnitione simul & colloquio, quàm vt se sanctorum Apostolorum, aliorum sanctorum, in vrbe Romana quiescentium, orationibus commendaret. Profectus ergò illuc, multa comitante turba Francorum & Bagoariorum, nec non ex Britannia conuenientium, præsentatusque Apostolico, benignè susceptus est ab eo, tantaq; à cunctis Romanis veneratione habebatur, vt multi ad salutarem eius doctrinam confluerent, illumque diu secum retinerent. Posthæc verò, cum remeare decerneret, muneribus, & reliquiis Sanctorum, pro quibuscunque petiit, datis, honorificè ditatus est à Præsule Apostolico. Ad hæc etiam ei epistolas quasdam Episcopis, Abbatibus, atq; Principibus cunctis in Germania constitutis transmittendas dedit. Quarum exemplaria subsequenter his inserentur.

* *al. Fritislar. Frislariæ.*

† *Amanaburg.*

* *Baioariorum.*

a Ermwolfus hæreticus.

b Rursus Romam venit anno 738.

Epist. Gregorii 3. *Gregorius Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectissimis nobis omnibus Episcopis, venerabilibus presbyteris, religiosis Abbatibus omnium prouinciarum.*

DOMINO cooperante & sermonem confirmante, præsens sanctissimus vir Bonifacius, frater ac coëpiscopus noster, à decessore nostro sanctæ recordationis Gregorio Præsule in Germaniæ partes missus prædicare verbum Dei, post multum temporis orationis causa liminibus sacris beatorum Apostolorum Petri & Pauli præsentandus aduenit. Qui perfecta oratione, ad acceptum laborem, Angelo Domini prænuntiante, à nobis est absolutus: cui vestra omnium dilectio seu reuerentia & religiositas propter Christi amorem iuuamina impendere digenter: dum & agnoscitis, quæ Dominus noster Iesus Christus promisit, dicens: Qui susceperit prophetam in nomine prophetę, mercedem prophetę accipiet: & qui susceperit iustum in nomine iusti mercedem iusti accipiet. Et si forsan quis

Matth. 10.

ſan quis ex veſtris miniſtris ſeſe ipſi ſanctiſſimo viro in miniſterio exhortationis ſanctæ Catholicæq; fidei adiungere voluerit, nullo modo prohibeatis chariſſimi: ſed magis concurſum præbete, & ex veſtro ouili adiutores tribuite, qui poſſint per Dei gratiam ſufficienter gentibus miniſtrare verbum prædicationis, vt omnipotenti Deo animas lucrifaciant: vt & veſtra communitas boni operis portionem ſortiatur, atque illi mereantur Dominicam vocem audire: Vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis. *Matth. 19.*

XXIX. *Gregorius Papa vniuerſis optimatibus & populo prouinciarum Germaniæ, Thuringis, & Heſsis, Bortharis & Niſtreſis, Vuedreuis & Lognais, *Suduodis & Graueldis, vel omnibus in Orientali plaga conſtitutis.* **Sudvoſis & Grabfeldis.*

QVONIAM deceſſor noſter ſanctæ recordationis Gregorius Præſul, nutu diuino motus, ad faciendam Deo plebam perfectam, præſentium portitorem literarum Bonifacium, reuerentiſſimum fratrem noſtrum ac coëpiſcopum ordinans, ad vos vſque deſtinauit, eumque regulam & normam Apoſtolicæ & Catholicæ fidei edocens direxit: & poſt temporum ſpatia orationis cauſa ad limina beatorum Apoſtolorum ſeſe præſentauit, & quæ ad ſalutem animarum pertinent, à nobis poſcit imbui: nos Deo fauente, vt ſacra docet ſcriptura eum *educantes, ad vos chariſſimi remeandum abſoluimus: hortantes vos in Domino, vt dignè ſuſcipiatis ab eo verbum exhortationis, vt Epiſcopos vel presbyteros, quos ipſe ordinauit per Apoſtolicam ſibi datam authoritatem, in Eccleſiæ miniſterio recipiatis. Et ſi quos forſan deuiantes inuenerit à rectæ fidei tramite, ſeu canonica doctrina, eoſque prohibuerit, à vobis nullo modo impediatur: & quod eis impoſitum fuerit, obediendo propter Deum ſuſcipiant. Nam qui temerator extiterit ad obediendum, ſibimetipſi damnationem acquirit. Vos autem chariſſimi, qui in nomine Chriſti baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, abſtinete ab omni cultu paganorum, non tantùm voſmetipſos corrigentes, ſed & ſubditos veſtros. Diuinos autem & ſortilegos, vel ſacrificia mortuorum ſeu lucorum, vel fontium auguria vel phylacteria & incantatores, & maleficos, & obſeruationes varias, quæ in veſtris finibus fieri ſolebant, omninò reſpuentes atque abijcientes, tota mentis intentione ad Deum conuertimini, ipſum timete, adorate & honorificate, ſanctorum memorijs communicantes, vt ait Apoſtolus. Si enim fides veſtra iuxta Domini noſtri dicta, fuerit ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, Transfer, & transferetur. Item ipſe Dominus & Saluator noſter in ſuo ſacro eloquio docet, dicens: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. & iterùm: Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, & ego confitebor eum coram patre meo, qui in cælis eſt. Item alibi promittit, dicens: Quodcunque petieritis patrem in nomine meo, fiet vobis. &: Petite & accipietis: quærite & inuenietis: Pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit, & pulſanti aperietur. Et vos chariſſimi, facite fructus dignos, vt in die aduentûs Domini noſtri Ieſu Chriſti ſidereas mereamini adipiſci manſiones. *

Alia epiſtola.

** edocentes*

Rom 12. Gal 6. Luc 17. Matth 22. Luc. 12. Iohan. 14. Matth. 7.

** Bene valete.*

XXX. *Dilectiſsimis nobis Epiſcopis, in prouincia [a] Baioariæ & Alemannia conſtitutis, Vuigoni, Luidoni, Rudolto & Viuilo ſeu [b] Addæ, Gregorius Papa.*

CATHOLICA ſanctorum Patrum authoritas iubet, vt bis in anno pro ſalute populi Chriſtiani, ſeu exhortatione adoptionis filiorum, ſynodalia debeant celebrari, vt cauſarum Canonicarum examinatio prouenire poſſit, atque vt neceſſitas vniuſcuiuſque popoſcerit, pia educatio agatur. Vnde ſecundùm Apoſtoli doctrinam admoneo & hortor vos chariſſimi, per miſericordiam Dei, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, vt miniſterium veſtrum perfectum ſit coram Domino. Opportunum namque eſt vos nôſſe fratrem ac coëpiſcopum noſtrum, præſentem Bonifacium, noſtram agentem vicem, cum digno ac debito honore pro Chriſti nomine ſuſcipere, & miniſterium Eccleſiaſticum cum fide Catholica ſecundùm morem & normam ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Dei Eccleſiæ, cui (miſericordia Dei præueniente) præeſſe videmur, ſicut Apoſtolica authoritate à nobis deſtinatus eſt, ab eo ſuſcipientes, dignanter teneatis, & gentilitatis ritum & doctrinam vel venientium * Britonum, vel falſorum ſacerdotum & hæreticorum aut vndecunque ſint, renuentes ac prohibentes abijciatis, & vt populum vobis à Deo commiſſum pijs admonitionibus edoceatis, & à ſacrificijs mortuorum omninò abſtineatis, & iuxta quod fueritis à prædicto noſtro conſacerdote edocti, ita Catholicam & Apoſtolicam doctrinam tenentes, Domino Deo Saluatori noſtro placeatis, & in quo vobis loco ad celebranda concilia conuenire mandauerit, ſiue iuxta Danubium, ſiue in ciuitate Auguſta, vel vbicunque indicauerit, pro nomine Chriſti parati eſſe inueniamini: quatenùs cognoſcamus per eius mandatum de veſtro conuentu, vt in die aduentûs Chriſti Ieſu, cum fructu boni operis ante eius tribunal aſſiſtere mereamini, dicentes: Ecce nos & pueri, quos dediſti nobis Domine: non perdidimus ex eis quenquam: vt & vos Dominicam vocem audire mereamini dicentem: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.

Alia epiſtola Gregorij 3 Epheſ 4.

** Brittonũ.*

Eſa 8 Matth. 25.

XXXI. ACCEPTIS ergo talibus epiſtolis S. Bonifacius à Roma diſceſſit, Italiamque perueniens, Ticinæ vrbis ingreſſus eſt mœnia, & apud Luitprandum Longobardorum Regem aliquandiu commorabatur. Inde verò digrediens terras Bagoariorum ab Otilone Duce inuitatus viſitauit, manſitque apud eos diebus multis verbum Dei prædicans, veræque fidei ſacramenta illic renouans. Inter quæ etiam deſtructores quoſdam Eccleſiarum, populiſque ſeductores abigebat, quorum alij falſo ſe Epiſcopatus gradu prætulerunt, alij verò Presbyteratus officio ſe deputarunt, alij etiam innumera peruerſitatis figmenta ſequentes, magna ex parte populum ſeduxerunt. Sed ſanctus Præſul cum tantam ſacerdotum fallaciam, atque malitiam aliter non poſſe prohiberi, conſpiceret, prouinciam Bagoariæ, Otilone Duce conſentiente, in quatuor diuiſit parochias, treſque magnarum virtutum viros eis præfecit, quos ordinatione facta in Epiſcopalem gradum ſublimauit. Quorum primus nomine Iohannes, in oppido, quod dicitur Saltzpurg, cathedram Epiſcopalem ſuſcepit. Secundus * Erinbertus, in Friſingenſi Eccleſia regimen pontificale ſubijt. Tertius Govvibolt, in Ratisponenſi ciuitate, quæ metropolis † Bagoariæ eſt, Pontifex conſtituit. * Viualus quoque à Præſule Apoſtolico jam ordinatus, Patauienſi Eccleſiæ Prælatus eſt; ſed eius parochia, quæ quarta erat, à S. Bonifacio, ſicut cæteræ, diuidebatur. His ergò Pontificibus conſtitutis, & quæcunque tunc corrigenda erant in Bagoaria correctis ad proprias redijt Eccleſias. Poſt non multum verò temporis omnia, quæ tunc in Bagoaria corrigendo geſſit, literis tranſmiſſis, Præſuli Apoſtolico denunciauit. At ille geſta eius laudans, remiſit huiuſmodi ſcripta.

S. Bonifacius venit Ticinum, inde in Bauariam.

Bauariam in quatuor parœcias partitur, anno 719.

** Erimbertus.*

† Baioariã.

** Viuilus.*

XXXII. *Reuerentiſsimo & ſanctiſsimo fratri Bonifacio coëpiſcopo, Gregorius ſeruus ſeruorum Dei.*

DOCTORIS gentium egregij & beati Pauli Apoſtoli vox eſt, dicentis: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Agnoſcentes itaque in ſyllabis fraternitatis tuæ, quia de Germaniæ gentibus, quas ſua pietate Deus noſter de poteſtate paganorum liberauit, & ad centum millia animas in ſinu ſanctæ matris Eccleſiæ tuo conamine & * Caroli Principis Francorum aggregare dignatus eſt: ſed & in Baioariorum prouincia quæ à te acta ſunt, agnoſcentes, datori omnium bonorum Domino Deo noſtro extenſis ad cælum manibus gratias retulimus: quia

Rom 8.

100000. Germanorum conuertit S. Bonifacius

** Karoli.*

quia ianuam misericordiæ & pietatis in illis partibus Hesperijs ad cognoscendam viam salutis aperuit, & misit angelum suum, qui præparauit viam tuam ante te. Igitur quia indicâsti perrexisse te ad gentem [a] Baioariorum, & inuenisse eos extra ordinem Ecclesiasticum viuentes, dum Episcopos non habebant in prouincia, nisi vnum, nomine Viuilum, quem nos paulò antè ordinauimus, & quia cum assensu [b] Vtilonis Ducis eorundem [c] Baioariorum seu oprimatum prouinciæ illius tres alios ordinâsses episcopos, & in quatuor partes illam diuisisti, id est, in quatuor parochias, vt vnusquisque Episcopus suam habeat parochiam: benè & satis prudenter peregisti frater, quoniam Apostolicam præceptionem ex nostra vice implêsti, & sicut tibi præcepimus, ita egisti. Itaque non desinas frater reuerentissime docere eos sanctam, catholicam & Apostolicam Romanæ sedis traditionem, vt illuminentur rudes, & viam salutis teneant, per quam possint ad æterna præmia peruenire. Presbyteros aût, quos ibidem reperisti, si incogniti fuerint viri illi, à quibus sint ordinati, & dubium est eos episcopos fuisse, qui eos ordinauerunt, si bonæ actionis & catholici viri sunt ipsi presbyteri, & in ministerio Christi omnique lege sancta educati, ab Episcopo suo benedictionem presbyteratûs suscipiant & consecrentur, & sic ministerio sacro fungantur. Illi verò, qui baptizati sunt per diuersitatem & declinationem linguarum gentilitatis, si tamen in nomine sanctæ Trinitatis baptizati sunt, oportet eos per manûs impositionem & sacri chrismatis confirmari. Nam Viuilus episcopus à nobis est ordinatus. Hic si aliquid excedit extra Canonicam regulam, doce & corrige eum iuxta Romanæ Ecclesiæ traditionem, quam à nobis accepisti. De concilio verò vt iuxta ripam Danubij debeas celebrare nostra vice, præcipimus fraternitati tuæ Apostolica authoritate, te ibidem præsentari: & inquantùm Dominus tibi vires dederit, prædicare verbum salutis non cesses, vt religio Christiana in nomine Domini crescat & multiplicetur. Nec enim habebis licentiam frater, pro incepti laboris vtilitate, in vno morari loco, sed confirmatis cordibus fratrum & omnium fidelium, qui rarescunt in illis Hesperijs partibus, vbi tibi Dominus aperuerit viam salutis, prædicare non desistas, & vbi locum inueneris, secundùm Canonicam regulam Episcopos ordina ex nostra vice, & Apostolicam atque Canonicam traditionem eos tenere edoce. Ex hoc enim magnum mercedis præmium tibi præparabis, quoniam omnipotenti Deo nostro facies plebem perfectam. Non pigeat, dilectissime frater, itinera carpere aspera & diuersa, vt Christiana fides longè lateque tuo conamine extendatur. Scriptum namque est: Arcta & angusta via est, quæ ducit ad vitam. Operare itaque frater opus bonum quod cœpisti, vt in die Christi Iesu merearis dicere: Ecce ego & pueri, quos dedisti mihi: non perdidi ex eis quenquam. & iterùm: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum: vt subsequenter merearis audire vocem Domini, dicentis: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Deus te incolumem custodiat reuerentissime frater. Data 4. Calend. Nouembris, imperante domino pijssimo Augusto Leone, imperij eius anno * 23. sed & Constantini Imperatoris eius filij anno 20. Indictione 8.

[a] Bagoariorum.
[b] Odilonis.
[c] Bagoariorum.
Matth 7.
Esa. 8
Matth. 25.
* 24.

PER idem tempus Karolo Duce glorioso temporalis vitæ cursum consummante, filij eius Karolomannus & Pipinus in patris successerunt imperium. Sed quia ad nutum Karolomanni, qui maioris ætatis erat, omnia paterni regni jura disponebantur, hunc S. Bonifacius adiens, præsuliscq; Apostolici scripta deferens, omnino poposcit, vt Christianæ religionis culturam, quam pater eius * in promptissimo animo cœpit & excoluit, ipse quoque pro Dei amore, suiq; regni stabilitate, nec non pro communi omnium sibi subiectorum salute eodem animo excoleret. His ille precibus, quasi diuino affatu compunctus, omnes sub imperio suo degentes, laicos simul & Clericos, à religione Christiana deuiantes, tam regali, quàm canonica authoritate ad viam justitiæ reuocare studuit. Præcipiebat enim, vt, conuentu synodali habito, ibi omnia juxta canonum decreta corrigerentur, cuius nimirum conuentus synodalis statuta, quia non solum sæcularibus, sed Ecclesiasticis etiam rectoribus ædificationem magnam conferre posse videntur, prout in antiquis exemplaribus scripta inuenimus, hic ponere volumus: sic enim scripta inueniuntur. XXXIII.

S Bonifacius adit Karolomãnum.
* Ita corrigo. m. s. impromptissimo.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi, ego [d] Carolomannus Dux & Princeps Francorum, anno ab incarnatione Domini septingentesimo quadragesimosecundo, vndecimo Calendas Maij, cum consilio seruorum Dei & optimatum meorum, Episcopos, qui in regno meo sunt, cum presbyteris ad Concilium & synodum pro timore Christi congregaui, id est, Bonifacium Archiepiscopum, Burchardum & Reginfridum, Vuittanum & [e] Vuilliboldum, Dadanum & [f] Adanum cum presbyteris eorum, vt mihi consilium dedissent, quomodò lex Dei & Christiana religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum principum dissipata corruit: & qualiter populus Christianus ad salutem animæ peruenire possit, qui per falsos sacerdotes hucusque deceptus est. Itaque per consilium sacerdotum religiosorum & optimatum meorum ordinauimus per ciuitates episcopos, & constituimus super eos Archiepiscopum * Bonifacium, qui est Missus S. Petri. Statuimus quoque per annos singulos synodum congregari, vt nobis præsentibus Canonum decreta, & Ecclesiæ iura restaurentur, & religio Christiana emendetur. Fraudatas pecunias ecclesiarum, ecclesijs restituimus & reddidimus: falsos presbyteros & adulteros vel fornicatores diaconos & clericos de pecunijs ecclesiarum abstulimus & degradauimus, & ad pœnitentiam coëgimus. Seruos DEI per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum & in hostem pergere omninò prohibuimus: nisi illos tantummodò, qui propter diuinum † mysterium, Missarum scilicet solennia adimplenda, & [a] sanctorum patrocinia portanda, ad hoc electi sunt, id est, vnum vel duos Episcopos cum cappellanis presbyteris princeps secum habeat, & vnusquisque præfectus vnum presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus indicere pœnitentiam possit. Necnon & illas venationes & syluaticas vagationes cum canibus, omnibus seruis Dei, interdiximus, & vt accipitres & falcones non habeant. Decreuimus quoque, vt iuxta sanctorum Canones vnusquisque presbyter in parochia habitans, subiectus sit illi Episcopo, in cuius parochia habitat, & semper in Quadragesima rationem & ordinem (ministerij [b] sui, siue de baptismo, siue de fide Catholica, siue de precibus & ordine) Missarum, Episcopo reddat & ostendat: & quandocunque iure Canonico Episcopus circumeat ad confirmandos populos, presbyter semper paratus sit ad suscipiendum Episcopum cum collectione & adiutorio populi, qui ibi confirmari debet: & [c] in Cœna Domini semper nouum chrisma accipiat ab Episcopo, & vt Episcopus sit testis castitatis, & vitæ, & fidei, & doctrinæ illius. Statuimus quoque vt secundum Canonicam cautelam, omnes vndecunque venientes ignoti Episcopi vel presbyteri, ante probationem synodalem in ecclesiasticum ministerium non admittantur. Decreuimus, vt secundùm Canones vnusquisque Episcopus in sua parochia solicitudinem gerat, adiuante [d] grauione, qui defensor ecclesiæ eius est, vt populus Dei paganias non faciat, sed vt omnes spurcitias gentilitatis abijciat, siue sacrificia mortuorum, seu sortilegos vel diuinos, siue phylacteria & auguria, siue incantationes vel hostias immolatitias, quas stulti homines iuxta ecclesias ritu pagano faciunt sub nomine sanctorum martyrum vel confessorum, Deum & sanctos suos ad iracundiam prouocantes. Statuimus similiter, vt post hanc synodum, quæ fuit vndecimo Calend. Maij, quisquis seruorum Dei vel ancillarum Christi, in crimen fornicationis lapsus fuerit, in carcere pœnitentiam faciat in pane & aqua. Et si ordinatus presbyter fecerit, duos annos in carcere permaneat, anteà flagellatus. Si autem clericus vel monachus in hoc peccatum inciderit, post tertiam verbera-

XXXIII.

Synodus tempore Carolomanni, Anno 742.
[d] Karlomannus.
[e] Willibaldum.
[f] Addanum.
* S Bonifacius Archiepiscopus, legatus S. Petri.
† ministerium.
[a] Reliquias sanctorum intelligit Baron anno 742.
[b] Quæ () cõcluduntur, absunt.
[c] Nouum chrisma semper in cœna Domini
[d] Grauione, id est magistratu, qui iudex Fiscalis appellatur Grauio vero hodie Comitem significat.

Vide Baron. vbi supra. [e] Pœna sacerdotum, clericorum & monachorum in fornicationem labentium.

beratione m in carcerem missus, vnum annum pœnitentiam ibi agat. Similiter & Nonnæ velatæ eadem pœnitentia teneantur, & radantur omnes capilli capitis eius. Decreuimus quoque vt presbyteri vel diaconi, non sagis laicorum more, sed casulis vtantur ritu seruorum Dei, & nullus in domo sua mulierem habitare permittat: & vt monachi & ancillæ Dei monasteriales iuxta regulam S. Benedicti viuere studeant. Statuimus quoque cum consilio seruorum Dei & populi Christiani, propter imminentia bella & persecutiones multarum gentium, quæ in circuitu nostro sunt, vt sub precario aliquam partẽ ecclesialis pecuniæ in adiutorium exercitûs nostri cũ indulgentia Dei aliquanto tempore retineamus ea conditione, vt annis singulis de vnaquaque casata solidus, id est, duodecim denarij, ad ecclesiam vel monasterium reddatur eo modo, vt si moriatur ille, cui pecunia commendata fuit, ecclesia cum propria pecunia reuestita sit. Et iterùm si necessitas cogat, vt princeps iubeat, precarium renouetur, & rescribatur nouum, & omninò reseruetur, vt Ecclesiæ vel monasteria penuriam paupertatemq; non patiantur, quorum pecunia * imprecario præstita est, sed si paupertas cogat Ecclesiæ, domui Dei integra reddatur possessio. Similiter præcipimus, vt iuxta decreta Canonum, adulteria & incesta matrimonia prohibeantur, & emendentur Episcoporum iudicio, & vt mancipia Christiana paganis non tradantur.

Quæ hic subijciuntur, in concilio Leptinensi anno 743. decreta sunt. Vide Baron. ibid.

*in precario.

XXXV. TANTÆ ergò religionis statuta à principibus neophytis tunc facta, si comparentur legibus his, quæ modo à quibusdam rectoribus nostris à pueritia vsque in senectam omni disciplina Christiana instructis proferuntur, facile potest agnosci, quantum perfectiores fuerint illi neophyti istis patribus doctissimis, non solùm apud Reges & Principes pro locorum sanctorum vtilitate intercedere negligunt, sed etiam ipsi loca sancta sibi commissa omnino destruunt. O mores praui cunctis omninò dolendi! ô miseranda nimis morum mutatio talis! cum pueri senibus, cæci videntibus, imperiti peritis, laici clericis religiosiores inueniantur. Quondam namque in prouincijs multis, vbi sanctæ Ecclesiæ vinea nouiter plantata, nec dum vel notitia fructuum spiritualium ad omnes peruenit, à plurimis sæcularibus viris dicebatur. Qui pro fragilitate nostra à consuetis mundi delicijs penitus nos continere nequimus, saltem vel alios continentes ad seruitium Dei congregantes, illos nostris corporalibus subsidijs pascamus, vt & orationibus suis, aliisque spiritualibus subsidijs nos pascant, ne pereamus. Nunc autem cum omnium virtutum scientia, & experientia aliqua, & in libris prolata pene ad omnium notitiam peruenit, nullusque Christianorum dicere potest, Quia nemo nos conduxit, tam Clerici, quàm Laici plurimi dicere solent, Quid prosunt tot cœnobia, vel tanta Monachorum agmina? Multò enim melius esset, vt prædia, quibus ijdem Monachi inutiliter saginantur, seruitio nostro præstarentur. Hæc quidem multi verbis, sed multo plures operum suorum attestatione ita esse fatentur, quasi malitia, & irreligiositas eorum minus à Domino puniatur, si nullus Monachus, vel Religiosus in hoc sæculo inueniatur.

Nota priscorum hominum de monasterijs sententiam.

Matth. 10.

XXXVI. AT Karlomanno præfato longè alia mens erat, qui licet ante S. Bonifacij prædicationem de religione Christiana parum quid nouerit, eo tamen admonente & exhortante, citius in timore & amore Dei ita perfectus esse cœpit, vt humana simul & diuina prudenter disponeret, nihilque sæcularia iura sine diuini administratione seruitij, ad quod cœnobialis, monasticaque deputatur congregatio, proficere sciret, Similiter & Karolus Magnus filius scilicet fratris sui Pipini supradicti, qui à Roma vsque in Fresiam, ab Vngaria vsque in Britanniam, omnia regna suo subegit imperio, cum contra eadem decertaret, non aliter victoriam se adipisci credidit, nisi interim omnia cœnobia, in eisdem regnis jam constructa, supplemento aliquo adiuuaret. Si quis in his dubitet, legat inprimis sua gesta, deinde circumeat monasteria, quæ sub tempore suo fundata habuit Italia, vel Gallia, siue Germania, & inueniet ea aliqua Karoli largitate sublimata, quædam quidem priuilegio libertatis, quædam verò prædiorum donis, nisi fortè ex subsequentibus Regibus seu Episcopis sint ablata. Multi namque Regis eiusdem Karoli successores, licet in præclaris moribus ac studijs pluribus effulserint, in hoc tamen nimis deliquerunt, quod monasteria nonnulla, vel ipsi tam immensa obsequij sui exactione, quàm prædiorum ablatione, destruxerunt, vel Episcopis seu etiam laicis quibusdam, nihil minus, quàm monasticam religionem curantibus, destruenda tradiderunt. At Karolus noster non solum hæc minimè fecisse fertur, sed etiam hæc contra quædam ad Episcopatum pertinentia prædijs duplicibus redditis, cum consilio communi, ab Episcopali ditione absoluit, libertateque regali sublimauit, * prænoscens, vt reor, prophetiæ spiritu, quod & nos cernimus, & anteriores nostri jam diu impletum viderunt, loca sancta, quæ necessarijs omnibus sufficienter erant redimita à suis institutoribus, tradita verò Episcopis, & in penuriam maximam & in destructionem totius disciplinæ regularis ventura fore. Sed hoc nequaquam idcirco dico, quod omnia cœnobia, Episcopis subiecta, destructa sciam sed partem maximam. Quod tamen eo magis dolendum, & miserandum videtur, quo minus ab ignorantibus legis diuinæ præcepta, sed à doctissimis agitur, qui commissa sibi destruentes cœnobia, non solum ipsi peccant, sed etiam laicos peccare faciunt in eadem destructione. Quis enim laicorum non putat sibi iam licere, quidquid Clericos cernit facere? Vnde in his omnibus Karolum proponere possumus ad exemplum. Sicut enim inter Reges successores videlicet suos non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi, ita nullus eorum post eum tanta gloria, tantaque potentia potitus est in hoc sæculo; meritoq; de illo dicitur: Non recedet memoria illius, & nomen eius requiretur à generatione in generationem. Quia ergò occasio talis se præbuit, vt commemorantes quanta religio sub antiquis Principibus, quanta ve fuerit destructio religionis eiusdem sub modernis, per huiusmodi apposita, quibus quid sit melius, declaratur, aliquos etiam incitaremus ad meliora. Nemo precor hæc indigna lectu & auditu decernat, sed potius attẽdẽs, si in tãta destructione reus existat, pœnitere & emẽdare studeat, dũ veniæ tempus Dño præstante tenemus, ne fortè occupati die mortis quæramus spatium pœnitentiæ, & inuenire non possimus. Sed de his satis dictum. Reuertamur iam ad incepti sermonis exordium.

*sicut verbi gratia S. Emmerãmi monasterium.

Karlomanni pietas.

Karoli Magni potentia & religio

Liberalitas in monasteria.

Laus Karoli Magni.

Eccl 35.

XXXVII. CVM ergò Karlomanni præcepto, sanctique Bonifacij consilio synodalis conuentus haberetur, multi ibi nõ solum Clerici quilibet hæretica prauitate decepti, ab Ecclesiæ communione expellebantur, sed etiam Episcopi, qui pro aliqua capitalis criminis macula diffamati erant, deponebantur. Erroris autem totius, qui tunc in Germania excreuerat, maximi fuerant autores, duo hæretici, quorum vnus Clemens, alter verò * Eldebertus dicebatur. De quibus postmodum cum Epistolas ad Zachariam Papam missas proferre cœperimus, dicetur congruentius. In his enim omnis mortifera eorum hæresis replicatur. Quidam enim Episcopus, nomine † Gewilieb, Mogõtiæ ciuitati Prælatus, tunc deponebatur. Cur autem depositus fuerit, hic subsequẽter enarrabo. In illis namq; temporib. Saxones deuastabant Turingiam regionem. Quamobrem populi eiusdem regionis confugientes ad supradictũ Principem Karlomannum, quærebant ab eo auxilium. Qui mox pro eorum ereptione exercitũ misit, in quo simul Geroldus Mogontiacensis tunc Episcopus, pater scilicet prædicti Gewiliebis jussus transiuit. Cumq; congressio facta fuisset bellãtium, & inuicem semper ferientium, Geroldus Episcopus interfectus ibi inter alios occubuit. Deinde filius eius Gewilieb, adhuc laicus in palatio constitutus, pro sedando patris dolore, clericatus officio promouebatur, & ad regendã Ecclesiam [a] Mogontiacensem post obitum patris subrogabatur. Post non multũ verò temporis iterũ Karlomãnus exercitu cõgregato contra Saxones perrexit, secumq; eundẽ Gewilieben duxit. Consistentibus a. vtriusq; populi exercitib. [b] eis citraq; ripã fluminis [c] Wisaraha, pcepit Gewilieb puerũ suum inter hostes pergere illicq; nomẽ eius, q patrem

* *Adelbertus*

Clemens & Eldebertus hæretici condemnãtur in synodo an. 745.

[a] Gewilieb fit Episcopus Moguntiæ.

† *Gerãlius al Gewilieb.*

[b] *for. cis.* [c] *Visurgis.*

patrem ſuum occiderat, diligenter inquirere. Cumque puero iuſſa complenti reſponderetur à quodam, proximè illum adeſſe, quem quæreret, Venire rogate, inquit, eum huc quantocyus, quia ſecum ſermocinari ſenior appetit meus. Quo veniente, & vtrinq; alterius aduentu denunciato, mox præparatis equis ab vtroq; itur, & in medio amne occurrentibus atque colloquentibus, ait Gevvilieb Epiſcopus, Accipe iam ferrum, quo patrem vindico carum. Hæc igitur dicens, gladio mox perfodit illum, qui ſtatim corruens ex equo, in flumine exhalauit ſpiritum. Cumque ſui talia agnoſcerent, ab omnibus clamabatur, vtrinque conſertis cuneis ſummopere dimicabatur, ſuperatiſque Saxonibus, Karlomannus cum ſuis ad propria remeauit, nemine id quod factum eſt à Gevviliebe, in homicidij crimen imputante. Vnde & reuerſus ſolitos Epiſcopales ſibi vendicauit vſus. At ſanctus Præſul Bonifacius inter cætera correctionis colloquia, hæc pariter in conuentu ſynodali protulit, atteſtans nullum homicidij reatu pollutum debere Epiſcopali ſacerdotio fungi. Ad hæc etiam ei obiecit, proprijs oculis ſe perſpexiſſe, illum cum auibus, canibusque iocantem, quod Epiſcopo nullatenus liceret. Audiens autem hæc Gevvilieb, ſentienſque ſe nullo modo contra ſtimulum vel ſæcularis potentiæ, ſeu auctoritatis canonicæ, quæ mediante S. Bonifacio in omnes coràm poſitos deferebatur, calcitrare poſſe, iudicio conſentit communi, depoſitusque eſt ab ordine Epiſcopali. Quo depoſito ſtatim S. Bonifacius à ſupradictis Principibus, Karlomanno videlicet & Pipino, fratre eius, Eccleſiæ Mogontiacenſi præficitur, & vt eius dignitas eminentior foret, decreuerunt ijdē Principes, Eccleſiam Mogontiacenſem, quæ prius alteri ſubiecta erat, metropolim omnium in Germania poſitarum Eccleſiarum efficere, moxq; legatione facta, illud à Præſule Apoſtolico impetrauêre.

Gevvilieb interficit Saxonem.

S. Bonifacius primus Archiepiſcopus Mogũtinus fit.

TALI ergò authoritate ſuffultus S. Bonifacius cœpit vndiq; quaſi nouus Archimandrita, quæ diuina ſunt plantare, diabolica verò extirpare, cœnobia, Eccleſiasq; ædificare, paſtores cautiſſimos Eccleſijs eisdem præponere. Nam præter multos, quos antea conſtituit, Epiſcopos, in quibus erant venerabiles viri Willibaldus & Burchardus, quorum priorem in loco Eichſtat nuncupato Epiſcopum, alium verò in vrbe, quæ Wirzburg dicitur, Epiſcopum conſtituit, tunc verò Gregorium * Attrieth Epiſcopali ordine conſecratum direxit. Lullum etiam in Magontia ipſe adhuc viuens ſibi ſubrogauit Epiſcopum. Multa quidem & alia tunc ab eo geſta ſunt in Germania, quæ in Epiſtolis tantummodo inueniuntur ſcripta. Vnde libet inſerere Epiſtolas eaſdem, vel ab eo ad Zachariam Papam, qui per idem tempus ſedem Apoſtolicam gubernabat, vel ab eodem Zacharia ad illum, ſeu pro illo ad quoslibet Germaniæ Principes tranſmiſſas, quas vndecunque colligere poſſumus. Nam illas, quas ad gentis ſuæ populos, id eſt, Anglos tranſmiſit, prætermittere volumus, ne legentibus aliquod tædium conferre videamur, maximè cum nobis noſtra ſufficiant. Noſtra autem dico, quæ pro patribus noſtris, Germanis ſcilicet ſaluandis ſcripſit, vel ab vllo ſcripta recepit. In quibus nimirum Epiſtolis maximè poteſt agnoſci, quantam curam & diſciplinam, quantam paternitatem & pietatem habuerit circa omnes Eccleſiæ ſuæ filios, quos ipſe per Euangelium genuit, quodq; iuxta Apoſtolum, omnibus omnia factus ſit, vt omnes lucrifaceret. Vnde confidenter dico, quia quicunque filiorum eius, Germanorum videlicet, agnito tanti Patris labore, vel ex ſcriptis, vel vulgaribus dictis, non eum, quantacunq; præualet, veneratione amplectitur, in honore, quem parentibus exhibere jubemur, negligens inuenitur. Quod ſi negligentia peccatum eſt, & peccatum omne punitur, negligentia ergò ſimul punienda creditur. Ad hæc etiam ſi, iuxta Apoſtolum, patres carnis noſtræ habuimus eruditores, & reuerebamur, nonne multo magis obtemperabimus patri ſpirituum? Paternamque ſpiritalis non ſolum Deus omnipotens dicitur, ſed etiam omnes, quorum doctrina & exemplis ad agnitionem veritatis inſtruimur, ad ſtabilitatem religionis incitamur, ſicut & Abraham ob fidei, obedientiæque ſuæ meritum, cunctis imitandum, pater omnium dictus eſt Chriſto credentium. Haud aliter S. Præſul Bonifacius omnium Germaniæ incolarum dici poteſt, pro eo, quod illos verbo ſanctæ prædicationis primitus Chriſto genuit, exemplis confirmauit, poſtremo animam quoque ſuam pro ipſis poſuit, qua charitate nemo maiorem valet exhibere. Quæ cum ſit bonorum omnium origo & finis, nos quoque in hoc terminum ponamus libelli præſentis, quatenus ad tempus ceſſante labore legendi lector & auditor vires poſſit reparare.

Præclara eius ſtudia.

* Traiectũ.

1. Cor 9

Heb. 12.

Gen 17. Rom. 4.

Ioann. 15.

XXXIX.

IN priori quidem libello, prout ingenioli noſtri paruitas permiſit, vtque ſcriptorum antiquorum teſtificatio edocuit, de conuerſatione, & peregrinatione, nec non prædicatione ſancti Patris noſtri Bonifacij diximus; jam libet, vt, donante Deo, poſſum, in hoc libello ſequenti pandere, quantum poſt acceptum Mogontiacenſis Eccleſiæ præſulatum, pro ſancta Eccleſia laborauerit, contra hæreticos, vel falſos Chriſtianos certando, qualique exitu felicem paſſionis ſuæ palmam compleuerit. Sed illud ſuperius cum Epiſtolis tantummodo explanandum eſt; quia in his ſufficienter, & euidenter ſcriptum inuenitur, nec decet, vt prætermittentes ea, quæ ſatis prudenti aperta ratione prolata ſunt, alia quaſi meliora componamus; cum huius vitiam nec in ipſis ſæcularibus literis, ne dum in ſacris agi conueniat. His ergò prælibatis, nunc ad ipſas, quas promiſimus epiſtolas ſcribendas tranſeamus, ponentes inprimis illam, quam & primo ad Zachariam Papam direxit epiſtolam. Quæ licet ante ſynodum ſubſcriptam directa fuerit, tamen quia ad ſequentium Epiſtolarum relationem ex parte reſpicit, & ſub vnius Præſulis tempore hæc, omneſq;, quæ ſubſequentur, ſcriptæ ſunt, nos quoq; ſimul ſcribere decreuimus.

Lib. II.

DOMINO CHARISSIMO, SVMMI PONTIFICATVS INFVLA PRÆDITO, VIRO APOSTOLICO ZACHARIÆ, BONIFACIUS SERVUS SERVORUM DEI.

*poſtquam per n. r. audiuimus. En quantũ defert Romano Pontifici vir tantus.

CONFITEMVR domine pater, quia * per nuncios referentes, quòd venerandæ memoriæ Apoſtolatûs veſtri præceſſor Gregorius ergaſtulo corporeo abſolutus, ad Dominum migrauit, quòd maiorem lætitiam non audimus, & expanſis ad æthera palmis Deo gratias egimus, quòd clementem Paternitatem veſtram altiſſimus arbiter canonica iura regere, & Apoſtolicæ Sedis gubernacula tenere conceſſit. Ergo non aliter, quàm vt ante veſtigia veſtra geniculantes, intimis flagitamus precibus, vt ſicut præceſſorum veſtrorum, pro authoritate S. Petri, ſerui deuoti & ſubditi diſcipuli fuimus, ſic & veſtræ pietatis ſerui obedientes, ſubditi ſub iure canonico, fieri mereamur, optantes Catholicam fidem & vnitatem Romanæ Eccleſiæ ſeruare: & quantoſcunque audientes vel diſcipulos in iſta legatione mihi donauerit Deus, ad obedientiam Apoſtolicæ Sedis inuitare & inclinare non ceſſo. Neceſſe quoque habemus indicare Paternitati veſtræ, quia per Dei gratiam Germaniæ populis aliquantulùm perculſis vel correctis, tres ordinauimus Epiſcopos, & prouinciam in tres parochias diſcreuimus, & illa tria oppida ſiue vrbes, in quibus & ordinati ſunt, ſcriptis authoritatis veſtræ confirmari & ſtabiliri precantes deſideramus. Vnam eſſe ſedem Epiſcopatûs decreuimus in caſtello, quod dicitur VVirtzburg: & alteram in oppido, quod nominatur * Buriburg: tertiam in loco, qui dicitur Erphesfurt, qui fuit olim vrbs † paganorum. Hæc tria loca propria authoritate Apoſtolatûs veſtri roborari & confirmari diligenter poſtulamus, vt ſi Dominus voluerit, per authoritatem & præceptum S. Petri iuſſionibus Apoſtolicis fundatæ & ſtabilitæ ſint tres in Germania epiſcopales Sedes, & vt præſentes vel futuræ generationes non præſumant vel parochias corrumpere, vel violare præceptum Apoſtolicæ Sedis. Notum ſimiliter

I.

Epiſcopatus 3 a S. Bonifacio inſtituti.

*Buraburg

† ruſticorum.

militer sit P. V. quòd Carolomannus Dux Francorum me accersitum ad se rogauit, vt in parte regni Francorum, quæ in sua est potestate, faciam Synodum congregari, & promisit se de Ecclesiastica religione, quæ iam longo tempore, id est, non minùs, quàm per sexaginta vel septuaginta annos calcata & dissipata fuit, aliquid corrigere & emendare velle. Quapropter si hoc Deo inspirante veraciter implere voluerit, consilium & præceptum vestræ authoritatis habere debeo. Franci enim, vt seniores dicunt, plusquàm per tempus octoginta annorum Synodum non fecerunt, nec Archiepiscopum habuerunt, nec Ecclesiæ canonica iura alicubi fundabant vel renouabant. Modò autem maxima ex parte ciuitates & Episcopales sedes traditæ sunt laicis cupidis ad possidendum, vel clericis scortatoribus & publicanis sæculariter ad perfruendum. Nam si per verbum vestrum hoc negocium, Duce rogante supradicto, amouere & corrigere debeo, præceptum & iudicium Apostolicæ Sedis * cũ canonicis ecclesiasticis præstò habere cupio. Si inuenero inter illos Diacones, quos nominant, qui à pueritia sua semper in stupris, semper in adulterijs, & in omnibus semper spurcitijs vitam ducentes, sub tali testimonio venerunt ad Diaconatum, & modò in Diaconatu concubinas quatuor vel quinque vel plures noctù in lecto habentes, Euangelium tamen legere, & Diaconos se nominare nec erubescunt, nec metuunt: & sic in talibus incestis ad ordinem Presbyteratûs venientes, in ijsdem peccatis perdurant: & peccata peccatis adijcientes, dicunt se pro populo posse intercedere, & sacras oblationes offerre. Nouissimè, quod peius est, sub talibus testimonijs per gradus singulos ascendentes, ordinantur & nominantur Episcopi: si, inquam tales inuenero inter illos, rogo vt habeam præceptum conscriptum authoritatis vestræ, quid de talibus definiatis, & per responsum Apostolicum conuincantur & arguantur peccatores. Inueniuntur etiam quidam inter eos Episcopi, qui licèt se fornicarios & adulteros dicant non esse, sunt tamen ebriosi, vel venatores, & pugnant in exercitu armati, & effundunt propria manu sanguinem hominum, siue paganorum, siue Christianorum. Et quia seruus & legatus Apostolicæ Sedis esse dinoscor, vnum sit verbum & meum hîc, & vestrum ibi, si contingat, vt ad iudicium authoritatis vestræ pariter missos dirigamus.

Nota Ducis petitionem.

Vir sanctus ad reformandos Francorum mores Pontificis Rom. voluntatem expectat & expetit

* *canonibus*

Prætereà de vna re necesse habeo & consilium quærere, & licentiam petere, eô quòd venerandæ memoriæ præcessor vester, sicut audîstis, in præsentia vestra mihi præcepit, vt presbyterum ante obitum meum, Deo volente, in Ecclesiastico ministerio hæredem & successorem constituere deberem. Et hoc mihi, si Dei voluntas est, placet. Sed modò dubito, & nescio si fieri possit: quia posteà frater illius auunculum Ducis Francorum occidit, & adhuc ignoramus, qualiter ista discordia pacificari & finiri valeat. Sed obsecro, vt authoritatis vestræ licentia sit, cum consilio seruorum Dei de ista electione facere, quod nobis in commune pro Ecclesiæ vtilitate, vel fructu spirituali & defensione religionis optimum esse videatur: vt consensum vestrum habeam de hoc facere, quod optimum mihi inspirare dignetur Deus: quia hoc non videtur posse fieri, si contrarius Princeps fuerit.

Obserua sancti viri erga Rom. Pontificem reuerentiam.

Prætereà quærere & interrogare paternitatis vestræ consilium debeo de quadam confusione, quæ nuper ad nos veniens, mentem nostram conturbauit, & sacerdotibus ecclesiarum verecundiam incutiebat. Nam laicus quidam magnæ personæ ad nos veniens, dicebat sibi ab Apostolicæ Sedis Pontifice sanctæ memoriæ Gregorio datam fuisse licentiam, vt in matrimonium acciperet viduam auunculi sui, quæ & ipsa fuit vxor consobrini sui, & ipsa illo viuente discessit ab eo, & isti viro, qui nunc eam accipere desiderans, affirmat sibi licentiam datam in * tertia generatione propinqua esse dignoscitur. Hæc etiam votum castitatis Deo vouens, velata fuit, & iterùm, abiecto velamine, maritata. Tale enim matrimonium supradictus homo sibi ab Apostolica Sede affirmat esse concessum, quod non æstimamus verum: quia Synodus & Ecclesia, in qua natus & nutritus fui, id est, in transmarina Saxonia, Lundonensis Synodus, quæ in primis à discipulis S. Gregorij, id est, Augustino, Laurentio, Iusto, Melito Archiepiscopo constituta & ordinata fuit, talem copulam & matrimonium, maximum scelus & horribile flagitium ex authoritate sanctæ scripturæ iudicabant. Quapropter Paternitas vestra huius rei veritatem nobis indicare non dedignetur, vt Ecclesiæ sacerdotibus vel populo Christiano inde scandala & schismata non oriantur: quia carnales homines & idiotæ Alemanni, vel Boioarij, vel Franci, si iuxta Romanam vrbem aliquid fieri viderint ex his peccatis, quæ nos prohibemus, licitum esse putant, & nobis improperium deputant, sibi verò scandalum vitæ accipiunt: sicut affirmant se vidisse annis præteritis in Romana vrbe, & iuxta Ecclesiam S. Petri in die vel nocte, quando Calendæ Ianuarij intrant, paganorum consuetudine choros ducere plateas, & acclamationes & * cantiones sacrilegas facere, & nullum de domo sua vel ignem, vel ferramentum, vel aliquid commodi vicino suo præstare velle. Dicunt quoque, se vidisse ibi mulieres, pagano ritu phylacteria & ligaturas in brachijs & cruribus ligatas habere, & publicè ad vendendum venales alijs offerre. Quæ omnia eô, quòd ibi à carnalibus & insipientibus videntur, hîc improperium & impedimentum prædicationis & doctrinæ efficiunt. De talibus ait Apostolus. Dies obseruatis & tempora: timeo, ne sine causa laborauerim in vobis. Et Sanctus Augustinus dixit: Qui diuinationibus, & aruspicijs, & phylacterijs, vel quibuslibet augurijs credidit, etsi ieiunet & oret, etsi iugiter ad Ecclesiam currat, etsi largas eleemosynas faciat, etsi corpusculum suum in omni afflictione cruciauerit, nihil ei proderit, quandiù sacrilegia illa non reliquerit. Nam si istas paganias ibi paternitas vestra in Romana vrbe prohibuerit, & sibi mercedem, & nobis maximum profectum in doctrina Ecclesiastica acquiret. Episcopi quoque & presbyteri * generis Francorum, qui fuerunt adulteri vel fornicatores acerrimi, quos in gradu Episcopatûs vel presbyterij fornicationum nati filij arguunt, redeuntes ab Apostolica sede, dicunt sibi Romanum Pontificem licentiam dedisse, ministerium Episcopale in Ecclesia vsurpare. Contra quos contendimùs, quia Apostolicam Sedem contra decreta Canonum nequaquàm audiuimus iudicâsse. Hæc omnia domine charissime propterea vobis nota fecimus, vt vestræ authoritatis responsum talibus dare possimus, vt per cautelam vestræ doctrinæ oues Ecclesiæ non seducantur, sed lupi rapaces conuicti & superati pereant. Interea munuscula parua vobis direximus, non quia digna sint paternitate vestra, sed pro indicio charitatis, obedientiæ, & deuotionis, id est, villosam vnam, & argenti & auri tantillum. Dextera Domini protegente, incolumem valere & in Christo proficere beatitudinem vestram in longitudine dierum optamus.

* *tertio genericulo.*

Angliam dicit.

* *incantationes.*

Galat 4.

Ser de Tempore 241.

* *gentis.*

Testimonium sancti viri de Sede Apostolica.

Te Deus altithronus sancta conseruet in æde,
Sedis Apostolicæ rectorem tempore longo
Melliflua gratum populis doctrina per orbem,
Perficiatque Deo dignum pia gratia Christi.
Splendida percipiat florens sua gaudia mater,
Atque Domus Domini lætetur prole * fœcunda.

* *secunda.*

REVEREN-

REVERENTISSIMO ET SANCTISSIMO FRATRI BONIFACIO EPISCOPO, ZACHARIAS seruus seruorum Dei.

SVSCEPTIS sanctissimæ fraternitatis tuæ literis per Denehardum presbyterum tuum, quia te sospitem, vt semper cupimus, esse cognouimus, omnipotenti ac misericordissimo Deo nostro magnas retulimus grates, qui tibi in omnibus bonis prosperari dignatur. Magnam enim cordibus nostris infundis lætitiam, quoties nobis sanctitatis tuæ scripta mittuntur, quando reperimus, quæ ad salutem respiciant animarum, cùm quotidiè in gremio sanctæ matris Ecclesiæ per tuam prædicationem noui populi adduntur, vbi & tres Episcopos per loca singula secundùm seriem syllabarum tuarum te ordinâsse cognouimus, qui eidem populo, quem sibi Dominus Deus noster per tuam sanctitatem aggregare dignatus est, præesse debeant: & petîsti, vt per authoritatem nostræ Sedis Episcopales ibidem sedes firmentur. Sed tua sancta fraternitas pertractet maturè, & subtili consideratione discernat, si expedit, aut si loca aut populorum turbæ talia esse probantur, vt Episcopos habere mereantur. Meminisse enim debes, charissimè, quòd sacris Canonibus præcipimur obseruare, vt minimè in villulas, vel in modicas ciuitates Episcopos ordinemus, ne vilescat nomen Episcopi. Sed nos tuis synceris simis atque dilectis syllabis prouocati, quæ poposcisti, absque mora concedimus, & statuimus per Apostolicam authoritatem episcopales esse illic sedes, & per successionem Episcopos teneri, qui populis præsint, atque verbum prædicationis subiectis insinuent: vnam quidem in castello, a Wirtzburg: & alteram in oppido, quod nominatur b Buriburg: tertiam verò in loco, qui dicitur c Erphesfort: ita vt nulli post hæc liceat ea, quæ à nobis sancita sunt, violare, & authoritate B. Petri Apostoli firma esse decreuimus. II.

Dist. 8 per totum Confirmantur à Papa Episcopatus à S. Bonifacio instituti.

a *Virtziburg.*
b *Buraburg*
c *Erpesfurt.*

DE eo autem, quod nobis intimâsti, quia te Carolomannus filius noster rogauit, vt in parte Francorum, in sua ditione constituta, Synodum celebrares, eò quòd omnis Ecclesiastica regula seu disciplina, ab eadem prouincia funditùs abolita est, nimis mœrendum est, quòd per spatia tanta temporum ibidem Synodus sacerdotum minimè celebraretur. Vnde neque quid sit sacerdotium ab eis, qui se sacerdotes esse existimant, cognoscitur. Sed dum, iuuante Deo, quæ à præfato filio nostro promissa sunt, ad effectum perducta fuerint, tuaque fraternitas memorato Concilio consederit cum eodem excellentissimo viro, si quos reperierit episcopos, presbyteros aut diaconos contra Canones vel statuta patrum excessisse, id est, in adulterio, vel si plures vxores habuerunt, aut si sanguinem Christianorum siue paganorum effuderunt, vel etiam alijs capitalibus vitijs, quibus Canones obuiâsse reperit tua sanctitas, nulla ratione Apostolica authoritate permittat sacerdotio fungi: quia tales à suo tantùm ore falsò nominantur sacerdotes, & deteriores sæcularibus esse noscuntur, qui se neque à fornicationibus, neque à nefarijs matrimonijs abstinent, neque ab humani sanguinis effusione manus seruant innoxias. Aut quid inde sentiunt, dicente Domino: Sacerdotes mei semel nubant? & Apostolus, Vnius vxoris virum, &c. Et hoc ante susceptum sacerdotium vti licitum est. Nam à die susceptî sacerdotij etiam ab ipso proprio coniugio prohibendi sunt. Quomodò se sacerdotio fungi considerant, qui talibus sceleribus inuoluti monstrantur, vt neque sæculares fideles his facinoribus obuolutos optemus? Quomodò non pertimescunt diuina mysteria contingere, aut quomodò ad orandum pro peccatis populi accedere præsumunt, dum sacri Canones neque * purum clericum, cui sacerdotium non est, secundis copulari nuptijs permittunt? Isti verò econtrariò non solum post susceptum sacerdotium se abstinere nolunt ab vna vxore, immò luxuriæ dediti, peiora sæcularibus scelera committunt, vt plures vxores habere præsumant, quibus neque vnam concessum est post susceptum ministerium attrectare. Sed & ista parui pendentes, atq; Dominum ad iracundiam prouocantes, maiora committunt facinora, dum proprijs manibus Christianos atque paganos necant, & fit, vt qui in remissionem peccatorum debuerunt lauacrum regenerationis impendere, & Christi sacramenta donare alijs, ne in æternum perirent, eorundem sacrilegis manibus extinguantur. Quis enim sapiens eos æstimet sacerdotes, qui neque à fornicationibus abstinent, neque ab effusione humani sanguinis manus seruant innoxias? Quisue eorum sacrificijs Dominum esse credit placatum, dicente Propheta: Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus? Istos ergo, vt præmisi, nec sacerdotio fungi patiaris, neque Diuinâ contingere mysteria. Quicquid verò aliud eos contra Ecclesiasticam regulam excessisse repereris, Canones siue instituta patrum præ manibus habeto, & sicut in eis edoctus fueris, discerne.

A sacerdotio qui sint arcendi.

Leu 21. 1. *Tim* 3. Sacerdotibus non licet habere vxores.

**puerum.*

Psalm 5.

Quòd autem tibi successorem constituere petîsti, vt te viuente in tuo loco eligatur Episcopus, hoc nulla ratione concedi patimur, quia contrà omnem Ecclesiasticam regulam esse monstratur: sed volumus, vt tibi ministret, & sit in Euangelio Christi adiutor, dicente Apostolo: Si quis benè ministrauerit, gradum sibi bonum acquiret. Nimis enim reprehensibile ac detestabile esse manifestum est, vt te viuente, tibi alium substituamus. Sed hoc admonemus, vt quandiù te diuina iusserit clementia superesse, sine intermissione orare studeas, vt tibi Deus illum successorem concedat, qui ei possit esse placabilis, & populum, quem ad suam gratiam per tuæ sanctitatis industriam vocare voluit, irreprehensibiliter regere, atque ad viam vitæ perducere valeat. Nam quomodò hæc, quæ poposcisti, si etiam voluerimus, concedere possumus, dum nos fragiles homines, sub conditione mortis constituti, ignoremus quid superuentura pariat dies, & quis è nobis prior de præsenti sæculo migret? Si autem eundem diuina voluerit clementia post tui transitûs diem superesse, si eum aptum agnoueris, & in tua voluntate fuerit definitum, ea hora, qua te de præsenti sæculo migraturum cognoueris, præsentibus cunctis tibi successorem designa, vt huc veniat ordinandus: quod nulli alij concedi patimur, * (quòd tibi charitate cogente largiri censuimus.

7 q. 1 Deo autem Vel: Petisti, vt cum *1. Tim.* 3.

7 q. 1 Petisti vt cum nostro.

**inclusa () absunt.*

De illo verò, qui viduam auunculi sui, quæ & ipsa fuit vxor consobrini sui, & sacrum velamen habere monstrata est, & à beatæ memoriæ præcessore nostro sibi licentiam esse concessam diuulgauit, vt in pernicio sum matrimonium assumere debuisset: absit hoc, vt decessor noster ista præciperet. Nec enim ab hac Apostolica sede illa permittuntur, quæ contraria esse patrum siue Canonum institutis probantur. Admonere & increpare eos, frater charissime, ne cesses, quatenùs à tam sceleste recedant matrimonio, ne in æternum pereant. Reminiscantur ergo se Christi sanguine esse redemptos, & non sponte se contradant diabolicæ potestati: sed magis omnipotenti Deo & Christo filio eius spirituique sancto, in cuius nomine ab illius antiqui hostis erepti sunt potestate. Labora igitur sanctissime frater in eis, qui scriptum cognoscis: Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & suorum operit multitudinem peccatorum. Nos quoque ei pro hoc commonitoria scripta direximus.

Videmendacium, de Rom. Pontifice confictum *Iacob* 5.

De Calendis verò Ianuarij vel cæteris augurijs, phylacterijs & incantationibus, vel alijs diuersis obseruationibus, quæ gentili more obseruari dixisti apud B. Petrum Apostolum, vel in vrbe Roma: hæc & nobis & omnibus Christianis detestabilia & pernicio sa esse iudicamus, dicente Domino: Non augurabimini. * Et iterùm scriptura dicit: Non sint auguria in Israël, nec obseruatio in domo Iacob. Igitur & à nobis cauendum esse censemus, vt nullis augurijs vel obseruationibus attendamus: quia omnia hæc abscissa esse à patribus edocti sumus. Sed quia per instigationem diaboli iterùm pullulabant, à die, qua nos iussit diuina clementia, quanquàm immeriti existamus, Apostoli vicem gerere, ilicò omnia hæc amputauimus. Pari etenim modo volumus tuam sanctitatem populis sibi subie-

**N.a. vel certe non obseruabitis somnia. Leuit.* 19. *Num* 23.

subjectis prædicare. Nam & sanctæ recordationis prædecessoris atque nutritoris nostri domini Gregorij Papæ constitutione, omnia hæc piè atque fideliter amputata sunt, & alia [a] quamplura, quæ diabolo suggerente pullulabant in Christi ouili, ([b] cuius instar, populi salute dirigere maturauimus.)

[a] *a. diuersa quamp.*

De sacerdotibus verò falsis, qui falsa opinantur, qui etiam adulteri & fornicatores esse probantur, & sibi ab Apostolica sede indultum esse testantur, ([c] & econtrario sibi licentiam prædicationis largitam esse) hoc nulla ratione credat sancta fraternitas tua: sed similiter in eis canonicam exerce vindictam, quemadmodum de his, quibus superiùs à nobis edoctus monstraris. Non enim aliud te agere volumus, præter quod sacri præcipiunt Canones, vel eriam ab hac Apostolica sede instructus esse dignosceris. Tuæ quoque sanctitatis petitionem impleuimus, mittentes tribus Episcopis tuis singulas confirmationis epistolas, quas per sanctitatis tuæ manus eis largiri volumus, & Carlomanno filio nostro, alia scripta direximus, vt adminiculà, quibus indiges, adimplere festinet. Iam, frater charissime, de omnibus superiùs comprehensis capitulis, vt Dominus donauit, respondimus, ad amputanda omnia diabolicæ fraudis scandala: tua verò sancta fraternitas, si quid de cætero euenerit, vt sacri docent Canones, studeat emendare in plebibus sibi à Deo commissis. Non enim aliud nobis conuenit prædicare, præter quod à sanctis patribus sumus edocti. Si verò noui aliquid, inimici astutia agente, acciderit, quod tua sancta fraternitas minimè per Canonum instituta discernere possit, hoc nobis non pigeat insinuare: quatenùs, Deo iuuante, quæque ad emendationem nouæ plebis esse possunt, tibi absque tarditate respondere curemus. Cognoscat ergo tua sancta fraternitas ita dilectionem tuam haberi in nostris præcordijs, vt te præsentialiter quotidiè videre desideremus, & ita te in nostro consortio habere, vt ministrum Dei, & dispensatorem Ecclesiarum Christi. Confortare itaque in Domino, frater charissime, & esto robustus, & labora in opere, ad quod te diuina voluit clementia vocare. Magna etenim spes remunerationis expectat, quam promisit Deus diligentibus se. Et nos, licèt peccatores existimamus, tamen Dei nostri immensam clementiam non cessamus exorare, vt qui cœpit in vobis, perficiat opus bonum vsque in finem, & B. Petrus Apostolorum princeps cooperetur tibi in omnibus bonis, qui ei parére desideras. Deus te incolumem custodiat, sanctissime frater. Data Calend. Aprilis, imperante domino pijssimo Augusto Constantino, anno 24. Imperij eius, Indictione 11.

[b] *incluſa () abſunt.*

[c] *incluſa () abſunt.*

Episcopi confirmati à Papa.

Pontificis erga S. Bonifacium amor.

Addit ex Romana editione Baronius anno 742. Imperij eius secundo, 24. nimirum quo cum patre imperare cœpit, & secundo quo solus imperauit, monetq; deo legendum esse indictione 10.

REVERENTISSIMO ET SANCTISSIMO FRATRI BONIFACIO COEPISCOPO, *Zacharias seruus seruorum Dei.*

Has litteras dedit Zacharias Papa ad Bonifacium anno 744. cum inter Bonifacium & Virgilium Sidoniumq; orta esset controuersia de rebaptizandis illis, quos minister forma solita, sed vitiata Latinitate baptizasset: & illi, potius quam cum eo disputarent, modestiæ consulentes, Romam scripsissent, vt per Pontificem moneretur.

III. VIRGILIVS & [a] Sidonius religiosi viri, apud Baioariorum prouinciam degentes, suis nos literis visitantes, intimârunt quòd tua reuerenda fraternitas eis iniungeret Christianos denuò baptizare. Quod audientes, nimis conturbati sumus, & in admirationem magnam incidimus, si habetur, vt dictum est. Retulerunt quippe, quòd fuerit in eadem prouincia sacerdos qui Latinam linguam penitùs ignorabat, & dum baptizaret, nesciens, Latini eloquij [b] linguam, diceret: Baptizo te in nomine patria & filia & [c] Spiritussancti: ac per hoc tua reuerenda fraternitas iusserit rebaptizare. Sed sanctissime frater, si ille, qui baptizauit, non errorem introducens aut hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, vt præfati sumus, baptizans dixerat, non possumus consentire, vt ab eo baptizati denuò baptizentur: quia, sicut tua benè nouit sancta fraternitas, quicunque baptizatus fuerit ab hæreticis in nomine Patris & Filij & Spiritussancti, nullo modo rebaptizari debet, sed per solam manûs impositionem purgandus est. Si ergo ita est, vt nobis relatum est, nolo amplius à te illis prædicetur huiusmodi doctrina: sed vt sancti patres docent & prædicant, tua sanctitas studeat conseruare. Deus te incolumem custodiat reuerentissime frater. [d] *Data Kalendis Iulijs, Imperante Domino pijssimo Augusto Constantino, à Deo coronato, magno Imperatore anno vicesimo sexto, Imperij eius anno quarto, Indictione* [e] *duodecima.*

[a] *Sedonius*

[b] *infringens*

[c] *Spiritus sancta:* Ab hæreticis collatũ baptisma, non iterandum.

[d] *Desunt quæ sequuntur.*

[e] *quarta decima.*

ROMANA SYNODVS SVB ZACHARIA PONTIFICE.

Hæc Synodus celebrata est anno 745. postquam Aldebertus & Clemens hæretici condemnati sunt in Synodo Germanica à Bonifacio celebrata, eiusq; Synodi acta per Deneardum presbyterum ad Zachariam Papam misit S. Bonifacius, vt & ab Apostolica sede ijdem hæretici sententiam damnationis acciperent.

IV. IN nomine Domini nosti Iesu Christi, imperante domino pijssimo Augusto Constantino Imperatore, anno 26. imperij eius, (* post consulatũ eius anno † quinto) mense Octob. die 25. Indictione 14. præsidente sanctissimo Domino Zacharia Papa in patriarchio Lateranense, in basilica, quæ appellatur Theodori: considentibus, etiam cum eo sanctis Episcopis Epiphanio Sylua candida, Benedicto Nomento, Venantio Præneste, Gregorio Portuense, Niceta Gabijs, Theodoro [a] Ostiense, Gratioso [b] Velitras: seu venerabilibus Presbyteris, id est, Iohanne Archipresbytero, [c] Gregorio, [d] Stephano, [e] item Stephano, [f] Dominico, [g] Theodoro, [h] Anastasio, [i] Georgio, [k] Sergio, [l] Iordane, [m] Leone: [n] Item Leone [o] Gregorio, [p] Stephano, [q] Eustachio, [r] Procopio [s] atque Theophanio, [t] propositis in medio sacrosanctis Euangelijs, adstantibus quoque Diaconibus, cunctoque Clero, Gregorius [u] Regionarius & nomenculator dixit: Denardus religiosus presbyter, legatus Bonifacij sanctissimi Archiepiscopi prouinciæ Germaniæ directus ad vestrum sanctum Apostolatum, præ velo est, & petit ingredi: quid præcipitis? Dictum est: ingrediatur. Cumq; ingressus fuisset, Zacharias sanctus Papa dixit: Ante hos dies literas reuerentissimi fratris nostri Bonifacij Archiepiscopi nobis detulisti, per quas nobis, quæ opportuna ei visa fuerant, indicauit. Quid ergo denuò nostris secretarijs te ingredi postulâsti? Denardus religiosus presbyter dixit: Domine mi, dum iuxta vestri Apostolatûs præceptum dominus meus Bonifacius Episcopus, famulus pietatis vestræ, in prouincia Francorum Synodum aggregaret, & reperisset illic falsos sacerdotes, hæreticos & schismaticos, id est, [y] Aldebertum & Clementem, sacerdotio, priuans, vnà cum principibus Francorum, retrudi fecit in custodiam. Illi autem non in pœnitentia degunt, vt iudicatum est: sed econtrariò adhuc populum seducunt. Pro quo & hanc epistolam præfati domini mei, quam manibus gero, vestro sancto Apostolatui missus offero, vt eam coram sancto concilio legi faciatis. Dictum est: Suscipiatur epistola, & coram nostra præsentia relegatur. Et accipiens Theophanius notarius regionarius & sacellarius, relegit in his sermonibus.

EXCEL-

[*] *incluſa () abſunt.*

[†] *ſexto.*

[a] *Ortenſi.*

[b] *Villitrias.*

[c] *tit. S. Suſannæ.*

[d] *presbytero tit. S. Clementis.*

[e] *presbytero tit. S. Marci.*

[f] *presbytero tit. S. Euſebij.*

[g] *presbytero tit. S. Priſcæ*

[h] *presbytero tit. S. Laurentij.*

[i] *presbytero tit. S. Mariæ.* [k] *presbytero tit. SS. Ioannis & Pauli.* [l] *presbytero tit. S. Pudentianæ.* [m] *presbytero tit. S. Sabinæ.* [n] *presbytero tit. S. Anastasiæ.* [o] *presbytero tit. S. Damasi.* [p] *presbytero tit. S. Balbinæ.* [q] *presbytero tit. S. Chrysogoni.* [r] *presbytero tit. ...* [s] *presbytero tit. S. Cyriaci.* [t] *presbytero tit. SS. Coronatorum.* [u] *Notarius R.* [y] *Eldebertum.*

EXCELLENTISSIMO, PATRI ATQVE APOSTOLICO PONTIFICI ZACHARIÆ *Papæ, Bonifacius ſeruus ſeruorum Dei, optabilem in Chriſto Charitatis ſalutem.*

POSTQVAM me antè annos propè triginta ſub familiaritate & ſeruitio Apoſtolicæ ſedis, annuente & iubente venerandæ memoriæ Antiſtite Apoſtolico Gregorio, anteriore voto conſtrinxi, quicquid mihi lætitiæ vel triſtitiæ acciderat, Apoſtolico Pontifici ſolebam indicare, vt in lætis ſimul laudaremus Dominum, & in triſtibus eius cõſilio roborarer. Ita & nunc mihi liceat vobis indicare, precor, ſicut ſcriptum eſt: Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: ſeniores tuos, & dicent tibi. Notum enim ſit paternitati veſtræ, quia poſtquàm indigno mihi mandâſtis in prouincia Francorum, ſicut & ipſi rogârunt, ſacerdotali Concilio & Synodali conuentui præeſſe, multas iniurias & perſecutiones paſſus ſum à falſis ſacerdotibus, & adulteris presbyteris, ſeu diaconibus, & fornicarijs clericis. Maximus tamen mihi labor eſt contra duos hæreticos peſſimos, & blaſphemos contra Deum & contra Catholicam fidem. Vnus, qui dicitur Aldebertus, natione Gallus eſt: alter, qui dicitur Clemens, genere Scotus eſt: ſpecie quidem erroris diuerſi, ſed pondere peccatorum compares. Contra iſtos obſecro authoritatem veſtram, vt me defendere & adiuuare, & populum Francorum & Gallorum per ſcripta veſtra corrigere ſtudeatis, ne hæreticorum fabulas & vana prodigia ac ſigna præcurſoris Antichriſti ſectentur: ſed ad Canonica iura & ad viam veræ doctrinæ conuertantur, & vt per verbum veſtrum iſti duo hæretici mittantur in carcerem, [a] nullusque cum eis communionem habeat, ne fortè fermento doctrinæ illorum fermentatus aliquis pereat, ſed ſegregati viuant, & iuxta dictum Apoſtoli, traditi ſatanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini. Et ſi Eccleſiam non audierint, ſint nobis, iuxta Euangelicum præceptum, ſicut ethnici & publicani. [b] Propter iſtos enim perſecutiones & inimicitias & maledictiones multorum patior, & Eccleſia Chriſti impedimentum fidei & doctrinæ rectæ ſuſtinet. Dicunt enim de Aldeberto, quòd eis ſanctiſſimum Apoſtolum abſtulerim, patronum & oratorem, virtutumque factorem, & ſignorum oſtenſorem abſtraxerim. Sed pietas veſtra audiens vitam eius, iudicet ex fructu, vtrùm veſtimentis ouium indutus, intus lupus rapax fuerit, an non. In * primæua igitur ætate hypocrita fuit, dicens quòd ſibi Angelus * Domini in ſpecie hominis de extremis finibus mundi miræ, & tamen incertæ ſanctitatis reliquias attulerit, & exinde potuerit omnia, quæcunque popoſcerit, à Deo impetrare. Hac ergo ſimulatione, ſicut Apoſtolus Paulus prædixit, penetrauit multorum domos, & captiuas duxit poſt ſe mulierculas oneratas peccatis, quæ ducebantur varijs deſiderijs, & multitudinem ruſticorum, dicentium quòd ipſe eſſet vir Apoſtolicæ ſanctitatis. Præterea conduxit Epiſcopos indoctos, qui ſe contra præcepta Canonum abſolutè ordinauerunt. Vnde in tantam ſuperbiam elatus eſt, vt ſe æquiparet Apoſtolis Chriſti, & dedignatus in alicuius Apoſtolorum vel martyrum honore eccleſiam conſecrare, ([c] in proprio honore dedicaret oratoria, vel, vt verius dicam ſordidaret.) Adhæc etiam improperans: cur voluiſſent homines viſitare limina ſanctorum Apoſtolorum, fecit eis cruciculas & oratoriola in campis, & ad fontes, vel vbicunque ſibi videbatur, & iuſſit ibi publicas orationes celebrari, intantùm vt multitudines populorum, ſpretis cæteris Epiſcopis, & dimiſſis antiquis eccleſijs, in talibus locis conuentus agerent, dicentes: Merita ſancti Adalberti adiuuabant nos. Vngulas quoque ſuas & capillos dedit ad honorificandum & portandum cum reliquijs ſancti Petri Apoſtolorum principis. Tantis itaque flagitijs inuolutus, præſumpſit quoddam, quod maximum ſcelus & blaſphemia contra Dominum eſſe videtur. Venienti † enim populo & proſtrato ante pedes eius, & cupienti confiteri peccata ſua, dixit: Scio omnia peccata veſtra, quia mihi cognita ſunt occulta veſtra: ideoque non eſt opùs confiteri ea. Securi ergo & abſoluti de peccatis veſtris præteritis, reuertimini ad domos veſtras cum pace. Hæc igitur atque his ſimilia, quæ ſanctum Euangelium hypocritas facturos eſſe teſtatur, idem Aldebertus ſuo habitu & inceſſu moribusque ſolet operari.

Deut 32.

Aldebertus & Clemens hæretici.

[a] *c. ſi vobis iuſtum eſſe videatur, cũ vitam & doctrinam illorum vobis intimatero, & nullus cum eis loquatur vel c. h.*

* Aldeberti hæretici hiſtoria breuis.

[b] *p. donec diſcant non blaſphemare, nec ſcindere tunicã Chriſti.*

[c] *incluſa ( ) abſunt.*

† Nota de confeſſione peccatorum.

1. Cor 5. Mat 18.

2. Tim 3.

Alter autem hæreticus, qui dicitur Clemens, contra Catholicam contendit Eccleſiam, abnegans ſcilicet & refutans Canones ſacros, tractatus & expoſitiones ſanctorum Patrum, Hieronymi, Auguſtini, & Gregorij. Synodalia etiam iura ſpernens, affirmat ſe poſt duos filios, ſibi in adulterio natos, eſſe poſſe legis Chriſtianæ Epiſcopum. Præterea Iudaiſmum introducens, iuſtum iudicat eſſe Chriſtiano, vt, ſi voluerit, viduam fratris defuncti accipiat vxorem. Ipſe etiam contra fidem ſanctorum patrum contendit dicens quòd Chriſtus filius Dei deſcendens ad inferos, omnes quos inferni carcer detinuit, inde liberâſſet, credulos videlicet & incredulos, necnon cultores idolorum. Multa quoque alia horribilia & contraria fidei Catholicæ, de prædeſtinatione Dei affirmat. Quapropter precor, vt literas veſtras de hoc hæretico mandare curetis Duci Carlomanno, vt mittatur in cuſtodiam, ne ſemina ſatanę latiùs ſeminans, vna ouis morbida totum gregem polluat. Valere ſanctitatem veſtram & proſperis profectibus gaudere in longitudine dierum, optamus.

Clementis hæretici hiſtoria ſuccincta.

Cumque lecta eſſet epiſtola, Zacharias Papa dixit: Audîſtis chariſſimi fratres, quid in iſta epiſtola lectum ſit * ex ſacrilegis illis, qui ſe ad ſuam condemnationem Apoſtolos nominare præſumpſerunt? Sancti Epiſcopi & venerabiles Presbyteri reſpondetunt: Audiuimus certè per omnia non Apoſtolos, ſed miniſtros ſatanæ & præcurſores Antichriſti. Quis enim aliquando Apoſtolorum vel quilibet ſanctorum ex capillis ſuis aut vngulis pro [d] ſanctitate populis tribuit, vt iſte pernicioſus agere conatus eſt Aldebertus? Sed hoc ſcelus à veſtro ſancto Apoſtolatu reſecandum eſt, tam de illo, quàm etiam de tranſgreſſore Clemente, qui ſacros Canones ſpernit, atque expoſitiones ſanctorum patrum, Ambroſij, Auguſtini, cæterorumque reſpuit. Ambo itaque iuſtam dignamque tranſgreſſionibus ſuis ſuſcipiant ſententiam. Zacharias ſanctus Papa dixit. Quia iam tardior hora eſt, venturo ſecretario de conſcripta vita & oratione, quam ſibi exponit Aldebertus, vel de cæteris eius geſtis, cùm nobis lecta fuerint, communi conſenſu, mediante Deo, quid fieri debeat, pertractemus. [e] Cumque in eodem die ſanctus Zacharias Papa cæterique Epiſcopi, necnon Presbyteri ſupradicti, alijque clerici conueniſſent in prænominatam baſilicam, Gregorius notarius regionarius & nomenculator dixit: Iuxta veſtri ſancti Apoſtolatûs præceptum, quod in præterito ſecretario iuſſiſtis, Deneardus religioſus presbyter adeſt præ velo: quid præcipitis? Dictum eſt: Ingrediatur. Cumque ingreſſus eſſet, Zacharias ſanctus Papa dixit: Actus illius nefandiſſimi Aldeberti, ſiue cætera eius ſcripta, quæ præterito ſecretario in manibus gerebas, coram præſenti concilio porrige legenda. Et accipiens Theophanius notarius regionarius & ſacellarius, legit * vitam illius, cuius initium eſt: In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, incipit vita [f] ſancti & beati Aldeberti Epiſcopi, ex electione Dei nati. De ſimplicibus parentibus fuit procreatus, & de gratia Dei coronatus: quia dum in vtero matris ſuæ eſſet, ibidem gratia Dei cœpit ([g] in eo retineri,) & antequam perueniſſet beatiſſima natiuitas eius, vidit genitrix eius per viſionem quaſi egredientem vitulum de dextero latere ſuo. Qui nimirùm vitulus deſignabat illam gratiam, quam acceperat ab angelo, antequam exiret de vulua.

for. de

[d] *ſanctuali-*

[e] *Al. repetitur hic principium Synodi, vsq; Gregorius notarius r. & n. dixit.*

* Vita hæretici Aldeberti ab impoſtore quodam conſcripta.

[f] *vita in ſanctum & beatum Dei famulum præclarum atque totum ſpecioſum ex electione Dei natum, ſanctum Aldebertum Epiſcopum. D.*

umque

[g] *incluſa ( ) abſunt.*

CVMQVE hic libellus vsque ad finem lectus fuisset, Zacharias sanctus Papa dixit: Quid ad hanc blasphemiam respondetis sanctissimi fratres? Epiphanius Episcopus Ecclesiæ sanctæ Syluæ candidæ, dixit: Domine Apostolice, ex diuina profecto inspiratione motum est cor vestri sancti Apostolatus, vt prædictum Bonifacium sanctissimum Episcopum & Francorum principes commoneretis, in partibus illis post longa tempora concilium congregare sacerdotum, ne hæc schismata & blasphemiæ sancto vestro Apostolatui celarentur. Zacharias sanctus Papa dixit: Si quid adhuc habet Deneardus religiosus presbyter nobis porrigere legendum, porrigat. Deneardus presbyter respondit: Ecce domine epistola, qua vtebatur Aldebertus, & quam diuulgabat esse Iesu, sibique de cœlo venisse. Et accipiens Theophanius notarius, legit. Cuius initium tale erat: In nomine Domini incipit epistola Domini nostri Iesu Christi filij Dei, quæ in Hierosolymam cecidit, & per Michaelem Archangelum inuenta est in porta Ephraim, & per manus sacerdotis nomine Icoræ, ipsa epistola fuit exemplata. Et transmisit ipse eandem epistolam ad [a] Germaniam ciuitatem alio sacerdoti Thalasio, & ipse Thalasius transmisit illam ad Arabiam ciuitatem alio sacerdoti Leoban. & ipse Leoban transmisit epistolam istam ad Vetphaniam ciuitatem, & recepit eam [b] Macrius sacerdos Dei, & transmisit in montem sanctum Archangeli Michaelis, & per manus Angeli Dei peruenit ad Romanam ciuitatem ad sepulcrum S. Petri, vbi claues regni cœlorum constitutæ sunt. Et duodecim Papati, qui sunt in Romana ciuitate, triduanas fecerunt vigilias in ieiunijs & orationibus, & cætera vsque ad finem perlecta. Zacharias sanctus Papa dixit: Pro certo charissimi fratres & prædictus Aldebertus in insaniam conuersus est, & omnes qui hac vtuntur cõmentata epistola, paruulorum more absque sensu sunt, & muliebri errore insaniunt. Sed ne leuiores amplius decipiat, indiscussam & absque sententia causam hanc relinquere non possumus. Sancti Episcopi & venerabiles presbyteri responderunt: Ex diuina illustratione cognoscimus cor sancti vestri Apostolatus illuminatum, & quæ à vobis dicta sunt, ex administratione Sancti spiritus emanarunt. Et idcirco vt à vobis præuisum fuerit, in vtrosque sententia promulgetur. Zacharias sanctus Papa dixit: Non vt à nobis solis præuisum fuerit, sed pariter cum sanctitate vestra, vt Domino placuerit, in futuro secretario est pertractandum.

Vide impostorem egregium, & fabulas aniles.

a *Hieremiã*

b *Macruis.*

[c] CVM autem tertia vice in eodem die Zacharias sanctus Papa, cæterique Episcopi, necnon Presbyteri supradicti, sed & alij clerici conuenissent in prænominatam basilicam, Gregorius notarius regionarius & nomenculator dixit: Secundum quod à vestro sancto Apostolatu præceptum est in præterito secretario, vt Deneardus religiosus presbyter hic se vestris præsentaret obtutibus, præsto est præ foribus: quid præcipitis? Dictum est: ingrediatur. Cumque ingressus fuisset, Zacharias Papa dixit: Habes adhuc ex sacrilegorum illorum conscripto aliquid quod coram concilio proferre debeas ad legendum? Deneardus religiosus presbyter respondit: Etiam, domine mi, orationem, quam sibi Aldebertus componere nisus est: & ecce in manibus eam gero: iubete eam suscipi. Moxque suscepta est & lecta oratio, cuius initium tale erat: Domine Deus omnipotens, pater Domini nostri Iesu Christi, & *α* & *ω*, qui sedes super septimum thronum, & super Cherubin & Seraphin: pietas magna & dulcedinis satis est apud te, pater sanctorum Angelorum, qui fecisti cælum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt: te inuoco & clamo & inuito super me miserrimo, quia tu dignus fuisti dicere: Quodcunque perieritis à patre in nomine meo, dabit vobis. A te pero, ad te clamo, à Domino Christo confido animam meam. Cumque per ordinem legeretur, peruenit ad locum, vbi ait: Precor vos, & coniuro vos, & supplico me ad vos Angelus Vriel, Angelus Raguel, Angelus Tubuel, Angelus Michael, Angelus [d] Adimis, Angelus Tubuas, Angelus [e] Sabaoth, Angelus [f] Simihel. Dum verò hæc oratio sacrilega vsque ad finem perlecta fuisset, Zacharias sanctus Papa dixit: Quid ad hæc sancti fratres respondetis? Sancti Episcopi & venerabiles Presbyteri responderunt: Quid aliud agendum est, nisi vt omnia, quæ coram nobis lecta sunt, igni concrementur, authores verò eorum anathematis vinculo percellantur? Octo enim nomina Angelorum, quæ in sua oratione Aldebertus inuocauit, non Angelorum, præter Michaelis, sed magis dæmonum nomina sunt, quos ad præstandum sibi auxilium inuocauit. Nos autem, vt à vestro sancto Apostolatu edocemur, & Diuina tradit authoritas, non plusquam trium Angelorum nomina agnoscimus, id est, Michael, Gabriel, Raphael. [g] Zacharias sanctus Papa dixit: Optime prouisum est à vestra sanctitate, vt conscripta illius omnia igne concrementur: sed opportunum est, vt ad reprobationem eius in scrinio nostro conseruentur ad perpetuam confusionem. Nunc verò, quia omnia peracta sunt, de vtrorunque sententia, quorum superius mentio facta est, pertractandum est. Vniuersum concilium dixit: Aldebertus, cuius nobis actus & nefaria commenta lecta sunt, & qui se Apostolum censuit nominari, & capillos & vngulas suas populis pro [h] sanctitate tribuit, quique sub obtentu Angelorum dæmones in suum auxilium inuocat, sit ab omni officio sacerdotali alienus, agens pœnitentiam pro commissis, & amplius iam populum minime seducat. Si autem in his erroribus perseuerauerit, & populum amplius seduxerit, sit Anathema, & æterno Dei iudicio condemnetur, omnisque pariter, qui ei consenserit & eius doctrinam secutus fuerit, aut adiunctus fuerit. Similiter & Clemens, qui per suam stultitiam sanctorum Patrum statuta omnia que Synodalia acta respuit, inferens etiam Christianis Iudaismum, dum prædicat fratris defuncti accipere posse vxorem: insuper & Dominum Iesum Christum, descendentem ad inferos, omnes pios & impios exinde prædicat abstraxisse, ab omni sacerdotali officio nudatus sit, & Anathematis vinculo obligatus pariterque Dei iudicio condemnatus, & omnis, qui eius sacrilegis consenserit prædicationibus.

c *Al. iterum repetitur initium Synodi. vsq; Gregor. n.*

Oratio impij Aldeberti.

Iohan. 16.

Oinsaniam

d *Adinus.*

e *Sabaoc.*

f *Sinuel.*

g *Alioqui de mysterio, sub obtentu Angelorum dæmonum nomina introduxit.*

Sententia Concilii in Aldebertũ.

h *p. sanctua li.*

Item in Clementẽ.

ZACHARIAS Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ vrbis Romanæ, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsit. Epiphanius Episcopus sanctæ Ecclesiæ Syluæ candidæ, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsit. Benedictus Episcopus sanctæ Ecclesiæ Nomentanæ, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsit. Venantius Episcopus sanctæ Ecclesiæ Prænestinæ, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsit. Gregorius Episcopus sanctæ Ecclesiæ Portuensis, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsit. Niceta Episcopus sanctæ Ecclesiæ Gabinatis his gestis atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsit. Theodorus Episcopus sanctæ Ecclesiæ Ostiensis, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsit. Gratiosus Episcopus sanctæ Ecclesiæ Veliternensis, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsit. Iohannes Archipresbyter tituli sanctæ Susannæ, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsit. Gregorius humilis presbyter tituli S. Clementis, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsit. Stephanus gratia Dei presbyter tituli S. Marci, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsit. Stephanus indignus presbyter tituli S. Eusebij, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsit. Dominicus humilis presbyter tituli S. Priscæ, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsit. Theodorus humilis presbyter tituli sancti Laurentij, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsit. Anastasius indignus presbyter tituli S. Mariæ, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsit. Georgius humilis presbyter tituli SS. Iohannis & Pauli, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsit. Sergius humilis presbyter tituli S. Potentianæ, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsit. [i] Iordannes indignus presbyter tituli S. Sabinæ, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatæ subscripsit. Theophanius humilis presbyter tituli sanctorum [k] Coronatorum, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsit. Leo indignus presbyter tituli S. Anastasiæ, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsit. Gregorius indignus presbyter tituli S. Balbinæ, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsit. Stephanus presbyter tituli S. Chrisogoni, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsit. Eustathius humilis

Subscribit huic sententiæ Pontifex: deinde cæteri.

Nicetas

i *Iohannes*

k *f. quatuor C.*

presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsit. Leo humilis presbyter 2. Belbocanensi tituli S. Damasi, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsit. Procopius indignus presbyter tituli S. Cyriaci, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsit. 3. al. Rembertho. al. Lamberto.

DILECTISSIMIS NOBIS REGINFRIDO RHOTHOMAGENSI EPISCOPO, DEODATO 2. Beluocanensi Episcopo, 3. Ramberto Ambianensi Episcopo, Dauid Spironensi Episcopo, Aethero Toroanensi Episcopo, 4. Heliseo 5. Nouiomensi Episcopo, 6. Treuuarto Camerocanensi Episcopo, Burchardo Vuirciburgensi Episcopo. 7. Folerico Tungriensi Episcopo, (8. Genebaudo Laudensi Episcopo, Romano Meldensi Episcopo,) Agilolpho Colonien si Episcopo, 9. Hattoni Strasburgensi Episcopo, & cæteris amantissimis coepiscopis, presbyteris etiam & diaconibus, cunctisq; orthodoxis Ecclesiarum Dei clericis, Apostolicam doctrinam tenentibus, Zacharias diuina gratia præditus, Apostolicæ sedis Pontifex, seruus autem seruorum Dei, in Domino salutem dicit.

4. Heheſco. 5. al. Nouianensi al. Nomanẽsi. 6. Trevvardo. 7. Fulerico Tungrensis al. Folerico. 8. () abest. 9. Heddo.

GRATIAS ago Deo Patri omnipotenti & Domino nostro Iesu Christo, vnico filio eius, & Sanctospiritui, qui vestrum omnium corda inflammare dignatus est per diffusam à se gratiam, vt in vnitate fidei & vinculo pacis ambuletis, & sit splendor Domini Dei nostri super vos, dilectissimi mihi, & abundans gratia pacis & charitatis, vt sitis vnum corpus spiritualis matris vestræ sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Dei Ecclesiæ, in qua Deo authore præsumus, implentes illud Propheticum dictum: Ecce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum. Quamuis enim pro itineris longitudine corpore simus absentes, in spiritu tamen dilectionis semper sumus vobis præsentes, habentes vos in visceribus nostris, & assidue orantes, vt Deus & Dominus noster Iesus Christus multo amplius confirmet corda vestra in exhortatione Euangelij, in ministerio quo fungimini, vt credita vobis plebs vestris pijs admonitionibus adiuuante Domino, à diabolica fraude liberata, persistat salua, vosque mercamini de eorum animabus in die Christi apportare lucrum. [a] Obsecro ergo vos, vt digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, vt decet sanctos cum multa patientia, supportantes inuicem in charitate, soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis & charitatis: quia finis præcepti charitas est de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Gaudeo in vobis charissimi, quoniam fides vestra & vnitas erga nos, preciosa est & manifesta non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, dum ad fautorem & magistrum vestrum à Deo constitutum, B. Petrum Apostolorum principem, benignissima voluntate conuersi estis & in hoc laudabilis est fides vestra, quoniam idipsum sapitis, quod oportet sapere. [b] Habetis itaque nostra vice ad confortandam dilectionem vestram [c] sanctissimum Bonifacium fratrem nostrum Archiepiscopum, Apostolicæ sedis legatum, & nostram præsentantem vicem. Sit ergo constantia vestra aduersus contentionem eorum, qui aduersa sapiunt, & non quæ Dei sunt: [d] neque terreamini à facie eorum, sicut scriptum est, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius eum timete, qui potest animam & corpus mittere in gehennam. Fratres mei, in carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus. Arma enim militiæ nostræ non carnalia, sed spiritualia sunt, ad destruendam omnem exaltationem, extollentem se aduersus scientiam Dei. Confortamini itaque in Domino & in potentia virtutis eius. Pax vobis & gratia à Deo & Domino nostro Iesu Christo ministretur. Amplectimur & osculamur, ac si præsentes, charitatem vestram in vnitate spiritus, in vinculo pacis & charitatis Christi. Deus vos incolumes custudiat.

Psa. 132. Ephes. 4. 1. Tim. 1. Mat. 10. 2. Cor. 10. Ephes. 6.

a l. Scriptũ quippe est. Filij sapientiæ, Ecclesia iustorũ, & natio eorũ obedientia & charitas

b s. & nunc Deo cooperante est aggregata sanctitas vestra nostræ societati in vno pastorali ouili, & est nobis vnus laborãdum

pastor, qui à pastore pastorum Domino Deo & Saluatore nostro Iesu Christo Princeps Apostolorum & noster Doctor est institutus. H. c v. & collantes omnem

vobis in Euangelium Christi s. B. d D. s, & erit fortior petra constantia vestra. Ne timueritis ex eis. n. t. e s. D. & in captiuitatem redigentes cogitationem in obsequia Christo perducentes.

ZACHARIAS PAPA VNIVERSIS EPISCOPIS PRESBYTERIS, DIACONIBVS, ABbatibus, cunctis etiam Ducibus, Comitibus, omnibusque Deum timentibus, per Gallias & Francorum prouincias constitutis.

His litteris confirmat Zacharias Papa synodum, cuius acta lib. 1. cap. 34. referuntur. Vide Baron. anno 742.

REFERENTE nobis reuerentissimo fratre nostro Bonifacio Episcopo, quod dum Synodus congregata esset in prouincia vestra iuxta nostram commonitionem mediantibus filijs nostris Pipino & Carolomanno, principibus vestris, peragente etiam vicem nostram prædicto Bonifacio, Dominus inclinasset corda vestra cum principibus vestris in prædicationem eius, vt omnibus commonitionibus eius obediretis, & schismaticos & homicidas, & fornicarios à vobis expelleretis sacerdotes: omnipotenti Deo gratias egimus, & pro vobis sumus orantes, vt qui cœpit in vobis opus bonum, perficiat vsque in finem. Obsecro enim omnes vos coram Deo, vt eius commonitionibus firmiter obediatis. Ipsum nanque vicem nostram in partibus illis ad prædicandum constitutum habemus, vt vos Deo propitio ad viam perducat rectitudinis, & à cunctis facinoribus salui esse possitis. Habuistis enim, peccatis facientibus, nunc vsque falsos & erroneos sacerdotes: vnde & cunctæ paganæ gentes vobis pugnantibus prævalebant, quia non erat differentia inter laicos & sacerdotes, quibus pugnare licitum non est. Qualis enim victoria dabitur, vbi sacerdotes vna hora Dominica tractant mysteria, & Dominicum corpus consecrant pro animarum suarum redemptione: & postea Christianos, quibus hoc ministrare debuerant, aut paganos, quibus Christum prædicare debuerunt, sacrilegis necant manibus, & fit secundum verbum Domini dicentis: Vos estis sal terræ: quod si sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus: Dum hæc ita sint, & tales in vobis fuerint sacerdotes, quomodo victores contra vestros inimicos esse poteritis? Nam si mundos & castos ab omni fornicatione & homicidio liberos habueritis sacerdotes, vt sacri præcipiunt Canones, & nostra vice prædicat præfatus Bonifacius frater noster, [a] nulla gens ante vestrum conspectum stabit: sed corruent ante faciem vestram omnes paganæ gentes, & eritis victores: insuper & bene agentes, vitam æternam possidebitis. Vos autem, fratres charissimi, qui estis veri sacerdotes, vel sub regulari disciplina constituti, sic vos exhibete, vt decet Dei ministros & dispensatores mysteriorum Dei, vt non vituperetur ministerium vestrum, ne fiat in vobis, quod scriptum est: Erit sicut populus, sic sacerdos. Nam si hoc fuerit, qualis vobis erit ab hominibus laus, aut qualis à Deo expectatur retributio? Quamobrem sic vos corrigite, vt veri sacerdotes, & tales ad sacerdotium prouehite, vt & vobis & illis testimonium maneat bonum ab his, qui foris sunt: quatenus ab hominibus laudem, & à Deo præmium in æterna beatitudine percipere mereamini, eo quod per vos ad rectam fidem perducti sunt populi multi, innoxios habentes sacerdotes. Ad Synodum quoque omni anno conuenite, ad pertractandam vnitatem Ecclesiæ, & vt si quid aduersi acciderit, radicitus amputetur, & Ecclesia Dei maneat inconcussa.

Esa. 24.

Pontificis vice fũctus Bonifacius in Synodo.

Matth. 5. Quantum prosint mũdi & casti sacerdotes.

a f. n. & ei in omnibus obedientes extiteritis, n. g.

Bene valete.

REVE-

REVERENTISSIMO ET SANCTISSIMO FRATRI BONIFACIO coepiscopo Zacharias seruus seruorum Dei.

His literis confirmat Zacharias Papa reliqua, quæ, prater condemnatos Aldebertum & Clementem hæreticos in Synodo à Bonifacio in Germania anno 745. celebrata statuta fuerunt.

CVm nobis sanctissimæ fraternitatis tuæ syllabæ delatæ fuissent, atque per singula legi feciſſemus, reperimus in earundem literarum serie, quod peccatis nostris facientibus, dum Dominici tritici semina quæreres elaborare ad augendam segetem spiritualem, subito inimici superseminauerunt zizania, vt sanctitatem tuam in bono opere impedirent. Sed tua sancta fraternitas incessanter orationi instet pariter cum fratribus, qui tecum laborant, vt spirituali sarculo eradicare possis zizania. Hoc opus si tibi semper erit in voluntate, Deus sine dubio adiuuat, vt beatus Gregorius Papa: Bonum opus, inquit, nobis sit in voluntate, nam ex diuino adiutorio erit in perfectione. Vnde charissime frater confortare in Domino, & ipse erit adiutor tuus. De incursione autem Gentium, quæ in tuis plebibus facta est, mœrendum nobis est. Sed hæc aduersitas nullatenus tuam fraternitatem conturbet: quia & Romana ciuitas ex accidentibus facinoribus sæpius est depopulata, & tamen omnipotens Dominus dignatus est eam consolari. Si etiam credimus, quia & vos consolabitur, [a] si fideliter ad eum clamaueritis, & ieiunium supplicationesque letaniarum in populis commissis agendas prædicaueritis. Nos quoque, licet peccatores existamus, precibus nostris & consacerdotum nostrorum, inquantum possumus, adiuuamus. De Synodo autem congregata apud Francorum prouinciam, mediantibus Pipino & Carlomanno excellentissimis filijs nostris, iuxta nostrarum syllabarum commonitionem peragente nostram vicem tua sanctitate, qualiter egisses agnouimus, & omnipotenti Deo nostro gratias egimus, qui eorum corda confirmauit, vt in hoc pio opere adiutores existerent: & quia omnia optime & canonice peregisti, tam de falsis Episcopis & fornicarijs & schismaticis, quam etiam de reliquis nomine sacerdotibus, contra Canonum instituta agentibus, vel contra Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, de quibus secundum tuam relationem respondemus.

Irruptiones barbarorũ.

Ieiuniis & litaniis placandus Deus.

[a] *c. Sed populis tibi commissis, reuerendissime frater prædicas ieiunium, supplicationes apud Deum Litaniarum & supereminens clementia eius adiuuabit vos. Te autem vt prædiximus, nullatenus aduersa conturbent, sed in bono opere, quod cæpisti, nullo modo deficias, Nos &c.*

DE eo verò, quod suggessisti, quia elegerunt vnam ciuitatem omnes Francorum principes, pertingentem vsque ad paganorum fines & in partes Germanicarum gentium, vbi antea prædicasti, quatenus ibi sedem metropolitanam perpetuo tempore habere debeas, & inde cæteros Episcopos ad viam instrueres rectitudinis, & postmodum tui successores perpetuo iure possideant: hoc quia decreuerunt, nos læti suscepimus, eo quod ex Dei nutu factum est. Quod vero falsi sacerdotes & schismatici hoc impedire conati sunt, eorum vanum agonem Dominus dissipabit, & illa faciet stabilita, quæ sanctorum patrum statutis videntur concordare. Et quia ipsi principes Francorum tibi etiam in hoc adiutores extiterunt, retribuat illis omnipotens Deus adiutorij huius præmium, & innumera largiatur bona.

De Mogunt. tia dicit.

DE illo etiam falso Episcopo, quem dixisti, quod adulterati clerici & homicidæ filius, in adulterio natus, & absque disciplina nutritus [b] esset, & quod sui similes sacerdotes consecrauit: de hoc meminit tua reuerenda fraternitas, quod etiam tibi sæpe scripsimus, vt nullus homicida, nullus adulter, nullus fornicator sacrum ministerium debeat tractare: sed neque ex pœnitente quis, aut talis, qualem sacri Canones prohibent esse sacerdotem.

Ad altaris ministeriũ qui non admittendi.

[b] *n. & cætera mala & horribilia, quæ per singula enarrasti. ac per hoc 15. s. s. s.*

DE baptizatis verò ab illis, seu ecclesijs consecratis requirat tua fraternitas, si aut ecclesias in nomine Trinitatis consecrauerunt, aut paruulos similiter baptizauerunt: [c] & tunc consecratio ecclesiarum & paruulorum baptisma sit rite confirmatum.

[c] *b. dum sacerdotio fungebantur: & sic c. e.*

HOC etiam pariter retulisti, quod illi, qui ante proiecti sunt, sacerdotes, se à nobis absolutos esse apud Francorum prouinciam diuulgarent. Quod tua sancta fraternitas nullo modo credat: quia impossibile est, vt si hoc feciſſemus, non tuæ charitati per nostras indicassemus literas. Impossibile ergo nullo modo credas, quia non aliud prædicamus, & aliud agimus, aut aliud dirigimus, vt illi garriunt: sed auxiliante Deo, illud, quod prædicamus, finetenus obseruandum censemus. Hoc autem sanctitatem tuam firmissime hortamur, vt teneas, vt sanctorum patrum institutis & consultis sacrorum Canonum omnimodo parere studeas.

Constantia doctrinæ in Ecclesia Romana.

QVOD obsecrasti, vt Francorum principibus scriberemus, scias à nobis esse gestum. Per singula enim eis scripsimus vt petisti, vt tibi amici sint, & adiutores in Dominico opere existant.

DE censu verò expetendo, quod impetrare à Francis ad [d] reparandas ecclesias vel monasteria plus non potuisti, quam vt vertente anno ab vnoquoque coniugio seruorum duodecim denarij reddantur, ex hoc gratias ago Deo, quia hoc potuisti impetrare. Dum enim Dominus donauerit quietem, augentur & luminaria sanctorum pro eo, quod nunc tribulatio accidit à Sarracenis, Saxonibus vel Frisonibus, sicut tu ipse nobis innotuisti.

[d] *a. reddendum Ecclesiis v. monasteriis n.*

[e] DE eis etiam, qui postquam depositi sunt pro capitalibus peccatis de gradu sacerdotali, reperiuntur nec clerici esse velle, nec monachi sub pœnitentia: sed pergentes ad palatium regis Francorum, rogant vt eis loca tribuat ecclesiarum vel monasteriorum, vt [f] dispergant sanctorum loca: de his, inquam, quid fieri debeat, Francorum principibus commonitoria direximus scripta. In alia quippe tua epistola reperimus contineri omnia quæ contra te egerunt falsi & schismatici Episcopi, id est, Aldebertus & Clemens, in qua omnia acta eorum & impijssimum errorem singulatim indicasti. Nos autem congregatis consacerdotibus nostris, eorundem prauorum sceleratissima acta in eorum præsentia legi fecimus: & cum nobis coram concilio lecta fuissent, pio studio omnes eadem schismatica dogmata & sceleratissimam vitam, quam sibi Aldebertus conscribi fecit, vna voce decreuerunt vt igne cremaretur. Sed nos hoc non fieri rectum iudicantes, pro eorum perpetua damnatione in scrinio sanctæ Ecclesiæ reseruari mandauimus. Ad hæc etiam dignam sententiam contra eorum errorem scribi fecimus. Cuius exemplar epistolæ ad tuam direximus sanctitatem, vt lecta in prouincia Frãcorũ, omnis schismaticus audiẽs taliter à sancta & Apostolica Ecclesia iudicatũ, à sensus sui prauitate resipiscat.

[e] *De eo nãq; quod interrogasti, quod illi, qui dep. s. p. c. p. d. g. s. dum eos repperisses adulteros, homicidas, vt nec sacerdotes nec clerici esse possint, nec sub pœnitentia monachi esse volunt:* [f] *vt Laicam vitam viuant dispergentes s. l.*

Guuilielmo Pseudoepiscopus.

IN tertia vero epistola tua intimasti nobis de alio seductore, nomine [g] Gevviliobo, qui antea falso Episcopi honore fũgebatur, & quia sine cõsultu ad nos properat. Hic dũ aduenerit, vt Domino placuerit, fiet. Tua autem reuerentia vt auxiliante Domino cœpit, vice nostra petimus perficere studeat. Volumus nãq; omni anno tempore apto in prouincia Frãcorũ cõciliũ te celebrare, vt frequentia sacerdotũ per instituta sacrorũ Canonũ correcta, illic nulla aduersitas valeat pullulare: sed magis Ecclesiæ sanctæ vnitas & disciplina Apostol. vbiq; in illis partibus dilatata [h] existat, & nõ amplius populi per falsos sacerdotes deprauati, demergãtur in interitũ. Dũ vero cõciliũ aggregaueris, sic tua fraternitas cõflictũ habeat cũ metropolitanis. vt nullus sine cõmẽdatitijs susciplatur epistolis. Pro eadẽ quippe causa & pro omnibus vtilitatib9 S. Ecclesiæ Francorum principibus direximus literas, vt iam præfati sumus. De ciuitate etiam illa, quæ nuper Agrippina vocabatur,

[g] *al. Geoleobo. al. Gevvilibo.*

[h] *cũcta populorum turbæ, etiam in Occiduis partib. veri Cathol. esse possint, &c.*

[a] d. pro futuris temporibus e. [b] d. pïſſimo C. à Deo

tur, nunc vero Colonia, iuxta petitionem Francorum, per noſtræ authoritatis præceptum nomini tuo metropolim confirmauimus, & tuæ ſanctitati direximus [a] eiuſdem metropolitanæ Eccleſiæ ſtabilitatem. Deus te incolumem cuſtodiat reuerentiſſime frater. Data pridiè Calend. Nouemb. Imperante domino [b] Auguſto Conſtantino, anno 27. imperij eius, Indictione 14.

Colonia fit metropolis.

coronato, magno Imperatore, a. 27. i. e. anno quinto. I. 14.

REVERENTISSIMO BONIFACIO COEPISCOPO, ZACHARIAS *ſeruus ſeruorum Dei.*

Cum S. Bonifacius Anno 744. Eobanum presbyterum ſuo & aliorum Epiſcoporum & Francorum Principum nomine ad Zachariam Papam miſiſſet, ipſum de multis, quæ ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectarent, conſulens, reſcripſit dictus Papa Pipino & reliquis Franciæ Epiſcopis & ſublimioribus poteſtatibus epiſtolam 27. capita reſponſionum continentem, quam videre eſt apud Baroniũ ann. 744. & hac epiſtola Bonifacio mandauit, vt illa omnia ſeruarentur, iſq; ea de cauſſa concilium cogeret. Atq; adeo errorem irrepſiſſe iudicat Baron. vbi ſupra. quo data habetur in Romana editione & apud Serr. in annal. Mog. lib. 2.

VII. 1. Cor. 11

[a] vt per ſpiritale c. [b] ita vt noſtris viſceribus te habentes chariſſimum fratrem & cõſacerdotem licet peccatores tamen ſpe diuina freti aſſidue i. n. o. [c] c altiſona & deſidera bilis vox inter illos, qui ab initio mundi ei am cõuerti anno 28.

EGREGIVS nos admonet Apoſtolus Paulus in eo, quod ait: Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti, Hinc eſt ergo, quod [a] ſpirituale charitatis vinculum, etſi corpore abſentes, ſpiritu tamen ſemper fraternitati tuæ ſumus præſentes, [b] & in noſtris orationibus memoriam tui agere non deſiſtimus, petentes immenſam Domini noſtri pietatem, vt ad peragendum ſuum te confirmet miniſterium, quatenus in die aduentus eius illam placabilem merearis vocem proferre: Ecce ego & pueri, quos dediſti mihi: non perdidi ex eis quenquam: vt continuo [c] cum cæteris ſanctis illa ſupernæ vocationis dicta audias: Venite benedicti patris mei: percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Agnoſcas igitur chariſſime, flagitaſſe à nobis Pipinum excellentiſſimum Maiorem domus gentis Francorum per ſuum hominem, nomine [d] Ardobanum, religioſum presbyterum aliquanta capitula de ſacerdotali ordine, & quæ ad ſalutem animarum pertinent: ſimul etiam & pro illicita copula, qualiter ſeſe debeant cuſtodire iuxta ritum Chriſtianæ religionis & ſtatuta ſanctorum patrum, inquiſiſſe. Et quanquam de hoc iam experta ſit tua ſancta fraternitas, quæ à nobis ſunt decreta, illius tamen votis aurem accommodantes, in breui elogio conſcripta Apoſtolica documenta direximus. quæ vt in ſacerdotali collegio pandantur, tuam ſanctitatem inibi euocari dedimus in mandatis. Cumq; pro hac re aggregatum fuerit concilium, ad medium deducantur illi ſacrilegi & contumaces Aldebertus, & Godalſacius, & Clemens, [e] vt eorum denuo ſubtili indagatione cribretur cauſa. Quos ſi deuiantes à rectitudinis tramite vſque quaque repereritis, & conuicti fuerint [f] nolle ad viam rectam conuerti, vt bonum atque placitum vobis videtur, cum principe prouinciæ diſponite ſecundum Canonum ſacrorum ſtatuta. Si autem in ſuperbia perſtiterint contumaciter, proclamantes ſe reos non eſſe, tunc cum probatiſſimis & prudentiſſimis ſacerdotibus tribus vel duobus prædictos ad nos dirigite viros, vt profunda inquiſitione coram ſede Apoſtolica eorum inquiratur cauſa, & iuxta quod meruerint, finem ſuſcipiant. Age itaque frater dilectiſſime in miniſterio tibi commiſſo, vt ab omnipotenti Deo præmium recipiens, æternam vitam conſequi merearis. Deus te incolumem cuſtodiat reuerentiſſime frater. [g]

Matt. 25. Ioh. 18. Mat. 25.

Pipinus Princeps quid petierit à ſũmo Pontifice.

placuerunt, conſonanter te in illorum mutatione ſubmittat, in qua dicturus eſt. V. b. [d] *Ardobanium* [e] *C. Exepiſcopi, v. e.* [f] *f. inclinati ad viam rectitudinis, v. b.* [g] *Data nonis Ianuarijs, imperante Domino noſtro pïſſimo, Auguſto Conſtantino, à Deo coronato, magno Imperatore imperij eius anno 6. indictione 15.*

REVERENTISSIMO FRATRI BONIFACIO COEPISCOPO, *Zacharias ſeruus ſeruorum Dei,*

Burchardus Epiſcopus.

IIX.

SACRIS liminibus beati Apoſtolorum principis Petri & noſtris obtutibus præſentatus præſens Burchardus, dilectus nobis Epiſcopus, ſanctitatis tuæ attulit affatus, per quorum ſcripta agnouimus magnum te habere certamen in prædicatione Euangelij Domini noſtri, & exhortatione ſanctæ fidei, quam per beatum Petrum & vas electionis Paulum cæterosque Apoſtolos traditam ſuſcepimus. Quibus agnitis, omnipotenti Deo immenſas egimus gratias, petentes eius ineffabilem diuinitatem, vt multo amplius confirmet atque corroboret cor fraternitatis tuæ, & ſoſpitem corpore annuat permanere, vſquequo eius diuinitas te ſuperſtitem in hac iuſſerit eſſe vita, ad perficiendum miniſterium tibi impoſitum, & ad portandum lucrum animarum in diem Chriſti Ieſu, vt illam merearis audire vocem deſiderabilem, quam dicturus eſt Dominus diligentibus ſe: Venite benedicti patris mei: percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Erant autem inſerta in eiſdem tuis affatibus diuerſa capitula, de quibus iudicium & conſilium atque ſolatium ſedis Apoſtolicæ tibi dirigi flagitabas. Primum capitulum pro Synodo prouinciæ, in qua natus & nutritus es, quam & in gentem Anglorum & Saxonum in Britannia inſula primi prædicatores ab Apoſtolica ſede miſſi, Auguſtinus, Laurentius, Iuſtus & Honorius, nouiſſime verò tuis temporibus Theodorus, [a] Græcolatinus ante Philoſophus & Athenis eruditus, Romæ ordinatus, pallio ſublimatus, ad Britanniam præfatam tranſmiſſus iudicabat & gubernabat. In illa tale decretum & iudicium demonſtratum eſſe dinoſcitur, vt quicunque ſine inuocatione Trinitatis lotus fuiſſet, ſacramentum regenerationis non haberet. Quod omnino verum eſt: quia ſi merſus in fonte baptiſmatis quis ſine inuocatione Trinitatis fuerit, perfecte non eſt baptizatus. Quod autem per quoſdam affirmari ſcripſiſti, vt quamuis ſceleratiſſimus quiſque hæreticus, vel ſchiſmaticus, aut latro, vel fur, ſiue adulter baptiſmum iuxta regulam à Domino impoſitam in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti conſecraret, ſicque homini petenti miniſtraret, tamen Chriſti eſſet baptiſmum, Euangelicis verbis conſecratum: & econtra licet miniſter iuſtus fuerit, & Trinitatem iuxta regulam à Domino poſitam, in lauacro non dixiſſet, verum baptiſma non eſſet, quod dedit: vtrunque fraternitati tuæ notum eſt, quid de illis ſacrorum Canonum ſeries contineat, quod & tenere te firmiter hortamur. Scriptum quippe eſt, dicente Domino: Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum. Quod ſuſcepiſti frater à noſtro præceſſore ſanctæ recordationis Gregorio, huius Apoſtolicæ ſedis Pontifice, in eo permane, & ab Euangelica & Apoſtolica doctrina nullo modo declines: ſed indutus loricam fidei & galeam ſalutis, viriliter contra nequitiam diabolicæ fraudis [b] reſiſte. Scriptum namque eſt: Ecce dedi faciem tuam potentem aduerſus faciem eorum, & conſtantiam tuam confortabo aduerſus contentiones eorum, & erit fortior petra conſtantia tua. [c] Eos autem, quos reperiſſe ſe affata eſt fraternitas tua, pſeudoſacerdotes multo maioris numeri, quam catholicos, qui nunquam ab Epiſcopis catholicis fuerunt ordinati, illudentes populo, & miniſteria Eccleſiæ confundentes, qui ſine Epiſcopo proprio arbitrio viuentes. populares defenſores habentes contra Epiſcopos, vt ſceleratos mores eorum non prohibeant, ſeorſum populum conſentaneum congregant, & illud erroneum miniſterium non in Eccleſia Catholica, ſed per agreſtia loca [d] & per cellas ruſticorum, vbi eorum imperita ſtultitia celari poſſit, perpetrant, nec fidem Catholicam paganis prædicant, nec ipſi fidem [e] Catholicam habent, nec quærunt ab eis, quos baptizare ſtudent, abrenunciationem ſatanæ: ſed neq; ſignaculo crucis Chriſti eos muniunt, quæ præcedere debẽt baptiſmũ, ſed

Matth. 25.

De hoc Theodoro vide Bedæ Hiſtoriam Eccleſiaſt. gentis Anglorum.

[a] *ex Græco Latinus, ar te P.*

Leu. 11. &c. Ierem. 1.

Nota de falſis ſacerdotibus nõ ritè ordinatis

[b] *f. Apoſtolicam præſentando vitam r.*

Mat. 24

sed nec aliquam credulitatem vnius Diuinitatis & sanctæ Trinitatis docent. [g] Hos itaq; ministros satanæ, & non Christi, vbicunque repereris, charissime frater, congregato prouinciali & sacerdotali collegio, à sacerdotio depositos sub regula monachica & pœnitentia submissos, vitam finire decernas, vt carne afflicti, quandoque redeant ad viam salutis. [h] Si vero non fuerint conuersi, tuæ prædicationis [i] merces non peribit.

[c] t. Prosacrilegis itaque Presbyteris, vt scripsisti, qui tauros, hircos, dijs paganorum immolabant, manducantes sacrificia mortuorum, habentes & pollutum ministerium, ipsiq; adulteri esse inuenti sunt, & defuncti: modò vero incognitum esse, vtrum baptizantes Trinitatem dixissent, an non, & timent illi qui viui sunt, quod in tali ministerio non sint baptizati, quibus respondens iussisti omnes baptizari. Hoc quoque obseruasse in supradicta Synodo sacerdotes, vt qui vel vnam personam de Trinitate in baptismo non nominaret, illud baptismum esse non posse. Quod pro certo verum est. Quia qui vnum ex Sancta Trinitate confessus non fuerit, perfectus Christianus esse non potest. Qui enim confitetur Patrem & filium, si confessus non fuerit Spiritum sanctum: nec Patrem habet nec filium, & qui confessus fuerit Patrem & Spiritum sanctum, & filium non fuerit confessus, nec Patrem habet, nec Spiritum sanctum, sed vacuus est à gratia diuina. Eos [d] c. erroneos simulatores sub nomine Episcoporum vel Presbyterorum, qui n. a. e. c. f. o i. p. & m. e. c. & conturbantes, aut falsos, gyrouagos, adulteros, sacrilegos, hypocritas, & multos seruos tonsuratos, qui fugerunt à Dominis suis, seruos diaboli, transfigurantes se in ministros Christi, qui sine Ep. p. a. v. [e] l. per colles r. [f] f. rectam h. sed nec ipsa solemnia verba, quæ vnusquisq; catecumenus, si talis ætatis est, vt iam intellectum habeat sensu cordis sui percipere & intelligere, nec docet, n. q. a. e. q. [g] d. neq; ab eis quærunt, vt corde credant ad iustitiam, & oris confessio fiat illis ad salutem. H. i. m. s. [h] rectitudinis: & si corde crediderint, oris eorum vera confessio illis fiat in salutem. S. v. [i] p. non periet iustitia. Habebis enim solatiantem te contra nequitiam malignantium, sanctorum Apostolorum, & cæterorum probabilium patrum canonicam sanctionem.

CONFORTARE ergo in lege & in Euangelio Christi & prædicatione Catholicæ fidei, quia ipsa glorificabit te. Tribulatio enim corporis nostri, temporalis est & finem habet [k]: merces autem, quæ pro hac tribulatione à Deo præparatur, sempiterna est. Ideoque conferamus mortem Iesu in corpore nostro, vt & vita Iesu in corpore nostro manifesta fiat, sicut per eius diuinam edocti sumus doctrinam: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. *Matt. 5.* Conforta etiam dilectissimos nobis orthodoxos Episcopos & sacerdotes atque Leuitas, cæterosque clericos religiosos, Abbates & monachos, pariterque glorioſissimos Duces, cunctosque optimates Francorum, vt nobis sint adiutores contra aduersarios Orthodoxæ fidei, omnesque hæreticos & schismaticos, quatenus & ipsi de fructu boni operis gaudere mereantur in cælestibus regnis. [l] Scripsit quoque inter cætera reuerenda fraternitas tua, reperisse, te quendam presbyterum genere Scotum, nomine [m] Samson, errantem à via veritatis, dicentemque sine mystica inuocatione aut lauacro regenerationis posse fieri Catholicum Christianum per Episcopalis manus impositionem. Hic autem qui dicit hoc, vacuus est Spiritu sancto & alienus à gratia Christi, consortioque sacerdotali abijciendus. Quis enim, nisi baptizetur iuxta præceptum Domini, in nomine Patris & Filij & Spiritussancti, & sic per manus impositionem, potest esse Catholicus? Hunc nequissimum virum talia prædicantem, ab Ecclesia sancta con- *Mat, 28* demnatum, expelle. Illos autem viros, qui ab hæreticis baptizati sunt, & nescitur an in nomine Patris & Filij & Spiritussancti sint baptizati, inquisita rei veritate, si ab hæreticis sacerdotibus baptizati sunt, hos sine dubio, iuxta prædecessoris nostri beatæ memoriæ Gregorij Papæ & sacrorum Canonum traditum tibi mandatum, baptizari permittas, ne in æternum pereant, sed potius Euangelica consecratione saluentur. Intuiti autem sumus & volumen à te directum vniuersis Episcopis, presbyteris cæterisque religiosis de vnitate fidei Catholicæ scriptum. Quod valde nobis acceptabile esse cognoscas, quoniam per Spiritussancti gratiam in te diffusam hoc operari studuisti.

[k] f. h. probatio autē spem, spes vero nō cōfundit, vt ait Apostolus, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Quis nāque separabit nos à Charitate Christi, tribulatio an angustia, &c. Et si deijcimur, frater, non perimus. Conferam. autem mor. [l] c. r. sicut scriptum est, Qui vicerit faciam illum columnam in templo meo, & scribam super illum nomen meum. Scripsit. [m] Error Samsonis Scoti.

INTER cætera sanctitatis tuæ scripta petisti, vt sacerdos à nobis dirigatur in partes Franciæ & Galliæ: [n] quod implere omittimus, quia dum Deo propitio tua sanctitas superstes existit, qui sedis Apostolicæ & nostram illic præsentas vicem, alium illuc dirigere necessarium non est. Quos autem repereris, amantissime frater, habentes sanæ doctrinæ scientiam vitæque puritatem, hos mittere stude in quibus præuideris locis ad prædicandum verbum salutis. Concilia vero aggregatis Episcopis prouincialibus, vbi tibi rectum videtur, celebrari procura, & quos deuiantes inueneris, confunde facies eorum ignominia, vt sint coram omnibus sine honore. [o] Suscepimus & chartam, de vera & Catholica fide conscriptam, quam cum dilectissimis nobis Episcopis partis Francorum tua direxit reuerenda fraternitas. Hanc itaque referantes, nimio gaudio sumus repleti, innumerabilesque gratias agimus Deo omnipotenti, quia vnanimitatem eorum ad societatem nostram reuocare dignatus est. Nostra autem vice, charissime, omnes in osculo pacis [p] saluta. Intimatum est etiam à sanctitate tua, quod Virgilius ille, nescimus si dicatur presbyter, malignatus aduersum te, eò quod arguebatur à te erroneus esse à Catholica doctrina, seminaret odium inter te & [q] Otilonem Ducem Baioariorum, dicens quod à nobis accepisset licentiam, vt vnius defuncti ex quatuor illis Episcopis, quos tua illic ordinauit fraternitas, diœcesim obtineret. Quod nequaquam verum est: quia mentita est iniquitas sibi. De peruersa autem doctrina, quam contra Dominum & animam suam locutus est, quod scilicet alius mundus & alij homines sub terra sint, aliusque Sol & Luna, si conuictus fuerit ita confiteri, hunc accito concilio ab Ecclesia pelle, sacerdotij honore priuatum. Sed & nos scribentes prædicto Duci, euocatorias de prænominato Virgilio mittimus literas, vt nobis præsentatus & subtili indagatione requisitus, si erroneus fuerit inuentus, Canonicis decretis condemnetur. Qui enim seminant dolores, *Eccl, 22.* metunt eos. [r] Pro Sidonio autem & Virgilio supradicto presbyteris, quod scripsit sanctitas tua, agnouimus. Et illis quidem, vt decebat, comminando scripsimus: tuæ autem fraternitati credulitas plusquam ipsis admittetur. Si autem Deo placuerit, vita comitante, sedi Apostolicæ eos missis literis, vt prælatum est, euocabimus. Docuisti enim eos, & non susceperunt, & factum est in illis, sicut scriptum est in libro Sapientiæ: Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testa [s] arenam. *Iacob. 5.* Non ergo ad iracundiam prouocetur cor tuum frater, sed in patientia, vbi tales repereris, admone, obsecra, increpa, vt conuertantur ab errore ad viam veritatis. Et si conuersi fuerint, saluasti animas eorum: si vero in malitia permanserint, mercedes laboris tui non perdes. [t]

[n] G. ad cōcilia celebranda. [o] h. Dominus enim Deus noster erit tecum. [p] p. Christi quia & nos dilectioni eorum gratias agimus & missus esse, vt fuisti sedis Apostolicæ. [q] al. Otilionem. [r] Sic enim scriptum est: Peruersæ cogitationes separant à Deo, probata autem virtus corripit insipientes. P. S. [s] testam, arenam & salem & massam ferri facilius est portare, quam hominem imprudentem & fatuum & impium. Quoniam, qui minoratur corde, cogitat inania, & vir imprudens & errans cogitat stulta. N. e. [t] illos autem iuxta Apostoli vocem deuita.

ALIA denique scripta fraternitatis tuæ continebant, quod iam olim de Agrippina ciuitate scripsisti, quia Franci non perseuerarent in verbo quod promiserunt, & nunc moratur fraternitas tua in ciuitate Moguntia. Petisti etiam, vt cum nostro consultu, superueniente tibi senectute atque imbecillitate corporis, si inuenire potueris idoneum virum ad sedem Pontificalem, in qua præes, pro te valeas collocare. [u] Pro qua petitione nos adiutore Deo consilium damus tuæ sanctitati, vt sedem sanctæ Ecclesiæ Moguntiacensis, quam pro salute animarum accepisti, nequaquam relinquas, *Mat.24* vt impleas illud Dominicum præceptum: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Si verò Dominus dederit iuxta tuam petitionem hominem perfectum, qui possit curam animarum habere, illum ordinabis pro te Episcopum, eritque in Euangelio tibi credito ad ministerium Christi portandum in omni loco, requirens & confortans Ecclesiam Dei. Oramus itaque Dominum & redemptorem nostrum, vt sacris interuentionibus sanctæ suæ genitricis semper virginis Mariæ, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, orantem pro nobis sanctitatem tuam sospitem

[u] collocare: tu vero, charissime, legatus & missus esse, vt fuisti sedis Apostolicæ.

Cur Pontifex rogatus à Bonifacio noluerit mittere sacerdotem in Gallias.

Otilo Dux Baioariæ.

a i. Domino p. A. C à Deo corona tem conseruare dignetur. Data Calend. Maij, imperante a pijssimo Augusto Constantino, anno 29. imperij eius, Indictione prima.

to, magno Imperatore pacifico, imperij anno 29. Pater eius anno 7. Ind. p.

REVERENTISSIMO FRATRI BONIFACIO ZACHARIAS.

Hæ litteræ datæ sunt anno 743. quando Francorum principes, & Bonifacius per litteras pallium pro tribus Metropolitanis à Zacharia Papa petierant, vti decretum fuerat in Synodo ad Liptinas habita.

Actor. 13. b *in q. assumpserim e. idest, vt per prædicationem Christianæ religionis, & eiusdem Spiritus sancti gratiam mundum illumi narent vniuersũ, quorum illumi natio prædicationis atque doctrinæ, Christi præsidio mã sit & manet Catholica Dei Ecclesia præ in partibus illis esse credimus destinatam, vt etiam instar eorum. c i. c. quoniam benedictus homo, per quem benedicitur Deus. D. E. f Arberto, g p. quanna conditio valet, ita vt nullus reperiri possit sacris deuiare canonibus, & sacrificium mundum eorum ab eis immoletur, ita vt Dominus in eorũ placetur muneribus, & populis Dei purificatis mentibus ex omni squalore sincerum exhibere valeant Christianæ religionis officium. Ret. e. n. o c. seducẽs populũ, & inania prædicans, non solum suam animam iuri diaboli tradens, sed populorum corda in infernum demergens, ita vt &c.*

SEGIMVS in libro actuum Apostolorum, Spiritum sanctum Apostolis præcepisse, Separate mihi Barnabam & Paulum in opus, b ad quod assumpsi eos. Propter hoc & beati Principis Apostolorum Petri illuminatam doctrinis ex inspiratione diuina tuam sanctitatem in partes Germaniæ credimus destinatam, vt ad instar eorum idem Spiritus sanctus in eodem opere te assumpserit ad illuminationem Gentium, vnde nimis exultamus in domino, & eius petitioni immensas referimus laudes. Dum vero & series litterarum tuarum nobis panderetur, per singula, multo amplius lætati sumus in Domino, qui tibi suam gratiam ita largiri dignatus est, vt dura gentis corda lenires, & ad obedientiam sacræ fidei inclinares. Indicasti etiam nobis, quomodo tetigisset Deus corda excellentissimorum filiorum nostrorum Pipini & Karlomanni, vt tibi in prædicatione adiutores esse niterentur, quorum merces copiosa manet in cœlis. c De Episcopis vero Metropolitanis, id est, Grimone, quem nos jam compertum habemus, Abel quoque & f Harteberto, quos per vnamquamque Metropolim constituisti, hos per tuum testimonium confirmamus. & pallia ad eorum firmissimam stabilitatem, vt in meliori proficiant statu, transmittimus. Qualiter autem mos pallij sit, vel quomodo fidem suam exponere debeant hi, qui pallio vti conceduntur, litteris directis docuimus, informantes eos, vt sciant quid sit pallij vsus, & qualiter debeant subiectis prædicare viam salutis, & Ecclesiasticam disciplina in eorum Ecclesijs inconcussa maneat, & sacerdotium, quod in eis est, non pollutum, vt antea fuit, sed mundum & acceptum Deo esse possit. g Retulisti etiam nobis, charissime frater, quod duos Pseudoprophetas in Francorum prouincia repperisses, quos non Pseudoprophetas, sed magis pseudochristianos appellare debemus, ex quibus vnum nouum quidem Simonem, iuxta tenorem literarum tuarum, repperimus, qui sibi & sacerdotium vendicabat, & à luxuria se minime continebat, o seduxitque populum per varias falsitates, ita vt cruces statuens in campis & oratoriola, illuc faciat populum concurrere, publicasque Ecclesias relinquere; quique sanctitatis nomine se vocari censuit, & in suo nomine Ecclesias consecrauit, affirmans se Anglorum nomina scire, quæ in tuis literis nobis conscripta direxisti; quæ nomina nos non Angelorum, sed dæmoniorum affirmamus. Alium vero ita luxuriæ deditum intimasti, vt concubinam haberet, & duos ex ea filios procrearet, & tamen sacerdotium sibimet vendicaret, affirmans hoc justum esse juxta traditionem veteris testamenti, vt defuncti fratris superstes frater ducat vxorem, & quia Christus resurgens ab inferis nullum ibi reliquisset, sed omnes inde abstraxisset.

fulgens, horum & Beati Apostolorum Principis Petri illuminata doctrinis. Et eorum sequi pedem ex insp. diu. t. sanctissimam fraternitatem,

QVÆ omnia detestabilia & sceleста iudicamus. Benè autem tua sancta fraternitas iuxta Ecclesiasticam regulam eos damnauit, & in custodiam misit, optimeque vocauit Antichristi ministros & præcursores. De cætero decerta, charissime, & viriliter age, & peruigil permane in ministerio Christi, vt amplius sanctæ Ecclesiæ grex augeatur, & præmium æternæ retributionis crescat copiosum. aa

aa *& cum sanctis & electis Dei imperante*

*(vt credimus) inueniaris particeps & Apostolorũm consors. Deus te incolumem custodiat, reuerendissime frater: Data decimo Kalendas Iulij domino Artabasdo à Deo coronato magno Imperatore anno tertio & Nicephoro magno Imperatore anno 3. Indictione *vndecima: * decima.*

REVERENTISSIMO FRATRI BONIFACIO ZACHARIAS *seruus seruorum DEI.*

Hæ eodem anno datæ sunt ad Bonifacium, qui Pontificem reprehenderat, quod eum pecuniam pro pallijs recepisse intellexerat.

a *Mysteriũ.* b. *idest.* c ( ) *abest* d *Remorũ* e *Artbertũ* f *c. nobis ita direxisti antea pro tribus, & postmodũ pro vno, vt & nos certi redditi, ex hoc nulla in nobis sit am biguitas.* g *de nobis* h *Absit, vt sic quippiã à tua fraternitate criminis nobis simo-*

SVscipientes sanctæ fraternitatis tuæ literas per præsentem gerulum, & relegentes quæ in eis continebantur, in extasin quandam incidimus, & admirationem magnam, eo quod nimis dissonare videntur ab eis literis, quæ à tua directæ sunt fraternitate per elapsum Augustum mensem, vbi nobis indicasti, quod Concilium, adiuuante Deo, & Karlomanno consensum præbente, factum est, & qualiter falsos Sacerdotes, qui diuinum non erant digni attrectare a ministerium, à sacro munere suspendisti, & quia tres Archiepiscopos per singulas Metropoles ordinasses, reseraſti, b idem Grimonem in ciuitate, (c quæ dicitur Rodoma: Secundum vero in ciuitate,) quæ dicitur d Remoram: Tertium e Hartbertum, in ciuitate, quæ dicitur Sennis, qui & apud nos fuit, & tua nobis pariter, & Karlomanni atque Pipini detulit scripta, per quæ suggessistis, vt tria pallia tribus prænominatis Metropolitanis dirigeremus; quod & fecimus pro aduratione & reformatione Ecclesiarum Christi. Nunc autem denuo tuas suscipientes literas valde sumus, vt diximus, mirati, eo quod antea nobis ex petitione prædictorum Principum, pro tribus palliis suggessisti, & postea pro solo Grimone. Sed volumus, vt nobis indicet tua fraternitas, cur f tantæ rei facta sit permutatio. Repperimus etiam in litteris tuis, quæ nimis animos nostros conturbauerunt, quod talia nobis g à te referantur, quasi nos corruptores simus Canonum, & Patrum rescindere traditiones studeamus, ac per hoc, quod absit, cum nostris Clericis in Simoniacam hæresim incidamus, expetentes & accipientes ab illis præmia, quibus tribuimus pallia. Sed hortamur, charissime frater, vt nobis deinceps tale aliquid minime scribas, quia fastidiosum & iniuriosum nobis videtur, dum nobis ingeritur, quod nos omnino denobis testamur. Absit enim à nobis & à nostris Clericis, vt donum, quod per Spiritus sancti gratiam suscepimus, pretio venundemus, quia illa tria pallia, pro quibus te suggerente, vt prædiximus, flagitati sumus, nullum expetentes commodum, tradidimus. Insuper & chartas, quas secundum morem, à nostro scrinio pro confirmatione & doctrina de nostro consessimus, nihil pro eis accipientes. h Suggessisti etiam nobis per alia scripta tua, quod in Bagoaria vnum reperisses falsum Sacerdotem, qui affirmabat se à nobis ordinatum esse Episcopum. Sed tua fraternitas optime egit, dum ea non credens, quæ falso retulit, Sacerdotio illum priuasti. Sic etenim authoritate beati Petri Apostoli præcipimus, vt quemcunque reperieris sacris canonibus deuiare, nulla ratione patiaris sacrum ministerium tractare. Et quia scisitatus es, si deberes in i Bagoariæ prouincia ius habere prædicationis, quam à decessore nostro habuisti concessam, nos quoque auxiliante Deo, omnia quæ tibi largitus est decessor & prodecessor noster, non minuimus, sed augemus. Nam non solum Bagoariam, sed

etiam

etiam omnem Galliarum prouinciam, donec te diuina iusserit superesse maiestas, nostra vice per prædicationem tibi iniungimus, vt quæ repereris contra Christianam religionem vel Canonum instituta ibidem detineri, ad normam rectitudinis studeas reformare. [k]

niaci obijciatur Anathematizare uerendissimo ciatus eius

mus namque omnes, quicumque ausi fuerint donum Spiritus sancti pretio venundare. S. [i] *Baroaria* [k] *Dominus te incolumem custodiat, me & sanctissime frater. Dat. Non. Nouembris, Imperante pijssimo Aug. Artabasdo à Deo coronato magno Imperatore anno tertio, Patri anno tertio: sed & Nicephoro magno Imperatore eius filio anno tertio Indictione* vndecima. * decima.*

IX. *REVERENDISSIMO PATRI ET DILECTISSIMO DOMINO, CVM TIMORE ET honore venerando Apostolicæ sedis infula sublimato Zachariæ, Bonifacius exiguus seruus vester licet indignus & vltimus, tamen legatus Germanicus deuotissimus, optabilem in Christo immarcescibilis charitatis salutem.*

Has litteras S. Bonifacius Zachariæ Papæ scripsit anno 751. quibus is per sequentes respondit eodem anno, & simul duas reliquas misit, quarum prioribus sedem Moguntinam, vt sit perpetuo Metropolis confirmat; posterioribus agit de exemptione Fuldensis Monasterij à S. Bonifacio erecti.

PATERNÆ pietatis vestræ sanctitatem subnixis precibus obsecro, vt hunc presbyterum meum, portitorem literarum præsentium, nomine Lul, grato animo clementer suscipiatis. Habet enim secreta quædam mea, quæ soli pietati vestræ profiteri debet, quædam quidem viua voce dicens, quædam vero per literas ostendens. De quibusdam nanque necessitatibus meis inquirere & interrogare, mihique paternitatis vestræ responsum & consilium ex authoritate sancti Petri Apostoli ad solatium senectutis repræsentare debet, vt his omnibus auditis & consideratis, si quæ sint, quæ vobis pleceant facta, [a] Deo auxiliante studeam: si quid autem, vt timendum est, displiceat, ex præcepto sancti Apostolatus vestri vel indulgentiam merear, vel dignam pœnitentiam persoluam. Antecessor enim prædecessoris vestri venerandæ memoriæ Gregorius, dum me indignum ordinauit, & ad prædicandum verbum fidei Germanicis gentibus misit, sacramento me constrinxit, vt canonicis & iustis Episcopis ac presbyteris in verbo, in facto, in consensu adstipulator & adiutor fierem: quod cum diuina gratia implere studui: falsos autem sacerdotes, hypocritas & seductores populorum, vel corrigerem ad viam salutis, vel declinarem, vel abstinerem à communione ipsorum, quod ex parte seruaui, & alicubi implere non potui. Spiritualiter autem impleui sacramentum, quia in consensum & consilium illorum non venit anima mea, [b] dum veniens ad principem Francorum, cogente Ecclesiarum necessitate, tales ibi reperissem, quales nolui: sed tamen in sancta communione corporis Christi illis non communicaui. Præcepit quoque mihi præfatus Apostolicus Pontifex, vt populorum, quoscunque visitassem, conuersationem & mores Apostolico Præsuli indicarem: quod in Domino confido me fecisse. De eo autem, quod iam præterito tempore de Archiepiscopis & pallijs, à Romana Ecclesia petendis, iuxta promissa Francorum sanctitati vestræ notum feci, indulgentiam à vobis flagito: quia quod promiserunt, tardantes non impleuerunt, & adhuc differunt, & quid inde perficere voluerint, ignoratur. [c] Est præterea locus syluaticus in eremo vastissimæ solitudinis, in medio nationum prædicationis nostræ, in quo monasterium construentes, monachos constituimus sub regula sancti patris Benedicti viuentes, viros strictæ abstinentiæ, absque carne & vino & seruis, proprio manuum suarum labore contentos. Hunc ergo locum per viros religiosos & Deum timentes, maximeque per Carlomannum principem Francorum iusto labore acquisiui, & in honore sancti Saluatoris dedicaui. In quo loco cum consensu pietatis vestræ proposui aliquantulum vel paucis diebus fessum senectute corpus requiescendo recuperare, & post mortem iacere. Quatuor enim populi, quibus verbum Dei prædicauimus, in circuitu loci huius habitare noscuntur, quibus cum vestra intercessione, quandiu viuo vel sapio, vtilis esse possum. Cupio quippe, vestris orationibus intercedentibus, pariterque opitulante gratia Dei in familiaritate Romanæ Ecclesiæ & vestro seruitio inter Germanicas gentes, ad quas missus fui, perseuerare, ac præcepto vestro obedire, sicut scriptum est: Iudicium patris audite filij dilecti, & sic facite vt salui sitis, [d] & iterum: Honora patrem tuum, vt veniat tibi benedictio à Domino. [e]

Hic Lullus successit S. Bonifacio in sede Moguntina.

Eccl 3. Ibid.

[a] *f. adaugere D. a. s.*

[b] *m. Corporaliter aute abeis omnino abstinere nō potui. Dum* Vitanda hæreticorum communio

Palliū Romæ petēdū.

Fuldēse monasteriū cō structū à. S. Bonifacio.

[c] *sed mea voluntate impleta est promissio. E. p.*

[d] *s. Et alibi qui honorat patrem suum, vita viuet longiore. Et iterum.* [e] *& benedictio patris firmat domus filiorum.*

X. *REVERENDISSIMO FRATRI ET COEPISCOPO BONIFACIO, Zacharias Episcopus, seruus seruorum Dei.*

BENEDICTVS Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui dispersa congregat, & congregata conseruat, augetque fidem & fiduciam seruis suis ad prædicandum Euangelium Domini nostri, cum eodem Patre & Spiritu sancto viuentis in sæcula sæculorum. Ipse enim dixit: Qui credit in me, vita viuet, & non morietur: quoniam ego sum via, veritas & vita. Laudamus igitur & superexaltamus sanctum nomen eius, læti quod per sanctæ fraternitatis tuæ literas allatas superstitem in hac vita & in Domino te valere cognoscimus, petentes immensam Dei nostri pietatem, vt ad prædicandum Euangelij atque sanctæ fidei sacramentum, te longæuum conseruet, suaque protectione à cunctis aduersantium insidijs te custodiat. Suggessit itaque fraternitas tua in suis apicibus, quod prædecessor noster beatæ memoriæ Gregorius, huius Apostolicæ sedis Præsul, dum ad prædicandum te misisset in Germaniæ partes, verbo pollicitationis ab eo constrictus fuisses, vt Orthodoxos Episcopos ac presbyteros, vel quosque reperire potuisses, in verbo exhortationis confirmares, & communicares eis: si quos vero seductores Episcopos aut pseudopresbyteros, vel quosque reperire potuisses in verbo exhortationis perfectos amplius confirmares & eis communicares, quod & factum est. Si quos vero seductores Episcopos, aut pseudopresbyteros vel quosque à recto fidei tramite deuiantes reperisses nulla, tibi cum eis esset communio: quod te, Domino auxiliante, vsque in præsens spiritualiter seruasse confessus es. Si autem, cogente aliqua necessitate, ad principes gentis Francorum accedens, corporaliter ab eis abstinere non valuisses, tamen in eorum consilio & consensu communionis, anima tua non fuerit coinquinata. Propter hoc ergo, quod cum eis conuersatus es, non consentiens iniquitati eorum, nullum tibi est detrimentum coram Deo. Te enim prædicante, si obedirent, salui essent: Si autem in iniquitate sua permanent, ipsi peribunt: tu autem iuxta prophetæ dictum, saluasti animam tuam.

Iohan. 11. Iohan. 14.

Pontifex cō solatur Bonifacium. *Ezech. 13.*

QVOD de principibus Francorum scripsisti, quia in constitutione Episcoporum, quibus pallia misimus, promissionem suam nondum impleuerunt, illis magis quam tibi imputandum est. Si enim impleuerint verbum suum, habebūt ex eo laudem. Si vero aliter egerint, ipsi videant: nos tamen quod, Diuina gratia largiente, gratis accepimus, gratis dedimus. Tua etiam bona voluntas mercede non priuabitur. Petisti & hoc, vt monasterium in vastissima solitudine & in medio gentium, quibus prædicas, constitutum [a] atque in honore Saluatoris nostri dedicatum, vbi & monachos sub regula sancti Benedicti degere fecisti, nomini tuo priuilegio sedis Apostolicæ munire deberemus. Ideoque votis tuis acquiescentes desiderium & petitionem tuam implemus. Congruit enim, diuini ministerij prædicatorem optimumque ministrum ad desiderata pertingere, & inchoatum opus bonum vsque in finem perducere. [b] Præterea prædictus geru-

[a] *c. & à te fundatum, atq;*

[b] *p. sicut scriptū est in Domini- co præcepto: Qui perse-*

uerauerit vſq; in finẽ hic ſaluus erit. Et beatus ſeruus ille quem cum venerit Dominus inuenerit ſic facientẽ. lus tuus Lul, cum cæteris ſuis comitibus, quæ iniuncta fuerant à tua ſanctitate, tam verbo quam ſcripto omnia *innotuẽ- runt. de quibus reſponſum dantes, tuæ reſcribere ſtuduimus fraternitati. Continebatur enim in pittacio ab eis porrecto, quia nos flagitaſſes tibi innoteſcere, quæ recipienda vel quæ reſpuenda ſint, inprimis de volatilibus, id eſt, graculis, & corniculis atq; ciconijs, quæ omnino cauendæ ſunt ab eſu Chriſtianorum: [c] equi etiam ſyluatici multo amplius vitandi. De his igitur omnibus, ſanctiſſime frater, ex ſacra ſcriptura ſatis inſtrui poteris. De igne autem paſchali, quod inquiſiſti, ita ſtatutum eſt à ſanctis patribus, poſtquam precioſo ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti Eccleſia eius dedicata eſt, vt quinta feria Paſchæ, quando ſacrum Chriſma conſecratur, tres lampades magnæ capacitatis ex diuerſarum eccleſiæ lampadum oleo collectæ, & in ſecretiori loco eccleſiæ conſtitutæ cum magna diligentia ardeant, ita vt oleum ipſum ſufficere poſſit vsque ad tertium diem, id eſt, ad ſabbatum. Tunc pro ſacri baptiſmatis fonte ſumptus ignis lampadum renouetur. De igne vero qui ex cryſtallis ſumitur, vt aſſeruiſti, nullam habemus traditionem.

* Innotuerunt actiue, more ſeculi illius.

Etenim ſuper omnia bona ſua conſtituet eum. Præterea. [c] *C. Etiam fibri, & lepores, & eq. ſit.*

[d] *c. Quod ſi pauca ſunt vt ſupra diximus, in foueã proïcienda ſunt.*

De his etiam, qui regio morbo vexantur, inquiſiſti, ſiue homines, ſiue equi ſint, quid faciendum ſit de illis. Si ergo homines ex natiuitate aut genere huius morbi ſunt, extra ciuitatem conuerſari debent: eleemoſynam vero accipere à populo illis licet. Si autem contigerit magnum vel paruum quenquam non à natiuitate, ſed ſuperueniente ægritudine vexari, non eſt proijciendus, ſed ſi poſſibile eſt curandus. Attamen dum ad communionem venerit in eccleſiam, poſt omnes accedere debet ad percipiendum ſacri muneris myſterium. Equi vero, qui præfato morbo fuerint coinquinati, ſi curari non valuerint, in puteos & foueas proijciendi ſunt, ne eiuſdem contagione cæteri coinquinentur. Animalia autem, quæ à furentibus vel rapidis lupis & canibus fuerint lacerata, oportet ea à cæteris ſeparari, ne furentes & mordentes cætera coinquinent. [d]

Iohan. 13.

Inquisivit & hoc fraternitas tua, ſi liceat ſanctimoniales fœminas, quemadmodum viri faciunt, ſibi pedes abluere tam in cœna Domini, quam in cæteris diebus. Hoc Dominicum præceptum eſt, quod qui per fidem impleuerit, habebit ex eo laudem. Etenim viri & mulieres vnum Dominum habemus, qui in cælis eſt. Pro benedictionibus autem, quas faciunt Galli, vt noſti frater, multis vitijs variantur. Nam non ex Apoſtolica traditione hoc faciunt, ſed per vanam gloriam, adhibentes ſibi damnationem, quia ſcriptum eſt: Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod euangelizatum eſt, anathema ſit. Regulam itaque Catholicæ traditionis, quam à ſancta Romana Eccleſia, cui Deo authore deſeruio, acçepiſti, omnibus prædica.

Galat. 1.

Catholica traditio ſeruanda.

Inquisisti etiam, ſi ante trigeſimum annum liceat ſacerdotem ordinare. Bonum & congruum eſt, chariſſime frater, ſi fieri poteſt, vt prouectæ ætatis & boni teſtimonij viri, iuxta ſacrorum Canonum decreta, ordinentur ſacerdotes. Si autem minimè reperiantur, & neceſſitas expoſcit, à 25. annis & ſupra, Leuitæ & ſacerdotes ordinentur, quemadmodum in lege Domini continetur. Miloni autem eiusque ſimilibus, qui Eccleſijs Dei plurimum nocent, vt à nefario opere recedant, iuxta Apoſtoli vocem, opportune & importune prædica. Si acquieuerint admonitionibus tuis, ſaluabunt animas ſuas. Si vero non obedient, ipſi peribunt obuoluti peccatis ſuis: tu autem, qui recte prædicas, non perdes mercedem tuam. Hoc ſimul inquiſiſti, poſt quantum tempus debeat lardum comedi. Licet pro hac à patribus inſtitutum nobis non ſit, tibi tamen petenti conſilium præbemus, quod non oporteat illud mandi, priuſquam deſuper fumo ſiccetur & igne coquatur. Si vero libet vt incoctum manducetur, poſt Paſchalem feſtiuitatem erit manducandum.

Sacerdotio qui initiãdi Num. 8.

2. Tim. 4.

[e] *B? Has ſanctorum Patrum traditiones & ſanctorũ canonum inſtituta condemnauerũt. D. o.*

Episcopvs autem condemnatus, de quo inquiſiſti, qui pugnator & fornicator exiſtit atque res Eccleſiæ poſt degradationem ſibi vendicare nititur: hic omnino reſpuendus eſt. Quæ enim portio infideli cum fideli, aut quæ communio Chriſto & Belial? [e] De ordinatione etiam presbyterorum & diaconorum, qui cogente neceſſitate & paupertate rogantium non legitimis temporibus ad te peruenerunt, ſi aliquam haberes offenſionem, inquiſiſti. Bene autem noſti frater, quod ſacri Canones docent, aptis temporibus ſacerdotes ordinandos. Attamen in eo, quod à te pro intentione bona actum eſt, à Domino Deo noſtro indulgentiam poſtulamus.

2. Cor. 6

Aptis tẽporibus ordinandi ſacerdotes.

De censu etiam Eccleſiarum quid agendum ſit, tibi dicimus: Nullam itaque hæſitationem habeas, ſolidum de caſa ſuſcipere: quia ex eo poteris eleemoſynam tribuere, & opus perficere ſanctarum eccleſiarum, iuxta Canonum inſtituta.

[f] *& ante criminalibus cauſis obuoluti, celantes peccatum ſuum ordinati ſunt, poſtm.*

Si quos vero presbyteros, qui de laicis promoti fuerunt, & [f] antea capitalibus vitijs inuoluti, ſed celantes ea, ordinati ſunt, poſtmodum autem manifeſtata ſunt: hos à ſacerdotali habitu priuatos, pœnitentiæ ſubmitte. Non enim odit Deus peccantem & confitentem, ſed peccantem & negantem.

Hoc etiam inquiſiſti à nobis, ſi liceat perſecutionem paganorum fugere, an non. Pro hoc igitur ſalutare conſilium tibi damus. Si fieri poteſt, & locum inueneris, inſta ad prædicandum illis. Si autem ſuſtinere non valueris eorum perſecutionem, habes præceptum Dominicum, vt in aliam ingrediaris ciuitatem. Inquiſiſti etiam, quid faciendum ſit de excommunicato Epiſcopo & Apoſtolicam authoritatem negligente. Hic ergo deteſtabilis eſt coram Deo & hominibus, [g] & quicunque eius condemnationi non communicauerunt, ipſi non condemnabuntur in die reuelationis iuſti iudicij.

Mat. 10

[g] *h. cuius condemnationis incondemnatus non communicabit. Ipſi enim condemnabuntur in die iræ & reuelationis Domini & Saluatoris noſtri IESV Chriſti, ad iudicandum genus humanum, ſicut ſcriptum eſt: Superbis ego reſiſtam, dicit Dominus.*

De Slauis quoque, Chriſtianorum terram inhabitantibus, ſi oporteat cenſum accipere, interrogaſti frater. Hoc quidem conſilio non indiget, dum res eſt manifeſta. Si enim ſine tributo ſederint, ipſam quandoque terram ſibi quaſi propriam vendicabunt. Si vero tributum dederint, norunt dominatorem eſſe illius terræ.

Flagitasti etiam à nobis, ſanctiſſime frater, vt in ſacri Canonis prædicatione, quot Cruces in locis quibuſdam facere debeamus, tuæ ſignificaremus ſanctitati. Quam petitionem libenter implentes, in rotulo dato prædicto Lul presbytero tuo, quot ſigna ſanctæ Crucis fieri debeant, infiximus. In his igitur & in omnibus rebus ſanctitatis tuæ vota amplectentes, diuinam clementiam deprecamur, vt ſuo te muniat & confortet auxilio, nosque annuat proſperitatis tuæ ſemper læta ſuſcipere nuncia. [h] Data pridiè Non. Nouemb. imperante domino [i] Auguſto Conſtantino, imperij eius anno XXXII. Indict. V.

[h] *n. Deus te incolumem cuſtodiat reuerendiſſime frater. D. p.* [i] *d. pijſſimo A. C. à Deo coronato magno Imperatore anno XXXII. imperij eius anno XI. Indict. V.*

ZACHARIAS PAPA BONIFACIO EPISCOPO SANCTÆ ECCLESIÆ Mogunti næ perpetuam ſalutem.

XI.

Qvaliter Dominus Deus noſter ſanctæ Eccleſiæ ſuæ propitiatus ſit, & laboribus ſanctiſſimæ fraternitatis tuæ cooperator extiterit, per ſingula edicere longum eſt: tamen vt hæc, quæ obijcimus, confirmemus, quæ ex parte te narrante perſpeximus, enarramus. Igitur dum in Germania prouincia ſanctitas tua ad prædicandum fuiſſet directa à ſanctæ recordationis prædeceſſore noſtro Domino Gregorio Papa, & poſt inchoatum opus & ex aliqua parte ædificatum, Romam reuerſus ab eo Epiſcopus ordinatus, & ad prædicandum denuo remiſſus es, & elaborafti, Deo præuio,

nunc

nunc vsq; per annos xxv. in eadē prædicatione, ex quo Episcopatū accepisti: sed & in Francorū prouincia nostra vice cōciliū egisti, & iuxta Canonū instituta omnes flexi sunt tibi obedire: & dū in his pijs operibus occupata esset sanctitas tua, huc vsq; Cathedralē sedem sibi minime vendicauit. At vbi Deus prædicationē tuā auxit, obtinere voluisti, vt tibi Episcopalē ecclesiā vel successoribus tuis cōfirmare debeamus, iuxta eorundē filiorū nostrorū Francorū petitionē. Et idcirco authoritate beati Petri Apostoli sancimus, vt supradicta ecclesia Mogūtia perpetuis tēporibus tibi & successoribus tuis in Metropolim sit confirmata, habēs sub se has ciuitates, id est, Tūgris, Coloniā, Vvormatiā, Spiratiam, & Trectis & omnes Germaniæ gentis, quas tua fraternitas per suā prædicationē Christi lumen cognoscere fecit. His à nobis definitis, per huius nostræ cōfirmationis paginā in tua Ecclesia perpetuis tēporibus pro sui cōfirmatione hæc cōseruari mandamus. Data pridiè Non. Nouemb. imperante domino Augusto Constantino, anno xxxii. imperij eius, Indictione V.

XXVIII. notat Bar. anno 751.

Moguntia fit Metropolitana sedes.

ZACHARIAS PAPA BONIFACIO EPISCOPO, ET PER EVM fratribus in monasterio ab eo constructo.

XII. QVONIAM semper sunt cōcedenda, quæ rationalibus cōgruunt desiderijs, oportet vt deuotioni cōditoris piæ cōstructionis oraculū in priuilegijs præstādis minime denegetur. Igitur quia postulasti à nobis, quatenus monasteriū Saluatoris à te cōstructū in loco, qui vocatur [a] erga ripā fluminis Fuldæ, priuilegio sedis Apostolicæ decoretur, vt sub iurisditione sanctæ nostræ, cui Deo authore deseruimus, Ecclesiæ constitutū, nullius alterius ecclesiæ potestati submittatur: Pro qua re pijs desiderijs fauentes, hac nostra authoritate id, quod exposcitur, effectui mancipamus. Et ideo omnē cuiuslibet ecclesiæ sacerdotē, in præfato monasterio ditionē vllam habere aut authoritatē, præter sedē Apostolicam, prohibemus: ita vt nisi ab Abbate monasterij fuerit inuitatus, nec Missarū solennitatē ibidem quisquam præsumat celebrare, vt profecto iuxta id, quod subiectū Apostolicæ sedi cōsistit, incōcusse dotatū permaneat: locis quoq; & rebus tā eis, quas moderno tēpore tenet vel possidet, quā quæ futuris tēporibus in ius ipsius monasterij diuina pietas voluerit augere ex dōnis & oblationibus decimisq; fideliū, absq; vllius personæ cōtradictione, firmitate perpetua perfruatur. Cōstituimus quoq; per huius decreti nostri paginā, vt quicunq; cuiuslibet ecclesiæ præsul, vel quacūque dignitate prædita persona, hāc priuilegij nostri chartam, quā authoritate principis Apostolorum firmamus, temerare tentauerit, anathema sit, & iram Dei incurrens, à cœtu sanctorum omnium extorris fiat: & nihilominus præfati monasterij dignitas, à nobis indulta, perpetualiter inuiolata permaneat, Apostolica authoritate subnixa. Data pridie. Non. Nouemb. imperante Domino Augusto Constantino, Anno xxxii. imperij eius, indictione V.

[a] *vocatur Bochonia, c. r. f.*

Exemptio Fuldensis monasterii.

XIII. HVCVSQ; cū Epistolarū serie sufficiat intimasse, qualis labor, quātave cura S. Bonif. fuerit circa omnes, quos ipse ad Christianitatis cultū conuertit. Si quē verò moueat, quod plurimæ Epistolæ, quarū mētio fit in suprascriptis Epistolis, hic pariter scriptæ nō habētur, sciat illud hac de causa accidisse, quoniam nusquā eas inuenire potui. Deinde inprimis dicere volo, quāta Karlomanni Principis deuotio fuerit circa Fuldēse monasteriū. Rationabile etenim videtur, eādē deuotionē intimare, nō solū ad declarāda tanti viri beneficia, verū etiā ad profectū illorū, qui exemplis bonis ædificari merētur, pariterq; ad confusionē eorū, qui licet optima quæq; sciant, videāt, audiant, in nequitia tamē solita perseuerāt; ore tantummodo Deū cōfitentes, sed factis negātes, cordiū aures ad sæcularis vitæ amorē referantes, sed ad præcepta diuina obdurātes. Princeps igitur prædictus quāuis vndiq; adiacentiū prouinciarū bello cōprimeretur, non tamen ideo à procuratione sanctorū locorū, seruorūq; Dei retrahebatur; Credēs vtiq; arma spiritualia, id est, virtutes animæ, multo fortiora esse, quā corporalia, nullāq; spē habēs in multitudine absq; spirituali fortitudine, iuxta illud: Nō saluatur Rex per multā virtutē, & gigas nō saluabitur in multitudine virtutis suæ. Post quā ergo omnia Christianæ religionis iura, vt in præcedentibus libri huius scriptis agnosci potest, tā falsos Christianos, quā hæreticos expellendo, iuxta S. Bonif. consilium correxit, illius etiā vota in monasterio Fuldēsi nouiter cōstructo impleuit. Nam cū Abbas Sturmi, illū locū, vbi nūc sitū est, idē monasteriū, cū fratribus quibusdam incolere cœpisset, eiusdēq; loci qualitatē S. Bonif. denūtians, satis laudauisset, tūc ille ad Karlomannū pergēs, suppliciter obsecrauit eū, dicens. Perpetua remuneratione tua omnipotentē Deū exoro, si mihi succurrere dignaris, vt in Orientali regno tuo monasteriū cōstruere, monasticāq; vitā instituere possim. Habemus enim in solitudine, quæ Bochonia nūcupatur, iuxta fluuiū, qui dicitur Fulda, locū satis aptū famulantibus Deo repertū, qui ad vestram pertinet ditionē. Quem scilicet locū à pietate vestra nobis cōcedi petimus, quatenus in hoc Christo seruire queamus.

Karlomanni erga Ecclesias & monasteria studium & deuotio.

Psal 32.

Sturmi Abbas primus Fuldensis.

QVO audito Karlomannus nutu Dei gauisus est, & cōuocans omnes palatij sui milites, petitionē Episcopi eis intimauit, atq; corā eis locū postulatū tradidit Episcopo, dicens. Locū igitur quē petis, & quē iuxta ripā fluminis Fuldæ sitū asseris, totū, quidquid in hoc sub mea potestate cōsistit, ab hodierna die in ius Domini trado, ita vt ab illo loco vndiq; ab Oriēte scilicet & Occidēte, à Septētrione & Meridie marcha per tria milliaria passuum tendatur. Hac itaq; traditione facta, misit etiam nūtios, qui omnes nobiles, in regione Grabfelt habitantes cōgregarēt, eosq; suppliciter rogarēt, vt omnes qui infra marchā supra nominatā aliquid proprietatis haberēt, facerēt, quæ & Princeps fecisset, tradēs videlicet in obsequium Domini monasteriiq; à S. Bonif. cōstruendi. Cūq; à nuntiis præsignati omnes fuissent cōgregati, Principisq; petitionem cognouissent, mox cū omni deuotione, quidquid proprietatis ibidem habuerunt, Deo sanctoq; Bonif. nec nō Abbati venerando Sturmi possidendum tradiderunt. Vt autem hæc traditio in perpetuū corroborata permaneret, Karlomannus, cuius instinctu hæc omnia agebantur, iussit chartam suæ traditionis scribi, quam ipse sigillo proprio firmare studuit.

Fuldensi monasterio donata.

XIV. CVM igitur hæc & his similia idem Karlomannus faciens, in dilectione Dei & proximi magis ac magis proficeret, sed eandē dilectionē nō ea, qua voluit integritate, in sæculari habitu constitutus, implere præualeret, elegit optimā partem, quæ non auferetur ab eo. Nam relinquit ampla terrenæ potestatis regna, & ad Cassinū montem, in quo tūc arctissima monasticæ vitæ disciplina habebatur veniens, Monachus ibi efficitur, Pipino fratri cōmittens munia regni. Hic itaq; accepta paternæ & fraternæ potestatis monarchia, * quæ tunc Maior domus dicebatur, eandem deuotionem, eandemq; sollicitudinem, quam & frater eius excoluit, tam in diuinis, quam sæcularibus negotiis, secutus per omnia S. Bonifacii consilia. Qua de re contigit, vt cum se Deo, qui deponit potentes de sede, & exaltat humiles, submittere iugiter studeret, regalis potentiæ excellentia obniteret. Tanta vero dignitate sublimatus, eodem modo, quo & antea S. Bonifacium diligere simul & venerari studebat; vnde etiam traditionem fraternam suis literis roborare curauit. Quarum literarum exemplar hic inserere cupio, vt fideles quiq; inde instruantur, raptores vero iniqui videant, & confundantur.

Luc. 14.

Carlomannus fit monachus.

* *qui Luc. 1.*

XV. PIPINVS rex Francorum, vir illustris, Bonifacio Archiepiscopo & Legato Germanico, ab Apostolica sede directo:

Literæ Pipini regis ad S Bonifacium.

Quia veneranda paternitas tua nostram excellentiam postulauit pro monasterio, quod à te nouiter constructum est in solitudine Buchonia iuxta fluuium Fuldæ in loco, quem beatæ memoriæ Carlomannus germanus noster legitima donatione tibi concessit, vt sicut ex authoritate S. Petri principis Apostolorum, pro quo legatione fungeris, priuilegio sedis Apostolicæ [a] sublimatus esse constat ita etiam nostræ authoritatis præcepto roboretur: placuit nobis, petitionibus tuis assensum præbere. Et ideo hanc nostræ præceptionis seriem, ob honorem Dei & venerationem sancti Petri conscribi iussimus, per quam priuilegium sedis Apostolicæ, à beato Zacharia tibi collatum, cum consensu Episcoporum cunctorumq; fidelium nostrorum, per omnia roboramus: Præcipientes, vt nullus sacerdotum in regno [c] nostro, diuinitus nobis concesso, in præfato monasterio ditionem aliquam sibi vendicet, præter sedem Apostolicam: ita vt [d] nisi ab [e] Abbate monasterij fuerit inuitatus, nec Missarum solennia ibidem quisquam præsumat celebrare: sed iuxta id, quod subiectum constat Apostolicæ sedi firmitate priuilegij, [f] inconcusse roboratum permaneat: locis etiam & rebus, quas tā moderno tempore tenet

[a] *sublimatū*
[b] *cæterorumque*
[c] *nostro, abest.*
[d] *non.*
[e] *monasterij abest.*
[f] *incōcussæ.*

Hæ literæ paulo ante martyrium S. Bonifacii post obitum Carlomanni à Pipino missæ sunt an. 755.

g viri

h stabilitate.

tenet vel possidet, quã quas futuris temporibus g iuris ipsius monasterij diuina piẽtas augere voluerit ex donis & oblationibus decimisq; fidelium, absq; vllius personæ contradictione, firmitate perpetua perfruatur. Si autẽ quispiã nostræ auctoritatis præcepto repugnare voluerit, sententiã Apostolicæ districtionis, quæ in priuilegio expressa est, experiatur. Et tamen hoc, quod ob amorem Dei & venerationem S. Petri authoritate nostra firmauimus, h stabile permaneat, manu nostra roboratum, & tam annuli nostri impressione, quam fidelium nostrorum adstipulatione subnixum.

Eodem tẽpore contigit, vt quidã Clericus, nomine Adalger, bonæ cõuersationis vir, S. Bonif. adhæreret, eiq; fideliter ministraret, Post modicũ verò tẽporis infirmitate graui captus, cũ se in extremis huius vitæ positũ sentiret, cũ consilio viri Dei, quæcunq; prædia ex hæreditate paterna habuit, ad S. Martinũ tradidit. Sed eo defuncto, fratres eius Asperth & * Truttmunt, omnia quæ tradidit in locis subternominatis, id est, ad Amanaburg, ad * Brettenbrunũ & Seleheim, in suam potestatẽ redigebant. Cũq; pro hac causa à defensoribus Episcopi admonerẽtur, respõderunt, se velle cũ iuramento affirmare, quod fratris prædia meritò sibi vendicarẽt. Cui iuramento Episcopus se affuturũ promisit. Aduenĩte ergo die statuto, & cõgregata multitudine copiosa propinquorũ suorum, vt promissum iuramentũ complerent, aduenit etiã vir Dei pariter. Cum autẽ prædicti homines iuramenti faciendi adiutores secũ ad altare traxissent, dixit Episcopus, Vos soli iurate, si vultis; nolo vt omnes hos congregatos perdatis. At illi nihil morantes, iuramentũ fecerunt. Quo facto, Episcopus dixit ad illos, Iurastis? Qui respondẽtes, Iurauimus, inquiunt. Tunc Episcopus ait ad Aspertũ. Maior vrsus te occidat. Deinde ad Trutmundũ dixit, Nunquã ex semine tuo videas filiũ vel filiã. Quod scilicet vtrumq; vt à S. Episcopo prædictum est, euentus rei probauit. Nam post modicũ temporis Asperto ad mensam sedente, venerunt qui dicebant vrsum magnũ discurrere per campũ. At ille equo celeriter ascenso, & venabulo arrepto, cepit vrsum persequi, antequam præpararent se comites sui, in quo itinere equo delapsus, totusq; per membrorũ compagines confractus interiit. Cum autem serui illius ad illum properantes peruenissent, inuenerunt eũ iam mortuũ. Truttmunt vero audiens sancti viri prophetiam in fratre suo esse completam, nimis expauit, & mox prædia iniuste ablata ad altare S. Martini reddidit. XVII.

* Trutmundus.

* ex Adamanaburgo, Breittenbrunnon.

Credendũ est virum sanctũ non imprecandi animo, sed prophetico spiritu hoc dixisse.

Posthæc igitur cum S. Præsul Bonifacius verbi diuini semina, quæ infra Germaniæ Galliæq; cõfinia iecit, in cordibus credentiũ iam pullulasse, & fructũ facere cerneret, nec non vicinã corporis sui solutionẽ prænoscens, sitiret omni modo, quãdo veniret & appareret ante faciem Dei, decreuit adire Fresonũ populos, olim quidem eius doctrina ad Christianæ religionis culturã conuersos, sed fallente diabolo, iterum quosdam eorũ ad pristinum gentilitatis errorem deuolutos, vt aut eos Deo reconcilians ibi præsentem vitam fructuosa pace finiret, aut si hoc magis Deo placeret, pro eius nomine quæcunq; ibidem aduersa & cruciamina sibimet occurrerent, vsq; ad mortem sustineret. Sed priusquam tanti discriminis iter arriperet, sciens non cõuenire, vt pro alienis ouibus saluandis laborans, proprias sibique cõmissas oues perire permitteret, sanctum Lullum, qui fidelissimus prædicationis & laboris sui comes extitit, cuiusq; probitatẽ omni dignitate condignam satis agnouit, cum consensu venerandi Regis Pipini, nec nõ Episcoporũ & Abbatum, atq; Canonicorũ, omniumq; procerũ ad suam diœcesin pertinentiũ pro se Episcopũ elegit & ordinauit. Nam ab Apostolico præsule iam ante eundẽ pro se ordinandũ impetrauit. Quo facto mox illũ manu propria apprehendens cõmendauit cũctis Principibus, ibidẽ congregatis, vt si tanquã patri obedirent, & adiutores ei in omnibus necessitatibus existerent. XIIX.

S. Lullus fit Moguntinus Archiepiscopus.

Deinde profectus ad eos, qui in Turingia, & qui circa Rhenum habitabant, eadem faciebat. Nouissime verò ipsum Lullum admonens, dixit: Quoniam resolutionis meæ tempus appropinquat, voluntas mea est, proficisci, vbicunq; me diuina gratia dirigere voluerit. Sed tu, fili chariſſime, commissarum animarum curam age, tu populum ab errore reuoca, tu inchoatam monasterii mei basilicam prope Fuldam perfice, ibidemq; corpus meum, quocunq; abiero, sepulturæ cõmittito. Adhæc etiam quæ itineri nostro iam necessaria sunt, prouide, & linteum, quo istud decrepitum corpus post obitum meum inuoluatur, in theca librorum meorum repone. Postquam loquendi finem fecit S. Bonif. B. Lullus, licet eximo pectore suspiria multa traheret, licet ex nimio dolore lacrymatus fuisset, non tamen aliud, quàm tantus pater propositum suum suggerere præsumpsit. Paucis itaq; diebus transactis naui cum conuiatoribus, ad huiusmodi iter electis ascendit, & Reni fluminis alueo differtur, donec aquosa Fresonum arua ingrediens in stagnum, quod lingua eorum Almeri dicitur, sospes perueniret. Vbi circumquaq; pergens, verbum Domini cũ fiducia prædicauit. Ecclesias ingenti studio construxit. Tantam autem gratiam Dominus famulo suo contulit, vt post paucos dies multa millia virorum ac mulierum cum cõmilitone suo Chorepiscopo Eoban baptizaret. Hunc namq; ad subleuandam senectutem suam, iniuncto sibi Episcopatu, in vrbe, quæ dicitur Thret, subrogauit. Erant etiam ei fautores Presbyteri tres, & totidem diacones, quorum hæc sunt nomina, VVintrug, VValtheri, & Adalheri, Hamũt, Skirbalt & * Bderso; Vaccar vero & * Kundekar, VVilliheri & Hadolf ex monastico ordine erant, sequentes eum. Qui omnes vnanimiter cum S. Bonifacio laborantes in prædicatione Euangelii meruerunt consortes fieri in palma martyrij. XIIX.

S. Bonifacius concionatur apud Frisones.

Eobanum ordinat Traiecti Episcopum.

* Scirebaldus.

* Boso.

* Gunderharus.

* Bortnam.

Nam cum per latas Fresonum regiones prædicandi causa discurrissent, veniissentq; ad flumen quoddam, * Borthne vocatum, quod est in finibus eorum, qui rustica dicuntur lingua * Oster & VVesterriche, sanctus Bonifacius suorum tantummodo clientum comitatu stipatus, iussit ibi tentoria figi, cupiens videlicet in eodem loco, eorum qui nuper baptizati erant, aduentum expectare confirmationis gratia. Dies enim appropinquabat, quia ad eandem confirmationem statutus erat. Cumq; dies prædestinatus aduenisset, & ortus sol altiores lineæ suæ gradus iam præoccupasset, tunc omnes, qui quasi filii à patre expectabantur, indignam ad accipiendam S. Spiritus gratiam, quæ ipso die per sacram confirmationem offerenda erat, super illos, versa vice pro amicis inimici, pro nouitiis fidei cultoribus, noui lictores cum ingenti strepitu, horrendoq; armorum sumptu in castra Sanctorum proruperant. Quo viso, pueri ex castris prosilientes, armisq; sese accingentes, sanctos contra populi furentis multitudinem defendere gestiebant. Sed S. Bonif. audito tumultuantis turbæ impetu, primo quidem ad munimenti spiritualis asylum confugit, sumens videlicet Sanctorum reliquias, quas secum indesinenter habere consueuerat; deinde vero accitis ad se Clericis è tentorio processit, & pueros suos ad resistendum paratos compescuit, dicens, Nolite, quæso, pueri mei pugnare, nolite aduersariis nostris bellum inferre, quia sacræ scripturę verbis edocemur, vt non solum malum pro malo non reddamus, sed etiam bonum pro bono exhibeamus. Iam enim diu optatus adest dies, iam tempus illud aduenit, quo de laboriosa huius sæculi ærũna ad æternæ beatitudinis inuitamur gaudia. Cur ergo tantam gratiam, tantam gloriam à nobis secernere & auferre vultis? Quin potius confortamini in Domino, & oblata gratiæ diuinæ dona nos gratanter suscipere permittite. Sperate duntaxat in Domino, & ipse liberabit nos ab omnibus periculis. Hæc & similia dicens, animos virorum suorum compescuit ab omni tumultu bellorum. Deinde etiam Clericos cuiusq; ordinis patria liberaq; voce admonens, ait: O fratres chariſſimi, si qua diuini amoris cura, si qua admonitionis meæ memoria maneat in vobis, in hora ostendite præsenti, recolentes illa dominica verba: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, quoniam animam non possunt occidere. Spei itaq; vestræ anchoram in Deo figite, quia post breue huius vitæ spatium perpetuæ remunerationis vobis brauium consortes faciat supernorum ciuium. Nolite precor diuturna inuictissimæ mentis bella in hac paruissima perdere hora, nolite peruersis gentilium adulationibus implicari, sed subitaneum, quod nobis iam imminet mortis periculum, pro illius amore, qui pro nobis passus est, constanter & viriliter sustinete, vt cum illo perenniter possitis gaudere. XX.

* Oester & VVesterreiche.

Sacramentum Confirmationis

Nota de sacris Reliquiis.

Rom. 12. 1. Pet. 3.

Matt. 10.

S. Bonifac. cũ suis trucidatur.

Nec dum vero huius salutiferæ admonitionis verba à S. Bonifacio, discipulos ad coronam martyrii incitante XXI. com-

completa sunt,& ecce furens multitudo paganorum cum gladiis omniq; infesta armatura super eos irruit,eorumq; corpora felici cæde cruentauit. Quod cum fecissent,confestim victricem damnationis suæ causam augentes,primo quidem ingressi sunt castra,& omnia quæ illic erant reposita tam in libris,quam in capsellis reliquiarum suarum abstulerunt, arbitrantes se in eis reperturos multos auri & argenti thesauros. Deinde verò ad naues currentes, asportauerunt etiam ea, quæ de quotidiano Clericorum puerorumq; victu illic remanserant. Vbi cum aliquid vini inter cætera reperissent, cœperunt ex eo gustare,furentemque animum inebriare. Post hæc verò tractare,& consulere studuerunt, qualiter illũ, qui putabatur inuentus esse,auri & argenti thesaurum inuicem diuiderent. Cumq; prolixius de tantæ pecuniæ sermocinantes diuisione nequirent rem pacifico cõsensu definire,tanta inter eos subitò discordia & disceptatio exorta est,vt eodem furore,eadem vesania,eisdem armis,quibus antea SS. Martyres iugulabant,semetipsos mutua condigna cæde necarent, justo Dei iudicio illis occurrente,& in tam reprobum sensum cadere permittente,vt eundem gladium, quem euaginauerunt ad interficiendos salutis suæ ministros, transfigerent in corda sua. Huiusmodi igitur strage finita, qui supererant iterum de pecuniarum opinione gaudentes concurrebant,& factis librorum repositoriis,pro auro,volumina, pro argẽto, diuinæ doctrinæ chartas reperiebant. Vnde solita dementia arrepti,eosdem libros, quos inuenerunt,alios quidem per campi planitiem, alios vero per palustria loca dispersерunt,quosdam autem in quibuslibet locis incongruis proiicientes absconderunt. Veruntamen omnipotentis Dei gratia vt clarescceret quanti esset meriti,cuius iidem fuerant libri, postea magno temporis spatio transacto,reperti sunt intemerati,& ad Ecclesias,in quibus vsque hodie haberi possunt,à singulis inuentoribus reportati. Inter eosdem vero libros repertus est S. Euangelii liber,quem beatus vir pro sanctitate sua secum iugiter ferre solebat. Hic ergo quamuis gladio acuto,vt adhuc ab inspicientibus probari valet,per medium incisus fuerit, nullius tamen literæ integritatem eadem incisione perdidit. Quem vt fertur S. Bonifacius in illa hora, qua ad caput eius abscindendum vibrabatur gladius,habens in manibus,vel pro tutela capitis vt multi solent, seu etiam pro clipeo spirituali, quem in libro tali esse credidit, percussori opposuit. In quo nimirum signo & miranda virtus Dei, & veneranda sanctitas beati Bonifacij potest agnosci. Mirabilius namque videtur,quod nulla incisi libri littera delebatur, quam si nullum incisionis stigma per ferientem gladium in libro reperiretur. Postquam ergo carnifices, qui remanserant, nulla æstimatæ pecuniæ indicia inuenerant,satis contristati domum sunt reuersi,sumpturi post trium dierum inducias dignas facinoris sui pœnas. Audita enim sanctorum virorum improuisa nece,omnes Christiani,qui in eiusdem regionis confinio habitabant,conuenerunt,terramq; eorum,qui sanctos trucidabant,cum armata manu inuaserunt. Quibus cum pagani conuenientes resistere vellent,sed minime prævalerent,in fugam versi magnam, persequentium Christianorum virtute prostrati corruerunt. At Christiani victoriam in paganos obtinentes,omnem substantiam eorum abstulerunt, sicq; ad propria redierunt, factumque est, vt qui salutis suæ ministros trucidare non verebantur, duplici contritione contererentur; nam in vita præsenti cœperunt conteri,& postmodum æternæ damnationi sunt deputati.

Obserua cælestẽ vltionem in percussores eius.

Præclarum miraculum

Codex S. Euangelij.

Aliud insigne miraculum.

XXII. Corpvs vero B. Põtificis à Traiectensis Ecclesiæ Clericis raptũ post dies paucos ferebatur ad Traiectũ,ibiq; magna veneratione est sepultũ. Quod cum S. Lullus comperisset,congregata multitudine venerabiliũ virorũ, tam laicorũ, quam Clericorum,intimauit eis & glorioſam S. Bonifacii passionem,& qualiter humatus esset apud Ecclesiã Traiectensẽ pariterq; referens omnibus in quo loco S. Præsul adhuc viuens sibi præciperet corpus suum sepelire,petiit, vt pro Dei amore auxilium præberent,quatenus sancti viri iussa posset implere. Cumq; plurimi ad huiusmodi auxiliũ se promptissimos exhiberent,elegit ex eis,qui sibi aptissimi videbantur,& misit tam nauigantes, quam equitantes ad prædictam vrbẽ causa auferendi corpus S. Bonifacii. Eisdem autem legatis omnimodo properantibus,& peruenientibus ad Traiectum, ciues illius loci audientes cur veniissent,congregauerunt & ipsi seniores populi,iudicesq; ad resistendũ. Et quia multitudini aduenientium congredi non posse viderunt,testati sunt à Rege Pipino iussum fuisse,ne corpus S. Bonif. inde auferretur. Verũtamen legati hoc magis fictum,quam verũ arbitrantes,viribus totis in ea, qua venerant causa, instabant, virtute scilicet diuina eos roborante & adiuuante,vt voti compotes existerent. Quod etiã ita esse rei probauit euentus. Nã cum vtrinq; ageretur altercatio de corpore sancto, interea signũ Ecclesiæ,quod vulgo appellari solet * Glocca,absq; humano motu sonare cœpit. Quo audito incolæ omnes,qui illic aderant,ad pugnam cõgregati, nutu diuino perterriti obstupuerũt,& sancti viri corpus reddendum esse decreuerunt; statimque redditũ est corpus, & à venerabilibus prædictis legatis susceptum cum debito honore, & sine remigantiũ labore,tricesima obitus sui die,quasi ad hoc statuto, multi virorum ac mulierum procul habitantium conuenerant,qui nescientes aduentum sancti corporis, gratia tantum præstolandi seu occurrendi legatis illuc venire disposuerant. Sed & venerandus præsul Lullus,qui legatis transmissis mox ad regiam * curtem properabat,ipso die licet ignarus de suorũ reditu,sanctiq; corporis aduentu, simul aduenit, Deo tantam conuenientiam ordinante,vt illis communiter aduenientibus,quibus magna mœstitia ex amisso patre & doctore contigit,fieret etiam commune gaudium,cum eum perennem patronum apud Deum habere posse agnouissent.

* *Glogga.*

Corpus S. Bonifacij deportatur Moguntiã

* *curiam.*

XXIII Svscepto igitur thesauri tanti pignore fuerunt plurimi in vrbe Mogonciacensi, qui censebant illic sepeliendum esse sancti viri corpus,vbi erat Episcopus,affirmantes huiusmodi ius esse omnium Ecclesiarum, vt quo quis sedem Episcopalem habuerit,illic quoq; sepeliendus sit. In tantum autem quorundã illud affirmantium prævaluit certamen,vt pene eorum consilio S. Lullus consentiret,nisi cuidam venerabili Diacono,qui dicebatur Otpertus, apparuisset S. Bonifacius in visione dicens, Dic Episcopo Lullo, vt corpus meum absq; omni ambiguitate ad monasterii mei locũ transferat. Cumq; hanc iussionem multi audientes minime crederent,præsul Lullus allatis Sanctorum reliquiis, iussit Otpertum probare iurando,si vera esset eius visio. At ille nihil dubitans,iussa impleuit,visionem iurando probauit. Quod cũ factũ fuisset, omnes non solum ea, quæ prius renuerant de sancti corporis translatione fieri consenserunt,sed etiam adiutores esse cœperãt,in his quæ huiusmodi cura poscebat. Quidam enim ad afferendas naues, vt celeriter trans Rhenũ proficisci possent,properabant,quidam vero litaniam,psalmodiã,aliaq; diuinæ laudis cantica sanctũ funus sequentes, dicebant. Cumq; turba vna longius procedens,vtraq; procedere non valens,rediret,alia nihilominus turba de regione vicina accessit,gaudens illius sancto obambulare corpori,quem credidit & sperauit sibimet apud Dominũ suffragari. Quæ ibi lætitia & compunctio de tãti viri patrocinio plurimis fuerit exorta,hoc nequeũt nostra digne depromere scripta. Vnde etiã in quibusdã locis vbi cum sancto corpore pernoctabant vel meridiabãt,in eius honore Ecclesias postea cõstruebãt. Talique taq; gaudio perductus est monasterij Fuldensis loco,quo ipse sepeliri sæpius optauit,sæpiusq; id beato præsuli Lullo peragendum commendauit. Qui & petitionem eius complere summopere nisus,cum veneratione debita terræ,quod suum erat reddidit,animam vero cœlestibus gaudiis sociandam omnimodis precibus commendare curauit.

Vide priscorum Germanorum deuotionem.

S. Bonifac. Fuldam transfertur.

XXIV In cuius venerãdo tũbæ loco, per eius merita, multis,quod fides cõgrua ad obtinẽda ea,quæ poscũt,incitat,plurima eueniũt beneficia,tã interioris,quã exterioris hominis,interioris quidẽ,cũ veniã delictorũ suorũ obtinuerint, exterioris verò,cũ infirmitatẽ vel debilitatẽ aliquã corporalẽ euaserint. Quæ videlicet vtraq; beneficia,quotiescũq; ibi nõ impetrãtur,nõ imputãdũ est vel diuinæ inclemẽtiæ, vel inualido apud Deũ S. Bonif. patrocinio: sed potius his,qui infidelitate capti nõ merẽtur exaudiri,attestãte Euãgelista,qui de Dño nostro dicit, Quia nõ potuit vllas virtutes facere,propter incredulitatẽ quorũdã. Cessãt eriã interdũ miracula,tã pro seruitutis diuinæ negligẽtia,quã pro incorrigibili inhabitãtiũ malitia. cessãt & idcirco,quia cũ aliquãdo per intercessionẽ Sanctorũ eueniũt,nõ solũ laudes vel grates Deo debitæ,Sãctisq; eius minime referũtur,sed nec memorię cõmẽdãtur. Habuit autẽ S. Bonif. in Episcopatu anos xxxvi. mẽses vi. & dies vi. Passus est vna cũ sociis Nonis Iunii, Anno scilicet peregrinationis suæ xl. sed Incarnationis Dñi septingẽtesimo quinquagesimo, * regnãte eodẽ Dño nostro, Cui laus & gloria per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Miracula ad sepulchrum eius.

Matth. 13.

* *quinquagesimo quinto.*

VITA

VITA B. MEINVVERCI EPISCOPI PATHERBORNENSIS EX AVTHENTICIS MSS EDITA PER R.P. Christoph. Brouverum Soc. IESV in fider. Ger.

AN. 1000

5. IVNII. Pleraque cap. 1 & 2. contenta, mutuata ex Translatione S Liborij, infra 23. Iulii.

POSTEAQVAM Mediator Dei & hominum carnem sumere, & Crucem subire pro salute omnium dignatus est, discipuli ab ipso electi & dilecti post eius gloriosam ascensionem, Spiritus sancti visitatione & consolatione confortati, & omni scientia veritatis sunt imbuti, secundum ipsius promissionem: vt per eos saluarentur ante mundi consummationem, qui saluandi per gratiam præordinati erant ante mundi constitutionem. Quorum prædicationis instantia conuersa sunt ad Dominum innumerabilia multorum hominum millia, agnitaque fide Christianæ religionis respuerunt cultum antiquæ superstitionis. In cuius vnitatem fidei cum diuersarum terrarum & linguarum alacriter & salubriter conuenirent populi, conuenit quoque magna Clementis Saluatoris clementia; sedulaque magni Karoli multimodi laboris instantia gens *a* Saxonica, quam ad credendum eo compulit difficilius, quo id genus hominum natura animi erat ferocius. Subiecta autem iugo fidei, facta est *b* sacerdotibus tributaria, quæ tributa aliorum exegerat temeraria; cæpitque sua pro Christi amore Christianis tribuere, quæ raptu aliorum solebat viuere. Destruuntur hinc fana idolorum, & exstruuntur oratoria Sanctorum. Designantur parochiarum *c* termini; constituuntur Episcopalium sedium in locis congruis tituli; in quibus rudis adhuc in fide populus ne ad perfidiam pristinam relaberetur, salutaribus monitis imbueretur; & seruientium Deo multitudo, numero, & merito, quotidie augeretur. Inter omnia vero loca principalibus Ecclesijs constituendis destinata, speciali *d* quadam dignitate Patherbrunnensis sedes præeminebat; quæ semper magnorum titulis signata virorum, præ exteris, terris vndiq; * circumiacentibus, frequenti & varia nemorum diuersitate; agrorum vbertate; cum omnium frugum fertilitate, saluberrimorũ fontiũ in vnum locũ inibi latitudine & amœnitate incomparabili confluentiũ, aliorumq; multorũ per quasque vicinias id locorum concurrentium, numerositate excellebat. Cuius *o* iucunda amœnitate placidaq; aëris temperie Rex delectatus, pro publicis disponendis negotijs in bi sæpius est moratus: positisque, regali magnificentia principalis Ecclesiæ fundamentis, magno erga Deum suæ dilectionis indicio, talem locum iure belli acquisitum, magis *f* Ecclesiastico, quam proprio deputauit seruitio. Cũ autem nouiter factæ conuersionis messis multa, nouellæ vero plantationis operarij essent pauci, locum eundem *g* tuitioni Præsulum V Virciburgensis Ecclesiæ commisit, sub quorum regimine status ipsius nec profecit, nec longa viæ intercapidine, publicaq; variorum negotiorum necessitudine, proficere potuit. Vnde Rex, cum suis, habito & inito consilio, eundem locum proprij Pastoris vigilantia tuendum & gubernandum adiudicauit. Præposuitque ei anno Saluatoris mundi postquam de virgine nasci dignatus est septingentesimo nonagesimo quinto præfato V Virciburgensis Ecclesiæ Canonicum, rus rudis in fide adhuc populi exculturum *h* Hathumarum; cuius pontificatus anno quarto, Dominicæ vero Incarnationis septingentesimo nonagesimo nono, Beati Petri Apostoli vicarius *i* Leo eiusdem nominis tertius iniusta ciuium suorum perpessus odia, in Patherburna Regem Carolum, adijt; susceptusq;, vt parerat, cum ingenti honore & gloria, religiosum ac salutare Christianitatis dilatandæ studium nobiliter inchoatum, Apostolica authoritate firmauit; atque in crypta ibidem nouiter constructa, quoddam *k* altare consecrans, adorandas in eo Protomartyris Stephani reliquias, quas Roma secum attulerat, in priuilegium Apostolicæ consecrationis collocauit. Tale fundationis Patherburnensis Ecclesiæ, tam Apostolica benedictione, quam Imperatoria sanctione, incrementum per sæculorum sæcula, virtutum omnium cum dilectione Dei & proximi accipiat augmentum sitq; ei Petrus Petra Ecclesiæ, contra portas errorum omnium firmamentum, vt in templum sanctum in Domino crescat ædificatio constructa super ipsius fundamentum.

I.

5. Iunii. *a* Saxonum cõuersio à Carolo magno *b* Saxonia tributaria sacerdotibus *c* Diœcesion in Saxonia distributio. *d* Patherbur nensis seu Patherbrũnensis agri oportunitus. * *amplissima planicie altrinsecus.* *e* Patherbrunnę æmœnitate Carolus delectatus. *f* Patherbrunnensis episcopatus origo. *g* V Vircebur gensi inspectioni subditus initio.

h Hathumarus I. Episcopus Patherbronnensis *i* Leonis Papæ Patherbronnam aduentus ad Carolum M *k* Altare S. Stephano dedicat.

BEATO verò Hathumaro nono Episcopatus sui anno, Dominicæ Incarnationis octingentesimo quarto ex hac luce subtracto, atq; ad perennem, vt credimus, vitam assumpto, successit ei vir egregius nomine Baduradus, qui ex nobili Saxonum prosapia ortus, ex prædictæ V Virciburgensis Ecclesiæ clero fuerat electus, qui præclaræ morum nobilitatis, magnanimitatis, & industriæ merito, familiaritatem Caroli Regis intime consecutus, tantæ dignitatis & dilectionis apud eum locum promeruit, vt ei non minor facultas quam voluntas amplificandæ, prouehendæ, atq; adornandæ Ecclesiæ sibi commissæ suppeteret. Vnde nihil laboris studijq; sui subtraxit ab acquirendis ac procurandis omnibus, quæ ibidem ad laudis diuinæ augmentum, atq; vtilitatem Christiani populi pertinere agnouit. Ecclesias videlicet per omnem Parochiam suam sub celeritate construere; principalem Basilicam, ingenti decore, & grandi opere extollere, res omnes ad eam pertinentes modis variis adornare, augmentare Clerum, disciplinam monasterialem instituere pueros, tam nobiles, quam inferioris conditionis in Scholam congregatos in diuinæ legis eruditione nutrire. Eius Pontificatus anno decimo, Dominicæ incarnationis octingentesimo decimo quarto, glorioſus Imperator Carolus Pater Patriæ, Apostolus gentis Saxonicæ, anno regni sui quadragesimo sexto, ab vrbe Roma condita millesimo quingentesimo sexagesimo * septimo, ab hac luce migrauit, æternæ vitæ gloriam, & perpetuam futurorum habiturus memoriam, pro multimodis indefessi laboris studijs, quibus fines Christianæ religionis promouit & dilatauit.

II.

Baduradus II Episcopus Patherbronnensis

Baduradi Episc. acta.

Caroli M. obitus. * alii ab V C. 565 adi Vrspergensem.

BADVRADVS autem venerabilis Pontifex virtutum imitabilis artifex, vtiliter cæpta feliciter consummans, anno Episcopatus sui quadragesimo octauo, migrauit ad Dominum; rexitque post eum annis viginti sex Luitharius iam dictæ dicendæque ciuitatis populum. Cui succedens Biso nomine; præfuit viginti tribus annis ipsi Ecclesiæ; rexitque eandem post eum. Thiedericus annis nouem. Sexto loco succedens Vnvvanus fuit nouendecim annis Episcopus: septimoque Dudo nomine, annis viginti quinque virtutes octo beatitudinum docturus populum. Octauo loco viginti septem annis præfuit Folcmarus. Successitque annis viginti octo consilij sui excellentia dispersa collecturus Retharius. Decimo loco magnorum operum auctor & patrator sibi suisque Meinvvercus successit vtiliter, qui decalogi legalis vel gratiæ spiritualis perfectionem per Dei & proximi dilectionem adeptus est feliciter. Huius laudum & meritorum præconia cum aliis, & præ aliis suscipiat Ecclesia; eius amori insistens, & deuotioni, cuius ille honori instituit & promotioni. Hæc ergo veraciter posteris intimari, animosque fidelium exemplis priorum decet excitari: vt qui virtutum culmina adipisci desiderant, gradus felicissimæ ascensionis agnoscant.

III.

Luitharius III. Episc Patherbrõ. Biso IV. Thiedericus V. Vnvvanus VI. Dudo VII. Folcmarus VIII. Retharius vel Retharius IX Meinvvercus X.

Germaniæ magna diuisio.

GERMANIA post Scythiam inferiorem sumens initium, à flumine Danubio, desinit in Rheno: terra diues & populosa, quæstuosa pariter & bellicosa. Hæc maiorum solertia diuisione distincta bifariam, in superiorem, quæ habet terminum iuxta septentrionalem Oceanum; & inferiorem, quæ circa Rhenum, finem sui faciens in mari, quod Galliæ Britanniæq; prætenditur littoribus, ex quo quaq; versus omnium terrarum patet exitus. Ad huius inferioris Germaniæ septentrionalem tractum Traiectensis Diocæsis est terminus, locus nauium & vectigaliũ conuentibus quæstuosus; magnorum & nobilium virorum gloria, quam in defensione gentis suæ, & patriæ magnanimiter adepti sunt, insignis & famosus: De quorum nobili prosapia ortus est * Imadus, in eadem Prouincia. Qui virtutis, & probitatis, maiorum suorum factus hæres legitimus, & strenuus, Comitatum, suo tempore in eiusdem prouinciæ administrauit partibus: qui tantæ nobilitatis lineam propagari, nominisque sui memoriam & posteritatis gloriam cupiens nobilitari, cum multiplici diuitiarum

IV.

Traiectensis Diœcesis natale Meinvverci

* *Imedus al.* Meinvverci stirps, pa

tiarum apparatu, ac possessionum prædiorumque reditu, nobilem duxit vxorem de terra Saxoniæ Athelam nomine: de qua, processu temporis genuit Thiedericum & Meinvvercum; Glismod & * Azelam. Thiedericus autem paternæ dignitatis & faculratis hæres designatus. Meinvvercus in Ecclesia beati Stephani protomartyris in ciuitate Haluerstadensi, ad clericatus officium à parentibus est oblatus. Azela vero castitatis æmulatione agnum secutura, Sanctimonialium cætui in ecclesia pretiosi Martyris Viti Eltenæ associatur. Glismod autem tricesimum fructum pudicitiæ matronalis adepturа, cuiusdam nobilis principis in Baioaria matrimonio copulatur. Meinvvercus igitur liberalibus studiis & spiritualibus imbuendus disciplinis, in præfata Haluerstadensi Ecclesia tenerioris ætatis rudimenta; prouectioris vero in Ecclesia Hildenesheimensi peregit. Vbi Heinricus filius ducis Baioariæ Heinrici, cum aliis plurimis, honori & decori Ecclesiæ Christi suo tempore profuturis, secum theoriæ studiis continuam operam dedit. Quam liber autem & integer à vitiis, & in puerili & in iuuenili ætate, vixerit; qualis, quantusve inter coæmulos, vitæ sinceritate, morumque probabilitate, conuersatus fuerit, variis hinc inde quæsitis laudationum fucis eum colorare non conuenit, cum indiciis operum euidenter postmodum claruerit, quale fundamentum domus suę in eo sapientia Dei collocauerit: Acceptus [a] autem de scholis, vixit in prædicta Haluerstadensi Ecclesia sub * Præposito canonicæ legis, omnibus carus, & amabilis aspectu; & colloquio affabilis, actu & eloquio irreprehensibilis.

rentes, frater, sorores.
* *Athelam*
Meinvvercus Haluerstadii in Cleri sorte Deo offertur.
Ibidem & Hildenesheimii cum Henrico pòst sancto educatur.
a Meinvvercus Haluerstadii Canonicam vitam agit.
* *proposito.*

V. Eo tempore monarchiam Romani Imperii Otto eiusdem nominis secundus strenue gubernabat; armis strenuus, fide Catholicus, non minus diuinis, quam humanis rebus deditus, qui postquam III. Idus Iulii contra Sarracenos in Calabria periculosissime dimicans, multis suorum amissis, ipse vnus vix euasit, septimo Idus Decembris sequentis anni Dominicæ Incarnationis videlicet nongentesimo octogesimo tertio, regni sui decimo, Indictione duodecima obiit; & filium suum [a] eiusdé nominis successorem dereliquit; Heinrico [b] duce Baioariæ, qui priori anno, mortuo patre suo Ottone Duce, ducatum obtinuerat, regnum inuadente, sed victo, desistente. Rex autem [c] puer in proximo natali Domini, ipsa sancta die, vnctione Ioannis Rauennatis Archiepiscopi Aquisgrani Rex consecratus, paternæ virtutis & industriæ vestigia per omnia est imitatus; non minus Christianæ religioni humiliter inseruiens, quam regni negotiis solerter insistens.

Otto II. Imp. Dietmar. li. 3. Chron. & aliis
VII. Idus Decebr. Indict. nona inchoata.
a Otto III. Imp. coronatio.
b Henricus Baioariæ Dux regnum affectans. *c* Ottonis III.

VI. Meinvvercvs autem regia stirpe genitus, regio obsequio, morum elegantia idoneus adiudicatur, euocatusque ad palatium, regius Capellanus efficitur, vt Deo ordinante longius innotesceret, qui longius expetendus erat; fieretque in negotiis tam spiritualibus quam sæcularibus ætate doctior, vsu tritior, processu temporis sapientior. In quo, cum irreprehensibiliter conuersaretur, & regalis celsitudo, & procerum multitudo, eum reuerebatur; vtpote, cuius beneuolentiæ ancillabatur humilitas, grauitatem temperabat affabilitas, in cuius ore veritas & dulcedo; in cuius [d] corde pietas & mansuetudo; in cuius moribus & scientia, verborum & operum regnabat concordia. Omittantur extrinseca; licet enim in consideratione singularitatis præterire communia. Præ participibus suis in domo Domini exaltandus, participio sancti Spiritus erat primitus exornandus, vt videlicet esset discretione prouidus; actione præcipuus; moribus approbatus; virtute perfectus; humilitate communis; compassione singularis; mansuetudine lenis; authoritate grauis; patientia amabilis; vindicta pro Zelo iustitiæ terribilis. Qui pectus haberet consilii, acumen viuacis ingenii, Atticos flores vernantis ingenii præter alia innumera his similia, quibus immorari non conuenit, ne quid præter veritatem, mera veritatis assertio, intendisse videri possit. Rex autem huiusmodi virtutum insignia sapienter animaduertens, & eum regia liberalitate honorare dignum ducens, interuentu Geptæ venerabilis Abbatissæ, duos Mansos regales in Lutterim in pago * VVentsgoi dicto, in Burvvardio * Dalehem, in comitatu Herioldi comitis, ei donauit; de quibus illi regiæ concessionis & confirmationis præceptum conscribi & contradi mandauit suæ sinceræ dilectioni, perhibens testimonium relatu dignum, quod videlicet suam * vitam diligeret vt propriam.

Meinvvercus in Palatio Ottonis III regiis Capellanis accensetur.
d Meinvverci inculpata vita & virtutibus egregiis ornata.
**Tventsgou.* *VVentgoi.*
* *in Burdardioq.*
* *id est eius.*

VII. Eo tempore Rethardus [b] Patherburnensis Ecclesiæ venerabilis Episcopus inter alios quam plurimos, qui scientia prædiri, moribus adornati, secundas partes regni strenue adiuuabant, enituit; qui nomen Episcopi officio tenuit, moribus impleuit. Denique cura peruigili intendens commisso gregi, in collectione dispersorum, in conseruatione congregatorum, operam continuam dedit; & ab eodem Ottone Rege, aliisque fidelibus donaria non modica, diuersis temporibus, acquisiuit. Volens autem Ecclesiam suam super Apostolicam petram fundatam, Apostolicæ tuitionis præsidio arctius communire, priuilegium Apostolicæ confirmationis super bona & iura Ecclesiæ suæ, à Ioanne [c] Papa eiusdem nominis octauo decimo, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo nonagesimo, Episcopatus illius tertio, Indictione quarta petiit & obtinuit; vt si aliquando mundanæ turbulentiæ eam cornibus suis impetereret aries, tantæ authoritatis reiectus fortitudine dissiliret vt glacies. Electionem quoque Episcoporum inter eiusdem & ab eiusdem Ecclesiæ filiis faciendam, quam [d] eis diuersi Reges diuersis temporibus liberaliter & legaliter cõcesserunt, Carolus videlicet Caluus interuentu videlicet Bisonis Patherbronnensis Episcopi sexta Id. Decembris anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo octogesimo quinto, Indictione quarta: anno, ex quo, patre suo Luthuvvico eiusdem nominis secundo mortuo, cum fratribus suis Karlmanno & Hlodovvico de regno altercari cæperat, nono; ex quo, Karlmanno mortuo, à Ioanne Papa in Imperatorem vnctus fuerat, quinto: ex quo, fratre suo Hlodeuico XII. Calendas Februarii mortuo, totius regni monarchiam, nullo resistente suscepit, quarto. Otto eiusdem nominis secundus, decimo quinto Calendas Februarii rogatu [e] Folcmari eiusdem ciuitatis Episcopi anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo septuagesimo quarto, Electionis suæ decimo quarto, Imperii primo, Regni septimo, Indictione quarta. * Idem Papa eodem priuilegio confirmauit, vt si vnquam aliquis in ouile ouium aliunde, quam per ostium introiret, excommunicationi subiaceret.

*999. Christi anno Patherbrõnæ ciuitatis & principis Ecclesiæ in notis.
b Rethardi Episc. Patherbrunl. ius & vigilantia in Ecclesię rebus conseruandis.
c Ioannis XVIII. aliâs XV. Papæ priuilegium super electione Cleri libera.
d Priuilegii origo à diuersis Regibus concessi Bisoni Episcopo à Carolo Caluo.
e Folcmaro ab Ottone II.
* *indict. 2.*

VIII. Qvalis autem in huiusmodi studiis Episcopi intentio fuerit, aduersitas probauit; quæ non segnius, immo multo instantius in aduersis, quam prosperis, Ecclesiæ ei commissæ in omnibus fideliter, & vtiliter, prospicere, veraciter demonstrauit. Denique quocunque Dei iudicio, siue malitia inhabitantium exigente, siue saluti mortalium Deo per id consulente, anno Dominicæ Incarnationis millesimo, Ordinationis ipsius Rethardi Episcopi nonodecimo, regni Ottonis III. decimo septimo, Imperii quarto, Indictione decima tertia, ciuitas Patherbrunnensis primum incendio vastatur, nobileque principalis Ecclesiæ Monasterium præcipui operis & decoris à Carolo Magno fundatum, à beatæ vero memoriæ Badurado Episcopo consummatum, & XIV. Calendas Nouemb. dedicatum, cum libris, priuilegiis plenariis, aliisque Ecclesiæ ornamentis propemodum conflagrauit.

Otto, Polonia seu Slauia lustrata Romam petit.

Ipso anno Imperator tempore quadragesimali causa orationis ad S. Athelbertum Slauiam intrauit; ibique, coadunata Synodo, septem Episcopia disposuit, & Gaudentium Monachum fratrem [f] B. Athelberti Archiepiscopi, qui ante trienniumà Prucis martyrizatus, Episcopus fuerat in Praga, Archiepiscopum ibidem constituit. Inde Italiam pertransiens Romam intrauit; ibiq; Natale Domini condecenter celebrauit. Rhetardus [g] ergo Episcopus capta loci & temporis oportu-

IX.

f S. Adelbertus. *g* Rhetardus Episcopus Ottonem in Italia & S. A. per nuncios conuenit.

oportunitate, quo tam apud Apostolicæ sedis authoritatem, quam apud imperialem maiestatem Ecclesiæ suæ calamitates defleret, missis nunciis, vtrisque, quæ acciderant, innotuit; &, vt antecessorum suorum constituta super immunitate Ecclesiæ eiusdem renouarent, & renouata Præceptorum suorum authoritate confirmarent, expetiit. Qui incendio Ecclesiæ & ciuitatis audito intime condoluerunt, & roganti benignissime annuentes, omnia, quæ eidem Ecclesiæ eatenus honori vel vsui seruierant, confirmauerunt. Videlicet de Episcopatus statu, de tuitione atque mundiburdio Ecclesiæ, sanctæ Dei, & perpetuæ Virginis Mariæ, de decimis, de omni proprietate ad eandem Ecclesiam pertinente; de electione Episcoporum inter Clericos eiusdem Ecclesiæ facienda; de eius hominibus tam liberis quam & seruis à nulla iudiciaria persona constringendis, nisi eorum Aduocato, quem ipse Episcopus elegerit, de proprietate Clericorum, si quis illorum sine hærede obierit, eidem Ecclesiæ concessa, de Comitatibus super pagos Pathercha, Aga, Threuerescha, Auga, Sorethuelt datis pro decimis nouæ Corbeiæ ad Monasterium pertinentibus, de tribus Mansis in Duisburg & [h]Trutmannia *de foreste, quod incipit de Delchana flumine, & tendit per Osniche* Ardesinam & Sinethlen, *vsque ad viam, quæ ducit ad Herisi. *Hæc ergo, & alia omnia, quæ Ecclesia illa die, quando combusta est, habuit; vel deinceps habitura erit confirmantes, confirmata per manus Notariorum suorum & Cancellariorum sub firma adstipulatione, sigillorumque suorum impressione roborauerunt, & Romæ data Calendis Ianuarii Episcopo suæque Ecclesiæ, Anno Dominicę Incarnationis Millesimo* Pontificatus Syluestri Papæ secundo, regni Ottonis Regis tertii, decimo octauo, Imperii quinto, Indictione XIV. transmiserunt.

Abolita incendio priuilegia instauranda curat.

h Tortmã- fæ id est, Tremonia Westphaliæ.

*Osignem

*Sinethi

*Herst.

*al Mill°.

p°.

Anno illo Rex in partibus Italiæ commoratus, mortis periculo est præuentus; quo profectò illo tempore caruisset, si beati Heriberti Colonienſis Archiepiscopi monitis obtemperare voluisset. Mortis autem illius occasio hæc fuit, Ante quinquennium Dominicæ Incarnationis videlicet annum nongentesimum nonagesimum sextum, Rex ad mitigandam sæuitiam Crescentii Romam venit; & tumultu oborto decenter sedato, Iohanne Papa defuncto, Brunonem cognominatum Gregorium Ottonis Ducis* filium, in sedem eius locauit, & ab eo imperialem vnctionem accepit. Imperatore autem Romam egresso, proximo anno, consiliante Crescentio, Ioannes [i] Placentinus Episcopus contra velle Imperatoris sedem Apostolicam inuasit. Vnde iterum Imperator Romam veniens, proximo anno, prædictum Ioannem inuasorem, cæcatum & naso truncatum deposuit; & Crescentium cum duodecim suis decollatum ante Vrbem suspendi iussit. Bruno autem, qui & Gregorius, ab eo restituitur; sed post discessum eius à Romanis expulsus, ac deinde veneno peremptus; postquam annos ferme duos, & Menses nouem Romanam Ecclesiam rexerat, quarto [g] Idus Martii moritur; eique Gerbertus, qui & Syluester dictus est, successor eligitur: Rex ergo cum isto Syluestro Papa Natali Domini Tudertinæ* celebrato, cum confusionem tam in Beati Petri Ecclesia, quam in Republica factam decenter componere suisset, incidit in insidias mulieris malæ, eius videlicet, cuius virum Crescentium sibi rebellantem captum iusserat capitalem subire sententiam; quam formæ elegantissimæ nimis insipienter thoro suo socians, ab ea non præcauens, quamuis à Sancto viro Heriberto sæpius esset admonitus, veneno [f] intra cubiculum dormiens, infectus est; & sequenti die, Beato Heriberto pestem quam perceperat, confessus, cum se mori sensisset, vt corpus suum Aquisgrani sepeliendum transferret, petiit, & sic Paternum ingressus, cum generali omnium dolore octauo* Calendas Februarii obiit. X.

Ottonis III. cum Romanis dissẽsio & causſa ipsius interitus.

*Bauariæ.

[i] Ioannis Placentini S. A. insessoris & Crescẽtii exitus Glaber. lib. 1 c. 4. Gregorius V. à quo Electorum Imperii ius vulgo deriuãt.

g alii XII Calend. Martii an. 998. **Tuderti f* Otto perit veneno à Crescentii vxore dato an. 1002. Adi Ditmarum libr. 4 & c. X. vitæ S. Heriber.

**alii V. alii LX. Cal. Feb.*

Ante successionem autem futuri Principis, confusum est regnum nimis; insonuitque inter principes tempestas validæ commotionis, propter ambitionem inanis dominationis, de quibus Ekkihardus Marchio vsurpator regni, Palthi interfectus, occubuit, & Conradus vnus de primoribus regno expulsus, aliquamdiu ab eo exulauit, Herimannus quoque Dux Sueuiæ non expers fuit tantæ discordiæ, qui dum ipse regnare voluit, electioni generali impedimento fuit. Quidam etiam princeps Bruno* nomine regni fastigium obtinere voluit, sed effectu carens, multis, votis eius non fauentibus, & præcipue beatæ memoriæ Berenvvardo Hildinesheimensis Ecclesiæ Episcopo, in hominibus & bonis eius multa mala intulit, sed serenante altissimo, & mediante Wiligiso Magontiensi Archiepiscopo, Heinricus [k] dux Baioaricus secundum sæculi dignitatem locupletissimus, & litterarum studiis non tenuiter instructus, &, quod his maius est, vir in omni perfectione Ecclesiastica præcipuus, eligitur; &, redditis regalibus à sancto Heriberto Colonienſi Archiepiscopo, qui ideo electioni non interfuit, quoniam in humando corpore defuncti principis occupatus fuit, Maguntię [l] Dominica octaua Pentecostes, à Willigiso eiusdem ciuitatis Archiepiscopo ordinatur. XI.

Tumultus & dissidiũ Principum vacante imperio.

**forte Benno Saxoniæ Dux.*

De quo tamen id negat Adelboldus.

[k] Henricus dux Baioariæ, rex eligitur. [l] Maguntiæ à Willigiso coronatur.

Eodem anno, nouo rege Natiuitatem Laurentii in ciuitate Patherbrunnensi celebrante, domina Chunigunda, ipsius, vt putabatur, vxor, re autem vera castitatis æmulatione soror, à prædicto Willigiso Maguntiensi Archiepiscopo in ibi regiæ consecrationis dominium adinuenit, quod eidem Ecclesiæ in augmentum honoris, & profectum magni decoris, Dei misericordia, prouenit. Ipso anno Wotelolffus [m] Osneburgensis Episcopus obiit, eique Thetmarus [n] vir bonus & iustus, fortis, pius & moderatus succeſſit. XII.

Chunigunda Patherbronnæ, regina consecratur.

[m] Wotelolffus Episcopus Osnaburg.

[n] Thietmarus eius successor.

Hic Præsul factus impleuit præsulis actus,
Vt patet in factis, ipsius ibi quoque scriptis.
Denique Baptistæ fundans in honore Ioannis,
Ecclesiam quandam, supplex dedicauit eandem,
Anno milleno bis quino desuper vno.
Ex quo sermo Patris sumpsit præputia carnis.
Osneburgensi quæ scitur proxima sedi
Continuis horis tribuens sibi pignus honoris.
Hic apud Ecclesiam per se tam sedule factam,
Constituit cunctis post hæc instantibus annis
Adueniente sui sacro natale Patroni,
Lætitiæ sacræ fraternum fœdus haberi,
Ac in amore Dei miseros inibi recreari.
Et de collata de fratrum munere cera
Candelam fieri Baptistæ in honore Beati.

Ecclesiam S. Ioanni Baptistæ exstruit & dotat anno 1011.

Meinvvercus autem nouo Regi tam carnis propinquitate quam vitæ synceritate iam dudum notissimus, de caro fit carissimus; factusque est ei in negotiis publicis & priuatis comes irremotissimus. Rex autem non habens nec habere disponens liberos, Ecclesiarum Dei exaltationi continue inuigilauit, & æternitatis flagrans desiderio, temporalia bona pro acquirendis æternis liberali manu eis erogauit. Quo regni sui partes solerter circumeunte, *& necessaria & vtilia quæque vbiq; sapienter disponente, occurrit ei octauo decimo Calendas Octobris Rethardus [o] Episcopus in loco, qui Borchhardum dicitur, & Ecclesiæ suæ ruinas innotescens, forestim, quæ incipit de *Delgana flumine, & tendit per Osninge & Sinithle vsque in viam quæ ducit ad Horhusen, & de hominibus Ecclesiæ commissæ tam liberis quam seruis, nulla iudiciaria persona constringendis, nisi aduocato ab Episcopo electo; regiæ tuitionis defensionem ipso primo anno regni eius Dominicæ Incarnationis millesimo secundo, Indictione XV. obtinuit. XIII.

Meinvvercigratia apud Henricũ regem. Henrici castitas.

**circumeunte.*

[o] Rethardus ab eo nemus & immunitatem impetrat.

**Delchana.*

Sequenti de hinc anno Dominicæ Incarnationis millesimo tertio, Indictione prima, veniente Rege Quidilingeburg, obuius fuit iterum Episcopus, & Ecclesiæ suæ incendium lamentabiliter conquerens, quæ Dominus Apostolicus & prædecessor eius confirmauerant, confirmari, & confirmata Præceptali pagina roborari, obnixè petiit, & obtinuit. Quia ergo Domino placuerunt vitæ eius, conuertit ad gratiam inimicos ipsius, de quibus Herimannus dux Sueuiæ se ei subdidit, & interuentu principum in suo honore permansit, & plures alii, qui non consenserant eius electioni. Ducatum XIV.

Item confirmationem priuilegiorum

catum autem Baioariæ dans Henrico, fratri Dominæ Chunigundæ, contectalis suæ, incurrit offensam fratris sui Brunonis, qui inde plus iusto coniunctus cum Heinrico filio Bertoldi comitis cum ambobus *Bolislais Selauonibus, Polanico scilicet & Boëmico à Rege infideliter defecit. Sed Heinricus ad Regem refugiens, in Geuikanstein custodiæ datur, Bruno vero proximo anno, interuentu dominæ Gislæ matris suæ, Regi reconciliatur.

Henrico omnia hinc secunda factiosis repressis.

*Bolizlauonibus p De Bolislais consule Chron. Ditmari.

XV. Anno post hæc secundo, Dominicæ Incarnationis Millesimo quinto, Indictione tertia, octaua Kalendas Nouembris venit Episcopus ad Regem in loco, qui dicitur Corbeia; & Ecclesiæ penuriam nimiam conquerens, & Regii solatii opem suppliciter deposcens. Rege autem in promptu, quod daret non habente, Meinvvercus Capellanus eius iam flammas dilectionis intimæ, operum exhibitione demonstrans, prædium situm in villa Bochineuordi in comitatu Luidolphi comitis, Regi contulit: quod ipse Rex Episcopo suæque Ecclesiæ in proprium donauit, ea ratione, vt prædictus Episcopus, quamdiu viueret, in sua potestate atq; seruitute, hoc possideret: finitis vero suis temporibus, ad stipendia fratrum in Patherbornensi Ecclesia Deo sanctoque Liborio famulantium, pertineret. Cum igitur his & talibus misericordiæ instaret operibus, venerabilis Episcopus, anno Dominicæ Incarnationis millesimo nono Episcoparus sui xxviii. Heinrici Regis septimo, pridie nonas Martii, quæ illo anno extitit Sabbatum ante Inuocauit, eductus est de ergastulo carnis, & de valle huius miseriæ & tribulationis, assumptus, vt credimus, ad gaudium sempiternæ consolationis.

Meinvvercus adhuc Palatinus donat prædium Ecclesiæ Patherb. Retharius vel Rethardus Episcopus Patherb. moritur.

XVI. Eo tempore, Rege consistente in Goslaria, ilico legatos suos ad eum direxit Ecclesia; qui & obitum Episcopi denunciarent, & clementiæ eius solatium de successore idoneo suppliciter implorarent: qua lugubri Rex, audita legatione, talem tantumque virum condigno mœrore defleuit, & Missarum eleemosynarumq; debita commemoratione animam eius diuinæ pietati commendauit. Post hæc, ascitis Episcopis & principibus, qui aderant, de successore tali loco & tempore idoneo consilium habuit; & diu scrutatis, perspectisque plurimis, Meinvvercum tam nobilium natalium magnitudine, quam rerum & facultatum temporalium multitudine idoneum perhibuit. Ilico, fauentibus & congratulantibus omnibus, Meinvvercum aduocauit; & consueta beneuolentia ei arridens, sumpta chirotheca, Accipe ait; quo, quid esset acceptutus, perconctante, Episcopatum, inquit Rex, Patherburnensis Ecclesiæ. Illo autem dicente, quid sibi Episcopatus ille deberet, qui de bonis propriis excellentiorem construere valeret. Qura hoc, inquit Rex, veraciter considero, ideo te inopiæ illius misericorditer subuenire desidero, vt illius in cœlo cohæres fieri merearis, cuius piam matrem in terris hæredem tuum feceris. q At ille hilariter ego, inquam ea spe, & conditione Episcopatum suscipiam. Ostendens liquido, se non despectu paupertatis, vel appetitu eminentioris sedis, aut dignitatis, sed affectu maioris vtilitatis, simpliciter contradixisse. Ibidem ergo in Goslaria, proxima Dominica ab Willigiso r Maguntino Archiepiscopo & cæteris Episcopis qui aderant, consecratur; electioni eius, & consecrationi congruente officio, quod item Dominicæ intitulatur. Ea namq; est Dominica r quadragesimæ secunda, quę in ordine & ratione septem dominicarum septem mundi ætates significantium quinta extat; & pulchra rationabiliq; dispositione vacat; significans quintam mundi ætatem, quando templo Dei diruto, & populo eius in Babyloniam abducto, Sacerdote, duce, altari legitimo carens, à laude Domini vacabat, non habens quæ, vel quibus, aut vbi verba canticorum Domini decantaret. Cui captiuitati in Euangelio ipsius Dominicæ aptissime congruit à dæmone vexata filia mulieris Cananææ. Et, sicut Nabuchodonozor typum tenens diaboli, templum Dei spoliauit, & populum eius captiuauit; ita diabolus per se filiam Cananææ, templum vtiq; Dei, captiuauit, & suo atrocissimo dominio & ludibrio mancipauit. Interueniebat fides Patriarchatum & meritum Danielis, ac sociorum eius, vt populus ille à captiuitate Babylonica solueretur: clamabat fide & voce magna mulier Cananæa, interuenientibus sanctis Apostolis, vt filia eius à dæmonio liberaretur. Tam captiuitatis ergo Babylonicæ, quam mulieris Euangelicæ per totum officium Missæ illius formam rectissime repræsentauit Ecclesia t Patherbornensis; quæ incendio vastata, solicitudine pii Pastoris viduata, in necessitatibus suis pro successore idoneo fideliter clamauit, & instanter clamando eum, qui secundū voluntatem Dei à fornicatione abstinens, vas suum in sanctificatione & honore possederat, interuentu & consultu principum feliciter impetrauit, per quem non tantum de micis, quæ cadunt de mensa dominorum recrearetur, verum etiam largissimis epularum deliciis abundantissime reficeretur. Solenniter ergo consecratus, cum digno honore Patherbrunnā, concursu & occursu omnis ætatis & dignitatis deducitur, & excipitur; & vere, via regia in oule ouiū per ostiū ingressus, episcopali sede inthronisatur. Pontificatus itaq; decoratus infulis, continue v inuigilauit curæ cōmissi gregis; timensq; notam mali serui & pigri, qui reposuit in sudario pecuniam Domini sui, nihil remisse faciebat. Cordi suo & corpori, forinsecus, pro generali cleri & populi gubernatione Episcopali speculatione solerter insudauit vel inuigilauit: intrinsecus autē pro omnium salute vigiliis & ieiuniis precumq; hostiis Deo indesinenter supplicauit. Lucerna namq; in domo Domini supra candelabrū posita arsit in se Dei & proximi dilectione: luxit aliis eiusdē lucis sedula exhibitione; deniq; pro adipiscenda immortalitatis corona, contulit Ecclesiis, quæ hæreditario iure possederat, vel multimodo iugis seruitutis labore obtinuerat, tēporalia x bona; quæ, sicut alios, vsu malo, à salute prępediunt, ita alios, vsu bono, ad salutē promouent.

Henricus rex animam Retharii Deo commendat.

Meinvvercū Episcopū Patherborn. nominat porrecta chirotheca.

q Meinvvercus quo animo inopem sedem acceptarit.

r Goslaria à Willigiso Moguntin ordinatur.

s In Dominicā secundam Quadragesimæ mysticus excursus.

t Meinvvercī pudici & diuitis quā Patherbrōnensi Ecclesiæ opportunus ingressus

1. *Thess* 4.

u Meinvvercī laudabile vitæ institutum.

x Bonorum temporalium conditio.

XVII. Principalem Ecclesiam sumptu ingenti & magnificentia singulari construxit: quam tertia die aduentus sui, deiecto opere modico à prædecessore suo inchoato, & vsq; ad fenestras negligenter cōsummato, à fundamentis celeriter atq; alacriter erexit. Operariis autem solerter operi instantibus quadam die aduenit quidam vir incognitus, qui Episcopum astātem salutauit suppliciter, suumq; seruitium obtulit ei humiliter; quem, Episcopo, quam sciret seruitii artem, percontante, & cæmentarium & carpentarium se profitetur, & mox ab Episcopo clauum tunc fortuito lignis compingendis necessarium facere iubetur. Quo celeri velocitate velociq; corporis agilitate facto, decenter & conuenienter, cooperaturus operantibus apponitur, artisq; suæ scientia probatus, vt approbatus omni experientia ab Episcopo omni operi prę-ponitur. Quo non multo pòst mortuo, aduenā suum Episcopus digno sepulturæ cōmendauit officio, fieri mandans etiā crypta iuxta murū monumentū, ponens ad caput eius trullam eius & malleum ad posteritatis monumentum, per tantæ humilitatis & pietatis excellentiam magnam sibi acquirens operantium sibiq; famulantium beneuolentiam. Præpositis autem operi singulis magistris, ipse ad reliqua episcopii negotia disponēda conuertitur, suæ videlicet diœcesis terminos frequenter lustrare, si fidelium fides spei, si spes concordaret rei solerter inuestigare, bene acta confirmare, neglecta reformare bene agentes, vt in melius proficerent, admonere, negligentibus vt resipiscerent oportune importune instare: denique omnibus omnia factus pro cunctis animæ & corpori eorum necessariis, erat sollicitus. Primoribus & maioribus exhibens se formidini & honori; subditis, secundum vniuscuiusq; meritum timori pariter & amori. Oculatus autem ante & retro, vt sic internorum & spiritualium sollicitudinem gereret, vt tamen externorum prouidentiam pro subiectorum necessitatibus supplendis, nō negligeret, regni negotiis, vt compellebatur, inseruire cæpit; vbi reddens Deo, quę sunt Dei, & Cæsari, quæ sunt Cæsaris, Ecclesiæ commissæ prodesset; vbi se opportunitas obtulisset loci & temporis. Continue autē Regi insistens, v Ecclesiæ sibi commissæ lamentabiliter incendium passæ, secundum sponsionem, qua sibi eam commiserat, succurreret. Rex misericorditer annuit, & Ecclesiæ præfatæ miseratus pauperratem, multa ei bona tam in prædiis, quam facultatibus aliis, larga manu & plena caritate pro Dei amore dilectiq; sibi Episcopi, assiduo & deuotissimo obsequio, contulit. Sæpius autem in ciuitate Patherbrunnensi commoratus, operum & studiorum eius adiutor & cooperator extitit, fauente y & instante per omnia venerabili Chunigunda Regina, cui non minor voluntas quam facultas in Ecclesiis Dei amplificandis & meliorandis semper fuit.

Basilicam primariam à fundamentis resuscitat.

Eius in operarios comitas.

Diœcesin suam diligenter inspicit lustratque.

Matth 22.

Ecclesię suę ab incēdio afflictę subuenit.

Rex Henricus sæpe Patherbrō. næ degens ei strenue fert opem y S. Chunigunda item benigne fauet.

§ Heimeradus duriter habetur & probatur à Meinvverco.

QVODAM itaque tempore, inibi commorantibus, beatus Heimeradus de Sueuia oriundus, voluntaria paupertate XIIX.
pro Christo exul, & peregrinus eo aduenit, eumque lurida facie & proceri corporis macie ac vestium vilitate deformem
Episcopus vt vidit; vnde ille diabolus emergeret, inquisiuit. Ille autem, cum se diabolum non esse humiliter & patienter
dixisset, quæsiuit Episcopus, an Presbyter esset? vbi autem eo die dominica *mysteria eum celebrasse cognouit, protinus
sibi libros, in quibus cantauerat, deferri mandauit, quos incõptos & neglectos, & nullius ponderis aut precii aspiciens,
eodem momento in ignem proiici fecit, eumque iussu Reginæ, Episcopi iusto zelo, vt videbatur, compatientis, verberi-
bus cædi præcepit. Posthęc quidam Comes Dud cho *nomine de monte, qui Wertberge appellatur, superuenientę fe-
stiuitate S. Andreæ Apostoli, Episcopum ad conuiuium inuitauit. Cum autem Comes B. Heimeradum quoq; inuitasset,
& in vigilia ipsius Apostoli eum ad cœnam Episcopo oppositum sedere fecisset, commotus Episcopus. Quid vir tantæ
prudentiæ sibi in illius præsentia & consortio vellet, interrogauit; & multis iniuriis verborum aduersus illum exardes-
cens, delirum & apostatam eum appellauit. Beato vero Heimerado pro Dei amore cuncta patienter & silenter ferente,
respondit Comes, se nescisse quicquam eum aduersus illum controuersiæ habuisse, cæptq; verbis lenibus, & humilibus
animum Episcopi mitigare, & viro Dei, quoniam pro vitæ suæ merito eum valde venerabatur, veniam obnixius postu-
lare. Sed perstitit in sententia sua Episcopus, placari non valens vllis precibus, quatenus tantæ nimietatis pertinacia, fie-
ret ei postmodum humilitatis custodia, & in tantæ nobilitatis & dignitatis viro, satisfactio inferiori voluntarie exhibita,
ad exemplum humilitatis à discretis commendaretur. quæ vix maioribus à subditis iure subiectionis exhibenda imita-
bilis videretur. Deniq;, quoniam ab hominibus Sanctus putaretur, experiri se velle sanctitatem illius dixit. Statimq; co-
ram omnibus, vt altero die Alleluia ad Missam cantaret; sub interminatione plagarum ei iniunxit. Cumque comes pro
eo obnixius supplicando, & ei huius actionis remissionem petendo, nihil ageret, *ne quod oleum camino adiiceret, no-
cte, finitis matutinis laudibus, assumpsit hominem Dei secretius, & consolans eum, obsecrabat, vt tentamenta sanctorũ
virorum ceu purgamenta non refugeret, sed saltem in nomine sanctę Trinitatis incipiens, cętera Deo committeret. Qui
multum renitens, & se demitti ad hospitiolum flagitans, multis precibus victus, tandem acquieuit: Et veniente hora, cum
Episcopus nullo modo à propositi posset abduci sententia, processit; inchoauit, sollenniter & iucunde percantauit; adeo
vt omnes, qui aderant, mirarentur: & se ex nullius vnquam hominis ore suauiorem modulationem audisse, faterentur.
Episcopus autem, finita Missa, virum Dei secretius tulit, & ad pedes eius ruit, & veniam pro commissis in eum humiliter
postulans, & celeriter impetrans, perpetuus ac fidelis ei postmodum amicus fuit.

Meinvvercus Heimeradi sanctitatem ex cantu probare nititur.

*nisi.

Cantus mira suauitate.

Meinvvercus fractus deprecatur iniuriam.

EPISCOPVS autem ipsum castrum sui munimine vastum Ecclesiæ Patherburnensi, in cuius diœcesi consistit, orna- XIX.
mento & munimento vtile, situm vero loci in aquis, lignis, pascuis, omnibus modis habile considerans, pro venditione
sui vel voluntaria traditione variis modis Comiti instabat, sed ille filium de pellice, quam duxerat, natum, hæredem fa-
cere disponens, monitis salutaribus non obaudiebat.

Wartbergum castrũ optat Ecclesiæ.

PONTIFICATVS eius itaq; anno secundo, Dominicæ Incarnationis MX. Indictione II X. Ansfridus venerabilis Tra- XX.
iectensis Episcopus, cuius mira laudum præconia in gestis suis inueniuntur, ad cœlestem vitam sustollitur, eiq; [a] Adelbol-
dus surrogatur. Sequenti anno VII. Calend. Martu [b] Willigisus Moguntinensis Archiepiscopus omni memoria digniss-
mus, Episcopatus sui anno trigesimo sexto, post inœdium Monasterii Moguntinensis honorifice ab eo constructi; quod
III. Calend Septemb. accidit, * sancte ad Christum migrauit; & in locum eius [c] Erkinbaldus Abbas Fuldensis subintra-
uit. V. dehinc proxima Idus Februarii [d] Bernardus pius Dux Saxonicus filius Hermanni ducis obiit, filius eius [e] Bernardus
fauente sibi Meinvverco Episcopo, amicisque suis ducatum obtinuit, & homo Episcopi factus, iuge obsequium in omni
fidelitate sibi exhibuit. Frater quoque præfati ducis Bernardi, comes [c] Luitderus proxima IV. Cal. Apr. obiit, qui cum v-
xore sua Emma Senatrice Christianissima, multa bona Ecclesiæ Bremensi contulit.

Ansfridus Episcopus Traiectensis moritur.

[a] Adelboldus succedit.

[b] Willigisus Mog. Ar. moritur

* secundo Calend.

c Erkanbaldus succedit d Bernardus Saxoniæ dux moritur e Bernardus F homo Meinvverci f Luitderus Bernardi fr. obiit.

POSTHÆC IV Idus Aprilis, in festo B. Gregorii cum rege in villam regiam, * quæ Triburia dicitur, Episcopus deue- XXI.
nit in comitatum, quem Haold, *dum vixit, tenuit, situm in locis Hauerga, Limga: Thiatmalli, Aga, Patherga, Treuerես-
ga, Langaneka, Erposfeld, Silbike Marfelt, *Netringa, Sanatfeldt, Ballenam prope Sypriada, Gambeke, Gession, Sivvar-
deshus cum omni legalitate Rex ei in proprium dedit. Post Pentecosten [g] Helmvvardeshuisen venit, & Monasterium,
quod Ekkihardus Comes in proprietatis suæ fundo construxerat, in honore Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, sanctique
Saluatoris, & victoriosissimæ Crucis & S. Mariæ semper virginis, S. Petri Apostolorum Principis, & omnium Apostolo-
rum & Sanctorum omnium, Nonas Iunii dedicauit.

Meinvvercus comitatũ obtinet Harioldi.

*Hariold Naioddum.

*Niterga.

h Helmvvardeshusen Monasterii Ecclesiam dedicat.

ANNO sequente pridie Non. Ian. Lubentius Bremensis Archiepiscopus obiit, eiq; Vnvvanus Patherbornensis Eccle- XXII.
siæ canonicus, fauente Meinvverco Episcopo, successit. Hic omnibus hominibus acceptus, & Clero adprime beniuolus,
inter innumera piæ recordationis monumẽta, Canonicis Ecclesiæ B. Petri eo loci patroni, curtem quandam *Borengun,
vt eius seruitium, per natalitia esset Apostolorum, contulit. In Australi parte chori altare in honorem S. Liborii patroni
sui construxit, & dedicauit. Primus omnium congregationem, quæ antea quidem mixta ex monachis & Canonicis con-
uersatione degebat, ad canonicam regulam traxit. Lucos in Episcopatu suo, in quibus Paludicolæ regionis illius errore
veteri cum professione falsa Christianitatis immolabant, succidit, multos gentiles in Dania, & in eius Borealibus parti-
bus, ad Christum conuertit, plures in diœcesi sua Ecclesias fundauit & dedicauit, & pro obtinendis vitæ æternæ gaudiis,
omni vigilantia & instantia insudauit, quam diu in hoc mortalitatis corpore militauit.

An. MXIII Lubentio Bremensi Archiepiscopo à Patherbronna succedit Vnvvanus.

i Vnvvani Archiepiscopi acta.

*Bodegun.

k Adi Adami Ecclesiasticam Historiam lib. 2 c. 33 & seq

XIIX. Februarii præfati anni Dominicæ Incarnationis MXIII. Rex Mulenhusen deuenit. Vbi interuentu Kunigun XXIII
dæ reginæ, Euerhardi Bambergensis Episcopi, Engelberti Frisingensis, prædium [k] Hoinstede situm in pago Rittiga, in co-
mitatu Bernardi comitis, Meinvverco Episcopo attribuit, cum omnibus vtilitatibus & appenditiis, quibus id Vnvvanus
Bremensis Archiepiscopus possederat, eiq; dederat legaliter. Inde Rex Bauenbergam diuertit, vbi Euerhardus primus e-
iusdem sedis Episcopus venerabile Monasterium nobile ac speciale regiæ deuotionis studium, cum conuentu & suffra-
gio omnium Cisalpinorum Pontificũ II°. Non. Maii dedicauit. Rex autem eundem Episcopatum, quem ex integro in
suo domate fundauit, terminis eius ab adiacentibus episcopatibus, legitimo concambio commutatis, principibus Apo-
stolorum Petro & Paulo, & preciosissimo Martyri Georgio adtitulatum, speciali iure Romanæ Ecclesiæ tradidit, vt &
primæ sedi debitum honorem diuinitus impenderet, & suam plantationem, tanto patrocinio firmiter muniret.

Hoinstede prædium ab Henrico rege Meinvverco donatur.

Bauebergensis Ecclesiæ dedicatio.

Episcopatus erectio.

EODEM anno Suitgerus sanctæ Mimigardeuordensis Ecclesiæ antistes egregius XIII. Calend Decemb. obiit; sepeli- XXIV.
turq; in loco, quo degit. Hic genere Saxonicus in Haluerstadt & Magetheburg à puero est educatus, à tertio vero Otto-
ne præfatæ Ecclesiæ ciuitatis prælatus, quam cum diuino munere fultus, regeret cum omni diligentia, pollebat diuersa-
rum virtutum excellentia. E quibus hic duæ tantũ referantur, per quas aliæ veraciter cognoscantur. Camerarius suus pi-
leum quendam furtiue subtractum celare volens, diligenter à pio Seniore interrogatus, nihil fatetur, sed cultellum su-
pra mensam positum, & ex animo benedictum sumere * coactus, quasi ignitum celeriter proiiciens, reum se nimis esse,
coram

Suitgeri Monasteriensis Episcopi mors & vitæ sanctitas. Ditmarus libr. 7. Chronic

vnde hæc pœne verbotenus. *Ciuitati prædictæ præpositus. Furtum detegit. *Conatus.

coram profitetur, Quidam maligno ſpiritu arreptus, vi magna eſt captus, & in preſentiam prædicti Patris adductus. Quē ſolui protinus iubens, *baculo ſe ſolum irrumpentem viriliter amouet; &, facto ſanctæ crucis ſigno, diuina poteſtate hoſtem *exire imperauit. Sanctus vir hoc non ſuis meritis, ſed diuinæ virtuti aſſcribens, vixit in Chriſto dies huius vitæ ſibi conceſſos, miniſtrans illi fidelis ſeruus omni ſtudio. Sedit autem in Epiſcopatu XVI. annis, magna ſemper infirmitate, quæ omnigenam virtutem perficit, grauatus, & *Theodoricus pro eo eſt ſubrogatus.

Dæmonem expellit. *baculoque ſolum ſe acriter ir.

*ſecurum. Theodoricus Suitgeri ſucceſſor *Thidericus.

XXV. PROXIMO anno, expeditionem in Italiam Rex iturus, vt Cæſaris conſecrationem à Domino Apoſtolico percipe-
ret, in Caſtello, quod Gronden*dicitur, conuenire Principes mandauit, & IIX. Calend Maii de ſtatu regni inibi cum eis
neceſſaria tractauit. Epiſcopus autē Meinvvercus cum Rege expeditionē iturus, Eccleſiæ ſuæ penuriā conqueſtus, itine-
ris expenſam labori ſuo congruam inſtanter petiit, & interuentu Kunigundæ Reginæ, Heriberti Colonienſis Archiepi-
ſcopi, Athelboldi Traiectenſis, Theodorici Mimigardeuordenſis, Wigeri Werdenſis, Thiedorici Metenſis, Bernardi
Hildenesheimenſis, Thietmari Oſnabrugenſis, Henrici Hauelbergenſis, Berneshuſum, ſitum in pago Liſga, in comitatu
Vdonis Comitis obtinuit, tali præcepto ſibi Eccleſiæq; ſuæ, cum eo, & de eo dato, vt quicunq; ipſum Epiſcopum, vel ali-
quem ſucceſſorem eius ſuper eo moleſtare, inquietare, aut deueſtire præſumeret, perpetuo anathemate condemnatus,
C. libras componeret, L. Regiæ Cameræ, L. eidem Eccleſiæ. Eadem quoq; die, loco & anno, interuentu ſæpenumero dictæ, & cum omni merito dicendæ Reginæ, Kunigundæ, in idipſum in fraterna caritate collaborantibus. Erckanbaldo
Maguntinenſi Archiepiſcopo, Bernardo Hildenesheimēſi, Thiederico Mimigardeuordenſi, Arnoldo Haluerſtadenſi,
Henrico VVirciburgenſi, Hildevvardo Citticenſi Epiſcopis & ſacerdotibus Chriſti, quandam regiam curtem Moranga
dictam, in pago Morangano, in comitato Bernardi Comitis ſitam, obtinuit, quam Vnvvanus Bremenſis Archiepiſcopus
cum manu Aduocati ſui Vdonis ipſi Regi, omnium hominum contradictione remota, tradidit; quamque ipſe Rex, pro
remedio animæ ſui prædeceſſoris tertii Ottonis, diuæ memoriæ Imperatoris Auguſti, & incolumitatis ſuæ vitæ, & ſpe futuræ, cum omnibus attinentiis ſuis tali conditione Meinvverco Epiſcopo conceſſit, vt eandem curtem, quam diu viueret, in proprios vſus poteſtatiue poſſideret; poſt finem vero vitæ ſuæ, ad veſtitum Canonicorum in Patherbornenſi ſede
Deo ſanctæq; eius genitrici Marię, nec non Beatis Kiliano ac Liborio ſeruientium annuatim meliorandū pertineret. Et ſi
quis hāc donationē infringeret, C libras auri perſolneret, L. Patherbornenſi Eccleſiæ, L. Cameræ Regiæ. O quantæ dilectionis indicium, ſimul & ſemel hęc tribuentis! O quam ſynceræ deuotionis ſeruitium, talia & ſimilia accipere merentis!

*Grouna. in Saxonia Ditmar. Krantz.

Berneshuſum donatur.

S Cunigundæ liberalitas. Item Moranga.

XXVI. EPISCOPVS itaque, quæ deſiderauerat, impetratis, Patherbornam reuertitur, & rebus domeſticis diſpoſitis, & ma-
giſtris idoneis operibus præpoſitis, tempore autumnali cum Rege proficiſcitur. Rex autem ſubiectis omnibus & in de-
ditionem redactis, quæ rebellare tentauerant, Vrbibus, proximum Natale Domini Papiæ celebrauit, indeque profectus Apuliam à Græcis diu poſſeſſam, [a] Romano imperio recuperauit, eidemque prouinciæ Iſmahelem Ducem præfecit. Cum autem ciuitates Apuliæ pertranſiſſet, & quæ ad honorem & vtilitatem regni pertinebant, vbique prudentiſſime diſpoſuiſſet, infirmatus morbo calculi, nulla poterat medicorum arte curari. Remedio autem ceſſante humano, corde & animo ſe commiſit diuino, aſcendenſque montem Caſſinum, [b] patrocinium S. Benedicti & B. Scholaſt cęſororis eius pro ſanitatis ſuæ adeptione ſuppliciter implorauit, & mirabiliter impetrauit. Denique completa oratione, ad hoſpitium ſe contulit, & laſſatus ac debilitatus, in lectulo ſe collocauit. Quo obdormiente, S. Benedictus ei apparuit, & à Deo, in quem ſperauiſſet eum exauditum aſſeruit. Et ferro medicinali quod tenebat, partem illam, vbi calculus hærebat, aperiens, euulſum eum in manu Regis poſuit, & hiatu vulneris, ſubita redintegratione ſanato, diſparuit. Rex autem euigilans, & calculum in manu ſua conſiderans, aduocatis Epiſcopis & Principibus oſtendit eis in ſe facta magnalia Dei, & cum eiſdem Dominum digne collaudans, contulit fratribus inibi Deo ſub regula S. Benedicti famulantibus, in prædiis, ornamentis plurimis, dona regalia. Ab eo tempore, & deinceps Rex quadam ſpeciali veneratione & deuotione S. Benedicto, & omnibus monaſticæ religionis cultoribus ſtuduit deſeruire, & in amplificandis & protegendis rebus Eccleſiaſticis benignus & deuotus ſemper exiſtere.

Hentrici Regis & Meinvverci in Italiam profectio.

a Apulia recuperata.

b A calculo Henricus curatur ope S. Benedicti Lege c. 22. vitę S. Henrici vbi hæc eadem iiſdē prope verbis.

XXVII. VALEDICTO igitur fratribus, lætus & hilaris inde diſcedens, Romam cum S. Kunigunda cum triumpho magno intrauit, vbi à Benedicto Papa benigne & honorifice ſuſceptus, quantas miſerationes beneficia per ſeruum ſuum Benedictum Dominus ei contuliſſet, enarrauit. Papa autem Deo pro omnibus beneficiis ſuis gratias agens, pro ſalute Regis, & totius populi Chriſtiani ſacrificium laudis Domino immolans, & ſolemni benedictione cum vniuerſi populi applauſu & inexiſtimabili exultatione, Regem in Cæſarem & Imperatorem conſecrauit. Eodem ergo tempore, Bauenbergenſem fundum Rex cum omnibus pertinentiis ſuis B. Petro concedens, Apoſtolico Præſuli iugiter defendendum commendauit. Et in commemorationem huius protectionis album ambulatorem cum falerīs, ſingulis annis Romano Præſuli dari cōſtituit. Obtinuit autem magnis humilitatis & ſuper *deuotionis precibus [c] apud Dominum Apoſtolicum, vt tempore oportuno ad Alemaniam accederet, & Bauenbergenſis fundi nouellam plantationem viſitaret. Ibi Dominus [d] Apoſtolicus Meinvvercum Epiſcopum, præconio virtutis & pietatis eximiæ, vbique carum & præclarum habitum, benigne ſuſcepit, & eius ardentiſſimæ in Deum dilectioni & deuotioni congaudens & congratulans, de omnibus quæ ab eo petiit, parata & deuota caritatis beneuolentia ſatisfecit. Denique deſiderium eius de Reliquiis Sanctorum ad conſtructionem Monaſteriorum audiens *dimidium [e] corpus ſeptem fratrum filiorum S. Felicitatis qui ſub Antonino Imperatore paſſi ſunt, Philippi videlicet, Iuuenalis & Felicis, & cranium S. Blaſii, qui ſub Licinio anno Dominicæ Incarnationis CCCXXII gloriosa paſſione migrauit ad cœlos. Brachium quoque S. Miniatis, qui ſub Diocletiano *IIX. Gal. Nouemb. paſſus eſt, cum aliorum plurimorum Sanctorum Reliquiis tribuit: Et priuilegium de bonis Eccleſiæ ſuæ conceſſis & concedendis, Apoſtolica auctoritate, contulit: quod ad poſteritatis monumentum, & Patherbronnenſis Eccleſiæ ſtabile præſidium & firmamentum, hic inſeratur, vt ipſa exemplis tantæ deuotionis & vtilitatis inſtruatur. Raptorum vero quiſque ad cumulum ſuæ damnationis videat, & audiat, & confundatur.

Vitæ S. Hérici cap. 23. Henricus Roma Imp. cōſecratur. Bauenbergenſem Eccleſiam offert S A.

*inſuper

c Benedictus Papa in Germaniā inuitatur.

d Benedicti Papæ in Meinvvercum & Patherbron. Eccleſiam ſtudium.

*tertium. e Reliquiæ ab eo donatæ *Florentiæ ſub Decio.

XXIIX. BENEDICTVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto in Domino filio Meinvverco & venerabili Epiſcopo Patherbronnenſis Eccleſiæ, ſuiſque ſucceſſoribus in perpetuum. Deſiderium quod ad religioſum propoſitum & ſanctorum locorum ſtabilitatem pertinere monſtratur, ſine aliqua noſtra, Deo auctore, dilatione perficiendum, & quoties *in quibuſdam eius vtilitatibus commodum noſtrum aſſenſum, & ſolitæ Apoſtolicę auctoritatis expoſcit præſidium, ibi vel illi noſtro benignitatis intuitu nos conuenit ſubuenire, & quod ratum integra ſecuritate & ratione ſolidare, vt ex hoc, ipſis venerabilibus locis ſalus & indemnitas perficiatur, & nobis quoque lucri potiſſimum præmium à conditore omniū Domino, in ſidereis arcibus proſcribatur. Igitur quod poſtulatis à nobis, quatenus confirmaremus & Apoſtolica auctoritate corroboraremus, tuæ Eccleſiæ tibique & ſucceſſoribus tuis in perpetuum, quæcunq; pro redemptione animæ ſuæ ab Imperatoribus ſiue Regibus, Ducibus, Comitibus, & ab omnibus magnis paruiſq; perſonis oblata ſunt, ſiue commutata, ſiue omnia, quæ tu ductus amore Dei de propriis tuis hæreditatibus eidem tuæ venerabili ſponſæ contuliſti perpetualiter, inclinati precibus tuis per huius priuilegii ſeriem confirmamus & corroboramus, Eccleſiæ tuæ, tibi, tuiſque ſucceſſoribus, omnia prædia culta & inculta: nec non omnia, quæ ei pro redemptione animæ ſuæ ab Imperatoribus, maximeque à Chriſtianiſſimo & Sereniſſimo filio noſtro dilectiſſimo, ac Sanctiſſimo Imperatore Henrico oblata ſunt, ſiue

Priuilegiū conceſſum.

*aliquis.

in Comitatibus, seu vbicunque fuerint, nec non omnia quæ à Regibus, Ducibus, Comitibus, magnisque paruisque personis iam dictæ Ecclesiæ oblata sunt. Simili quoque modo confirmamus ea omnia loca, quæ tu ipse pro redemptione animæ tuæ & parentum tuorum iam dictæ tuæ sponsæ de propriis hæreditatibus contulisti. Nec non ea, quæ ab aliquibus commutata sunt, statuentes Apostolica censura sub Anathematis interdictione, vt nulli vnquam paruæ magnæque personæ liceat contra hoc nostrum Apostolicum priuilegium insurgere & contraire. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu contra huius nostræ Apostolicæ præceptionis seriem pie à nobis promulgatam, venire agereve tentauerit, sciat se Domini nostri, Apostolorum Principis Petri anathematis vinculo innodatum, & cum diabolo & eius atrocissimis Pompis, atque cum Iuda Traditore Domini nostri Iesu Christi in æternum igne cremandum, simulque & in voragine tartareoque chaos demersus cum impiis deficiat. Qui vero pro intuitu, custodes & obseruatores huius nostræ saluberæ præceptionis extiterint, benedictionis gratiam cœlestesque retributiones ac æterna gaudia, ab ipso iudice Domino nostro consequi mereantur. Scriptum per manus Benedicti Notarii & Scriniarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in Mense Martio, Indictione XII. Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo decimo quarto.

Henricus hoc anno Imp factus.

Henrici Imp exercitum lues depascitur

a Meinvvercus S. Alexio vouens Monasterū

CVM autem Episcopus inibi cum Rege aliquandiu moratus, de lue grauissimæ mortalitatis, quæ immanissimè exercitum depopulabatur, mæstus esset: accessit ad eum quidam Romanorum consilians ei vt pro suorum incolumitate aliquam se venerationem, in terra sua facturum sancto Alexio voueret. [a] Meinvvercus ilico, sublatis ad cœlum manibus, & ocalis, se Monasterium honori & amori eius congruum facturum, si suis precibus suorum incolumitatem à Deo obtineret sinceriter vouit. Et se eius meritis à Deo exauditum, suorum omnium iumentorum & hominum incolumitatis receptionem, & conseruationem veraciter probauit. XXIX

suorum sospitatem adipiscitur.

Henrici Imp reditus ex Italia.

NOVVS autem Imperator omnia, quæ volebat à Domino Apostolico impetrans, consolatione eius & benedictione in Domino confortatus, Alpes Penninas transcendit. Et Papiam rediens sanctum Pascha ibidem feriauit. Venerabilis autem Episcopus, tam materiali quam spirituali gladio Ecclesiam commissam munire & tueri desiderans, Imperatorem inibi cum amicis suis & Regni Magnatibus adiit, &, vt ralia bona imperiali auctoritate confirmaret, qualia Dominus Apostolicus canonica confirmauerat, suppliciter expetiit. Imperator autem eius ardui itineris laborem, quem suæ dilectionis intuitu, ad Apostolorum limina secum arripuerat, reminiscens, rationabili petitioni solita benignitate promptissime fauit, & omnia ab eo de bonis hæreditariis Patherbornensi Ecclesiæ collatis & deinceps conferendis, & alia quælibet, sua instantia & industria à quibuscunq; fidelibus acquisita & acquirenda, commutata vel cõmutanda, Regio auctoritatis præcepto, aureo sigillo bullato, confirmauit & corroborauit. Dimisso autem Imperator exercitu, in terram suam, Regni negotiis vbiq; prudenter dispositis, per omnia virtutis & pietatis vestigia, dereliquit. Et vbicunque seruorum Dei habitacula inuenisset, eorum res adaugẽs, & amplificans, omnium se orationibus commendauit. [b] Cluniacũ quoq; inter alia vbiq; terrarum, pro suæ Religionis feruore, & situ loci nominatum* cum Domino Meinvverco Episcopo, & paucis familiaribus suis adiit, & multa sanctitatis & Religionis indicia quæ audiuerat, vera esse comprobans, coronam auream pretiosissimis gemmis adornatam ad Missam, quando Cathedra sanct Petri celebratur, obtulit, & fraternitate monachorum humiliter petita & accepta, cum maxima contritione cordis, omnium se orationibus commendauit. Et in supplementum necessariarum rerum optima prædia in Alsatia eidem congregationi, testamentaria auctoritate, delegauit. Ibi Imperatore fauente & suum in omnibus auxilium spondente, Episcopus Meinvvercus ab Abbate & congregatione XIII. fratres ad constituendum † Monasterium petiit & impetrauit. Cum quibus assumpta libra panis & potus, & Regula, & antiphonario vno, & hymnario, festinanter repatrians, capellam [c] in honore S. Benedicti in orientali parte Patherbronnensis ciuitatis fundauit, & celeriter consummauit. Monachorum [d] autem æmulis aduentum eorum causantibus, eosq; vtilius secundum nominis sui etymologiam arbitrantibus à ciuitate remotos fore: ciuitati vero honestius, in eo loco clericos & Moniales degere affirmantibus, venerabilis Episcopus humiliter rationem reddidit, dicens, fœmineum sexum naturæ suæ qualitate fragilem esse, & infirmorum animas per eos scandalizare & scandalizari facile posse; Monachos vero [e] conuenientius vicinos & coniunctos esse clericis, quia vt in variis lubricis vitæ excessibus & euentibus, in diuinis & humanis fraterna caritate & vnitate inuicem succurrerent, & consulerent, cæteris regendis norma & forma facti: Episcopo sub cuius vmbra alarum requiescerent, in vtriusq; vitæ prouisione & dispositione auxilio & consilio forent, adiiciens id decere & debere fieri, vt ad seruitiũ Laici, & ad consilium admitterentur Clerici. Qua ratione data, & audita, boni quiq; & discreti dicta eius & facta approbantes, rationabiliter cæpta feliciter prosperari & consummari optauerunt: Similes autem similibus congaudentes, dissimilibus & melioribus inuidere & derogare non cessauerunt. XXX.

Meinvver cum nouo priuilegio cohonestat

† *Monasticæ vitæ cœnobium.*

c His domi cilium & oratorium exstruit d Monachorum æmuli Patherbr Meinvverco obtrectant. e Monachi bene iunguntur clericis.

Dedicatio Principalis Ecclesiæ.

ÆDIFICIO ergo Principalis Ecclesiæ magnifice consummato, in frequentia & præsentia hominum vtriusq; sexus & habitus, ætatis & dignitatis solenniter eam dedicauit XVII. Calend. Octobris: & Apostolici priuilegio coram populo recitato & interpretato, in eiusdem soliditatis munimine suum ædificium collocauit, & stabiliuit. Episcopus autem sperans se ab Imperatore Eruete impetraturum eum dedicationi interesse postulauerat, sed ille Polaniam contra Bolislaum *tempore æstatis ingressus cum valida suorum manu, interesse non poterat. Idem namq; Bolislaus cum [f] Vdelrico Duce Boëmiæ ad Imperatorem in Meresburg venturus fuerat determinatus, sed ipse venire contemnens & rebellare disponens ab Imperatore, Dei misericordia, per Sanctorum patrocinia, quibus se, suumque populum intime commendauerat, est cum suis omnibus superatus. XXXI

Henrici Imp in Poloniam expeditio.

* *Bolitzlauum.*

f Vdelricus, seu Othelricus Bohemiæ Dux.

Die Plesse

Donatio nouæ Ecclesiæ Cathedralis Patherbronnensis.

*delegauit.

EPISCOPVS autem ex bonis hæreditariis in Saxonia positis, Vrbem sitam in loco qui Plesse dicitur, eam vndecies centum Mansis iam ante Ecclesiæ traditis, ipso die recognoscendo & reiterando, Ecclesiæ Dei assignauit*, & confirmauit; quibusdã bonis Ecclesiæ construendis designatis. Tali conditione exceptis, vt si eo morte præuento Ecclesiæ imperfectæ manerent, post obitum matris suæ, cui ad temporalis vitæ subsidia honesta concesserat, Ecclesiæ ipsi attinerẽt. Cuius exemplum, vtriusque sexus, conditionis & ordinis sequi cæperunt: & pro posse suæ facultatis, pro obtinendo brauio perpetuæ felicitatis, salutaribus Episcopi monitis instructi bona sua Ecclesiæ contulerunt. Quia ergo aliquibus tædiosum & onerosum, non autem Patherbornensi Ecclesiæ otiosum esset aut infructuosum, singulorum beneficia describere particulariter, qualis populi vouendi & offerendi integritate actionis, simplicitate intentionis, tranquillitate deuotionis, fuerit puritas, quanta Episcopi rectitudine actionis, affectu mutuæ dilectionis, effectu congruæ retributionis, & omnis & ad omnes extiterit liberalitas, quæ in hæredum rationabili approbatione, testiũ probabili adstipulatione, aduocatorum legali executione fuerit seruata æquitas, & auctoritas, perpendatur vniuersaliter, quia, quo vicaria dilectionis relatione in alterutrum lætarentur affectu, quantum vtrinque de Ecclesiæ gratularentur profectu, facilius à sapiente eiusmodi indiciis poterit sufficienter æstimari, quam alieno ore & stylo, conuenienter narrari. XXXII

Omnium ordinum in Ecclesiam hanc beneficentia.

Monasterii S. Benedicti & primi templi dedicatio & fundatio.

CVM ergo, vt prædictum est, anno Dominicæ Incarnationis millesimo decimo quinto, Capellam in honorem S. Benedicti Episcopus inchoasset, tanto citius, quanto deuotius eam consummauit: & in capite Ieiunii proximi anni XVI. Calend. Martii Meinvvercus solenniter eam consecrans, in dotem eius domum vnam in Nortberge, cum decima, delegauit, de qua eidem Ecclesiæ prouideri luminaria, & infirmorum vsibus administrari necessaria ordinauit. Domus autem in- XXXIII

tem infirmorum postea ita constructa est, vt vnus murus vtrumque, capellam & domum coniungeret, & Sacerdos assistens altari per fenestram muri, infirmum communicaret. Ipsa autem die Dedicationis eius, per salutatem confessionis pœnitentiam, generalem absolutionis Episcopus populo tribuit indulgentiam, proponens eis in sermone ad exemplũ pœnitentiæ, vitam pœnitentium & pauperum voluntarie. De fratribus autem, quos adduxerat vnum Sigehardum nomine in Abbatem consecrans, aliis præposuit, & quosdam pueros ministerialium & ciuium suorum regulari norma imbuendos inibi, tradidit, qui cum mundi contemptu & virtutum appetitu regulariter incederent, & odore bonæ opinionis & sanctæ conuersationis longe lateque in populos spargerent, de conuersione eorum & conuersatione non modice Episcopus lætabatur, illum prosequens gratiarum actione, de cuius munere venit, vt ei à fidelibus suis digne & laudabiliter seruiatur. Vnde Monasterii fundamentis positis, & claustralibus officinis congrue dispositis, inchoata consummari accelerabat, eo instantius, quo ad alia inchoanda feruentius anhelabat. Terminum autem claustralem quieti & vtilitati monasteriali congruum late præfixit: & quicquid in gyro per circuitum Monasterii à via publica qua in vrbem iter est interiectum vsque ad coquinam Episcopi, adiacet, iuri ipsius Ecclesiæ addixit. Areas autem versus occidentem ex vtraque parte Patheræ contiguas, diuersis curiæ seruitoribus & artificibus & ad mandatum pauperum in cœna Domini deputauit: & in cotidiani ministerii necessitatibus, in alimentorum vestimentorumque vtilitatibus non minus decenter, quam vtiliter filiis suis prospicere curauit. Quoties autem claustrum introisset, relictis foris popularibus, assumptis grauibus & religiosis personis, quæ sciebant & sua tegere, & aliena non publicare, claustrum introiuit. Et hoc deinceps faciendum, tam canonum traditione, quam sua institutione mandauit.

Luminaria. Valetudinarium. Indulgentia. Sigehardus Abbas. Seminariũ iuuentutis Monasticæ. Septa Monastica. Familiæ distributio. Meinvverci in Monasteriũ cautus ingressus.

XXXIV INTER hæc opus Creatoris admirabile in Episcopo, quod in honorem & existimationem, & non in contumeliam factũ contemplemur, & ineffabiles diuitias bonitatis eius pro modulo humanæ valetudinis admiremur, & veneremur, qui sicut peccata patrum in filiis & nepotibus peccata eorum propriis cumulantibus, & longanimi patientia Dei ad augmentum suæ perditionis abutentibus, in tertiam & quartam generationem reddit, ita malitiæ paternæ expertes tanquam ex sterquilinio preciosam margaritam producit. Dum itaque Episcopus in omnibus, & super omnia diligeret Deum, proximo eandem dilectionem exemplis & monitis exhibuit, & ad viam salutis vnumquemque informare, quantum temporum qualitati & personarum vtilitati congruebat non destitit. Vnde patre suo mortuo, matrem, vt secunda recusans matrimonia, sexagesimum vidualis continentiæ fructum assequi niteretur, sedulo admonuit, exemplum suum ei proponens, qui carnem suam crucifigens cum vitiis & concupiscentiis sponso cœlesti mente actu & habitu applicari malit. Illa autem, quæ carnis sunt sapiens, salutis suæ monita contemnebat, & ingressa latam & spatiosam viam, quæ ducit ad mortem eo infelicius quo voluptuosius eam incedebat. Infamia denique suæ & nequitiæ vbique nota & abominata, ad filium suum Episcopum in Patherbrunna * venit, & oblatis ei bonis ad temporalis vitæ subsidia sibi delegatis, nouam domum, cum attinentibus * eius quamdiu viueret, sibi ab eo concedi petiit. Ille autem veluti colubrum intra sinum, pietatis intuitu, suscipere renuens, & ne tacta pice inquinaretur præcauens, consortium eius vel commercium omnimodis recusauit, & se bonis eius non indigere vel curare protestans, Deum vero, cui se suaque omnia deuouisset, ampliora daturum affirmans, ab omni suo Episcopio vel allodio eam quantocius recedere mandauit. Quæ repulsa cum ignominia, maiori aduersus eum exarsit inuidia: ad eius interitum omnem fœmineo furore quærens aditum. Ad eius itaque contumeliam & maiorem inuidiam, Baldericum comitem licet hominem fortem, diuitem & potentem, non tamen eius matrimonio congruentem, maritum g accepit: & eius consilio, filium proprium, comitem Thiedericum, Episcopo quasi animam suam dilectum, eo in Longobardia cum rege Heinrico manente, VII. Idus Aprilis * Vplage vrbe munitissima iuxta Eltene sita, ab hominibus eius, occidi præcepit. Et multa h nefanda dictu, & relatu horrenda, quæ vllo modo potuit excogitare & inuestigare, non erubuit probare & perpetrare. Itaque, fama malum, quo non aliud velocius vllum, mobilitate viget, volat per populos, pauore & horrore pro innocentis necẽ cõcutit vniuersos. Tinniunt audientium præ immanitate sceleris aures. Stupent omnes. A remotis & ignotis innocentia & modestia occisi auditur. In communi ab omnibus de parricida vltio expetitur. Amplius autem Episcopo post reditum Imperatoris cum principibus, non nimietate doloris, sed sinceritate Dei amoris & canonici rigoris instante, illa maledicta per legales inducias cum suis fautoribus Drotmanniam vocatur, & maiestatis rea, filiique proprii i parricida morti adiudicatur. Quibusdam autem inhumanitatem Episcopi erga matrem suam falsa compassione causantibus, & pro correctione culpæ veniam & vitam postulantibus, Episcopus diu multumq; restitit, & carnem k quæ peccauerat temporaliter puniendam, vt Spiritus saluaretur in die Domini asseruit. Tandem l victus instantia postulantium vix acquieuit. Et accedens ad Imperatorem eius iudicio & arbitrio quomodo terminaretur, secundum quod honori imperii congrueret, & animæ eius expediret, commisit. Cõsulentibus ergo, qui aderant, prædia m quædam in Saxonia, quæ hæreditario iure possederat, quæq; ei ad temporalis vitæ subsidia post mortẽ patris sui Episcopus concesserat, inter quæ principales sortes sunt istæ, * Immeleshusen, Walmontheim, Hauerlon, Hukelhe, Mandelbike, Goltzbiki, Dodonhusen, Hokinesleuo, Wakeresleuo cũ manu Balderici comitis mariti sui, & aduocati, cum consensu hæredum suorũ, Imperatori potestatiue contradidit. Et sic interuentu omnium, vitam carnis obtinuit, & æternam mortẽ animæ incurrit. Imperator autem prece & deuotione admonitus Episcopi venerabilis dilecti sui nepotis, quem se, suaque omnia diuino seruitio mancipare cognouit, eadem prædia cum suis appenditiis, quæ dari solent, vel nominari valent vtilitatum omnium attinentiis, ei n suæque Ecclesiæ, omnium hominum contradictione remota IV. Idus Ianuarii, anno Dominicæ Incarnationis M. XVI. Indictione * XIII. in Drotmannia tribuit, regali auctoritate decernens, vt nulla persona, aliqua iudiciaria potestate in eisdem prædiis se intromitteret, nisi aduocatus, quem ipse Episcopus, vel suorum quilibet successorum elegisset: & si quis hoc præceptum infringeret, C. libras auri persolueret, L. regiæ cameræ, L. Patherbrõnensi Ecclesiæ. De his prædiis Dodenhusen & Golthbeke Ecclesiæ nouæ, quam summo studio construxerat Episcopus contulit, cætera sibi ad maioris Ecclesiæ dominium retinuit.

Meinvverci matrem ad viduitatis statum frustra inuitat. Mater latã ingressa viam

* *Patherborna.*

* *attinẽtiis.*

Eam Meinvvercus apud se esse non patitur.

g Balderico comiti secundis nuptiis se iunxit.

* *Vpplan* Ditmaro Chron. li. 7.

h Thiedericum filium Meinvverci fratrem comitem è medio tollit.

i Drotmanniæ cõuentu vel Tremonienſi, mater rei capitalis damnatur.

k Meinvverci in matrẽ impiam seueritas.

l Vix flectitur, vt eius capiti

parcatur *m* Fortunæ proscriptæ * *Immaleshausen* Ditmar. 7 lib Chron. *n* Meinverco eiusque Ecclesiæ donatæ. * *XIV.*

XXXV. PLVRIMORVM autem negotiorum gratia ibi demoratus, multis suis in vinea Domini cooperariis, tam ad constructionem nouorum, quam ad reparationem collapsorum apud Imperatorem interuentu vsus fuit. Ipseq; aliorum obtentu videlicet Erichanbaldi Magontinensis Archiepiscopi, Episcoporum quoq; Henrici Wirciburgensis, Wicgeri Verdensis, * Arnoldi Haluerstadensis, Berenvvardi Hildenesheimensis, Thiederici Mimigardeuordensis, Hildivvardi Citicensis, Gregorii atque Azzonis Romanorum, & aliorum multorum, Berneshusen, ab Vnvvano Bremensi Archiepiscopo Imperatori legaliter traditum, & comitatum in Hauerga lociſq; prædictis situm: & ab eodem Imperatore, pro remedio animo suæ, parentumq; suorum, nec non tertii Ottonis bonæ memoriæ Imperatoris, dilectæq; contectalis suæ Cunigundæ Imperatricis Augustæ eidem Episcopo Meinvverco suæque Ecclesiæ ante quinquennium datum, quæ inuasione quorundam erant turbata, eis manentibus in Longobardia XIX. Calend. Februa. ibidem in Drotmannia renouari & confirmari obtinuit.

Drotmanniæ conuentus.

* *Arnolphi.*

Berneshusen, aliaque prædia Meinvvercus recuperat.

XXXVI BALDERICVS quoq; Comes prædictus, per consensum suæ contectalis Athelæ, petente Meinvverco Episcopo, in præsentia Heinrici Imperatoris, Archiepiscoporum Meingoz Treuerensis, Heriberti Colonienſis, Episcoporum etiam Athalbaldi Traiectensis, Thiederici Mimigardeuordensis, Thietmari Osneburgensis, Arnoldi Haluerstadensis, Laicorum

corum quoque Bernhardi Ducis, Luidolfi, Thiederici, Wiemanni comitum, & aliorum multorum, prædium quod-
Himmerueldum à Balderico dam in comitatu Vdonis præsidis in Himmerueldun ei in proprium tradidit, quod eiusdem Episcopi aduocatus nomine Herimannus ad Patherbrunnensis Ecclesiæ proprietatem suscepit.
Comite acquirit

Fulmine multi afflati pereunt. Eodem anno, magnæ molis grando venit: & plurimi fulmine interierunt. Episcopus vero secundum quod scri- XXXVII.
Proverb. 19 ptum est, flagellato pestilente, stultus sapient or erit, aliorum interitum suæ corruptionis æstimauit profectum, eo intentius anhelans ad æterna, quo sui cursus mutabilitate perpendit non subsistere terrena. Mater autem Episcopi existens in-
Meinvverci mater eius hæreditati imminet. grata de misericordia collata, iniquitati apposuit iniquitatem, modis omnibus quærens alienare filio omnem hæreditatem. Qua mentis insania fœmineo furore debacchata, X. mansos in monte Lare iuxta Heimmerberg in inferiori terra,
Eltenam S Vito sacram ex alieno dotat. Ecclesiæ S. Viti in Eltene quasi sub specie religionis contulit, & alia alis conferre disposuit; quæ sæcularium, timore Imperatoris & Episcopi, quibus cor vnum & animam vnam esse omnes sciebant, accipere nemo ausus fuit. Quo celeri nuncio Episcopus comperto, velociter partes terræ inferioris adiit, eamque in monte Lare deprehendens, volentem fuga euadere, ad aquam Emme de monte saliente comprehendit, & deteriorem qualibet creatura protestans, quæ filios vterinos non solum occideret, verum etiam exhæredare disponeret, capi eam fecit. Hominibus autem matris eius, parti Dominæ suæ fauentibus, & X. mansos, quos S. Vito dederat, licite eam dedisse, & dare potuisse asserentibus, Episcopus nihil præter iustitiam se exigere dixit, & eis ad suæ iustitiæ ostensionem reliquias Sanctorum expetentibus, ipse non renuit. Ilico allatis reliquiis de Ecclesia vicina Rene constructa, in honore sanctæ Cuneræ, in quibus iurare consueuerant,
Examen vulgare per reliquias. Episcopus eas abiecit, & prolatis de Apothecis suis reliquiis sanctorum Apostolorum Petri & Pauli & S. Blasii, super eas
Rene oppidum. iurarent apponentes, mox cœlesti plaga percussi, quatuor ex eis oculos amiserunt, aliis tribus erectæ manus obrigue-
S Cuneræ Ecclesia a Meinvverci reliquis temere cõ. runt, & omnibus diebus vitæ eorum, tali plaga multati, permanserunt. Manifestam ergo virtutem Dei matri proponens, tandem aliquando eam resipiscere hortabatur, & se bonis beati Viti non indigere dicens, quæ ei dederat, rata fecit, ne vllam occasionem pereundi matri dedisse videretur.
tacti pœna sequitur iuratos.

Cuononis nemus. Quia ergo Deum intime dilexit, plures ad eum exemplo suo attraxit. Qui de bonis sibi temporaliter collatis pro- XXXVIII.
uidere sibi studuerunt bona perpetuæ claritatis. Quidam denique liber homo, nomine Cuonon lignorum suorum proprietatem in loco qui Are nomen habens, vsque hodie Cononbusch dicitur, ei contulit, quoniam quæ agebat adeo prosperari & ab eo omnia ad diuini cultus augmentum fieri veraciter intellexit. Item alius quidam in Heleffem molendini aquam, & alia alia, fideliter sperantes ea in futuro sibi reddi centuplicia.

*etiam. Radincheim. Meinvvercus ex matris domicilio tapetē aufert. Divertens * enim Episcopus Radincheim quoddam dorsale in cubiculo matris suæ suspensum deiici, & suum XXXIX.
pallium suspendi mandauit, & pie violentus ipsum dorsale occulte caballo impositum, nouo suo monasterio Patherbrunno quantocius deferri imperauit. Ipsum autem dorsale reliquerat ad nominis sui memoriam, pariterque, in honorem Balderici comitis quem duxerat mater eius, fieri fecerat, picto in eo ob insigne virtutis ad monumentum posteritatis, quod draconem in loco quodam interfecerat: Post discessum igitur Episcopi mater eius, vnde proficere debuit, deMater irata patrimoniū alienare pergit. ter or efficitur, & fœmineo possessa furore, quicquid in prædiis vel rebus aliis habuit, distrahere non moratur. Denique
S. Heriberto Coloniensi quædā offert ad Tuicienſe Monaſt. villam in Reinvvic cum attinentibus eius, itemque Ecclesiam & villam in Wic, cum ipsius appenditiis B. Heriberto Colonienſi Archiepiſcopo ad monasterium, quod in Tuicienſi castro in honore sanctæ Mariæ perpetuæ virginis construxit, vendidit: & manutergium altaris pretiosum serico contextum ei tradidit. Et principali Ecclesiæ beati Petri Aposteli emporium in * Resse cum sibi adiacentiis, vtibi sepeliretur, dedit, quæ Episcopus non solum non requisiuit, verum facta grata habens, fratrum amator, deuotionis eorum adiutor, & cooperator factus, ea laudauit & stabiliuit.

* *Reſſi* An Resa Cliuiæ oppidum?

Balderici comitis infelix exitus. Baldericus comes Meinvverci vitricus rebus secundis insolescit. Baldericus autem comes cum se quasi innocentem de nece innocentis, humana fefellisset sapientia, cæpit quasi XL.
potens de inani gloriari potentia, cæcatusq; mundi diuitiis, & captus amore nefariæ mulieris sprenit mentis fastu Deum altissimum largitorem diuitiarum suarum ac virium. Denique quadam die in Radincheim de solario eminentiori qua-
Opum stolida fiducia qua versus prospectans, & loci qualitatem situsque sui multiplicem vtilitatem considerans, cum, inquit, Deus omnia posse dicatur, quomodo me in tanta gloria sæculari, in tanta omnigenarum rerum copia, ad inopiam redigere posse credatur? nam Rhenus præteriens abundanter visui & vsui delectabilia, saltus adiacens, volucrum & bestiarum sufficienter
Cædes nobilium. necessaria administrat, & de tantis diuitiis subiici posse inopiis, opinari, frinolum constat. Quam bene & congrue par conuenit pari, dum vir talis mulieri iungitur tali. Cum igitur talibus & similibus voluptatibus & vanitatibus inseruirent, & in sordibus posse merito suæ iniquitatis amplius sorderent, directis ad eos ab Imperatore duobus nobilibus viris, eos discedentes ex insidiis peremerunt. Ergo sanguine innocentum vindictam à Deo expetente, iusto iudicio publicis legibus damnati, & proscripti, ius legemque omnem perdiderunt. Nam qui Deum imporentem, vt ad inopiam eum redigeret, æstimabat, profugus ne seruorum * suorum consortio vel colloquio vsus, in aliena terra mendicando stipem pete-
* *seniorum.* Balderici Comitis infelix exitus. bat; & illa Coloniam diuertens, habensque aliquandiu de Ecclesia principali, itemq; de Ecclesia Tuicienſi præbendam, ibidem mortuus, & ante Ecclesiam S. Petri sepelitur; sed tempestate adeo sæuiente vt totius ciuitatis interitum minitaretur, effossa in Rhenum proiicitur. Ipseque Rhenus sui inundatione & fluctuum collisione plurimis diebus ita efferbuit,
Meinvverci mater miserè perit, eiusque corpus in profluentem abicitur quasi maledictam illam non posse ferre manifeste protestaretur. Mortua igitur matre sua hoc modo, Episcopus cum sorore sua, bona hæreditaria in inferiori terra diuisit, & illis partem suam sancto Viti in Eltene conferente, ipse suam cœnobio quod in ciuitate Patherbrunnensi, vt prædictum est, inchoauerat, delegauit.

* *alias* M. XVI. Anno autem Dominicæ Incarnationis M. * XVII. Meingoz * Treuirensis Archiepiscopus obiit, & Athelbero Præ- XLI.
*Meingoz Läberto aliis Meingandus. positus Monasterii S. Paulini Treuerensis, ortus de Lucelinburch vir potens & diues valde, habens inter alia bona hæreditaria Castella hæc, Sarburg, Berencastel, Rubike, ea spe & fiducia, quia soror eius Conigunda Regi nupta fuit, Epi-
Athelbero Lucelinburgius. scopalis cathedræ dignitatem affectauit & vsurpauit. Imperator autem Christianissimus pro multorum salute, spreta illius affinitate, ausibus temerariis nulla ratione acquieuit, & variis modis per Episcopatum debacchantem compesce-
b Treuirensem Cathedrā ambit. re non valens, Episcopatum b Popponi viro venerabili, secundum carnem nobili, contulit; Athelberonique dixit: Tale virum debeo dirigere, qui tuæ vesaniæ valeat resistere. Poppo autem Episcopatum adeptus, Berencastel castellum à prædonibus Athelberonis defensum, destruxit; & aliud castellum cuiusdam tyranni Adthelberti quod dicitur, Sistra ad terram similiter deiecit. Qui videlicet Adthelbertus, castellum Treueris quondam in honore sanctæ Crucis con-
Poppo ei ab Henrico Imp præfertur. structum possidebat, vnde frequenter cum multitudine militum erumpens, ad curiã Episcopi quicquid ad eius obsequium parabatur violenter auferens abducebat. Cuius rei ignominia confusus Episcopus, videlicet quod hostem quotidianũ habebat tam proximum ob munitionē castelli non posset debellare, multis ad amicos suos habitis querimoniis ad huiusmodi infamiã depellendam, consiliũ & auxilium cœpit inquirere. Erat autem in exercitu eius eo tẽpore vir potens & diuitus & viribus fortis Sicko nomine, qui promisit se tẽtaturum, si quo modo posset inuenire huius mali medicamentum.
Athelbertus tyrānus Sickonis stratagemate opprimitur.

tum. Episcopo sibi satis congratulante, egreditur ille occasionem nacturus, quo modo periclitanti subueniret. Quadam ergo die pergit ad portam castelli, pulsans fores, rogat sibi ab Adthelberto ad refocillandum poculum mitti. Quod cum celeriter allatum ebibisset, tanquam nimium sitis feruorem patiens, pincernam alloquitur dicens. Domino tuo, ait, à te ex parte mea magnas gratiarum actiones nunciato; pariter & hæc verba nunciare curato, quod, vita sospite, hoc poculum rependam sibi citissime grata voluntate. Et his dictis abiit. Captato deinde opportuno tempore triginta hamas præparat, singulos milites electos, loricatos, & galeatos, ensibusq; præcinctos in singulis collocat, & desuper linteis opertos, funes quibus vectes ad portandũ insererentur aptat. Deinde septuaginta viros nihilominus electos & plebeia veste amictos, ensibus eorũ in hamis reconditis, gestatores constituit, nulloq; hominum huius fraudis præter prædictos conscio: ipse Sicko cum his & aliis paucis militibus vallatus ad castellum tetendit, fores pulsauit. Seruo scisitante, quis sit & quid velit, dic Domino tuo, ait, me sibi vinum magnę dilectionis gratia olim promissum deferre, quando ipsum nõ piguit mihi sitienti poculum dirigere. Iussi ergo Adthelberti illi sunt intromissi, & Sicko post alios intrans, iubet auferri linteorum velamina, rogat Adthelbertum susc ipere dilectionis munera. Portitores sicut erant docti, vno pariter momento omnia hamarum velamina deiicientes, gladios suos arripuerunt, insidiæ de hamis exilientes gladios stringunt, fortiter vndique ferientes, ipsum Adthelbertum occidunt, cæteros ædituos crudeliter mactantes, castellum in solitudinem redigunt. Sic Dei misericordia Episcopus à Tyrannide Athelberonis mirifice est liberatus, & Sicko pro victoria ab Episcopo beneficiis magnifice est illustratus. Simili modo per alios principes suos multa castella, partim vi partim dolo cepit, tyrannorumq; insaniam diu impune debacchantem ex parte maxima refrenauit. Monasteriis sane eorum violẽtia penè exhaustis, prout potuit misericorditer succurrit, quibusdam non habita dando, quibusdam ablata restituendo. Hic audiens Prophetam de Christo dicentem, Et erit sepulchrum eius gloriosum, Orationis causa Hierosolymam iuit; & monachum quendam in Ecclesia beati Maximini sub Abbate Richardo peregrinum, & aduenam nomine [a] Simeonem comitem viæ assumpsit. Reuersus autem Episcopus eundem monachum in turri, quæ antea Porta Nigra appellabatur, in festiuitate S. Andreæ inclusit; vbi postmodum gloriose mortuus, & sepultus, multimoda signorum frequentia, in magna fidelium veneratione est habitus. Hic rogatus à quodam Danorum [b] comite Ottone Daniam venit, gentemq; Danorum adhuc idolis seruientem, ad Christum conuertit. Vbi, incredulis repugnantibus, chirothecam ferream iussit fieri, eamq; igniti, qua manu sua vestita, nec læsa, lineoque panno cera infuso, ad carnem indutus, fornacem candentem intrauit; indeque panno combusto illæsus exiens, Christum Dei filium verum esse Deum hoc indicio declarauit. Hoc vsque hodie apud Danos celebri fama vulgatur; à quibus Magnus Anscharius vocatur, quo nomine eius memoria ab eis V. Idus Septemb. celebratur, sepulchrumque eius crebro à Danis frequentatur.

Archiepiscopus Hierosolymam proficiscitur. *Esaiæ 11.*

[a] B. Simeon Treueris inclusus.

[b] Poppo Danorum Apostolus

h errore vulgato confunditur cum Treuirensi, vt notat Brouerus hic.

XLII. Anno* prædicto, factus est celebris conuentus principum, in loco, qui dicitur* Laerge, præsente Imperatore Henrico, cum Archiepiscopis Erchanbaldo Mogontinense, Poppone Treuirense, Gerone Magetheburgense, Vnvvano Bremense: Episcopis quoque, Arnoldo Haluerstadiense, Eppone Bauenbergense, Theodorico Metense, Henrico Wirceburgense, Thiederico Mimigardeuordense, Heinrico Parmense, Theodorico Mindense, Herico Hauelbergense, Meinvverco Patherbrunnense. Laicis etiam Bernardo duce, Sigifrido atq; Ericone comitibus, cum aliis multis nobilibus, ad honorem & dignitatem Imperii plura necessaria disponentibus; Ibi Imperator à Domino Meinvverco Episcopo fundationẽ noui monasterii singularis quodã modo eius studia audiens, & deuotioni eius congaudens, gratiarũ actiones ei retulit, & prædiũ quoddam situ in pago Hesse [c] Saxonico, in comitatu Hermanni comitis in villa Nedere* nominata, cum mancipiis vtriusq; sexus, & omnibus, quæ vllo modo inde prouenire possent vtensibilibus, cp quidam Redialdus nomine ad manus imperiales legaliter & capitulariter hæreditauerat, fratribus, in eodẽ monasterio Christo* seruientibus, sexto Idus Iulii contulit. Sequenti die ibidem ab hæredibus Ekkihardi comitis de Abbatia [d] Helmvvardeshusen querela habita, & diu multũq; inter principes ventilata, tandẽ regno est adiudicata. Et quia nec in facultatibus nec ministerialibus regno seruitio esse potuit, interuentu & consultu Episcoporũ & Principũ prædictorum, Episcopo Meinvverco suisq; successoribus à Patherbornensi sede, episcopaliter secundum regulam S. Benedicti regenda, & possidenda est collata.

[c] Meinvverus prædio donatur.

* *prope VVartberg.*

* *& seruiturus.*

[d] Abbatia Helmvvardeshusen imperialis subiicitur Ecclesiæ Patherbron, vulgo Helmersbusen.

XLIII Ipso quoq; anno Imperator rursus* Poloniam cum exercitu intrauit, & Domini clementia, ea ac Bohemia Moraniaq; subiecta, pro intuitu misericordiæ ac pietatis conculcationem & destructionem Merseburgensis [e] Ecclesiæ miseratus, ob reuerentiam S. Laurentii, in ædificiis, in ministerialibus, in sæcularibus possessionibus, in Ecclesiasticis ornamentis, in pristinum gradum Pontificalis dignitatis eam restaurauit. Inter hęc, cum Episcopus tam regni necessitatibus, quam Ecclesiæ cõmissæ vtilitatibus solerter insisteret, fortuito Corbeiam [f] transiuit, & recordatus B. Stephani Protomartyris eo loci patroni, pro se, suisq; omnibus, in memoriam eius, hostiam sacram Domino Deo immolare, eo diuertit. Eadem autem Ecclesia in ripa fluuii Wiseræ sita, à Ludovvico filio Caroli Imperatoris Magni cõstructa, à beato vero Badurado Patherborn. Episcopo, est dedicata, temporum incrementis tam religionis quam temporalis possessionis proficiens, & succrescens augmento, Sed, cum deliciæ rigorem exsoluissent disciplinæ, Meinvvercus [g] Episcopus factus, ad eam venerat, vt secundum canonicam auctoritatem corrigeret, quod irregulare inibi aduerterat. Sed expulsus cũ grandi sua, suorumque iniuria, regem Henricum adiit, & vt Abbate* Wall [h] nomine depositio alius nomine Diutmarus, per quem religio claustralis reformaretur, succederet, obtinuit. Quod vt religiosis eum commendabilem, ita irreligiosis reddidit eum odibilem: adeo, vt, durante odii & inuidiæ liuore, eiusdem Ecclesiæ custos nomine Boso, præparato altari, stomachando accurrens, præparaturam deiiceret, & secundum auctoritatem eiusdem loci & libertatem, diuina celebrari in sua permissione interdiceret. Quod Episcopus audiens, conuentum intrauit, & habito ad fratres verbo, de Prælatorum reuerẽtia & de subiectorum inobedientia, ad satisfactionem & iniuriam facientem, & consentientes vocare humiliter curauit, dicens, & debere & decere eos honorem deferre sedi, in cuius consisterent diœcesi, cuius Præsules, etsi non caute interdum incederent, eorum enormitas deuitanda, peruicacia esset arguenda. Non autem potestas cathedræ, quæ non sacris locis propter personas, sed propter sacra loca personis conceditur, constaret euertenda. Qui cum ad eum audiendum segniores haberentur, pulpitum adscendit, & pauca pro re & tempore ad populum locutus, omnibus, quæ facta fuerant, innotuit; eumque, qui iniuriam irrogauerat ad satisfactionem publice coram omnibus vocauit. Qui, cum tertio vocatus, non venisset, non vindictæ voto, sed Prophetiæ præconio ei præcepit, vt quocunq; die ipse de corpore exiret, ille secum ad tribunal Christi, sibi responsurus de illata iniuria, migraret. O sancta anima, O pura conscientia, quæ adhuc carnis amicta velamine, animas ligabat coram diuino examine. Episcopo autem taliter discedente, Abbas cum fratribus eum in ciuitatem Pather. prosecutus, pœnariam reconciliationem obtinuit, sed pro eo, quod contumeliam fecerat sæpe, & multum rogatus, Decretum Dei non posse immutari, perhibuit.

[e] Merseburgensis Ecclesiæ instauratio.

[f] Corbeia noua, Abbatia diœcesis Patherbron.

[g] Meinvvercus inde excluſus.

* *VValo.*

[h] Walonem Abbatem deponit.

Bosonem contumacẽ ad Christi tribunal citat.

[i] Reconciliat se Abbati & Monachis,

XLIV Qvia ergo constantiam eius, qua, in iustitia sua, vt leo confisus est audiuimus; humilitatis pietatisque eius insignia, breuiter audiamus. Curtes dominicales Episcopii sui circumiens frequenter collapsa reparabat, reparata sui munimine firmabat solerter, sicut in acquirendis vtilis, sic in conseruandis fidelis. Ducem antiquæ seruitutis Lutorum* iustitiam, per nouam paternæ pietatis releuauit gratiam, constituens à villicis adminicularii in cibi potusque necessariis, quod antea

Meinvverci studium in œconomia.

* *Licdorum* homines obnoxii-

*Bereshusium. a In re rustica & familiari.

antea non fiebat, tempore messis. Quodam autem tempore, ad curtem suam *Berchusun venit, & experiri volens fidelitatem & dilectionem famulorum a erga villicum, præcepit comitibus viæ suæ, vt super frumentum, quod in domo tribulabatur, equos propellerent, dicens seruos si fideles essent, eos repellere, si non, quasi defectum villici congratulantes, eos sinere. Seruis autem quasi ad obsequium Episcopi discurrentibus, equi frumentum tribulandum consumere & conculcare cæperunt. Vnde serui infidelitatis & incuriositatis vitio multum incusati, iussu eius grauissime virgis sunt flagellati: quos postmodum ciborum copiis abundantissime reficiens de seruanda villico fidelitate paterne admonuit. Venit enim sequenti anno, & exclusus ab introitu, gratias quasi de contemptu suo egit; & intrans occulte per superius ostiũ, matremfamilias, quod operarii modica farinæ sorbitiuncula alerentur, submurmurare audiuit; & vt seruitoribus eiusdem curiæ, duæ pernæ annuatim darentur, exceptis his, quæ à villico dabantur, misericordia paternæ pietatis, constituit.

Nihem prædium. Hortorum cura

Nihem quoque veniens, hortum vrtica & eruca aliisque herbis opertum noxiis inuenit, excepto modico spatio in medio. Et mox, vxorem villici ambitiosis suis vestibus spoliari præcipiens, donec germen noxium quod in altum excreuerat, terræ coæquaretur, per totum hortum eam extrahi mandauit: quam tristem consuetis blanditiis consolans, sol tali beralitate exhilarauit. Sequentique anno omni diligentia & abundantia totum hortum excultum inueniens maiori gratiarum actione & munerum largitione eam remunerauit.

Pullorum pastus.

Ad aliam curtem quandam veniens, matremfamilias, cur pullis & gallinis careret, culpauit; & penuriam pastus ea conquerente, mandauit ei, vt fieri faceret, quod ad pastum pullorum de loco ad locum per curiam moueri per temporum interualla prouideret. Quo facto veniente iterum ad eandem curtem Episcopo, abundantibus pullis qui creuerant de pastu minutorum vermiculorum, gratias egit; & de cætero deuotiorem eam obsecrans fieri, laboris eius studium donis & bonis suis recompensauit.

Meinvverci misericordia erga pauperculã viduam.

Quodam tempore in aduentu Domini quando porcos dare solent villici, stans in Lobio domus Episcopalis, mulierem quandam cum filio suo vnico porcum sequentem & amarissime vidit flentem; & mox accersitâ eâ causas tanti fletus studiose ab ea inquisiuit. Illa autem viro suo mortuo se humano adiutorio destitutam conquerente, & porcum illum de pane, quem filius suus mendicando petiisset, violentia villici de Enenhuis, quo pertinebat, pauisse, asserente; Episcopus grauiter ingemuit: & pectus propriis manibus tundens lachrymis ita fatur obortis Væ tibi, miserrime Meinvverce Episcope. Quomodo infelices homines questus sui gratia animam tuam demerguntad Tartara? Scriptum ergo scriptum. Domino fœneratur, qui pauperi miseretur; vocato villico, mansum viduæ ei resignauit; & ab eius magisterio cum filio suo eam absoluens, de sua eleemosyna eos sustentari omni vitæ suæ tempore mandauit.

Meinvvercus fami medetur in Geldria locis Velue & Testerbant.

Facta in diebus eius fame valida, missis nunciis frumentum comparari fecit in Colonia, & duas naues onustas ad inferiorem terram deferri, & dispensatione villicorum super Velue & in Testerbant, taliter mandauit erogari, vt vna pars propriis, alia familiæ indigentiis, secundum numerum domesticorum distribueretur: tertia ad prouentum seminis, quarta mendicis erogaretur. Quod Episcopi mandatum villicus super Velue deuote peragere studuit. Ille vero in Testerbant, partem pauperibus ordinatam fraudare perniciose, non timuit. Quod Episcopus audiens, non fraudato sed fraudanti vehementer condoluit; & quia nemo successorum suorum honorem prædecessorum post quartam generationem habiturus esset, prædixit.

Monasterii culinam visens Monachorum cibos explorat.

XLV. QVODAM tempore officinas monasterii sui noui, more solito circumiens, fratribus ad capitulum confidentibus, coquinam intrauit, & seruis fortuito vacantem inueniens, inuento fusto panis, in ollas igni appositas trusit, nullius autẽ pinguedinis vel admixtionis speciem præter aquam & cibum animaduertens simplicem, tempore loquendi, Conuentum intrauit, & causatus filiorum suorum & fratrum aridum cibum, quem in coquina vidisset & fecisset, retulit: Abbate autem, ob virtutum custodiam, seruandam asserente parcimoniam: respondit venerabilis Episcopus, vt si ipse religiosus esset, vel videri vellet, circa vitam propriam seuerus, erga subditorum benignus existeret, Euangelicis & Apostolicis documentis propositis, quomodo laborans agricola mercede operis sui dignus esset. Et, data authoritate, quomodo Dominus Ecclesiæ claues beato Petro Apostolo tradiderit, & Ecclesia tantam habens potestatem, generali synodo, Monachis, quoniam olei copiam non haberent, non carnium quadrupedum esum, sed carnibus cognatum adipem indulserit, aduocatis villicis, porcos dari mandauit, de quorum sagimine & pinguedine, cibum fratrum parari mandauit. Ecce quoniam, diligentibus Deum omnia in bonum cooperantur, & regnum Domini & iustitiam eius rigore claustralis disciplinæ in capitulo quærentibus, vitæ exterioris necessaria adiiciuntur. Laudabilis sane pii pastoris erga oues creditas tam benignus affectus, imitabilis quoque diligentibus Deum in religione, & executione claustralis disciplinæ profectus.

Sagimen ob olei defectum indultũ Monachis.

*Rom 8 Matth 6.

Meinvvercus dissimulanter inquirit in sui Monasterii disciplinã

XLVI. PROBARE autem volens Episcopus dispositionis suæ obseruantia, quadam die indutus cappa laicali, coquinam iterum fratrum intrauit, & quasi aduena ignotus, de scitu, habitu monasticæ conuersationis, claustralis religionis, quotidianæ refectionis, curiose quæritans; beatam vitam, quantum ad Deum, in ibi duci; miseram vero, quantum ad corporis indigentiæ vsum, agi, à coquo audiuit. Vnde [b] festinus ad cubiculum rediens, Abbatem aduocari velociter mãdauit, & de segni dispositionum suarum executione eum arguit, incusans, nouem pernas optimas secũ ad claustrũ deferri mandauit.

b Consulit inopiæ victus

Diœcesin suã explorat sumpta. Mercatoris persona *Lucæ* 12. Detegitur à Villica

XLVII. SVCCENSVS autem igne diuini amoris, nihil subterfugit terreni laboris, quin pro subiectorum salute Ecclesiæque suæ vtilitate insisteret omnibus modis & horis, affectans denique imaginem cœlestium spreuit speciem terrestrium; nec pro Christo humiliari, nec pro ipso erubescens iniuriari. Minor namque in oculis suis factus, subiectorum fidelitatem & dilectionem singulorum, spem & deuotionem in Deum experiri voluit per se: assumensq; cuiusdã mercatoris habitum, cum mercibus circumbat sedulus explorator Episcopatus. Quia vero iuxta Saluatoris sententiam, nihil opertum quod non reueletur, cito hoc quibusdam propalatur. De quibus villicus de Balhorn vxori suæ hoc innotuit, & quid in aduentu Episcopi diceret vel ageret, docuit. Episcopus autem vbicunque veniens, & diuersa à diuersis accipiens Balhorn quoque venit, & matrem familias suppliciter salutans, ei de mercibus suis quæq; concupiscibilia comparanda obtulit. Quæ, quasi vehementer inflammata aduersus eum, ilico aduocauit virum, & seductorem quendam aduenisse, sibiq; cum mercibus suis proclamat institisse, vt cum rebus creditis infidelitate sua exhibita Domino, cum temporali dispendio, animæ subiaceret periculo.

Sulithe. S. Alexio votiuam ædem exstruit. Immunitate eam donat & asyli iure. Capellam erigit, dicatque S Bartholomæo

[c] Parœcias commode

XLIX. RECORDATVS autem Episcopus voti sui, quod Romæ sanctæ vouerat Alexi, monasterium cum congregatione in honore eius, in loco, qui Sulithe dicitur, ædificare disposuit; sed timens humanę mutabilitatis incertitudinem, interim ei perficiat operis capellam in introitu vrbis, iuxta nouum monasterium construi fecit; eamq; decimo tertio Calendas Februarii consecrans, prouisioni eiusdem Monasterii deputauit, & in commemoratione beati Alexis, tali iure misericordiæ dotauit & insigniuit, vt quicunq; forensi lege conuictus, & sententia damnationis addictus, cappellam contigisset, addictæ pœnæ obnoxius non esset. Iuxta principale quoque monasterium, cappellam quandam cappellæ exstructæ in honore S. Mariæ perpetuæ virginis Geroldo Caroli Magni Imperatoris consanguineo & signifero contiguam, per Græcos operarios construxit, eamque in honore S. Bartholomæi Apostoli dedicauit. In [c] pleriſq; parochiis misericorditer subuenit populis in difficultate longissimi Ecclesiarum itineris, siue parochiis nouis in diuisione aliarum factis, siue cappellis in iis constructis. Inter quos populo de [d] Sudburghnon ad Parochiam forensis Ecclesiæ in Patherbornensi ciuitate pertinenti, Ecclesiam construere concessit, eamque super terram pertinentem ad curiam ab eo Monasterio suo nouo attributam, & fundatam, Banno Episcopali ad ius maioris Ecclesiæ conseruato, eidem Monasterio proprietario iure possidendam eam delegauit; vbi postmodum à beatæ memoriæ, VVolffgango, Ecclesia lapidea constructa, quam Episcopus

c Parœcias

d Surburghnon vel Sudburgnou.

Rotho

Rotho[a] successor Meinvverci Episcopi, anno Dominicę Incarnationis Millesimo quadragesimo tertio, decimo septimo Calendas Nouembris in honore S. Galli confessoris Christi dedicauit.

[a] Rotho successor S. Galli

Meinvverci dedicat Ecclesiam

XLIX. In Heruordia Basilicam S. Mariæ, quæ vocatur ad Crucem, dedicauit; quam ipsa vnica spes mortalium ad singulare inibi miserorum refugium sibi construi mandauit. Siquidem Ecclesia [b] Heruordensis, sicut Ecclesia Corbeiensis, in Episcopatu Patherbrunnensi sita, à Ludovvico filio Caroli Magni constructa, & à beato Badurando Patherbornensi Episcopo dedicata, quæ omni pristini honoris & decoris ornatu tam Vngariorum deuastatione quam fratris Bernardi ducis Saxoniæ Thietmari inuasione spoliata, propemodum fuerat destituta.

Meinvverci dedicat Ecclesiam Heruordensis Basilicæ B. virginis fauore renouatio & origo.

[b] Heruordēsis & Corbeiensis Ecclesiæ vastatæ ab Vngaris.

L. Cvidam itaque fame & nuditate afflicto pauperi, in die natalis sanctorum Martyrum Geruasii & Protasii ad præfatum Heruordense Monasterium propter auditam inibi Sanctimonialium * munificentiam ire volenti, ipsa piissima virgo Maria facie ad faciem apparens, Abbatissæ & sororibus eiusdem Monasterii nunciare mandauit, vt mutata pristina vita, tantum spirituali insisterent exercitio, quantum temporali instabant ædificio, dicens se per hoc ædem suam reuisuram, & inuocantes se perpetua tuitione custodituram, adiiciens se locum in quo ei apparuit ad sui nominis veneration em, & Christianorum præelegisse [c] intercessionem; vt, si quis eam ibi fideliter quæsierit, inueniat, & quod iuste petierit se adeptum gaudeat. Paupere autem tantam visionem indicare trepidante, & ad suæ legationis veritatem confirmandam signum aliquod suppliciter expetente; hoc erit tibi signum, ait, Virgo piissima, quod nullius illatæ pœnæ, ne cicatricis quidem vllius te contingat aliqua molestia. Quo ad maius veritatis indicium, aliud adhuc expetente signum, præcide, ait Dei genitrix, baculum, & faciens inde crucis signaculum, pone, vbi meorum statum cognoueris esse pedum, & si non credunt verbo signi prioris, credant ostensioni sequentis, qui quocunque tempore ad locum hunc venient, & me super eandem quam facturus es crucem, in [d] columbæ specie sedentem videbunt. Ab Abbatissa ergo nomine Godesti, cum sororibus hoc nuntio accepto, Episcopus Meinvvercus cum vicinis proximorum Monasteriorum clericis accersitur; consultu omnium ieiuniis & orationibus à Deo res inquiritur, nuncius indicio aquæ ferrique igniti examinatus, securus declaratur: columba in loco ostenso inquisita, super crucem sedere inuenitur, & maxima omnium deuotione, & veneratione Basilica fabricatur & dedicatur; & nomen [e] ad crucem sortitur.

* *distraheret*

[c] B. Virgo suum addicit patrocinium.

[d] B. Virgo Colũbæ specie cruci insidens.

[e] Basilica hinc dicta ad crucem.

LI. Mvrvm quoque in circuitu vrbis in ciuitate Patherbornensi construxit. Domum Episcopalem à fundamentis erexit; & non solum ipsius ciuitatis mœnia restaurare, & innouare curauit, sed & quicquid in aliis suæ prouisionis locis diutum vel veteratum inuenit, * destruere, renouare, meliorare festinauit.

Meinvverci muro cingit Patherbrun, aliaque opera molitur vel instaurat.

LII. Studiorvm multiplicia sub eo floruerunt exercitia. Et bonæ indolis iuuenes, & pueri strenue instituebantur, norma, regulari proficientes haud segniter, in claustrali disciplina: Omniumq; litterarum doctrina claruit hic sub ipsius Sororio Imado Episcopo; sub quo in Patherbornensi Ecclesia, publica floruerũt studia: quando ibi Musici fuerũt, & Dialectici enituerunt, Rhetorici clarique Grammatici; quando Magistri artium exercebant triuium, quibus omne studium erat circa quadriuium. Vbi Mathematici claruerunt, & Astronomici habebantur; Physici atque Geometrici. Viguit Horatius magnusque Virgilius, Crispus & Sallustius, & Vrbanus Statius. Ludusque fuit, omnibus insudare versibus & dictaminibus, iucundisq; cantibus. Quorum [f] in scriptura & pictura iugis instantia, claret multipliciter hodierna experientia, dum studium nobilium clericorum vsu perpenditur vtilium librorum. Præfatus quoque [h] Imadus Episcopus tempore suæ pueritiæ tanto disciplinæ claustralis rigore ibidem est nutritus, vt, nunquam patrem suum videre extra conuentum specialiter, vel ei colloqui fuerit permissum dicente Episcopo; pueros & adolescentes cum districtione debere erudiri; & non nociuis blandimentis deliniri; quoniam audaciæ & ferociæ nutrimenta eis ministrarent blandimenta. Adolescebant quoque secum tyrones militiæ cœlestis, Anno Archiepiscopus Colonienses, Fridericus Monasterienses, & plures alii strenui postmodum in vinea Domini operarii.

Litterarum studia & scholæ Patherbronnenses.

[f] Scriptura pictura clesterienses.

Imadus Episcopus ex sorore Meinvverci xii. Patherborn. successor Rotonis.

ri veteris [h] Imadi Episcopi educatio & rigor disciplinæ. [g] Anno Colon. Archiepiscopus Fridericus Mona-

LIII. Thesavrvm Ecclesiasticum, & ornatum, sub prædecessore suo, ignis depopulatione conflagratum, multipliciter innouauit; & inter alia magnificentiæ suæ dona spectabilia, tabula preciosissimi auri & tribus calicibus æque auri examinati & optimi, Gazophylacium Ecclesiæ tam decenter quam vtiliter ampliauit & decorauit. Corona spectabilis magnitudinis & magnifici operis faciem templi ornauit; exteriorique ornatu & tanto, talique Ecclesiasticæ dignitatis & vtilitatis apparatu, interioris hominis habitum Dei & proximi dilectione condecoratum, mirifice declarauit.

Thesaurus & ornatus Ecclesiæ à Meinvverco relictus.

LIV. Qvem in sanctorum plurimorum deuota veneratione amplius illustrans, Diem sancti Bonifacii & sociorum eius, celebrari per totum Episcopatum Patherbronnensi, annua obseruantia instituit. Festiua celebritate natalem sanctorum septem fratrum venerari disposuit. [i] Sanctum Alexin magna deuotione coluit. [k] S. Longinum Martyrem, qui lancea latus Saluatoris in cruce pendentis aperuit, cum aliis plurimis, quos longum est singulariter prosequi, in mira veneratione habuit.

Festa ab eo instituta S. Bonifacii vii. Fratrũ

[i] S. Alexis.

[k] S. Longini 15 Martii.

LV. Largissimarvm eleemosynarum eius, quas in domo regia, omni vitæ suæ tempore quotidiana deuotione exhibuit, eadem domus testis extitit, quæ anno Dominicæ Incarnationis MLVIII. omni ciuitate Patherbronnensi cœlesti iudicio, incendio depopulata, sola superstes, cum vna domo forensi, fuit. Quam humilis, liberalis, & munificus, quantum cum his, qui oderant pacem, fuerit pacificus, ex aliis eius operibus perpendatur; ne huius rei vera relatio, plus fauorem intendisse, quam virtutes eius commendasse videatur. Canonicorũ inopiæ vsq; ad tempora sua albo pene in quotidiana præbenda carentium, de Bannis parochiarum, quos successor eius Rotho nomine præposituræ eiusdem causa negotii attribuit, subuenire disposuit; sed, cum nulla re apud eos elaborare potuisset, vt beneficia Ecclesiastica æqualiter inter eos diuiderentur, huic intentioni supersedit. Vnde virtus in eo non inueniens, quod argueret, inuidia comes alienæ felicitatis, habuit, quod reprehenderet: quæ virtutes morum non sui dignitate, sed verborum vrbanitate pensitans, occasione ex negligentia Missæ, vt dictum est, accepta, Idiotam eum vocauit: & duplicitas fauorabilis arrogantiæ irridens simplicitatem, eius beneuolentiæ, qua pro temporũ qualitate infirmis condescendit, Lacte rigans paruos, Pane cibans solidos, loculatorẽ appellauit. Contra quæ superfluum est verborum exaggeratione plura augmentari in beati viri commendationem, cum eius scientia operũ efficacia claruerit, & beneuolentia multis via salutis fuerit. Quod cum luce clarius ex relatis possit videri, amplius ex referendis onerosum non sit intueri. Pẽdens itaq; vir totus in virtutẽ semper ad meliora, inuigilauit Ecclesiæ cõmissæ profectibus omni cura; sperans se pro compassione proximi, peruenturum ad dilectionẽ Dei.

Canonici beneficia sua æqualiter diuidi noluerunt.

Meinvvercus ab æmulis audit Idiota & Loculator.

LVI. Episcopatvs ergo eius anno nono, Dominicæ Incarnationis millesimo decimo octauo, Bernvvardus Hildenesheimensis Episcopus, tempore quadragesimali Synodum in Goslaria habuit; in qua, præsidente Imperatore cum Episcopis, cæterisq; regni primoribus, Godeschalcum Ekg hardi comitis filium, & Gertrudem filiam comitis Ekgihardi superauit. proximo itaque octauo Idus Aprilis solemnijs sacrosanctæ Dominicæ resurrectionis Episcopus Meinvvercus Pather. celebratis, ad Imperatorem Nouiomagum perrexit; & in Dominica, qua tunc Albæ deponebantur, videlicet Idibus Aprilis, interuentu Cunigundæ Imperatricis, & Archiepiscoporum Popponis Treuirensis, Erchanbaldi Moguntinensis, Episcoporum

Goslariensis Synodus.

Meinvvercus Neomagum ad. it ad Imp.

Siburghusen prædiū. A1019

piscoporum quoque, Euerhardi Bauenbergensis, Atelbaldi Traiectensis. Item Popponis Abbatis Stabulensis, Godefridi, Bernardi ducum, Becelini comitis, prædium Siburghusen in comitatu Vdonis comitis, in pago Hemmerfelde situm, obtinuit.

Bernardus vel Benno Saxoniæ Dux rebellis apud Schalkaburg compositus *Schalkiaburg.

ANNO[a] proximo, Imperator cum exercitu contra Bernardum Ducem Saxoniæ, ad Castellum Schalkaburg* perrexit; ibique mediante Domino Meinvverco Episcopo, cum amicis suis in pace omnia constituit. LVII.

SEPTIMO decimo autem Calend. April. Imperator Goslariam veniens, interuentu ac petitione Cunigundæ Imperatricis, & Episcoporum Adelbaldi Traiectensis, Meinvverci Patherbronnensis, Euerhardi Bauenbergensis, & Godefridi Ducis, Abbatiam [b]Leisbornensem sitam in pago Triene in comitatu Hermanni Comitis, Thiederico Mimigardefordensis Episcopo Ecclesiæ, suisque successoribus tali modo contulit, vt ipsius Ecclesiæ Episcopi prædicto loco imperiali authoritate exinde seruitium Dei ordinandi penes diuinum amorem atque timorem, liberam facultatem haberent. Et de Aduocatis in prædicto loco secundum voluntatem eorum aduocatiam in ipsorum militia, iuxta quod illis melius visum fuerit, ad vtilitatem ipsius Leisbornensis Ecclesiæ agerent & ordinarent. LIIX.

[b] Abbatia Leisbornensis Thiederico Monasteriensi Episcopo traditur.

Scildeze vel Abbatia Scheldice data Meinvverco.

EODEM loco, & anno proximo decima tertia Calend. Aprilis, Sabbato ante Palmas, interuentu Cunigundis Imperatricis Episcoporum Vnvvani, Arnoldi, Thiederici, Hildevvardi & Erici: optimatumque regni, Bernardi Ducis, Sigefridi, Hermanni, Eckgihardi Comitum, consilii ventilatione, Abbatiam Scheldice, sitam in pago Wessago in comitatu Friderici Comitis, Episcopo Meinvverco dedit. LIX.

Aduentus Benedicti Papæ in Germaniã & Bauenbergam. An. 1019. Vitæ S Hẽrici cap. 23.

IN proximo Pascha, Dominus Apostolicus Benedictus ab Imperatore & vniuersis Principibus Bauenbergæ gloriossime susceptus, secundum sponsionem suam, ipsius Ecclesiæ nouellam plantationem visitauit; & octauo Cal.* Maii, Basilicam in honore S. Stephani Protomartyris, consecrans, preciosissimis reliquiis, quæ ibi conseruantur, adornauit. Vbi inter Missarum solemnia, adoperatione quadraginta * Episcoporum, & vnanimi consensu principum Episcopatum ab omni sæculari potestate liberum esse, constituit; & cuncta, quæ Pontificali dignitati & vtilitati congruebant, præsentiæ suæ authoritate & priuilegii sui attestatione, ac Banni sui firmitate, roborauit. Episcopus[c] ergo Meinvvercus gaudii sui in Domino de Ecclesiæ commissæ promotione Apostolicum participem facere cupiens, quanta bona Imperator ei contulisset, innotuit; &, vt eius interuentu, ampliora percipere mereretur, suppliciter expetiit. Cui annuens Apostolicus paternæ pietatis deuotione, fuit ei apud Imperatorem precum suarum obtentu non minimo adminiculo; vti postmodum magnarum rerum approbauit larga exhibitio. LX.

* Idus. * LXXI.

[c] Meinvvercus interest dedicationi Bambergensi.

S Heimeradi transitus. * Hasungen. * 1020.

POST hæc, quarta Calend. Iulii ipsius anni, Heimeradus sanctus presbyter in monte * Heisungo, in quo beneplacitum fuit altissimo, habitauit; cum ad Christum migrauit; & ipse Episcopus Meinvvercus, morte eius audita, animam eius Missarum eleemosynarumque celebri commemoratione Deo commendauit. LXI.

Ex Ruperto Tuitiensi scriptore vitæ S. Hereberti cap. 26 hæc omnia delibata

SEQVENTI * anno, post Natalem Domini, Imperator, commoto exercitu comitem quendam Ottonem sæculi dignitate non minimum præpollentem, in castro, quod dicitur Hammerstein, situm supra Rheni littus, obsedit: quoniam idem comes Episcopatum Moguntinum multa infestatione sæpius peruagans, ferro & igne deuastauit; odio magno contra eiusdem ciuitatis Præsulem vehementer inflammatus, quoniam ab illo propter illicitum connubium in iudicio Concilii generalis fuerat anathematizatus. Cum ergo querimonia eiusdem præsulis Imperator excitatus, in prædicto castro illum obsideret: venerabili Heriberto Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopo, demandauit, vt ipse in auxilium sibi, cum suis festinus veniret. At ille immensis febribus tunc fatigatus, quod imperabatur implere non valuit; & propter hoc commotus Imperator, exosa eum imperii sui tempora habere credidit: antiqua[d] nempe suspicione scandalizatus, quoniam, vt prædictum est, in humando præcessoris eius corpore deditus, electioni eius non interfuit. Inuidis ergo, qui nunquam deerunt, si sint quibus persuadeatur, occasionem Sancto derogandi nactis, plus iusto tribuens, & responso eius accepto, cum magno furore, si inquit ipse, ad me dedignatur venire, ego illum, quia ægrotat, habeo visitare. Atq; cum hac iracundia mox vbi hostẽ expugnauit, Coloniam properauit, imminentibus nimiumque se ingerentibus inuidis, qui satis ardentem furoris eius ignem magis ac magis perflabant linguis maleuolis, detrahentes innocenti viro Dei. Ipsa autem nocte, qua Imperator Coloniam ingressus, officiosissime à viro Dei fuerat susceptus, cum se sopori dedisset, videt in somnis quendam quasi venerabilem virum Pontificali veste ornatum, sic se alloquentem. Caue, inquit, ô Imperator, ne posthac pecces in conseruum meum Heribertum: scito illum virum Deo esse acceptum, in quem si quid admiseris, tu sine dubio portabis iudicium. Nimirum gratia Dei miserentis taliter præmonendo Imperatorem, ignorantiæ eius pepercit, quia videlicet in eo quod eiusmodi virum suspectum habebat, non malitia, sed ignorantia peccabat. Siquidem eiusdem Imperatoris animam timor Domini possidebat; neque scienter disponere aut iudicare quicquam cupiebat, per quod cœlestis offenderetur Maiestas. Denique cum aliquid de regni[e] negotiis disponere aut iudicare intenderet, dispositiones omnes siue iudicia sua, precibus & eleemosynis præueniebat; quatenus mens eius & actus cœlesti regimine gubernarentur, ne quando exorbitaret agendo, vel iudicando, quod diuinis legibus contrairet. LXII.

[d] Henricus Imp. inuidorum calumniis S. Heriberto fit infensus

Imperator per visum monetur ne peccet in Archiepiscopum.

[e] Henrici circumspecta & Deo nixa gubernatio.

Cap 27 Vita S Hereberti

Henrici submissio in errati agnitione.

MANE ergo facto cum Imperator mente mutatus, virum Dei ad se vocasset, & id quod cœlitus euenerat, quod superno respectu Rex compunctus fuerat, vir sanctus adhuc ignoraret, ac proinde lachrymosis oculis apud illum querelam depromeret, causas requirens, propter quas sibi tam diu infestus existeret; repente Imperator exsurrexit, & virum Dei amplexatus in oscula illius ruit. Ille admirans hæc pariter consolationis ab eodem dicta accepit. Ex quo ad Regni fastigium, Deo donante conscendi, detrahentium linguis nimium credulus, fateor, venerande pater, te exosum habui; & hanc odii trabem in oculo gestans, & ideo nihil videns, iniquum de te iudicium habui, tuamque iustitiam, immo Dei gratiam in te fulgentem, videre non merui. Porro, te tacente, cœlum clamat super te, tuamque caussam defendit apud me; nam ipse, qui de Sanctis suis curam habet, & semper habuit, sicut scriptum est, Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis Reges: nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari, ipse me pro te corripuit, vt sciam quod inter electos eius computatus sis. Indulge ergo, precor te, quod in te malignatus sum, vel quod te seruum Dei tangere deliberaui; quia peccatum meum cognosco, nec amplius addam aduersari tuæ sanctitati. His dictis, semel, iterum, & tertio sanctum Pontificem deosculatus est, triplicem nimirum, nectens dilectionis nodum, de quo Sapiens loquitur. Funiculus triplex difficile rumpitur. Nec motatus virum Dei iam amicus, amicum apud se residere fecit. Hæc videntes aduersarii, in fugam versi sunt, cæteri vero fideles benedixerunt Dominum. LXIII

Redintegratio pacis per osculorũ attestationẽ. *Psal* 104. *Eccles* 4

Vita S. Heriberti, c. 18

Henrici infima obtestatio & suimet abiectio.

NEC contentus hac satisfactione religiosus Rex, adhuc de diuino iudicio erat sollicitus; & præterita reconciliatione non contentus, nocte sequenti, finitis matutinorum solemniis, assumpto vno ex Clericis, cubiculum Pontificis adiit, sed non ibi quiescentem, verum in proximo S. Ioannis oratorio vigilantem, vt solebat & orationibus insistentem reperit. Protinus abiecta chlamyde solo stratus, ante pedes eius, in spiritu humilitatis, & in animo contrito se suscipi postulat, & ea potestate, quam sacerdotibus suis Dominus contulit, veniam sibi dari cunctorum, quæ in eum commiserat. Nec moratus Omnipotentis Dei famulus, Imperatorem à terra prostratum subleuat, & secundum fidem regis, culpæ veniam relaxat. Erat autem hoc seruo Domini initium sempiternæ consolationis; quippe qui de ista valle lachrymarum LXIV

protinus

protinus ascensurus erat ad gaudium diuinæ visionis: Etenim idem vir Domini reuelante sibi spiritu hoc prænoscēs, ait in illo secreto inter cætera ad eundem Imperatorem. Noueris certissimè, quia post discessum nostrum, quo nunc separandi sumus, nostras inuicem facies in hoc sæculo nequaquam videbimus. Eo magis Imperator corde compunctus, iterum in amplexus & oscula episcopi ruit; flens pariter & cuncta penè membra, manus & oculos, collum quoque fixis demulcens osculis. Hoc facto, clam ad cubiculum redijt, mœstam reportans memoriam prophetiæ beati viri; quam & postmodum transitu eius subsequente veram fuisse comperit, & ipse, vt audierat, ore proprio narrauit. S. Hereberti de morte sua vaticinium.

LXV. VENERABILIS autem Episcopus Meinvvercus de reconciliatione mutuæ dilectionis, quam inter eos reformare sæpè laborauerat, non modicè lætabatur; & vt peccata sua quæ in sanctum virum, licet ignoranter, commiserat, misericordiæ operibus plenariè coram Deo dilueret, Imperatorem hortabatur. Imperator ergò Christianissimus, eruditus omni scientia literaturæ & pro se id expedire sibi intelligens, & consulenti libenter obaudiens, per interuentum ac indefessum seruitium ipsius Episcopi Meinvverci pro redemptione animæ suæ, dilectæq; coniugis suæ Cunigundæ Imperatricis, quandam regij iuris curtem *Triburi nominatam, in pago Saxonico VVestfala sitam, in Comitatu Hermanni Comitis, cum omnibus appenditiis, seruis & ancillis, liberis quoq;, cum tali seruitio & censu qualem regi persoluebant & agebant, & cæteris omnibus ad eundem locum pertinentibus, ad Abbatiam in Patherbrunno à prædicto Episcopo inchoatam & stabilitam ibidem in Colonia XII. Kal. Martij testamentaria authoritate dedit; & inde diuertens, Bauebergam, quadragesimam ibidem celebrauit. Sic Dei miseratione in Patherbronnensi cœnobio, crescente religione creuit & census ipsius Ecclesiæ, formam dans posteris normæ rectissimæ, vt & pro cunctis animæ & corpori necessariis patri cælesti, scienti, quid nobis necesse sit, deuotè seruiatur, ne dum religio parit diuitias, diuitiæ religionem destruant, & sic ambo pereant, discretè caueatur. Meinvverc⁹ Henricum ad placu'a offensionis inuitat. *Tiburc. regij iuris curtis Meinvverco donatur.

LXVI. PROXIMO ergò XVII. Kal. April. beatus Heribertus Colonienſis Archiepus mortalem vitam in angelicam mutauit, & in locum eius Piliginus regius Capellanus subintrauit. S. Heriberti obitus 1021. quidam 1010 sed à Bar. refutantur.

LXVII EADEM verò nocte, qua S. Heribertus post emeritam huius vitæ militiam, supernum donatiuum accepturus ad cælos migrauit, Eppo vir memorabilis Bauebergensis Ecclesiæ Episcopus præclaris moribus, non contemnendis florens virtutibus, huiusmodi visionem vidit. Ingrediebatur quasi quoddam magnum splendidumq; Capitolium; & ecce illic residebat innumerabilis concio personarum venerabilium, Episcoporum, Abbatum, regum atque Imperatorum, cæterorumq; cuiuscunq; ordinis, virorum illustrium, secundum suum quiq; ordinē vestiti, & omnes pulchri & reuerendi, quasi ad agendum generale concilium congregati. Porro in medio considentium, loco euidenti Sella posita videbatur Episcopalis, sessorem nondum habens; verum tamen ad hoc parata, vt in illa resideret aliquis. Vt ergò tantæ amplitudinis locum, tamq; venerandæ multitudinis conuentum introspiciens vidit, admiratione pariter & timore compressus stetit; & nequaquam introire præsumpsit. Cum ergò ita staret stupefactus, ecce vnus de illo sancto senatu, tantoq; quasi Patriciorum cætu surgens, & vsq; ad eum pro foribus stantem procedens, quem & ipse, vt sibi videbatur, dudum nouerat, apprehensum manu introduxit; &, vt super sedem vacantem resideret, annuit; ille veritus hoc facere recusauit; sciens eandem sellam viro reuerentiæ maioris & dignitatis amplioris positam. Nec mora, qui conuentus eiusdem primatum tenere videbatur, duobus ex eodem consessu venerabilibus Episcopis præcepto indixit, vt foras exeuntes eum, quem primum inuenirent stantem & paratum introducerent, & in sede illa media, quoniam sessioni eius præparata fuisset, dignè collocarent. Fecerunt illi vt imperatum fuerat: & ecce quem introducebant dominus Heribertus Colonienſium Archiepiscopus erat, sacro redimitus ornatu, tanquam in die solemni ad celebranda Missarum solemnia. Eum in illa sede medium sedere fecerunt. Verum tamen vnum ornatui eius, scilicet baltheus deesse videbatur. Cum ergò vidissent illum Principes tanti considentes, baltheumq; illi deesse animaduertissent, quasi vehementi admiratione concitati, sciscitabantur, quisnam ille esset, qui tanti Pontificis ornatum diminuere præsumpsisset; Ad hoc ipso tacente; prælocutus est vnus de primoribus, dixitque; quod is esset Imperator Henricus. Hanc visionem Episcopus Imperatori mane narrauit; ipseq; Imperator non incredulus visioni recordatus verborum vltimæ collocutionis Episcopo respondit. Si baltheo caruit, me prædone, sanctus ille & venerandus vir, domino adiuuante, meq; operam dante rapina hæc restituetur illi. Igitur Imperialem manum largius extendens, dona Christi Ecclesiis, pauperibusq; distribuit; sacrisq; Missarum solemniis psalmis & orationibus transitum beati Præsulis celebrari edixit; cui ipse baltheum sustulisset, id est, qui viuentem longe minus, quam decuerat, honorasset. Epponis Bauerbergēsis Episcopi visum, de S. Heriberto in BB. Episcoporum consessum recepto. Baltheus in amictu S. Hereberti desideratus. Henricus Imp. ceu ab se ablatum prolixè redemit eleemosynis.

LXVIII INTER innumera, quæ pro animæ eius remedio liberaliter erogauit, interuentu Domini Benedicti Papæ patris sui spiritualis, Cunigundæ Imperatricis, Erchanbaldi Moguntini Archiepiscopi, Episcoporum quoq; Euerhardi Babenbergensis, Engelberti Frisingensis quandam curtem dictam Hammonstede sitam in pago Rittega in Comitatu Vdonis Comitis ibidem in Bauebergensi conuentu Sabbato Paschalis hebdomadæ IX. videlicet Kal. Maij. In Festo S. Georgij Martyris Episcopo Meinvverco Imperator tribuit, ob iuge suum & indefessum seruitium: vt ipse nullius æmuli opprobriis subiaceret, quin plus omnibus seruiens, præmia honoresq; plures acciperet; exemplisq; sui emolumenti alios ad suum fidele seruitium Imperator prouocaret. Hanc curtem quidam Comes *Godico proprietario iure possidens, cum omnibus appenditiis ad eundem locum pertinentibus, cum consensu coniugis suæ Addilæ ac sororis suæ hæredis, iustissimè ipsi Imperatori in proprium ea ratione tradiderat, vt prædictus locus in beneficij vsum, & insuper centum mansorum familiæ, quam diu viuerent, sibi concederentur. Quo facto, Imperator, diuino admonitus instinctu, assiduitateq; seruitij venerabilis Meinvverci Episcopi non multo post, prædictorum interuentu, pro remedio animæ suæ, cum chirographo ipsum prædium in proprietatem & dominium Patherbronnensis Ecclesiæ, vt dictum est, eo pacto dedit, vt si prædicta Domina Addila eum superuiueret, & quisquam ei prædictum beneficium abstraheret, vel aliquid incommodi faceret, Episcopus beneficium, ex substantia Patherbronnensis Ecclesiæ restitueret, & si insuper id recusaret & renueret, illa Domina potestatiuè sua reciperet. Episcopus autem Meinvvercus manu scriptum hoc de Hammonstede in præsentia Thiederici Mimigardeuordensis Episcopi, Luidolfi, Vdonis, Hiddonis, acta Comitum, & aliorum multorum legi fecit, omnemq; inferendæ inquietudinis occasionem in futurum pastorali vigilantia, solerter præmuniuit. Hammonstede donū Henrici Meinvvercо datum. *Godiza. Hammonstede traditio & iuris origo.

LXIX. POST hoc Kalend. Iunij Episcopus cum Imperatore Cofunga venit; vbi interuentu Geronis Magetheburgensis Archiepiscopi Dodiconisq; Comitis, de VVartberge quandam Regiæ proprietatis forestim in comitatu eiusdem Comitis Dodiconis sitam obtinuit. Hæc forestis initium sumit de Rothalmingahusen; rectoq; tramite protenditur in VViſſaram fluuium; sicq; ascensum ducit in fluuium qui vocatur Fulda; inde verò seruat continuatim sui ascensus tenorem iuxta eundem fluuium Fuldæ vsque in riuum, qui dicitur Crumelbecke, nec non ad oppidum, quod Holthusen vocatur, viam tendit; simul graditur in Othilanbam & Rechinherishusen atque ad *Rothiereshusen, mox pergit ad Kikillahusen atque ad Beuerbeka; sicque protenditur in viam, quæ ducitur ad VVolfredeskisicum; itemque in alteram viam, quæ extenditur ad Gunesburin & ad viam Monneshusen, sicque gyrando circuit quandam viam, quæ peruenit vsque ad prædictum oppidum Rothalmingahusen. Henricum Meinvvercus comitatur in Cofunga iuxta Cassellas Hassiæ. Nemus impetrat ab Imp.

*Rotalminghusen, Rotershausen.

Erchanbaldᵒ Magont. mort. 1011.

LXX.

Ipso quoq; anno Erchanbaldo venerabili Moguntinensis Ecclesiæ Archiepiscopo episcopatus sui anno nono mortuo, [a] Aribo regius Capellanus successit; qui inspirante Dei gratia, inter alia suæ deuotionis & dilectionis grata Domino iudicia, super montem qui dicitur Hasungen, in honore sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & in commemoratione beati Heimeradi supradicti Monasterium construxit.

[a] Aribo successor Monasterium Hasungun memoriæ S. Heimeradi exstruit.

Wartberge Comitatū Meinvvercᵒ acquirit.

LXXI.

Comite quoque Dodicone de Wartberge, eodem anno IV. Calend. Septemb. mortuo, Episcopus Imperatorem post Natale Domini Patherbrunne inuitauit, & Comitatum, quem idem Dodico comes dum vixit, tenuit, situm in locis Hessiga, Netga, Niterga XIV. Kal. Martij ab eo impetrauit. Die quoq; Kalendarum Martiarum proximarum, alium quendam Comitatum in Limmedeshusen, interuentu Benedicti Papæ, Cunigundæ Imperatricis Augustæ, Euerhardi Bauebergensis Ecclesiæ Episcopi, Piligrini eiusdem Ecclesiæ Præpositi, regijq; Cancellarij obtinuit; quem situm in locis Sorathuelt, Sunithuelt, *Almunga, Treueresga, Burclauu, Luidolphus Comes dum vixit tenuit; ea ratione, vt nec ipse Meinwercus Episcopus, nec aliquis successorum suorum, vllam potestatem haberet alicui suo militi, vel extraneo eundem Comitatum in beneficium dandi, sed ministerialiter in ipsius Ecclesia, qui pro tempore fuerit, præsit prædicto Comitatui; ac de eius vtilitatibus prouideat, ad restaurationem constructionis ipsius Ecclesiæ, vt interim muri releuentur, rectè reparentur, & quicquid opportunum fuerit ad corporalem formam ipsius domus Domini, ibi intra administretur.

*Amulga.

Terræ motus an. 1021. vt Lãbert & Marianᵘˢ.

LXXII.

Ingens terræ motus IV. Idus Maij in partibus Baioariæ eodem anno contigit. Quidam verò propinquorum Dodiconis Comitis Bern nomine, traditionem, quem idem Comes & frater eius Comes Sigebodo in bonis hæreditariis, ad Patherbronnensem Ecclesiam hortatu & rogatu venerabilis Meinwerci ipsius Ecclesiæ Episcopi fecerant, infirmare iudicio sæculari attentauit; & multis consiliis habitis ad vltimum in Natali S. Damasi Papæ in Ermennesvvercthe, in præsentia Henrici Imperatoris, Aribonis Moguntini Archiepiscopi, & Episcoporum Wicelini Strassburgensis, Adalbaldi Traiectensis, Vdonis, Herimanni Comitum & aliorum multorum, omni querela postposita, plenaria reconciliatione pacatus, cessauit, & octoginta tres libras ab Episcopo accepit, in Ganderesheim XX. vncias auri, XLVI. libras argenti, vnum pallium pro IV. libris & XXX. equas, astantibus Wizelino Episcopo prædicto, Reinvvardo, qui aduocatus fuit, Vdone, Sigifrido, Ezzikone, Lindulpho, Becelino, Bennone, Sueuan, Comitibus, Conone filio Ducis Ottonis, eiusque milite Zeizulfo & aliis multis. In capite autem Ieiunij proximi anni, præsentibus, Vdone, Bennone, Sifrido, Comitibus, aliisq; plurimis cum Reinvvardo aduocato dedit Episcopus Meinvvardo, militi Bernonis II. vncias auri, & II. libras argenti, datisq; omnibus promissis exceptis duobus talentis. ***

Transactio integra de Comitatu Wartberge

Thiedericᵘˢ Monasteriensᵉ & Thieder. Mindẽsis Episcopi obiere ann. 1022.

LXXIII.

Eodem anno Thiedericus Mimigardeuordensis Episcopus obijt, & Sigifridus Parthenopolitanus Abbas ei succedens X. annis eidem Ecclesiæ laudabiliter præfuit. Thiedericus quoq; Mindensis præsul præsentem vitam finiuit; post quem Albericus eiusdem Ecclesiæ Præpositus electus; sed morte præuentus, nec consecrationem accepit, nec in cathedram peruenit. Sigisbertus verò Episcopatum obtinuit. Piæ memoriæ etiam [b] Berenvvardus Hildenesheimensis Episcopus XII. Kalend. Decem. ad Christum migrauit; in cuius locum [d] Godehardum Altahensem prius Abbatem sancta Ecclesia sibi suisq;, vtiliter subrogauit. Anno *dehinc succedente Gero Parthenopolitanus Archiepiscopus ab hac vita discessit, cui Hunfridus Wirciburgensis Ecclesiæ Præpositus successit. Tithmarus piæ memoriæ Osnenbrugensis Episcopus ad Christum migrauit; & in sedem eius subintrauit Moncherus.

[b] S. Bernvvardus Hildenesheimēs. obijt. [d] S. Godehardus. *1023. Gero Magdeburgi Archiep. obijt. Krantz. lib. 4. cap. 13.

*Arnolfus. Halberstadens. obijt

LXXIV.

Arnoldvs* quoq; Haluerstadensis Episcopus moritur, & Brantoch quondam Fuldensis Abbas substituitur.

[c] Bernardus similiter* Hauelburgensis Episcopus sustollitur, post quem Reinholdus subinfertur.

[c] Bernardus Hauelbergensis obijt. *Haldenburg.

Synodus Magontina sub Aribone anno MXXIII. Ex sancti Godehardi MS. vita ad verbum.

LXXV.

Ipso anno Aribo Moguntinensis Archiepiscopus in Pentecoste Imperatorem Moguntiam inuitauit; vbi & concilium generale coadunauit; in quo Episcoporum consilio plura, quæ deuiauerant correxit; præcipuè tamen Ottonem Comitem prædictum de Hamerstein & Irmingardam illicitè commanentes separare disposuit; quod tamen perficere non potuit; quia ille se partim regali timore, partim Episcopali commonitione vtcumq; correxit. Illa verò publicè bannos præuaricans, ibidem ius legemq; omnem funditus perdidit.

Synodus Salingenstadiensis quæ extat apud Burchardum. *consultu.

LXXVI

Proxima III. Idus Augusti ipsius anni, prædictus Aribo Maguntinæ sedis Archiepiscopus Synodum in Salegunstad coadunauit: in qua, præsentibus Episcopis, Burchardo Wormatiensi, Werinhario Argentino, Brunone Augustensi, Euerhardo Babenbergensi, Meginhardo VVirciburgensi, communi eorum consilio atque *consensu, multimodam diuinorum officiorum, atq; synodalium legum dissensionem composuit, & disparilitatem singularium consuetudinum honesta consensione in vnum redegit. Inconueniens quippè sancto conuentui visum est, quod membra capiti discordarent, & vlla diuersitas esset in vnius corporis compagine; ideoq; propter lamentabiles dissensiones communi decreto concilij hæc capitula sancita sunt, hoc ordine.

CAPITVLVM PRIMVM.

De diebus quibus ieiunandum.

Vt XIV. dies omnes Christiani ante festiuitatem S. Ioannis Baptistæ, in abstinentia sint carnis, & sanguinis, nisi infirmitate impediente, aut alicuius festi solemnitate, quæ in illo Episcopio celebris habetur, intercedente. Et ante Natale Domini similiter; & in vigilia Epiphaniæ: & omnium vigiliis Apostolorum: & in vigilia Assumptionis sanctæ Mariæ: & in vigilia S. Laurentij; nec non & in vigilia omnium Sanctorum, adijcientes prædictis vigiliis vnam horam refectionis, excepta infirmitate, & nisi aliquis sit, qui proprio voto maiori abstinentia vti velit.

CAPITVLVM SECVNDVM.

*certitudinem. De Ieiunio IV temporum.

De incerto autem ieiunio quatuor temporum, hanc* consuetudinem statuimus: vt si Kal. Mart. in IV. feria siue antea euenerint, eadem hebdomada ieiunium celebretur. Sin autem Kalend. Mart. in V. feriam, aut VI. aut sabbatum distenduntur, in sequentem hebdomadã ieiunium differatur. Simili quoq; modo si Kalend. Iunij in IV. feriam, aut antea euenerint, in subsequente hebdomada ieiunium celebretur. Et si in V. aut VI. aut sabbatum contigerit, ieiunium in tertiam & quartam hebdomadam reseruetur. Et hoc sciendum est, quod si quando ieiunium mensis Iunij in vigilia Pentecostes secundum prædictam regulam euenerit, non ibi celebrandum erit, sed in ipsa hebdomada Pentecostes solemni, & tunc propter solemnitatem S. Spiritus diacones dalmaticis induantur, & alleluia cantetur; & flectamus genua, non dicatur. Eodem modo de Septembris ieiunio constitutum est, vt si Cal. Septembr. in IV. feria euenerit, aut antea, ieiunium in III. hebdomada celebretur, & si in V. aut VI. aut sabbato contigerit, in IV. hebdomada ieiunandum erit. In Decembri verò illud obseruandum erit, vt in proximo Sabbato ante vigiliam Natiuitatis Dñi celebretur ieiunium; quia si vigilia in sabbato euenerit, simul ieiunium & vigiliam celebrare non conuenit, &c.

In Synodi Selingenstadiens. decretũ cẽsura ex Micrologo

Hæc quidem Synodi huius decreta, temporis, vt dictum est, necessitate exigente sic ordinata; sed in dispositione ieiunij quatuor temporũ, salua authoritate non bene considerata. Vnde Romana Eccles. super fundamentis diuinæ dispo-

& aliis, cuius reliqua capitula consultè prætermissa,

dispositionis rationabiliter ordinata, & contra nouitatum adinuentiones rationi & authoritati contrarias magisterio Petri in omnibus & de omnibus pleniter informata, hanc de Ieiunio quatuor temporum constitutionem refutauit, vtpote, quam authoritati sanctorum Patrum non consentire, & rationi legitimæ Lunationis non conuenire manifestè recognouit. Leo namque primus in ordine Pontificum quadragesimus septimus, cuius authoritate congregatum & confirmatum est sanctum Chalcedonense Concilium, & Gregorius iunior in ordine Pontificum nonagesimus, ieiunium vernale in Quadragesima, & ieiunium æstiuale in Pentecoste celebrari instituerunt. in quibus beatus Gelasius Papa in ordine Pontificum quadragesimus nonus, ordinationes feciſſe & fieri instituisse, in decretis suis, inuenitur. Ipsa* quoque decima cum in Februario plerumque occurrat, sicuti in decem annis cycli decennoualis, videlicet sextodecimo, quintodecimo, secundodecimo, decimo octauo, septimo, quinto, quarto, duodecimo sæpè contingit, in quo secundo Februarij*** Nam Patres reuerendi sanctitate, & apostolica authoritate præcipui, Simplicius, Gelasius, Symmachus, Fælix in Februario ordinationes feciſſe leguntur. Rationē quadragesimalis Lunationis concilium hoc de ieiunio vernali in Kalendis Martij disposuisse constat, cum sabbathum duodecim lectionum vernalis ieiunij, aliquando decimosexto Kalend. Martii, aliquando decimotertio Aprilis occurrat. Concordia quoque officiorum summoperè seruanda, ne ieiunium vernum cum ieiunio æstiuali confunderetur, cum cantus quadragesimales, & orationes ita orationibus & lectionibus de sancto Spiritu in Pentecoste adiungerentur. Vnus Gregorius Papa eiusdem nominis septimus, qui Hildebrandus Monachus, eiusmodi varietatem & confusionem secundum Apostolicæ normæ consuetudinem reformare cupiens, anno ab Incarnatione Domini millesimo septuagesimo octauo, Indictione prima, habita Romæ Synodo in Ecclesia Domini Saluatoris, quæ dicitur Constantiniana, præsentibus Archiepiscopis numero ferè centum, cum innumerabili diuersorum ordinum multitudine, inter cætera Canonicæ executionis negotia, quæ renouando confirmauit, & confirmando innouauit, Ieiunium quod Martio ascribitur omni anno in prima hebdomada. Quadragesimæ secundum lunationis obseruationē, sicut & Paschæ celebrari disposuit; sicut prædecessores suos constituisse, claruit. Ieiunium æstiuale in hebdomadam* Pentecostes: Ieiunium autem autumnale, iuxta statuta sanctorum Patrum Leonis & Gelasii, & aliorum plurimorum in septimo mense debemus celebrare; & secundum Ecclesiasticam consuetudinem in tertio Sabbatho Septembris ieiunare; hoc obseruato, vt, si Kalendæ Septembris, secunda, tertia, vel quarta feria intrant, in tertia hebdomada; si quinta, sexta feria, vel Sabbato intrant, in quarta hebdomada celebretur. Hæc minus capacibus enucleata, ingenio sagacibus non sunt ingrata, quæ cum antiquitatis notitia conferant eis studii florentis exercitia.

* Luna.

Gregorij VII. decretum de Ieiunio verno

* octauam.

LXXVII. Episcopvs autem Meinvvercus Monasterium inchoatum accelerans consummare, sanctuario testudinato, Imperatorem in Natiuitate Domini Patherbrunne inuitauit: & sperans eum Imperiali magnificentia, aliqua datarum prædia, in præsentia eius hoc dedicare, proposuit; ex inopinato autem Sanctuarium, casum ipsius Ecclesiæ futurum præsignans, cecidit: & ita Episcopo domi foriſq;, negotiis regni multipliciter occupato, Monasterium hoc vsque ad annum Dominicæ Incarnationis M.XXXI. indedicatum permansit.

Templi Monasterij noui ruina.

LXXVIII. Invitatvs autem Imperator Henricus aduentum suum denuntiauit Episcopo; præcipiens necessaria suo præparari balneo. Episcopus autem, per omnes curtes suas Dominicales, agnos fætos occidi faciens, de velleribus agnorum infra vterum earum inuentorum, pelles fieri mandauit, quibus pallio nouo adopertis, & gulis* matherinis in circuitu ornatis, Imperatorem [a] post balneum vigiliæ vestiuit. Magnates autem regni qui plures aderant, accedentes, pallium considerauerunt; & rem, vt suspicati erant, deprehendentes, Imperatori innotuerunt. Qui aduocato Episcopo, cur pelles ouinas sibi dedisset, inquisiuit, & honoris & amoris ignarum, dignitatisque Romani Imperii eum oblitum proclamauit. Episcopus autem optimum genus indumenti cuique ordini, conditioni & dignitati conueniens, se dedisse asserens, mercatores aduocauit: eosque per gratiam suam hac de re contestatus, eorum testimonia, quæ dixerat, vera approbauêre. Et accedens ad Imperatorem. Ego, inquit, Henrice, pro corpore tuo mortali vestiendo, pauperem beatæ Mariæ semper Virginis Episcopatum à te mihi collatum, deuastaui: Canonicos eius, villicos ac mendicos, de velleribus ouium occisorum fouendos, de lactis eorum copia cibique varii alimonia alendos, fraudaui & spoliaui, cuius mali coram Deo reus tu eris, si non velociter & pleniter Ecclesiæ ablata restitueris. At Imperator arridens, Ego, inquit, si quem defraudaui, vel mei causa defraudatum noui, reddam quadruplum: & sic pro huius damni restitutione, contulit prædium in Stein.

Henricus Imp. Paterbronnæ Natalē Domini celebrat.

* Marturinis

[a] Post balneum à Meinvverco accipit pelliceū amictum.

Ioco ex pelliū permutatione arre pro Henric° ad beneficē tiā allicitur

LXXIX. Cantatis autem vesperis in sacris vigiliis, misit Imperator scyphum suum mirifici operis cum sicera Episcopo commendans & præcipiens nuntio, vt non rediret visurus faciem suam sine scypho. Episcopus autem, condigna gratiarum actione, missa suscipiens, diutina & varia verborum altercatione & dilatione, cum nuntio habita, ferenti scyphum non reddidit egressoque tandem eo, obseratis firmiter post eum ianuis, ascitisque aurificibus suis Brunhardo & filio eius Erphone, in ipsa nocte Natiuitatis Domini, calicem de scypho fieri iussit. Matutinorum autem solemniis apud Monasterium nouum, Imperatore præsente, celebratis, inter Euangelium subsequentis Missæ matutinæ, Episcopus perfectum calicem consecrauit; & vt in præsenti diuina mysteria in eo celebraret, ministris tradi mandauit. Capellanus autem Imperatoris ad eam Missam subdiaconi functus officio, epigrammata calicis legit, & lecta Imperatori ad legendum obtulit, quibus ab Imperatore lectis quoque, ad Episcopum accessit, & furti eum reum arguens, Deum rapinam illam odio habere in holocausto, dixit: Ego, inquit Episcopus, non rapinam, sed auaritiam tuæ vanitatis cultui mancipaui diuinitatis. Tu ad augmentum tuæ perditionis, aufer Deo, si audes, oblationem meæ deuotionis: Ego, inquit Imperator, Deo mancipata non auferam, sed quæ mea sunt ei suppliciter offerā: tu, de tuis iustis laboribus honora Dominum dignatum in hac nocte pro salute nasci omnium. Mox ergò, inchoato offertorio, Imperator calicem ad altare solemniter obtulit: animæque eius & corpori imprecatus Episcopus prospera, non modicas gratiarum actiones retulit. Ad offertorium autem Missæ de luce, Episcopus ab Imperatore instanter Curtē regalem de Eruete exigens, oblationem eius suscipere recusauit; Imperatricis autem suscipiens, sibi apud Imperatorem eam fore auxilio, pro obtinendo Eruete obsecrauit. Dominus autem Omnipotens, in cuius manu sunt corda Regum, meritis Episcopi, cuius deuotio complacuit sibi, conuertit in bonum cor Imperatoris, qui sciens se in die iuriam ab Episcopo habiturum, ascitis primo diluculo Notariis, occultè fieri fecit de Eruete priuilegium. Ad offertorium ergò principalis missæ Imperator, frequenti Principum stipatus caterua, Deo oblaturus diuinis debitum beneficiis, qui se pro humano debito Deo Patri obtulit in ara Crucis, ad Episcopum venit; sed, ille auerso vultu & manu, repetitis vocibus instanter Eruete expetiit. Imperator congrua reuerentia, & disciplina repulsam sui dissimulans, præcedentem Episcopum sequebatur: & vt oblationem suam suscipere dignaretur, humiliter precabatur. Dum autem vno præcedente, altero subsequente, Imperatrix Christianissima, interuentu magnatum regni, qui ad hoc spectaculum gratulabundi astabant, accessit, &, vt petitioni non nisi quæ Dei essent quærentis satisfaceret, Imperatorem suppliciter expetiit. Qui diu multumque renisus, tandem Episcopi perseuerantia, Imperatricis, primatumq; coactus instantia, priuilegium protulit, & accedens ad altare beatæ Dei genitrici & perpetuæ Virgini Mariæ, Sanctisque Kiliano & Liborio, & astanti Meinvverco Episcopo suisque successoribus, curtem Eruete sitam in pago VVestfalen, legaliter obtulit. Episcopus autem gaudio repletus inenarrabili: Rex omnium Sanctorum, exclamat, retri-

Scyphū regium Meinvvercus ioco interuertit.

In calicem conflari iubet.

Henricus Imp. calicē Deo offert.

Meinvverc° Eruete prędium quo inuento ab Hentico eblāditus fit.

S. Cunegundis p Meinvverco intercedit.

Henricus Imp. fundū Eruete cum priuilegio offert ad altare.

buat tibi. Et Imperator auerso vultu, occultè submurmurans; & tu, inquit, odium Dei omniumque Sanctorum eius habeas, qui me bonis concessis cum detrimento regni spoliare non cessas. Episcopus autem priuilegium cum manu in altum exaltans. Beatus tu es, Henrice, ait, & bene tibi erit, cui pro hac oblatione cœlum patebit; cuius anima cum Sanctis sempiterna possidebit gaudia. Videte, ait, omnes populi, considerate fideles vniuersi, talis oblatio, peccatorum fit abolitio; hoc sacrificium Deo acceptabile, animabus sit propitiabile. Hoc quoque fideles, pro posse suæ facultatis, imitari studeant, vt pro temporalibus æterna, pro transitorijs mansura obtinere valeant. Vniuersi autem, magnis vocibus Dei collaudabant magnalia, gaudentes super omnibus, quæ audierant & viderant eidem Ecclesiæ collata donarijs.

LXXX. QVARTO autem Nonas Ianuarij cryptam in nouo suo Monasterio in honore S. Stephani Protomartyris consecrauit, lapidem quendam altaris, spectabilis magnitudinis à B. Leone Papa consecratum, de Ecclesia* Titemelle allatũ, in ea collocauit, & adorandas eiusdẽ Protomartyris reliquias, cum alijs multorum Sanctorum in eo reposuit.

*Tiatmalli

VARIIS autem modis, & temporibus, Ecclesiæ commissæ prospiciens Episcopus, oportunè importunè Imperatori institit, & nunc gratuito oblata cum gratiarum actione suscipere, nunc negata piè violentus præripere non destitit. Quodam deniq; tempore Imperator in Ecclesia principali missam auditurus, regali præparatura altare fecit ornari, admonens suos, Episcopi solitam inuasionem, cautius præcaueri. Episcopus autem eandem missam celebrans, post Agnus Dei pulpitum ascendit, & differentiam inter Imperij potestatem, & Sacerdotij asserens dignitatem, res diuini iuris, non esse humani honoris, & diuino cultui consecratum ad ius pertinere Sacerdotum, Canonica authoritate ostendit. Vnde Ecclesiastica ornamenta, & sacerdotalia indumenta, super quæ & per quæ ea hora & Ecclesia diuina celebrata erant Sacramenta, eiusdem Ecclesiæ pietati & vtilitati, pontificali authoritate & banno confirmauit; & omnes suæ Canonicæ authoritati reniti præsumentes, cum suis fautoribus, cum luminibus, sanctæ Ecclesiæ Apostolica authoritate anathematizatos sequestrauit.

Meinvverc° pro concione differit de Sacerdotij & imperij discrimine.

LXXXI. EPISCOPVS autem quoddam Imperatoris tegmen egregium præcipui decoris, & mirifici operis pallium, sæpenumerò obtinere desiderans, effectu caruit: donec quadam die Imperatori pluribus intento, illud fortuito rapuit. Imperator verò Episcopum de rapinæ incusans vitio, talionem debitam suo se tempore redditurum perhibuit: ille verò pallium hoc conuenientius in templo Domini pendere, quam sua mortalia membra tegere, affirmans, minas eius se vilipendere asseruit. Sciens autem Imperator, Episcopum sæcularibus negotijs multipliciter occupatum, tam in latinitatis locutione, quam in lectione, barbarismi vitia non semel incurrere, de Missali in quadam collecta pro defunctis, fa, de famulis & famulabus, cum Capellano suo deleuit, & Episcopum pro requie animarum patris sui & matris Missam celebrare rogauit. Episcopus ergo ex improuiso Missam celebrare accelerans, vt scriptum reperit, mulis & mulabus dixit: sed errorem recognoscens, repetitis verbis, quæ male dixerat, correxit. Post Missam insultans Imperator Pontifici, Ego, inquit, patri meo & matri, non mulis & mulabus meis Missam celebrari rogaui. At ille, per matrem, ait, Domini, tu more solito, iterum illusisti mihi, & non quoquo modo, verum in Dei nostri seruitio, cuius verè vindex en promittit meus iudex. Namq; sibi factum non pertransibit inultum. Illicò Canonicis *Capitulum principalis Ecclesiæ conuocatis, Capellanum Imperatoris huius rei conscium, durissimè verberibus castigari iussit, castigatumq; nouis vestibus indutum ad Imperatorem nuntiaturum, quæ facta fuerant, remisit.

Meinvverc° mirifici operis palliũ vel aulæum tollit Imp

Meinvverci solæcism°.

*Capitoliũ Capellanus regius in Paterbrunẽ. capitulo verberibus seu disciplina castigatur.

Henricus Imp. Meinvverco mortis metum artificio injicit.

LXXXII. MIRATVS autem Imperator multiplicem Episcopi erga cultum Dei deuotionem, experiri proposuit si synceriter ex Deo esset, eius intentionem; & ascitis Notariis scribi fecit literis aureis in scedulis. Meinvverce Episcope dispone domui tuæ: morieris enim quinta die. Episcopo autem in domo hyemali ad mensam considente de superiori æstiuali domo per postes scedula per huius rei conscium occultè dimissa, ante Episcopum corruit. Ipse ea accepta & perlecta, vsu corporeæ fragilitatis, primo stupens inhorruit. Deinde ad naturæ necessaria iturus, alias per loca disperfas inuenit, & certissimæ suæ vocationis indices credens, Deo gratias egit: & ascito Vicedomino suo, omnia quæ in pecunia vel diuersarum escarum copia habuit, Ecclesiis & pauperibus erogari præcepit. Vix autem quibusdam vilibus indumentis sepulturæ suæ retentis, expeditus à curis omnibus, horam vocationis suæ gaudens expectabant, & precum laudumque insistens hostiis, vigiliis & ieiuniis, dies noctibus continuabat. Itaque transacta die quinta, cum in crypta solo prostratus, vsq; in mediam noctem exitum suum præstolando, nihil corporalis molestiæ sensisset, tandem in se reuersus, esurire cæpit, & Imperatoris suspicatus, vt reuera erat, machinamenta, ad cubiculum redijt, & cibariis de foro mutuo allatis, corpus ieiuniis & vigiliis attenuatum, cibo somnoque refecit. Mane facto, Imperatore cum principibus quasi de resuscitatione Lazari gratulante, & prolixiora viuendi spatia ad exemplum & profectum aliorum à Deo sibi concessa affirmante, Episcopus antequam Missarum solemnia initiaret, pauca pro re & tempore ad populum locutus, Episcopalem irrisionem, & rerum Ecclesiæ distractionem omnibus innotuit, & eius rei authores & fautores Apostolica authoritate anathematizatos à sanctæ Ecclesiæ gremio, omniumque fidelium consortio, vsque ad condignam satisfactionem segregauit. Imperator protinus cum Imperatrice cæterisque facti illius conscijs, Monasterium egrediens, & excessum humanæ leuitatis humiliter recognoscens, discalciatus & cilicio indutus, aduentum Episcopi ante fores Monasterij publicè pœnitens expectauit. Et post Missarum solemnia, egressuro Episcopo in animo contrito & spiritu humilitatis prostratus, absolutionem anathematis interuentu qui aderant, cum suis difficulter impetrauit. Imperialem igitur largius extendens Imperator manum in opus misericordiæ, distracta multipliciter restituit, & deinceps corde tenus Episcopo vnitus, ad omnia quæ tam in proprijs, quam in conseruorum & coëpiscoporum suorum necessitatibus expetisset, benignissimè annuit. Admiretur igitur & veneretur à fidelibus vt meretur Episcopalis authoritas, & humilitas Imperialis: & commendetur in eis commendanda vitæ sinceritas, & meritorum tanta sublimitas.

a Meinvverc° mortẽ animose, magnifice & piè exspectans, rerum externarum despicientiam & diuitiarũ contẽptum prodit.

b Meinvvetcus pro concione Imperatorem & alios qui mortis metum admouerant, excõmunicat.

Imperator publica pœnitentia.

LXXXIII. DEVOTISSIMVS igitur Imperator, circa memoratum locum Patherbron multis donis pijssima largitate celebratis quasi in spiritu quodammodo præcognoscens se eo amplius non venturum, erga dominum & eundem locũ, dilectumq; sibi Episcopum, suæ dilectionis indicia non minima dereliquit. Interuentu namq; venerabilis Cunigundæ Imperatricis assiduè monentis, atq; incessabiliter ei in memoriam reuocantis & Episcopus Meinvvercus plus cæteris fidelibus suis, iugi deuotione in seruitute regia sudasset, contulit ei prædium quoddam Hoensile dictum, in pago Westphalon situm, in comitatu Bernardi Comitis, quod Episcopus Ecclesiæ suæ nouæ mox tribuit, cum omnibus eiusdem prædij appenditijs. Die quoq; eadem, aliud prædium dictum Stein situm in pago Westfalen in Comitatu Bernhardi Comitis ei Imperator dedit: quod sibi suisque successoribus ad Maioris Ecclesiæ dominium Episcopus retinuit.

Hoinsile.

Steinhimal

Henricus priuilegium confert Ecclesiæ Monasterij Abdinghouen.

LXXXIV. IPSO die videlicet XIX. Kal. Februarij Ecclesiam ab Episcopo nouiter exstructam Imperator ab omni sæculari violenti exactione vel inuasione stabiliuit & communiuit, Imperialis edicti authoritate decernens, vt nulla persona quemlibet Abbatem ipsius Ecclesiæ cum suis fratribus super bonis concessis vel concedendis, inquietare, molestare, aut diuestire præsumat, aut aliqua iudiciaria potestate se intromittat: excepto aduocato ab Abbate & fratribus in defensorem electo, adijciens hoc in præcepto, vt si quis hoc infringeret C. libras auri componeret, L. regiæ cameræ: L. eidem Ecclesiæ.

MONA-

LXXXVI. MONASTERIO quoq; Cofunga nominato, in honore ſancti Saluatoris, ſanctæq; eius Genitricis, nec non victorioſiſſimæ Crucis atq; B. Petri Apoſtolorum principis cõſtructo, quoddam prædium regij iuris Hardinehuſen dictum pro remedio animæ ſuæ dilectæque coniugis ſuæ Cunigundæ Imperatricis Auguſtæ, nec non pro animabus fidelium ſuorum, quorum corpora ibi requieſcunt, Erphonis Comitis, atque Connonis eadem die in Patherbron contulit; ea videlicet ratione, vt venerabilis eiuſdem Eccleſiæ Abbatiſſa Ota nomine, ſibique poſt hinc ſuccedentes, proprietario ipſum iure poſſiderent. Tali ſimiliq; ſtudio regiæ deuotionis, profecit S. Eccleſia augmento ſacræ religionis; & in ſuo ſtatu vigente capite, viguerunt in ſuo profectu membra Eccleſiæ.

Cofunga Virginum Monaſterium dotatur.

Ota Abbatiſſa Cofungenſis.

LXXXVII. ILLIVS quoque temporis Epiſcopi ſapientia & ſcientia prædita, ſubiectorum profectibus continuè erant dediti, ſecundas Imperij partes ſanctè & iuſtè adiuuantes, ſacerdotij rigorem nullatenùs relaxantes. Inter quos vitæ merito eminebant Treuirenſis Metropolis; ex qua primum ſonus Euangelicæ prædicationis intonuit partibus Teutonicis Meingoz & Poppo; Colonienſis quoque Heribertus & Piligrinus. Maguntinenſis Eccleſiæ Willigiſus & Erchanbaldus; Aribo & Bardo. Burchardus Wormatienſis ſtudio ſuo in collectione Canonum in Eccleſia laudabilis. Traiectenſis Ansfridus & Athalboldus. Mimigardeuordẽſis decor Theodericus & Sigifridus. Oſnebruggenſis Thietmarus. Hildenesheimenſis Betenwardus & Godehardus. Mindenſis Sibertus & Bruno. Werinharius Argentinæ ciuitatis. Meinhardus & Bruno Wirciburgenſis. Parthenopolitanæ Gero, & *Hunfridus; Bremenſis Vnuwanus; & alij quam plures pontificia dignitate venerabiles, & ſanctitate incomparabiles; quorum meritis adeò illo in tempore floruit Eccleſia, vt non ſit hodie aliqua, quæ nobis eius temporis non portendat ſuorum meritorum inſignia. Hi vt Cherubin, virtutum ſuarum alas alter ad alterum concutiebant; vt in laude Dei, orbem terrarum commouentes, meritorum qualitatibus tanquam diuerſis diſcreti vultibus, & in corporalibus & ſpiritualibus oculati, antè & retrò, tam in proſperis, quam in aduerſis populum commiſſum ſtenuè gubernabant. Tales erant Epiſcopi Meinwerci cõtemporales. Per hos, Dominus, triumphato mundi principe, propagauit Eccleſiam, ſuo ſacro redemptam ſanguine. Hi Meinvvercum pro vitæ ſuæ innocentia, magna venerabantur reuerentia; cui tam in Eccleſia, quam in curia, magnam pariebat dignitatem temporalium rerum opulentia. Porro Meinvvercus digniores & prouectiores inter eos, filiali reuerẽtia venerabatur, vt patres; coætaneos & iuniores amplectebatur vt fratres, maiorum admonitionem & inſtitutionem humiliter percipiens; eandemque ſimilibus & iunioribus ſalubriter impertiens. Mira ei ad omnes caritas, inæſtimabilis morum & verborum ſuauitas, vt amorem Dei in eo interius feruenter flagrantem, quodammodo intelligeres per gratiam exterius coruſcantem.

Memfrid⁹

Ezech. 1 3. & 5.

Meinvverci elogium.

LXXXVIII. ERANT quoque tunc monachi quaqua verſus religioſi, in vigilijs, ieiunijs, orationibus & diuinis meditationibus ſtudioſi, præſentia contemnentes, cogitatione & omni auiditate, cæleſtia deſiderantes.

Monachi eius ætatis.

LXXXIX. POSTQVAM autem tali Imperatore tantarum virtutum haud ſegni executore mundus non erat dignus, ipſeq; pro conſummatis glorioſiſſimè huius vitæ laboribus cæleſti brauio erat donandus, Grunæ* decumbens, cum totius Chriſtianitatis inæſtimabili mœrore, anno vitæ ſuæ LII. Regni XXIV. Imperij XI. Dominicę Incarnationis CIↃ.XXIV. eſt[a] defunctus, & Bauenbergam tranſlatus in *Eccleſia SS. Apoſtolorum Petri & Pauli honorificè ſepultus, tumuluſq; etiam tali[b] Epitaphio inſignitus.

Henrici Imp. obitus

*Grondæ & Gronæ MS. hic variant.

[a] Sepultura. * *in Monaſterio S. Petri.* [b] Epitaphium.

Henric Auguſtus virtutum germine iuſtus,
Hæc ſeruat cuius viſcera putris humus.
Splendor erat legum, ſpeculum, lux, gemmaque Regum;
Ad cælos abijt, non moriens obijt.
Idibus in ternis vexantem pondere carnis
Iulius ætherio ſumpſerat imperio,
Abbatiſſa pia, quod reddat ſancta MARIA,
Hildigarda ſibi iuſſerat hoc fieri.

III. Id. Iulij.

XC. EPISCOPVS autem, obitu eius audito, per totam ciuitatem Patherbronnenſem omnemq; Epiſcopatum, tranſitum eius agi ſolenniter mandauit; & pro animæ eius remedio eleêmoſynas non minimas tam in alimentis, quam in veſtimentis, pauperibus erogauit. Quamuis autem gauderet de patrono amiſſo*, doluit de ſolatio amiſſo; transixusq; doloris nimij gladio, non potuit imperare ſibi, quin doleret corde & animo. Et Imperator quidem laborum ſuorum præmijs, inter ciues cæleſtis Hieruſalem gaudio æternæ claritatis ineffabiliter tripudiabat: Epiſcopus autem vt congregata à luporum incurſione conſeruaret, & pro acquirendis alijs operam daret inter ciues Babyloniæ aliquamdiù commorari habebat.

Exequiæ & eleemoſynę Henrico Imperat à Meinvvercо.

* *admiſſo.*

XCI. POST obitum ergò Imperatoris ſoli Saxones in quodam caſtello quod Werla dicitur, conuenerunt; & tam de Regis electione, quam aliarum rerum neceſſaria diſpoſitione, tractare cœperunt. Ibi Dominus Meinvvercus Epiſcopus, & Titmarus frater Ducis Saxoniæ Bernardi, quicquid iniuriarum & controuerſiarum de Abbatia [c] Helmvvardeshuſen, aut alijs rebus, ad inuicem habuerunt, penitus dimiſerunt: & interuenientibus Sigifrido auunculo eius, Hermanno de Weſtphal, Bennone, Amelungo, Comitibus, aliisq; præſentibus, plenariè [d] reconciliari; huiusq; reconciliationis teſtes literis ſunt mandati.

Saxonum in Werla conuentus de electione Regis

[c] Helmvvarſdeshuſen.

[d] Abbatiæ lis ſedata.

XCII. BENEFICIVM quoq; Dominæ Addelæ de Hammonſtede, conceſſum, Imperatore mortuo mox ad eum locum redijt, ex quo prius fuerat acceptum. Epiſcopus autem, vt ſapiens, ſemper ſapienter fecit; & ex ſubſtantia Eccleſiæ beneficium Dominæ Addelæ ſecundum velle eius, vt Imperator conſtituerat, reſtituit, concedens ei ad terminum vitæ ſuæ Lindebningaroth, *Handelun & Dalheim cum LXXX. familiis. Hoc inſuper conſtituens, vt non ſolum corporeæ vtilitatis, & neceſſitatis remunerationem, ſed cum dies vitæ eius extremus veniſſet, ſaluberrimam animæ ſuæ experiretur commemorationem: ita vt à fratribus die XXX. obitus eius, omnibusq; anniuerſariis Miſſæ & Pſalmodiæ celebrentur, & eleëmoſynæ, ſicut in anniuerſariis Epiſcoporum eiuſdem Eccleſiæ pauperibus erogentur; & fratres ibi Domino ſeruientes duo & duo quatuor panes, duos triticeos, duos ſiligineos, vel auenæ, X. carnes, vnam amphoram ceruiſiæ, vnam heminam plenam medonis* accipiant. Scholaſtici verò duo, & duo, duos panes, & quatuor carnes, & vnam heminam plenam ceruiſiæ inter ſe diuidant. Hæc in præſentia Sifridi, Vdonis, Bennonis, Comitum; Vriæ, Lindvvich, Wicilini, Hunike villicorum, & aliorum multorum ſunt facta, & ad memoriale perpetuum literarum ſerie firmata. O Epiſcopum idoneum de Eccleſiæ commiſſæ profectu in tantum ſollicitum; qui & corporibus vtiliter proſpicere, & animabus ſalubriter nouit conſulere.

Hammonſtede.

* *Lindubimgaroth.*

Anniuerſariæ feriæ Addelæ matronæ in Agapa & eleemoſynis Epiſcoporum anniuerſarijs æquatæ.

*id eſt mulſi, vel mellinæ vulgo Meth

XCIII. PRINCIPIBVS autem pro electione Regis diſſidentibus, octo hebdomatibus ſolium regni vacauit; Et ſic Conradus, vnus ex regni primoribus, ſed regno antea per rebellionem aduerſus, fauentibus ſibi Aribone Moguntinenſi

Contradi Salici electio.

Archiepiscopo, Euerhardo Bauenbergensi, anno Domini Incarnat. M.XXV. ab vrbe condita, M.DCC.LXXVI. LXXXV. loco ab Augusto, VI. Idus Sept. illud obtinuit, & Moguntiæ Regiæ consecutionis * dominium obtinuit. Prima * Idus Septembris facto iterum conuentu Principum, præsente Meinwerco Episcopo, in loco qui [a] Hirsfelden dicitur, meritis sanctissimæ Idæ insigni, Hildegunda Abbatissa in Geseke, cum Bernardo nepote suo & aduocato, prædia Vilesi, Vesperdum, Hoddinchahusen, quæ olim à Sigebodone & à sua vxore Embila pro quadam emendatione Patherbronnensi Ecclesiæ tradita fuerant, infirmare voluit: Sed in præsentia Ducis Saxoniæ Bernardi, Hermanni Comitis, & filiorum eius Henrici, Conradi, Adelberti, Bernardi, Comitum quoq; Ekkihard de Aslan, Erph, Amelungi, Theodorici Fresoniæ, Widekindi Eckike, Tiatmari fratrisque eius, & aliorum multorum, iusto iudicio conuicta, ab omni executione prorsus cessauit.

* *consecrationis.*
* *Idibus Septemb.*
[a] Hirsfeldensis conuentus.

CONRADO igitur Rege in regno confirmato, mutato regno, mutatis etiam, vt solet, amicis & consiliariis, per suggestionem Aribonis Maguntini Archiepiscopi, Comitatum quendam Dodiconis Comitis, quem prædecessor suus Imperiali munificentia Patherbornensi Ecclesiæ dederat, ab ea tulit; & in ius Maguntinæ Ecclesiæ rudis adhuc in regno, iniusto persuasus consilio, irrationabiliter transtulit. Venerabilis autem Meinwercus Episcopus Imperatorum deuotissimus seruitor, & amator, Matthæ sedulus satagens obsequiis non cessauit, nec quieuit suo tempore supplicando, seruiendo, quoad vsque idem Rex Imperator factus, Omnipotentis Dei, in cuius manu corda Regum sunt, instinctu, fidelium que suorum interuentu, ablata restituit, & alia quam plura regali magnificentia ei tribuit. Sciens itaque Episcopus æquum esse seruiri Regibus, & Dominis, vt Christi famulis, * ad verum profit honorem, dilexisse bonos, & toleraſſe malos, ad Regem se contulit, & dilata sapienter interim omni querela, obsequio, amicitia, beneuolentia noui Principis gratiam adipisci proposuit. Rex autem tantæ dignitatis, & nobilitatis virum debita veneratione susci piens, amoris & honoris congrua exhibitione eum tenuit, profectusq; Romam II. electionis suæ anno [b] in negotiis tam priuatis quam publicis fidelem & vtilem viæ comitem habuit.

Comitatus Dodiconis. XCIV.

* *& quod*

Meinvverco gratia Conrardo deuinctus cum eo Romam proficiscitur

[b] Anno MXXVI & MXXVII.

EODEM anno in Natali S. Matthæi Apostoli Aribo Maguntinus Episcopus in Selingenstat concilium generale XII. Episcoporum conciuit; in quo beatæ memoriæ Godehardum Hildenesheimensis Ecclesiæ Episcopum super Gandisiesheimensi parochia, publicè conuenit, quam tamen Synodum vnanimitas fratrum in futurum annum in præsentiam Regis comperendinauit. XCV.

Synodi Seligenstad indictio 1026. vide S. Godehardi vitæ c. 8.

REGE autem manente in Longobardia, Wolffgangus [c] Patriarcha Aquileiensis ei obuiam venit, imprecatusq; nouo Regi prospera, Episcopum Meinwercum consanguineum suum salutauit. Episcopo autem ad confirmationem Monasteriorum reliquias Sanctorũ expetente, Patriarcha gratanter annuit; & corpus S. Felicis, qui sub Diocletiano * Imperatore, Beronio Præside, cum Hilario Episcopo, & Taciano diacono post equuleum, & alia tormenta, cum Largo & Dionysio martyrium consummauit, postmodum misit. XCVI.

[c] Patriarcha Aquileiensis Meinvverco offert corpus S. Felicis.

Martyrol Rom. XVI. Martij. * *Numeriano.*

REX autem Natalis Domini Festum Yporeæ * initiauit. Inde ad limina Apostolorum tendens, feria III. ante cœnam Domini Romam, felici prosperitate, gaudens intrauit, & Sancto Resurrectionis die cum [d] Gisla Regina coronam Imperialis honoris à beato Ioanne Apostolorum Vicario gloriosè percepit. Imperator autem ab Apostolico de Ecclesiis Dei, meliorandis propagandisque admonitus, salubriter obaudiuit; & perpendens hoc se multum posse iuuare, ad diuini honoris & gloriæ maiestatem, Ecclesias intra Imperij sui contiguum constitutas sublimare, & de rebus suis ditare: pariterque sciens ad Imperialis potentiæ dignitatem pertinere, bene sibi domi & militiæ seruientibus condignam seruitutis remunerationem exhibere, interuentu Gislæ Imperatricis suæ contectalis, & filij sui Henrici, Brunonis Augustensis Episcopi, Hermanni Marchionis fratrisque eius Eckihardi, quandam curtem ad ius Imperiale pertinentem [e] Eruete dictam in pago Engere in Comitatu Marcvvardi Comitis sitam, cum omnibus appenditiis, & vniuersis vtilitatum, quæ inde prouenire poterunt attinentiis, cum banno in mercatu etiam, qui apud eandem curtem solet haberi, Domino Meinvverco, qui sæpè & multum frequenter, & fideliter seruierat, ibidem in Roma, Sabbato sancto Paschali hebdomade, VII. videlicet Idus Aprilis donauit. Proxima die Dominica regressus, ac peruasâ circumquaque potestatiuè ea regione, in pace repatriauit, & Natiuitatem S. Ioannis Baptistæ nouus Imperator in Werle * celebrauit. Vbi in bona senectute defuncto [f] Henrico Duce Baioariæ fratre Imperatricis Cunigundæ, filio suo Henrico, eundem ducatum Principum delectu commendauit. XCVII.

[d] Gisla Regina coronatur anno 1027.

[e] Eruete donatio Meinvverco Romæ à nouo Imper. stabilitur.

* *MS. impriboli*

[f] Henricus Baioariæ Dux moritur Imbip.

SYNODUS Francofordiensis vita S. Godehardi c. 9

IMPERATORE ergo reuerso, ipso anno facta est generalis Synodus Franconofordi Episcoporum XXII. in qua præsidente Imperatore, beatus Godehardus Hildenesheimensis Episcopus diœcesin suam super Gandenesheimensi parochia, canonica synodaliq; censura, iudicio VII. Episcoporum contra Aribonem Maguntinum Archiepiscopum retinuit. In eadem Synodo Domina Sophia Nonas suas, cogente synodali decreto, ab Archiepiscopo recepit, & [g] Gedehardus iuuenis, frater Imperatoris ibidem arma deponens, Clericalem tonsuram inuitus accepit. XCVIII

[g] Gedehardus frater Conradi Imperatoris fit Clericus.

* 1028. Henricus III. fit Rex.

PRIMO * anno Henricus filius Imperatoris vnctione Piligrini Colonienſis Archiepiscopi Aquisgrani Rex factus. Ipso anno Aribo Moguntinus Archiepiscopus in Gerzleci [h] Synodum generalem cum suis Suffraganeis Episcopis habuit. In qua inter cætera Ecclesiastica negotia, quidam homo ingenuus de homicidio Sigifridi Comitis incusatus candenti ferro se expurgauit, & ex decreto Synodi post duas noctes illæsus apparuit. XCIX.

[h] Synodus in Gerzleci Aribonis Moguntin. vita sancti Godehardi cap citato.

Irruptio Miseconis Sclauorũ Ducis in Saxoniã.

EODEM etiam anno Miseco Sclauorum Princeps, Orientales partes Saxoniæ cum exercitu violenter inuasit, & incendiis ac deprædationibus peractis, virorum ac mulierum, paruulorumque innumerabilem multitudinem, miserabili, & inaudita mortificatione, trucidauit. C.

Confirmatio bonorũ Ecclesiæ Patherbron. à Conrado Imper.

EPISCOPO autem sedulò domi forisque obsequente, Imperator ei ad omnia, quæ expetisset, fauit, & inter cætera, quæ rationabiliter expetitus liberaliter annuit XIII. Kal. Septembris in Walahusen talia bona, qualia ab ipso vel ab vllo antecessorum suorum regum, Imperatorum, seu cæterorum hominum Paterbronnensi Ecclesiæ collata sunt, in Abbatiis, in Comitatibus, in Forestis, in teloniis, in Monetis, in Mercatis, in Bannis, in immunitatibus, in omni districtu, in prædiis maioribus & minoribus, in mancipiis vtriusque sexus, siue in omnibus pertinentiis ad hoc iure ac legaliter aspicientibus, interuentu suæ coniugis Gislæ Imperatricis, & amantissimæ prolis Henrici Regis, imperiali præcepto stabiliuit, & confirmauit, vt nullus temerario ausu aliqua de rebus Ecclesiæ auferre, aut sine præfati Episcopi Meinvverci suorumque successorum permissione se intromittere præsumat. Sed eiusdem Ecclesiæ prouisor tali iure ac lege, quali Archiepiscopi, & cæteri Episcopi res ad suum Episcopium possident, omnium hominum contradictione remota, bona concessa, vel concedenda, potestatiuè possideat. CI.

Immunitas & libertas Ecclesiæ.

Hirsfeldiæ Principum conuentu ann. 1020. possessiones Ecclesiæ Patherbr. vindicantur.

XVII. I. autem Calend. Octobris sequentis anni, qui fuit post obitum Henrici Imperatoris sextus, facto in Hirsfeld conuentu principum, Episcopus Meinvvercus aderat; ibiq; veniens Brun Comes cum vxore sua Idar, infirmare voluit traditionem, quam in prædiis Suttesburck, Betauen, Wallenstedd fecerat. Episcopus autem quasi sapiens CII.

tanta

tanta prædia perdere nolens, Dominæ Idæ vsq; ad exitum vitæ suæ LXXX. aratra in reconciliationem dedit, & astãtibus legitimumq́; huic rei testimonium perhibentibus Bernardo duce, Hermanno Comite, & filio eius Henrico, Conrado, Adelberto, Bernardo, Comitibus quoq; Eckihard de Aslan, Bernardo, Erphone, Theodorico Fresoniæ Widukindo Eckihard, Amelongo, & fratre eius Ecberto, legali iure hæc firmata obtinuit; hoc fideliter decernens vt si aliquis aratra Dominæ Idæ concessa auferret, ille omnia prædia sua sine contradictione reciperet.

CIII. Nobilis quoq; quidam Hathamarus nomine, prædium quoddam in locò Lemmonehusen dicto, hereditario iure possedit; quod cuidam Hathaldo seniori suo promissionibus illius illectus, absq; voluntate hęredis legitimi tradidit, postea Hathamarus, imperante Domino, obijt, & prædium ei, matriq́; suæ iniustè abstractum, prædictus Hathaldus suæ concubinæ, filiæ videl. Bernardi Comitis, quasi pro dotis causa donauit. Hathaldo quoq; post longum tempus mortuo, Berthilt mater Hathamari in præsentiam Conradi Imperatoris eiulando venit; suumq́; prædium iniustè sibi ablatum, multum conquerens, regali clementia sibi restitui suppliciter petit. Imperator verò misericordia motus, vim patienti benignè condoluit; & interuentu Gislæ Imperatricis, consilioq́; Vdonis, Hermanni, Eckihardi Comitum, aliorumque multorum eidem Berthildi prædium iniustè ablatum, potestatiuè restituit: Berthildis verò memor salutis æternæ ipsum prædium per aduocatum suum Reinerum, cum consensu, & voluntate vxoris suæ Modumnæ, iustissimæ hæredis suæ, Ecclesiæ Patherbronnensi in proprium tradidit: eique Episcopus Meinvvercus quandam decimationẽ in villa Thesli ad terminũ vitæ suæ concessit. Huic rei Herimannus, Vdo, Eckihardus Comites, & alij plures testimonium legitimum dabant; & insuper oẽs maiores & nobiles qui eo tẽpore in Laem* viuebant. *Lacui.

Berthildis matronæ donatio.

CIV. Pavper quoque quidam Boia nomine, ad Imperatorem veniens secum matre sua prædiorum Vflan & Richvvardessun, quæ Episcopus ab Aludrico de Rangum graui pecunia comparauerat, legitimum perhibuit hæredem. Episcopus autem pro amore Christi eidem Baia vnum equum, & V. solidos, vnum laneum pannum, ad reconciliationem dedit; & præsentibus Hunfrido Magdeburgensi Archiepiscopo Cathaloe Episcopo, Lutgero!, Burchardo, Aludrico Comitibus, Varatra ad X. solidos denariorum in beneficium vsq; ad exitum vitæ suæ ei concessit.

Meinvverci æquitas.

CV. Anno autem Dominicæ Incarnationis MXXX. Conradus Imperator difficili, periculosoq́; itinere regionem Vngariorum peruasit; & deuotè sibi Episcopo vbiq; obsequente, interuentu Gislæ Imperatricis, filijq́; eius Henrici Regis Kal. Iunij in Merseburg quondam Bernardi Comitis prædium[a] Batberch dictum, cum X. mansis circa eundem montem adiacentibus, in pago Michtercha in comitatu Haholdi Comitis situm, testamentaria authoritate ei contulit; quod ideò hæreditario iure in Imperialem potestatem successit, quia idem Comes Bernardus spurius, quod vulgò VVanburtich dicunt, fuit. Episcopus autem pro collatis, gratias non minimas egit; & videns se laborem suum non in vanum consumere, magis ac magis pro obtinendis aliis insudare cæpit. Miranda autem in tantæ dignitatis & nobilitatis viro, continuæ seruitutis, & laboris pro Ecclesiæ commissæ profectu instantia. Ac notanda & laudanda in eo maximè amoris Dei flagrãtia, digna sanè Episcopalis dignitatis, quæ propter Deum maiori se subdens. Dominum in potestate eminentiori, quæ ab eo est, venerari nouit. Digna quoq; Imperialis maiestatis, qui laboris & amoris sibi exhibiti negotia esse nesciuit.

Meinvverci cum Imper. Conrardo in Hungaros expeditio.

[a] Batberch Meinvverco donatur.

CVI. Vbiqve ergò fidus & indiuiduus Comes Imperatori Episcopus existens, proximo anno secum Alistede venit; & prædia quæ habuerunt Bernardus & vxor eius Hareka, in locis Alfflaen, & Eltinum in pago Paderga, in comitatu Annilungi Comitis XIII. Kal. Feb. ab eo obtinuit. Post hoc Goslariam diuertit XI. Kal. Martij, vbi prædia Bennenhusen, VValabroch, Padenbroch sita in pagis VVetiga, & Tilithi in Comitatu VVidikindi Comitis ei Imperator contulit. Ibidem die eodem, interuentu Gislæ Imperatricis, & filij sui Henrici Regis, & iuge seruitium Episcopi sæpissimè & fideliter impensum sibi prædium Hemhusen, VVunden, VVindilin, Voderord, Altentorff, Ronebersun, Sonderessen, Hisari Hameressen situm in pago Auga in comitatu Conradi Comitis, cum Attinentibus, Harconum & Ricardum etiam cum suis omnibus Imperator Pather. Ecclesiæ tradidit.

Conradus Imp. Meinvverci cumulat beneficiis

CVII. His actis, quidam vir VVittilo nomine Imperatoris Conradi serenitatem adijt, hũmiliter exorans vt prædium Sannabiki dictum, situm in istis villis Hornam, Frodinedorff, Vinesbike, Rasseti, Knetahusen, Buckinhusen, Bennenhusen, Bruni, Berchen, Homan, Holthusen sua, vxorisq́; suæ Odæ, filiæq́; eorum Cæciliæ, necnon Gerburch, filiique eius Hodonis petitione, ac collaudatione ad suam Imperialem manum accipere curaret, & prædium Eneriri, quod Regiæ fuit proprietatis, illorum è contra ditioni subiugaret. Quorum desiderio Imperator primatum suorum satisfaciens consilio, id quod illorum erat ad suas manus recepit, & illorum ius, hoc, quod sui erat iuris amicabiliter remisit. His omnibus ita transactis, prædictum prædium Sannabiki quod tunc Regiæ iudicabatur esse proprietatis, in Comitatu VVindikini Comitis in pago VVettika, interuentu Gislæ Imperatricis, Henrici Regis dilectæ suæ prolis, necnon Hermanni Marchionis, Meinvverco Epo, suisq́; successoribus ad vtilitatem Pather. Ecclesiæ III. Non. Aug. in ppetuum tradidit Recordatũ se dicẽs, non in hoc tantum, sed in aliis, sibi adhuc, Deo volente, ab eo tradẽdis prædiis, quod suum seruitium deuotius, & cæteris Pontificibus frequentius, non quasi vno, sed ferè in omni tempore anni habuerit. Magnæ deuotionis & fidelitatis seruitium, tam euidens Imperialis maiestatis habens testimoniũ.

Sannabiki Patherbr. Ecclesiæ accedit.

CIIX. Tempore autem autumnali Imperator Sclauos cum parua Saxonum manu inuasit, & Miseconem diu sibi resistentem, Lutizi cum aliquot vrbibus, & præda, quæ prioribus annis in Saxoniæ partibus facta fuerat, restituere, pacemq; iuramento firmare coëgit.

Conradus Poloniæ fines vastat.

CIX. Monasterio autem, quod in Occidentali parte Patherbrunnensis Suburbij Episcopus inchoauerat, plenitèr & decenter, cum omnibus claustralibus officinis consummato, ab Imperatore hoc dedicandi ac consummandi licentiam petijt, & accepit. Regressusq; dedicationi attinẽtia cum summa abundantia præparari præcepit. Misso autem à VVolffgango Patriarcha Aquilegiensi corpore [b] S. Felicis cum duobus palliis, v. Non. Octob. Episcopus in eodem Monasterio cum maxima Cleri, totiusq; ciuitatis populi frequentia illud excepit. Et experiri volens salutis ipsius auxilio, si sibi, suoq; succurrere posset populo, rogum maximum in medio claustri sub diuo fieri præcepit, in quem cum tertio corpus misisset, totiensq; in fauillam redactus ignis fuisset, cum maxima omnium exultatione, & laudum iubilatione corpus manibus propriis excipiens, super principale altare detulit, & omnium veneratioñi solemnem sanctum illum deinceps haberi instituit.

Meinvverc[a] se ad Monasterij Abdinghouensis dedicationẽ & dotationem accingit.

[b] S Felicis corpus à VVolffgango Patriarcha Aquilegiensi Paterbrunnam missum.

CX. Oblationis [d] ergò, quam pro spe suæ salutis & incolumitatis, pro remedio animæq; suæ, omniumq; parentum suorum, Domino offerre disposuit: testes & cooperatores idoneos adhibuit. Ascitisq; Hunfrido Archiepisc. Parthenopolitano, & Episcopis bonæ memoriæ Godehardo Hildenesheimensi, Siberto Mindensi, Sigifrido Monasterienſi, aliisq; quatuor, eos nuptiis suis festiuis interesse petijt. Maguntinus aũt Archiep. [e] Aribo eod. an. Romã profectus orationis causa, in reditu VIII. Id. Apr. obierat. Et Bardo VVerdenensis Abbas, qui Imperatricis machinamẽto subintrauerat, quiq; ante paucos mẽses Arnoldo Abbati ab Hersfeldensi regimine deposito, successerat, variis negotiis occupatus, secundũ desiderium Epi, interesse nõ poterat. Solẽnitate ergo oĩm Sanctorũ Kal. Nou. in ciuitate Patherbronnensi cum prædictis Epis, & innumerabili multitudine promiscuæ ætatis & dignitatis festiuè celebrata, sequenti die Epis præsentibus, & sua auctoritate fauentibus, [f] Monasterium suũ in honore B. Mar. perpetuæ Virginis

[d] Oblatio fundorum Monasterij

& prædiorũ quæ incredibili magnificentia Meinvverçus Abbatiæ ab se constructæ legauit. [e] Aribo & Bardo Archiep. Mogunt. [f] Dedicatio

ſanctorumq́; Apoſtolorum Petri & Pauli,atq; omnium Sanctorum, deuotiſſimè conſecrauit, & in dotem eius prædia hæc ſolenniter delegans. Withun, Gelondorff, Merebeke cum Eccleſia, Rimi, Eriburch, Goltbeke, Bodenhuſe, VVald, Mannickhuſen, Hauergo, Medere, Baldhornum cum decima, Leſſete cum decima, VVanbeke, Hoenſen, Radmeheim, cum capitali decima, ſuper dimidiam curtem cum familia. Villam in Rutten, curtem cum familia, & decima ſuper omnem parochiam, capella in Vorthuſen ad eandem Eccleſiam pertinentem. In Teiſterbant curtem cum tota familia matrem Eccleſiarum, in Tiullon cum quatuor Capellis attinentibus, Nivveld, Hellere, Haſen, Gamberen, cum decimis earum. Burgnon, item Burchnon, Antepo, cum omnibus ſuis pertinentiis, & cæteris, omnibusq́; quomodocunq; donari poſſunt vtilitatibus, Mundiburdium & tuitionem Omnipotentis Dei, omniumq́; Sanctorum commiſit: admonens, & conteſtans, ſub nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt nullus ſucceſſorum ſuorum, ſiue alia aliqua perſona magna vel parua, contra Eccleſiam Dei ſeruiens foris aut intus, eidem Monaſterio, rebusq́; ſibi conceſſis, ſeu cõcedendis, aliquam violentiam, ſeu rapinam inferre, vlla temeritate; vel de præfato Monaſterio aliqua auferre, vel imminuere, de theſauris vel prędijs, vel monachis ibidem conſtitutis, vel conſtituendis, vim aliquam ſiue moleſtiam irrogare præſumat. Eccleſiam quoq; in Haltenhuſen cum banno Epiſcopali cum tribus capellis attinentibus eidem Monaſterio delegauit; & ne quid Eccleſiaſticæ dignitatis ac vtilitatis temporalis in aliquo ei deeſſet, ſolerter proſpicere curauit.

Ornatus & ſupellex Monaſterij noui.

ISTE eſt autem ornatus quem eidem Monaſterio tradidit, quemq́ue frater Andreas conſignante Abbate Sigehardo in cuſtodiam recepit. Tabula ante principale altare argentea, Calix aureus VIII. marcarum examinati auri LXXII. lapidum decoratus ornatu. Calix fuſilis argenteus XXX. marcarum, in quo opere, paſſio S. Stephani protomartyris continebatur. Calix argenteus minor XXII. marcarũ. Calices minores diuerſæ qualitatis & quantitatis puriſſimi argenti VI. Cruces argenteæ duæ cum baculis. Candelabra duo tertiam dimidiam marcam examinati argenti habentia. Cuppa argentea, Ampullæ argenteæ V. Dalmaticæ V. Caſulæ XIV. Stolæ auro textæ VII. ex quibus vna habuit XXVII tintinnabula, alia XXI. adiunctis ſingulorum, & mappularum pertinentes. Item aliæ VII Subtilia III. Cappæ XXV. Pallia coccinea XII. Coopertoria altaris varij generis VI. Mappulæ coccineæ IX. Offertoriola coccinea duo, Dorſalia lanea V. Choralia V. Cortinæ V.* Bandalia VII. Tapetia XIII. Albæ L. cum ſuperhumeralibus ſuis & Zonis. Coopertorium * analogi coccinneum, Lapides cryſtallinos XXXIII. Coronam argenteam ante principale altare continens in feſtis præcipuis XII. candelabra in honorem omnium Apoſtolorum. Aliam coronam æque argenteam in medio Monaſterij, continet LXXII. candelabra in honorem LXXII. diſcipulorum, & alia multa, ac diuiſa ad Eccleſiaſticum apparatum pertinentia. CX.

*vexilla.
*analogij, ſuggeſti ex quo verbũ Dei annuntiatur.

Abbatis libera Electio.

LIBERAM quoque poteſtatem Abbatem eligendi ſecundum timorem Domini ad regularis auctoritatis firmamentum, ſua Epiſcopali conceſſione eiuſdem Eccleſiæ filiis ſtabiliuit, & confirmauit; ita vt damnationem, & vltionem inuaſoribus Eccleſiæ à Deo prædeſtinatam incurrat, quicunq; in hac re per aliquam violentiam, vel per malignum conſilium eis obſtiterit, & ſuam traditionem, & conſtitutionem atq; licentiam liberalem infringere, vel permutare quolibet ingenio tentauerit. CXI.

Teſtamẽti ſiue Donationis confirmatio.

SVPER his, atq; aliis Monaſterii vtilitatibus, facto teſtamento, Epiſcopus piiſſimus præfatus, & cæteri Epiſcopi præſentes, ſibi in confirmationem ſingulatim ad pulpitum ſuccedentes, ſua illud pontificali authoritate, & banno terribili, ac formidabili, ſtabilire, firmare, & roborare curauerunt: vt videlicet, ſi quis extra huius teſtamenti ſeriem cœnobio Epiſcopi quodlibet diſpendium ſiue iniuriam irrogare tentauerit, Omnipotentis Dei, Sanctorum eius iram, atq; offenſam incurrat, & in die iudicii, ſi non emendauerit, diuino maledicto ſubiaceat, Ite maledicti in ignem æternum, &c. CXII.

Inuitatio annua Epiſcopi & Canonicorum Æmelungus Eccleſ. Patherbr. Aduocatus.

CONSTITVIT autem non cenſus, vel debiti, ſed inuiolabilis cauſa dilectionis, vt Abbas prænominati Monaſterii omni anno in Dedicatione ſuæ Eccleſiæ, Epiſcopum, ſi præſens eſt, Canonicosq́; ſuos, ad conuiuium inuitet, nihilq́; aliud aliquid præterquam quod caritas dictauerit, aliquando perſoluere cogatur. Hanc traditionem Comes Amelungus ſummus matris Eccleſiæ Aduocatus, manu ſua de altari ſuſcepit, & Regiæ poteſtatis banno in comitatu ſuo ſtabiliuit. Super his præſentium atq; futurorum orationes ſibi apud Dominum Epiſcopus prodeſſe obſecrauit, vt ipſe ſibi mercedem in die iudicii reſtituat, pro cuius amore ſe incepiſſe dixit, & perfeciſſe. De prædiis autem eidem Eccleſiæ collatis, VVithun, Rune, Merebeke, Goltbeke, Botenhuſen, VValtmannichuſen, Hauergo, VVanbiche, & bona in inferiori terra hæreditario iure poſſederat, Doere verò & Driburch, ac Hoenſile Imperator Henricus eiad ipſum Monaſterium dederat, Gelantorff quoq;, vt prædictum eſt, à Domina Godrima & filio eius Hodam obtinuerat; Leſſete verò quædam nobilis mulier ad ipſum Monaſterium dedit, de quo Epiſcopus cœnam fratribus prouideri diſpoſitione Cellerarii inſtituit. Decimas autem ſuper curtes infra Epiſcopatum conſtitutas eidem Monaſterio delegatas ei conceſſit; & ſuper manſos attinentes, quo prius ſoluerat ſolui permiſit, nolens maculare alterius iuris immunitionem tanta à ſe conſtructum deuotione. Ab omni autem hoſtilitio * & ſæcularium exactionũ negotio, ipſum Monaſterium liberum, & immune eſſe conſtituit; & ad innuendam futuris, & prædia ipſius tranſituris tam conſtruentis deuotionem, quam conſtructi in Crucis Trophæi ſpeciem & deſignationem per omnia prædia eo pertinentia crucem ſiue in portis, ſeu aliis eminentioribus locis figi præcepit. CXIII

*Hoſtilitiũ ius paſcendi mactãdi q́ue boues Domini commodo.

MONASTERIO ergo hoc, Anno Dominicæ Incarnationis MXXXI. Indictione XIV. IV. Nonas Nouembris, vt dictum eſt, ſolenniter conſecrato: poſt feſtum proximum Natalis Domini Epiſcopus Imperatorem Patherbronnam inuitauit; vbi interuentu Gislæ Imperatricis, ſuæq́; amantiſſimæ prolis Henrici Regis, & Egilberti Friſingenſis Epiſcopi, quæ idem Monaſterio in quibuſcunq; rebus Epiſcopus contulerat, imperiali præcepto Imperator ſtabiliens, confirmauit, & corroborauit, eo videlicet tenore, vt ſub pleniſſima immunitatis tuitione hæc conſiſtant, & ſub imperialis auctoritatis defenſione, præfatæ Eccleſiæ fratres ea poſſideant; ita, vt nullus iudex publicus, vel quilibet aliqua iudiciaria poteſtate præditus, loca vel poſſeſſiones eidem Eccleſiæ conceſſas, vel concedendas ad cauſas iudiciario more audiendas, vel freda, tributa exigenda, manſiones, vel * pratas faciendas, aut fideiuſſores tollendos, aut homines ipſorum tam * litos, quã & ingenuos ſuper terram eorum commanantes, contra rationem diſpergendos, vllo vnquam tẽpore ingredi audeat; néve vllas publicas functiones, aut redhibitiones, & illicitas occaſiones requirere, vel exigere vllo modo præſumat: ſed prænominatæ Eccleſiæ Abbas cum ſuo Aduocato, quem communicato fratrum ſuorum conſilio in defenſorem elegerit, cauſas rerum agendarum ſagaciter prouidens, & ſapienter diſponens, ſuis ſuorumq́; fratrum vtilitatibus, & omnibus fideliter & vtiliter proſpiciat; hominibus autem liberis, eidem Eccleſiæ collatis, qui Saxonicè dicuntur Malmanandæ, regiæ auctoritatis defenſionem concedens, quæ quod fiſcus regius de eis conſequi debuit, eidem Monaſterio contulit, quæ Epiſcopus diuerſis vſibus aſſignans, cenſum horum Leſete ſoluentium, ad prouiſionem luminum in dormitorio deputauit. CXIV

Monaſterij dicati fundatiq́; tẽp°. Conrardus Imper. poſt Natalem Domini an. 1032 Paterbronnæ cõfirmat fundationem Monaſterij.
*paratas, *liudos.

S. Henrici & Cunigũdæ munificentia & ope Monaſterii Meinvvercus abſoluit.

TALITER vir Dei ſpe cæleſtium bonorum animatus, & conſilio & auxilio Chriſtianiſſimi regis Henrici eiuſdem nominis II. Imperatoris I. venerabiliſq́; Cunigundæ Imperatricis in omnibus adiutus, & confortatus, Monaſterium hoc, vbi nouiſſimam tubã expectare diſpoſuit, monaſticæ vitæ amore maxima deuotione inchoauit, & Epiſcopatus ſui an. XXIII. Regni Conradi eiuſd. nominis 2. VII Imperii IV. vt dictum eſt, conſummauit, & ad alia conſtruenda, licentiam ab eodem imper. petiit, & impetrauit. CXV.

IMPE-

CXVII. IMPERATOR autem à ciuitate Patherbronnenſi cum Epiſcopo diuertens, Hiltiwardehuſen venit, vbi primo mane ſequentis diei XV. ſcilicet Kal. Ianuarij, interuentu Gislæ Imperatricis, & filij ſui Henrici regis, & præfati Egilberti Friſingenſis Epiſcopi, & ob freq̃ens, deuotumque ſeruitium ſuum, quandam regiæ proprietatis Curtem Gardenebike nominatam in pago *Laen in comitatu Hermanni Comitis ſitam, cum omni ſua integritate, vel quicquid prædij habuit, in villis Humnadal, Moldagauel, Lindeluelhuſen ſitum in eodem pago, & in comitatu ipſius Comitis, cum omnibus attinentibus Epiſcopo dedit, vt ipſe fidelis ſuus, ſiue longe, ſiue prope eſſet, ſuæ deuotiſſimæ ſeruitutis eum non immemorem eſſe recognoſceret. Tale teſtimonium ſuæ ſeruitutis, & fidelitatis veraciter decuit eum, qui in omnibus, & ſuper omnia ſinceriter dilexit Dominum.

Contardus Imp. Meinvvercum donat prædio Gardenebike. *Lachni.

CXVIII. IMPERATOR. a. à Hiltwarteshuſen progreſſus, Fridislare tetendit; vbi beneuolentia eius, prędictorumq; inſtãtia interpellatus, Comitatum Hermañi Comitis ſitum in iſtis tribus pagis, Auga, Hetega, Heſſiga, eodem die ei contulit.

Item Comitatu.

CXIX. TEMPORE vero autumnali Saxoniam ingreſſus, Magetheburg deuenit; vbi interuentu Gislæ Imperatricis, & cariſſimi ſibi filij Henrici regis, ei Eccleſięque commiſſæ ſibi VI. mancipia quorum hęc ſunt nomina *Thietfart, Linza, Heregrin, Ethilier, Athalwart, Wieburg, cum omnibus eorum ſubſtantiis dono ſuæ magnificentię XII. Kalend. Septemb. delegauit. Beata, & beatificanda æterna memoria dantis, & accipientis; animaque cum Chriſto Domino ſempiterna poſſideat gaudia XII. Kal. Septemb.

Mancipiis. *Thiethart preſbyter.

CXX. EPISCOPVS ergo pro obtinenda cæleſti Hieruſalem Eccleſiam ad ſimilitudinem ſanctæ Hieroſolymitanæ Eccleſiæ facere diſponens, VVinonẽ Abbatẽ de Helmwardeshuſen, quem de monachis ciuitatis ſuæ ibi præpoſuerat, ad ſe accerſiuit; eumque Hieroſolymam mittens menſuras eiusdẽ Eccleſiæ, & ſancti ſepulchri deferri ſibi mandauit.

Meinvvercus Eccleſiam meditatur adinſtar ſepulcri Domini Hieroſolymis.

Wino Abbas Helmvvardeshuſen Hieroſolymam adit.

CXXI. NACTVS autem opportunitatem temporis, comitatum Dodiconis Comitis ab eodem Imperatore ablatum, per ſuggeſtionem Maguntini Preſulis, eodem Præſule mortuo, opportune, importune cępit requirere: timens, ſi perdita negligeret, ſe ante Deum in acquirendis aliis, parum proficere. Imperator. a. multimoda eius erga Deum comperta deuotione, iuſtis eius deſideriis gratuito in omnib. annuit; & quærẽs opportunum tempus voluntati eius ſatisfaciendi proximo *anno IIII. Idus Maij Nouiomago, prædium in Marsfelde in pago Rettega, in Comitatu Vdo[illegible] Comitis ſitum interuentu Gislæ Imperatricis, & dilecti filij regis Henrici, ob ſeruitium ſecundum votum ſuum ſæpe impenſum, cum omnibus attinentibus & mancipiis vtriuſque ſexus, ei contulit; & ſic ſubſequente IIII. Nonas Auguſti totum Comitatum Dodiconis Comitis ſitum in locis, Heſe, in tergo Metgou, Botereſge, quem Bernardus Comes poſſedit in Limburch Patherbornenſi Eccleſiæ reddidit: & præcauens, ne aliqua diſceptatio poſtmodum fieret, Comitatum qui ſitus eſt in Elumga, Maguntino contulit; hoc decernẽs, vt ſi quis diabolica ſuaſione ſeductus hæc infregerit, ſciat ſe odium Dei Sanctorumque eius habiturum, & libras auri puri compoſiturum: medietatem regiæ cameræ, & medietatem Patherbornenſi Eccleſiæ.

Meinvvercus Dodi[illegible] Co[illegible] ac, [illegible]t.

CXXII. REVERSO autem VVinone Abbate de Hieroſolymis, & menſuras eiusdẽ Eccleſiæ, & ſepulchri ſancti reliquias deferente, cæpit Epiſcopus ad ſimilitudinem eius, Eccleſiam S. Dei Genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ, ac beatorum Apoſtolorum Petri & Andreæ, extra Patherbronnenſem ciuitatem in orientali parte conſtruere, in qua Canonicos Deo ſeruientes congregauit, quibus victum & veſtitum de bonis propriis ſubminiſtrauit. Celeriter autem cõſtructa Eccleſia, ſentiens diem mortis ſubimminere, Archiepiſcopos Bardonem Maguntinum, [a] Hermannum Colonienſem, & Brunonem Epiſcopum VVirciburgenſem aſciuit, eorumque teſtimonio, Anno Dominicæ Incarnationis MXXXVI. Indict. IV. VIII. Kalend. Iunij eam dedicauit. In ipſa autem die ſanctificationis Eccleſiæ benedictione peracta ante Miſſarum ſolemnia, ſermone ad populum [b] finito, more aliarum Eccleſiarum Deo conſecratarum, eam dotauit; dans ei curtem vnam in Heldung, quam ex hæreditate paterna poſſedit; duas precarie acquiſitas, vnam in VValitchi, alteram in Aſchiki, & vnum *Vorwerck in Aſibick. Vnam curtem in Walle. Quia vero de prędiis in cõfinio tantum non habebat, vt ſufficere poſſit ad vſus Eccleſiæ & Deo ſeruientium in ea; conſilio fidelium ſuorũ accepto, omnes decimas ſubterſcriptas de dominicalibus curtibus ad Epiſcopatum pertinentibus eidem Eccleſiæ dedit. Quarum prima eſt Enenhuſe, & XIII. Vorewerc, ad eam pertinentes Stidinam, *Bendisle, Coſtili, Bednihuſen, Heddinhuſen, Dalhen, Ghilari, Hilimari, Suafharon, Berchuſen, Patherbrunnen, Brockhuſen, Balhorn, Sitheim, & III. Vorwerc ad eam pertinentes; Kirckdorpe, Holten, Siwardeſſe, Ingenhuſen, & IIII. Vorwerck ad eam pertinentes; Glaſan, Aſchabruch Tuna Benknum, & IV. Vorwerc ad eam pertinẽtes; Berchuſen, & V. Vorwerc ad eam pertinentes; Bikeſethin, & III. Vorvvverc ad eã pertinentes, Helegamkyrcham, & duo Vorvvverc ad eam pertinẽtes. Luthite, & duo Vorvvverc ad eam pertinentes: Hegnihuſen, & IV. Vorvverc ad eam pertinentes: Aginhuſen, & VI. Vorvverc ad eam pertinentes; Nithe, & IV. Vorvverc ad eam pertinentes. Heriſtalli, & V. Vorvverc ad eam pertinentes; Dasburg, & II. Vorvverc ad eam pertinentes, VVarburg, & III. Vorvverc ad eam pertinentes. Culte, & III. Vorvverc ad eam pertinentes. Hiriſunthuſen, & III. Vorvverc ad eam pertinentes Kurbike, & IV. Vorvverc ad eam pertinentes. Viliſi, & I. Vorvverc ad eam pertinentem. Asbike, quæ eſt iuxta Hurſti. Ipſis autem villicis qui domos has prædictas inhabitabant, vel his qui poſt eos ponendi ſunt, nihil omnino niſi XV. iugera pro veſtitu permiſit, alia vero omnia, quæ laborauerint in agro vel nutrierint in domibus, tam propria ſua quæ habent, aut poſtea, Deo annuente, poſſeſſuri ſunt, quam ad Epiſcopalem poteſtatem pertinentia, quadrupeda ſiue pennata, more ſolito abſque vlla contradictione ad decimare conſtituit. Vt autem nulla ex his prætermitteret, quæ à Domino data eſſent; dedit & decimam in Sunthi ſuper armenta ſua, & ſuper examina apum fideliter Deo, & Domino noſtro IESV Chriſto, ſanctoque Spiritui offerens vota ſua. Conſtituit autem, vt ſi quis eorum, qui videntur his omnibus præeſſe, præſumptuoſe hanc traditionem per malam voluntatem aut propter nequitiam cordis ſui, irritauerit, & ſecundum eius diſpoſitionem decimam nõ dederit, dicens, ſe iuſte non daturum, & hoc à procuratore fratrum, vel ab ipſo Præpoſito loci, vel quod maius eſt, omnino fratrum querimonia proclamatum fuerit, ſi Miniſterialis huius rei rector eſt, iuramento ſe in reliquis purgabit, ſi cito, *iudicio ferri igniti, ſynodali ſententia ſe liberabit. Ne autem alicui ſucceſſorum ſuorum non bonæ voluntatis viro, neque amorem Dei in corde ſuo retinenti, menſæ ſuæ ſtipendia Epiſcopus diminuiſſe videatur, ſciat eum has decimas, & de hæreditariis & acquiſitis bonis centies reſtituiſſe. Ponebat & terminum, vt vnaquæque ſolet habere Eccleſia, audiente Clero vniuerſo, & confitenti coram omni populo congregato, hæc omnia ſine vlla contradictione poſſe fieri. In primis villam hanc, quę dicitur Aſpitara; aliam, quę vocatur Hildelinghuſen, tertiam, quæ vocatur Haſſenthuſen, quartam Hahenſili, quæ vulgari verbo dicitur Quadin, quintam Asbinethuſen. Super hæc omnia cum non poſſent habere vllam vtilitatem ſyluarum, poteſtate Epiſcopali dedit eis in Bemdisla, & in Marchuſen Thurintorum, Rengithenhuſorum, Hildẽhuſorum, Aſpetarorum, in vnaquaque hebdomada pondera VI plauſtrorum. Dedit quoq; ad honorem & vtilitatem Eccleſiæ eiuſdem, partem Sunderæ ſuę in Orientali plaga, via quæ vadit ad vrbem Patherbron vſq; in Asbithinchuſen. Harum rerum priuilegium propriis manibus ſigillatum eiuſdẽ Eccleſiæ filiis dedit, vt teſtimonio ſcripturarum veritas approbetur, ſi quando tribulatio vel contradictio rerum, prędictarum ab aliquo facta fuerit, anathemate cum Iuda proditore feriendum decernens, quicunq; ſucceſſorũ ſuorum, aut conſanguineorum, ſeu poſterorum eorum à quibus precario partem quandam acquiſierat, hæc infringere tentauerit.

[a] Dedicat illã in præſentia Archiepiſcoporum.

[b] Dotat variis aſſignatis prædiis.

*Vorvverck, certus aruimodus: vox à ſulco & aratione tracta videtur.

*Bennidisla.

Meinvvercus Eccleſiam Buſtorpianam exſtruit, & Canonicos ibi congregat.

Decimarũ exacta ſolutio.

*Lito vel litus.

TALIA

Meinvverc⁹ quomodo Paterbrōnensem ciuitatem Eccle siis vndique cinctam or narit & illu strarit.

TALIA viri Dei pro spe æternitatis opera fuere, & circa ciuitatem sibi commissam dilectionis indicia, qui si vixisset in ciuitatem honoris, & decoris eam in regno promouisset. Nam sicut in occidentali, & orientali parte ciuitatis congregationes seruorum Dei construxerat, ita in australi parte in campo, in aquilonari Sulthe, in modum crucis construere dispossuerat, vt sicut ab eo de nimia paupertate tam hæreditaria traditione, quam iugi instantia, & seruitio à regibus aliisque fidelibus acquisitione fuerat ditata, & promota, ita crucifixo seruientibus, & eam orationum suarum armis defendentibus contra omnia inimici iacula esset munita & insignita. CXXIII

Meinvverci pijssimus obitus.

FERIA itaque tertia ante Ascensionem Domini, hac dedicatione peracta, solemnitateque Ascensionis Domini celebrata, cæpit aliquantulum infirmari: sentiensque diem suæ vocationis instare, precibus & eleemosynis continuè cæpit operam dare. Erant autem duæ capellæ ad domum Episcopalem: vna in transitu; vna super columnas facta in honorem SS. Primi & Feliciani ante Ecclesiam principalem. In hanc ante altare hora diei prima, in Vigilia Pentecostes, Non. Iunij se deferri mandauit: & Dominici corporis, & sanguinis perceptione munitus, sublatisque ad cœlum manibus, & oculis, hora diei tertia, ea inquam hora, qua Spiritus sanctus super Apostolos in linguis igneis descenderat, quique in eius mente gratuitam mansionem habuerat, inter verba orationis animam suam in manus patris commendauit. Dies ille Sabbati cuius vespera in prima lucescit Sabbati, cuius sanctissima nox tam semper floret gaudio præteritæ CHRISTI Resurrectionis, quam expectatione venturi, vt creditur, eadem nocte iudicis. Eo anno Lus habebatur; qui numerus tam decalogi legalis, quam gratiæ spiritualis indulgentia, ac remissione sacer habetur ac prædicatur. Annus hic verè Iubilæus Episcopo extitit, quo absoluto originali, & actuali debito, libertati filiorū Dei restitui meruit. Eadem autem die & hora, qua Episcopus ex hac vita migrauit, Boso Corbeiensis Ecclesiæ monachus, cum raderetur in claustro sanus & incolumis, intuens intuentes, alloquens alloquentes, repente expirauit: & non irritandum Spiritum sanctum in cordibus fidelium habitantem, exemplo sui terribiliter declarauit. Corpus autē [a] Episcopi in Ecclesiam beatorum Apostolorum Petri & Pauli delatum, ibidem, vt ipse viuens dispossuerat, sepelitur; vt quod apud Deum promeruerat fideliter deposcens salubriter experiretur. Tanta autem oīm generum escarū abundantia in Episcopi reperta est substantia, vt speciali quadam magnificentia, pauperibus de omni prouincia accurrentibus septem noctibus [b] erogaretur eleemosyna. Beatus verò [c] Godehardus Hildenesheimensis Episcopus per reuelationem obitu eius agnito, animam eius diuinæ pietati attentius commendauit; & hora diei tertia, dispensatore eius prandium paratum, nunciante ipso, vt parata paratis ad prandium apponeret, mandauit dicens, se nuncium quē dam accepturum, & ante prandium missarum solemnia celebraturum. Mox veniente nuncio obitus Episcopi, hostiam salutarem Domino pro [d] animæ eius remedio immolauit, regressusque ad prandium accepta, ambabus manibus similia apposita, O beate, inquit, Meinvverce Episcope, quomodo te lata [e] tua similia à morte communi non liberauit? Et ego, inquit, quamdiu superstes ero, de albo pane non gustabo, & biennio, exceptis quatuor hebdomadibus, & tribus diebus, quo superuixit, compleuit, quod dixit. Ecce virum probabilem, perfectis per omnia imitabilem: in quo habet monachus quod admiretur, clericus & laicus, quod imitetur; omnis denique fidelis anima, quod veneretur. Omni ergò prædicandus gloria, digna posterorum veneretur memoria: sitque memor memorum apud Iesam Christum Dominum: cui honor & gloria per omnia sæcula sæculorum, Amen. CXXIV

Boso Corbeiensis monachus ex condicto animam e bullit.

[a] Meinvvercus sepelitur in Ecclesia Monasterij Abtinghouen.

[b] Eleemosynæ largitas

[c] S. Godehardus diuinitus agnoscit transitum Meinvverci.

[d] Animam eius in sacrificio Deo commendat. [e] Meinvverci simila.

DE B. MEINVVERCI TRANSLATIONE ET EIVS INCORRVPTA CASVLA.

Casula Meinvverci incorrupta.

AD miraculum vsq; memoria dignum est, quod Casulam, seu pallium sacrum, quo an. Christi MCCCXXXVI. CXXV. amictus sepulturæ traditur, ac humatur in Cryptâ S. Stephani Protomartyris, sub principali choro: atque ibidem trecentis, & quadraginta annis in tumulo quieuit, Beatus Meinvvercus Episcopus, nec vermes, nec putredo totum absumpserunt. Nam etiamnum in Monasterio nostro hodie visitur: quin etiam singulis annis, quintâ die Mensis Iunij, quando Meinvvercus vita humanâ exemptus est, Monasterij huius Antistes in eadem Casula summum persagit sacrum. Hinc extant versus, qui, vt tunc ætas tulit, compositi, Cistæ ligneæ, quæ pallium custodit, præfixi sunt.

Abbas ea indutus sacrificat.

Vestem, quam cernis, & præsens continet Arca,
Meinvverci egregij Præsulis ipsa fuit.
Vt nobis veteres, Cter XLque loquuntur,
Annis sic latuit corpus, & ipsa simul.

Casulæ specimen.

Pallium autem hoc sacrum ex albo Damasceno confectum, nostris, quibus hodie vtimur, admodum dissimile est. Nam ante, & retro, & in vtroque latere clausum, & integrum: infra, amplum, rotundum, & apertum, ad imos pedes dimissum supra foramen, per quod exerere sese hominis caput possit, habens. Fimbrias quoque habet, à fronte, & à tergo: aureis literis, verum exolescentibus, intextas. Huius beati Meinvverci corporis reliquias, & casulam præfatam, ex inferiori Crypta ad superiorem chorum, Dominus Conradus ab Allenhausen, Abbas, ordine vigesimus secundus, transferri fecit, anno Domini MCCC.LXXVI. in Festo S. Marci Euangelistæ. Tumbæ eminentiori ante annos aliquot fuit incisum tale Distichon, ibidem in medio chori.

Trāslatio.

Hic lapis ad speciem Meinvverci sculptus eundem,
Plurima qui Christi fecit amore, tegit.

AN. 620. VITA S. CLAVDII ARCHIEPISCOPI BISVNTINI, PER F. LAVR. SVRIVM MVTATO STYLO EX QVODAM IMPRESSO CODICE descripta. Habetur etiam manuscripta, sed ea necdum peruenit ad manus meas. Puto autem eandem esse, quæ etiam excusa habetur, licet fortassis paulò copiosior sit.

IVNII 6.

Multū in literis puer Claudius proficit.

Maturitas morū eius,

BEATVS Claudius fertur originem duxisse ex illustri Salinensium principum siue Palatinorum familia. In parentum suorum domo vsque ad septimum ætatis annum in Dei timore accuratè enutritus, posteà discendis literis admotus est, probatissimis traditus magistris: sub quibus ille non solum disciplinas liberales breui perdidicit, sed etiam scripta diuina & sanctorum hominum res gestas sedulò perlegit. Erat enim in illa tenera ætate præclaro & docili ingenio, feruenti animo, piisque & sanctis operibus valdè addicto, ita vt nullum diem absque bonorum operum studio præterlabi pateretur. Etsi autem ætate erat iuuenis, attamen nihil in eius moribus aut factis puerile cernebatur. Nunquàm ille choreis se admiscuit, nūquàm mundanis inter- I.

interfuit spectaculis: sed hominibus religiosis & honestis sese adiungens, de virtutum studiis & exercitiis suauia cum illis miscebat colloquia. Verba autem illius sapientiæ sale condita, vsque adeo rationi consentanea & grata fuere, vt omnium in se studia & affectus prouocaret. Atque ita fiebat, vt etiam viri prouectæ ætatis & sapientes non mediocriter illum amarent, tanquam puerum sanctum & virtutum studiosum: alij vt affabilem, comem atque prudentem venerarentur. Homines improbos & scurrilitati deditos respuens, illorum consortia modis omnibus deuitabat. Fœminarum iuuencularum adeo declinabat colloquia, vt nunquam sine causa rationabili illis loqui voluerit: nec vnquam in eo deprehensus fuit qualiscunque sermo vel opus nefarium, non risus inhonestus, non vlla animi leuitas aut dissolutio. Ante omnia autem templa frequentabat, Dominicis præsertim & festis diebus Missas & preces Canonicas siue horarias, sermonesque diuinos summa animi deuotione auscultabat. Vitat malorum consortia.

II. Crescente vero fama sanctitatis eius, cum iam vicesimum ætatis attigisset annum, contempta militia sæculari, Bisuntinæ ecclesiæ factus est Canonicus. Itaque in dies seipso melior fieri studens, precibus Canonicis tum nocturnis, tum diurnis interfuit, libros scripturæ diuinæ diligenter euoluit, & omni ex parte, ceu verus Dei seruus, in eam curam sedulo incubuit, ne quid reprehensione dignum admitteret: atque intantum breui temporis spatio, diuina illum adiuuante gratia, in sanctis operibus & sacra doctrina clarus euasit, vt in tota Burgundionum ditione nullus ei par inueniretur, id quod perspici facile potest ex editis ab illo lucubrationibus, quæ vsq; in præsens in Iurensi monasterio asseruantur. Quotidie autem, demptis Dominicis & solennioribus diebus, non nisi semel edebat. Crebro noctes orando, legendo, meditando peruigil exegit. Castum & mundum ab omni inquinamẽto se seruabat. Vestitus ei erat mediocris, mores modesti & humiles, sermo verax, suauis & amabilis. Denique virtutum omnium tantus in illo cernebatur ornatus, vt iam verus monachus à cunctis haberetur. Anno autem duodecimo suscepti canonicatus eius, præsul Bisuntinus cœpit aduersa laborare valetudine. Timens igitur beatissimus Claudius, ne, quod postea tamen euenit, Episcopus illic crearetur, ad tempus inde recessit, atque ad parentes suos sese recepit. Humanissime autem ab illis exceptus, aliquandiu apud illos sancte & pie versatus est. Vt se gesserit factus Canonicus. Eius ieiuniia. Vigiliæ. Vestitus.

III. Interim memoratus antistes vitam cum morte commutauit, & inter clerum & populum Bisuntinum de substituendo ei successore non minima extitit dissensio, aliis hunc, aliis alium eligentibus. Tandem vnanimes ad precãdum Dominum se contulerunt, humiq; prostrati, cum lachrymis obnixe rogarunt, vt ob merita sanctissimæ matris suæ, & beati Ioannis Baptistæ patroni ipsorum, sanctorumq; omnium clementer ipsis inspiraret, quisnam ecclesiæ Bisuntinæ pastor eligendus esset. Atq; in his precibus illis perseuerantibus, vox cælitus audita est, iubens eos omissis lachrymis beatum Claudium creare antistitem. Ea voce exhilarati Canonici, omnes in eam eunt sententiã, vt Claudius sit episcopus Bisuntinus: confestimq; mittunt honestiores è Clero & populo viros, qui eius consensum obtineant. Ille tandem multis precibus & lachrymis victus, sciens se diuinæ non posse resistere voluntati, Bisuntium ducitur, imo vero trahitur, Archiepiscopus consecratur, à summo Pontifice eius electio canonica approbatur & confirmatur, anno à Christo nato sexcentesimo vicesimosexto. Factus autem Archiepiscopus, eandem, quam prius humilitatem & morum grauitatem in omnibus semper seruauit, & vt fidelis seruus & prudens familiam Domini & creditas sibi ecclesias feruenti zelo gubernauit, causas & controuersias ecclesiasticas horis opportunis comiter & placide audiuit, & ad ecclesiasticarum sanctionum præscriptum egregie decidit. Nunquam ob quæuis tractanda negotia sæcularia, nisi euidens necessitas aliud postularet, ab ecclesia iis horis abesse voluit, quibus diuina peragebantur officia. Crebro visitabat diœcesis suæ ecclesias, & ceu bonus paterfamilias, iuxta Domini sententiam, de thesauro suo proferens noua & vetera, mellitissimis exhortationibus suis bonos & pios incitabat, vt ad meliora proficerent: lapsos vero & errantes solicite admonebat, vt ad bonam sese frugem reciperent. erat enim sane haud mediocriter literatus. Diuinæ contemplationi sedulus vacabat, atq; interim spiritus eius mirum in modum eleuabatur. Nec tamen propter cõtemplationis, quæ Mariæ tribuitur, otium, Marthæ laboriosum neglexit ministerium: imo vero septem misericordiæ exercendis operibus totis viribus incumbebat. Creatur Episcopus Bisuntinus. Qualis fuerit in Episcopatu. *Matth. 13.*

IV. Cvm autem annis septem eam gubernasset ecclesiam, diuino eum amore magis ac magis perurgente, omnes mundi huius opes & pompas declinare cupiens, vt posset liberius diuinæ se contemplationi tradere, cunctis in sua diœcesi bene dispositis, Episcopatu se abdicauit, & ab Angelo admonitus, ad monasterium S. Eugendi, quod etiam Iurense dicitur, in Bisuntinæ diœcesis confinio situm se contulit, atque illic habitum & institutum S. Benedicti complexus est. Tantæ vero sanctitatis & perfectionis fuit, vt omnium quę in mundo sunt, oblitus, solo omnipotentis Dei flagraret amore. Vigilabat in precibus, assiduus erat in ieiuniis, diligentem nauabat operam sacris lectionibus & meditationibus, & vt canon monasticus docet, verum & strenuum sese monachum exhibebat. Ad diuina celebranda officia omnes ipse templi ingressu anteuertebat, postremus omnium è templo recedebat. Atque hac ratione adeo cunctos ad monasticæ perfectionis prouocabat studium, vt Iniuriosus, eius monasterij tunc Abbas, vir sane eximia tum sanctitate tum prudentia, cum multa humilitate & instantia monasterium illud regendum ei obtulerit: quod tamen vir sanctus modestissime recusauit. At tamen post annos quinque Iniurioso Abbate cum magna meritorum copia ad Dominum migrante, venerabiles eiusdem cœnobij patres illum vnanimiter elegerunt sibi Abbatem, quibus ægre tandem assensus est. Ita Claudius quanto se in hoc mundo plus abiicere voluit, tanto digniorem se & apud Deum & homines; qui exaltaretur, effecit. Quod quidem non absq; diuina dispensatione ita euenisse existimatur, vt loco illi, in quo multi floruere sanctitate conspicui viri, etiam sanctissimus Archiepiscopus adiungeretur, atque in de locus ipse insignior redderetur. Relicto Episcopatu fit monachus. Fit Abbas licet inuitus.

V. Porro autem complures ad beatum virum confluxere non modo clerici, sed etiam nobiles & ciues, sanctitatis eius fama illecti, instanter ab illo monasticum habitum expetentes. Quos ille absq; personarum acceptione haud difficulter admittebat, & ad perfectionis capessenda fastigia summopere prouehebat. Cuiusmodi autem filios spirituales illic enutrierit, id nostram excedit dicendi facultatem: potest autem, quisquis eum inuisit locum sanctum, facile id colligere ex multitudine sanctorum corporum, quæ illic venerationi habentur. Multas vero etiam temporales possessiones, quibus famuli Dei sustentarentur, obtinuit conuenienter illi Christi promissioni, Omnis qui reliquerit domum, aut agros propter me, &cæt. centuplum accipiet. Dabantur enim ei à fidelibus regibus & principibus: in quibus Clodoueus rex, qui tum Franciæ tenebat gubernacula, monasterio eius annuos largitus est modios tritici quinquaginta, & hordei totidem, itemque quinquaginta denariorum argenti libras annuas. Pauperibus Christi vir beatus, itemq; superuenientibus hospitibus omnem humanitatem præstandis eleemosynis exhibuit. Ornamenta ecclesiæ, libros, calices, cruces, candelabra aurea & argentea, pannos sericos, & alia ad diuinum cultum pertinentia egregie augmentauit, Sanctorum reliquias in thecis pretiosissimis reuerenter reposuit, monasterij domos & structuras ita vt decuit instaurauit. *Matth. 19.* Multa donantur eius monasterio.

VI. Anno autem quarto Childeberti regis Francorum, cum iam Claudius pater sanctissimus annis quinquaginta seruis Christi in hoc monasterio cum multa laude præfuisset, senex admodum & plenus dierum, totis visceribus Dominum suspirans, leui quodam morbo correptus est. Sciens ergo obitus sui tempus imminere, tertio die iussit conuocari fratres omnes monasterij, ad eosque præsentes luculentissimum sermonem habuit, blandisque eos exhor-

exhortationibus instituit, vt nunquam quicquam diuino amori anteponerent, cuncta mundi huius oblectamenta præ desiderio & amore æternorum planè contemnerent, nec quicquam abitione sua dolerent. Cumque eos cerneret vbertim ab oculis lachrymarum riuulos fundere, motus misericordia, qua multa semper præditus fuit, accepta ab omnibus pace, ad cellulas eos remisit, totamque sequentem noctem precibus exegit. Quarto verò die in oratorium veniens, sacramentum pœnitentiæ & sacrosanctum Christi corpus magno lachrymarum perfusus imbre singulari deuotione percepit. Atque inde ad cellam suam reductus, corpus suum non alibi quàm in monasterio ob euitandas mundi pompas sepeliri iussit. Inde quinto die circa horam diei nonam, incumbens in scamnum, in quo leges aut orans sedere vel stare consueuerat, erectis sursum brachiis, iunctis manibus, oculis in cœlum defixis, sanctissimam animam reddidit creatori. Eius corpus vsque in præsens in illa S. Eugendi ecclesia cunctis aduentantibus incorruptum & integrum monstratur, innumeris miraculis coruscans. Festum eius celebratur octauo Idus Iunij.

Sub obitum munit se sacramentis Ecclesiæ.

Abit ad Dominum.

VITA S. GVDVVALI ARCHIEPISCOPI ET CONFESSORIS, QVAM QVIDAM, SVPPRESSO NOMINE SVO, TRIBVS LIBELLIS CONscripsit ante annos plus minùs quingentos. Puto enim eam esse, quæ citatur in vita S. Bertulphi Abbatis, cap. 27. quam lector offendet Tomo 1 die 5. Februarij. Vitandæ autem prolixitatis causa, Fr. Laurentius Surius scripsit comprehensius, veritate & integritate vno libello.

IVNII 6.

I. SANCTVS Gudvvalus in Britannia ortus est. Parentes & cognatos habuit generis nobilitate insignes. Eo autem nascente, diuinæ iustitiæ seueritudo in clementiam mutata est, cessauitque gladius, fames & pestis, quæ eam gentem afflixerant, vt quasi pacis quendam filium Britanniæ editum, ea rerum mutatio prænunciare videretur. Ablutus inde sacro baptismate est, & cum ætatis progressu creuit in eo gratia Spiritus sancti, creuit etiam paulatim scientia & cognitio cælestium doctrinarum. Vbi autem ad viriles peruenit annos, cum ita de eo sentirent plerique omnes, domûs Dei illum egregiam futurum esse columnam, Leuita & sacerdos ordinatus est. Tum verò cœpit prodere sapientiæ à teneris annis acquisitæ thesauros, studere lucris immortalis regis sui, & humana scientia & diuina sapientia alios imbuere, ex inexhausta Euangelici fontis abysso sitientibus haustus salutis suppeditare. Atque hac ratione quosdam ita veri solis radiis inflammauit, vt ipsi quoque aliis & illustrandis & inflammandis idonei facti sint.

Patria S. Gudvvali.

Initiatur sacerdotio.

II. REDDIDIT autem præpotens Deus vicem tam præclaris eius studiis, eumque ad principatum Ecclesiasticum promouit. Factus igitur Episcopus, quo altiùs in populo Dei caput extulit, eo latiùs de se sparsit sanctæ conuersationis odorem: & quamdiù quidem sacerdotio functus est, opus gratiæ suæ per illum magnificè declarauit Spiritus sanctus, omni clero populoque lætante. Erat autem illi amplum patrimonium, sed ille fastidiens opes & copias omnes labentis vitæ, quicquid habuit facultatum, Ecclesiæ Christi elargitus est. Cernens etiam cura pastorali ceu catenis quibusdam sæculo se illigari, cùm primùm potuit, illa se penitùs expediuit. Itaque summo inprimis pastori, & deinde idoneo substituto successori ecclesiam commendans, suæ diœcesis quoddam monasterium petijt, vitam illic monasticam, immò angelicam viuens: vacansque quieti & diuinarum rerum contemplationi sperabat breui fore, vt locus votis ipsius opportunus diuinitùs sibi reuelaretur. Interim cœpit etiam miraculis coruscare. Accidit, vt cùm die quodam in eo monasterio cælestia suo more tractaret, repentè latronum funesta manus irrueret, & barbarica feritate res monasterij diripere conaretur. Vbi id viro Dei innotuit, ad rogandum Dominum se contulit, humi prostratus. Iam aduentabant, quibus ex officio id incumbebat, ad quos huius rei fama peruenerat, vt illorum nefarios conatus retardarent & comprimerent: sed vltio diuina illos anteuertit. Magno enim terrore correpti prædones illi, in pedes se conijciunt, vnusque ex illis fratrem suum iugulat: mox furore perciti, ita se mutua cæde conficiunt, vt ne vnus quidem superfuerit.

Promouetur in Episcopum.

Abdicat se episcopatu & petit monasterium.

Vltio diuina in prædones.

III. ERAT autem monasterio illi propinquum mare, in cuius sinu rupem vastam extare vidit vir sanctus, quæ cuiusdam insulæ habitabilis speciem præferret. Cingebatur quidem vndique mari, sed tumescentibus eius fluctibus nequaquàm obruebatur. Ea conspecta, vir Dei gratias agit Christo, & locum suis votis respondentem sibi obtigisse gratulatur. Itaque sperans se illic secretiùs vni Deo vacaturum, & beatorum spirituum iucundissimam familiaritatem promeriturum, Crucis signo se communiens, vno tantùm comite contentus, eò se confert, & instar antiquorum eremitarum angustum sibi in ipsa rupe domicilium excindit. Fratres verò monasterij, quos iam salutari institutione imbuerat, eius absentiam non ferentes, vbique eum inquirunt pia solicitudine. Tandem repertum in foramine petræ, immò in Petra illa, quæ Christus est, studeant etiam ipsi eius sanctam simplicitatem & viuificam mortificationem hilariter imitari. Pressi autem loci angustia, ferreis instrumentis aliquot ibi effecêre habitacula, quæ solis Christi seruis sufficerent.

Viuit solitarius.

1. Cor. 10.

IV. NON longè verò aberat secessus quidam, in quem mare tum certis horis naturali feruore exæstuans, tum incertis vi quadam concitatum magno impetu ferebatur, excidium sedibus illis minitans. Ea res virum sanctum non mediocriter anxium habebat: & cùm nulla humanitùs tanto malo remedia possent apponi, oculos ad cœlum sustollens, diuinæ misericordiæ viscera precibus pulsabat. Nec distulit pius Dominus admirabili quadam ratione præsens periculum amouere. Commouet pisces maris, & machinam magni roboris diuinitùs præparatam, per spumantes pelagi fluctus ad illum secessum apportant: cuius obiectu & impetus omnis insanientis maris repressus est, & vir sanctus periculo omni liberatus. Manet hoc præsidium in hunc vsque diem, creatura suo creatori obsecundante.

Nota miraculum.

V. ERAT etiam aliud eius rupis incommodum, nempe quòd præ aquæ penuria serui Dei siti afflictarentur. Sed dum caro deficit, fides proficit: proficiente fide, mens sursum erigitur. Ita & sanctus Gudvvalus hac molestia sentiens fratres affici, rursus ad precandum Dominum se recipit: precantem mox prosequitur larga benedictio, ex rupe erumpunt aquæ, vt olim è petra in deserto, quæ distillantes sæpè cadendo excauant saxum, & locum instar doli efficiunt laticis capacem: sicque salubri illo potu serui Dei sitim facilè depellunt. Itaque rupes quondam solitudine horrida, iam domus orationis, monachorum domicilium efficitur: vbi solennes agebantur excubiæ & cælestia concrepabant oracula in laudem Dei. Et vt vetustiora gestorum eius exemplaria habent, discipulos ad centum octoginta octo illic vir sanctus collegit: cui sanctæ multitudini cùm loci angustia ægrè sufficeret, vir beatus cum Deo tractans, & mirabilem erga illum fiduciam concipiens, non præmissa, vt solebat, prece, sed magna Dei fretus potentia, cùm mare suo more recedens, vasta illic arenarum spatia retecta relinqueret, omnis moræ impatiens, accessit properè, & virga, quam manu gestabat, certa arenis vestigia imprimens, in Christi nomine præcipit vndis, ne illa vnquàm transgrederentur. Vidisses ad eas voces sancti viri indomabile pelagus mitescere, suos cohibere impetus, tumores remittere. Et certè in hunc vsque diem leges sibi præfixas mare transgredi non audet. Patet hinc, etiam nostris temporibus veteris legis miracula non deesse. Moyses diuisit mare: noster Gudvvalus frenos illi iniecit.

Exodi 17. Num. 20.

188 monachi apud S. Gudvvalum

Præclarum miraculum.

Exodi 14.

SOLEBAT

VI. SOLEBAT vir sanctus Missas assidue celebrare. Quanta autem puritate se tanto ministerio præpararet, diuinitus reuelatum est. Ieiuniis, vigiliis, precibus præmissis, cum sacro altari virginitatis byssо & charitatis purpura adstaret indutus, atq; ad cælestia suspensus, cæli aperti sunt, & visio mirabilis ei exhibita est. Descendunt ad eum sancti angeli, adstant consolationis gratia sacrificanti, tremendis intersunt mysteriis, vna cum illo laudes depromunt Deo cũ ingenti reuerentia. Ille ceu splendida lucis columna stat sancta sanctorum tractans, agnum Dei immolans: iunguntur cælestia terrenis, terrena cælestibus, mortalibus immortales: pro tanta gratia, diuinitus mortalibus collata, immortales gratulantur. *Sacrificanti apparent angeli.*

VII. HIS & id genus aliis à Deo affectus beneficiis, vir sanctus magis ac magis feruescebat spiritu, cupiens se illis gratum exhibere. Iam mundo & omnibus, quæ hic mundus offerre potest amicis suis, valefecerat, planeq; mundo crucifixus erat, atq; adeo etiam animam suam perfecte oderat. Nec tamen his contentus, semper perfectiora meditabatur. Itaque communicato cum fratribus consilio, ex illa insula peregre constituit proficisci. Interim septem apparantur nauigia: quæ cum omnibus fratribus ingressus, dat se itineri. Inter nauigandum exit ipse è naui, calcat pedibus fluctus maris, & Christi dextera, quæ olim Petrum Apostolum, ne mergeretur, erexit, sustentatus, non solum toto corpore incolumi, sed etiam vestibus siccis graditur in vndis multa alacritate perfusus. Audita ibi vox est Domini (sicut testantur fratres, qui huic rei interfuere) ita eum confirmantis: Constans esto Gudwale meus: constans esto electe meus: ne verearis, tecum ego sum Deus tuus. Inter hæc ille Horis, Christi & Apostolorum eius authoritate (sic enim author habet) institutis, preces Deo persoluturus, laudesque & gratiarum actiones oblaturus, cum dixisset more Ecclesiastico, Deus in adiutorium meum intende: angeli subiunxerunt, Domine ad adiuuandum me festina: & ita totum officium alternis vicibus cum viro Dei expleuere. Denique prospero cursu omnis ille Domini exercitus ad terras delatus est. *Ambulat miro modo in mari. Matth. 14.* *Horæ canonicæ à quo institutæ.*

IIX. EGRESSI porro è nauibus magna indigenarum humanitate excepti sunt. Iam fama sancti viri per omnem illam regionem diffundebatur. Ille vero locum ædificando monasterio aptum non sine difficultate inquirit, nec tamen illa difficultate ab spe sua deducitur, quippe quem superiora Dei beneficia non sinerent animo vacillare. Dum igitur per deserta & inaccessa loca locum opportunum inuestigat, in agellum quendam incidit, non satis quidem ipsius proposito congruum, sed qui tamen aduenis ad necessitatem sufficere posse videretur. Ibi ergo labori se accingunt, sed frustra Eorum vero labores miseratus Deus, eos consolatus est. Cum enim die quodam Nonæ horæ preces festiua laude persoluerent, quidam vir præpotẽs regionis illius multo stipatus milite superuenit, eosq; gaudio & stupore plenus reuerenter accessit. Cernens autem virum Dei Gudwalum in medio illorum ceu angelum Dei stantem, psallentem, & ad singulos versus genua flectentem, corde compunctus, submisso capite, tertio eum adorauit, accedensq; cum tremore & reuerentia, benedictionem illius expetiit. Ea percepta, sic ei locutus est: Patriam tuam, inclyte athleta Dei, ego noui, nec me fugit generis tui spectata nobilitas: gratulor etiam tibi hunc pro Christo susceptum voluntariæ peregrinationis laborem: sed quando hic locus nec monastico instituto, nec tantæ fratrum multitudini cõmodus est, fac quod tibi per me consulit Deus. Est non valde procul locus alius, quem si velis excolere, laboris tui optato fructu perfrueris. Sed eas prius cum aliquot fratribus exploratum: vbi eum propius inspexeris, non dubito gratissimum fore. His auditis, vir sanctus prorumpit in laudes Christi: deinde ducem itineris sequens virum, quem diximus, abit visurus locum. Eius autem tum amœnitate, tum commoditate lætatus, post gratias Christo dictas, complexus est locum, suæq; habitationi plane destinauit. Mittitur inde ad fratres, vt eo omnes sese conferant. Postquam illi aduenere, perpetuas illic sedes figere constituunt, & monasterium construere festinant. Ita locus agrestis & ferarum cubilia, mutantur in domum orationis & diuinæ contemplationis domicilia. Fratres instar apum sedularum, diuinis feruent studiis. *Extruit monasterium.*

IX. PORRO beatus Gudwalus instar animalium, quæ scriptura ante & retro oculos habuisse commemorat, & præsentia & futura pensitans, secum cogitare & cum aliis tractare cœpit, num locus ille tam amœnus certum aliquem haberet possessorem. Dictumq; est illi, Meuorum quendam, Christianæ religionis cultorem, illic paternas habuisse sedes, sed indigenarum id non ferentium infestatione compulsum repetere natiuum solum, sicq; Corminiam pacis studio se suamq; domum transtulisse. Tum vero B. Gudwalus dixit: si sic se res habet, fratres mei, etiam atq; etiam videndum nobis est, quid agere nos conueniat. Cum enim in cæteris, tum præsertim eiusmodi in negocio, quæ sancta & iusta sint, sectari oportet. Non enim debemus ita nos comparare, vt charitas proximi per nos violata esse videatur. Itaq; fiat, quod dictat ratio, & ad fundi huius dominum legati mittantur, qui eum amice hac de re appellent. Spero enim in Domino, sua illum gratia permoturum pectus Meuori, vt tam pro suæ animæ salute, quam pro nostra vtilitate, locum hunc nobis largiri haud difficulter velit. Mittamus quatuor ad eum fratres, qui hoc negocium prudenter & bona fide expediant. Assensere illi fratres omnes, & electi sunt quatuor, qui mitterentur. Tandemque post longa itineris emensa spatia, Corminiam illi veniunt, illustrem Meuorum adeunt, salutem dicunt, legationis suæ summam explicant: aiunt patrem Gudwalum in eius fines ingressum, non vt violentum inuasorem, sed quod speraret in Christi iusipso concedente transituros. Iam sedes tuas, inquiunt, Christus hæreditauit, iam illic templum suo cultui prouidit, suos illic milites collegit. *Apoc. 4.* *Obserua quam sit studiosus fraternæ charitatis conseruandæ.*

X. HÆC vbi illustris Meuorus audiuit, magnas Deo gratias egit, quod nec publica authoritate, nec inimicorum violentia eius præclara hæreditas esset occupata: sed quod Christus potius eam sibi dedicasset. Deinde fratres hospitio accepit, omnemq; eis humanitatem impendit. Nec mercede caruit ea hospitalis benignitas, & benigna hospitalitas. Iam nouem annis cum vxore ita vixerat, vt matrimonij quidem ea, quæ decet coniuges, inter se beneuolentia & charitate essent coniuncti, sed cubiculis disiuncti. Erant vero ambo senes, nec eis vlla ex coniugio proles obtigerat. Hospites ea re cognita, non immemores insignium operum, quæ per S. Gudwalum fecerat Dominus, antequam irent cubitum, hunc in modum illos secreto compellant: Scimus à Domino directum esse iter nostrum, & meritis patris nostri cælesti benedictione vos perfruituros. Nostris igitur parete consiliis, & hac nocte castum vos cubile pariter excipiat. Nos meritis patris nostri preces nostras iungemus, & bene speramus in misericordia Dei, charæ prolis vobis munus adfuturum. Primo quidem illi opponunt senio graues annos, tandem tamen acquiescunt. Et ecce intempestæ noctis silentio S. Gudwalus in visione adstat matronæ illi, indicatq; ei nasciturum ex ipsa filium. Iubet autem, vt Simeonis ei nomen imponat, & ipsi illum tradat educandum, in diuino seruitio permansurum. Mane proficisci volentibus seruis Dei, qui hæc prædixerant, occurrit matrona, gratias agit, visionem exponit. Occurrit etiam Meuorus, Deumq; benedicens, spondet se filium, postquam natus fuerit, cum omni hæreditate Deo & beato Gudwalo ratis legibus oblaturum. His ita gestis, fratres ad suum monasterium proficiscuntur, S. Gudwalo ordine omnia referunt, & cum eo pariter benedicunt Deum. Et matrona quidem illa filium peperit, Simeonemq; dici voluit. *Meuorus illustris vir lætatur Christum sibi vendicasse ipsius fundum.* *S. Gudvvalus in spiritu apparet matronæ.*

XI. ALIQVOT inde euolutis annis, memor beatus Gudvvalus sponsionis Meuori, legatos ad eum denuo mittit: qui in ipso itinere per vastissimam ambulantes syluam, ab improuiso incidunt in latrones: qui in illos mox irruunt, prædam optimam ex illis captis sibi frustra pollicentes. Nam fratres imperterriti cœpto perguntitinere, & psalmos precesque Deo offerentes, illius opem per Gudvvali patris merita implorant. Et ecce teterrimi illi nebulones, tan-

quam vi quadam retro repulsi, fuga dilabuntur, simulq; oculorum lumen amittunt, frontibus in arbores oppositas impingunt, & quadam amentia laborantes, inconditos clamores edunt. Poterat ea res eis certum accire interitum, sed fratres malum pro bono rependere volentes, pro illis Christum rogant, & sic redeunt ad sanitatem: cumq; Deo votum nuncupassent, etiam amissum illis lumen redditum est. Fratres autem tandem veniunt Corminiam, admonentq; Meuorum & eius coniugem voti, quod Deo præstiterant. Illi eos lauto accipiunt conuiuio. Simeon paruulus in medio statuitur, Christo laudes grates q; aguntur. Proxima luce Meuorus cum illis proficiscitur, iturus ad patrem Gudwalum, sicut iampridem optarat. Ecce autem nubes subito densantur, cælum omne nigrescit, horrida imminet tempestas, imbres iam iamq; ruituri ab aëre timentur. Sed fratres à suo magistro edocti in rebus aduersis clamare ad Dominum, & de eius misericordia bene sperare, tertio in genua se submittunt, preces fundunt, sacrosanctam Trinitatem, vt per merita S. Gudwali sibi opituletur, orant. Iam cum impetu è cælo labebantur imbres, & omnia circunquaque inundabant: solos hos Dei famulos publica gradientes via, non fuere ausi attingere, donec ad venerandi patris sui præsentiam venirent. Ad quem sane illustris Meuorus reuerenter accedens, Christum in illo manentem humi prostratus adorat. Ille vero officiosissime eum excipiens, diu optatam benedictionem & allocutionem ei impertit. Inter hæc Gudwalus pius pater Meuorum haud aliter atq; angelum hospitio exceptum amplectitur: Meuorus in Gudwalo Christum veneratur, Simeonem filium suum bonæ indolis puerum offert Christo, coram testibus omnẽ eius hæreditatem simul illi transcribens. Poterat tunc dicere Meuorus Domino: Tu es spes mea, portio mea in terra viuentium. Tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi. Christus enim in terra viuentium illorum fit hæreditas, qui in hac terra morientium illum volunt habere hæredem.

Latrones in fugam vertuntur & excæcantur.

Insigne miraculum.

Psal 141. *Psal* 15.

CONFIRMATVS est autem regius ille fiscus ecclesiæ, quam in sua peregrinatione hic inclytus pontifex, præclarus eremita & cœnobitarum dux egregius fundauit, in qua etiam vsq; ad supremum vitæ diem Deo seruire decreuit. Vbi sane degens, magna de se præbuit virtutum exempla præsentibus, odorem suauissimum sanctæ existimationis & famæ absentibus. Quis vero explicet, quantus fuerit coram Deo in ipsis animi sui penetralibus? Totus flagrabat diuini amoris igne, quo se intus ceu pingue quoddam & medullatum sacrificium cremabat Deo. XII.

Regius fiscus datur cœnobio S. Gudvvali.

CVM iam autem fere absoluisset structuram templi, Dei & multorum auxilio fretus, non deerat satan: sed præsentiens quæ illic damna esset accepturus, ad suas redit malignitatis artes, dat operam, possit vt sanctum impedire opus. Inter hæc vnum ex artificibus è pinna templi agit præcipitem: qui misere contritus, animam exhalauit. At socij tanto eius incommodo afflicti, ad sanctum virum accurrunt. Properat vir Dei, sed ille prius abiit è vita, quam posset ad eum peruenire. Tum vero oratorium ingressus, Domino preces coram altari fundit. Inde redit ad hominem extinctum, iubet circunstantes omnes abscedere, incumbit pronus super cadauer, alterum Elisæum exhibens. Redit anima in corpus, & homo in pristinum statum restituitur. Viuum illum sanctus pater nec vlla vulnerum vestigia retinentem, sociis reddit. Soluuntur præ gaudio & admiratione in lachrymas oculi omnium, qui huic spectaculo intererant, & ad pedes viri Dei aduoluti, magnas edunt voces in cælum, ita dicentes: Vere sanctus Dei es, vere amicus Dei es. *Hoc loco author hanc ad S. Gudvvalum precatiunculam subiungit*: Per hanc tantam gratiam, qua beatissime pater Gudwale animam reuocasti in membra defuncti, ampliori gratia reuoca, quæsumus, animas diabolica captiuitate abductas. Vitæ morientes Christo viuifica: & morti viuentes, mundo mortifica per eum qui vera est animarum vita, & viuens permanet in sæcula. XIII.

4. *Reg.* 4. Excitat mortuum.

PROFICIENTE deinde monasticæ sanctionis ordine, patrum authoritate & beati Gudwali dispositione constituto, necessarij quidem vsus ratio postulare videbatur, vt hora nona peractis sacramentorum Christi solennijs, fratres cibo corpora reficerent. At sanctus pater productiori inedia Christo se victimam exhibens, illis edentibus, in oratorio precibus vacabat. Eadem autem hora fur quidam hortum monasterij ingredi, herbasq; inde exportare solebat. Frater, cuius curæ is hortus commendatus erat, quotidiana laboris sui dispendia ferebat æquo animo, sperans se hominem nequam sua patientia in viam reuocaturum. Sed illo in dies peiora moliente, ad patrem Gudwalum refert. Ille vero, vt erat mitissimus, Nisi hunc, inquit, summa compelleret necessitas, nequaquam hoc se scelere obstringeret. Sed sustine vsq; in crastinum, & gloriam Dei miraberis. Altera die redit fur ad sua studia, sed diuinitus tandem proditur omnibus. Apparuit enim illi persona terribilis, sacerdotij dignitate venerabilis, atq; inter aspera obiurgationis verba pastorali virga siue pedo cædit improbum. At ille prope amens effectus, dum fugæ præsidium captare vult, immani vociferatione se potius prodit: dumq; sepem transilire conatur, tanquam inuisibili retentus catena, sese loco mouere non potest. Fratres tanto clamore permoti, accurrũt ad hortum, & re perspecta, Deum mirabilem prædicant. Tandem venerabilis Pater Gudwalus cum grauitate quadam eo accedens, & hominem miserum contemplans, Oportet nos, inquit, chariss imi, huius erroribus compati. Frater enim noster est in Christo. Oportet pro illo deprecari Dominum, vt vtriusq; hominis ei salutem restituat. Vt autem miser ille sanctum virum audiuit loquẽtem, vultus eius gloriam non ferens, exanguis in terram collapsus est. Fratribus autem orantibus, vir Dei manum extendens, Dominus, inquit, erigit elisos: Dominus soluit compeditos. Ad quas voces ille continuo surrexit incolumis, & omnes hæc videntes atq; audientes, ad Dei celebrandam gloriam inuitauit. XIV.

Eius abstinentia.

Fur mira quadam ratione diuinitus castigatur.

Psal 145. Miraculũ.

MVLIER quędam fidelis filium habuit annos natum decem, ab ipso primo ortu mutum. Hæc fide plena accessit ad virum Dei, qui tum fortè more suo cum fratribus de rebus vtilibus conferebat, dixitque illi: Homo Dei, scio quia quæcunque popposceris à Deo, dabit tibi Deus. En habeo hic filiolum, iam decem annis nulla verba sonantem: quæso te, precibus tuis laxentur diuturna vincula, vt erumpat lingua in vocem laudis & gratiarum actionis. Respondit vir sanctus: Tuipsa Deum omnipotentem fideliter ora, qui solus potest virtute sua sanare filium tuum. Dixit hoc vir sanctus, non quod se in Christi nomine id prẽstare posse diffideret, qui se sciret maiora fecisse, sed quod studio humilitatis vellet omnem miraculorum suorum gloriam in Deum authorem refundi. At mulier multo etiam vehemẽtius cœpit instare, vt filioli ipsius misereretur. Cernens igitur vir Dei fidei eius constantiam, digito tetigit linguam pueri, & ille mox in verba prorupit. XV.

Mutum puerum sanat.

HABEBAT monasterium viri Dei caulas ouium, quibus lupi valde erant infesti. Accidit quodam die, vt ex ipsis pene faucibus lupi pastor ouiculam ereptam, ad pedes sancti viri deponeret iam præfocatam. Ille mox ad precandum Dominum conuersus, prece absoluta, pastoralis virgæ extrema parte tangit ouem, & ipso contactu reducit ad vitam. Quæ cum ad suum gregem cunctis mirantibus abiisset, orauit vir sanctus Dominum, vt lupum illum iuberet ad se venire. Et ecce aduentat lupus domestico cane blandior, recentis adhuc prædæ sanguine infectus, & male sibi conscius, ad pedes hominis Dei se prosternit, tanquam pro maleficio satisfacturus. Stupent præsentes omnes, & erectis in cælum manibus, Deum laude & prædicatione efferunt. Tum vir sanctus: Recede, inquit, cruenta bestia, & desine esse infestus ouibus nostris. Ilico lupus tanquam in ouem mutatus, recedit mansuetus, & qui prius oues diripuerat, iam illis fit præsidio contra lupos & feras belluas, fortiter illas propugnans. Alium etiã lupum vir sanctus in agro vidit ægerrime incedentem. Misertus bestiæ scisitabatur ex eo alta voce, quid ipsi mali accidisset. Lupus tanquã eius verba esset assecutus, vt potuit accessit venerabundus, pedemq; spina compunctum ostendens, videbatur opem poscere. Tum vir Dei pedum admouens pedi eius, quo ouẽ excitarat, ait ad Dominũ: Homines & iumenta saluabis Domine: XVI.

Ouem mortuam vitæ restituit.

Lupus mansuescit.

Psal. 35.

mine: & eueſtigio ſanatus eſt lupus. Iuſſit autem vir Dei, vt nullam deinceps creaturam infeſtaret: victum ſibi caperet ex fœno & ſiliquis, atq; ita ſeruata innocentia, tenderet ad commune mortis debitum perſoluendum. Et certe poſtea permulti teſtati ſunt, ſe belluam ex eo tempore manſuefactam vidiſſe. En obediunt feræ belluæ ſanctis viris, & homines non modo illis non obediunt, ſed etiam ſuum contemnunt creatorem. Beſtiæ Deum in ſanctis venerantur: homines & Deum & ſanctos eius deſpiciunt. Item alius.

XVII. MENDICI quodam tempore ſtipem petituri, ad ſanctum virum in monaſterium venere. Motus ille miſericordia, perquirit, num quæ eleemoſynarum reliquiæ in monaſterio ſuperſint. Vt audiuit nihil eſſe reliqui, (iam enim vir pius pene omnia elargitus erat) equum agriculturæ deſtinatum, iubet ocius adduci & dari pauperibus. Illi equum hilariter accipiunt, demiſſo capite gratias agunt. Deinde hoſpitio recepti, humaniſſime tractantur: & ea nocte illic dormiunt. Mane ſurgentes agricolæ, inter ſe conferunt de equo pauperibus dato, & tanto ipſis erepto laboris ſubſidio. Interim vident equum herbam in agro depaſcentem, per omnia illi ſimilimum, quem pridie in pauperibus ſuis Chriſtus acceperat. Itur ad monaſterium, rogantur pauperes, num equum ſibi datum habeant apud ſe. Illi confeſtim equum oſtendunt. Mox tam inſigne miraculum longe lateq; diffipatur, & omnes rei nouitate ſtupent: monachi, laici, populus omnis vtroq; conſpecto equo, tantam vtriuſq; ſimilitudinem impenſe mirantur. Deniq; agricolæ equum prioris equi vicarium accipiunt, Deoq; gratias agunt pro ſui laboris leuamento. Equum diuinitus accipit pro equo pauperibus dato.

XIIX. POST hæc aliaq; miraculorum ſigna, quibus vir ſanctus maria nobilitauit, terras ſanctificauit, Eccleſiam Dei illuſtrauit & ſublimauit, optatiſſimum vitæ huius finem Deo reuelante, impendere cognouit. Nam cum die quodam ſacroſancti Quadrageſimalis ieiunij, imolata iam in menſa altaris redemptionis noſtrę victima, ſignum crucifixi Domini noſtri ſupplex viſitaret, piiſſimamq; Chriſti paſſionem & mortem, quam ſui mortificatione iam vtcunq; in ſe expertus erat, & mente coleret, & laudibus celebraret, angelus Domini iucundo adſpectu illi ſe viſendum obtulit, hortanſq; illum ad conſtanter in fortiſſimo virtutum certamine perſeuerandum, ait breui illum cum palma victoriæ ſuo regi Chriſto occurſurum. Inde cælos repetens, tantam illic odoris ſuauiſſimi fragrantiam reliquit, vt vir Dei & anima & corpore, quod totius ſeptimanæ inedia extenuarat, mire recreatus, in Dei laudes deuote prorumperet. Erat ea quædam præguſtatio immortalis illius conuiuij, quod vir beatus ardenter ſuſpirabat: & iam magis ac magis æternas ille in ſe concupiſcentias excitabat, Chriſtumq; videndi deſideria acrius incitabat: ipſumq; obitus ſui diem, ad epulas cæleſtes, quas in regno patris ſui prædiues Chriſti benignitas ipſum diligentibus præparat, inuitatus, feruenti deſiderio expectabat. Videt Angelum. Totius hebdomadæ inedia ſe afficit.

XIX. DIE autem decimo ante obitum ſuum, cũ ſacro altari adſtaret cæleſtibus intentus, beatiſſimus Michaël Archangelus ei apparuit, & certum tempus ſuæ ex hac luce migrationis indicauit. Adhuc autem illo loquente, gloria accreſcit gloriæ, & gratiam cumulat gratia. Adueniunt etiam præclari Apoſtoli Petrus & Paulus, cæleſti lumine circundati, confirmant Archangeli iucundiſſimum nuncium, propinquũ iminere mortis diem etiam ipſi aſſeuerant: hortãtur vt more ſuo ad illum diem hymnis, precibus, ieiuniis ſeſe præparet. Ita enim, inquiũt, coronam regni cæleſtis obtinebis. Eiuſmodi gratiſſimis nunciis viro Dei tanquam in ecſtaſim rapto, illi redeunt ad cælos, & templum incredibili odoris ſuauitate complent. Ille vero anima & corpore eo odore optime affectus, preces ardentius fudit ad Deum. Apparet ei S. Michael. Item SS. Petrus & Paulus.

XX. ALTERO autem die iubet fratres omnes ad ſe venire, recitat illis quæ vidiſſet & audiuiſſet, interim lachrymis ora rigans. Fratres, iis auditis, de eius quidem gloria exultant in Domino, ſed tanto patre ſe orbandos impenſius dolẽt. At ille iubet eos cohibere lachrymas, gaudere potius, quod ſciant illum proficiſci ad laborum ſuorũ capeſſenda præmia: tum etiam ſuum deceſſum precibus ſuis tueri. Deinde morbo corripitur, & cum ad extrema tenderet, conueniunt ad eum fratres, cantica animæ eius è corpore abituræ congrua depromunt. Gaudebat ille in Domino, & optimis ſermonibus eorum animas inſtruebat: hortabatur, vt mundum hunc contemnerent, & cæleſtis regni deſideriis feruerent. Cumq; diuinis myſteriis iturum ſpiritum roboraſſet, vale vltimum eis dicens, lætus obdormiuit in Domino, viſaq; eſt à fratribus ſanctiſſima anima eius in columbæ ſpecie ad cælos euolare. Obiit vir ſanctus octauo Idus Iunij, & ad ipſas ſacri corporis reliquias mirifica lux tota nocte reſplenduit, quæ omnes noctis tenebras profligans, cellam illam, vbi corpus ſacrum repoſitum erat, immenſa luce compleuit. Obdormit in Domino.

XXI. AD ſacrum eius obitum inter cæteros aderat etiam venerabilis mater eius, aderant & ſorores eius, ſacris vigiliis cum gaudio communicantes. Quæ quidem pio defuncti amore adductæ, in omnes preces deſcendunt, vt liceat ipſis corpus eius ad natale ſolum abſportare, vt illic in eccleſia ſua honore tanto pontifice digno ſepulturæ mandetur. Principio autem fratres ſe præbent inexorabiles, ſed tandem rem totam diuinæ voluntati permittentes, ſacrum corpus in loculo reponunt, & plauſtro imponunt. Per viam omnis generis homines obuiam ſe effundunt, ſacro corpori debita officia impendere geſtientes. Interim ad collem quendam peruenitur, qui ob memorabile miraculum illuc tum perpetratum, collis S. Gudwali, ab eius accolis appellatus eſt. In eo colle iumenta, quæ plauſtrum trahebant, adeo obriguere, vt penitus loco mouere ſe non poſſent, cogerentq; ſimul conuentum illum omnem ſecum illic ſubſiſtere. Adhibiti ſunt adhuc duodecim boues, ſed etiam illi hæſere fixis veſtigiis. Tum ad ſe reuerſi, dixerunt. Cur fruſtra nitimur contra voluntatem Dei? Non noſtra de hoc ſacro corpore, ſed Domini voluntas fiat. Mox communi cõſilio iubent duos indomitos vitulos illo ſacro vehendo oneri deputari, eoſq; libere ire, quo illos ducere viſum ſit diuinæ prouidentiæ. Vituli adducti alia gradiuntur via, rectaq; tendunt ad inſulam, quam Plet vocant: quæ, niſi tamen fallor, ea eſt, in qua ſanctus põtifex ex egregio cœnobita, præclarus anachoreta enituit. Atq; ibi non ſine multa multorum admiratione illud ſacrum corpus tumulatum eſt, etiam accedentibus miraculorum ſignis. Nam cæcus quidam caſu feretrum tangens, mox viſum ſe recepiſſe mirum in modum lætabatur. Collis S. Gudvvali. Res admirandæ. Viſum recipit cæcus.

XXII. ET hoc quidem in loco glorioſum inclyti præſulis corpus multo tempore conditum manſit, multis coruſcans miraculis. Poſtea vero barbaris incurſantibus, cõplures Britanni relictis auitis ſedibus, in exteras regiones diſperſi ſunt: & fratres monaſterij ſupradicti, abſportato ſacro corpore, mare, quod Britanniam à Galliis ſeparat transfretantes, in Franciam peruenere: eamq; perluſtrantes cum ſacro pignore, vnde odores mirifici fundebantur, tandem ad Monaſterioli caſtrum appulerunt. Sed quia illic non eo, quo par erat, honore afficiebatur, Arnulphus inclytus Marchio multorum ſaluti diuinitus deſtinatus, Blandinium illud transferendum curauit. Accerſito enim ad ſe reuerendo Abbate Gerardo, ſpectatæ religionis & induſtriæ viro, ex authoritate Epiſcopi ei hoc negotium demandauit. Abbas vero cum multa fide & tremore magno precioſi corporis theſaurum accipiens, vna cum reliquiis, nullo precio æſtimãdis, egregij confeſſoris Bertulphi, multa Cleri & monachorum frequentia ſtipatus, ad monaſterium beatiſſimorum Chriſti Apoſtolorum Petri & Pauli, quod Blandinium appellant, deportauit. Conuenit autem eo vtriuſq; ſexus populus innumerabilis, manibus plaudens, & Dominum benedicens, quod eccleſiam illam precioſiſſimis illis gemmis ornaret. Facta eſt hæc tranſlatio 3. Nonas Decembris, Clotario apud Francos, ſceptra regni moderante. Atq; ita hoc in loco beatus Gudwalus, glorioſus coram Deo in cælis, mirabilis ex Deo in terris, coniunctus præclaro Chriſti ſacerdoti Wandregiſilo & ſociis, omniuaria ſemper laude colendis, larga interceſſionum ſuarum impertit ſuffragia, & copioſa miſerationum Chriſti cum fide & deuotione quærentibus obtinet beneficia, ipſo largiente, qui in Trinitate & vnitate perfecta viuit & regnat per infinita ſæcula ſæculorum, Amen. Sacrum corpus S. Gudvvali cum reliquiis S. Bertulphi transfertur Blandiniũ.

AN. 1100. VITA NORTBERTI, ARCHIEPISCOPI MAGDEBVRGENSIS, ET PRIMI AVTHORIS ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS, A QVODAM EIVS ÆQUALI, &, NISI FALLOR, HUGONE ILLO, QUI EI PROXIME SUCCESSIT IN REGIMINE MONASTERIJ PRÆMONSTRATENSIS, VT COLLIGI VIDETUR EX HISTORIÆ HUIUS CAP. 52. FIDELITER CONSCRIPTA. STYLUM SUBINDE NONNIHIL ELIMAVI IN GRATIAM LECTORIS.

IVNII 6. Patria Nortberti.

VIT in diebus Henrici iunioris Cæsaris Augusti, Paschali summo Pontifice sedis Apostolicæ regimen I.
administrante, anno ab incarnatione Domini 1115. vir quidam nomine Nortbertus, natione Teutonicus, municipio Xanctis, quod antiquitus Troia dicebatur, genere de illustri prosapia Francorum & Germanorum ortus, opibus auctus, forma decorus, ac paululum procerus, ætate adultus, instructus scientia, eloquio excultus, officio clericus, ordine Subdiaconus, vita & moribus pro ætate sæculari con-

Parentes,

suetudine admodum leuis. Nomen patris eius Heribertus, & matris Hadevvigis. Quæ cum eum gestaret in vtero, audiuit per somnium dicentem sibi: Æquo animo esto Hadevvigis: Archiepiscopus futurus est, quem gestas in vtero. Deinde cum in omnibus ei præsentis vitæ obsecundaret felicitas, inter cætera etiam in magnatum aulis celebris extitit. Primo quidem in aula domini Friderici Colonienſis Archiepiscopi: deinde in aula Imperatoris: in hac quidem propter officium clericatus & scientiam literarum, in illa vero propter generositatem animi & insignem vrbanitatẽ:

Est celebris apud Principes, & charus omnibus.

In vtraq; autem propter raram affabilitatem & elegantiam morum. Hic clarus, ibi nobilis: strenuus vtrobiq;. Dilectus & honoratus non minus à dominis, quam à familia vniuersa: omnibus omnia factus, omnium, inter quos versabatur, studiis congruebat. Erat enim adspectu hilaris, vultu serenus, sermone iucundus, conuersatione placidus, conuictu affabilis: In suos beneficus, comis erga extraneos. In manu consilij sui positus, & ante cogitationum suarum oculos constitutus, nihil sibi denegans, neq; quicquam intentatum relinquens. Transglutiens præterita, præsentia deuorans, futura præoccupans. Ciuis egregius huius sæculi & inclytus Babyloniæ colonus, nescius quid super eum disponeretur in posterum, & ignarus, quid sibi crastinus pareret dies: immo, quod deterius est, non curans: religionis & quietis impatiens, inquietudinis autem & impatientiæ seruus. Augebant vero in his omnibus spem votorum eius, & dilitabant desideria cordis secundorum prouentuum temporalis successio & aura fauoris humani, plausu dulcissimo, & homini sic affecto voce melliflua acclamantium vndiq; & dicentium: Euge, euge.

Admodum huic mundo deditus est.

His igitur exagitatus, circunferebatur Nortbertus in medio Babylonis, multiplicibus & tortuosis anfractibus II.
per vias difficiles & laboriosas, semper vadens & nunquam rediens, errans & nescius, vagus & profugus, fluctuans nec sentiens, periclitans & securus, exhauriens ventum & aucupans vanitatem. Cum ecce subito & ex improuiso sermo velox & manus præpotens imminet dorso fugitiui, deiiciens ascensorem, & erigens curuum. Tum vero sensim atque paulatim cœpit ab interioribus versa vice reformare, quod vanitate fuerat deformatum, euellens & destruens,

Resipiscit nonnihil.

ædificans & plantans. Venitq; repente & mutauit sylvestrem & rapacem accipitrem in simplicem & mansuetam co-

Rom 5.

lumbam. Factumq; est, sicut dicit Apostolus, vt vbi abundauit peccatum, superabundaret & gratia. Et quia nouerat spiritus modum & ordinem operationis suę, postquam inspirauit amorem, addidit & aperuit intellectum, misitq; in animum eius, vt tempus adhuc modicum & sibi congruum sustineret exterioris hominis exuendi cum actibus suis, locumq; idoneum eligeret huic sæculo publice abrenunciandi. Iam igitur edoctus pugnare cum hoste, retraxit con-

Discedit ab aula.

tinuo pedem ab aula, ac domi residens, expectabat, & quasi tyrocinia quædam futuræ conuersionis exercens, apud se disponebat: quicquid paupertatis, quicquid afflictionum & certaminum accidere posset, infatigabili præmeditatione leuabat. Imbutus itaq; noua interioris virtutis gratia, exterioris autem vetustatis tunica nondum exutus, demulcebat desiderium suum spe vberioris fructus, malens simul noui hominis indumentum pariter & ornamentum suscipere, illud quidem in habitu religionis, istud vero in dignitate sacerdotij, fierentque cumulata munera tanto iucundiora, quanto existerent ex mutua collatione potiora.

CVMQVE diu optatum iam tempus adesset, & sacri ordines forent ex more in ecclesia celebrandi: vir Dei pia III.
exultatione repletus, festinanter & cũ omni deuotione adiit dominum Fridericum Archiepiscopum Colonienſem, petens se prima vice inter cæteros ordinari. Quo audito, Archiepiscopus non mediocriter admirans, hominem per se petere, quod ab aliis sæpe recusasset oblatum: libenter tamen & læta responsione annuit se facturum, quod quærebat. Mox ille subiunxit: Diaconus simul & presbyter volo fieri. Ad hæc Archiepiscopus vehementer stupens & pauens, quæsiuit quænam esset huiuscemodi tam subitaneæ atq; inopinatæ voluntatis causa. Ille ait: Sic est in animo meo, nec poteris scire modo, scies autem postea. Cumq; Archiepiscopus causam scire volens, vehementer ex aduerso

Hæc est mutatio dexteræ excelsi.

insisteret, cogitans apud se vir Dei, quod per omnem modum honesta & congrua esset persona, cui possit & debeat secretorum suorum conscientiam aperire: procidens ad pedes eius, cum lachrymis & gemitu peccatorum suorum veniam petens & accipiens, confessus est firmum & indeclinabile suæ voluntatis propositum. Videns autem Archiepiscopus hominem apud se, quod petebat, firmiter deliberasse, ac metuens gratam sibi familiaris sui amicitiam violare: considerans quoq; bonum, quod posset de tam laudabili viro facilime prouenire, atq; intelligens, quod non sine instinctu diuino talia contingerent, quanuis non liceret hos duos supremos ordines à quoquam simul recipi aut dari: admissa tamen pro causa & tempore dispensatione, tandem aliquando annuit. Facta itaq; hora celebrandi officij, & singulis, qui ordinandi erant, sacris & albis vestibus iuxta consuetudinem ecclesiasticam indutis, locisq; dispositis, affuit & Nortbertus in medio circunfluentium populorum. Spectantibus ergo cunctis & expectantibus, cum ei custos sacrarij vestes offerret benedictas, quas, vt cæteri, ad ordines suscipiendos indueret: ille, in cuius pectore Spiritus sanctus iam inchoauerat templum suum, conuertit manum ad vnum de famulis suis, qui erat ibidem iuxta eum, &

Vide quam sit efficax gratia Dei.

innuit sibi præsentari vestem pelliceam agninam, quam ad huiusmodi opus de industria iusserat præparari. Qua accepta, & illis intuentibus exuit varium & multiplicem diabolum, indumentum scilicet miræ æstimationis & magni precij, & videntibus vniuersis, induit vniformem Christum & simplicem, vestem videlicet hominibus huius sæculi, & maxime illius regionis apud nobiles prorsus insolitam, vilissimi precij, & nullius fere momenti. Tunc conuertit a-

Degit aliquandiu in Sigebergẽs. monasterio.

liam manum ad sacrarij custodem, & induit oblatas sibi vestes, quibus in accipiendis sacris ordinibus vteretur. Acceptis ergo sacris ordinibus, conuertit continuo pedem, & contulit se ad Sigebergense quoddam, magnæ & præclaræ famæ monasterium, vbi inter religiosos ac deuotos in omni sanctitate monachos, & accepti sacerdotij addisceret vsum, & certa religiose viuendi caperet documenta. Completisq; ibi diebus circiter quadraginta, rediens ad patrium solum, contulit se ad ecclesiam, vbi fuerat & erat canonicus sæcularis.

SEQVENTI vero die cum obtulissent ei Decanus & Cõcanonici sui, vt maioris in conuentu Missæ mysteria cele- IV.
braret, ille humili responsione annuit se facturum. Temporis igitur hora instante, acceditur ad altare, & singula, prout res exigebat, vsque post euangelium solenniter peraguntur. Lecto itaq; euangelio, vir Dei zelo diuini feruoris accensus, incalescente in præcordiis eius igne spiritus sancti, versus est ad vestibulum ecclesiæ: subiiciensque verbo Dei

Cum multo feruore concionatur apud Xanctẽses.

ministerium vocis & officium linguæ, cœpit, prout ei diuinitus administrabatur, proferre de thesauris sapientiæ & scien-

& scientiæ Dei pia futuræ vitæ monita, & salutaria æternæ beatitudinis hortamenta: addens prætèrea & ostendens, quam sint omnia vitæ huius oblectamenta fluida & caduca, breuia tempore, vilia æstimatione, nec amore digna, nec possessione idonea: gloria labilis, ambitio cæca, diuitiæ fugaces, delectatio momentanea, requies infida, securitas incerta, gaudia vana, prosperitas falsa: inflectens & retorquens totum negocij pondus in concanonicos suos, neminem tamen aperte designans. Post hæc autem reuersus ad altare, incepta sacrosanctæ Missæ mysteria ad finem vsq; perduxit. Crastina rursus die, cum iam omnes ex more in Capitulo, vt vocant, resedissent, cœpit primo, accepto codice, alloqui Decanum, ostendens ex verbis beatorum Gregorij atque Isidori, quorum se regulam tenere dicebant, quia ipse, qui erat omnium præpositus & magister, deberet eos ad rectum honestæ ac sanctæ vitæ tramitem reuocare. Audientes hæc seniores & prælati, vtpote sapientes, rem taciti considerabant, & quia nullatenus veritati & spiritui, qui loquebatur, resistere præsumebant: iuniores vero, quibus mos est, minus, quæ Dei sunt, attendere, ad alterutrũ murmurantes, & seorsum subsannantes, pristinæ leuitati deputabant. Vnde factum est, vt inde recederent, exteriorem ei reuerentiam exhibentes, tum quia grauis erat inter eos authoritatis, tum quia signum & habitum præ se ferebat alicuius religionis. At ille singulorum aditus atque diuerticula procul quodammodo prospiciens & attendens, in crastinum rursus, cum iterum conuenissent, cœpit proclamare eos nominatim, de vno quoque pronuncians, quis, quid, vbi, qua hora, cum quo, quod minime liceret, egisset vel dixisset. Eo itaque in hoc per dies quamplurimos perseuerante, cum iam eis intolerabilis videretur, altius reptante in cordibus eorum ex occulta permissione Dei spiritu maligno, qui operatur in filios diffidentiæ, concitauerunt aduersus eum quendam ignobilissimum clericum, vilis conditionis humilisque fortunæ. Hic dum temeraria audacique præsumptione obloqueretur ei, multis conuiciis prosciditeum, atque etiam incredibili arreptus dementia, fœdauit faciem eius. Accepta vir Dei tanta contumelia, continuit seipsum, & conticuit: detersaque facie sua, ac peccatis suis deputans, maluit coram Deo lachrymis indulgere, quam vltioni. Qua in re expertus est, quantum sibi per Dei gratiam virium adesset ad maiora pro iustitia toleranda. Erat autem, vt ex relatu multorum cognouimus, clerici illius à quo per summam iniuriam consputus fuit, talis persona, vt si per cœnum trahi illum à cocis suis mandasset, nullus dicturus fuerit aliud, nisi recte id eum iussisse.

In cõuentũ Canonicorum vt se gesserit.

Ephes. 2.

Ignominia vir sanctus afficitur.

V. Post hæc cum se ieiunio & abstinentia maceraret, die noctuque vigiliis & orationibus insisteret, contigit, illo in quadam crypta Missam solito more celebrante, vt in calicem iam consecratum aranea laberetur. Quo viso, stupuit sacerdos, vitam & mortem ante oculos habens, erat enim aranea non modicæ corpulentiæ. Quid faceret homo, cuius fides iam in Domino solidata erat? Ne ergo aliquod sacrificij præparati faceret dispendium, magis elegit subire periculum, & totum quicquid erat, hausit. Ergo peracto officio, se statim moriturum præstolabatur. Dum igitur nihil motus loco, ante altare exitum, quem expectabat, Domino precibus commendaret, pruritu narium prouocatus, dũ scalperet, subita sternutationis commotione aranea integra per nares excussa est. Tantam autem inde adeptus est fidem, vt in ea omnibus diebus vitæ suæ, cunctis tunc temporis viuentibus, communi omnium iudicio facilime præferretur. Vnde cum quidam diceret, quis in quo illa tempestate excelleret, ait: In Nortberto eminet fides, in Bernardo Clarauallensi charitas, in Milone Taruanensi episcopo humilitas.

Nota rem miram.

Præstantia fidei eius.

VI. Patientiæ igitur clypeo protectus, & fidei fortitudine communitus, prædicans & annuncians verbum Dei opportune, importune, sese q; quotidie meliorem reddens, conuersatus est per annos tres in eodem habitu. Cum autem persecutionem pateretur ab his, quibus erat eius prædicatio importuna, conferebat se iterum ad Sigebergense quoddam monachorum cœnobium, quod tribus à Colonia distat miliaribus: aliquando in regularium canonicorũ monasterium, quod dicitur Roda: sæpius autem ad quendam eremitam, nomine Lidulpbum, miræ sanctitatis & abstinentiæ virum, clericorum vitam agentem. Ad huiuscemodi autem viros confugiebat causa recreandi spiritũ, quotiescunque persecutiones patiebatur ab his, quibus verba veritatis erant molesta: tum etiam, vt inter eos & sanctæ vitæ addisceret instituta, & spei cælestis susciperet incrementa. Nonnunquam vero domum suam, quæ erat Xanctis, rediens, cœptæ prædicationis studiis insistebat.

Lidulphus eremita.

VII. His igitur ita se habentibus, accidit vt concilium quoddam fieret in Teutonicis partibus apud oppidũ, quod dicitur Friteslare, coram Domino Cunone, sedis Apostolicæ legato. Ex quare occasione accepta, Episcopi, Archiepiscopi, Abbates, aliique multi, qui negociorum suorum causas illuc conuenerant tractaturi, inito consilio, vocauerunt hominem Dei. Quo præsente, cæperunt eum communi omnium assensu coram præfato domino accusantes redarguere, quod prædicationis officium vsurpasset, ipsosque in suis concionibus verbis & conuiciis acriter insectaretur, cum à nullo mitteretur, nec eorum princeps esset constitutus: tum etiam, quod habitum religionis præ se ferret, cum in nullo religio & proprietas conuenirent: denique quod preciosas vestes abiecisset, cum mos terræ id non haberet apud nobiles, qualis ipse esset, vt quandiu versantur in sæculo, agninis seu caprinis vestibus vtantur. Ad hæc omnia sapiens à Deo edoctus, sapienter respondebat, inuictusque, adiuuante eum gratia diuina, recessit ab eis, quia non erat conueniens testimonium illorum aduersus eum.

Concilium Friteslariense.

Vir Dei accusatur coram legato Pontificis. An. 1118.

Egregie se tuetur.

VIII. Omni ergo destitutus subsidio, diuino tantum fultus auxilio, orationibus & psalmodiis iugiter incumbebat. Inde cum proposuisset totam noctem insomnem ducere, & orando rogare Deum, vt ipse, qui est dator recti consilij, & bonorum operum adiutor, secundum beneplacitum voluntatis suæ consilium eius dirigeret & propositum adiuuaret: ac sic in oratione pernoctasset, summo diluculo paululum dormitauit. Et ecce aduersarius affuit, ita insultando & subsannando loquens: Eia, eia, multa proposuisti, sed ad quem finem peruenire speras, qui nec in vnius noctis proposito perseuerare potuisti? Expergefactus itaque homo Dei, & insidias inimici non ignorans, respondit: Quis minis tuis crederet, cum ab initio, teste veritate, mendax sis & pater mendacij? Taliter ergo spiritus malignus confusus, recessit ab eo. Videns autem homo Dei, quod veritas, cui testimonium perhibebat, multorum mendacio suffocaretur, præsertim cum peccatum eorum ex relatione verborum Dei amplius inualesceret: intelligens etiam, quod in ipsum vsque ad falsi criminis illationem irruerent, eorum detrimentum ac perditionem potius, quam quod sibi nocere possent, dolens ac metuens, venit ad Archiepiscopum suum, & resignauit ei, quicquid beneficiorum ac reddituum, quibus plurimum abundabat, fuerat consecutus in ecclesia. Venditis insuper domibus ac cæteris omnibus, quæ vel ex patrimonio, vel aliunde iure hæreditario possidebat cum omni suppellectili sua, & pauperibus erogatis, nihil sibi retinens præter decem marcas argenti & mulam, sacellumq; ad Missam celebrandam, assumptis duobus tantum laicis comitibus itineris sui, exemplo patriarchæ Abrahæ, spontaneam adiit peregrinationem.

Procax dæmon insultat ei. *Ioan. 8.*

Abdicat beneficia ecclesiastica.

Vendit omnia sua.

Gen. 12.

IX. Cvmqve venisset ad quoddam castrum, Hoyum nomine, super Mosam fluuium situm, eadem ipsa, quæ sibi retinuerat, ibidem pauperibus erogauit, solo sacello sibi retento ad sacrosanctæ Missæ mysteria celebranda. Pede igitur nudo, tunica lanea & pallio sibi sufficiente, sine tecto, sine certo domicilio, virtute animi horrendas hyemes & asperam glaciem superans, solo Christo duce, cum duobus singularis proposiri comitibus proficiscitur versus sanctum Ægidium. Quo cum peruenisset, ibique gratia Dei ordinante, qui sperantes in se non relinquit, Gelasium Papam, qui successit Paschali, inuenisset, confessus est ei voluntatem & propositum animi sui, veniamque de hoc specialiter, quod duos simul supremos ordines contra Canonum instituta susceperat, à præfato Pontifice postulans impetrauit. Papa vero videns prudentiam eius & spiritum Dei habitantem in eo, voluit eum secum retinere. At ille rogans &

Vide asperrimam vitam.

gans & obsecrans, ne hac ipsum obedientia cogeret, exponebat qualiter seipsum totum in aulis regum ac pompis pō-
tificum lasciuiendo dissipasset, & quod id, quo inuitaret eum, iuuentuti suæ vel assumptæ pœnitentiæ minime con-
grueret. Quod si canonicum, vel monachum aut eremitam seu etiam peregrinum ipsum esse præciperet, libenter ac
per omnia se obtemperaturum aiebat.

Gelasius Papa ei facit concionandi potestatem. An. 1118.

X. VIDENS igitur Pontifex constantiam hominis & deuotionem animi bonam, necnon & persecutionem, quam
pro verbo veritatis pertulerat, dedit ei licentiam & liberam facultatem prædicandi verbum Dei, non solum vbi prius
prædicauerat, verumetiam vbicunq; terrarum vellet & posset, idipsum ex persona sua monendo & præcipiendo in-
iungens. Præterea eis, qui prius ex inuidentia ei restiterant, inhibuit, ne saltem simplices prohiberēt, si ipsi conciones
eius superuacaneas seu minus sibi vtiles iudicarent. Et hoc ipsum, vt ratum esset & stabile, authoritatis suæ literis ac
sigillo firmauit.

Omnia vincit charitas.

XI. ACCEPTA itaque prædicandi ex Apostolica iussione potestate, cœpit media horrendæ hyemis asperitate & in-
temperie cum duobus sociis nudis pedibus remeare. Tanta quippe charitate flagrabat in Deum, vt eum nec frigoris
asperitas, nec inedia, nec corporis lassitudo ab eo, quod cœperat, reuocaret. Pertingebant ei in itinere niues vs-
que ad genua aliquando, nonnunquam vsque ad femora, nec tamen vno saltem die eum poterant retinere. Cibus
ab eo, nisi Quadragesimalis & vespertinus, præterquam Dominicis diebus, minime sumebatur. Piscibus autem
seu vino rarissime vtebatur. Corpus eius non requiescebat per diem: spiritus autem neque noctu, neque interdiu
habebat requiem. Singularis enim fidei & miræ fortitudinis erat homo ille. Cum ergo procedendo transiret Aure-

Valencenis concionatur.

lianum, adiunxit se comitem eius Subdiaconus quidam: & sic cum tribus sociis peruenit Valencenas sabbato Pal-
marum In crastino ergo habuit sermonem ad populum, & ita per gratiam Dei omnibus gratus fuit, vt cogerent eum
sessa membra ibi paululum recreare. Quibus cum nulla ratione vellet acquiescere, factum est per dispensationem
Dei, vt sociis eius subita ægritudine oppressis, non posset inde tunc vlterius proficisci. Remansit itaque homo, vt
curaret infirmos suos: qui tamen sequentibus intra octauas Paschæ diebus, beato fine quieuerunt. E quibus duo
laici conditi sunt in suburbio apud Valencenas in ecclesia beati Petri iuxta forum in sinistro latere ad Occidentem.
Subdiaconus vero monachus effectus, sepultus est in ecclesia beatæ Mariæ, quæ in eodem oppido sita est. Interea

Burchardº Cameracēſ Episcopus.

dum ibi maneret, contigit dominum Burchardum Cameracensem episcopum, piæ ac venerandæ memoriæ vi-
rum, transitum inde habere quarta feria, proximo die ante cænam Domini. Quo audito, vir Dei, quia cogno-
uerant se mutuo, dum adhuc versarentur in sæculo, accessit ad colloquendum cum eo. Veniens ergo ad ostium
domus, vbi hospitio receptus erat Episcopus, inuenit ibi ante fores per voluntatem Dei vnum de clericis eius stan-
tem. Hunc igitur submissa voce rogauit, vt introduceret ipsum ad Episcopum. Erat enim gelu super terram, & i-
pse nudis pedibus incedens. Ingressus igitur prædictus clericus, locutusque ad Episcopum, introduxit hominem.
Qui paululum inter se colloquentes, recognouerunt se continuo, memores pristinæ familiaritatis. Episcopus au-
tem intuens hominem, & intra se vehementissime admirans ac stupens, collachrymatus est, non enim poterat se
continere. Commota quippe sunt viscera eius super eum. Et irruens in collum eius, ac pio eiulatu exclamans, cum
suspirio dixit: O Nortberte, Nortberte: quis vnquam talia de te crederet aut cogitaret? Stans vero prædictus
clericus, qui eum introduxerat, & affectum Episcopi videns erga hominem, minime tamen sermones eorum
intelligens, quia Teutonice loquebantur, præsumens accessit, & interrogauit, quidnam hoc esset. Statim Episco-

Nortbertus respuit episcopatum Camera-censem.

pus: Iste, quem sic vides, inquit, in aula regis mecum pariter nutritus est, homo nobilis & deliciis affluens, intantū vt
episcopatum meum, cum ei offerretur, respueret. Audiēs hæc clericus, lachrymis statim perfusus est, tū quia dominū
suum flentem videbat, tum quia mens & spiritus eius in amorem tanti hominis charitate melliflua redundabat. Erat
etiam ipse præditus voluntate relinquendi sæculum, & huiuscemodi viuendi modum, quem in homine illo cerne-
bat, in corde suo iamdiù conceperat, eumq; nimia cum deuotione per dies singulos consequi optabat. Post hæc vir
Dei graui infirmitate corripitur. Episcopus autem præstolabatur, quem exitum infirmitas, quæ acciderat, haberet, &
familiarem suum per Archidiaconum quendam & alios quosdam suæ aulæ homines visitabat. Prædictus verò cleri-
cus, vtrùm conualescceret & quando, de die in diem solicitus inuestigabat. Postquàm ergò conualuit, accessit ad eum,
& cùm ei confessus esset votum & desiderium animi sui, seque cum ipso sponderet iturum, extendens homo conti-
nuò manus suas ad cœlum, & immensas gratias agens, dixit: Domine Deus, hodie te rogaueram, vt dares mihi soci-
um. Existimabat enim, quòd statim cum ipso remanens, nusquam ad alia agenda digrederetur. At ille hoc non eo
modo statuerat: sed primò volebat res suas disponere. Itaq; cùm post hæc verba intulisset, velle se de rebus suis di-
sponere, contristatus est homo ad huiuscemodi sermonem, & ait: Eia frater, si est ex Deo, non dissoluetur. Ad hæc ille
continuò respondit: Vinculo indissolubili colligâsti me tibi pater. Ac sic abiens, rebus suis constitutis, paulò pòst
reuersus est, & deinceps perpetuò secutus est hominem Dei Nortbertum.

Hugo socius deinde successor Nortberti.

XII. ANNO igitur post incarnationem Domini nostri Iesu Christi millesimo centesimo decimooctauo, mense Iunio,
post comitum suorum ex hac vita decessum, accessit ei dominus Hugo, iam dictus clericus, (hoc enim erat nomen e-
ius) qui proximo post eum loco successit in regimine Præmonstratæ ecclesiæ, piæ & sanctæ conuersationis homo.
Gauisus ea re vir Dei, & immensas gratias agens Deo, animatur ad prædicationem. Et iam sciens & præsumens de vo-
luntate Dei, circuibat castella, villas & oppida, prædicans & reconcilians malè dissidentes, & inueterata odia & bel-
la ad pacem reducens. Securi erant de gratia Dei, qui seruis suis prouideret, quæ essent necessaria. Fixum enim in
mente habentes, quia peregrini & hospites essent super terram, nec vlla quidem nota ambitionis perstringi poterant,
quorum tota spes de cœlo pendebat. In tanta igitur admiratione & dilectione apud omnes esse cœperunt, vt quo-
cunq; iter agentes se verterent, cùm villis aut castris propinquarent, etiam pastores, relictis gregibus, concito cursu

Miro studio omnes virum Dei prosequuntur.

præuenirent, & populis seruos Dei aduenire clamarent. Tunc verò campanæ pulsabantur, tunc concursus populi, o-
mnis sexûs, omnis ætatis, omnis conditionis cateruatim ad ecclesiam confluens, Missarum solennia libenter audie-
bat, & verborum exhortationes ac monita libentiùs suscipiebat. Post sermonem autem non modica facta collatio-
ne de confessionis frequentatione, de agenda pœnitentia, de coniugiis, de proprietatibus, & quomodo qui moriun-
tur in eis, debeant saluari: & de omnibus his, inquā, dato & accepto responso, sub vesperam tandem ad hospitium
ducebatur. Gaudebat verò non modicè, felicemq; se ac Deo dignum iudicabat, qui eum hospitio suscipere mereba-
tur. Interdum autem alius trahebat asellum, alius rapiebat aselli capistrum, alius vi detinebat iuuenem illum, quem

Multos ad bonam frugem reuocat.

solum habebant ad asellum custodiendum. Sic itaq; vndique pertranseundo, multos ab errore reuocabat, & pœni-
tentiam suadens, multos retrahebat à crimine, multos etiam discordantes ad concordiam reducebat. Propter hæc
& his similia tantum amorem & gratiam ad populum contulit ei Deus, vt visu & alloquio eius vix satiari quis posset,
& ipse tanta populi charitate teneretur, vt multo tempore, relicto ecclesiarum hospitio, potiùs recipi vellet in medio
vrbium & castrorum, vbi omnes aduentantes benignè & comiter exciperet. Erat præterea in his omnibus supra,
quàm dici vel credi possit, patiens in vigiliis, sedulus in labore, gratiosius in verbis, gratis adspectu, benignus in sim-
plices, seuerus in hostes Ecclesiæ.

Conti-

XIII. CONTIGIT quadam die, cùm transiret per quoddam castrum, Fossas nomine, fieri concursum hominum, tam clericorum quàm laicorum, insolitum eius viuendi modum admirantium, & eô maximè, quòd quem socium acceperat, benè cognitum haberent. Intelligentes autem eum concordiæ & pacis ex collata sibi gratia à Deo, esse administrum, obnixè rogare cœperunt, vt apud eos requiem paulisper caperet, asserentes in eadem regione funestis odijs & atroci discordia quosdam laborare, eaque causa non minùs sexaginta esse peremptos, nec à quoquam, cùm à multis religiosis & potentibus iamdiù laboratum esset, potuisse sarciri concordiam. Cumque multi hac de re multa loquerentur, non casu æstimandum est, sed diuina disponente gratia factum esse, vt illac transiret quidam, cuius frater eodem odio instigante illa septimana interemptus erat. Quem cùm adstantes cernerent: Ecce vnus, inquiunt, ex his, de quibus sermo habetur inter nos. Quo aduocato, statim homo Dei, brachijs collo eius circumdatis, sic ait: Dilecte mi, peregrinus ego sum, hac pertransiens, & nihil à quoquam petij in istis partibus vel accepi. Sed quia te iuuenem benè armatum elegantemque video, placet mihi primum munus à te expetere & accipere, quod pro perspicua probitate tua rogo, ne mihi negare velis. Statim ille nutu diuino pietatis affectu permotus, & lachrymis obortis perfusus, respondit: Quid est, reuerende pater, quod tibi à me, vel à quolibet possit negari? Qui cùm condonationem perempti fratris ab eo peteret, continuò impetrauit: nec solùm condonauit, sed obsequium etiam viro Dei præstitit, ostendens opportunitatem acerba illa odia penitus sopiendi, & integram pacem conciliandi. Erat tum feria secunda, quando homini Dei primò hæc indicata sunt. Sequenti inde sabbatho ad villam, quæ Monasterium nuncupatur, vtraque pars aduersariorum conuenit, populus etiam multus ex eadem vicinitate confluxit, partim vt hominem Dei, de quo rara quædam nunciabantur, viderent, partim vt diffidentes, quorum odiis tota regio perturbabatur, ad conciliationem prouocarent. Cumque vir Dei intra cubiculum quoddam, clauso ostio, ferè vsque ad horam tertiam persisteret orando, populus tædio & curiositate quadam affectus, cœpit mirari non minimùm, & murmurando alter ad alterum dicere: Qua causa conuenimus? Putabamus quòd exiret, & verbi Dei semina iactaret, & aquis fontis vitæ corda discordantium emolliret: & ecce in latibulis iacet dormiens, aut alia in re suæ voluntati indulgens. Cùm verò adeò impatientes vltrà ferre nollent, coëgerunt socium eius, qui ad illos egressus fuerat, vt ingrederetur & diceret ei omnes mox recessuros, si non exiret. Ille sciens esse eum in precibus, ne eum perturbaret, ingredi distulit. Importunitate tandem eorum compulsus, intrauit, & stans coram eo tremens, submissa voce dixit: Pater, populus expectat te, & quia præsentiam tuam ei non exhibes, vult recedere. Et ille: Tace, inquit, fili mi: non est nostrum seruire Deo pro voluntate hominum, sed pro voluntate Dei. Attamen non diù pòst surgens ab oratione, ecclesiam ingreditur, & sacris vestibus præparatis, primò Missam beatæ MARIÆ, vt in sabbathis solet fieri, celebrat: deinde Missam illorum defunctorum, quorum mors extitit causa odij, quod sedare volebat. Quibus deuotissimè peractis, iuxta consuetudinem exiuit ad faciendum sermonem. Sed quia prandij hora iam transierat (erat enim ferè nona) multis ad reficiendum egressis, paucos, quibus prædicaret, inuenit. Apud illum autem hoc in more positum erat, vt sic in paucis, sicut in multis: sicut in diuitibus, sic in pauperibus ex abundantis charitatis visceribus, vnicuiq; pro modulo suo & facultate, faceret sermonem. Porro paululum facta oratione, cùm cœpisset loqui & attraxisset spiritum, miro & ineffabili modo spiritus ille charitatis, quasi vox diffusa, sonus factus est in cordibus eorum, qui præ tædio recesserant, & vt ad sonitum tubæ vnusquisque, relicta refectione, de locis & tabernis, in quibus consederant, quasi meliores epulas accepturi, ad ecclesiam conuolabant. Cumque vir Dei repletam videret ecclesiam, abbreuiato sermone, sic eos alloquitur: Viri fratres, Dominus noster Iesus Christus cum discipulos suos ad prędicandum mitteret, inter alia hoc eis mandauit, vt in quamcunque domum intrarent, primùm dicerent: Pax huic domui. Et si ibi esset pax, hoc est, filius pacis, requiesceret super eos pax eorum. Nos autem non nostris meritis, sed superabundanti gratia Dei sola, imitatores eorum effecti, eandem pacem vobis denunciamus, quæ mente incredula neganda nō est: nam ad pacem perpetuam pertingere facit. Vobis igitur incognitum est, qua causa conuenerimus. Non est nostrum, nec ex nostro, vtpotè qui peregrinus sum & aduena pertransiens, sed potestatis & voluntatis Dei est perficere: vestrum est autem, voluntati illius integro & deuoto affectu acquiescere. Ad hæc vox omnium vna facta est: Præcipiat, inquiunt, per te Dominus nobis, quod beneplacitum est ei: non habemus ei contradicere, quod, te ordinante, in hoc negocio Dñs de nobis facere voluerit. Quid plura? Egressa est vtraq; pars aduersaria foras in atrium, reliquis in medio positis: Et paruo interuallo facto, abiurata est discordia & concordia confecta, paxq; sacramento confirmata.

Admodum studiosus est conciliandæ pacis inter discordes.

Vide sancti viri mirum artificium.

Populus aduersùs eum murmurat.

Res sanè ad miranda.

Luc. 10.

Plurimùm ei defertur à quibusdā discordantibus.

XIV. IN crastinum summo diluculo consurgens, secessit ad aliam villam, non longè positam, Gemblacum nomine, vt sermonem faceret ad populum: vbi sanè deuotissimè susceptus est, quòd & verbi Dei præconem & placidæ pacis eum internuncium esse didicissent. In eadem regione duo principes mutuis conflagrabant odiis, &, vt fieri solet, rapina & incendiis tota regio in vastitatem & solitudinem redacta fuerat. Hoc vir Dei audiens, & populorum clamoribus permotus, miseriaque & paupertatis misertus, ipsos, quo potuit, labore adijt: cumque primum alloqueretur, dicens: Magnus es & potens, & ignorare non debes, tibi à Deo collatam potestatem, & me seruum eius esse, ad te missum. Me ergo, non pro me; sed pro illius amore audire debes, qui pro tua & multorum salute ad te diuerti. Audi igitur pauperem & peregrinum, & Domini Dei tui mandata per me tibi allata suscipe, vt ab eo tu quoque suscipiaris. Remitte ei, qui tibi nocuit: dimitte, vt tibi dimittatur: tibiq; sit commodo, pauperibus & egenis subsidio: vt commodum tuum fiat peccatorum tuorum remissio, pauperum subsidium, rerum dissipatarum reparatio. His auditis, princeps ille & homine inspecto, vt erat vultu angelico, & considerata vestitûs & habitûs humilitate, & facundia verborum, totus intremuit, (commota quippe sunt omnia viscera eius) & pietatis affectu responsionem emolliens, dixit: Fiat, quod vis. Non est enim aliqua certè rationis oppositio, qua possit quis tuæ contradicere vel obsistere petitioni. Cùm ergo tali affectu ad effectum perduxisset, quod petebat, ab eo transiuit ad alium. Sed seminator discordiæ præueniens, cor eius sic obdurauerat, & sui seminis radicem in eo sparserat, atque ita mentis oculos clauserat, vt nullius veri luminis aditus in mente, nullius charitatis feruor esset in corde, quo viro Dei vel ad breue spatium placidè & humaniter responderet. Videns autem atrocitatem vultûs illius, & oculorum toruitatem atque feritatem verborum & cordis duritiam, ne margaritas ante porcos iactaret, statim conticuit: & versus ad socium, quem secum habebat: Insanit, inquit, hic homo: sed futurum est breui, vt retrorsum cadat, & detur inimicis suis ad capiendum & illaqueandum & conculcandum. Hæc dixit, & in eadem septimana verborum effectus subsecutus est. nam & captus ab inimicis, detentus est. Hæc ideò dicta nouerit lector, vt & in hoc vir Dei spiritum prophetiæ habuisse credatur.

Principem quendam hortatur ad pacem.

Is facilè cedit.

Sed aduersarius flecti non vult.

Prophetico spiritu claret vir Dei.

XV. ET procedens inde, venit ad proximam villam, quæ vocatur * Coteri. Et quia fama de eo iam vndique percrebuerat, populus de eadem vicinia ad audiendum sermonem confluebat. Et post celebrationem Missæ audito finitoque sermone, sicut consueuerat, de pace & concordia, &, si inter eos aliquod dissidium esset, cœpit inquirere. Cùm autem nominarent inter eos quosdam discordantes, cæpit eos humili exhortatione à veteris odij rixis reuocare. Sed cùm vnus ex eis, multis rogatus precibus, nullatenùs petitioni eius & omnium circumstantium acquiesceret, foras exiliit, ascendens equum sum (miles enim erat) nitebatur fugere. Sed cùm calcaribus fortiter iterùm atq; iterùm vrgeret eum, nullatenùs vel passum vnum potuit procedere. Exeuntibus autem cæteris, qui in ecclesia remanserant, & vndiq; concurrentibus cum stupore & admiratione nimia, quidam subsannando clamare, quidam cōdolendo flere cœpe-

* *Colrois.*

Beati pacifici.

Vide miraculum.

cœperunt. Oēs tñ vna voce Deum laudabant, qui in ſanctis ſuis glorioſus eſt, & ibidem hanc oſtendebat gloriam. Ille verò nō minimùm pudefactus ad vocē clamantium, ad eccleſiam corā viro Dei redijt, & ꝓſtratus veniam petens, ꝙ priùs ab eo petebatur, quantocyùs libens annuit, & abſolutionē, ꝙ ſanctum virum Dei offendiſſet, petijt & accepit. Et ſic impletum eſt in eo, quod ſcriptum eſt: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.

Pſal 82.

XVI. EODEM anno contigit beatæ memoriæ Gelaſium Papam, à quo precandi authoritatem acceperat, migrare à ſæculo: cui ſucceſſit Calixtus Viennēſis Epiſcopus, piæ & ſanctæ conuerſationis homo, & dignæ recordationis, quem conſtat apud Cluniacum electum fuiſſe, & in ſede vniuerſalis Eccleſiæ poteſtatem, honoriſque & dignitatis culmen communi omnium electione ſuſcepiſſe. Tranſierat enim iam dictus Papa Gelaſius cum ſaniori parte Cardinalium, vt ſanctam matrem Eccleſiam in membris viſitaret. Tanto denique patre orbati Cardinales, cæterique ſanctæ Eccleſiæ filii, qui ad exequias Gelaſii conuenerant, ab eo, qui dixerat, Non relinquam vos orphanos, conſilio quæſito & accepto, ad perficiendum, quod cœperat prædeceſſor, Calixtus Rhemis concilium conuocauit. Vbi & introitum ſuum Eccleſia confirmauit, & ipſe, quæ benè geſta erant, approbauit & corroborauit: & quæ ſiniſtra inuenta ſunt & corrigenda, authoritate Romana correxit. Audiens verò homo Dei Apoſtolicæ ſedis dignitatem eſſe innouatam, (autumnus erat, quando primò brumale tempus hyemis incipit) Rhemos adiit: vbi ab Epiſcopis & Abbatibus, qui conuenerant, cum gaudio ſuſceptus eſt, non minimùm admirantibus ſuper excellentia verborum prædicationis & *reſponſionis eius. Et ne ab aliquibus oblatrantibus ſana eius doctrina in aliquo poſſet infirmari, literas Apoſtolicæ authoritatis, quas à Papa Gelaſio acceperat, iterùm renouari poſtulauit.

Gelaſius Papa moritur & Calixtus ſuccedit. Anno 1119.

Ioan. 14.

Rhemenſis Synodus.

*reſponſis.

XVII. QVIBVS acceptis, dominus Papa venerabili Laudunenſi epiſcopo Bartholomæo præcepit, vt curam eius ſuſciperet. Erat enim ipſe homo, habens ex progenie matris eius quoſdam in epiſcopatu, & eorum inſtinctu ſubmonitus erat epiſcopus, humanitatis ei manum per aliquod tempus porrigere. Quo deducto, & finito concilio, Papa non poſt multum Laudunum deuenit. Tum verò Epiſcopus cum Papa conſilium iniit, quomodo eum retinere poſſet: atque eo nomine obtulit ei Eccleſiam B. Martini, quæ in ſuburbio ſita eſt: in qua pauci fratres erant, ſub regula canonicæ profeſſionis degentes. At vir Dei modis omnibus renuebat. Tandem cùm cogeretur, ne ſummi Pontificis offenſam, & inobedientiæ notam incurreret, quod petebatur annuit, ſi tamen canonici illic commorantes, ea, quæ ſecundum Euangelicam & Apoſtolicam inſtitutionem eos docturus eſſet, obſeruare non recuſarent. Sed cùm oſtenderet eis formam Euangelicæ inſtitutionis, quomodo imitatores Chriſti, contemptores mundi eſſe deberent, quomodo præceptis & regulis ſanctorum patrum obedientes: illi ſtatim ad verbum & adſpectum eius perterriti, dixerunt: Nolumus hunc regnare ſuper nos, quia talem magiſtrum noſtra non nouit nec prædeceſſorum noſtrorum conſuetudo. Liceat nobis noſtro more viuere: Caſtigare quidem Deus vult, non mortificare. Sic homo Dei & obediuit, & ab obedientia ſolutus, ab illa non receſſit. Manſit itaque ibidem. Socius enim eius, de quo ſuperiùs mentio facta eſt, cum Cameracenſi Epiſcopo Burchardo profectus erat: Habebat enim de rebus ſuis, quas non ita pridem reliquerat indiſcuſſas, quædam diſponere. Quæ quòd aliter quàm vellet diſtraherētur, (nouitius quippe erat) æquanimiter non poterat ſuſtinere. Intereà Epiſcopus diſſoluta ieiunio & frigore hoſpitis ſui membra nitebatur reficere: ſed ipſe quotidiè ab hoſpite ſuo confouebatur ſpirituali & melliflua verbi Dei refectione. Ob hanc cauſam amore nimio & charitatis igne ſuccenſus, aſſiduè pulſabat eum precibus quibuſcumque poterat, vt in epiſcopatu ſuo vellet manere, quotidiè circumducens eum & oſtendens, ſi qua foret eccleſia, quæ ei placeret, ſi quæ ſolitudines, ſi qua deſerta, ſi qua terra culta vel inculta ad ædificandum & commanendum. Victus tandem ipſius & multorum aliorum tam religioſorum quàm nobilium precibus, elegit locum valdè deſertum & ſolitarium, qui ab incolis antiquitùs Præmonſtratum vocabatur: in quo, ſi quando daret ei Deus colligere ſocios, ſe manſurum ſpopondit.

Quidam nō ferunt eum ſibi præfectum, dum cogun tur ſeſe corrigere.

Præmonſtratum ſibi delegit vir Dei.

XIIX. TRANSACTA igitur hyeme, niuiumq; & glaciei frigore vernali calore paululum deterſo, vir Dei, vt erat ſolitus, virtute diuini ſolatij accinctus, ad prædicandum exiit, & ſolus Cameracum veniens, ſermonem habuit ad populum. Et ecce cecidit ſemen in terram bonam, ſcilicet in iuuenem Euermodum nomine: qui tanto rore Spiritus ſancti perfuſus fuit in verbi Dei ſuſceptione, vt amoris eius cauſa ſtans oraret ad Dominum Deum ſuum in eodem loco & in eiſdem paſſibus, vbi Dei hominem ſtare diligenter conſideraverat in faciēdo ſermone. Nec moras intulit, ſed ſtatim relictis omnibus, ſecutus eſt eum, tantoq; intimi amoris vinculo ei colligatus eſt, vt omni tempore vitæ eius ſpiritus viri Dei in eo requiem caperet, & poſt deceſſum ſuum locum ſepulturę ſuę ei commendaret. Perueniens autem *Niuigellam, alium iuuenem Antonium nomine, à Deo ſibi datum recipit. Hi duo & tertius, quem prius receperat, radices & fundamentum fuere futuræ multitudinis, quæ ſubſecuta eſt. Et intra Quadrageſimam illam tot ſocios obtinuit, vt in ſeptimana paſſionis Domini ante Paſcha cum tredecim reuerſus, prædictum locum poſſederit.

Quidam illi ſe adiun gunt.

*Niuellam.

XIX. LOCATO igitur fundamento in Chriſto IESV, paulatim de viuis & bene ſectis & politis lapidibus creſcebat ædificium, & domus Dei ampliabatur. Sed non defuere tentantis inimici & aduerſantis hoſtis inſidiæ, qui plantata eradicare, fundata euellere, congregata diſpergere, diſperſa morti tradere multiformi dolo laboraret. Nam in ſingulis ſingulas & proprias conſiderans affectiones, modis omnibus ſe opponebat, & ad decipiēdos nouos tyrones Dei, ſeſe in angelum lucis transformare non metuebat. Itaq; contigit quadam nocte cuidam ad matutinas ſtanti & contemplanti, & de illa glorioſa & ineffabili Trinitate cogitanti, vt ille antiquus hoſtis viſibiliter adſtaret & diceret: O quam felix es: ô quam in tuo ꝓpoſito laudabilis, qui & bene cœpiſti, & te perſeueraturum in tanta afflictione deliberas: idcirco ſanctam Trinitatem, ad quam toto mentis affectu ſuſpiras, videre mereberis. Et his dictis, apparuit tria geſtans capita, Trinitatem ſe eſſe conteſtans. At ille expaueſcens & plurimum admirans, paululum tamen præmeditatus, cū non ſibilum auræ lenis, ſed vētum turbinis fœtidum ſentiret, dixit: O miſer & infelix & omnibus creaturis deterior: tu, inquā, qui ſignaculum ſimilitudinis Dei fuiſti, quomodo arrogas, tibi non tantum te ſcire Trinitatē, ſed illam ipſā te eſſe? Recede, recede, & me tuis fraudibus non obedientē, non præſumas vlterius inquietare. Statim ille receſſit. Erat quidē frater ille ad obedientiam ꝓmptus, in oratione deuotus, in ieiunio aſſiduus: ita vt per totum annū ieiunaret, tam æſtate quam hyeme, & à nullo cogi poſſet, vt alteram interdiu perciperet refectionē, niſi diebus Dominicis: quibus tamen non niſi crudū quid ſumebat, & non aliquam coctionē. Sed cum id omnes mirarentur, & tanta eius abſtinentiæ & continentiæ virtus vbiq; in laudem eius prædicaretur, affuit iterum ſatan, occulte ponens inſidias, vt nouū militem proſterneret. Nam quarta feria in capite ieiunij, cum deuotione cunctorum fideliū abſtinentia Quadrageſimalis indicitur, tanta fames & gulæ voracitas eum inuaſit, vt diceret ſe nullo modo poſſe ieiunare, planeq; ſe moriturum, ſi à lacte & caſeo cogeretur abſtinere. Cui cum diceretur: Quid eſt, frater? ſacrum & annuum ieiuniū eſt, & non eſt fas, alicui etiam ſæculari, bis reficere: ille toruo vultu & lupina rabie reſpondebat: Nunquid vult Deus hominem mori, ſubtrahendo illi quocunq; tempore, quicquid ad vſus eius creauit, & neceſſitas ſumere cōpellit? Quid plura? Aberat pater Nortbertus, & fratres adhuc rudes, qui ad huiuſmodi inſultus arma ferre non cōſueuerant, multimodis ſupplicationibus hoc tandem ab eo impetrauerunt, vt bis & quantum vellet, cibum Quadrageſimalem comederet, timentes ne illud improperium in publicum exiret, quod tam arcta & ſubita religio, vel ſæcularium cōſuetudinem in ſuis conuerſis non ſeruaret. Cum ergo tranſiſſent Quadrageſimales dies, & ad celebrandum Paſcha homo Dei reuerteretur Præmonſtratum ad fratres ſuos, ad introitum ipſius vallis horror nimius inuaſit eum, & ventus tur-

Creſcit Præmonſtratē. ſis ſodalitas

Diabol⁹ in ficta ſpecie Trinitatis apparet cuidam.

Ezech. 28.

Vide machinas maligni dæmonis.

tus turbinis circumuallauit eum, quasi ventus veniens ab Aquilone: & ipse statim sentiens, secum venientibus maligna prædixit adesse tentationem. Peruenienti autem fratres trepidi narrauerunt, quid actum esset. At ille dolens, &, Heu me, ingeminans, In meam, inquit, miseriam & detrimentum animæ fratris, & ad traductionem nostræ insipientiæ hoc consentire voluistis, atq; per hoc locum diabolo, nisi viriliter ei resistatur, ad disperdendum dedistis. Vbi est, inquit, ille? Qui cùm adduceretur, vix se sustentare præ nimia pinguedine poterat, & velut vesica turgens, edacitatis spiritu plenus, non nisi toruis oculis magistrum, quem super omnia diligere solebat, respicere valebat. Videns ergo vir, cui Deus discretionem spirituum dederat, non esse infirmitatis humanæ, sed tentationis diabolicæ, statim vetuit omninò quicquam ei dari. Qui postquàm per aliquot dies ieiunauit, vbi reddita est ei quarta pars rudioris panis, & vas aquæ ad mensuram, pro summis deliciis computauit. Et sic ad pristinam consuetudinem benè & moderatè viuendi, Deo per magistrum suum subueniente, redijt.

Diaboli fraudē dissipat vir sanctus.

XX. Post hæc homo Dei, vt erat solitus, ad prædicandum egressus est, recepitq; socium suum qui ad componendum res suas abierat: & quamplurimis in itinere discordia laborantibus ad concordiam reuocatis, Niuigellam peruenerunt. Quia verò ab exordio prædicationis suæ in eodem oppido nimis charus habebatur, statim vt Præmonstratum concessit, quidam ex eis conuersionis gratia ad eum cucurrerunt: sed asperitatem ordinis & institutionis impositæ, ferre non valentes, vt canes ad vomitum reuersi sunt. Qui suam nequitiam tegere volentes, ad opprobrium hominis Dei, & vt conciones eius auerterent, zizania superseminauerunt, ita vt nec videre illum, nec eius conciones audire vellent. Sed ille hac re nullo modo expauit, confidens hoc magis fore materiam victoriæ contra dæmones, qui eius prædicationi & saluti credentium, quam per eum operabatur Deus, nitebantur obijcere impedimenta. Cùm ergo ob hanc causam in populo illo parui precij haberetur, suscitauit Deus militi suo bellū, de quo, ipsius dono certando viriliter, assecutus est victoriam; amoriq; pristino redditus, & non tm̄ apud Niuigellensem plebē, sed ēt apud oēs hoc audientes, adeptus est suauissimi odoris fauorē & gratiam. Nam ibid. aderat pater cuiusdam puellæ, q̄ iam per annum à dæmonio vexata fuerat, & vinculis & carcere tenebatur. Qui grauiter flens & suspitās, dolore filiæ affectus, cœpit rogare eum, vt saltē videre eam & tangere dignaretur. Magnū opus, sed nō dispar fides in opere. Adducite eam, inquit, ad me. Adducitur puella iam duodennis, & plurima populi frequentia cōuenit. Tunc igitur Dei sacerdos tempus & locum & materiam videns, vt glorificaretur Deus, maiorē fiduciam concepit. Ita albis & stola vestitus, exorcismum agere aggressus est. Cœpitq; diuersa legere euangelia super caput illius. Ad quē dæmon respondit: Huiusmodi lyras audiui frequenter, neq; pro omnib. istis hodiè recedā, neq; propter te è habitaculo isto. Et propter quos tādem recedam? Columnæ Ecclesiæ ruerunt. Cùm aūt sacerdos multiplicaret exorcismum, respondit dæmon: Nihil agis: quia necdum per coruscum sanguinē martyrum me adiurâsti. Tunc igitur, vt verè superbus est dęmon, scientiam suam volens ostentare, Cantica canticorum à principio vsq; ad finē per os puellæ edidit. Et iterans verbum ex verbo in Romana lingua, vsq; in finē interpretatus est. Et reiterās verbum ex verbo, in Teutonico totum expressit, cùm illa puella, dum adhuc sana esset, nihil nisi Psalterium didicisset. Nihilominùs Dei sacerdos imminebat, & dum insisteret & præciperet, vt exiret à creatura Dei, coactus respondit dæmō: Si hinc me compellis exire, permitte me intrare in monachum illum. (Ibi quippè monachus quidam stabat, & nominauit eum.) Tunc verò Nortbertus exclamat in populum: Audite, audite malitiam huius dæmonis, qui vt infamaret, seruum Dei vexandum expetijt, quasi peccatorem & dignum hoc supplicio. Sed non sit vobis isthuc offendiculo. Ea est enim nequitia eius, vt bonis omnib. velit derogare, & quantum potest infamēs eos reddere. Hoc dicto, iterùm cœpit acriùs insistere officio. Tunc dæmon: Quid agis, inquit? Neq; propter te, neq; propter alium hominem exibo. Quòd si videris me exclamare, iam tm̄ venient de nostris, id est, de nigris, ad bellum. Eia ad bellum, eia ad bellū: Eia iam faciam corruere arcus istos & fornices super vos. Ad hoc verbum populus diffugit: sacerdos verò imperterritus & intrepidus mansit. Tunc illa iniecit manus ad stolam eius, vt proximè collum eius adstringeret. Cumq; hi, qui aderant, vellent manus eius dimouere: Nolite, inquit: permittite illam, si accepit à Deo potestatem, faciat quod potest. Tunc verò eius audacia hoc verbo perculsa, tanquā reuerentiam exhibens, manus sponte relaxauit. Iam itaq; plurima diei parte cōsumpta, pater Nortbertus consilium cepit, vt in aquam exorcizatam eam imponeret. Et ita factum est. Et quia flauis erat capillis, verens sacerdos, ne occasione crinium diabolus in ea potestatem retineret, tonderi eam iussit. Qua permotus dæmon iniutia, cœpit in sacerdotem vlcisci, dicens: Peregrine de Francia, peregrine de Francia, quid tibi nocui? Quare non sinis me quiescere? Omne malorum genus & casus mali omnes in caput tuum incurrant, qui adeo me vexas. Iam vespertina hora erat, & videns pater Nortbertus non exîsse dæmonem, aliquantulum contristatus, iussit eam reddi patri, & in crastinum iterùm ad Missam adduci. Ipse verò cœpit se expoliare alba & albis & aliis indumentis. Cū ergo hoc vidisset impius dæmon, cœpit insultando plaudere manibus & dicere: Ha, ha, he: modo bene facis, nec hodie feci sti quicq̄ quod mihi sic placeret: en hodiè consumpsisti diem, & nihil profecisti. Ad hæc stomachando pater Nortbertus, contulit se ad hospitium, & obfirmauit in animo suo nō gustare cibum, donec illa sanaretur. Et ita transegit diem & noctem illam sine cibo. Iam crastina dies aduenerat, & Dei sacerdos parat se ad celebranda Missæ mysteria, rursusq; puella adducitur, & iterùm fit multiplex concursus populi, vt viderent agonem sacerdotis & dæmonis. Tunc vero mandauit duobus fratribus, qui secum erant, vt tenerent eam ibi iuxta, haud procùl ab altari. Inchoato igitur ministerio, ventum est ad Euangelium, & illa applicata ad altare, plurima euangelia super caput eius lecta sunt. Et dæmon iterùm cœpit suas repetere sannas, huiusmodi lyras frequenter se audiuisse. Cùm ergo ventum est ad locum, vbi sacerdos eleuat hostiam coram Domino, exclamauit dæmon: Videte, videte, quomodo Deiculum suum inter manus suas tenet. Fatentur dæmones: quod hæretici negant. Tunc vero Dei sacerdos inhorruit, & concepto spiritu virtutis, in ipsa oratione sua cœpit exagitare dæmonem & torquere. At ille coactus & tortus, per os puellæ exclamat: Volo exire, volo exire: dimitte me. At illi duo fratres fortiter tenuerunt eam. Sed spiritus immundus nullas patiens moras, fætidissimæ vrinæ fœda relinquens vestigia, aufugit vasq; possessum reliquit. Illa vero liberata à suo tortore, collapsa, languida delata est in domum paternam, & paulo post accepto cibo, ex integro incolumis & compos suî, perfectè sanata apparuit. Hoc itaq; publicè factum est, teste omni populo, qui Dei laudes in commune prædicabat, & patrem Nortbertum verè Apostolicum virum fatebatur.

De Niuellē. sibus dicit.

Procax dæmonis petulantia.

Malignitas dæmonis.

Nequissimi dæmonis putida insultatio.

Nota, Fatentur dæmones, & etiam nostri hæretici negant.

Expellitur improbissimus dæmō.

XXI. Post hæc peruenit Coloniam, vbi & libenter suscipitur, & libentiùs in sermone & confessione auditur, quod illum priùs & iuuenē nouissent, & iam mirabiliter mutatum viderent. Et quia populus ferè solet imitari, si quid noui conspiciat, multi ad verbum & exhortationem eius tam clerici quàm laici concurrentes, illum secuti sunt. Habebat ille iamtunc in animo ædificare Ecclesiam, in qua adunatos fratres reciperet. Atq; ob hanc causam petiuit ab Archiepiscopo Friderico & cæteris fidelibus sanctarum reliquiarum sibi munera donari, quibus non minimùm ab antiquo repleta & instructa erat fælix Colonia. Annuit Archiepiscopus, annuit ceu iustæ petitioni clerus & populus. At ille fratribus suis, quos secum habebat, & quos ibidem Deus ei contulerat, ieiunio indicto, hoc preciosum donum Deo commendabat, vt venerabile patrocinium is faceret inueniri. Nocte vero eadem virgo quædam ex numero vndecim millium virginum, & nomen ipsius virginis, & locus, vbi iaceret, per visionem cuidam designatus est, & in crastinum ex ordine visionis corpus ibidem quæsitum, integrum inuentum est Quo cum hymnis & laudib. Dei & gratia-

Vir Dei venit Coloniā

Felix Colonia ob multas sanctor. reliquias.

Inuenitur corp⁹ integrū sanctæ virginis.

gratiarum actione suscepto, de reliquiis etiam aliarum virginum aliorumq; quorundam martyrum, videlicet Gereonis, Maurorum, duorum Evvaldorum duo vascula instar feretri ei impleta sunt. Sequenti verò die, cùm à Præposito & Canonicis S. Gereonis similiter sibi dari reliquias supplicaret, concessum est ei, vt si quid, quod placeat ei in ecclesia eorum, vellet, id quæreret & acciperet. Gauisus est homo Dei, & hoc promissum, vt erat solitus, Deo per totam noctem orando commendabat attentiùs. Manè autem facto, in medio monasterio, vbi nullum alicuius sepulcri patebat vestigium, effodi præcepit: vbi corpus integrum absq; cerebro repertum est, honorificè & cum omni diligentia collocatum. Quod cùm canonici & plebs innumerabilis, quæ conuenerat, cerneret: Ecce, inquiunt, hic est dominus noster Gereon, & nostrum venerabile patrocinium, quod à nobis & à prædecessoribus nostris per multos annos quæsitum est, & peccatis nostris exigentibus inueniri non potuit. Et exclamantes voce magna, cum gaudio immensas Deo gratias agebant, hominem Deo dignum efferentes, per quem talis ac tantus thesaurus, diuq; desideratus mererétur inueniri. Et ne quis dubitet ipsum esse, sciat pro certo verum agnitionis eius fuisse indicium, quòd de morte & martyrio eius legitur, partem capitis, & non totum caput, esse abscissum. Hanc partem habebant, sed reliquum corpus vbi esset, prorsus ignorabant. Susceptum est itaq; corpus sanctum, vt dignè debuit, & eleuatum, parsque inde viro Dei data est: quod reliquum fuit, magnificè à Clero & populo repositum est. Assumptis non diù pòst reliquiis, collectoq; fratrum tam clericorum quàm laicorum collegio, quos Deo per verbum prædicationis genuerat, redeundi iter aggressus est, & vbique in ecclesiis, in congregationibus, cum processione magnificè susciebatur. Audiens autem transitum eius nobilis matrona, Ermensendis nomine, Namurcensis Comitissa, velociter occurrit ei, orans vt ad collocandos illic fratres, quandam ecclesiolam in villa Floreffiæ, vellet suscipere. Decreuerat etenim ipsa ex multo tempore pro remedio animæ suæ ac prædecessorum suorum in eadem ecclesia religionem propagare. Videns ille synceram mulieris deuotionem, suscepit, quod petebat: ibidemque altero reliquiarum vasculo derelicto, festinauit Præmonstratum, (erat enim instans natiuitatis dies) habens clericos & laicos circiter triginta nouitios.

Corpus integrum S. Gereonis vir Dei inuenit.

Ecclesia Floreffiæ ei datur.

XXII. CONGREGATIS igitur clericis fermè quadraginta, & quamplurimis laicis, assidua consolatione vesperè & manè fouebat eos, & multiplicibus sermonibus hortabatur, ne desisterent à felici proposito & spontanea paupertate, quam susceperant: & quod docebat, velut aquila prouocans ad volandum pullos suos, operibus demonstrabat. Cùm autem multi religiosi, tam Episcopi quàm Abbates, diuersa consilia darent, alius eremiticam, alius anachoreticam vitam, alius Cistercien sem ordinem assumendum suadentes: ille, cuius opus & consilium de supernis pendebat, qui suum principium non sibi, non hominibus, sed ei, qui est omnium rerum initium, commendabat, in corde suo cuncta conferens, vt sapiens velox ad audiendum, qui differt & reseruat in posterum, tandem ne professioni canonicæ, cui etiam ipse, & quotquot cum eo viuere volebant, intitulati fuerant ab infantia, inferre iniuriam videretur, regulam, quam beatus Augustinus suis instituit, afferri præcepit. Apostolica enim vita, quam in prædicatione susceperat, iam optabat viuere, quam quidem ab eodem beato viro post Apostolos audierat constitutam & renouatam fuisse. Quam cùm allatam diligenter inspexisset, in paucis compositam, in multis tamen dispositam, statim in die natalis Domini, quæ instabat, instar Dominicæ descriptionis, sub eadem & stabilitatis in loco, & professionis gratia, ad illam beatæ perennitatis ciuitatem singuli seipsos conscripserunt.

Prouerb. 29.

Amplectitur cũ suis regulam S. Augustini. An. 1120.

XXIII QVADAM die cùm reuerteretur Rhemis cum quibusdam sociis suis, & duobus nouitiis, quos de sæculo traxerat sermo diuinus ad eos factus, & incederent cum silentio per viam, de Deo suo meditantes, vox quædam de nube in auribus eorum in hunc modum insonuit: Hæc est fratris Norberti societas. Ad quam vox altera ex altero latere respondit: Ex his duobus nouitiis alter non est de societate eorum. Audiebat hoc homo Dei & alii, qui comitabantur eum, & rem taciti considerabant, nihil mali suspicantes: sed tamen quidnam portenderet, hæsitabant. At pater Norbertus, cui maior incumbebat solicitudo, sciens non superuacuum esse, quòd ex permissione diuina hæ voces audirentur, perquirebat à Deo omni orationum instantia, quid sibi vellent quæ audierant, mores eorum & actus cõsiderans de die in diem, de quibus fuerant prolata. Cumq; considerâsset alterum eorum minùs deuotum in confessione, leuem in verbis, inquietum corpore, inconstantem moribus, tepidum in oratione, negligentem in obedientia: (erat autem Anglus) Quid est, inquit, frater: quid est, quod gestas in corde? Expone quod latet. Si Deum quæris, non est vlla creatura coram eo inuisibilis: quia, vt ait Apostolus, omnia nuda & aperta sunt oculis eius. Veritatem quærimus, & prout fragilitati humanæ conceditur, in veritate ambulare nitimur, nec est vlla veritatis & falsitatis conuentio, nec aliqua fidelis cum infideli participatio. Cui ille caput agitando, & leuiter verba proferendo, dicebat: Putásne bone pater, quicquam velle me tibi furari? Pauper es, sed omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem, qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Hæc dixit, & dicta opere compleuit. Nam tunc quidam fortè ad conuersionem venerat, & cum paruula substantia sua aliquantulum argenti detulerat, quod retro altare pauperis oratorij, quod tunc solum habebant, proiectum iacebat. Nocte verò quadam ille horam sibi prouidens opportunam, argentum illud rapiens, aufugit. Sic igitur deceptor ille, plenus fraude & minister diaboli, pauperes eos in corde iudicans, pauperibus Christi nihil mali suspicantibus, pauperratem auxit intantùm, vt nulla eis remaneret substantia, vnde sumptus procurari possent, vel vnius diei.

Hebr 4.

Matth 13. & 25.

Voces audiunt cælitùs.

Plurimi eius complectuntur institutum.

XXIV IAMTVNC plurimi in disciplinam eius vita & proposito, relictis omnibus, se conferebant, & definito consilio quærebatur, vbi in eodem deserto certum ad commanendum & ædificandum locum idoneum præpararent. Erat enim locus ille asperrimus & planè incultus, arbustis & paludibus & cæteris incommodis occupatus, nec quicquam apparebat habile ad commorandum, præter sacellum & iuxta illud pomarium & stagnum quoddam paruulum, quod de aquis montium, pluuiarum tantùm tempore, & de succo paludum vsq; in præsens impleri constat. Ibi confederat homo Dei cum paruula sodalitate sua, spei ancoram in concussæ fidei adiungens, & cum patriarcha nostro Abraham spem contra spem ponens. Veruntamen ne pusillus grex desperaret, & vt amicorum suorum corda lætificaret, & æmulis derogandi occasionem subtraheret, num qua tali in loco posset esse commoditas, ipse circumiens considerare cœpit, & alios considerare præcepit, addens, vt ad omnipotentem Deum assidua fieret, & intenta orationũ supplicatio, vt is ostenderet locum, in quo diuinus cultus omni tempore posset peragi. Cumque multi assiduis precibus Domino isthuc commendarent, obnixè beneplacitum voluntatis eius ieiuniis & orationibus exquirentes, apparuit cuidam visio manifesta satis & euidens, locum, & quæ in loco & de loco erant ventura, aperta significatione denuncians. Nam ibidem, vbi præsens sita est ecclesia, Dominus noster Iesus Christus tanquam pendens in cruce visus est, super quem septem solis radii mirabilis claritatis fulgebant, & à quatuor partibus multitudo magna peregrinorum cum peris & baculis properabat, ijque flexis genibus adorato suo redemptore, & pedibus eius dato osculo, quasi per licentiam recedebant reuersuri. Quod cùm viro Dei reuelatum fuisset, gratias egit Deo, qui seruis suis se in veritate quærentibus, & in fide & iustitia obsequentibus, de præteritis dat fiduciam, & de futuris secreta reuelatione notitiam. Et post hæc exhilarata facie, assumpta fiducia, Eia, inquit, fratres, eia fratres dilectissimi: accingimini & estote viri fortes: vobis plurima bellorum genera præparantur, quæ ab hostibus tam visibilibus quàm inuisibilibus futura sunt. Sed noui tyrones, qui venerunt per visionem, visibiliter venturi sunt, & accepto præcepto & obedientia ab eo,

Rom 4.

Visio de Præmonstrato.

Prophetice futura suis prædicit vir Dei.

ab eo, qui patri fuit obediens, vobiſcum ſunt vſque ad conſummationem bellaturi. Verbum hoc verum fuit, quod ſubſecuta actio quotidiè declarat in his, qui relictis omnibus, vt peregrini veniunt, & profeſſione facta, quaſi oſculo dato, ad obtinendas præliorum acies, ad diuerſas nationes recedunt.

XXV. QVIA verò ædificium & templum ſpirituale benè diſpoſitum & compoſitum fuerat, ad materiale neceſſarium erat laborem adhibere, vt cuncta fierent cum benedictione. Itaq; Epiſcopo Bartholomæo aduocato, effoſſoq; fundamento & conſecrato, de conſecratis lapidibus fundari fecit eccleſiam, adſtante Thoma domino de Coſci, qui hominem Dei metuebat & reuerebatur propter Deum, ſciens eum virum iuſtum & omni honore dignum: adſtante etiam filio Ingelerammo adhuc puerulo, & multis nobilibus clericis & laicis, & populorum innumera multitudine admirante & quaſi ſpectaculum conſiderante, & intra ſe adinuicem dicente: Quis putas eſt homo iſte? cuius fidei? Putáſne ſtabile erit hoc opus, quod in tanta ſolitudine locatur, & cuius fundamentũ non in petra, non ſupra firmam petram iacitur, ſed in palude? Tanta namque ibi palus erat, vt vix impleri poſſet, licet multa lapidum congeries proijceretur. Sed non debuit titubare, nec potuit eradicari: quia plantatio, quam plantat cæleſtis pater, non eradicabitur. Porrò pars cæmentariorum Teutonici erant, (Cõduxerant enim eos Colonienſes quidam, amici hominis Dei) pars noſtrates amici Præmonſtratenſium: & contendebant in opere, alij in vno latere eccleſiæ, alij in altero accelerantes. Creuitque quàm celerrimè ædificium, & intra tempus nouem menſium perfectum & conſummatum eſt, & à ſupradicto Epiſcopo Bartholomæo conſecratum. Sed quia lætis triſtia, proſperis aduerſa miſceri ſolent, in eadem die conſecrationis quoddam infortunium accidit. Nam cùm innumera multitudo eorum, qui conuenerant ad feſtum de remotis partibus certatim ad oblationem & ad circuitum altaris currerent, motum eſt altare maius, & lapis diſſolutus, conſecratioq; caſſata, vt præcipit authoritas, & totus labor in nihilum redactus. Expauit homo & contriſtatus eſt, plus tamen puſillorum ſcandalum metuens, quàm de diuinis operibus, quæ ſine cauſa non fiunt, diffidens. Sed vir Dei quid fecit? Reſumptis in Domino conſolationis viribus, denuo Eccleſiæ dedicandæ in octauis B. Martini diem ſecretò cum Epiſcopo ſtatuit.

Lapides cõſecratos ponit in templi fundamento.

XXVI EXIVIT deinde homo Dei ad prædicandum, relictis, qui præeſſent cœpto operi, & aliis rebus omnibus, & omnia integra conſeruarent, tum etiam qui præeſſent tam clericorum quàm laicorum conuentui, binos & binos in ſingulis ponens officijs: quos ad vltimum vale, de pace & vnanimitate docebat, dicens nunquam poſſe exorbitare congregatam aliquam multitudinem, quam prælatorum concordia moderetur. Sed recedente paſtore, rabido ore lupus ouibus molitur inſidias, priùs tamen terrorem incutiebat: quia quibuſdam, velut eſſent inexpiabilis odij inimici, quos in ſæculo reliquerant, armata manu quaſi ad perimendum, etiam in luce diei cum ſuis ſatellitibus ſe præſentabat. Illi verò territi, venientibus in ſpecie armati exercitûs, & pompæ armorum, & fremitûs equorum, quibuſcunque poterant modis ſe opponebant: ita vt cùm fugerent, velociter raptis fuſtibus & ſaxis, obuolutis etiam brachiis quibuſdam tegumentis vel tunica, reſiſtere feſtinarent. Et adeò pugnabatur, vt planè crederent iacula mitti & mittere, feriri & ferire, vulnerari & vulnerare, interfici & interficere. Ad quos cùm multi fratres alij concurrerent, arguentes eos, cur ſic inſanirent: An non adſpicitis, aiunt, quòd ab inimicis noſtris opprimimur, & iam in fruſta ferè conciſi, ſummo cum dedecore morimur? Tunc fratres ſcientes eos infeſtatione dæmonum illudi, aquam benedictam ſpargunt, ſignum crucis edunt, & recedente malignorum ſpirituum turba, illi, quaſi hoſtibus deuictis & in fugam verſis, concito curſu inſequebantur, altis vocibus inclamantes: Eia eia, reuertimini & reſiſtite fortiter: alioquin turpiſſima morte moriemini, ſi deinceps ad nos redire, minasq; & mortem intentare auſi fueritis. At poſtquam in ſe reuerſi, quidam ex ipſis deluſos ſe eſſe cognoſcunt, fortiter in arrepto propoſito perſiſtunt: ijq; fortiter vicerunt: quidam verò ignonimiam eam ferre non valentes, & de perſeuerantia deſperantes, aculeo caudæ dæmonis percuſſi, receſſerunt.

Dæmon abſente viro Dei, fratres infeſtat quibuſdam pręſtigiis.

Videvim aquæ benedictæ & S. Crucis.

XXVII SED quia huic falſo & maligno ſpiritui non ſufficit, nec miratur, ſi abſorbeat mare, ſed etiam Iordanem totum abſorbere nititur: qui manifeſtè ad plenum ſeducere non potuit, iterùm occultatiores meditatus inſidias, redire non metuit. Conuenerat ſiquidem in eadem paupertate multitudo de diuerſis nationibus & diuerſo hominum genere, nobiles & ignobiles, diuites & pauperes, maioris minorisque ætatis, ſapientes & ſimplices idiotæ, ſicut vir Dei recipere conſueuerat, in hoc Saluatoris imitator effectus, dicentis: Omnem qui venit ad me, non eijciam foras. Inter quos fallax ille ſpiritus quoſdam conſiderans idiotas, & ſua illos quondam recognoſcens fuiſſe vaſcula, in quibus ſuæ quieti & voluptati indulgere conſueuiſſet, ita eos falſa ſuæ illuſionis ſapientia repleuit, vt qui priùs in libro vix legere nouerant, iam ex libris magna quædam dicerent, & de futuris prophetando, maiora & ſtupenda prædicerent. Danielis denique vnus ex eis prophetiam ſe ſcire aſſerebat, & de ea quædam duce mendacio, loquebatur: vbi de quatuor & ſeptem & decem cornibus & regibus propheta ſcribendo, inducit & de Antichriſto. In quibus iam ſimpliciores quoſdam attentos reddiderat, & ſi fieri poſſet, etiam ipſum Dei hominem, & venerabilem Abbatem Simonem ſancti Nicolai in errorem induxiſſet. Iam enim eouſque progreſſa erat eius arrogantia, vt ipſis aſſidentibus, etiam in Capitulo ſermonem facere non dubitaret. Et qui vidit & audiuit, præbet huius rei teſtimonium. Et hoc ſignum eius, quia de ſermone profert initium. Erat enim hic ſermo: Eſtote fortes in bello, & pugnate cum antiquo ſerpente. Hæc ſpiritus ille mendax per organum illud ſuum proferebat. ſed ad veritatem, quæ ſequitur, videlicet, Et accipietis regnum æternum, haud quaquàm procedere valebat. Porrò cùm ab auditoribus veritatis & dulcedinis falſus ille ſpiritus ſe ex parte deprehendi cerneret, vt eſt mille artifex, maiore arte ad alia fallendi genera ſe conuertit: vt quia manifeſtæ operationi intentos non poterat ſubuertere, ſaltem contemplatores quoſlibet auerteret à contemplatione. Nam ille idem clericus, laboris huius miniſter, ſubita quadam eaque grauiſſima infirmitate corripitur, & qui priùs de viſibilibus reſponſa dabat, iam in cœlum os ſuum ad inuiſibilia & ineffabilia promenda ponere non verebatur. Concurrunt fratres, ſicut conſuetũ eſt, ad inungendum eum: concurrunt ad ea, q̃ dicebat, audienda. De ſe quidem magna, ſed de plurimis circumſtantibus aſſerebat maiora. De ſe, quòd eadem veſpera aut futurus eſſet cum angelis in cœlo, aut ſtaret ſanus cum cæteris fratribus in choro. De aliis verò, ſingulorum conſiderans habilitatem, quaſi prophetando & augurando dicebat: Hunc, cùm nuper in Eccleſia ad ſuperiora raperer, vidi ad æternitatem vocatum: iſtum iam in ſede fælicitatis poſitum: lectum iſtius in fælicitate eadem præparatum. Iſte futurus eſt Pontifex, iſte conſtituendus rector multorum regularium & magiſter, iſte in bono propoſito perſeueraturus, iſte alius deficiens receſſurus. His dictis ita ſe comparauit, quaſi vltimum exhalaturus ſpiritum, vnius horæ ſpatio ſic in terra iacens, vt ſtatim moriturus facere ſolet: cùm audito veſperarum primo ſonitu ſurrexit, & veloci curſu cum aliis chorum intrauit. Quod cùm adſtantes cernerent, alij aliis ſuum errorem confitentes, ſe deluſos eſſe conteſtabantur. Sed nec ſic quidem deſtitit antiquus & maligniſſimus inſidiator, totiusque bonitatis & veritatis expers, & cunctorum ſcelerum ſubtiliſſimus architectus. Excitauit enim alium clericum, qui, ſicut ille de propheta Daniele ſpiritum hauſerat impoſtorem: ſic iſte de Ioannis Apoſtoli Apocalypſi nihilominùs iactabat ſe ſcire & rimari debere dona cæleſtium ſecretorũ. Quem cùm vnus ex prioribus in Capitulum adduxiſſet: Ecce, inquit, nunc demùm viſitauit nos oriens ex alto: quia hunc non diuturna ſcholarum exercitatio inſtruxit, nec labor annorum numero computatus edocuit: ſed angelica quædam reuelatio, quæ per totam noctem ſub tenebrarum ſilentio ad ipſum diligenter inſtruendum, & nos per ipſum, laborauit. Audientes hæc quidã de fratribus, quibus iam ex parte ſubtilitas fallacium ſpiritu-

Ioan. 6.

Simpliciori bus quibuſdam illudit dæmon.

Daniel. 7.

Multis inſidiis appetit ſatan Chriſti ſeruos.

Detegitur maligni impoſtura.

2 Cor 11. 1. Pet 5.

spirituum nota erat, omninò prohibuerunt, dicentes, posthàc nec hunc, nec alium quenquam se velle audire, donec pater Norbertus reuerteretur. Videns itaq; mendacissimus ille spiritus claritatem suam, qua se transfert in angelum lucis, esse repulsam: vt leo frendens, qui esurit & circumit quærens quem deuoret: quasi incitatus ad iram, nec vltrà latére valens, apertè sæuitiam suam & odij rabiem, quam aduersùs congregationem & aciem benè instructam gerebat, exercere cœpit. Primò quidem inter illos duos, quibus sic illuserat, & per quos alios illaqueare tentauerat, tantas inimicitiæ discordias seuit, vt si alter alterum alicubi potuisset apprehendere, interfecturus fuerit, & nisi seris & vinculis retenti essent, euadendi alter eorum non fuerit locum reperturus.

Apertè satã prodit rabiem suam.

Importunissimus dæmon iuuenẽ occupat

DENIQVE importunissimus ille insidiator iuuenem quendam, cuiusdam conuersi filium, arripuit, & nequiter eum torquere cœpit. Quid faceret grex sine pastore, cui sic lupus vndiq; insidiabatur? Ligatum ipsum dæmoniacum recludunt, donec capiatur consilium, quid facto opùs sit. In ipso autem silentio noctis, cùm Prior, qui tunc aliis præerat, ad eum intrare vellet, & adhuc foris staret, vtcunque longè à domo, ostiis omnibus clausis, nec vllo patente foramine, per quod posset videri, maximè quòd essent tenebræ, dæmon interiùs alta voce clamare cœpit: Modò intrabit ad me, modò intrabit ad me. Modò venit, modò venit magister ille cum clauata tunica sua, maledictus sit ille. Firmate ostium firmiter, firmate quam celerrimè, ne possit ad me peruenire. Non cessit tamen ille, sed processit, & pulsans ostium intrauit, stansque ante illum, dixit: Dic mihi, rogo, quid est, quod loqueris? Respondit: Interrogásne quid loquar, an quis ego sim, qui loquor? Neutrum tibi indicabo. Nunquid tu magister es, aut tutor istius, aliorúmve ductor? Recede, recede à me quam citissimè, ne à me cum iniuria ignominiosè recedas. At ille certus spiritum esse nequam, & ad decipiendum sæpissimè venisse, qui iam tandem ad perimendum intrauerat, ait: Adiuro te per Iesum Christum filium Dei, qui tuas in cruce vicit insidias, & potestatem, quam iniustè & fraudulenter vsurpaueras in hominem, iustè & potenter eripuit, vt quis sis, celare non præsumas. Ait: Itáne me coges? Respondit: Non ego, sed ille te coget, qui aliâs per crucem vicit te. Et exclamans dæmon ille nequam: Hei mihi, hei mihi, quid agam? Ego sum ille idem, qui fui in puella Niuigellæ coram Norberto magistro tuo, albo cane: maledicta sit hora, qua natus fuit. Sic certus ille de suo & aliorum adeò importuno persecutore, totum conuocat conuentum, & hæc omnia indicans, quid faciendum sit inquirit. Illi, consilio inito, timidi tamen, vtpotè nouitij, qui hæc experiri non consueuerant, virgis se cædunt, ieiunia & orationes inter se instituunt, aquam in vase ad hoc habili benedicunt, & cum processione eò eunt, vbi erat ille dæmon. Cœpit igitur fremere, & cum strepitu magno clamare: Veniant nostri ad hoc bellum, (plures enim sumus) & conteremus eos, vt à lapide grana tritici conteri solent, prorsusq; eos delebimus. Cui cùm Prior responderet: Sic facies, si à Deo tibi facta erit potestas: ille versus ad eum, extẽsis manibus, quasi scindere vellet vestes, quibus erat indutus, ait: Putas te istorum esse magistrum? Et extendens digitum ad crucem, quam ibi puer tenebat: Ille, inquit, est magister, non tu. Tua causa nihil faciam: sed ille est, à quo torqueor. Dæmones Iesum Christum crucifixum confitentur & timent: Iudæi legem habentes, & falsi Christiani non agnosunt, sed detestantur & rident. Solutus est ille, in quo spiritus erat nequam: sed cùm vix à multis circumstantibus teneri posset, iuuenis quidam clericus humilem de vera obedientia, cui totus deditus erat, sumens fiduciam, dixit: Præcipiatur mihi per obedientiam, & tenebo eum, non meis, sed obedientiæ manibus & vinculis. Cui cùm præceptum datum fuisset, & alij recessissent, ille solus eum tenuit, & vsque ad aquam benedictam adduxit. Ponitur itaque in aqua exorcizata, leguntur exorcismi, fiunt adiurationes, leguntur euangelia, aliis è fratribus flentibus, aliis in oratione, aliis in disciplinis, vt vocant, corporis aut aliis afflictionibus permanentibus, omnibus tamen mirantibus friuola responsa & ridiculos sermones eius. Quid plura? Tãdem post nimias & innumerabiles miserrimi corpusculi fatigationes, dæmon super linguam dæmoniaci in forma grani nigerrimæ lenticulæ se posuit, & aperto ore linguaque exerta, se ostendit, dicens: Ecce ego: sed propter vos omnes hodiè non egrediar. Cui cùm responderetur, Mendax es, & ab initio in veritate non steristi, nec tibi ab aliquo fidelium credendum est: non diù pòst cum fœdissimi fœtoris crepitu exiuit, fœda relinquens vestigia. Mox verò à suo tortore corpus vacuatum cecidit, & in lectulum quendam reclinatum, post diuturnam recreationem, ab ægritudine illa vix conualuit.

S. Norbertum dæmõ vocat albũ canem, eiq; maledicit ipse maledictus.

Nota sanctę obedientiæ vim.

Ioan. 8.

Nequissimꝰ dæmon expellitur.

FATIGATIS igitur mirabiliter fratribus, & artificiosa huius dæmonis calliditate inquietatis, idem dæmon totius quietis impatiens, cùm locum suæ impostu ræ apud simplices nullum inueniret, volatu facili, sicut leuis est agilitate naturali, Traiectum, vbi erat pater Norbertus, repentè adijt, & hominem quendam cuiusdam principis villicum arripuit. Erat autem in eodem oppido annuæ celebritatis dies, quando populus ad huiusmodi solennitates conuenire solet. Et iam multi illic conuenerant, & sacerdos Dei Norbertus in ecclesia, vbi frequentia populi maior erat, Missam celebrabat: vbi etiam erat homo ille arreptus à dæmone intra Secreta, qui cum magno tumultu & fremitu vix ligatus tenebatur. Finitis itaq; Missarum solenniis, oblatus est ei ille cum magno suffragio plebis circumstantis, & admirãtis rei euẽtum, & expectantis agonem militis Dei & dæmonis. Ille verò, vt erat adhuc sacris amictus vestibus, imò sancti Spiritûs virtute accinctus, ad debellandum hostem illum importunissimum procedit. Cumq; quidã circumstantes fratres dicerent ei, vt suæ imbecillitati parceret, & hunc euentum esse fortuitum, neq; omnes casus posse emendari, ille permotus ait: Nescitis, fratres, nescitis, quia inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarũ, quæ adhuc in eo perseuerat, nec resipiscendi vnquam habebit voluntatẽ? Iste siquidem eô se ingerit tam frequẽter & importunè, vt & me odiosum reddat, & verbũ Dei, ꝙ per me ministratur, in cordibus faciat audientium vilescere, & ab eis, qui illud susceperint, ex innata sibi arrogantia illud possit auferre. Itáne in auribus vestris veritatis non sonuit expositio, q̃ dicit: Venit diabolus, vt tollat semẽ verbi Dei de cordibus eorũ? Hæc dixit, & statuto dęmoniaco ante altare, exorcismum aggressus est, dæmonẽ compellens vt exiret. Et cùm sal exorcizatũ ori eius immisisset, ille magno impetu in faciem & oculos sacerdotis expuit, dicens: Iã tu consilium dedisti, vt in aquam mitterer, vt ibi durissimis cæsus flagellis, vsq; ad mortẽ ferè verberer. Fruſtrà niteris: me tua flagella non lædunt, minæ tuæ nõ terrent, mors nõ cruciat, nec me mortis vincula ligant. Consilium, vt præmissum est, datum erat, vt in aquã exorcizatã mitteretur, sed eodem furioso absente. Cùm ergò circũstarent Clerus & populus, alij pro curiositate, alij pro pietate, pessimus dæmon per os inuasi hominis multorum flagitiosam vitam & adulteria & fornicationes cœpit detegere, & quicquid confessione tectum non erat, malitioso ore propalare. Hæc audientes, cœperunt oẽs hac illacque diffugere, paucis cum patre Norberto remanentibus. Et cùm iam dies esset inclinata, facto vespere, fatigati qui aderant ieiunio & vigiliis noctis præcedentibus, coẽgerunt eum ad hospitium, vt requiem paulisper caperet, membraque debilia refectione aliqua refocillaret, & dormitione recrearet. Vbi cùm ad cœnã cum fratribus suis & quibusdam hospitib. resideret, nunciatum est ei, quòd ægер ille quietus sederet & solutus ante altare, de admissis in ipsum & maledictis veniam petens. Gratias itaq; egerũt Deo: reuerà enim nocte illa & die sequenti curatus videbatur. Habebatur verò inter ciues eiusdem oppidi quoddam exitiale odium. cumq; per totum diem pater Norbertus pro pace componenda laborâsset, & fauente Dei gratia, eos ad pacẽ reuocâsset, mox diabolus, qui è cordibus eorum expulsus erat, non libenter digrediens, in eundem miserum hominem, qui curatus videbatur, ingressus est. Qui statim cœpit iterùm stridere & furere. Reuertenti aũt ab ecclesia sacerdoti: Nescis, inquiunt, quia energumenus ille hesternus insanit? Nisi citiùs subueniatur ei, & citò curetur, furore confectus peribit. Respondit homo Dei: non iam à suo tortore liberari poterit: quia ꝓpter peccata sua isthuc patitur.

Sap. 2.

Matth. 13.

Nota nõ potest dæmon impropera re peccata in cõfessione detecta.

Nam

Nam officium procuratoris villæ gerit, & pro merito suo tortori traditus est. Sinite eum modo, vt postquam vexauerit eum hostis per aliquot dies, satisfactione suscepta, nequissimus ille facilius expellatur. Sapiens homo doctusq; palæstræ cum spiritibus immundis exercendæ, tribus diebus permisit eum torqueri & vexari, & postea diuina miseratione ab eo curatus est, ita vt mentis suæ compos & incolumis ad propria reuerteretur. Curatur dæmoniacus.

xxx. Eo tempore fama viri Dei propter res præclare gestas longe lateque peruagante compunctus est paupertatis spiritu Comes quidam Vuestphaliæ potentissimus, Godefridus nomine. Qui accessit ad eum, quod de eo multa audisset: sed cum auditis maiora, spiritu sancto perdocente, qui per eum operabatur, inuenisset, omne consilium & voluntatem suam ei aperuit, & qui se totum iam Deo deuouerat interius, sine mora de omnibus relinquendis & de paupertate voluntaria amplectenda perdocetur exterius. Erat enim diues, potens in armis, vtpote homo iuuenis, prædiis multis, seruis & ancillis abundans, quibus omnibus mox renuncians, se & sua omnia Deo per manus hominis Dei disponenda tradidit ea conditione, vt propriæ domûs, castri videlicet Capenbergensis, mutaret fastigia, Deoque consecranda curaret: vt vbi regnauerat vitiorum execratio, virtutum illic locum faceret diuinæ benedictionis consecratio. Quid faceret iuuenis, certamen grauissimum susceperus? Grauissimum certamen iure dixerim, erat enim illi vxor & frater ipso iunior, qui modis omnibus eius proposito se opponebant. Contradicebant etiam serui, ancillæ & omnes ministri eius. Contradicebat Comes Fridericus, pater vxoris eius, magna ex parte eleemosynam, q̃ fecisset, de dote filiæ suæ esse dicens. Itaque manus eius contra hos omnes, & manus horum omnium contra eum. Vicit tandem humilis importunitas: vxorque, consensit, & frater, leonino furore deposito, agninam induit mansuetudinem, itemque religionis habitum, quem ipsum Comitẽ velle nouerat, cum illo suscepit. Gauisus est pater Nortbertus, gauisus est & Comes, & redditis omnibus Cæsari q̃ Cæsaris erant, & q̃ Dei Deo retentis, tres de propriis allodiis ecclesias, ordinante patre Nortberto, constituxit. In quibus fratribus collocatis & religione constituta, cùm Dei cultus egregiè compleretur, non defuit tentatio, nec malignorũ spirituum persecutio. Nam Comes Fridericus, pater vxoris Comitis, ambitioni suæ indulgens, quod castrum Capenbergense dominatum Vuestphaliæ tenuisset, prætexens illud esse dotem filiæ suæ, comminatus est fratribus, nisi quantocyus ex eo abscederent, se omnes trucidaturum. Aliquoties etiam cum equitatu suo illuc vsque accedebat, patri Nortberto comminans, si eum cum asino ipsius posset comprehendere, ambos se suspensurum, vt re ipsa experiretur quis esset eorum maioris ponderis. Tam superbæ orationi, qui aderant, Episcopi & alii Principes contradicebant, & iram Dei illi comminabantur. Fratres ergo Capenbergenses in arcto positi, nec vllum habentes qui ipsos liberaret de manu potentis & iniqui, miserunt ad patrem suum, vt ipsos adiuuaret, simul hominis superbi verba ei nunciantes. Quo nuncio accepto, collectis viribus fidei & spei per eum & in eum, qui dixit: Confidite, ego vici mundum: ad ipsum se totum contulit, & publice pronũciauit se cum asino suo terram illius ingressurum, & copiam sui sẽ facturum. Quid multa? Quãuis iter longum esset, tamen asinum suum mutare noluit: sed transito Rheno cum asino suo, inermis & debilis terram illius Comitis intrauit. Nec longe post ille pacis inimicus languore correptus, interiit, & reddidit simul finem malitiæ & vitæ. Sic pacatis omnibus, fratribusque Deum timentibus electis, in tribus ecclesiis de eodem allodio cultum Dei omni tempore peragendum ordinauit, videlicet in Capenbergensi, * Flostatensi, Varlarensi: in quibus multorum fratrum & sororum vsque in hodiernum diem viget congregatio, & in cultu diuino floret honesta religio. Comes quidam cõuertitur, & fit monachus. Item frater eius. *Iohan. 16.* Nota sancti viri insignẽ constantiã & mortis contemptũ. * *Elaphstacensi.*

xxxi. Cvm autem in Franciam reuerteretur, & fama de conuersione supradicti principis, mirantibus multis, diuulgaretur, quod cum habitu in monasteria mutâsset castra, totumque Comitatum seruitio Dei mancipâsset: exemplo eius commotus & compunctus quidam nobilissimus princeps Franciæ, Comes Theobaldus, hominem Dei adiit, de salute sua & de remissione peccatorum suorum simili modo consilium quæsiturus. Considerans autem hominis Dei facundiam, & vultûs elegantiam, & maturitatem in verbis & responsis eius, pietatis affectu mens eius præ amore dulcedinis Dei & mansuetudinis sic perfusa est, vt statim seipsum totum cum omni possessione sua viri Dei permiserit voluntati. Erat enim & ipse homo prudens & bene doctus, & sanam doctrinam sapientiamque verborum Dei sapienter in corde suo & laudabiliter colligebat. Sed vir Dei videns generosi principis pectus nobile, nobilemque & deuotam, quam de seipso benè diuidens offerebat oblationem, & holocaustum, quod de cunctis rebus & diuitiis faciebat, paucis diebus ad respondendum acceptis induciis, Domino Deo consilium hoc attentius commendabat. Didicerat enim principem illum amplissimas habere possessiones, & castra quam plurima, nec cuncta facile posse mancipari alicui religioni, tum propter regni munitionem, tum propter aliorum multorum nobilium, qui eius principis beneficiarii erant, destructionem. Audierat etiam esse eum largissimum in præstandis eleemosynis, in ecclesiis, monasterijs & cæteris religiosorum officinis ædificandis, addendisque cæterarum rerum necessariarum magnis subsidiis. Audierat eum patrem esse orphanorum, tutorem viduarum, nutritorem pauperum solamen leprosorum. Itaque vir per omnia discretus, alterius instituti viam minime illi complectendam sentiebat. Expectabat autem ille responsum de contemptu mundi & deserendis omnib. Sed homo Dei, accepto post datas inducias diuinitus consilio: Non erit, inquit, ita. Iugum enim Domini, vt cœpisti, cum iugo matrimonij portabis, & semen tuum cum benedictione patrum tuorum præcedentium terram largissimam obtinebit: quia nobis fas non est in te destruere, quod de te diuina dispositio ante omnia sæcula hisce nouissimis temporibus voluit ordinare. Ad q̃ sic respondit princeps: Si sic necesse confirmas, reuerende pater, ex Dei voluntate, Domini est terra & plenitudo eius, nec ex ea quisquam aliquid, nisi per illum obtinebit. Quia igitur ex illo hæc præcipis, non habeo contradicere: sed certum tibi sit, nullam me ducturum aliam, nisi quam Dominus Deus per te mihi voluerit copulare. Pensetˢ hic lector, quanta fuerit in viro Dei virtus discretionis, qui ex duobus principibus alterum cuncta voluit relinquere; alteri verò præcepit tanquam nihil habentem cuncta possidere. Considerauit quippe in altero, quod aliena etiam ab egenis raperet: considerauit in altero, quod propria egentibus largiri non cessaret. Theobaldus Comes Blesensis. Præclara laus Theobaldi Comitis.

xxxii. Constitvera t homo Dei iter Romanum ingredi pro statuendo ordine fratrum suorum, & pro confirmandis rebus eorum, sibi à Deo collatis. Assumptis itaque legatis Comitis, Ratisponam vsque eos adduxit. Erat enim Episcopus eius ciuitatis nobilissimi stemmatis, & habebat fratrem Engelbertum, potentissimum Marchionem, cui erant nubilis ætatis filiæ, è quibus vna expedita, Comiti Theobaldo desponsa est. Reuersi sunt legati eius isthuc nunciantes, & pater Nortbertus cœptum iter prosequens, Romã peruenit: vbi à beatæ memoriæ Papa Honorio honorificè susceptus est, & quicquid iustè petiit, ab eo facilè impetrauit. Peractis itaque omnibus, cum iam de reditu cogitaret, quadam nocte summo diluculo, cum de Deo meditaretur ipse & quidam sociorum eius, quos itineris solamen habebat, audita est vox ab illis manifestè, Parthenopolis ipsum fore episcopum. His auditis, admirantes stupebant, nec audebat quisquam eorum alius alii indicare, quid audisset. Præmiserat interim vnum ex clericis suis, qui nunciaret Comiti reditum suum, & acciperet responsum de matrimonio, quod per legatos suos audiuisset expeditum. Ipse verò rediens, transitum habuit per ciuitatem Vuirtzenburg seu Herbipolim, quæ tunc episcopo carebat, coegerũtq; eum Clerus & populus Pascha apud ipsos celebrare. Eo igitur retento, cum in die sancto summam Missam in ecclesia celebraret cum magna frequentia populi, ventumque fuisset ad sacrosancti Dominici corporis & sanguinis perceptionem, accessit ad eum cæca mulier, quæ omnibus nota erat, & eo post Dominici corporis & sanguinis communionem Romæ vir sanctus à Pontifice honorificè accipitur. An. 1125.

Cæcæ restituit lumen.

nionem sufflante in oculos eius, lumen recepit. Vnde cum omnis illic assistens populus magnificentiam Dei altis vocibus extolleret, quidam diutes è præcipuis ciuitatis compuncti & amore Dei accensi, se & sua per manus hominis Dei Deo obtulerunt. De quorum facultatibus ecclesia ædificata illic est, quæ diuinis cultibus claret vsque in hodiernum diem. Recordati verò vocis, quam Romæ audierant ipse homo Dei & fratres eius, cum Parthenopolis & Hernipolis, æquè in polis desinant, timentes ne in Episcopum assumeretur ab iis, qui supra modum magnificabant eum, celeriter è ciuitate egressi sunt.

Abbatia S. Martini Laudunēsis multum proficit.

ACCEPTA igitur potestate à Romano Pontifice de institutione proposita & statuto ordine, cùm ad Præmonstratum reuersus esset, statim confirmauit, quod prius fecerat, videlicet ecclesiam B. Martini, quæ est Lauduni sita in suburbio, quam sub Abbate, cùm adhuc in nimia paupertate esset, instituerat: quæ quantum in temporali & spirituali ædificio creuerit, & plantata in qua terra radices fixerit, arbores ex ea in diuersas terrarum nationes translatæ dicant, fructus ex ea suauissimè redolens prædicet, & qui viderunt & cooperatores extiterunt, vsque in æternum succedentes succedentibus præbeant testimonium. Ordinari fecit etiam in Viuariensi ecclesia Abbatem, quam in Suessionensi pago susceperat, vbi & dæmon, qui eum persequebatur, ad introitum fratrum, in hominem quendam statim ingressus est, quem pater Norbertus, Deo cooperante, hoc modo liberauit. Ille siquidem, vt erat solitus, heri & nudiustertius, exierat agriculturam suam agere, & dum geminato laboris æstu sitiret, ad proximum fontem accessit. vbi cum bibiturus se inclinaret, vidit immanem vmbram & terribilem in aqua. Qua visione perterritus, dum temperat sibi à potu aquæ, erectus videt quasi ingentem hominem cum terrore quærentem, cuius esset. Atque eo dicto disparuit, & miser arreptus à dæmone, furere cœpit. Hora erat pomeridiana, & ille apud villam ad vesperam inuentus, ligatus adductus est. Quem cum pater Norbertus diligenter intuitus esset: Videtis, inquit, quomodo malignus spiritus, qui bonis omnibus inuidet, nos etiam hoc in loco odiosos reddere nititur? Vult enim rumorem spargere, ad

Inuidentia maligni dæmonis

ingressum nostrum hanc infamiæ notam existere, & eius hoc esse signum, quod ista mala præcedant: sed per gratiam Deo non præualebit. Tunc cœpit hominem exorcizare & signare, donec quiesceret, & sana verba proferret. Quod videntes qui adstabant, gauisi sunt valde, gratias agentes Deo, & dicentes: Eia benedictus Deus per omnia: modo quiescere paululum potest hic pater noster, qui fatigatus longo itinere, huc accessit. Sed ille, qui discretionem spirituum habebat, propius accedens, cùm de naribus illius obsessi fœtorem putidissimum exire sensisset, ait: Non est ita, vt vos putatis: nondum spiritus iste nequam recessit, sed latitat in calamo isto, & verba composita loquitur diuinæ virtutis timore, vt non expellatur, sed nobis recedentibus acriùs hunc miserum valeat cruciare. Attamen sine causa non est traditus iste aduersariæ potestati. Permittamus eum hac nocte pœnas debitas soluere, orantes pro eo, & forsitan cras facilius miserebitur eius Deus. Et sic factum est. Sed rei veritas & subsecuta veritatis indicia, vera cōprobauerunt esse verba sacerdotis. Nam vt recesserunt ab eo, cœpit arreptitius ille multo nequius stridere & furere, quam prius fecisset. In crastinum autem homo Dei reuersus est ad eum, & in conspectu innumeræ plebis, quasi ad

Dæmoniacus sanatur

spectaculum adstantis, sanus per Dei gratiam redditus est æger, & ad domum propriam cum omni sensûs integritate reuersus.

NON est autem præter eundum, quare vocatus fuerit ad suscipiendam Antuerpiensem ecclesiam. Est Antuerpia oppidum amplissimum & populosum, in quo vnus erat tantum sacerdos, qui curam totius populi ibidem cōmorantis gerebat. Sed præ nimia multitudine & frequenti negligentia non poterat: nec credebatur ei, quod & ipse quasi in coniugio & copula carnali, neptem suam in tertio gradu manifeste sociam sui sceleris haberet. Hanc ob causam populus ille, quasi grex absque pastore, per multos errorum anfractus deuiabat. Vnde contigit, vt hæreticus quidam miræ subtilitatis & seductor, Tanchelinus nomine, illuc aduenies, in eadem gente locum suæ impostura inueniret. Erat is omnium hominum sceleratissimus. Deique & omnium sacramentorum eius, totiusque religionis & Christianæ fidei hostis, ita vt ministerium Episcoporum & sacerdotum nihil esse diceret, & sacrosancti corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi perceptionem, ad salutem perpetuam prodesse negaret. Itaque illum populum, cui iam per multa tempora veritas horum nunciata non fuerat, in hos errores induxit. Credebant ei, & sequebantur eum circiter tria millia armatorum, nec erat Dux aut Episcopus vel princeps, qui auderet ei resistere vel occurrere, nec ante eum, nisi sectam eius amplecteretur, apparere. Cum precioso apparatu, in vestibus deauratis, triplici funiculo crinibus intortis, & auro intexto ligamine triplicatis incedebat, verbisque persuasibilibus, magnisque conuiuiorum apparatibus beneuolentiam eorum ad seducendos eos exhauriebat. Res mira & stupenda: lotiones eius bibebant, & reliquiarum loco adsportantes recondebant. Et cum filias in matrum præsentia, sponsasque maritis vi-

Tanchelinus hæreticus dementat Antuerpienses.

Vide nefariam & planè Cynicā hęretici turpitudinem.

dentibus corrumperet, opus spirituale id esse asserebat, in tantum, vt infelicem se diceret, qui huic coniunctioni nefariæ misceri non meruisset. Hæc turpissima & detestanda hominis impostura etiā post mortem eius extirpari nullatenus potuit, licet duodecim clericorum congregatio ab Episcopo in subsidium sacerdotis, qui solus erat in ecclesia sancti Michaëlis instituta esset. Tum verò clerici & charitate & euidenti necessitate cogente, patri Norberto & fratribus eius per manum Episcopi hanc ecclesiam cum quibusdam redditibus dederunt, confitentes, quod Deus meritis illius & fratrum, mortiferæ pestis auferret sæuitiam, & tenebris ignorantiæ depulsis, lumen veritatis repararet. Suscepta est ecclesia, & clerici in eodem oppido aliam sibi ædificauerunt: quæ vtræque manent vsque in hodiernum diem, Dei seruitio mancipatæ, At pater Norbertus, peritos fratres ibi collocauit, qui mortifero vulneri vitale medicamentum apponerent. Itaque cœperunt & ipsi seminare verbum Dei, & eloquia dulcia faucibus eorum super mel & fauum propinare, infirmis pulmentum dulcedinis ministrantes, & debilibus panem, qui cor hominis confirmat, & vitam præstat æternam, annunciantes. Aiebant enim: Fratres ne miremini, & ne timeatis: vos per ignorantiam secuti estis mendacium, veritatem esse existimantes. Quam si quis prius vos edocuisset, vt faciles inuenti estis ad perditionem, sic faciliores fuissetis ad salutem consequendam. Audientes ergo quidam verbum, & videntes opera, quæ sequebantur, compuncti reuertentes viri & mulieres, corpus Dominicum, quod in cistis vel in foraminibus per decem aut quindecim & eo amplius annos abdiderant, reportabant.

Ecclesia B. Mariæ extruitur Antuerpiæ.

CVM quadam nocte Præmonstrati cum quibusdam fratribus infirmis & minutis plus solito resedisset, de spe cælesti & beatitudinis gloria conferens, & conferentes audiens, cum in secretæ noctis silentio quidam ex eis sitirent missum est ad fontem, vt afferretur aqua. Reuertentibus igitur, qui missi fuerant: statim vt ostium cellulæ ingressi sūt:, Quare, inquit vir Dei, aquam immundam huc attulistis? At illi timentes, stupebant, & vas benè lotum & aquam purissimam se attulisse protestabantur. Cumque de vrna in scyphum effunderetur, semel atque iterum iussit aquam infusam effundi, omnino prohibens, ne quis ex ea vel pauxillum gustaret, & cum tertio vsque ad fundum vrnæ ventū esset, accensoque lumine clarius intuerentur, viderunt bufonem miræ magnitudinis in scypho reptantem, & obstupuerunt. Obstupescere iure poterant, & supra modum mirari, tum quia hyems erat, quando huiusmodi vermes apparere non solent: tum quia fons erat purissimus, & vas mundissimum fuisse recordabantur. Videns eos attonitos pater Norbertus: Quid, inquit, fratres miramini? Mille artifex est ille spiritus neq̄, qui nos hostiliter persequitur: sed proiicite eū, quia maior eius est versutia & arrogantia, quàm fortitudo. Quid, quæso, de hoc viro sentiendum est? Nunquid ille spiritibus immundis tam subtili ratione obuiare potuisset, nisi sancti spiritûs infusio & gratia abundans eum docuisset?

Vir sanctus diuinitus cognoscit dæmonē in bufonis specie latere in vase.

XXXVI. ALIO tempore, cum ad ligna cædenda fratres quidam in sylua fuissent, inuenerunt lupum capreolum deuorantem. Exclamantes autem fugauerunt eum, & accepta præda, quam lupi rapacitas ceperat, detulerunt secum domum, & in angulo quodam nihil mali suspicantes suspenderunt. At lupus, quasi de iniuria sibi illata conquerens, sequebatur eos, & ad ostium domus, quam illi fuerant ingressi, vt canis quidam domesticus, residens, quod sibi ablatum fuerat, repetere videbatur. Nescientes autem qui aduentabant, quod factum fuerat, exclamabant contra eum, vt fieri solet, vt eum in fugam compellerent. At ille vultu domestico respiciens ad eos, immobilis permanebat. Quod cum viro Dei nunciatum fuisset, conuocatis fratribus cunctis, percontabatur quidnam esset, dicens non sine causa tam rabidum animal eiusmodi frontem sumpsisse. Timentes verò fratres illi, qui causæ conscij erant, processerunt in publicum, & veniam petentes, narrauerunt ea, quæ gesta fuerant. Quod vir Dei audiens, ait: Reddite ei quod suum est, iniuste enim egistis, tollentes quod vestrum non erat. Accepta denique lupus præda sua, neminem lædens, placide recessit. Videre mirã.

XXXVII. CVIDAM etiam puero pastori ouium quærenti, cum canes non haberet, si lupus ei ouem auferret, quid faceret, ioco responsum est, vt nomine magistri sui præciperet, ne auderet eam deuorare vel lædere. Non diù post more solito seruante eo oues in agro, lupus veniens vnam ex eis rapuit, & concito cursu aufugit. Quem frater procul adspiciens, præcepti non immemor, alta voce clamare cœpit Quo fugis, ô malignissime raptor, solito velociter? Depone ouem, depone, inquam: ex parte magistri mei hoc tibi præcipio, & non lædas eam, nec longius adsportare ausus sis. Mox lupus ouem illæsam deposuit, & ille festinus in humeros sublatam, ad alias eam reportauit. Cum die alio missus fuisset frater quidam in agrum ad animalia custodienda, lupus ei per totum diem eo præsente, adstitit, & quasi custodiæ ferens solatium, nullam præ se ferebat feritatem. Cumque appropinquante vespera, hora esset vt grex introduceretur, sicut ex altera parte frater: ita ex altera parte lupus gregem intrare compellebat. Introducto verò grege, cùm frater ianuam clausisset, lupo excluso, ille quasi de illata iniuria conquerens, & mercedem sibi debitam reddi postulans, pede prout poterat, pulsabat ianuam. Pulsabat crebris ictibus, se velle intrare indicans, & alicuius alimenti portionem accipere. Quod cum vir Dei audisset: Quare, inquit, pulsanti hospiti non aperitis? Cui cum responderetur, non hospitem, sed lupum esse qui se importune ingereret, nec propter ipsos omnes vellet recedere, aduocatis fratribus percontabatur, qua occasione illuc venisset. Sed cum tacerent omnes, accersito clerico illo, scisitabatur, quis inuisset ipsum in custodia gregis. At ille indicare, quod ei contigerat, timens, nec tamen interrogata celare ausus, ait: Illa fera pulsat ad ostium, quæ hodie mecum fuit, & gregem mihi commissum, haud aliter acsi commissus sibi fuisset, mecum, donec intra ianuam introduceretur, conseruauit. Audiens hæc vir Dei: Date ei, inquit, aliquod pabulum: mercedem enim de impenso seruitio requirit: quia dignus est operarius mercede sua. Cumque ad præceptum viri Dei carnes ei proiectæ fuissent, quasi pro mercede rapuit eas, & recessit. Qui etiam non diù post de manu cuiusdam pueri vitulos seruantis, panem accepit. Quid est hoc, fratres? Ecce rabidę feræ, rationis expertes, mansuescunt, & hominibus obediunt: homo rationalis claudit aurem, & non obedit, quasi qui finxit eum, non consideret. Non audit miser homo, quia cum placuerint viæ eius Deo, omnes inimici eius pacifici erunt. Res admiratione digna. *Luc* 10. Lupus mã. suescit. *Prouer.* 18.

XXXVIII. ARTE multimoda hostis ille persequebatur aciem, ad ipsum debellandum ordinatam, in tantum vt vix quisquam ex ipsis, postquam noctis tenebræ aduentarent, alicubi exire auderet. Sed cum vnus, cui multum insidiabatur, se modicæ fidei esse diceret & seipsum reprehendens, assumpsisset fiduciam, & solus pro singulari quadam necessitate exiisset, adstitit dæmon coram eo, terribilis valde hominis effigie assumpta, & adspectu nigerrimo incedens, & quasi ipsum esset in aërem delaturus, minas intentans. Ille autem fidei collectis viribus, & vigore animi resumpto, intra se dicebat. Quandiu hæc importunissimi inimici figmenta & phantasias patiar? Et surgens apprehendere eum voluit: sed dæmon in fugam versus est. Ille verò fugientem velociter insequitur, & veniens ad arborem, quæ prope stabat, luctari cœpit cum ea, dæmonem cupiens tenere & ligare. Sed paruo interuallo facto, respiciens recognouit eam esse arborem, quam ibidem esse nouerat. Et hac animi virtute venenosi serpentis illusione deuicta, nullum postea eius timorem passus est. Sed ad alium simili modo aggredi præsumpsit, eundem timorem ei incutiens, visibiliter illi adstans, cum resideret ille ad opus naturæ necessarium. Nec mouebatur vterque de loco ab initio nocturnarum precum vsque ad finem. Sed vicit tãdem probitas opportuna fratris improbam importunitatem dæmonis. Nam surgens, signo Crucis expresso, per ostium, quod à dæmone occupatum videbatur, exiliit, & neminem obsistentem inueniens, quod talis illusio nec ipsi nec alicui nocere posset, perspicuè cognouit. Et liber iam ab hoc vano timore permansit, libertate sancti spiritus donatus, qua postea minime fuit destitutus. Valde infestus est satã fratribus Præmonstratensis instituti. Contemnenda sunt dæmonum terriculamenta.

XXXIX. CVM vir Dei Nortbertus noctem quandam totam insomnem orando transegisset, stans ante altare oratorij, quod in primordio conuersionis suæ in Præmonstratensi loco susceperat, adstitit retro eum satan instar horribilis vrsi, dentibus & vngulis terribilem præ se speciem ferens. Cumque verteret se homo Dei, & vellet procedere, vt membra debilia modico somno recrearet, ex improuiso videns adstantem belluam, expauit. Sed illico ad se reuersus, & ostium oratorij clausum considerans, nec alicuius intrantis sonitum se prius audisse recordans, persecutoris sui cognouit esse insidias. Et parumper orando, viribus resumptis, ait. Quid expectas cruenta bestia? Vngulæ tuæ inanes sunt, & horribiles dentes tui ventus, & hirsuta pellis tua fumus & vapor inaniter transiens, & velut vmbra, quæ sole recedente disparet. Tu signaculum similitudinis Dei lux cùm esses, in tenebras superbiendo corruisti. Recede nunc, præcipio tibi: quia nulla conuentio Christi ad Belial, nulla societas luci ad tenebras, nulla pars fideli cum infideli. Recede ocius: scis nulli nocere te posse, nisi permittat Deus: nec nisi illis, qui peccando tuæ subditi sint potestati. Et his dictis mendax ille, verba veritatis ferre non sustinens, disparuit. Vrsi specie satã frustra terrere nititur virtus Dei. *Ezech* 28. *2. Cor.* 6.

XL. IAM tunc tempus aduenerat, quo ad certum diem per internuncios loco etiam præfixo, Comes Theobaldus sponsæ suæ & patri eius occurrere debebat. Et inuitato patre Nortberto, qui coniunctionis huius suasor fuerat, secum illum vsque ad eundem locum perduxit. Quo cum peruentum fuisset, non inuenerunt eam, substiterat enim in via, graui morbo detenta. Qua de re cum omnes, qui cum eo aderant, mirarentur, alicuius pœnitudinis & fraudis causã suspicantes, consilio inito magnis precibus rogatus est pater Nortbertus, vt procederet in occursum eius, & renunciaret, vtrumne vera aliqua esset huius dilationis occasio. Acquieuit homo precibus deprecantium, suum etiam dedecus fore putans, si non ad finem vsque perduceret curam, quam eius matrimonij conficiendi causa susceperisset. Et accepta certa pecuniæ summa, misit eam fratribus suis Præmonstratensibus, qui eo absente quingentos pauperes pascendos susceperant, tẽpus n. famis erat, & alimẽta sibi & pauperibus emebãt. Et quia hoc nomine eis succẽ suerat; præcepit in nomine suo centũ viginti pauperes addi, ita vt centũ exeis plenã haberẽt è cibo cõmuni refectionẽ; tredecim vero in hospitali domo pane & carne ac vino recrearẽtur: septẽ a. cum canonicis essent in refectorio. Culpam n. qua Deum & fratres se offendisse credebat, ꝙ displicuisset ipsi humanitas & opus misericordiæ, quod in fide Iesu Christi in pauperes declarandũ susceperãt, sic remitti & expiari putabat. Nõ n. arbitrabatur ad eos vltra se reuersurũ, nec volebat alicuius offẽsionis, notã apud eos relinquere, quos esse sciebat in Dei, & sua omniũ fidelũ cõgregatos dilectione, etiã in hoc magistri sequens exemplum, qui cũ dilexisset suos, in finẽ dilexit eos. Deinde perrexit ire, quo mittebatur. Et veniens Spiram, Saxones & clericos Parthenopolis ciuitatis ex magna parte ad eligendum Archiepiscopum Liberalitas Præmonstratensium in pauperes. *Iohan.* 13.

coram rege Lothario congregatos inuenit. Qui audientes eum aduenisse hominem, quem per diuersas terrarum nationes virum sanctum populus affirmaret, vocarunt eum, tum ad sermonem faciendum, in quo libenter audiri solebat, tum ad audiendum consilium super negociis quibusdam, quod quorundam ex iis, qui conuenerant, necessitas exposceret. Et primò quidē Parthenopolitanorū, causa, qui patre orbati erant, agebatur. Aderat [a] ibidēquidam Cardinalis, qui à Romana sede recens aduenerat, & aliorū principū innumera multitudo: & in electione, eorum consilio, tres nominati sunt, quorum vnus erat pater Norrbertus, sed eo ignorante. Factum est autem, cum illi hæsitarent, & è tribus optimum sibi cuperent, digito latenter ex aduerso latere innuit eis Primicerius Metensis Albero, qui postea Treuirensis ecclesiæ Archiepiscopus fuit, vt virum Dei Norrbertum assumerent. Qui statim porrectis manibus eum arripiunt, vocibus iteratis exclamantes: Hunc in patrem nostrum eligimus, hunc pastorem nostrum approbamus. Non potuit se homo debilis defendere, non licuit ei cogitare, nec cogitando quicquam de seipso [b] cōstituere, sed simulatq; raptus est, à rege commendatus est, & ab [b] omnibus astantibus approbatus, ab ipso etiam Romanæ Ecclesiæ legato confirmatus. Deducitur ergo homo Dei graue onus secū portans, deducitur ad locum, quem non nouerat. Ita ille, qui gentem neglexerat paganorum incredulam, ad quam in primordio conuersionis suæ ire constituerat, vt miseros ab errore infidelitatis reuocaret: nunc authoritatem & officium secum ferens, vnde dispositionem diuinam putauit effugere, inde cogitur obedientiam manifeste subire.

[a] Gerardus Cardinalis, postea Lucius Papa, ab Honorio Legatus in Germaniā missus, ann. 1127 Vide Baron

[b] Creatur vir Dei Magdeburgi Episcopus

XLI. Fvit itaque ad introitum eius populi concursus innumerabilis, & congratulabantur omnes maioris ætatis & minoris: Maiores, quod celebrem & magni nominis personam elegissent: minores, quod eum, qui infirmitatibus eorum compateretur, recipere meruissent. Procul autem adspiciens ciuitatem illam, ad quam ducebatur, nudatis pedibus incedebat. Inde cum processione deducitur in palatium, sed vt pauper, paupere amictus pallio, aliis introeuntibus, repellitur non agnitus ab ostiario. Dicebat quippe ostiarius illi: Alij pauperes iamdiù intromissi sunt: non decet, vt te ingeras importunè, comprimens horum principum multitudinem. Exclamabant autem, qui sequebantur, hæc videntes: Miser, quid agis? Sine miser: quid est, quod fecisti? Nunquid nō nôsti, quia iste est episcopus noster, & dominus tuus? At ille confestim aufugiens latitabat, patre Norrberto eum reuocante, & subridendo dicente: Ne timeas & ne fugias, mi frater. Melius enim me nôsti & perspicaciori oculo intueris, quam illi, qui ad hæc altæ palatia me compellunt, ad quæ non debueram, qui tam pauper & modicus appareo, sublimari.

Vide sancti viri humilitatē in tanto honore.

XLII. Consecratvs igitur & episcopus factus, & in episcopali cathedra sublimatus, non immemor illius Apostolici præcepti, Episcopum suæ domui esse benè præpositum conuocatis præfectis domûs & cunctis ministris, perquirebat qui essent redditus episcopalis mensæ, & vbi & quinam illi, qui singulis præesse deberent. Et cum annumerata cuncta fuissent & scriptis commendata, & qui ex ipsis sumptus debebantur, vix sunt ex omnibus inuenta, quæ quatuor mensibus anni possent sufficere. Admiratus supra modum Dei sacerdos, interrogabat diligenter, vtrum ne ampliori prædiorum possessione antiquitus instructa esset ecclesia, an ab aliquibus qui illi ante ipsum præfuissēt, quę iuris eius erant, minus caute cōseruando essent dispersa. Cognita autē veritate, quod nobilis fuisset ecclesia, & à regia maiestate fundata & sublimata, liberaliterque dotata & aucta, Vbi sunt ergo hæc inquit, aut qua ratione ab ea & à vobis sunt abalienata? Aiunt illi: Quidam ex decessoribus tuis nimium suæ carnis affectibus indulgentes, fratribus & propinquis & parentibus suis alia prædia largiti sunt, alia permiserunt. Alij verò iis succedentes, quædam feudi & beneficij loco dederunt. Alij remissius se habentes, & à potentibus oppressi, defendere non valentes, quæ iuris erant ecclesiæ, quædam perdiderunt, & sic imminutæ sunt, & penitus ad nihilum redactæ cunctæ res, qui huic dignitati seruire solebant. Audiens hæc vir Dei, memor illius, quod maledictus, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius: collectis viribus in eo & per eum, à quo se vocatum ad hoc officium administrandum non diffidebat, imperterritus iubare potestatis assumpto, legationem vndique mittit, præcipiens vt quicunque possessiones ecclesiæ, cui Deo authore præsideret, iniuste obtinerent, nullo pacto deinceps eas sibi vendicare ausi essent, nisi prius ostendissent, eas ad se iure hæreditario esse deuolutas. Audientes hæc raptores & sacrilegi illi, multum indignabantur, quod homo inermis & pauper, qui asino vehente introductus esset, tam potēs tamque festinum auderet edictum proponere, quod tamen pro nihilo putabant nihil ex iis, quæ violenter possederant, se perdituros existimantes. At ille gladio spirituali, quo accinctus erat, eos persequitur, in sua quiete permanens aggreditur, percutit, deiicit, deiectos anathematis vinculo ligat. At illi eam persecutionem Episcopo facilem, sibi diuturnam & grauem esse non ignorantes, quandoquidem præcipit authoritas, qui anathema vnius anni patiuntur, eos post annum ex leges, nec in aulis aliquod habere responsum: dimiserunt magna ex parte ea, quæ de beneficiis ecclesiæ sibi præter ius fasque vsurpârant. Sed faciebant id sanè inuiti, & ob hoc inimicitiarum & odij fomitem aduersus Episcopum, vtcunque & vbicunque poterant, latenter ministrabant. Sed ille, qui viam iustitiæ & cursum recti itineris ante episcopatum tenuerat immobilis permanebat, prædicans verbum & regnum Dei annuntians, pacemque in terminis suis faciens, domos religiosorum exaltans, & vbi non erant, nouas construens: religiosos amplexans & ordinās dissolutis & irreligiosis, nisi resipiscerent, afferens assiduas persecutiones, Decanis, & sacerdotibus, & iis, qui habebant regere populum, omnibus ad sacros ordines promotis, modis omnibus castimoniam sectandam esse dicebat, cogens eos eam seruare: aut, si essent notorii, cuncta ecclesiastica beneficia relinquere. Initia dolorum & occasio persecutionum, omnia hæc Dicebant enim de die in diem, suam quisque, quam ægrè ferebant, molestiam conquerentes: Vt quid hunc aduentitium & cuius ignorabamus consuetudines, super nos regnare voluimus? Contrarius quidem est operibus & consuetudinibus nostris, suprà quam ferre possimus. Sic qui prius in mensis laudibus eleuabatur, nunc vituperiis & improperiis deiicitur: sed tamen proficiebat in opere exterius, ipso dispensante, qui cuncta exteriora, priusquam fiant, ordinare consueuit interius.

Admodum imminutos inuenit prouentus Ecclesiæ Magdeburgensis.

Ierem. 17.

Persequitur vsurpatores rerum ecclesiasticarū

Notasancti Episcopi studia.

In ecclesia S. Mariæ collocat sui instituti fratres

XLIII. Erat ante palatium episcopale haud longe sita ecclesia in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, in qua viginti erant canonici sæculares, sub præposito antiquitus constituti. Hanc ergo cum præuidisset sacerdos Dei sibi esse necessariam, vt ibi fratribus suis repositis, aliquando à tumultu, qui officio imposito debebatur, paululum spiritum refocillaret, petebat multoties & à rege & à canonicis tum maioris, tum huius ecclesiæ, vt alibi ab ipso aliis æqua vel meliore commutatione redditibus acceptis, illam sibi liberam concederent. At illi omnes vna voce contradicebant, asserentes ecclesiam tanti nominis non debere immutari, nec regiæ dignitatis potestatem, cui erat subdita, imminui: sed nec alterius ordinis & consuetudinis gentem introduci: quæ iura regalia ignoraret, & subiectionem debitam & officia pro consuetudine ipsorum præstare nesciret. Passus est hanc per aliquot annos repulsam, sed vicit tandem in petitione humiliter perseuerans: vicit quidem ratione, qua premebat eos: vicit & constantia, qua nouerant eum à bonis initiis vsque ad finem nunquam velle desistere. Amotis ergo clericis illis, & singulis vbi vellent collocatis, fratres sui ordinis, sicut diù concupierat, in eam ecclesiam induxit, vbi etiam se viuente secundum ordinem institutum, & post decessum suum perpetuis temporibus Dei cultum prosequendum constituit.

XLIV. Crevit fratrum numerus & multiplicati sunt, & in Saxonia, vbi religio tepuerat: & in Sclauonia, vbi nulla erat. Radicati fructuoso germine floruerunt, multiplicati sunt, vt quondam Hebræi. Fremuerunt Saxones, fremuerunt Parthenopolitani, o dioque & inuidia aduersus hominem Dei inualescente, ipse in Deo spem & fiduciam habens,

bens,& aliorum institutorum congregationes propagare non cessabat.Iam autem aduenerat dies ille sanctissimus & celeberrimus Cœnæ Domini,in quo pœnitentes reconciliandos sanctorum patrum decreuit authoritas, in quo agnus ille innocens ad conciliandas inimicitias inter Deum & hominem captus est & ductus ad immolandum: & ecce ad ostium loci illius,in quo sacerdos Dei confessiones recipiebat,adstitit quidam amictus pallio sub pœnitentis specie,obnixe ostiarium rogans,vt ad confitendum intrare ei liceret ad Episcopum. Hoc cum ostiarius viro Dei indicasset:Noli, inquit,ille,intromittere eum.Et cum ex præcepto domini sui diceret paululum expectandum esse, ille magis instabat vt introduceretur.Sic perseuerauit pulsus nec intromissus est,donec recessit alia multitudo, quæ conuenerat ad confitendum:& tunc nouissimè illi copia intrandi data est.Quem cum procul vir Dei diligenter inspexisset,ait:Noli huc propius accedere,sed sta & vide ne moueas pedem.Aduocatisque de ministris palatij, qui foris aderant,præcepit eis vt adstantem iuuenem pallio,quo obuolutus erat,nudarent. Nudato autem eo, apparuit cultellus acutus,quem adstrictum lateri suo tenebat,cuius erat longitudo fere pedis & dimidij.Itaque cum eodem, iubente Episcopo,cunctis qui aderant intuentibus,ante eum adductus est.Cumque quæreretur ab eo,cur sic armatus venisset,tremens ac stupens,vt pote ineffabilis & nefandæ crudelitatis conscius,mortem timens, procidit ad pedes eius,& quia ad ipsum interficiendum missus fuisset,confessus est. Nominatisque illis à quibus erat conductus, quorumque instinctu & consilio venerat ad tam execrabile facinus perpetrandum,cuncti qui aderant, supra modũ mirabantur,quod proditionis huius rei inuenti essent etiam illi, qui de præcipuis negotiis & secretioribus consiliis cum eo tractare consueuerant. At vir iustus,vt erat hilari facie & vultu sereno,ad eos respiciens,ait. Quid miramini, si vas suum hostis antiquus recognouit,& in membris Christi opus suum exercere nititur , quod in hac sacratissima nocte in sancto capite nostro Iesu Christo non timuit efficere? O quam felix esset, qui in aliqua huius diei hora non ab inimicis,sed etiam ab amicis,vt sunt isti,quos recitatos audistis,traderetur & moreretur. Hæc est dies, qua desperatis misericordia,peccantibus venia,mortuis redditur vita. Attamen ille traditor in custodia ponitur, non vt puniatur,sed vt suffragatorum suorum consilium detegatur,& in eis ignominia tanti sceleris castigetur. Quid igitur? Num scire poterat homo Dei,quid ille,qui confessionis & pœnitentiæ causa venire se simulabat,sub veste ferret,nisi gratia superabundans eum docuisset?

Nota,vt eo tdis arcana diuinitꝰ cognorit.

Sicarius sub specie pœnitentis immittitur ad cædendum virum Dei.

XLV. CVM quodam noctis tempore ad celebranda cum clericis suis matutinarum solennia more solito surrexisset, aduenerat clericus quidam de domesticis,& retro se ad ostium in insidiis posuerat,iniquitate plenus & crudeli malitia,vtpote armatus congruis armis,quibus innocentem in dolo ferire posset & interficere.Egressisque Capellanis, qui præcedebant,sicut mos est in terra illa:(præcedunt enim dominos suos Capellani)sed ille de insidiis prosiliens, nouissimum,putans eum esse Episcopum,sed erat ex clericis,veste consciſſa percussit.Cumque ille exclamaret & diceret:Quis est,qui me lædit?ille ex sono vocis non esse ipsum,quem quærebat,agnoscẽs:Putaui,inquit,hunc nouissimum esse,quem iugulare volebam. Præcesserat enim Episcopus commixtim inter alios,eundem casum quasi futurorum præscius timens.At ille concito cursu in fugam versus est,& cum alii ad capiendum illum insequerentur, Episcopus ait:Sinite eum fugere,nec malum pro malo reddatis : fecit quippe quod potuit,& quantum ei Deus permittere voluit. Nondum venit hora mea:sed qui miserunt illum,non dormiunt nec quiescunt , donec opprobriis satientur,& me vel morti tradant,vel,si diuinum sit opus,quod agitur de me,manifeste probatum reddant.

Alius quidam nititur percutere eum.

XLVI ORBATVS grex pusillus Præmonstratensis ecclesiæ tanto patre,ipsum per biennium patienter expectabant, aliis ex ipsis cum quibusdam sæcularibus dicentibus:subsistere nequaquam poterimus,quia recedente pastore,oues abire solent in dispersionem:alij nullum magistrum,nisi ipsum:alij de ipso desperantes,aliũ volebant eligere. Quod cum viro Dei relatum fuisset,timens ne aresceret,quod à Deo per ipsum plantatum fuerat,si adhuc rore diuini consilij non perfunderetur:aduocatis ad se quibusdam ex prioribus & maioris & sanioris consilij fratribus, perquirebat ab eis,quid facto opus esset,singulatim perscrutans de voluntatibus eorum , vt per omnia in definitione sui operis certior redderetur.Cumque intellexisset alios secum velle habitare,alios consilio suo alibi velle viuere,alios propositæ paupertatis votum velle tenere,plurimos tamen sub certo magistro & disciplina eundem paupertatis tenorem velle obseruare,remisit eos ad locum suum,paucis secum retentis,ad pacis & vnanimitatis studium iterum atque iterum eos adhortans,vt,cùm eis ab ipso facultas eligendi patrem concessa fuerit,concordia Iesu Christi & dilectio, quam docuisset,in ipsis inueniretur.Recesserunt illi & bonus pater non immemor filiorum,quos in Christo genuerat,ne diù absque magistro remanerent,fideles non diù pòst nuncios ad eos misit,qui & eligendi facultatem , & de ipsa electione eius indicarent voluntatem. Electione igitur approbata à filiis, vt erat à patre datus assensus,reuersi sunt ad eum,qui fuerant missi,voluntatis eius præceptum completum esse nunciantes.Habebat autem ipse electum secum,sed tamen rem dissimulari iussit per aliquot dies,nec illi electo indicari.Consilium ad tempus occultabatur, non tamen ignorabat electus ille,quid de se factum esset,quanuis rem tacite consideraret, diuina edoctus reuelatione.Asserebat denique,quod mane die illo, quo de ipso facta fuit electio , stetisset in visione coram filio Dei Iesu Christo,cum patre & magistro suo Nortberto. Extendensque manum suam dexteram Iesus, recipiebat fratrem illum,à cæteris fratribus electum,de manu viri Dei,dicentis.Apud te Domine mihi commissum tuæ sanctissimæ maiestati repræsento.Per hoc iam procul dubio scire poterat,quid de ipso diuina miseratio constituisset. Quid plura? Venit dies,in qua placuit homini Dei,quod cœperat,perficere. Conuocatisque fratribus,quos habebat secum,cõsilium suum indicauit eis.Et aduocato electo,ait:Tu mihi succedes electione fratrum tuorum in domo paupertatis nostræ.Cumque ille responderet:Tibi & inprimis Deo patri omnium obedire oportet.Vadam & considerabo misericordiæ Dei processus & successus.In quibus si efficere aliquid potero & proficere,gratias tibi agam : sin autem,ad te,quem post Deum,patrem elegi &animæ meæ tutorem,mihi sine offensa liceat remeare.Ait illi vir Dei:Vade:manus enim Domini vsque in finem tecum erit.Hac accepta benedictione,ille recessit, duobus adiunctis sibi sociis,de quibus præceperat vir Dei,vt alterum in Antvuerpiensi ecclesia patrem,alterum in Floreffiensi constitueret. Et sic factum est.Positus & consecratus est ille pater in Præmonstratensi ecclesia,& illi duo in duabus aliis supradictis. Sed & duo iam alij consecrati erant in duabus aliis ecclesiis,Laudunensi sancti Martini,& Viuariensi.Isti quinque & sextus,quem ad locum,qui dicitur Bona spes , statim post introitum suum Abbas Præmonstratensis ablegârat,imminentem dissolutionem Ordinis in plerisque locis videntes,& maiorem futuram metuentes,ad diem statutum in loco determinato conuenerunt,& quicquid ad præsens in domibus suis superfluum videbatur esse,recidentes , deinceps ad exemplum Cistertiensis Ordinis,annuatim se reuersuros simul ad Ordinis sui sinistra corrigenda firmauerũt. Quod cum in locis aliis diuulgatum fuisset,si in primo anno sex,& in secundo nouem fuissent, in tertio duodecim, in quarto decem & octo fuêre:& ita deinceps multiplicati sunt vbique terrarum,sicut voces & actus eorum & opera vsque in præsentem diem testantur.

Præmonstratenses multum afliguntur eius absentia.

Eligitur alius pro eo præfectus Præmonstratensis.

Visio electi.

Successorẽ sibi substituit in Præmõstratensi monasterio.

XLVII. DEINDE beatæ Memoriæ Papa Honorio ad æternitatem vocato,Innocentioque in sancta Romana sede canonica electione subrogato,cum sedem obtinere non posset propter intrusionem Petri Leonis & seditionem familiæ eius,exiens inde contulit se in Franciam:vbi,vt decuit, honorificè susceptus est. Conuocatoque Rhemis concilio,conuenerunt vndique episcopi de diuersis nationibus: aduenit & pater Nortbertus: ibique illum Petrum intrusum

Synodus Rhemensis An 1131.

Petrus Leo Antipapa excommunicatur.

truſum excommunicauerunt,& electione Innocentij approbata,eundem Petrum Leonis leoni rugienti,niſi reſipiſceret,tradiderunt. Attulerat autem Nortbertus ſecum eccleſiæ ſuæ priuilegia vetuſtiſſima,& ferè à vermibus conſumpta:quæ cuncta Romano munimine fecit renouari & corrigi,apponens ea,quæ receperat de manibus illorum, qui ea iniuſte & violenter rapuerant. Addidit præterea aliud priuilegium ſecreto,vt cum daretur opportunitas, Romana fultus authoritate,Ordinem ſuæ religionis in epiſcopali propagaret eccleſia. Finito ergo Concilio,cum ad ſedem propriam reuerteretur,iamque ex parte diuulgatum eſſet quod fecerat,magis fremebant,ad alterutrum dicentes:Regnum noſtrum non ſtabit,& gloria noſtra nihil eſt:ſed & honor omnium noſtrûm & prædeceſſorum noſtrorum redigetur in nihilum,niſi quamprimum excludamus eum à nobis,& auferatur hæc eius ſubtilis poteſtas de terra noſtra. Et exinde quærebant opportunitatem,vt facerent cautè, quod inordinate & inſipienter machinabantur.

Multos Nortbertus habet aduerſarios.

Accidit autem eodem tempore quidam caſus aduerſus in eccleſia maiore, qui ſecreto viro Dei fuerat reuelatus. Cumquè eum ſenioribus eccleſiæ indicâſſet, & proteſtaretur eius cauſa expiari debere eccleſiam ex Canonum præſcripto,illi acquieſcere ei noluerunt,dicentes non eſſe denuo conſecrandam illam, quam conſtaret multorum regum & Pontificum authoritate fuiſſe conſecratam. Hoc illi perhibebant,ſed ille contra aſſerebat,nunquam ſe in ea diuina celebrare velle myſteria,niſi ab ea dæmonum infeſtationem, qua eſſet irretita paterentur excludi. In hunc modum contendebant:ſed vir Dei ille, qui verſutias eorum non metuebat, modo Deus eſſet in cauſa,notam fecit rem omnem populo ex pulpito,oſtendens quid in huiuſmodi caſibus ſanctorum patrum ſanxiſſet authoritas. Hæc dixit,& ſequenti nocte,aſſumptis duobus Epiſcopis,quos nunc ſecum habebat,& Præpoſito eiuſdem eccleſiæ, qui id hoc ei fauebat,& quamplurimis de fratribus ſuis clericis,intrauit eccleſiam: vbi induti ſacris veſtibus,aqua conſecrata illud officium ſyncera deuotione compleuerunt. Sed ſimulatque peractum eſt miniſterium, adhuc omnibus, qui aderant ſacris veſtibus indutis,clamor nimius & tumultus grandis populi foris auditus eſt. Commota quippe fuerat omnis ciuitas furore non minimo &inenarrabili, quod rumor planè barbarus manâſſet ad eos à quibuſdam aduerſariis,ſcilicet fregiſſe Epiſcopum altaria,ſacrarium reſerâſſe,feretra & phylacteria diſſoluiſſe,ſibique repoſuiſſe,& cum his omnibus ſub eiuſdem noctis tenebris cum omni etiam theſauro eccleſiæ fugere conſtituiſſe. Audientes hæc,qui cũ viro Dei erãt,territi ſunt,alij plus alij minus:ſed ille imperterritus ad eos exire volebat, vt interrogaret quidnam eſſet. Porrò alij modis omnibus prohibebant,dicentes hunc plebis tumultum non facile tali hora à quoquam poſſe ſedari:coegeruntque eum aſcendere in quoddam propugnaculum,quod ab Imperatore Ottone ibi conſtructum erat antiquitus,loco turris cuiuſdam eccleſiæ,quam cœperat ædificare,ſed morte præueniente non conſummauit. Ibi ſe reclinauit homo Dei & qui cum eo erant ſacris adhuc amicti veſtibus, mortem potius turpiſſimam corporis,quam vitam expectantes. Inualeſcebant interim voces inſultantium & inſilientium, atque vt prodirent crebrò clamitantium. Sed illi in turri è contrario in matutinarum ſolenniis laudes Deo canentes, cum hymnis & canticis exultationis in honorem prædicatoris egregij Pauli,vocibus immenſis reſonabant: iſti verò inſultationis voces clamoribus inconditis multiplicantes ſacerdotem Dei reum eſſe mortis proclamabant. Erat tum feſtum commemorationis beati Pauli Apoſtoli. Hac fiducia freti quidam ex ipſis,nihil formidabant: ſed alij ſæculo & ſuæ carni tenerè inhærentes,cum multo eiulatu dicebant:Eheu,cur iſtum ſecuti ſumus hominem,vt cum eo moreremur in peccatis noſtris? Quibus vir ſanctus,melliflua eos conſolatione exhortans,aiebat: Nolite, fratres chariſſimi nolite terreri: Dei enim eſt,quod à nobis geſtum eſt: Dei eſt,quod geritur: Dei eſt permiſſio,quando ab inimicis eius bonum opus impugnatur. Hæc quandoque dicebat: interdum autem pro illis orabat attentius,ne deficiendo deſperarent. Illorum defectu creſcebat orandi affectus. Et vt ipſe poſtea aſſerebat,non tam metuebat mortem,quam ne deſperando illi deficerent. Congregabatur verò per totam noctem multitudo aduerſaria: ediuerſo multiplicabat preces in articulo talis neceſſitatis pius ſacerdos,& qui cum eo erant. Facto autem manè, cum ſummo diluculo illuceſceret,dum alij ad inſultum turris inſiſtunt,alij ſagittis,alij iaculis pontificem & clericos eius appetunt,quidam,qui in necem eius iurâſſe dicebantur, tanquam auidiores crudelis illius cædis perpetrandæ pertinaciter irrumpentes,ad ſuperiora turris audacter euaſerunt. Quos vt vidit diſtrictis gladiis irruere, ne in alios mortem deſæuirent,progrediens obuiam,magiſtri ſui exemplum ſecutus: Vnum inquit,hominem quæritis. ecce ego:Parcite iſtis,qui nullam mortis ſententiam meruerunt. At illi eo viſo,vt erat adhuc amictus epiſcopali & ſacerdotali veſte purpurea,territi ſunt,& cum paululum retrocederent, in momento Deus, cuius nutu omnia diſponebantur,declarata martyris ſui,quantum in eo fuit,conſtantia,adeo mentes illorum perſecutorum compunxit, vt ad pedes eius corruentes,veniam tanti facinoris precarentur & acciperent, atque ex hoſtibus in defenſores prodirent. Alij verò celeriter inſequentes eos,vnum ex cubiculariis eius,qui fideliter ei adhærebat,quendam aditum defendentem repererunt,& iam Epiſcopum ab aliis trucidatum putantes,illum,quod dominum ſuum diligeret,odio habentes,gladio percuſſerunt,& vſque ad guttur collum ſecantes,ſemiuiuum reliquerunt, cum extinctum crederent. Quod videns vir Dei,omnibus inuitis,in mediam turbam proſiliit & inimicis faciens ſui copiam, morti ſe obtulit,eligens mori potius, q̃ vt aliquis alius, ipſo ſuperſtite occũberet. Cernens autẽ eum ille idem,qui miniſtrum eius percuſſerat,furore diabolico &iniquitate plenus,euaginatum eumque cruentum adhuc gladium tenens, extendit manum ſuam in pontificem,& audaci temeritate grandem ictum in eius humerum intulit: ſed reſiliit gladius,perinde ac ſi cæſus eſſet lapis Adamantinus,& de recenti,quo erat tinctus,ſanguine fimbrias epiſcopalis mitræ, quam in capite geſtabat,infecit: quæ mitra: quandiù homo vixit,eam maculam retinuit. Videntes autem,qui ſtabant ex aduerſo,rei exitum expectantes,quique magis hominis ſanguinem expetebant,quam hominem: videntes,inquam,illi,quod non moreretur,dum à quibuſdam ei parcebatur, à nonnullis verò percuſſus non lædebatur, reliquias ſanctorum celeriter apportantes,eas in medio poſuerunt,faſſique ſunt perabſurdum id eſſe,vt tam improbe paſtor ab ouibus oppugnaretur. Hæc quidem illi præ ſe ferebant,falſam ſimulantes humanitatem: Nam & ipſi eum hoc in articulo poſitum cogebant,vt fratres ſuos de Eccleſia beatæ Mariæ eiiceret, qui in ea poſiti erant, vt ſuperius dictum eſt. At ille recuſabat,affirmans factum hoc,quoad viueret,nunquam ipſos immutaturos,quod regali potentia & Romana authoritate eſſet confirmatum. Dum hæc agerentur,aduenit eius vrbis Comes ex itinere,& quaſi tumultus huius neſcius,in medias turbas ſe intulit,ſeparanſque alios ab aliis diem certum eis præfixit, ad quem adeſſent omnes,iuſtam querimoniam habentes aduerſus Epiſcopum. Receſſerunt ergo illi ad præceptum iudicis: at Dei ſacerdos intrauit eandem eccleſiam,cuius cauſa omnis illa commotio facta fuerat, Miſſam celebraturus,& immenſas Deo ſuo gratias redditurus. Cumque acceſſiſſet ad altare,accerſitis circunſtantibus ait:Ecce integra ſunt omnia,ſaluaque & ſana,quæ nunciata fuerant fracta & abſportata. Celebrauit igitur Miſſam in eodem loco, ſed & epiſtolam & euangelium ipſemet legit(receſſerant enim omnes miniſtri eius,tædio & timore affecti,)ita vt vere dici poſſet de eo,ſicut de ſummo capite noſtro Ieſu Chriſto: Relicto eo,omnes fugerunt. Finita autem Miſſa, venit ad palatium,purpuream miro & ineffabili modo habens faciem,vtpote calice Domini potatus. Hunc quippe colorem in ipſo mortis periculo tenuerat, & hoc teſtabantur, qui cum ipſo fuêre, non viſum illum eſſe vel ad modicum palleſcere. Ipſe vero martyrum conſtantiam, facilem & ſuper mel & fauum eſſe dulciſſimam aſſerebat.

Inter grauiſſima pericula ſecuriſcum ſuis laudat Deũ

Iohan. 18.

Conſtantia ſancti viri. Grauiter vulneratur eius cubicularius.

Illuſtre miraculum.

Ficta quorundam humanitas.

En ſingularem inter tot pericula præclari antiſtitis fortitudinem.

Matth. 26

PRÆDICTI

XLIIX PRÆDICTI autem aduersarii, coactis iterum peruersis conuenticulis suis suum animi dolorẽ promebant, dicentes se esse delusos, & arte magica tenebrarumque caligine sensus ipsorũ perstrictos, quod hominem illum viuum reliquissent, qui eis non cederet, moresque & honorem ipsorum dignitatemque vrbis violare non metueret, Vere delusi, quia dolosi. Namque hoc ab eis planè decretum est, vt cum ad prædictum diem conuenirent, singuli certam vini vel medonis mensuram exhaurirent, vt si quicquam voluntati eorum contrarium in discussionibus quærimoniarum accideret, id sarciretur necesui pastoris: & sic ebrietati potius imputaretur, quam deliberationi. estque hoc inter ipsos sancitum, vt quicunque huic decreto non obediret, domus eius euersioni, & tota supellex direptioni esset obnoxia. Quod cum relatum fuisset ad aures quorundam principum terræ, qui virum Dei quadam ex parte diligebant, quod scirent eum virum sanctum & iustum, suadebant ei, vt ad tempus cederet, exemplo magistri sui, qui à facie persequentium se abscondit. Quod cum ille renueret, palmamque martyrij gaudens expectaret, illi multiplicibus persuasionibus exire compellebant. Aduenit inde præfixus dies, & cœpit ciuitas immensis clamoribus perstrepere. Interrogans autem homo Dei, quid esset, responsum est ei, quod populus multus congregatus, fratres de ecclesia beatæ Mariæ vellet eiicere. At ille subridens, aiebat: Non est ita: quia plantatio quam plantauit pater cælestis, eradicari non poterit. Attamen compulerunt eum, vt exiret. Et præparatis equis, exiuit ad Abbatiam quandam sancti Iohannis, quæ est in suburbio ciuitatis, vbi satis speciosè dispositis omnibus, abiit ad quoddã castrum suum Hallam, vbi à tanto tumultu quiesceret. Sed illud præclusum inuenit. Præuenientes enim hostes eius, munitiones omnes occupauerant. Quid faceret homo, qui nusquam inueniebat, vbi requiesceret pes eius? quid faceret humano destitutus auxilio? Contulit se ad ecclesiam quandam canonicorum regularium, quæ ibi propè erat, orans Deum suum per aliquot dies, vt viam suam in suæ beneplacito voluntatis dirigere dignaretur. Sed Deus videns serui sui humilitatem & constantiam, respexit veritatis eius preces: &, sicut voluit, pax rebus data est. Nam vt conuenerant certatim inimici ad perimendum, sic conuenire festinabant ad satisfaciendum. Itaque omnimodam satisfactionem offerebant, & pecuniam multam. Sed ille, qui plus animas Deo, quærere venerat, quam pecunias, eas respuebat, vt animas eorum, quæ propter nefarios hos conatus perditionis periculo subiacebant, lucrifaceret.

Iohan. 8. & 12.

Nouus in eum tumultus excitatur.

Tandẽ mitescunt hostes viri Dei, & eum honorificè restituunt.

XLIX VIDENTES hoc aduersarij, studuerunt eum lenire, & illi vulnerato domum suam quam deiecerãt, ex integro reparantes, ad curandum vulnus, quod ei inflixerant, grandem pecuniæ summam contulerunt. Post hæc, apertis ianuis castri, quas ad aduentum eius prius clauserãt, intrauit illuc multo cum honore, multorum cœtu vallatus nobilium, multitudine etiam plebis, qui omnes Deum laudabant pro constantia tanti pontificis, ipsumque pontificatus honore dignum aiebant, quem Deus omnipotens ex tot persequentium manibus eripuisset, quique in tam euidenti mortis periculo cum fidei suæ integritate corporisque incolumitate inuictus permansisset. Tertio anno episcopatus sui facta sunt hæc, & quinque postea sedit annis, die in diem ministerium suum honorificans, in omni religione & honestate proficiens, vnitatem sanctæ ecclesiæ conseruans, eiusque perturbatores & schismaticos omnes persequens & detestans, bonos amplectens, desolatis dans consilium, pauperes & orphanos viduasque sustentans, religiosos quoque fouens & augens, religionisque præbens formam seipsum, quantum dignitas functionis pati poterat, tam minoribus quam maioribus affabilem se exhibens, diuinæ largitatis & gratiæ non immemor, Domino Deo suo per singulos dies bonæ existimationis & intimæ suauitatis & dulcedinis offerens conscientiam.

Constantia eius iã laudatur ab omnibus.

Episcopi officia.

L. ERAT tum schisma grauissimum & ad componendum difficilimum in sancta Romana sede, vt iam suprà dictum est, Pontificibus Innocentio & Petro Leonis. E quibus Innocentius canonicè electus, catholicus erat, & à catholicis omnibus approbatus recipiebatur: Petrus verò erat intrusus, sed tamen occupauit sanctam sedem, non Deo, neque Ecclesia sancta, sed viribus humanis fretus. Erat enim etsi nõ nobilitate, multitudine tamen generis potens in Vrbe, legesque sanctas & ordinem & omnia statuta patrum & Ecclesiæ regulamque Christianæ fidei, ambitione excæcatus, destruebat, turres & munitiones Vrbis alias deiiciens, alias muniens, vt principatum sæcularem & suæ cupiditatis scopum obtineret. Itaque consilio inito à rego Lothario & Christianis principibus, ne cognitio & robur fidelium Christianorum his temporibus illa peste mortifera elideretur, expeditionem in Italiam apparârunt, vt sacrilegum illum, quem gladius spiritualis, quo iam sæpissimè percussus fuerat, penetrare non poterat, materialis tãdem conficeret. Cum eo autem & aliis tam Episcopis quam Archiepiscopis, ex præcepto & obedientia Innocentij pastoris catholici, pontifex Nortbertus profectus est. Transitisque castris & vrbibus cum magna turba præeuntis & subsequentis exercitus, Romam, Papam venerabilem Innocentium secum deducentes, perueniunt. Vbi cum impetu grandi & manu forti introeuntes, ipsum eundem Papam in sancta sede, inuitis hostibus & aduersariis omnibus, collocârunt. Porrò Lotharium regem Pontifex in sede positus & alii, qui conuenerant, in Romanum Imperatorem consecrauerunt. Erat enim vir ille strenuus belli ductor, præcipuus in armis, prouidus in consilio, terribilis inimicis Dei & sanctæ Ecclesiæ, veritatis amicus, iustitiæ tenax, iniustitiæ hostis. Cuius probitas patuit in Sicilia, viguit in Saxonia: Qui quandiù vixit, Romanum imperium, quod eius curæ mandatum fuerat, titubare non potuit. Diligebat autem & ipse virum Dei Nortbertum, quod eius consiliis, quæ strenuitate & prouidentia pollebant, assiduè vteretur, ab eoque cælestis dulcedinis potum hauriret, & pane diuinæ refectionis quotidie foueretur. Cum autem ab Italia reuersus esset in ciuitatem suam Parthenopolim, non diù post graui ægritudine correptus est, eaque per aliquot tempus, id est, spatio quatuor mensium, laborauit. episcopatuque sapienter & fideliter annis octo administrato, plenus Spiritu sancto, cum omni integritate sensus, adstantibus benedictione data, beato fine quieuit. Neque enim, vt ait B. Augustinus, Poterat male mori, qui bene vixerat. Annus erat Dominicæ incarnationis millesimus centesimus tricesimus quartus, feria quarta Pentecostes, octauo Idus Iunij, Pontificatus Innocentij anno quinto, regni Lotharij anno nono.

Petri Leonis Antipapæ nefarij actus.

Innocẽtius in sua sede collocatur An. 1133.

Lotharius Imperator cõsecratur

Feliciter vir sanctus migrat à corpore.

LI. DEFVNCTO igitur beatæ memoriæ patre Nortberto, contentio non minima orta est inter maiorem ecclesiam, & eam, quæ est B. Mariæ, de loco sepulturæ eius. Volebant enim alii, dignumque & iustum dicebant, vt quia caput ecclesiarum eius ciuitatis fuisset, ecclesiæ primariæ eius ossa deferrent honorem, ibique aduentum summi iudicis expectaret, vbi erat titulus eius immobilis. Sed fratres sanctæ Mariæ sui iuris eum esse asserebant, quod per illũ suo creatori reconciliati, eum patrem elegissent, & per illum seipsos & suam deuotionem Domino Deo suo, à quo auersi fuerant, reddidissent: præcipuè autem, quod adhuc viuẽs præcepisset, & vsq; in finẽ hanc suæ voluntatis deuotionem indicâsset, vt inter fratres suos & filios sepeliretur & quiesceret. Videntes tandẽ illi, qui erant medij, contentionẽ hanc dirimi non posse, quod suã vnaquæq; pars sententiã æquiorẽ assereret, consilium dederunt, vt ad Imperatorẽ Lotharium cito mitteretur: quod ille mandaret aut statueret, id ratum haberetur. Et sic factum est. Interim verò corpus inhumatum iacebat. sicq; de die in diẽ per singula monasteria ciuitatis circunlatum est, & in vnoquoq; vigiliæ & ea, quæ fidelibus defunctis debentur, diligenter sunt celebrata, donec die octauo reuersi sunt, qui missi fuerant. Tum verò iussu Imperatoris apud fratres in ecclesia B: Mariæ corpus viri Dei sepultum est. Fuit autem hoc admiratione dignum, & tacendum non est, quod cum esset æstas nimia, ita vt eodem anno nullum fœnum in pratis præ nimia siccitate secaretur, de corpore eius per tot dies nihil fœtoris percipi potuit. Vnde licet intelligi, quod mundauerit eum gratia superabundans à corruptione mentis, quæ conseruauit corpus eius ne corrumperetur.

Corpus eius exanime multis diebus æstate calidissima nihil putet.

Sepultus itaque ante altare sanctæ Crucis, in medio monasterio fuit per aliquot annos. Sed boni filij, qui memores benignitatis, quam ipsis exhibuerat, eum tenere diligebant, vt sine obliuione memoriæ ipsorum affigeretur, ante oculos suos in claustrum eum transtulerunt, vbi in tumulo, diligenter pro loci opportunitate adornato, diem expectat nouissimum, in spe certa resurrectionis & gloriæ. LII.

Visio fratris cuiusdã.

EADEM autem die & hora, qua separata est anima eius à corpore videbat eum quidam frater in veste candida & forma venusta, ramum oliuæ tenentem in manu sua. Qui cum quæreret ab eo, vnde veniret, vel quo festinaret, respondit: De paradiso missus sum, vnde hunc ramum oliuæ florentem tuli & vado celeriter, vt in loco paupertatis, meæ, id est, in Præmonstratensi ecclesia transplantem illum. Expergefactus frater, de tam insolita visione cœpit intra se cogitare, quidnam significaret. Deinde aperuit etiam quibusdam eius ecclesiæ hominibus, iique memoriæ commendarunt diem & horam visionis, scire volentes, quemnam tam euidens apparitio euentum esset habitura. Audito tandem decessu magistri sui, inuenta est illa eadem dies esse, qua carne anima eius soluta est.

Alia visio.

Alij quoque fratri, qui sacerdos erat, apparuit in propria effigie, stans coram eo. Sed mox effigies hominis Dei mutabatur in florem miri candoris instar lilij, quem angeli suscipientes, deferebant ad æthera. Euigilans igitur frater, summo diluculo cucurrit ad Priorem suum, copiam petiturus Missam celebrandi, Deoque per eam pij patris Nortberti animam commendãdi. Cumque Prior quæreret? quid sibi vellet tam subita contestatione, exposuit ille ordinem rei. Cui Prior præcepit, vt diem illum memoria retineret. Est itaque inuentus dies ille, dies sepulturæ hominis Dei. Erat alius quidam de his, quos in primordio conuersionis eius contulerat illi Deus, qui fideliter & amanter adhæserat ei, & de decessu charissimi magistri sui dolebat eô magis, quod de salute eius necdum certi aliquid comperisset. Cumque omni precum instantia supplicans rogaret Deum suum, vt aliquod responsum acciperet de misericordia, quam contulisset militi suo: nocte quadam apparuit ei in domo pulcherrima, quæ solis splendore perfusa videbatur. Recognoscens ergo ille magistrum suum, procidit velociter ad pedes eius, humiliter petens ab eo, vt de statu suo & de percepta à Deo misericordia certiorem ipsum reddere dignaretur. At ille erigens eam à terra, & brachiis suis collum eius stringens, sic ait illi: Fili mi, rem difficilem quæris: attamen ei, qui indesinenter pulsat, aperitur. Veni, sedeamus. Erat autem ibi sedes pulcherrima præparata. In qua cum sedisset, dixit illi: Dictum est mihi: Veni soror mea, requiesce. In pace & requie sum. Hac melliflua & desiderata responsione frater ille refectus, timens ne recederet, quia per visionem, sicut postulauerat, hoc se videre sciebat. Quæso, ait, pater amantissimè, vt dicas, num molestè tuleris, quod ad te non veni, cum adhuc viuens venire me iussisti. Et respondit: Tu venies: sicque disparuit. Verum id fuit. Iturus enim erat frater ille: sed alio interueniente negocio, non peruenit. Faxit omnipotens, vt secundum promissionis intellectum ad ipsum veniat, & quem socium ac successorem participemque miseræ afflictionis sæculi huius reliquit, consortem faciat felicitatis æternæ & à Deo perceptæ benedictionis.

Item alia visio.

Appendix monachorum Capenbergensium de patre Nortberto.

LIII.

Author huius Appendicis fuit sancti viri contẽporaneus.

DE communi patre nos quoque Capenbergenses filij nobis comperta desideranter adiicimus, ne in paterni meriti prosecutione nos, tanquam ingrati, vestræ sanctitati deesse videamur. Est apud nos libellus, vitam Deo digni fundatoris nostri cõtinens, in quo ita scriptum est: Illis diebus apparuit in Vuestphaliæ partibus eximium quoddam iubar Ecclesiæ, memorabilis ille preco Dei Nortbertus, vir nimium admirabilis gratiæ, prædulcis eloquentiæ, summæ continentiæ, informator ac propagator religionis canonicæ, seruorum Christi aggregator, cœnobiorum non paucorum fundator, tam habitu quam voce strenuissimus, veræ pœnitentiæ prædicator, ac per omnia illius, propheticæ iussionis executor, qua dicitur: Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.

Esa. 40.

LIV.

QVODAM tempore famem Vuestphaliæ affuturam, & ipsos quoque fratres parumper castigaturam, in spiritu prædixit. Quæ iuxta viri Dei præscientiam adeo grauis euenit, vt plerosque dira inediæ calamitas extingueret. Accidit ergo die quodam, fratribus ad refectionem ituris, cum hospitibus ac pauperibus erogarent, quicquid sibi abstinendo subtraherent, vt panis deesset alimonia, ita etiam, vt vnde fieret, inueniri non posset. Cumque vir Dei sæpius intimasset, quod scriptum est: Non affliget Dominus fame animam iusti: ecce subito per fideles suos Dominus tantam panis abundantiam transmisit, quod fratres sufficienter refecti sunt, & aduenientibus cum alacritate obtulerunt. Atque postmodum ex illa die nunquam defuerunt fratribus opportuna subsidia.

Prophetia viri Dei de fame.

Prouer. 10.

LV.

Tempore autem alio, cum vir sanctus quendam è fratribus vellet pro causa monasterij destinare, inueniens illum valida prostratum febre, iniunxit ei causam obedientiæ, in virtute Christi solo verbo vsus imperij: Vade, inquit, & reuertere, iamque amplius noli febricitare. Statim ergo frater, recuperatis viribus, perfecit quantocius, quod à patre sancto fuerat iussus. Audiuimus eundem veritatis asserrorem in communi capitulo hæc, quæ sequuntur, prosequentem. Scio vnum ex professionis nostræ fratribus, cui de regula nostra indaganti studiosius, non quidem suis meritis, sed fratrum orationibus, beatus visus est Augustinus, qui & auream regulam à latere dextro prolatam, illi porrexit, seque luculento sermone ei intimauit, dicens: Quem vides, Augustinus ego sum Hipponensis episcopus. Ecce habes regulam, quam ego conscripsi: sub qua si bene militauerint confratres tui, filii mei, adstabunt securi in extremi terrore iudicij. Et quidem ista humiliter tanquam de alio prosecutus est: nos tamen ipsum fuisse, cui hoc reuelatum est, indubitantes aduertimus.

Febricitantem repẽte sanat.

S. Augustinus ei tradit regulam suam.

LVI

RES apud Floreffiam gesta est, cum illic memorabilis pater diuina celebraret, in quibus nimirũ exequendis se deuotissimum exhibere cõsueuerat. Vidit repente ante ipsam perceptionem in patenæ medio non modicam stillam sanguinis Dominici rubentem. Vocatoque fratre Rudolpho sacrista nostro, eius tunc diacono: Vidésne, inquit, frater, quod ego video? Video, inquit, domine: cœpitque pro tantæ rei magnitudine vbertim flere. Post cuius miraculi declarationem, nobis deinceps patenam abluere mandatum est. Cœpitque apud nos huius obseruantia consuetudinis, cum à nobis eatenus nesciretur.

Stilla sanguinis Christi apparet.

LVII.

IN vita B. Seruatij legimus, quod defuncto eodem præsule sanctissimo, sericum quoddam populo spectante, multumque admirante, angelicis allatum manibus, super illius venerabile corpus positum est. Quapropter idem sericum in Traiectensi ecclesia summa honoratur reuerentia, præcipuaque conseruatur & obseratur diligentia. Cum ergo vir Dei Traiectum deueniisset, petiit hoc sibi sericum demonstrari. At illi cœperunt simul omnes excusare, præsertim cum vel ipsum scrinium, in quo repositum erat, introspicere nullus auderet. Sed quid multa? Tandem viri Dei obtinuit petitio. Cumque in eius præsentia sacrum aperuisset repositorium, subito ecce sericum illud (mira dicturus sum) mirabili & diuino quodam impulsu subuectum euolauit, ipsamque basilicam aliquanto spatio circunuolans, tandem se ad summa templi prope laquearia displicatum continuit, & illic quodam quasi remigio alarum librabatur annixum. Quo viso, aliis stupendo exclamantibus, aliis penitus sibi subtrahendum cum luctu formidantibus, vir Dei rem tacitus considerans, Missarum adorsus est solennia. Quæ dum ageret, ecce sericum se reuelatum est, indubitantes aduertimus.

Res mira de panno serico.

APVD

LIIX. APVD locum, qui Boulant dicitur, vbi vestrorum quoque floret fratrum cœnobium potens quidam alienorum inuasor commanebat. Hic inter cætera violentiæ suæ mala, quosdam etiam vini redditus, qui proprij erant Parthenopolitanę ecclesiæ, & ad diuina celebranda specialiter pertinebant, iniusta vsurpatione aliquandiu possederat. Illuc ergo cum deuenisset Archiepiscopus, vt mihi frater eiusdem loci testatus est, pro ecclesia sibi commissa non siluit, accersitoque raptori, quanuis multis pauendo, dixit: Cur homo hanc iniuriam beato Mauritio inferre præsumis, vt redditus annuos, ad diuina celebranda institutos, temeraria inuasione possidens, in tuos vsus expendas? Cumque ille inflatus responderet, dicens, non hoc esse inuasionem, sed legitimam hæreditatis suæ possessionem: vir Dei prophetico spiritu respondit: Scio frater, quod hoc imminenti anno ab hac deprædatione, Dei repelleris iudicio. Dixit, & factum est. Eodem quippe anno infelix ille ab inimicis suis occisus fuit. Prophetia S. Viri.

LIX. ALIO quoque tempore, cum esset in expeditione regis Lotharij, vnà cum ipso rege Vindelicam peruenit Augustam. Vbi famosam seditionem, quæ inter populum eiusdem ciuitatis & regem orta est, hoc ordine prædixit: Solebat hic ter beatus ad orationem ecclesiam quamlibet ingressurus, ad ipsa semper basilicæ limina curuatis dicere genibus. Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea. Cum ergo præfatę ciuitatis ecclesiam ingrediens, orationem complêsset, vocato diacono suo, ex cuius hoc ore cognouimus, quid per spiritum cognouisset, ei reuelauit, dicens: Ego frater huic loco pacem imprecatus sum, pacem optaui: sed tamen pacis hic repulsam potius inueni. Pallium ergo nostrum & cætera, quæ sub manu tua sunt, diligentiæ tuæ commendo attentius, quia huic loco imminet confusio magnusque conflictus. Ità factum est. Nam proximo die multis à rege prostratis & vulneratis, temeritatis suæ pœnas ciues dedêre: vixque tandem in regis gratiam post multa dispendia recepti sunt. Alio tempore cum oblatus ei fuisset dæmoniacus, aquam sale mixtam exorcizauit. Et cum procedens eandem spargere cœpisset, antequam perueniret ad hominem, spiritus malignus abscessit. Alia eius prophetia de seditione Augustana. Aqua benedicta sanat dæmoniacum.

VITA S. PATRIS NOSTRI PAVLI* CONFESSORIS, ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI EX SIMEONE Metaphraste. AN. 320. *imo Martyris

I. QVANDO Constantius, Constantini Magni tertius filius, tenebat sceptra Romani imperij, Arriani persecutionem mouerunt aduersus pios, vt qui ad hæc à Constantio plurimum haberent adiumenti, & Athanasium quidem exterminatum accepit Occidens: diuinus autem Alexander Antistes Byzantij, cum vitæ fini appropinquâsset, nullum quidem suæ ecclesiæ constituit successorem: sed cum duos præcipuos elegisset ex aliis, populo hanc dedit optionem, vt si velint quidem doctorem & virtutibus resplendentem habere Pontificem, Paulum eligerent, quem ipse ordinauit Presbyterum. Sin autem habitu solum grauem, & vestitu extrinsecus honestum, [a] Macedonium, qui fuerat iam olim ordinatus Diaconus, & iam vergebat ad senectutem. Hæc cum eis dixisset, transit ad sedes meliores, cum fuisset quidem Pontifex vigintitres annos, vixisset autem nonagintaocto. IVNII 7. secundam Latinam Martyrologia a Macedonium planè ab Alexandro nominatum non fuisse asserit Baron. anno 340 § *Sed cum Alexandri Episcopi integritatem*: sed id commentum esse Sabini historici Macedoniani, quem alij secuti sunt.

II. CIRCA electionem autem eorum, qui dicti fuerant, extitit contentio. Nam Arriani quidem magis adspiciebant ad Macedonium: Orthodoxi verò eligebant Paulum. Vincit tamen suffragium Orthodoxorum, & eligitur [b] Paulus Byzantij Episcopus, in Ecclesia quæ appellatur sanctæ Irenes, quam tempus à noua separans, concedit vt vetus nominetur. Constantius autem cum haud ita multo post Constantinopolim rediisset ex Antiochia, iratus fuit electo, quod non ex eius sententia processisset electio: & congregato Arrianorum conciliabulo, condemnauit [c] quidem Paulum, vt quiesceret: [d] Eusebium verò, qui tertio mutabat sedem, ex Nicomediæ Episcopo creat vrbis regiæ Episcopum. Sed cum ille quidem impiè hæc fecisset, reuertitur rursus Antiochiam. Eusebius autem omnem mouebat lapidem, vt ex sacro symbolo tolleret homousion, id est, consubstantiale. b S. Paulus fit Episcopus. An. 340. c Eiicitur è sede sua. d Primo namque Beryti Episcopus fuerat, dein Nicomediæ. Athanas apol 2.

III. CELEBRATVR dedicatio ecclesiæ Antiochenæ, quam Constãtinus quidem magnus excitauit à fundamentis: Constantius autem studium adhibuit, vt consecraretur: & dedicationis prætextu congregantur Episcopi numero nonaginta. Maximus verò Antistes Hierosolymorum, vir pius, non aderat, neque Romæ Iulius, nec per se, per aliquem ex subiectis. Congregatur ergo synodus, præsente etiam Constantio. Eusebiani autem student ante alia, vt deponatur Athanasius. Primam verò in eum intentant accusationẽ, quod fecerit præter regulam: regulam dicentes, quam tunc ipsi ediderant. Reuersus enim, aiebant, ab exilio, non communi sententia, sed ipse sibi tradidit episcopatum. Secundam autem, quod cum in eius aduentu exorta esset seditio, multi sint mortui. Tertiam, ea quæ facta sunt Tyri. Ex quibus condemnato pietatis Athleta, eius loco constituunt Gregorium, qui eadem quæ ipsi sentiebat. Et cum hæc ausi essent, audent etiam fidem transformare: nihil quidem apertè reprehendentes eorum, quæ facta sunt Niceæ: sed improbo & malitioso consilio semina prius iacientes ad destruendum homousion. Et quæ Antiochiæ quidem habita fuit synodus, cum hæc & huiusmodi alia ausa esset, & quosdam fecisset canones, fuit soluta. Synodus Antiochiæ. An. 341. Athanasius deponitur à Sectariis.

IV. EVSEBIVS autem [e] fungitur legatione apud Iulium Romanum Episcopum, machinans vt confirmaretur lata in Athanasium sententia. Sed nihil effecit eorum, quæ sperabat. Paulus verò Pontifex [f] cum Romam venisset, & alij non pauci Episcopi, quinetiam ipse quoque Athanasius, qui fuerant expulsi, comparatis ab Eusebio insidiis, simul Romæ degebant. Sanctus autem Iulius cum intellexisset esse calumniam, quæ facta fuerant aduersus Pontifices, eos literis munitos mittit ad Orientem, suam vnicuique reddens sedem, & eos simul reprehendens, qui ipsos deposuerant. Atque suas quidem ecclesias iterum sibi accipiunt, & mittunt literas ad eos, ad quos scriptæ fuerant. Cum Eusebius itaque interiisset, Paulus [g] in suam sedem restituitur. Qui autem partes Arrij sequebãtur, in ea quæ nunc ad Paulum dicitur, ecclesia eligunt Macedonium: qui blasphemè quidem filium dicebat esse patri similem, circunscribens homousium: sanctissimum autem spiritum à diuinitate omnino alienum. e per litteras scilicet. f Cum se mel tantum Paulus Romam venerit, vt notat Baron ad n. 340. § *Rursum vero*, dicendum est, id accidisse, non modo, sed postquam Hermogene occiso per Constantium expulsus est, vt infra capite 6. g Paulus recipit sedem suam.

V. CVM Athanasius autem suam recepisset ecclesiam, qui consedebant rursus Antiochiæ, (etenim rursus conuenerant, conantes vicissim criminari Iulium Romanum Episcopum) protinus impium Gregorium, quem ipsi præter leges elegerant, mittunt Alexandriam. Et eum quidem reducebat Prætor Alexandriæ, secum ducens septem millia militum. Quod cum resciuisset Athanasius, Romam iterum nauigauit. Populus autem Alexandrinus non ferens rem tam nefariam, ecclesiam, quæ vocabatur Dionysij, non recte id faciens, exussit. Cùm verò resciuisset Constantius, qui agebat Antiochiæ, Paulum præconem veritatis in suam sedem esse restitutum, iubet Hermogeni Duci exercitûs, qui mittebatur in partes Thraciæ, exturbare eum ex ecclesia. Et ille quidem cum venisset Constantinopolim, studebat facere, vt ei fuerat imperatum. Populus autem non est hoc passus: sed & domum eius incendunt, & ipsum extractum interimunt. Quod quidem cum audiisset Constantius, ægerrimè tulit quod factum fuerat: & cùm ipse

ipse veniſſet in ciuitatem, ſanctum quidem Paulum ex ea expellit: & ciuitatem mulctat frumento, ablato ei dimidio doni, quod illius pater, benignus ſcilicet & clemens Conſtantinus, ei donauerat. Erat autem ſumma donationis, octoginta millia panum quotidianorum. Iraſcebatur autem etiam Macedonio, non ſolum, quòd præter eius ſententiam fuiſſet electus, ſed etiam propter cædes, quas ipſe, ſeditionem agitans, fuerat cauſa faciendi.

[a] Hoc tempore venit Romam Paulus, neque in ſedē ſuam, niſi poſt concilium Sardicenſe litteris Conſtantis anno Dn 748 Marciani Vide Baron anno 342 § *Rurſum vero*, anno 348 & anno 351 § *Nos igitur quæ de Pauli.*

VI. E o [a] itaque dimiſſo, venit Romam, & verſabatur ſimul cum Athanaſio. Refert ergo, quæ paſſus fuerat, Romano Epiſcopo: & rurſus munitus eius literis & Conſtantis Imperatoris, ſtatim reuertitur, & ſuæ ſedi reſtituitur, cum magno gaudio exceptus à ciuitate. Conſtantius autem rurſus id factum ægrè tulit, & rurſus ab eo prodit iuſſus, qui iuſtum mittat in exilium. Itaque cùm eum accepiſſet Præfectus Philippus, ſanctum quidem mittit in exilium, eius vero loco in eccleſia reponit ſancti ſpiritus hoſtem Macedonium. Proceſſit autem miſſio in exilium, non apertè, ſed ex inſidiis. Cædes enim Hermogenis reddidit Philippum cautiorem ad malefaciendum: & honorificè quidem vocat Dei Pontificem ad lauacrum, quod appellatur Zeuxippus, tanquam propter quædam in communi vtilia & arcana conſilia: & illinc mittit in aulam Imperatoris, & per ipſam deinde Theſſalonicam, quæ fuit patria eius maioribus, & ei quidem eſt prohibitum aſcendere ad partes Orientis, non autem in propinquas regiones.

restitutus eſt, vt infra capite 9 narratur Quæ vero hic narrantur de Philippi in Paulum iniuriis, reſtitutione Macedonij, & martyrio & Martyrij, contigerunt prius occiſo Conſtante, vt infra cap 10. quando per eundem Philippum in Caucaſum relegatus eſt, & occiſus.

VII. Impivs autem Macedonius, militari manu ei inſeruiente, equitans ſimul cum Præfecto, Dei inuadit eccleſiam, cum ſe extendiſſet interitus ad ter mille & quinquaginta. Huius contumeliæ fuerunt etiam participes Marcianus & Martyrius, qui erant Lectores & ſcribæ diuini Pauli, vt qui ipſi quoque liberè prædicarent homouſion. Sic ergo Chriſtianorum cædibus, Eccleſiæ inimicus collocatur in ſedibus Eccleſiaſticis. Quo quidem tempore & Conſtantius magnam conſtruit eccleſiam, quæ denominatur à Dei ſapientia, & diuinitus Paulus tertio paulò poſt venit in eccleſiam: & accepto Athanaſio ſocio certaminis, docent Conſtantem ea, quę paſſi fuerant: qui erat quidem Imperator Occidentis, erat verò frater Conſtantij. Cum ille autem diligenter didiciſſet, ea quæ nefariè paſſi fuerant, ſcribit ad fratrem, vt tres Epiſcopi ad eum veniant ab Oriēte, reddituri rationem eorum, quæ in Athanaſium & Paulum ſunt perpetrata, & ſimul in ſcriptis allaturi expoſitionem fidei. [b] Et Romam quidem mittuntur quatuor Epiſcopi Narciſcus Cilix, & Theodorus Thrax, & Marces Chalcedonenſis, & Marcus Syrus. Ij cum Romam veniſſent, cum Athanaſio quidem & Paulo non auſi ſunt diſſerere: cum autem eam, quæ ab eis Antiochiæ expoſita fuerat, fidē celâſſent, & aliam compoſuiſſent: quę aperte quidem nihil continebat blaſphemum, ſed non tuebatur homouſium, tradunt imperatori: & cum nihil amplius nec feciſſent, nec paſſi fuiſſent, redierunt.

[b] Quatuor Epiſcopi mittuntur Romam anno Dn. 342. Narciſcus Cilix Neroniadis Epiſcopus, Theodorus Thrax Heracleæ antiſtes, Mares Chalcedonis & Marcus Syrus Arethuſæ Epiſcopus.

VIII. Cvm triennium autem præteriiſſet, rurſus congregantur Epiſcopi Orientales, & aliam fidem componunt, & emittunt ad eos, qui ſunt in Italia. Huius verò ſcripti, fuêre miniſtri, Eudoxius, qui tunc erat Epiſcopus Germaniciæ, & Martyrius, & Macedonius Mopſueſtiæ. Erat autem eorum fidei expoſitio alioqui eadem cum ea, quæ prius fuerat expoſita: ſed alienis quibuſdam in fine additionibus extendebatur longius. Pontificum autem, qui erat Romæ, cœtus eam minime admiſit, dicentes ſe contentos eſſe ſymbolo fidei, quod Nicęna pronunciauit ſynodus. Cum eſſent autem omnia plena tumultu & contentione, indicitur Oecumenica ſynodus ſententia duorum Imperatorum, vndecimo anno poſt deceſſum inprimis pij Imperatoris Conſtantini, eorum patris. Conuenerunt ergo Sardicen, ab Occidente quidem pluſquam trecenti Epiſcopi: ex Oriente autem ſoli ſeptuaginta ſex. Epiſcopi verò Orientis non admittebant ad colloquium Epiſcopos Occidentis. Cauſa autem erat, quod [c] Paulus & Athanaſius athletæ pietatis, cum eis conſidebant.

Synodus Sardicenſis. An. 347.

[c] Baronius anno 347 §. *Quod rurſum ſpectat* putat Paulum interfuiſſe Synodo Sardicenſi, ſequutus Theodoretum lib. 1. cap 5.

IX. Cvm verò nec defenſores veræ religionis amouerent Athanaſium, nec hæretici deſiſterēt ab inimicitiis, quas gerebant in athletas, à ſe inuicem ſcinduntur: & cum Philippos, quæ eſt Macedoniæ ciuitas, veniſſent Orientales, congregantur: & tunc aperte anathemati ſubiiciunt homouſion. Qui autem erant Sardicæ, eos abſentes condemnant & deponunt tanquam calumniatores: quæ verò Niceæ confirmata fuerat, fidem corroborant, & anathemati ſubiiciunt [d] ὁμοιούσιον, id eſt, eſſentiæ ſimilitudinem. Quæ cum cognouiſſet Conſtans Imperator Occidentis, per literas docet fratrem Conſtantium, & ſuadet vt ſit clemens & benignus in Paulum & Athanaſium: & ne ſit eis impedimento, quô minus ſuis ſedibus reſtituantur: adiiciens quod niſi volens faueret iis, qui iure nituntur, ipſe veniet, & eo inuito ius reddet ijs, qui afficiuntur iniuria. Fratris itaque minas extimeſcens Conſtantius, ſanctū quidē [e] Paulum non prohibuit reſtitui ſuo Epiſcopatui: eius autem certaminis ſocium Athanaſium diuerſis ad ſe accerſit literis: & cum veniſſet, benignè accipit, & ſuæ ſedi reſtituit. Sic quidem magna perturbatio redacta fuit ad tranquillitatem, & Eccleſia gaudebat ſe habere defenſores pietatis.

[d] Error eſt & legendū ἀνόμοιον, ideſt filij à patre eſſentiæ diſſimilitudinem.

[e] Paulus A 348 & Athanaſius Anno 349. reſtituūtur.

X. Cvm autem Magnentius inuaſiſſet tyrannidem, & interemiſſet Conſtantem Imperatorem Occidentis, rurſus Arrianæ inſaniæ procella orbis terrarum conturbabat eccleſias: & rurſus quidem fugit Athanaſius: eius autem ſedē arripit [f] Gregorius, & [g] relegatur Paulus Cucuſum Armeniæ pietatis defenſor. Quo in loco per laqueum conſummatur martyrio, impiis noctu irruentibus. Conſtantinopoli autem eius loco introducitur impius Macedonius, & extruduntur paſtores ex aliis eccleſiis, eas verò rurſus inuadunt lupi, & gentium in Chriſtianos crudelitatem contendit obſcurare inſania Macedonij & vniuerſus quidem Oriens malis affligebatur: præcipue autem Conſtantinopolis. Quo tempore Angelius quoque Epiſcopus Nouatianorum, vt qui ipſe quoque tueretur homouſium, mittitur in exilium. eratque malum, quod non poteſt explicari: non ſolum procedens vſque ad Pontifices & ſacerdotes, ſed etiam fœminas & pueros, qui Macedonij repellebant cōmunionem, occupans. Nam [h] vbera quidem fœminarum, ô inſaniam, partim quidem in arcarum tegumenta iniecta & compreſſa exſcindebantur, partim autem ferro: & alia in alios excogitabantur grauia ſupplicia. Nam quę vel à Deo alienos gentiles aduerſus communem naturam excogitare impediebat pudor, ea tunc facere impiis venit in mentem.

[f] Non Gregorius ſed Georgius. Vide vitam Athanaſij 2. Maij.

[g] Paulus relegatur Cucuſum & ibi ſtrāgulatur An. 351.

[h] Nota hęreticorum rabiem.

XI. Extendit rabiem Macedonius etiam aduerſus regionem Paphlagonum, audierat enim multos ex Orthodoxis & Nouatianis in ea verſari: & efficit, vt quatuor cohortes armatorum militum aduerſus eos mittantur, & armis cogantur ad impietatem. Qui autem habitabant Mantineum, coacta multitudine, cum zelo pietatis falces & ſecures & quicquid ſe obtulerat, pro armis accepiſſent, aduerſus milites, prodeunt in aciem. Deinde commiſſo prælio, multi quidem interiêrunt, etiam Paphlagonum: ex militibus autem omnes paucis exceptis. Hoc ergo crudele & impudens facinus, non ſolum apud eos, qui erant affecti iniuria, ſed etiam apud eos, qui videbantur bene velle Macedonio, iuſtum odium excitauit. Non hoc autem ſolum, ſed etiam quod corpus Conſtantini, inprimis, inquam, pij Imperatoris (videbatur enim ædes, in qua erat ſitum, minari ruinam) acceptum ſine eius ſententia tranſtulerat in templum S. Acacij. Et quoniam non placebat omnibus translatio: ſed multis videbatur impium,

effodi

effodi corpora mortuorum,& maximè Imperatoris, qui fuit pietate insignis, facta est magna cædes,& multorum & grauium malorum, quæ fecerat Macedonius, paruas quasdam luit pœnas, dignitatis scilicet depositionem. Exauthoratur A. 359. Macedonius

XII. VIGEBAT tamen res Arrij per totum imperium Constãtij,& adhuc magis temporibus impij Valentis, donec de illo quidem sumpsit pœnas diuina iustitia: Theodosium autem Hispanum, iusta sententia Gratiani, qui administrabat Occidentem, ad sedem Imperatoriam prouexit Orientis,& fidei Orthodoxæ per ipsum robur acquisiit. Sed sic quidem Arrij hæresis, quæ quadraginta annos depopulata fuerat Ecclesias, pietate Theodosij fuit exterminata,& fides Orthodoxa fuit exornata suis iustis honoribus. Congregat itaque idem pius Imperator synodum, studens Macedonianos in concordiam redigere cum Orthodoxis & iis, qui tuebantur homousium. Quamobrem vocat eos, qui præerant eorum hæresi:& conuenerunt ex Orthodoxis, ab Alexandria quidem Timotheus, ab Hierosolymis autem Cyrillus, Meletius ab Antiochia: aderatque Gregorius Theologus,& Ascholius Thessalonicensis,& Gregorius Nyssenus,& multi alij, erant enim centum,& quinquaginta cœtus eorum vniuersus. Hæreticæ autem cateruæ dux erat quidem Eleusius Cyzicenus,& Marcianus Lampsacenus,& Euethius Ephesinus:& alii, qui erant omnes simul triginta sex. Synodus Constantinopoli cõtra Macedonianos An. 381.

XIII. ADMONEBAT autem Imperator,& quotquot erant Orthodoxi, eos, qui sequebantur partes hæreticorum, vt cum eis consentirent,& tuerentur homousion, in memoriam reuocantes, quod Orthodoxorum communionem sua sponte admiserunt. Hæretici autem iustarum reprehensionum & benignarum admonitionum nullam ducentes rationem, suam non dimittebant impietatem. Propterea ergo eiiciuntur è concilio & è ciuitate. Synodus autem eligit Nectarium, qui erat quidem è sanguine senatorio, tunc autem gerebat magistratum Prætoris, erat verò is moribus mitissimus. Confirmat autem ipsa quoque sancta Synodus expositionem fidei, quam constituit concilium Nicenum:& assentitur omnibus Imperator,& curat cum magna exportari reuerentia è Cucuso confessoris Pauli sacras reliquias,& eis procedunt obuiam longe ante Chalcedonem, quicumque ex Episcopis aderant Nectario: & cũ multis hymnis & comitatu magno eas excipiunt,& eas per mediam portantes ciuitatem, in ecclesia, quæ fuit quidem extructa sub nomine sanctæ Irenes, antiqua autem sic vocatur, quam Constantinus Imperator ex modica excitauit ad ingentem latitudinem & magnitudinem, cui etiam præsedit, ad breue tempus deposuerunt: & cum hymnos nocturnos peregissent, mane rursus tota ciuitas, cum pari honore & gloria in ea, quæ ex eius nomine nunc appellatur, ecclesia, omnibus Pontificibus & clero,& ipso simul cum eis assistente Imperatore, in sepulcro, quod sanctos excipit, deponunt, eum honorantes longis & prolixis hymnodiis, propterea quod magnos labores & grauia certamina fortiter perpessus pro pietate, euasit in cælis dignus præmiis immortalibus. In Christo Iesu Domino nostro, quem decet omnis honor, maiestas & magnificentia, tunc & semper & in sæcula sæculorum, Amen. Nectarius fit Epis. Cõstantinop. Vide celeberrimam sacratum Pauli Episc. reliquiarũ translationem An. 381.

VITA ROBERTI ABBATIS CISTERTIENSIS ORDINIS IN ANGLIA, BONA FIDE, VT APPARET, LICET INCERTO authore, conscripta. Stylum passim nonnihil correxit Fr. Laurentius Surius. AN. 1130.

I. VENERABILIS Abbas Robertus ex prouincia Eboracensi ortus, in ipsa pueritia puerorum leuitates & ludos deuitans, atque in literarum studiis proficiens, cuiusdam ecclesiæ rector postea effectus est. Sed ea ecclesia & animarum cura tandem sese abdicans, in monasterio Vuitebiensi (vulgo de Vuitiby) habitum monasticum petiit,& accepit. Per id tempus Richardus Prior monasterij S. Mariæ Eboracensis, cum duodecim sociis locum quendam, quem Fontes vocant, à Turstino Archiepiscopo accepit,& in Abbatem electus, monasterium construxit, in quo Cistertiensum habitu suscepto, vitam illorum & mores æmulabatur. Nemo illic panem ociosus edebat, nec quieti indulgebat quisquam, nisi labore fatigatus. Famelici accedebant ad mensam, fessi ad lectum. Nunquam ad satietatem refecti, nihilominus absque tristitia & murmure, cum omni alacritate benedicebant Dominum. IVNII. 7. Monastico se subdit instituto.

II. AD hanc ergo sanctam sodalitatem vir Domini Robertus, cum prius à suo Abbate copiam petiisset, sese adiunxit, eratque in labore strenuus, in lectione & meditatione assiduus, in oratione deuotus, consilio prouidus, sermone facundus. Elapsis autem quinque annis, cum iam à Christo nato ageretur annus millesimus centesimus tricesimus septimus, nobilis quidam in Northumbriæ regione amplam possessionem largitus est, in qua Robertus, creatus Abbas, assumptis secum vndecim fratribus, nouum monasterium construxit. Multa autem eius fuit abstinentia, ita vt à mensa nunquam satiatus surrexerit,& in Quadragesima pane & aqua vti consueuerit. Accidit quodã Paschali tempore, vt extincto & prostrato appetitu, cibis appositis vesci non posset. Cumque frater qui ministrabat ei, diceret: Quare non comedis pater? ille respondit: Si haberem panem auenaceum butyro illitum, fortassis inde mihi vesci liberet. Attulit ergo frater ille panem eiusmodi: sed vir Dei animaduertens, se pauxillum concupiscentiæ indulsisse vehementer expauit,& seuerus ac rigidus in seipsum vindex, gustare inde noluit, planeque ieiunus permansit. Cibum autem illum iussit pauperibus ad monasterij fores dari, vbi tum erat iuuenis quidam splendida facie, qui eũ vnà cum scutella accepit,& mox euanuit. Loquentibus verò illis de ablata scutella, subito ea decidit in mensam coram Abbate. Erat enim Angelus Domini, qui eleemosynam viri Dei è cælo missus accepit. Creatur Abbas. Eius abstinentia. Ita S. Dauid noluit bibere aquam, quam concupierat.

III. PRÆTER solitum seruitutis & precum pensum, centum quinquaginta psalmos quotidie Domino decantabat. Quodam autem tempore solito attentius orans,& lachrymis vbertim faciem rigans, animam suam coram Deo effundebat, petens vt gratum ipsi esset seruitium suum,& fratrum suorum,& vt nomina eorum in libro vitæ scriberet. Tum verò cælitus lapsa vox est eiusmodi. Confortare fili, exauditæ sunt preces tuæ,& nomina filiorum tuorum, pro quibus rogâsti, in cælis scripta sunt. Non nisi duo ex iis, in terra scripti sunt, quorum pectora terrenarum rerum amori semper affixa fuêre. Non multò post duo conuersi, quos vocant, excusso cucullo, vitam in sæculo misere finiêrunt. Preces eius.

IV. PER nouum castrum quandoque iter agens vir Dei, in multam iuuenum turbam incidit: inter quos vidit hominem mirabili curiositate huc atque illuc discurrere, procaci illis vultu blandiri, & quasi ad rem arduam illos adhortari & extimulare. Animaduertens autem non esse hominis illud officium, sed mali dæmonis ludibrium, multa vi verborum imperat illi, vt ab eis eueſtigio recedat: Heus tu, inquit, calamistrate, non indigent viri illi opera tua: recede velociter, & sequere me. Confestim ille demisso vultu Abbatis vestigia per lutum platearum, tanquam ad caudas equorum alligatus, cunctis ad eam rem valde attonitis, sequitur. Vbi autem extra vrbem ad semitarum diuerticula ventum est, dixit ei vir Dei: Quisnam es tu,& quid tibi cum illis rei erat? Respondit ille: Quis ego sim, non te latet,& conatus meos probe nôsti. Nuptiæ à diuitibus cum magna pompa in vico illo celebrantur. Ego verò in eam curam intentus eram, vt sponsus ab æmulis suis in conuiuio cæderetur: porro conuiuæ ira permoti, eam sponsi cædem vlcisci properarent, sicque ira & ebrietate occæcati, mutui vulneribus conficerent se. Denique vt intra vrbem seditione concitata, multorum animæ trucidatis corporibus in nostras manus peruenirent. Dæmonis malignos conatus impedit.

Iamque

Iamque mihi persuaseram, me de parta victoria gaudium ingens allaturum principi meo: at nunc per te dissipato cō-
silio & machinationibus meis, vacuus & inanis abscedo. His auditis, vir Domini nequitiam eius execrans, præcepit
in nomine Domini, vt ad loca deserta se conferret, nec vnquam deinceps ausus esset hominibus illudere. Ad eam
iussionem nequam spiritus euanuit, sed tantum post se reliquit horrorem, vt equi hinnitu, fremitu & vngularum fos-
sione sæuientes, vix à sessoribus possent contineri.

Videt dæmonem fratrum culpas explorantem.

V. NOCTE quadam vir sanctus vidit malignum hostem ad chori aditum consistere, & conari quidem sæpius in-
gredi, sed frustra tamen. Habebat formam rustici præcincti, longis iisque nudis tibiis ferentis à tergo sportulam, & ad
pectus lignum funibus innexum. Cœpit porro producto collo circumire chorum, oculos in fratres attentè coniice-
re, si quid forsitan posset sibi gratum in aliquo cernere. At viro Dei instantius orante, & fratres à torpore excitante,
improbus explorator diù frustrà expectans, cùm nil se proficere videret, indignabundus ad chorum fratrum con-
uersorum se contulit, illic quoque cunctos curiosè contemplans. Si quos videret somnolentos, cachinnans spreuit:
si noxiis cogitationibus occupatos, mirum in modum tripudians applausit. Tandem inter nouitios reperit iuuenem
quendam, animo ad illicita euagantem, nec nisi solo illic corpore præsentem, immo etiam clandestinam fugam me-
ditantem. Animaduertens igitur illum suę sortis esse, fuscinula apprehensum in fiscellam suam coniecit, & celeriter
inde se proripuit. Cernens id vir sanctus, multum pro illius salute anxius & solicitus, manè diligenter eum iussit in-
quiri. Sed ille ante auroram vagus & profugus, excusso suaui iugo Christi, sequutus erat inimicum. Adiunxit autem

Apostata miserè perit

se hominibus sceleratis, dedituſque latrociniis, non diù pòst captus est, & capite plexus, miserrime è vita ex-
cessit.

VI. Visio sancti viri.

DIE quodam sub Missæ sacrificio vidit in spiritu mare multiplicatis fluctuum voluminibus tumescere & sur-
sum deorsum iactari, porro nauim quandam fracto gubernaculo & diruptis rudentibus, incerta vagatione ferri, &
tandem ad scopulos illisam à compage sua penitus dissolui, vndisque hiantibus homines, qui in ea erant, absorberi.
Sacrificio peracto, misit fratres, qui die quarto in litore & loco, à viro Dei designato, submersorum corpora inuene-
runt, eaque Ecclesiasticæ sepulturæ mandârunt.

VII.

MATRONA quædam admonita à seruo Dei, ad meliorem se frugem recepit, spretaque mundi pompa & or-
namentorum fastu atque vanitate, inter delicias domûs suæ vitam solitariam agere videbatur. Sæpius ergo do-
minam illam vir Dei inuisere & ad meliora incitare consueuit: sed ea res fratribus quibusdam prauarum suspicionū
materiam præbuit, existimantibus familiaritatem illam ab impuro amore proficisci. Iam multorum aures illi infe-

S. Bernardus.

cerant, & tandem etiam ad beatum Bernardum querimoniæ delatę sunt. Ad eum ergo cùm venisset vir Dei, cuius &
nomen & meritum in spiritu iam illi reuelatum erat, vocauit eum ad se secreto, dixitque ei: Frater Roberte, falsa
sunt ea omnia, quæ siniſtra suspicio de te sparsit: atque in amoris argumentum dedit ei zonam suam, quæ meritis v-
triusque multis postea ægrotis beneficium sanitatis attulit.

IIX.

SANCTVS Godricus viri Dei confessiones recipere solebat. Ad eum ergo crebro accedebat, & inter se de mor-
bis vitiorū, virtutum remediis, itemque de secretis cælestibus, angelicis visitationibus & sanctorum patrociniis cō-
ferentes, diem cum noctibus continuabant. Is Godricus eo tempore, quo vir Dei migrauit è corpore, in cella sua ma-

Visio Godrici.

nens, duos muros candidos vidit, ad cælum vsque porrectos. In iis autem tres angelici spiritus visebantur, qui animā
beati viri in specie globi ignei ad cælos deferebant. Vnus ex iis à dextris, alter à siniſtris erat: sed præter illos tertius
quidam spiritus supra omnium verticem nimia cum exultatione antecedebat. Non enim, inquit, Godricus ita dis-
ponēte Domino, solus à corpore Robertus migrare potuit, sed cum eo quædam bonæ vitæ fœmina, Editha nomine,
decessit. Etsi autem longis terrarum spatiis à se fuerint separati, at tamen eadem hora in vna beatitudinis sorte sunt

Obitus S. Roberti.

coniuncti. Irruerunt autem in occursum beati viri spiritus nequam, sed pugnantibus pro eo angelis Dei, illi sua te-
meritate pudefiunt, & in sinum Abrahæ Robertus Christi seruus deportatur. Obiit vir Dei anno salutis. 1159. septimo
Idus Iunij.

IX.

QVIDAM ex matris vtero mutus, diù cum multis lachrymis sancti Thomæ martyris opem implorauit. Ei tan-
dem per visum apparuit sanctus Thomas, iussitque eum celeriter proficisci ad nouum monasterium, vbi à sancto Ro-
berto Abbate perfectam esset circa dubium sanitatem adepturus. At ille in animo suo obmurmurans, Quis, inquit,
mihi vel itineris dux erit, vel sumptus necessarios præbebit? Respondit sanctus Thomas: Ille tibi dux erit, qui verbo
cuncta creauit. Credidit homo, & lætus eò perueniens, optatum vocis beneficium præcepit, laudans Deum. Multa
alia vir Dei miracula edidit, quæ studio breuitatis sunt omissa.

An. 520. VITA S. MEDARDI EPISCOPI NOVIOMENSIS, AVTHORE PRIMVM FORTVNATO PRESBYTERO: CVI TAMEN AB ALIO QVO-dam docto viro non pauca postea adiecta esse non dubito.

I.

Ivnii 8. S Medardi parentes & patria.

BEATISSIMVS Medardus, egregiæ vir sanctitatis, patre Nectardo, matre verò Protagia genitus, apud
Salentiacum hæreditariam prædecessorum suorum possessionem, natus atque altus est. Est autem præ-
dium illud Salentiacus in Episcopatu situ Viromandensi, in regione autē Nouiomensi. Qui Nouiomus
cum tunc temporis castrum seu munitio haberetur, postmodum ipsius eiusdem glorioſi pontificis Me-
dardi ordinatione, pontificalis cathedræ honore, vt postmodum dicendum reseruamus, sublimatus est.
Sanctus itaque puer sub parentum tutela diligenter educatus, diuinæ prouidentia gratiæ studiis literarum eruditus,
paruo in tempore inspiratæ scientiæ lumine præ cæteris consodalibus suis eminentius claruit.

II.

S Eleutherius fit Episcopus.

ERAT autem illi eo tempore consodalis quidam Eleutherius nomine, quem ipse tanquam similis similem,
puervidelicet puerum, socius consocium quammulta diligebat familiaritate. Hunc itaque, cùm aliquando inuicem
colloquerentur, vtpote propheticæ gratiæ afflatus spiritu, Episcopum futurum esse puer ipse prædixit: & non multo
post eius spiritualem prænuntiationem ipse, per quem prophetauerat, Spiritus sanctus adimpleuit. Cum enim æta-
tis & morum sibi diuinitus adspirâsset gratia, in Tornaco ciuitate pontificali, Deo annuente, sublimatus est cathedra,
Ita S. Medardus hoc, quod prædixerat, quasi propheta diuino spiritu, iam probauit.

III.

Medardi pueri virtutes.

ERAT ei super egentibus cura non modica, adeo vt adhuc puerulus multa sese domaret abstinentia, expen-
samque suam pauperibus distribueret, ac vestimenta sua indigentibus beneuolè largiretur. Quadam siquidem die
casulam, quam ei mater sua non modici precii fecerat, dum ipse in manibus haberet, fortuito cæcum quendam ob-
uium habuit, cuius, quam tunc patiebatur, nuditati compassus, eam benigniſſimè porrexit: & licet parentum tēpo-
ralium indignationem reuereretur, quod tamen ab eis susceperat, spirituali patri Deo præsentare non dubitauit.

IV.

CONTIGIT eo in tempore genitorē suum, quem prę nominauimus, ab itinere rediſſe, equosque suos, qui de-
fatigati erant, qui tunc seruientes aberāt, huic sancto puero, quô in prato sub eius custodia reficerentur, commisisse.
Puer autem ex patris præcepto equos hilariter suscepit, & voluntati eius assentiens, iniunctum sibi officium officio-

siſſimè

sissimè adimplere properauit. Cùm verò in custodia eorum intentus esset, vidit fortuitò ignotum quendam pertransire, ac sellam equestrem, & quæ æquitantem condecent, à tergo gestare. Percontari puer cœpit, qua de causa sic incederet onustus, cùm solummodò via vianti graui satis impedimento videretur. Equum meum, ille respondit, cõtigit casu deperîsse: quæ tamen equi erant, inutile mihi visum est perdidisse. Faciliùs nempè solum equum mihi erit comparare, quàm & equum & ea, quæ huiusmodi condecent officium, reparare. Puer autem bonæ indolis, tantæ illius compatiens fatigationi, cùm iam eum præ nimio labore desudantem, & penè iam deficientem vidisset, ex pijssimo affectu mentis, In nomine, ait, Domini vnum ex his tolle, quos hîc in custodia suscepi. Cumque viator hoc suæ potestatis non esse ambigens, aliquantulùm remoraretur. Tolle, ait, sicut dixi, & quocunque te pertransire contigerit, me huius concessionis & authorem & patronum incunctanter habebis. Persuadenti puero eques libentissimè, vtpotè nimis defatigatus, obtemperauit, equoque quam citissimè strato, cum multis gratiarum actionibus lætus abscessit. Dat equum homini afflicto.

V. Post eius abscessum, cùm iam domi paratum esset, per quendam seruitorum puer à parentibus, vt conuiuio interesset, inuitatur. Ille verò, qui ad hoc missus est, eminùs prospiciens, videt puerum propter pluuiam, quæ tunc fortè ingruebat, aliquantulùm ab equis secessisse, ac tanquam latebram propter imbrium effusionem quærentem ab officio declinâsse. Et in altum oculos eleuans, videt aquilam alarum expansione, omniq; ad hoc distento corpore, tam congruenter puerum cooperire, vt in nullo, cùm circumquaque pluuia illa grassaretur, ab inundante aëris illius contingi posset exundatione. Hoc diù miratus, tandem non sine multa trepidatione appropians, humilimè puerum sanctum adijt, & vt præcepto patris paterno interesset conuiuio, diligentissimè inuitauit. Puer autem ire recusans, Precor, inquit, frater reuertens domum, apud parentes meos super hoc me habeas excusatum. Ea de causa fortassis remorari cupiebat, quô iam dictus eques in hac remoratione longiùs aueheretur, ne fortè ab aliquo, si eum insequi vellet, inueniretur. Reuersus itaque seruulus, parentibus filij replicat excusationem, & non sine multa stupefactione aquilæ super puerum ex ordine pandit obumbrationem. Parentes cum omni familia super his, quæ audierant, murmurantes inuicèm lætantur. Vt verò certiores fiant, ad videndum tantum hoc miraculum hilariter sese cohortantur. Relicto conuiuio pater, cum omni ruit familia, mater cum ancillulis suis currendo penè atterit vestigia: vnum omnibus votum, si fortè, quæ auditu didicerant, visu etiam probare possent. Vbi verò illò ventum est, intuentur diligentiùs, & quod relatu didicerant, ipso suorum oculorum testimonio veraciter confitentur. Pater & mater super filio quam familiariter illachrymantes, Deo puerum commendant, ac non sine multa deuotione, charissimæ suæ sobolis innocentiam retractant. Aquila eum à pluuia tuetur.

VI. Inter hæc milites, quorum equos custodire erat, equis recensitis, vnum deesse reperiunt: quem vt huiusmodi hominibus mos est, à puero intentè requirunt, blandè ac leniter paruulum demulcent, instanter ab eo requirentes, si quam per eum damni huius adinuenire possent recuperationem. Erat siquidem aliquantula iam super talibus de illo suspicio: quia eum erga pauperes nõ nesciebant esse munificum, ac quicquid vspiam reperire poterat, in vsus eum audierant expendere miserorum. Cumque à famulis ea de causa & priuatim & publicè argueretur, appropians patri, rem ei ex ordine pandit. Miratur pater clementissimam compunctionem filij, & licèt damni aliquantulum sibi non nesciret imminere, admodùm tamen super beneuoli pueri beneuola congratulatus est compassione. Tantum huius pueri Dominus in sua perspiciens voluntate famulatum, ipso eodem momento magnum subitò dignatus est declarare miraculum. Nam cùm denuò equorum suorum solicitè recenserent numerum diuina sic operante maiestate, totam eorum integritatem ex improuiso reperiunt. Mirantur adstantes: familia cuncta lætatur. Pater cum matre filium quam familiariter amplexantur, & vt in altiora se subrigat, lachrymabiliter cohortantur. Fili, aiunt, omnia nostra, tua sunt, vtere nostris, vt libet. Tuo, aiunt, & nostro, vt tibi visum fuerit, in Dei gratia vtere patrimonio, vt nos tecum consortes perennis vitæ habeas in præmio. Non diffidebant enim se eius oratione saluari, quem iam tantis à Deo videbant virtutibus illustrari. Et hæc dicentes, secum adducunt puerum, multoque cum gaudio in his & in alijs bonæ suæ sobolis actibus Deo gratias referentes, gratanter sese reficiunt. Benignitas eius in pauperes. Equus diuinitùs restituitur.

VII. Accidit postmodùm, dum domi puerulus haberetur, inter indigenas non modica quædam altercatio, de terminis videlicet agrorum, vt frequenter fieri videtur, iugis & infinita disceptatio. Rixabantur multoties à manè vsque ad vesperam, & vt huiusmodi rusticis moris est, penè iam ad arma vsque inuicem exprobrando processerant. Genus enim hoc agreste hominum, si quid inter eos dissensionis exortum fuerit, nisi cum multa ignominia terminare nesciunt. Cùm verò tandem ex communi consensu ad dirimenda agriculturæ suæ processissent confinia, contigit cum eis adfuisse & hunc venerabilem puerum. Vbi verò ventum est ad locum, cum diuersi diuersa sentirent, videt puer lapidem terræ fixum, vt plerumque videri solet in terminis agrorum. Super quem pedem inijciens, Hic est, inquit, terminus, & huius contentionis limes certissimus. Ad cuius leuissimum tactum lapis ille ita subsidit, velut cera à facie candentis ferri liquescit. Apparet equidem figura plantæ pedis eius, in eadem cautè adeò subtiliter expressa, vt à nullo artificum expressiùs exculpi aut signari possit. Ita contentione sedata, Dominum, qui magna operatur in minimis, glorificantes, redierunt in sua. Extat vsque in hodiernum diem penes nos idem lapis, magnæq; apud eos, quibus est cognitum, habetur venerationis. Hæc duo quæ in pueritia eius acta cognouimus, dixisse sufficiat. A modò autem ad ea, quæ in maturiori eius ætate per eum Dominus operatus est, Deo ipso annuente, tota mentis intentio est dirigenda. Vestigium pedis eius in saxo perdurat.

VIII. Perspicientes autem boni parentes bonæ sobolis suæ beneuolentiam, & in seruitio Dei eius attendentes industriam, Episcopo eum, qui tunc temporis Viromandensi præerat ecclesiæ, commendauerunt, orantes deuotissimè, quatenùs episcopali benedictione ad clericatûs promoueretur officium. Commendatum itaque sibi benignè Præsul ipse suscepit, beneuolè amplexatus est, & diligenter enutriuit, & tanquam vnicum & vterinum filium in fide & doctrina Ecclesiastica educare liberaliter elaborabat. Quantæ ipse liberalitatis, quantæ sanctimoniæ seu castimoniæ se à puero exhibuerit, quanta humilitate seu reuerentia & apud Deum & vrbis pontificem claruerit, pro certo edicere nostræ non est possibilitatis. Erat quidem magnanimus in aduersis, mitis in prosperis, cunctos sibi obedientiæ sedulitate præferens, morum claritate præcellens, egentibus larga miseratione succurrens. Sicque viriliter fomite conculcato vitiorum, augustiorem conscendens scalam virtutum, quicquid Deo contrarium sentiebat, declinabat: quicquid verò placitum nouerat, omni nisu exequebatur. Erat siquidem in oratione assiduus, ieiunijs & vigilijs intentus, aliorum tribulationibus tanquam suis ipsius lachrymabiliter compatiens. Omnibus omnia factus erat, vt omnes ad æternam confortaret consolationem. Quid plura? Multis attestantibus peregrinus erat in sæculo, & iam pro certo mansionarius credebatur in cœlo. Facies eius iucunda, lingua eius facunda, os eius in laudẽ Dei semper erat apertum. Carnis voluptatibus reluctans, perfectiorẽ spiritualis vitæ lineam toto nisu exequebatur. Obedientiæ virtute omnibus se imitabilem, frugalitate laudabilem, & vniuersa morum probitate præbebat insignem: de virtute in virtutem, secundùm Psalmistam, transmigrabat, vt Deum deorum videre promereretur in Sion. Catalogus virtutum eius. *Psalm. 83.*

IX Decursis itaque cum multa honestate inferiorum ordinibus graduum, post bonam eorum administrationem, diuina sibi adspirante gratia, sub multimodo vtriusque sexûs testimonio, sacerdotale coactus est ad officium. Simul verò vt tam sublimi promotus est dignitate, quanta corpus suum parsimonia macerauerit, quis posset explana- Sacerdotio initiatur post alios inferiores ordines.

explanare? Ipse equidem multa se affligens abstinentia, esurientes reficiebat: sitiens ipse, sitientes refocillabat: nudos, suæ non parcens nuditati, misericorditer vestiebat: & omissis suis suorumq; vsibus, quicquid sibimet subripere poterat, pauperibus & egenis benignè largiebatur. Postquàm ergo vir beatus dignitatem, vt prælibatum est, adeptus est sacerdotij, diuinæ dispositionis gratia, multimodâ miraculorum meruit declaratione publicari. Deus siquidem, cuius ipse sanctis institutionibus viriliter elaborabat obedire, per multa eum insignia mundo non dedignatus est declarare.

CONTIGIT fortè illis in diebus latronem quendam vineam eiusdem sancti noctù irrupisse, multaque cum auiditate vuas & palmites, & quicquid arripere potuit, irreuerenter decerpsisse. Secabat gladio, quod manu discerpere non poterat: quæque manum eius euadere poterant, pedibus atterendo conculcabat. Sanctus ipse Medardus ipsa fortassis eadem hora solitis incumbebat orationibus, & sicut huiusmodi decet hominem, Deum tam pro inimicis, quàm pro amicis suppliciter deprecabatur. Orâsset autem, nécne, non dormitabat tamen neque dormiebat peruigil custos Israël. Cùm enim miser ipse latro plenis præda manibus effugere conaretur, tota nocte vineam circumiens, aditum exeundi reperire non potuit: immò vellet nollet aduſq; auroram suo ipso furto deuinctus, ibidem tota ipsa nocte permansit. Quid ageret? A summo vsque ad summum, vineam tum rependo, tum discurrendo circumquaque percurrebat, obstructos sibi sentiens exitus, iniquæ suæ malitia conscientiæ admodùm torquebatur. Miser ipse vuas, quas decerpserat, dimittere non poterat: Immò tanquàm proprias ad augmentum iudicij sui reseruare cogebatur. Aurora igitur illucescente, custodes subitò conueniunt, vineam conculcatam, palmites diruptos, vindemiamque irreuerenter desecatam reperiunt, & eueſtigiò latronem circumquaque insequuntur. Stupefactus nimirùm raptor infelix, latebat in vinea, quem sua ipsius rapina, tanquam iam iudicatum, penè condemnauerat. Tenebat quidem rapinam in manibus: immò ipse à sua ipsius rapina tenebatur. Nullum iam misero patebat effugium: immo in manibus suum in palàm præferebat iudicium. Abstractus demum à latibulo, confusionis suæ ignominiam confessus est in publico. Confessus est se rapiendi causa furtim vineam irrupisse, furtim quæ videbat decerpsisse: & cùm maxima parte noctis ad id elaborâsset, nusquàm exitum reperîsse. Erat ibi videre miseriam. Videres miserum illum in seipso suæ gestare sententiam damnationis, qui & rapinam præripuerat, & ab ipsa sua rapina publicè se confitebatur coarctari. De latrocinio suo gustare non potuit, & quia sanctum sacerdotem iniustè insequebatur, condemnationis suæ periculum impunè non euasit. Adiudicatus ergo iam cogebatur ad supplicium, cùm sanctus ipse sacerdos ex improuiso accurrens, misero factus est in munimentum. Memor siquidem Dei seruus Dominicæ orationis, in qua oramus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: vix de manibus eum eripuit insequentium, blandeque ac leniter demulcendo, ab hac eum culpa clementer absoluit, eumque, sicut erat onustus, liberè abire permisit.

Psal 120 Vltio diuina in furem

Matth. 6. S. Medardi clementia in furem.

HAC eadem patientia vir sanctus plerumque & in alios vsus est. Quodam namque tempore cum noctù latro alius apes suas subripuisset, apes ipsæ in sancti viri vltionem, relictis vasis suis, in malefactorem illum circumquaque diffugientem acerrima eatenùs instimulatione persecutæ sunt, quousque ad sanctum, vellet, nollet, regrederetur, & eius prouolutus vestigijs suppliciter pro commisso crimine veniam precaretur. Cui mox vt sanctus manum extendit benedictionis, & apes tanquam obedientes, ab eius insecutione cessauerunt, & antiquo domini sui dominio euidenter sese reddiderunt. XI.

Apes produnt furem

DE tauro quoque, qui ei similiter furto sublatus est, non est tacendum, ne nesciant malefactores curam non modicam Deo esse super oppressione fidelium suorum. Taurum illius malignus quidam furtim in exteras abducere partes præsumpsit, & ne ab aliquo insequentium deprehenderetur, tintinnabulum, quod à collo dependebat, præreptum multa graminis impressione obstruxit. Cùm ergo nemine se insequente in propria deuenisset, & alienum illud pecus iam ex certo sui esse iuris non desperaret, in tintinnabulum illud, quod sic damnauerat, redijt sonitus, adeò vt vbicunque esset repositum, & iugiter sonaret, & circumquaque audiretur. Abditum sæpiùs in cubiculis penetralium, in scrinio vel arca frequentiùs reconditum, semper tamen & vbique liberrimo sonitu latronis illius declamabat flagitium. Audiebant vicini & mirabantur, quid tamen res portenderet, necdum scientes, magnum aliquid designari arbitrabantur. Fraudulentus demum latro, sua diù tortus conscientia, cùm iam se pro tanto miraculo diuina iudicatum pertimesceret in præsentia, amicis suis & affinibus, quia iam celare non poterat, factionem hanc flagitiosissimam lachrymabiliter disseruit, & eorum sapienti vsus consilio S. Medardo, quod malignè defraudauerat, suppliciter restituit. XII.

Vide rem miram.

REX posteà Clotarius exercitum mouens, Somenam violenter transiuit fluuium, & vbicunque potuit deprædatus, adiacens omne deuastauit territorium. Cum multa illa præda inter Nouiomum reuertebatur & Isaram. Verùm quia & Episcopum Viromandensem, & quæ sub illa degebant ecclesia, deprædatus erat, diuinæ vltionis dignè & laudabiliter prædicandam non euasit sententiam. Parcens quippe Dominus & ipsi Clotario, & qui cum ipso huius erant participes criminis, equos tamen eorum & omnia vehicula, plaustra scilicet & alia, quibus præda illa euehebatur, adeò diuinitùs afflixit, vt per omne triduum à loco illo nullo modo possent moueri. Perspicientes autem tantum hoc Dei miraculum, ad sanctum Dei sacerdotem Medardum, qui tunc temporis Salentiaci remorabatur, suppliciter confugiunt, eique vnanimi deuotione, quæ deprædati fuerant, restituentes, cùm ab eo super commissis absolutionem suscepissent, diuino illo vinculo resoluti, læti & alacres ad propria reuersi sunt. O mira & ineffabilis Dei clementia! Quos ipse Deus iudicij sui per triduum iustissima ligauerat condemnatione, sanctus confessor Medardus vno in momento indulta relaxauit absolutione. Verè lingua Petri, & qui ab eo suscipiunt, claues sunt regni cœlorum, quibus concessum est, verè pœnitentes tam potenter à nexibus absoluere peccatorum. XIII.

Clotarius rex propter ablatas ecclesiæ res punitur. An 527.

TOSIO postmodùm quidam, qui sic dicebatur, grauissima dæmonis depressus infestatione, ad virum Dei non sine multa parentum seu amicorum suorum perductus est fatigatione. Dolens autem sanctus ipse à diabolo Dei præoccupatam esse imaginem, fidentissimam ad Deum fudit orationem: moxque signo Crucis impositò, potentissima Spiritûs sancti virtute & diabolum expulit, & hominem illum in pristinam sanitatem restituit. Tantum hunc Dei seruum plebs vniuersa multùm admiratur, & quicquid ex eius ore suscepisset, cum summa deuotione studiosiùs exequebatur. Erat enim iustus in iudicio, prouidus in consilio, in prosperitate mitis, in aduersitate fortis. Erat patiens in tribulatione, larga miseris subueniens miseratione: & licèt omnibus ipse præstantior iudicaretur, omnibus tamen tanquam præstantioribus humilimè obsequebatur: & per omnia prælatis suis obediens, subiectis suis amicabiliter sese affabilem exhibebat. Erat in oratione assiduus, in eleemosynis largus, aliorum incommoda sua ipsius æstimans, pro vniuersali omnium prosperitate Deum sedulò exorabat. XIV.

Signo Crucis sanat dæmoniacum

CONTIGIT eo in tempore Viromandensem Episcopum, qui per aliquot annorum curricula ipsam rexerat ecclesiam, Dei sic præordinante clementia, diuinum ad iudicium euocari, & sponso ecclesiæ prærepto, ecclesiam illam per aliquod temporis spatium viduari. Peractis verò non sine multo fletu Episcopi sui excubijs, regis & optimatũ assensu sanctissimum sacerdotem Medardum plebs omnis illa Viromandensis, & omnes eidem prouinciæ adiacẽtes XV.

Creatur Viromandensis Episcopus licèt inuitus.

Episco-

Episcopum sibi vnanimiter acclamabant consecrari. Quorum petitioni cùm diutiùs, indignum se iudicans, vir Dei restitisset, diuina tandem dispositione multimodis eorum precibus fatigatus, assensum dedit, & Viromandensis præsulatûs curam regendam non sine deuotissima cordis compunctione suscepit. Flebat siquidem populus ille, tantam sancti Confessoris duricordem reueritus obstinationem: compungebatur & ipse sanctus, tãtam plebis illius luctuosam admiratus deuotionem. Vicit tandem populi supplicantis supplex oratio, & quæ sibi à sanctis pontificibus obijciebatur, obedientia: & licèt inuitus, ecclesiastica tamen suscepit gubernacula. Quod verò inuitus suscepit, feliciter & intentè administrauit. Huius quippe prælationis honore sublimatus, sanctissimæq; vnctionis sacramento confirmatus, die noctuque in lege Domini meditabatur, & infatigabiliter diuinis in laudibus persistebat: & cùm ab ipsa infantia curandis pauperibus sedulò insudâsset, tum præcipuè maiorem in hoc diligentiam adhibens, in ipsis maiestatem ipsam Dei se non diffidebat amplexari. Sedula quidem prædicatione subditorum animas à diabolica liberabat seductione, bono suæ conuersationis exemplo subditorum animas confortabat, & quoscunque deuios seu erroneos nouerat, de ipsis mortis faucibus ad vitam prædicando reuocabat. Quid plura? Quod ore prædicabat, opere indissimulatè, ne alijs prædicans, ipse reprobus efficeretur, explere non negligebat. *Studia veri Episcopi.*

XVI. VERVM priusquàm beatissimus pontifex episcopali sublimatus fuisset cathedra, crebris & intolerabilibus Vuandalorum, Hunnorum, Hungarorum & aliarum gentium irruptionibus, vniuersalis deuastata erat Gallia. Destructis ciuitatibus, diruta Gallicana lamentabatur ecclesia: exectis matrum visceribus, inhumata infantium proijciebantur corpora: coniugibus interfectis, matronæ viduatæ remanserant, & præ nimia desolatione ad internecionem vsque indigenæ omnes penè deuenerant. Dolens itaque vir beatus ciuitatis illius Viromandensis, quam regendam susceperat, iam factam destructionem, veritusq; iterandam paganorum irruptionem, Nouiomum, quem munitionem prænominauimus, sano satis consilio sedem cõstituit episcopalem. Est etenim regio illa fertilis & amœna, vineis & hortis abundans, multaque annonæ cultura, bellicosos generans homines, & in Ecclesiasticis officijs vtriusque sexûs personas Deo generosè seruientes. Est & regio ipsa syluis circundata & palùdibus, & sua ipsius habilitate contra hostiles non parùm munita excursus. Ipse quoque inter geminos riuulos constitutus est Nouiomus, ab Oriente Galliola, ab Occidente Margareta circunfluitur: quos ambos tertius quidam suscipit, qui Versa nominatur: & sic pariter confluentes, non longè à mœnibus illis in Isaram, qui magni est nominis, dilabuntur. Circumquaque ibi virent pomœria, grata ibi planities est & amœnissima, pratisque & pascuis virentibus suis non modicùm arridet habitatoribus. Est etiam locus ipse ab Oriente & Occidente rupibus adeò vallatus & riuulis, montibus quoque & vallium cuniculis, quô contra plurimam hostium incursionem à paucis commodissimè possit defendi. *Gallia à barbaris vastata.* *Episcopatus Noviomens. instituitur.*

XVII. IBI ergo, ne vlteriùs direptioni subiacerent gentium, Episcopali sede confirmata sanctus præsul Domini, suæ omnes pastoralitatis multa prædicationis instantia confortabat. Prædicabat instanter pœnitentibus promissam remissionem peccatorum. Prædicabat omnibus, regnum Dei appropinquare, citoque iudicium Dei futurum. His & alijs multimodis prædicationibus & Deo charus erat, & in populo amabilis admodùm habebatur.

XIIX. CVM ergo ecclesiam, quam Nouiomi construxerat, felicissimè gubernaret, & suos quosque, prout diximus, ad æternam remunerationem confortaret, sanctum Eleutherium, Tornacensis ecclesiæ pontificem, quem ipse, vt prælibauimus, in infantia sua futurum esse prædixerat Episcopum, hominem contigit exuere, ac post felicem pontificij sui administrationem, de terrenis ad cœlestia coronandum transmigrare. Post cuius lugubres exequias, cùm de pontificis electione inuicèm dissererent, peracto triduano ieiunio, & solennibus hostiarum victimis Deo deuotè oblatis, subita sancti spiritûs inspiratione inflammati, vnanimiter sanctum hunc Pontificem Medardum elegerunt, eius se orationibus confidentes contra impetus muniendos malignorum spirituum. Id populus acclamabat, in hoc rex ipse proceresque palatij, præcipuè comprouinciales Episcopi, consentiebant. Legerunt siquidem, vocem populi, vocem ipsam esse Dominicam: & quod tam vnanimiter populus expetierat, omni remota excusatione fieri adiudicabant. Recusabat humilimè insignis Dei Præsul, quod plebs tam vnanimiter acclamabat: obstinato eis animo, impotentem se & indignum vociferans, magnanimiter resistebat. Pontificali demum, metropolitani scilicet & comprouincialium suorum euictus authoritate, regisque ac procerum assensu, plebisque coactus incessabili acclamatione, vix consensit, & vnanimi, pontificali videlicet ac regali, authoritate duas illas ecclesias vnam fecit. Vtrumque ouile pastor egregius consilio & authoritate comprouincialium Episcoporum tempore Hormisdæ Papæ sub sancto Remigio, tunc temporis Rhemorum Archiepiscopo, assensu regis & curialium ac vtriusque plebis acclamatione tandem suscepit, & vt vtrique ecclesiæ Cathedralis semper honor maneret, benignè concessit. Quot & quanta in regione illa opprobria, quot & quantas perpessus sit iniurias, quoties comminationibus iniuriatus fuerit Tornacensium, quoties pro incessabili prædicatione adiudicatus fuerit ad supplicium, licèt nos lateat, Deo tamen soli manifestum esse, nulli est ambiguum. Erat enim gens ipsa fera & indomabilis, duræ ceruicis populus & implacabilis, prauis admodùm subditus obsequijs idolorum, & cum multa obstinatione suorum defendens culturam deorum. His ipse se viriliter inijciens sanctus Episcopus, Euangelicas & Apostolicas institutiones imperterritè prædicabat, falsis eorum obiectionibus magnanimiter respondebat, & imaginarias eorum opiniones veridica prophetarum prænunciatione viriliter expugnabat. Aderat siquidem ei diuina semper gratia, quæ illum & ab infidelium protegebat incursu, & eorum quoq; infidelium ad dulcisonam spiritualis doctrinæ institutionem emolliebat auditus. Sicq; factum est, vt paruo in tempore innumerabilis eorum multitudo ad fidem catholicam conuerterentur, & Deo præordinante, per inæstimabilem sancti huius pontificis instantiam, sacrosancti baptismatis vnda, maxima ex parte sanctificarentur. *S. Eleutherius decedit.* *Compulsus Tornacensem ecclesiam regendam suscipit.* *Tornacensium barbari mores.* *Tornacenses conuertuntur.*

XIX. COMPROBATVR in hoc sancto pastore veridica summi pastoris sententia, quam eius ex ore sancta & Euangelica nos docet historia. Signa, inquit, eos, qui in me credunt, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & benè habebunt. Dæmonia quidem sanctus Dei athlera eiecit, cùm creatoris imaginem ab idolorum cultura in remissionem peccatorum prædicando reuocauit. Lingua eum noua locutum esse non diffidimus, cùm ad eius prædicationem, quam eatenùs non audierant, infideles ad fidem transisse non nescimus. Serpentes siquidem eum manifestum est eiecisse, cùm prædicationis sanctæ antidoto ab execrabilis serpentis venenosis immissionibus languentium ei gentium corda concessum est sanâsse. Mortiferum multoties bibit, verùm ei non nocuit: cùm profanis semper repugnans persuasionibus, neque diabolo, neque ministris eius succubuit. Ægros benè se fecit habere, cùm eos ad veræ fidei sanitatem de infirmissima conuertit incredulitate. Sic itaque ad imitationem summi pastoris, qui, sicut ab eo in Euangelio suscepimus, alias habens oues, de duobus vnum ouile fecit: sanctus pontifex Medardus ferocem illam Flandrensium gentem suæ Nouiomensi ecclesiæ associauit, & per quindecim annorum spatium, licèt aliquo itineris interuallo remoti essent, ad diuinum eos cultum informare indesinenter elaborauit. Quindecim annis commissam sibi diuinitùs insedit cathedram, eo in tempore non sine multo labore incredulos & infideles ad fidem educauit catholicam, reædificatis ecclesijs eos, qui Deo inibi seruirent, non sine sana *Marc. 16.* *Signa vel miracula spiritualia.* *Iohan. 10.* *Non video, quomodo temporis ratio constet, cùm ca-*

 manûspit. 18. dica-

manûs impositione decenter consecrauit, & quicquid Deo placitum nouerat, incessabiliter & inexcogitabili deuotione ordinauit.

tur S Medardũ factũ

Tornacensem Episcopum sub Hormisda Papa, qui sedit ab anno 514. vsque ad annum 523 & hic eum quindecim annis Episcopum ibidem fuisse. Baronius verò in annalibus dicat eum anno 564 obijsse, quod & victoria Clotarij contra Chramnum filium hic cap 21. & eiusdem Clotarij mors cap 32. confirmant.

Graui morbo corripitur.

Hvivs ergo temporis transacto spacio, sanctum Dei pontificem grauissima contigit deprimi corporis infir- XX.
mitate, & inualescente morbo corporeos eius sensus de die in diem paulatim deficere. Iacebat siquidem sancti corpus omni penè suaipsius virtute destitutum: spiritus autem, quia semper Christum desiderauerat, omni nisu suspirabat ad eum. Fessum corpus ad suam anhelabat materiem: anima verò ad eam, vnde processerat, tendebat * hæreditatem. Confluebant vndique, quos ipse regendos susceperat, ad pastoris sancti plorabundam visitationem: confluebant vndiq; filij, paternam sibi lugentes adimi consolationem. Verùm licèt corpus & sensus eius corporeos grauis illa mortis occupâsset instantia, non tamen à prædicationis eius officio sanctissimæ ipsius linguæ retardabatur facundia. Deum corde suspirabat, & ore fatebatur. Deum incessanter prædicabat, & ad fidem catholicam vsque ad ipsum mortis suæ momentum, quoscunque poterat, instanter exhortabatur.

* *requiem.*

Nota Clotarij regis deuotionem.

Cvm autem beatus hic pontifex vitæ appropinquaret ad exitum, contigit Clotarium regem, postquàm XXI.
* Granum filium suum cum vxore sua ac filiabus combusserat, à regione reuerti Britannorum. Cognita verò huius inualetudine pontificis, ad eum visendum humiliter festinauit, eius se non diffidens contrà diabolicas infestationes benedictione muniri, & intercessione apud diuinam maiestatem reconciliari. Cùm ergo in hac regali visitatione, in conspectu eiusdem & principum de sepultura pontificis tractaretur suorum assensu filiorum, sua se in sede sanctus ipse præordinauit sepeliendum. Cuius sententiæ obstinato rex animo resistens, Suessionis eum constituit transferendum asserens se super corpus eius basilicam decenter ædificaturum, & ad laudem & gloriam diuinæ maiestatis cœnobialem seruorum Dei regulam ordinaturum. Cessit igitur beatissimus pontifex regiæ dispositioni, & indefesse se suosq; Domino commendans, finita oratione, spiritum exhalauit. O felix corpus, felicioremque animam! Mox eorum certissimo, qui aderant, testimonio cœli aperti sunt, & diuina luminaria ferè per duarum horarum spacium ante sancti apparuêre præsentiam, de tenebris eum transitorijs ad lucem designantia pro certo transisse perpetuam. Hoc tanto beatissimi præsulis animati miraculo, maiori, vt eum transferrent, accensi sunt desiderio. Corpore itaque sancto composito ac delato ad ecclesiam, nocte illa exequialem cum multa deuotione celebrauerunt vigiliam.

*Chramnũ

S Medardus obdormit in Domino.

Mane verò facto, cùm Episcopi, quibus interesse contigerat, suum defuncto celebrâssent officium, inopina- XXII.
bilis multitudo conuenit nobilium, de castellis & ciuitatibus, de agris & municipijs adiacentibus inæstimabilis accurrit conuentus: alij eius deuotè desiderantes interesse obsequijs, alij admodùm lugentes patrem separari à filijs. Per medias ergo plorantium lachrymas rex irrumpens cum Episcopis & optimatibus, suisipsius humeris corpus sustulit sanctissimum, Suessionis, sicut prædixerat, efferre volens ad sepeliendum. Ea nimirùm hora, quibus interesse contigit, ineffabilem lugentis populi expauêre gemitum, dum non modò in illa ecclesia, sed & per totam ciuitatem & in suburbio, per vicos quoque & plateas vnam & eandem vocem audirent plorantium. Recolebant siquidem vrbis illius indigenæ patris sanctissimi, qua eatenùs informati fuerant, benignissimam prædicationem: dolebant verò & vehementer angebantur, quia cùm patrem amisissent, patris etiam sepultura regis & procerum violentia frustrabantur. Compatiebantur qui superuenerant ad tantam plebis illius compunctam illachrymationem: verùm quia regia vrgebat dignitas, ad sanctissimi corporis intentè insudabant translationem. Vix ergo & non sine multo labore patre mœrentibus & lugentibus filijs erepto, sicut à rege susceperant, iter aggrediuntur.

Rex suis humeris eius sacrum corpus gestat.

Hvivs audita translatione sanctissimi confessoris, & non desperans de tanti clementia intercessoris, intra XXIII.
portantium cuneos cœcus quidam feretro se humilimè submisit, & protinus secundùm fidem suam, quia benè sperauerat, per sancti Medardi meritum visum gratuito munere recepit. Quid plura? Qui priùs in ciuitate tantam audierant deuotionem lugentium, & tunc super hac cæci illuminatione tantum Dei & sancti Pontificis perspiciebant miraculum, vlnas libentissimè sanctæ illius euectioni supponunt. Magna se credidit * ditatum remuneratione, cui etsi non gestare, saltem illud sancti feretrum quoquo modo licuit attrectare. Episcopi & optimates ad id se officij hilariter cohortantur, & onus illud leue sentientes, ex præcepto regis apud Attipiacum villam fluuium Axonam nauigio trangrediuntur. Postmodùm iter dirigentes contra eiusdem fluminis vndam, sicut rex præordinauerat, iter ad vrbem flectunt Suessionicam.

Cœcus lumen recipit.

* *ditandum*

Dei & sancti Pontificis gratia Bandaretus Suessionensis Episcopus, cum debita processione reuerenter oc- XXIV.
currit, ac sanctissimum corpus, prout decebat, honorificè susceperit. Sic solẽniter felix illa Suessionensium ciuitas sanctum Dei susceperit confessorem, amplexata est festiuè patronum, amodò proprium patriæ habitura defensorem.

Sancti sunt vrbium defensores.

Inter hos properantium cuneos quidam se ingessit, aurium diutiùs frustratus officio: qui mox vt peplum, XXV.
quo sacrum tegebatur corpus, osculando deuotè attigit, fraudati sensûs vsum ilicò sancti pontificis intercessione susceperit promeruit. Gratulatur admodùm rex, gratulantur etiam Pontifices cum optimatibus: magnum fit in cœlis gaudium, & adstantes vniuersi Deum ex toto corde non sine lachrymis compunctè venerantur.

Surdus audit.

Retransmeant ex præcepto regis prædictum fluuium Axonam, perueniuntque in prædium, vbi rex san- XXVI.
cti pontificis præordinauerat sepulturam. Ibi, Deo disponente, qui cuncta præuidet & prænoscit, lætitiam, qua sanctũ illius corpus euehebatur, nescio qua de causa contigit deponi. Et ecce iteratò miracula geminantur, & in vniuersali conspectu adstantium sanctissimi prę sulis merita glorificantur. Cùm enim sanctissimam eius glebam exiniuncto sibi officio ad sepulturã deportare vellent, diuino nutu tanti eam ponderis persenserũt, vt nullo modo corpus sancti à loco, vbi eum deposuerant, mouere possent. Alij alijs succedentes, ad euectionẽ totis viribus elaborabant: alij alios tanquã inualidos & impotentes increpabãt. Verùm licèt alios tanquã imbecilles causarentur, ipsi tamẽ cùm ad id sese præparassent, desiderio suo ex toto frustrabantur. Rex & qui aderant, diligenter causæ huius recẽsentes euentũ, cùm penitùs quid res hæc portenderet ignorarent, Dei solius suppliciter super hoc exorabãt subsidium. Tumultus nõ minimus super hac retardatione perstrepebat in populo dicentib. alijs, qa de sede sua tanquã captiuus abductus fuerat, hoc diuinitùs fieri, & meritò: alijs a. obijcientib. regẽ corpus sanctũ reuerenter transtulisse & veræ deuotionis studio.

Corpus sacrum loco moueri non potest.

Rex nimiùm attonitus, ad sancti loculum non sine multa deuotione appropinquauit, & solenni facta tradi- XXVII
tione, villæ illius regalis Croiciaci, in qua sanctus ipse sepeliendus erat, medietatem sancto eidem perenniter habendam sigilli regalis impressione confirmauit.

Contigit ilicò res mirabilis & laudabiliter recitanda. Mox enim vlnis suppositis, onus illud sanctissimum XXVIII.
parte quidem ex altera sine vlla difficultate subleuare potuerunt: parte verò ex altera incredibilis ponderis & penitùs immobile persenserunt. Ad hæc rex iucundo satis vultu tantam Dei retractans gratiam, quàm citiùs potuit, ad sanctissimi confessoris dominium illam, quam sibi retinuerat, iussit resigillari partem residuam. Nec mora: Dei adeò gratia sanctum mox sustulêre leuiatum, vt quod eatenùs desperauerant, sine vlla difficultate à paucis deportaretur ad sepulcrum. Defertur igitur corpus sanctum ad sepulturam: verùm illo in itinere Dominus preciosissimam suam non est dedignatus clarificare margaritam.

Nota miri quiddam.

Ante-

XXIX. ANTEQVAM enim terræ corpus sanctum conderetur, quidam vastis catenarum loris brachia surasque deuinctus, per medias sese properantium turmas non sine multa difficultate iniecit. Cui mox vt sancti confessoris concessum est tangere operimentum, omnia mox dissiluêre repagula catenarum, diruptisq; compedum vinculis, liberrimè cum multa gratiarum actione sequebatur munerarium suum. Peruentum est tandem ad eam, quam ei rex non sine Dei prouidentia præordinauerat, sepulturam: Episcopi cum Abbatibus, peractis priùs quæ Dei erant, sanctissimum illud corpus terræ decentissimè commendant. Miraculum insigne.

XXX. ECCE reiteratur sancta sancti gloria. Nam cùm eius sacratissima membra tumulo clauderentur, cœlum apertum est, & duæ columbæ visæ sunt descendisse quasi nubes, ac de ore sancti egressa est columba candida tanquã nix. Sic igitur egregius Dei athleta Medardus de terris euocatus, lætatur cum angelis: lugentibus in terra filijs ademptus, cum fratribus suis, quos semper desiderauerat, coronatur, in cœlis, vbi gratulabundè amodò, cum eisdem fratribus sequitur agnum, quocunque ierit. Sequitur ergo agnum, & inæstimabilem inhabitat lucem: de terrenis incommoditatibus gaudet se ad cœlicam translatum prosperitatem. Gratulatur se de hac nostra transitoria infelicitate ad perpetuam commoditatem translatum: de tenebris his ad incomparabile lumen esse assumptum. Lætatur quoque, se carnalibus exutum illecebris, angelicis choris esse adscriptum. Exultemus ergo & nos, fratres dilectissimi, super hac beatissimi pastoris nostri Medardi glorioßissima remuneratione: exoremus remuneratorem eius, Deum videlicet omnipotentem patrem, quô sanctissimi huius pontificis Medardi exoratus precibus, nos cum eo in æterna regni sui adscribere dignetur hæreditate: per Dominum nostrum Iesum Christum filium suum, qui cum eodem in vnitate spiritûs sancti viuit & regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen. Res sanè ad mirandæ. *Apoc 14.*

XXXI. PERACTIS celeberrimè beatissimi Dei athletæ inferijs, rex Clotarius supra venerabile sancti corpus paruum ad tempus iussit ædificari tugurium, quousq; ad faciendam inibi ecclesiam necessaria pararet expensarum. Contracta verò vndecunque potuit non parua pecunia, sanctum illud Dei habitaculum instanter ordiri perproperabat, & plerisque negocijs postpositis, ad hoc perficiendum enixiùs elaborabat: fecisset{que} paruo in tempore, quod beneuola conceperat mente, nisi secundùm quod vnicuique imminet, rebus eum humanis nimis intempestiuè contigisset excessisse.

XXXII CVM enim in Cotia sylua venatu exerceretur, valida proh dolor correptus febre, cùm ad Compendij palatium repedâsset, paruo pòst tempore morte præuentus, postmodùm verò in Ecclesia eadem, quam iam ædificare cœperat, ante scilicet S. Medardi altare, honorificè est sepultus. Expensas verò, quas huic præparauerat operi, secundùm quod Dauid rex filio suo Salomoni ad templi Domini ædificationem fecerat, filio suo Sigeberto nomine, ad ædificationem ecclesiæ, quam Deo vouerat, expendendas dereliquit, mandans & remandans ei, quatenùs si qua ei erga patrem charitatis debitæ dilectio maneret, omni occasione sepositâ, sanctæ huic, quam prænominauimus, ædificationi quousque honorificè compleretur, totam prorsus intentionem adhiberet. Clotarij regis mors. *3. Par. 29.*

XXXIII. SIGEBERTVS verò, patre sepulto, in regno confirmatus, quod à patre in hoc susceperat negocij, largiflùè prosecutus est. Admirabili enim diuersi generis lapidum constructione, secundùm quod à patre suo susceperat, Ecclesiam illam decorauit, auro & argento ac necessarijs in officio ecclesiastico ornamentorum varietatibus abundanter exornauit, censu & reditibus, prout regiam decebat dignitatem, affluenter & excellentissimè ditauit. Eleganter verò ecclesia composita, vndecunque potuit elegantiores ibi sacri ordinis ordinauit personas, quô & patris sui votum benignissimè compleret, & inibi Deo in æternum ecclesiasticum officium ex debito pro vniuersali, sua videlicet & patris sui omnium{que} fidelium, salute perenniter exhiberetur. Idem ipse venerabilis rex Sigebertus, cùm fratrem suum Chilpericum nomine apud vrbem Tornacum obsidere disponeret, apud Victoriacum Fredegundis reginæ versutia interemptus, cum priùs eum Lambris sepelîssent, ab ipso eodem fratre suo Chilperico postmodum Suessionis relatus, in ecclesia, quam decentissimè composuerat, prope patris sui tumulum decenter est sepultus. Sigebertus rex cõstruit ædem præclaram S. Medardi. Sigeberti cædes.

XXXIV. QVIA verò pro sanctæ illius ecclesiæ ædificatione, pro sancti quoque, cui ædificata est, veneratione, adhuc autem pro regum, quos prænominauimus, honorificentia, cœpto ab opere aliquantulùm deuiauimus, modò necessarium ducimus ad propositi seriem redire, quæq; post transitum glorioßissimi confessoris ad honorem eius Deus operatus sit miracula, licèt pauca de multis, non residemus scripto commendare.

XXXV HVIVS quidem sancti fama circumquaque increbrescente, infirmos varijs detentos languoribus, ad eius memoriam ex multis terrarum partibus accidit confluere, quibus per meritum sancti sui athletæ gratia diuina non dedignata est subuenire. Quod ergo priùs memoriæ occurrit, priùs dicamus: quatenùs de singulis non solum modò singulares, verùm multimodæ Deo gratiæ referantur. Tuguriolum illud, quod corpori sancto superædificatum esse præscripsimus, tantæ virtutis, diuina disponente gratia, compertum est esse, vt si quis dolore dentium attactus, ex virgulis, quibus contextum fuerat, locum doloris tangeret, confestim omnis illa dentium infirmitas abigeretur: quod & in palatio regis diuulgatum est. Quidam namque Charimeris nomine, qui eo tempore Childeberti regis referendarius habebatur, quia hoc eodem morbo grauissimè laborabat, ad eandem S. Medardi basilicam deductus est. Cumque ianuas ecclesiæ clausas repetisset, & eum dentium dolor magis ac magis vrgeret, de vna ianuarum fiducialiter hastulam excidit, & vbi magis infirmitas grassabatur, confidentissimè quod exciderat apposuit: moxque ab eo, quem diù perpessus erat, dolore liberatus est. *Miracula post obitũ S. Medardi.* Habet hæc etiam Gregor. Turon. de Gloria Confess. cap. 95. Nota.

XXXVI. HABETVR etiam baculus eius apud nos, per quem plerosq; infirmos diuersorum languorum medicamina expertos esse comperimus.

XXXVII. QVIDAM quoq; catenarũ loris indissolubiliter arctatus grauissima nimis fatigatione, sancta sanctissimi huius suffragia expetijt, cõfidens se sanctissima eius intercessione ab illa impeditione posse resolui. Vt ergo sanctæ basilicæ valuas attigit, repentino fragore vno eodemq; momento & cœlum intonuit, & vastis compedum vinculis diruptis & longè dissilientibus, homo ille indultæ adhuc insçius libertatis, multo attonitus stupore, solo prostratus est. Deinde resumptis viribus, cùm iam se sentiret expeditum, pro recepta libertate Deum & S. Medardum, cuius hoc intercessione obtinuerat, vocibus altisonis cœpit magnificare. Mirantur omnes tam citissimam diuinæ virtutis operationem, & concordi omnes acclamatione potentissimam sancti præsulis collaudant interuentionem. Vincula soluuntur.

XXXIX. ANICVLA quædam annosa nimis, & quodammodò suo ipsius superstes cadaueri, cùm ei manus arida quasi alienum quiddam de brachio dependeret, licèt iam de vita præ nimia sua ipsius ætate desperaret, ad sancti tamen cõfessoris memoriam, cuius celebrem famam audierat, deuotissima mente peruenit, eumq; multimodis precibus non sine multa lachrymarum profusione super aridæ suæ manûs, quia nimis angebatur, solicitabat recuperatione. Vt ergo se ante præsentiam beatissimi pontificis cum multo eiulatu exposuit, adfuit repentè per sancti eiusdem meritum diuinæ maiestatis suffragium. Restauratur mox mulieri, quod vitio naturæ defraudatum erat: reparatur in ea manûs aridæ naturalis integritas, & quod minus de matris assumpserat vtero, intercessoris sui benignissimo resumit præsidio. Reuiuiscit manus iuuenilis, iam præmortuo vetulæ illius brachio: & quæ priùs eleemosynam, tanquam impos laborandi, ostiatim quæsierat, iam tunc effecta docilis, suarum ipsius laborationum viuere cœpit stipendijs. Sospes effecta gaudet & lætatur, gratias quamplures suo rependens munerario, Deum adorat & veneratur. Manus arida restituitur.

SIMILITER & alia muliercula, eodem manûs morbo laborans, ante sancti eiusdem præsentiam sanitati re- XXXIX.
stituta est.

POST aliquod verò temporis interuallum, cùm iam ipse locus multæ circumquaque haberetur veneratio- XL.
nis, Vuarinbertus quidam, qui sic nominabatur, post venerabilis Autberti decessum regia præceptione regendum i-
dem cœnobiale suscepit monasterium. Quo cùm aliquot potitus esset annis, Drausionem Suessionicæ ciuitatis Epi-
scopum vita contigit excedere, sedemque illam aliquandiù absque rectore vacuam manere. Post eius autem lugu-
bres inferias, vnanimi consilio regis & ciuium Warinbertum hunc, quem prædiximus, cathedræ illi pontificali suo
magis, quàm Dei, vt pòst patuit, arbitrio rectorem substituunt.

ADEPTVS ergo regimen episcopale, multo elaborabat studio, ne priori priuaretur dignitate: & licèt cum XLI.
difficultate non minima, obtinuit tamen, quod malè quæsierat. Eheu socors nimis & ignaua mens hominum. Miser
hic nimia exæstuans cupiditate, dum prauæ suæ ambitionis augere non cessat commercium, corporis sui &, quod
dolendum est, animæ quoque sibi prohdolor, præparat exitium. Attentus siquidem extra modum negocijs sæcula-
Vuarinberti Episcopi, rebus monasterij abutentis insolentia. ribus, ac suis plùs iusto prauis inhians cupiditatibus, locum illum sanctum neglectui cœpit habere, quæque inibi à
regibus & alijs pro eleemosynarum largitione deputata fuerant, suis malè vsibus retinere. Quæ inibi Deo seruien-
tibus fideles quique Dei & S. Medardi gratia præordinauerant, suis ipse in thesauris recondebat, ac seruorum Dei
posthabita solicitudine, reditus ecclesiæ suis satellitibus irreuerenter distribuebat. Quibus præ nimia ingluuie eru-
ctantibus, spiritualis illa congregatio esuriebat: suis multo vino exæstuantibus, sancta sancti præsulis familia præ
nimio sitis ardore penè deficiebat. Nudi & pauperes serui Dei lugebant & lamentabantur: familiares autem miser-
rimi illius Episcopi per plateas in vestibus preciosissimis gloriabantur. Acclamationes seruorum Dei surda Episco-
pus aure pertransibat, cùm eis prælatus esset, eorum querimoniam, tanquam à nullo arguendus, non sine multa
cordis & oris arrogantia, imminentis sibi vindictæ nescius, pro nihilo reputabat. Ad libitum suum miserum illum,
qui pastoris indignè sibi nomen vsurpauerat, oues Domini, non suas tractare licuit: verùm illius, cuius erant pro-
priæ, manum effugere nullo modo potuit. Audiat ergo intentè quicunq; prælationis Ecclesiasticæ fungitur officio,
quàm terribili pro hac seruorum Dei reclamatione percussus sit iudicio.

ERAT siquidem in pago Cenomanico quoddam prædium, quod rex Sigebertus eiusdem ædificator Eccle- XLII.
siæ, ad eius, quam ibi Domino aggregauerat, congregationis firmauerat dominium. Prædium illud Maduallis dice-
batur, ex Britannica videlicet & Latina lingua nomine composito, quod bona vallis, nostro scilicet & Romanæ lin-
Magna demeritas illius. guæ vulgari potest interpretari eloquio. Maduallem itaque illam, id est, bonam vallem, quia multis abundabat re-
ditibus, ipse sibi Vuarinbertus ad perditionem suam vsurpauerat, & ex toto neglectis, sicut diximus, fratribus illis,
villæ illius census suis vsibus mancipabat. Gemebat S. Medardi pauper congregatio, quia quod eorum erat vsibus
deputatum, contra canonicam institutionem malè dilapidabatur in Episcopio. Quadam itaque die, cùm secun-
dùm consuetudinem de prædio illo plaustra onusta, vt diximus, ad palatium episcopale deducerentur, comperta
fratres illi Episcopi absentia, vehicula illa, vtpotè quæ sui erant iuris, ad sancti præsulis diuertere coëgerunt eccle-
siam, non diffugientes pro defensione iustitiæ corporalem, si quoquo modo inferretur, sustinere molestiam. Sua er-
go cùm suis reposuissent in promptuarijs, sanctissimi Dei athletæ lachrymabiliter solicitabant merita, quatenùs aut
En vt olim in rebus duris sancti à fidelibus innocati fiunt. eius intercessione furibundus ille inuasor placaretur, aut eius defensione ab eius protegerentur insania. Verebanturque siquidem, quod non post multum prouenisset, nisi gratia diuina lugenti suæ familiæ propiciabili clementia
subuenisset. Vt enim ad Episcopi quod factum erat peruenit notitiam, prohdolor, non retractans institutionem
canonicam, nec reueritus iudicialem Dei sententiam, cum fustibus & gladijs, non iam prælatus, verùm vir sangui-
narius ad ipsam B. Medardi cum multo superbiæ fastu, cum indoctæ plebis conuentu ausus est properare basili-
cam. Cumque irreuerenter sanctuarij regias concuterent, eosque, qui pro subitanea tormentorum expectatio-
ne, aditum obstruxerant, exprobrationibus contumeliosis insequeretur, furibundus ipse pontifex per medium eo-
rum irrumpens, præsumptuosè nimis & cum multa superbia excruciari custodes minabatur, nisi citò sibi ianuæ ape-
rirentur. In tam imminente mortis discrimine serui Dei trementes, Deo & S. Medardo non sine multa lachryma-
rum profusione animas suas commendant, & sic diuinitùs animati, aperiri furentibus illis iubent ecclesiam. Mox in-
felix Episcopus ingressus monasterium, vt eum, qui sibi aperuerat, præ nimio timore secus ianuas percepit delitesce-
re, tam validè illi baculum, quem manu gestabat, illisit in capite, vt penè totum eius vestimentum exundanti cruen-
taretur sanguine. Stupefactus frater & penè decidens, ad Deum suspirauit, & ei querimoniæ huius causam, cùm
Nota terribilem vindictam in Vuarinbertum Episcopum. aliter non præsumeret, intimo cordis murmure lachrymabiliter commendauit. Audiant tyranni seruorum Dei
reclamationes, & reuereantur: audiant fideles quique celerrimam Dei consolationem, & confortentur. Statim
enim infelicissimus ille Vuarinbertus excors & impœnitens, mox vt ante sanctissimi confessoris memoriam
tanquam oraturus genua flexit, diuino terribiliter percussus iudicio, diffusis per alui secreta viscеribus, miserabi-
liter expirauit. Fratres autem ecclesiæ, malum pro malo reddere nolentes, fratris illius, quem percussum diximus,
sedata querimonia, corpus defuncti honorificè in ipsa eadem sepeliêrunt ecclesia. Ibi sæpè per beatissimi Medardi
pontificis meritum glorioſa fiunt miracula: ibi qui fideliter precantur, grata consequuntur remedia: ibi certa
verè pœnitentibus non denegatur indulgentia: quam nobis quoque peccatoribus, de eiusdem tamen gratia non
desperantibus, per eiusdem S. Medardi largiatur intercessionem, qui fidelibus suis æternæ felicitatis repromisit con-
solationem, Iesus Christus filius Dei, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæ-
culorum, Amen.

F. LAVRENTIVS SVRIVS CANDIDO LECTORI.

HVCVSQVE nihil mutato stylo totam hanc beatissimi Medardi vitam ex quodam M. S. codice descripsimus. Testatur autem quidam scriptor anonymus in vita S. Gildardi Rothomagensis Archiepiscopi, Fortunatum presbyterum scripsisse vitam S. Medardi, & ex ea quædam citat, quæ consentiant ferè cum alia historia S. Medardi longè breuiori, nec tamen ausim affirmare eam esse à Fortunato editam. Quicquid verò illa historia refert, id totũ, paucis demptis, in hac, quam nos edimus, continetur, & permulta intermixta & addita sunt, sed lectu digna, ab alio quodam posteriori, sed non indocto viro, qui tamen aliquoties non nisi ex locis communibus sancti viri virtutes celebret: quod idem ex toto ferè se fecisse in vita S. Gildardi, qui fuit B. Medardi frater, testatur is, qui eam scripsit: quam propterea noluimus huc adscribere: sed eius loco subiecimus carmina beatissimi Audoëni Rothomagensis Archiepiscopi, simplicia illa quidem, sed propter authoris sanctitatem reuerenter complectenda.

)o(

DE SS.

DE SS. MEDARDO ET GILDARDO, QVO- AN. 520.
RVM PRIOR NOVIOMENSIS, POSTERIOR ROTOMAGENSIS EPISCOpus fuit, beatißimi Audoeni Archiepiſcopi Rothomagenſis Carmen.

Gildardus & Medardus gemini fratres.

TEMPORE Gildardus iam fratres atque Medardus,
De patre Nectardo procedunt iure paterno.
Illorum mater floret Protagia ſemper.
In mundum nati mox emeruêre renaſci,
Priuati culpa carnis baptiſmatis vnda.
Cælitùs adſcripti congaudent nomine dicti.
O quàm florentes virtutum flore parentes,
Qui prolem tantam producunt lucis in auram.
Virtus cæleſtis ſtatim commiſerat ipſis.
Seruabant pueri tales documenta magiſtri,
Illorum quoniam direxit gratia cauſam.
Qui dedit infantes, dedit illos eſſe docentes
Emeriti ſenſus, quos luſtrat cælica virtus,
Et comes æternus, quos replet ſpiritus almus.
Iam ſic Gildardus profecerat atque Medardus.
Tales ergo viros morum dulcedine miros,
Fratres Gildardum conformes atque Medardum
Laudibus eximijs placeat ſuſtollere cunctis.
Hi veri fratres, Chriſti ſub amore calentes,
Ipſos vt ſeſe rectos conantur amare.

Eodem die & nati & vita functi.

Hi ſunt Gildardus, fratres gemini, atque Medardus.
Vna dies natos vtero viditque ſacratos,
Albis indutos, & ab iſta carne ſolutos.
Moribus in placidis ſtabiles & fœdere pacis, IVNII 8.
Fratribus electis verè concordat in iſtis
Vox nimiùm ſuauis Dauidica vaticinalis:
Eſt quàm iucundum fratres habitare in vnum. Pſalm. 132.
Meſſias Chriſtus, ſanctorum ſplendida virtus.
Quicquid adeſt operis præclari monſtrat in ipſis,
Et ſic Gildardum dilucidat atque Medardum.
O Deus omnipotens, cælos fulgoribus implens,
Sanctis perpetuam vis iugiter eſſe coronam.
Tu quoque Gildardo regnum das atque Medardo.
Conſimilis Chriſtus genitori ſit benedictus,
Ex Domino Dominus, cum ſolo principe ſolus,
Qui iam Gildardum confouerit atque Medardum.
In cælo meritos ciues ſuper æthera notos
Conſuaues melli, ſub carnis iure gemelli
Fratres, Gildardus conſors ſimul atque Medardus,
Orbi lætitiam cæleſti munere plenam
Donant: hinc omnes deuoti pſallite laudes.
Gloria ſanctorum, decus & ſaluator eorum,
Tu populo præſta tibi ſic perſoluere feſta,
Vt prece Gildardi ſacra, meritiſque Medardi
Nobis æterna concedas poſt hodierna. Sancti, patroni noſtri ſunt.
Quos geminos ortu, locat alto gratia portu,
Nobis eſſe boni dignentur vbique patroni.

Extat etiam inſignis Antiphona de his duobus ſanctiſſimis Epiſcopis, ab Gregorio Turonenſi, vt habet quidam M.S. codex, edita:

AVETE magni toto orbe præſules, ortu gemelli, ſanctitate compares, ſacrati ſimul, coronati pariter, iuncti dicâſtis diem feſtum: meritis ſancte Medarde cum Gildardo inclyto, opem poſcenti ſemper ferte populo.

MARTYRIVM SS. PRIMI ET FELICIANI EX IVNII 9.
VETVSTIS MSS. CODICIBVS, PER F. LAVR. SVRIVM, MVTAta phraſi, aliquando breuius deſcriptum. Conſentiunt antiquiſſima Martyrologia.

I. TEMPORIBVS Diocletiani & Maximiani Imperatorum ſæua eſt Chriſtianis orta tempeſtas, ita, vt ſi quis huius vitæ ſectator eſſet inuentus, nec vellet idolis ſacrificare, diuerſis ſupplicijs afficeretur. Itaque ſancti viri Primus & Felicianus in Domino perdurantes, à templorum pontificibus apud imperatores delati ſunt, dictumque ab illis eſt, deos nolle reſponſa reddere, nec vlla ipſis præſtare beneficia, niſi priùs Primus & Felicianus ad ſacrificandum compellerentur. Proinde rogabant, vt tum ipſis, tum ſuo imperio ſuccurrerent, ne malè perirent. Tunc Diocletianus & Maximianus miſerunt milites, qui eos diligenter inquirerent, & inuentos comprehenderent. erant enim ciues Romani. Comprehenſos igitur duxerunt ad imperatores, qui iuſſerunt eos ferro vinctos, in carcerem protrudi. Illis autem pro Chriſti nomine victis adfuit Angelus Domini, qui eos conſolans abſoluit à vinculis, quibus erant conſtricti. Illi verò benedixerunt Deum, qui eos ſicut olim Petrum Apoſtolum, per angelum ſuum à vinculis liberâſſet: rogabantque, vt ab eiuſdem Apoſtoli meritis ipſos non ſineret eſſe alienos. Poſt dies aliquot iuſſerunt eos principes coram ſe adduci. Illis intromiſſis, dictum eſt ab officio: Adſtant. Dixerunt eis Imperatores: Vos eſtis, qui iuſſa noſtra contemnitis? Sancti martyres reſponderunt: Nos ea ſemper pro nihilo ducemus. Imperatores dixerunt: Patienter interim ferimus iniurias noſtras: ſed vos iam ſacrificate Ioui & Herculi, ne perdatis generis veſtri dignitatem. Beati martyres reſponderunt: Nos Deo placationis & laudis hoſtiam immolamus in odorem ſuauitatis, neque conſentimus operibus tenebrarum, quibus vos addicti eſtis. Imperatores dixerunt: Facite ſacrificium dijs inuictiſſimis Herculi & Ioui: aliqui carnifices vos atrociter laniabunt. Beati martyres reſponderunt: Sic mereamur pro Chriſti nomine hæc pati, vt ad martyrij coronam liceat peruenire, & ſimus participes promiſſionum eius & bonorum illorum, quæ promiſit ſe daturum illis, qui pro ipſius nomine reſpuerunt omnia mundi huius blandimenta, & ſequuntur agnum quocunque ierit. Qua autem ratione poſſumus à lapidibus & lignis opem petere, veſtroſque non deos, ſed dæmones inuocare? qui ſanè ad tantam ſunt redacti ignominiam, vt niſi ferro & plumbo confirmentur, ſtare nullo modo poſſint: eiſque cuſtodiendis canes adhibere neceſſe ſit. Quæ tandem hæc veſtra amentia eſt? Tum verò ita perciti Imperatores, iuſſerunt eos duci ad fanum Herculis: &, ſi nollent ſacrificare, dirè excruciari. Fecerunt milites, vt erant iuſſi: ſed cùm nullo pacto ſanctos poſſent à ſententia deducere, cernerentque eos pro Chriſti nomine mori mâlle, quàm viuere, virgis eos crudeliter ceciderunt, dixeruntque: Cur non obeditis decretis Imperatorum, & dijs omnipotentibus offertis ſacrificium, ad quod vos ipſa quoque natura hortatur? Reſponderunt martyres. Pareſt illi nos obedire Imperatori, qui poteſt & corpus & animam perdere in gehennam. Veſtros autem Imperatores, qui vana colunt ſimulacra, gehennæ ignis inextinguibilis ſuſcipiet. Milites hæc retulerunt ad imperatores: qui valdè irati, præceperunt eos tradi Promoto præfidi ciuitatis Numentanæ, vt eos egregiè excarnificaret, ſi nollent libare dijs.

AN. 280.

Sancti martyres vincti mittuntur in carcerem. Act. 12.

Cupiunt pro Chriſto pati.

Irrident dæmonum ſimulacra

Cæduntur atrociter virgis.

II. TVLERVNT ergo eos milites ferro vinctos, & tertiodecimo milliario via Numẽtana miſerũt eos in carcerẽ apud forum ciuitatis. At ſancti martyres à precibus & hymnis nunq̃ ceſſabant, & quotidiè ab Angelo refocillabantur. Poſt multum tẽporis Promotus præſes iuſſit in foro vrbis Numẽtanæ ſibi tribunal apparari, ſedenſq; illic, dixit: Intromittantur perſonæ. Intromiſſis ſanctis martyribus, ait: Ex præcepto Principum & dominorũ noſtrorum immolate dijs, quos magnos eſſe probat diuinitas. Reſponderunt ſancti martyres: Impios rectiùs dixeris, quàm dominos, qui in

Rurſus in carcerem trudũtur.

Christum credentes interficiunt, coluntque ligna & lapides: qui cùm nullo sensu præditi sint, nihil vobis præstare possunt: cultores verò illorum æternus vorabit ignis. His dictis, iussit eos Præses abinuicèm separari, existimans posse eos præcibus mutari, & ad sacrificandum impelli. Abducto igitur Primo, ita ad Felicianum locutus est: Consule senectuti tuæ, & sacrifica Ioui inuicto, vt iussêre domini nostri. Respondit Felicianus: Consulat senectuti meæ Christus, qui me hactenus in sui nominis fide custodiuit. Tuæ verò minæ terrorem aliquem afferre possunt, sed

Felicianus plumbatis verberatur.

mentem meam immutare nulla ratione valebunt. Iratus Præses, iussit eum immaniter plumbatis cædi: deinde erecto dixit: Cur non abijcis hanc pectoris tui insaniam, & iucundos potiùs eligis dies, quàm velis corpus tuum diuersis macerari supplicijs? B. Felicianus ait: Ego iam octoginta habeo ætatis annos, & iam triginta lapsi sunt anni, postquàm ad veri notitiam perueni, statuique in Christo benè viuere, qui me ex tuis crudelibus manibus liberabit. Nihil verò de mundi huius oblectamentis cogitans, decreui sempiterno & omnipotenti creatori meo viuere. Hæc

Atrociſſimè cruciatur.

& his similia multa dicentem iussit Præses ad stipitem ligari, & acutos clauos manibus ac pedibus eius infigi: dixitque illi: Tandiù sic confixus manebis, donec dijs immortalibus debitum persoluas officium. At S. Felicianus in Dei amore bene firmus, læto vultu pendens in ligno canebat: In Deo speraui: non timebo, quid faciat mihi homo. Dicit ei Præses: Miser, depone hanc mentis tuæ vanitatem, & nega te Christianum, vt possis multiuaria illa, quæ tibi parantur, lucrari tormenta. Felicianus respondit: Infelix & mortalium omnium miserrime: itáne creatorem ego

Psalm. 55.

Agit gratias dum torquetur.

negabo meum, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt? Quî verò illum ego negare potero, & adorare truncos & vanos deos? Tum furore percitus Præses, præcepit vt diù torqueretur. Ille autem dixit: Gratias tibi ago Domine Iesu Christe, quòd merui in eorum censeri numero, qui pro tuo nomine passi, ad martyrij coronam pertigêre. Iratus Præses, iussit eum totum triduum ita suspensum relinqui, nec quicquam omninò illi cibi aut potûs porrigi, vt vel sic victus succumberet. At ille cælesti refectus alimonia, permansit in laudibus Dei. Ea res malè habuit Præsidem. Itaque præcepit, vt flagellis cæsum è ligno deponerent, & in custodia seruarent, nec cuiquàm omninò copiam facerent ad illum ingrediendi.

Fallacia Præsidis.

POSTERO die iussit beatum Primum coram se sisti, eique dixit: Ecce frater tuus Imperatorum decretis ob- III.
secundans, & dijs omnipotentibus immolans, amicus est Augustorum & magnus in palatio. Tu ergo si idem feceris, pari frueris honore. Respondit S. Primus: Tametsi satanæ filius es, tamen rectè pronuncias fratrem meum obsecundatum esse Imperatori, sed planè cælesti, non hominibus vanissimis, qui spem suam in Deo collocare noluerunt, & ideò miserè peribunt. Fingis autem, vt me possis euertere. Nam Felicianus, quem tu excruciâsti, & cùm eum flectere non posses, in carcerem conijci voluisti, illic pro Christi nomine haud secus atque in paradiso lætatur. Por-

Primus fustibus immaniter cæditur.

rò pœnas & verbera abs te illi illata, mihi hodie Angelus Domini indicauit. Non igitur mihi contingat ab eius passione separari. Tunc Præses iussit eum fustibus validissimis cædi: sed ille dixit: Etsi corpus meum habes in manu tua, at animæ meæ nocere nihil potes. Dixit ei Præses? Sacrifica dijs. Respondit S. Primus: Tu sacrifica cum omnibus tuis. Ego Deo meo sacrificium offero placationis. Deinde iussit Præses lampadibus eius latera exuri.

Vritur lampadibus.

Psalm. 65.

Ille in eculeum leuatus & lampadibus vstus, ita psallebat: Igne nos examinâsti, sicut examinatur argentum. Benedico autem te Domine Iesu Christe, quia in te confidens nihil sentio eorum, quæ mihi à satanæ ministris inferuntur. Audiens autem Præses nihil eum sensisse, dixit ad suos: Puto equidem aut deos hominibus suas virtutes demonstrâsse, aut magicis artibus hunc omnia superare. Sanctus Primus ait: Túne magicis artibus ea tribuis, quæ Christus ad laudem sui nominis præstat seruis suis? Tum Præses iussit eum deponi de eculeo, simulque plumbum liquefieri, idque bulliens in os eius, in lecto recumbentis, infundi. Voluit autem Felicianum coràm adesse, vt his pœnis

En miram Dei virtutẽ

territus, sacrificia offerret. At S. Primus plumbum omne instar aquæ frigidæ exhausit, dixitque Præsidi: Ecce non est à me separatus ille, quem tu dicebas dijs vestris immolâsse. Confidit autem in Domino, qui nos liberabit de pœnis omnibus. pro eius enim nomine hæc patimur. Omnia autem quæ hic videntur, temporaria sunt: quæ verò præparauit Deus diligentibus se, æterna sunt. En adunati sumus in gloriam redemptionis, vt nulla nos inimicus fraude circumscribat, neque vlla tenebrarum caligo nos occupet. Poteris autem tu quoque, modò velis, credere in Christum, agnoscere creatorem tuum, & maiora his videre.

DICIT eis Præses: Sacrificate dijs: alioqui feris belluis vos lacerandos obijciam. Beati martyres respon- IV.
derunt: Audite nos & intelligite, & recedite ab istis idolis mortuis & perituris, credatisque in Deum viuum & verum, & in Iesum Christum filium eius, vt saluæ fiant animæ vestræ, possitisque euadere pœnas sempiternas. Tunc Præses ceu furijs quibusdam agitatus, dixit: Quid ita in hac insania perduras Feliciane, sicut & iste perditus? Accedite, & immolate dijs. S. Felicianus ait: Non est hic perditus: sed si tu eius dictis obtemperares, posses introire in po-

Leones in martyres immissi, mansuefiũt Item vrsi.

tentias Domini. At nunc quando te indurauit satan, aditus tibi patet in ignem æternum, qui paratus est tibi, & omnibus tibi consentientibus. Cùm aũt Præses animi angore corriperetur, iussit eos duci in amphitheatrum, quod est apud forum vrbis Numentanæ, simulq; leones duos ingentes in eos immitti, quorum rugitus omnes eius vrbis ciues exterruit. Cùm ergo veniissent ad sanctos martyres leones cum impetu currentes, ad pedes illorum se volutârunt, mireque illis blandiri & tanquam gratulari visi sunt. Voluit igitur Præses, vt illis reuocatis vrsi ferociſſimi dimitterentur. sed illi quoque omnis feritatis obliti, ceu agni quidam sanctis blandiebantur, & ad eorum se vestigia prouoluebant. Dixerunt ergo sancti martyres: Præses inique, en feræ agnoscunt creatorem suum, & vos in cordis cæcitate permanentes, non cognoscitis eum, qui vos ad imaginem & similitudinem suam creare dignatus est. Tum ve-

Multi credunt.

rò populus inter se fremitus dabat & infinitos clamores in cælum, crediderunt que in Dominum viri amplius quingenti cum omnibus suis. Conuenerant enim plurimi ad spectaculum etiam ex vicinis vrbibus.

CERNENS verò Præses se non posse illos superare, permultosque eorum causa credere in Dominum, ca- V.
pitis sententiam in eos pronunciauit. Electi sunt itaque extra amphitheatrum; & illic decollati. Corpora autem

Cæduntur capite martyres.

illorum proiecta sunt canibus: sed neque feræ, neque aues, neque muscæ illa attingere potuerunt. Porrò noctu à Christianis fidelibus rapta sunt, & ad Arcus Numentanos intra arenarium deportata. Vbi cum magnum fecissent planctum, noua sindone cum aromatibus ea inuoluerunt, & iuxta arenarium condiderunt, hymnis & psalmis per dies triginta in Dei nomine vacantes. Magna verò illic beneficia exuberant vsque in præsentem diem. Annis autem aliquot euolutis, cùm iam cessasset persecutio, multi Christi in honorem beatissimorum martyrum illorum basilicam ibi construxêre, sperantes se per illos misericordiam consecuturos in nomine Domini nostri Iesu Christi. Abest ea basilica ab vrbe Roma milliario quartodecimo: dieque natalis sanctorum martyrum incidit in quintum Idus Iunij: regnante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor in sæcula sæculorum, Amen.

Horum Martyrum corpora ex arenario via Numentana eleuauit Theodorus Papa (qui sedit ab anno 640. vsque ad annum 647.) & in vrbem translata in basilicam S. Stephani protomartyris in monte Cælio collocauit, multaq; dona, tam ex argento, quam ex auro obtulit. Ita Baron. in notis.

ALOY.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS VERONENSIS, CANDIDO LECTORI.

ARBITROR, te, optime lector, pro certo habiturum, aliam esse Pelagiam, cuius vita iam præmissa est, & aliam, quam deinceps duabus orationibus diuinus pater Iohannes Chrysostomus suaui suo eloquio ornaturus est. Prior enim Pelagia in iudicium coram Diocletiano Imperatore, matre infideli prodente, adducta est, ac boue æneo incenso combusta: Secunda verò hæc Antiochena virgo, Christiana matre orta, in iudicium non est adducta, nec igne absumpta, sed se ex alto præcipitem dedit, atque ex eo consummata est. Ex quo etiam admoneris, tertiam illam Pelagiam Antiochenam, cuius vitam in proximè præcedenti Tomo legisti, quæ priùs meretrix, mox ad Dominum conuersa, singulare cunctis peccatoribus pœnitentiæ præbuit exemplum, aliam omninò ab his duabus esse, quæ virgines extitisse leguntur, licèt vna ex eis, etiam Antiochena fuerit. Adest aliud, quod hîc te admoneamus. Chrysostomus ipse hanc alteram Pelagiam, quæ se ex tecto præcipitauit, ne in illusorum manus incideret, martyrem vocat, eiusque diem festum Antiochiæ celebrari asserit. Cui diuus Ambrosius Mediolanensis Antistes haud dissimilis, libro ij. Epistolarum, Epistola vij. ad Simplicianum scripta, virginem hanc summoperè commendat, sanctamque nuncupat. Idemque libro iij. de Virginibus, quæstionem mouens, quid super eorum meritis existimandum sit, qui se præcipitauerunt ex alto, vel in fluuium demerserunt, ne in persecutorum inciderent manus, cùm scriptura diuina vim sibi Christianum prohibeat inferre, hoc tandem modo eam soluit: Et quidem de virginibus in necessitate custodiæ constitutis, eodem habemus assertionem, cum martyrij extet exemplum. Præcipuè sanctam hanc Pelagiam virginem Antiochenam, quæ sese præcipitauit, sororesque eius duas cum matre, quæ & ipsæ in vndas semetipsas dederunt, adducit in medium, easque ad martyrium omnes properâsse commemorat. Quòd si alterius fortè sententiæ esse tibi videatur diuus Augustinus Hipponensis Episcopus libro j. de Ciuitate Dei, cap. xviij. hoc te non contristet. Idem enim pater libro eodem, cap. xxvj. te consolatur: De his, inquiens, nihil temerè audeo iudicare. Vtrùm enim Ecclesiæ aliquibus fide dignis testificationibus, vt earum memoriam sic honoret, diuina persuaserit authoritas, nescio: & fieri potest, vt ita sit. Quid si enim hoc fecerunt, non humanitùs deceptæ, sed diuinitùs iussæ, nec errantes, sed obedientes, sicut de Sampsone aliud nobis fas non est credere? Hæc ille. Cùm igitur Spiritûs sancti instinctu virgines seipsas aliquando interemerint, ne in persecutorum manus venirent, & idcircò dignis testibus Ecclesiæ sanctæ fuerit diuina authoritate reuelatum, earum memoriam esse celebrandam, idque omninò factum in sancta Pelagia credere debeamus, præsertim cùm duo hi sanctissimi pariterque doctissimi viri, Chrysostomus, inquam, & Ambrosius, virginem hanc inter Martyres collocent, eiusq; martyrium in Catholica Ecclesia veneratione celeberrima frequentetur, vides de sancta huius virginis innocentia atque felici consummatione non esse nobis vltrà relictum ambigendi locum. Lege ergo Chrysostomi duas has Pelagiæ laudem continentes elegantissimas orationes. Videbis in sancta virgine præclarum fidei testimonium, egregiam animi fortitudinem, inuiolabileque seruandæ virginitatis Christo semel promissæ propositum. Vtinam autem & nos, & Christianæ omnes virgines, tantæ fidei proficiamus exemplo. Vale.

De suis Tomis hæc dicit.

S. Ambrosij sententia de S. Pelagia, eiusq; matre & duabus sororibus.

Iudic. 16.

SANCTI PATRIS NOSTRI IOHANNIS EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI COGNOMENTO CHRYSOSTOMI, LAVDATIO IN SANCTAM VIRGINEM & martyrem Pelagiam Antiochenam, Habetur in Simeone Metaphraste.

An. 300.

I. LAVDETVR & summis præconijs celebretur Deus, quòd mulieres etiam ipsæ, quinetiam puellæ mortem contemnant ac derideant, virgineque admodùm adolescentes, & nuptiarum expertes, vltrò inferorum stimulos inuadant, neque ob id tamen aliquid graue patiantur. Omnia hæc bona per Christum ipsum è Virgine genitum nobis allata sunt, quandoquidem post partum illum & ortum maximè admirabilem, mortis vires dissolutæ sunt, & diaboli potentia ita eneruata est, vt non à viris solùm, sed ab ipsis etiam mulieribus contemnatur, neque mulieribus tantùm, sed vel ipsis puellis ludibrio sit. Quemadmodùm enim optimus aliquis pastor, cùm leonem pecora ipsa & gregem totum vastantem ceperit, & ipsius dentes euulserit, atque vngues secuerit, iubamque totonderit, talem reddit, quem vel pastorum pueri contemnant ac derideant, puelliq; deinceps illudendum tradit: ita & Christus ipse, cùm mortem, naturæ nostræ anteà horribilem, & totum genus humanum perterrefacientem expugnauerit, & omnem eius timorem dissoluerit, eam virginibus etiam ipsis illudendam tradidit.

IVNII 9.

Eneruatæ dæmonum vires.

A simili.

II. QVAMOBREM & beata virgo Pelagia tanta cum voluptate ad mortem cucurrit, vt neque carnificum manus expectarit, neque in iudicium ingressa fuerit, sed proprij animi studio, & summa alacritate illorum sæuitiam anteuerterit. Parata erat ad cruciatus, tormentaque, & omne suppliciorum genus perferendum: sed metuebat tamen, ne virginitatis coronam perderet. Hinc autem discas, impiorum hominum intemperantiam, Pelagiæ virgini timorem attulisse, quòd ab intemperata illorum hominum iniuria virgo se submouit ac præripuit. Id quod è marium numero nemo anteà facere aggressus fuit: omnes enim ad iudicium accesserant, & illic fortitudinem suam ostenderant. At mulieres ipsæ propter naturæ suæ conditionem ad iniuriam accipiendam paratiorem, talem mortis rationem sibi excogitârunt. Nam si licuisset & virginitatem ad finem vsque seruare, & martyrij coronam percipere, ad iudicium ire non recusassent. Quoniam verò necesse erat omninò ab alterutro excidere, extremæ dementiæ hoc esse beata virgo cogitauit, dimidiatæ coronæ compotem factam abire, cùm vtriusque victoriæ palmam assequi liceret: ob idq; noluit in iudicium accedere, ac intemperantium hominum adspectu spectaculum proponi, atque procacibus oculis sui adspectûs voluptatem præbere, & sanctum illud corpus iniuriæ subijcere: sed ex thalamo & mulierum conclaui ad alterum thalamum, hoc est, in cælum ipsum ascendit.

Mira alacritate properat ad mortem S. Pelagia.

III. MAGNVM quidem est, carnifices ipsos circumstantes, & hominis alicuius latera fodientes videre: sed nihilo minus, quàm illud, hoc est. Quorum enim latera fodiuntur, eorum sensus præ tormentorum varietate consumitur, vt mors ipsa non ampliùs terribilis, sed liberatio quædam, & vrgentium malorum remissio videatur. Pelagia verò cùm nihil tale adhuc passa esset, & corpus integrum atq; intactũ haberet, neq; dolorem aliquem sentiret, forti quadam excelsi animi magnitudine certè illi opùs fuit, vt ex hac vita morte violenta seipsam eijceret. Quamobrem cùm illorum tolerantiam admiraris, huius etiam, quam diximus, fortitudinem admirare: cùm illorum patientiam obstupescis, & huius generosam mentem obstupescas, quòd talem mortem subire ausa fuerit. Nolim rem hanc simpliciter prætereas, sed cogita, quomodò par est teneram illam virginem, quæ nihil aliud nouerat, nisi virginalem aulam, illo tempore affectam fuisse, cùm milites repentè irruentes, & ad fores ipsas stantes vidit, qui ad iudicium illam vocabant, & per forum pro talibus tantisque rebus pertrahere volebant. Non pater intus erat, non mater, non nutrix, non ancilla, non denique vicinus aliquis, aut amicus præstò erat: sed sola à carnificibus illis comprehensa est.

Laudat voluntariam necem in sancta virgine Chrysostomus.

Quòd

Quòd enim exire, & carnificibus illis ac militibus respondere, quòd os erigere & vocem emittere, quòd eos adspicere, quòd denique consistere & respirare potuerit, hoc certè tale ac tantum est, vt nemo possit non illud admirari atque obstupescere. Non erant hæc naturæ humanæ facta: sed Dei maiorem partem conferentis auxilio id fiebat. At ipsa tamen otiosa non erat, sed à seipsa promptum & generosum animum, voluntatem, propositum, studium & alacritatem afferebat. Diuina igitur ope ac beneuolentia factum est, vt hæc omnia ad euentum perlata sint. Itaque ipsam & admirari, & beatam dicere meritò debemus: beatam, quòd Dei præsidium atque opem habuerit: admirabilem, quòd tantam animi alacritatem ostenderit.

Diuinę gratiæ cooperari debemus.

QVIS enim non iure obstupescat, audiens illam temporis momento tale propositum inijsse, confirmâsse & ad exitum contulisse? Scitis enim omnes vos, quemadmodùm post multa sæpè ac multo tempore cogitata, cùm occasio ipsa rei conatum à nobis exigit, si vel paululum timoris mentem nostram corripuerit, formidine repentè perculsi, consilia omnia effundimus. At verò illa momento temporis consilium ita horribile ac formidolosum inire, decernere & reipsa perficere potuit. Non præsentium virorum terror, non temporis celeritas, non sua ipsius, cui tot insidię paratæ fuerant, solitudo, non quia intra domum sola comprehensa fuerat, non aliæ denique res beatam illam virginem perturbârunt: sed ita securo & præsenti animo omnia faciebat, vt si amici & noti aliqui homines illic præstò essent: idque iure optimo: non enim erat intus sola, sed consiliarium habebat Iesum ipsum. Ille virgini præstò erat, ille ipsius mentem & cor excitabat, ille animum confirmabat: solus, inquam, ille metum omnem eijciebat. Hæc autem non simpliciter Iesus faciebat, sed quoniam martyr ipsa illius auxilio se dignam anteà præbuerat. IV.

E domo igitur egressa, petijt à militibus, vt sibi liceret redire intrò, & vestem mutare. Ingressa verò intrò, vestem mutauit, incorruptam pro corrupta, & pro fragili & caduca, stabilem ac sempiternam. Ego verò præter ea, quæ dicta sunt, & illud miror, quomodò milites illi gratiam, quam Pelagia virgo petierat, concesserunt: quomodò mulier viros decepit: quomodò nihil eorum, quæ futura erant, illi suspicati sunt: quomodò eius dolum non animaduerterunt. Neque enim est, quòd aliquis dicat, neminem vnquàm tale quippiam feciſſe. Multæ enim fortasse se præcipitârunt, & in mare seipsas iniecerunt, pectusque suum gladio traiecerunt, & laqueis colla inseruerunt: nam multa huiusmodi temporibus illis acciderant. Sed Deus ipse militum illorum corda excæcauit, vt virginis Pelagiæ dolum non animaduerterent. Quamobrem è medijs retibus virgo auolauit, & sicut cerua, cùm euadit venatorum manus, in quas inciderat, ad alicuius montis verticem venatorum pedibus & telorum iactibus inaccessum statim confugit, ac deinde à cursu *destitit, è loco illo sine timore aliquo eos despiciens, à quibus anteà insidiæ parabantur: ita & virgo illa cùm in ipsas venatorum manus incidisset, & parietibus ipsis, velut quibusdam retibus, comprehensa esset, cucurrit non in montis verticem, sed in ipsum cæli fastigium, quò nulla erat ipsis accedendi facultas: deinde illinc vacuis manibus eos reuertentes adspiciens, gaudebat, cùm infideles homines redargutos, & multo rubore adspersos videret. V.

*malim *desistit.*

COGITA quale illud fuit, sedente iudice, adstantibus carnificibus, paratis tormentis, vniuersa multitudine collecta, cùm milites ipsi expectarentur, qui Pelagiam adducerent, omnesque præ voluptate gestirent, & tanquam ebrij essent, prædam in manibus se habere sperantes, tunc illos ipsos, qui eius rei causa missi fuerant, vultu in terram demisso redeuntes videre, factumq; illud narrantes audire. Quantum dedecus, quantum mœrorem ac probrum omnibus impijs illis tunc fuisse par est? Qua tristitia, quo vultu & rubore perfusos milites illos redijsse credimus, qui reipsa didicerant, se non cum hominibus, sed cum Deo bellum gerere? Ioseph quo tempore à domina sua insidijs petebatur, vestem impuris ac scelestis barbaræ mulieris manibus detentam reliquit, & nudus exijt. Pelagia verò neque corpus suum ab intemperatis illis hominibus tangi passa est, sed cùm anima ipsa corpore denudata in cælum ascendisset, & sanctam suam carnem apud hostes reliquisset, ita dubios & perplexos aduersarios reddidit, vt nescirent quid facerent: neque enim habebant, quid reliquijs illis deinceps facerent. Talia sunt perfecta Dei opera, rerum desperationem ad multam facilitatem, sibique aduersantium res, quæ videntur facilimæ, ad extremam desperationem transferentis. VI.

Gen 39.

QVID difficultate illa maius, in quam puella tunc inciderat? Quid facilitate illarum rerum, quas milites tunc tractabant, planius videri poterat? Habebant puellam intus solam cõprehensam, domo ipsa velut carcere quodam conclusam, & tamen redierunt prædam non assecuti. Contrà puella ipsa, cùm omnibus auxilijs atque adiutoribus deserta esset, neque vllam euadendi viam haberet, sed prope illarum ferarum manus se positam videret, ex ipsis faucibus, vt aliquis diceret, abrepta, omnium insidias diffugit, & milites ac iudices, principesq; illos superauit, idque eo tempore, quo omnes se illius victores futuros sperabant. VII.

Mira Dei virtus & potentia.

POSTEA verò, quàm puella ipsa mortua est, tunc in maiorem desperationem inciderunt, vt discerent Martyrum mortem, Martyrum esse victoriam. Hoc perinde fuit, ac si, vndarum impetu ad ipsum portûs aditum irruente, nauigium merce copiosa & margaritis preciosis refertum, cùm iamiam ab illa ipsa fluctuatione submergendum esse videretur, periculum mox diffugiens, ab ipso aquarum impetu impulsum, quam celerrimè ad portum transmissum esset. Sic militum illorum inuasio ac terror, cum omnibus vndis formidolosior incidisset, fecit, vt multò celeriùs puella festinaret ad cælum ascendere: quæque nauim ipsam submersura videbatur vnda, illa saluam ad tranquillum portum transmisit: ac deinde corpus illud omni fulgore splendidius ex alto deferebatur, diabolum id videntem feriens. Non enim ita fulgur è cælis demissum, nobis terribile videri solet, vt Martyris corpus fulgure grauiùs dæmonum turmas tunc perterrefecit. VIII.

Martyrum mors, Martyrum victoria.

Nota sanctæ mortuę corpus dæmonum turmas perterrefacere.

SED vt discas non sine diuina prouidentia id factum fuisse, hoc præcipuè licet apertè intelligere ex ipsius virginis proposito & prompto animo: quodq; milites illi virginis dolum non considerârint, sed quod illa petierat, libenter concesserint: quòd deniq; ad exitum res ipsa perducta sit. Licet etiam nihilominùs & ex ipsa mortis ratione hoc intelligere. Multi enim è sublimi tecto deiecti, nihil mali passi sunt: alij verò, quibus corporis membra læsa & mutilata fuerint, post casum ipsum multo tempore superfuerunt. At in illa beata virgine nihil tale Deus ipse fieri permisit: sed statim iussit animam corpus relinquere, eamque ipse accepit, quippè quæ quantùm satis fuit, certauerat, & rem omnem impleuerat: non enim mors illa eiusmodi casûs naturam, sed Dei iussionem, consecuta est. IX.

IACEBAT igitur corpus illud non in lecto aliquo, sed in solo. Nec propterea tamen honoris expers erat, quia in solo ipso iacebat: sed solum ipsum ex eo fuit honoratum, quòd corpus illud tam glorioſum excepit: quinimò quia in terra iacebat, eo ipso corpus illud erat honoratius. Huiusmodi enim sunt iniuriæ, quæ propter Christum accipiuntur, vt honoris cumulum nobis afferant. Iacebat igitur in solo ipso, & angusto quodam loco: sed Angeli Pelagiæ corpus circundabant, & Archangeli omnes honorabant, Christus denique ipse præsens erat: nam si domini mortuos seruos aliquos nobiliores ad sepulturam deducunt, neq; id erubescunt: multo magis Christus ipse virginem, quæ eius causa libenter animam emiserat, & tantum periculum susceperat, præsentia sua honorare non recusauit. Iacebat itaq; illa, & epitaphium habebat martyrium, quod susceperat, confessionis ornatu decora, & veste omni regali purpura pretiosiore induta. Erat autem vestis illa duplex, vna virginitatis, altera martyrij. His funebribus donis ornata virgo hęc, ad tribunal Christi assistit. X.

En quantum tribuit tantus vir exanimi virginis corpori.

TALEM

XI. TALEM habitum & nos viuentes ac mortui nobis ipsis parare studeamus, illud scientes, quòd qui auratis vestibus corpus suum exornauerit, nullam ex ea re mortuo homini vtilitatem attulerit: quinetiam multorum inuidiam & reprehensionem excitauerit: quippe qui neque in morte ambitiosus, & falsæ gloriæ appetens esse desierit. At si virtute se ornârit, multos etiam post mortem sui laudatores habebit. Etenim ipsis etiam regalibus aulis apud omnes homines splendidius erit sepulcrum illud, vbi corpus iacuerit, quod cum virtute ac pietate vixerit. Huius rei vos ipsi testes estis, qui diuitum monumenta, quamuis aureis vestibus contecta, tanquam speluncas quasdam prætereuntes, ad sanctam hanc virginem multo cum studio & animi alacritate accurritis: quoniam cùm martyrio, confessione & virginitate, multæ & aureæ vestis loco, funus suum ornârit, hinc posteà discessit. Hanc igitur pro viribus & nos imitemur. Contempsit illa vitam hanc: contemnamus & nos delicias, irrideamus sumptuosos apparatus, abstineamus à crapula & ebrietate, fugiamus voracitatem.

Virtutis ornamenta cõparanda.

XII. NON temerè hæc nunc dico, sed quoniam multos video, postquàm concio hæc dimissa fuerit, ad ebrietatem, ad cauponas & mensas illas, quæ sunt in hospitijs publicis, & ad alia inhonesta opera statim reuersuros. Quamobrem precor vos & hortor, vt semper sanctam hanc virginem in memoria & mente habeatis, neq; concionem hanc celebrem dedecoretis, non deniq; fiduciam nostram ex hoc die festo ad nos proficiscentem imminuatis. Etenim nõ temerè cũ Græcis differentes huius diei festi celebritate gloriamur, eamq; obijcientes, erubescere illos facimus, cùm dicimus, quemadmodùm vrbem integram ac totam, tantumq; populum puella vna mortua singulis annis ad se attrahit, idque post tam multos annos, neque tempus vllum honoris huius seriem interrupit. Verùm si sensserint, quæ in hac celebritate committuntur, maiore laudationum parte priuati erimus. Hæc enim multitudo, quæ nunc præsens est, si benè ordinata ad nos accedere posthàc studuerit, ea res maximo nobis erit ornamento: at si cum segnitie & negligentia multa hîc aderit, probrum & accusationem nobis ea res afferet.

Dies festus S. Pelagiæ.

XIII. VT igitur vestra multitudine, charissimi auditores, nos exultare possimus, eodem recto ordine domum reuertamini, quo par est eos redire, qui cum talibus martyribus versati fuerint. Nam si quis non ita domum redierit, nõ solùm nihil profecerit, verùm etiam periculum maximum sibi attraxerit. Scio vos hoc morbo non laborare: sed non satis hoc vobis est ad excusationem, nisi & fratres ipsos inhonestè se gerentes, ad modestiam maximam, & ad conuenientem & compositum statum redigatis. Honorâsti Martyrem persentia tua? eandem illam & proximorum tuorum emendatione honora. Si enim videris inordinatum risum, atque inhonestum cursum, & illiberalem incessum, indecentemque habitum & figuram, accede, & illos ipsos, qui talia committunt, acerbo & terribili vultu intuere. At contemnent illi, & irridebunt potiùs. Sume tecum duos vel tres fratres, vel plures, vt qui hæc facit, multitudine ipsa præsente correctus, modestior fiat. Quòd si neq; sic illorum amentiam represseris, eos ipsos ad sacerdotes defer as. Sed vix fieri potest, vt ad eam impudentiam illi deuenerint, vt si reprehensi ac rogati fuerint, non cedant, verecundentur, & ab inordinata & ludicra chorea se retrahant. Quòd si decem, si tres, si duos, si vnum tantùm lucrifeceris, multam vtilitatem tibi comparaueris.

Proximi vt ad meliorẽ frugem reducendi.

XIV. AT multa est viæ longitudo. Longitudinem hanc ad eos, quos suprà diximus, colligendos sponte subeamus. Multo thuris vapore viam implemus. Honestum quidem hoc est. Verùm non tantùm via ipsa honesta apparuerit, si, vaporis atq; odorum instrumentis per illam totam dispositis, aërem ipsum odoris suauitate perfuderis, quantùm si omnes, qui hodiè per illam ipsam viam incedunt, Martyris certamina inter se narrantes domum redeant, linguas ipsas singuli pro vaporis instrumento exercentes. An non videtis cùm Imperator in vrbem ingreditur, quàm composite atq; ordinatè milites ipsi ordine vtrinq; dispositi armati incedunt, vicissim se hortantes, vt quieto & sedato ac reuerenti gradu procedant, quô ijs, qui eos spectant, compositi & spectatu digni videantur? Illos igitur imitemur. nam & nos Imperatorem deducimus, non corporeum aliquem, aut terrenum, sed angelorum Dominum. Atq; ita ingrediamur, nos mutuò hortantes ad concinnè atq; ordinatè progrediendum, vt non multitudine solùm, verùm etiam ordine ipso spectatoribus stuporem afferamus. Maximè quidem. Quamuis enim nemo præsens esset, quamuis soli per viam incederemus, neque sic tamen immodestos nos esse oporteret, diuinos illos oculos metuentes, qui semper patent, & vbique præsentes sunt, omniaque intuentur.

Honestè incedere, & de rebus bonis inter se conferre debẽt Christiani.

XV. NVNC verò etiam illud considerate, multos hæreticos hîc esse inter nos commistos, qui si vos ità saltantes, ridentes, vociferantes & ebrios viderint, summè nos condemnantes discedẽt. Quòd si aliquis vni alicui homini scandalum afferens, ineuitabiles pœnas dabit: nos, qui tam multis scandalum afferimus, quas pœnas daturos putas? Sed prohibeat illud Deus, vt post hos sermones, & hanc admonitionem aliquis ijs vitijs obnoxius inueniatur. Nam si ante hac, qui huiusmodi facinora committere audebant, venia digni non erant, post consilium atq; increpationem hanc pœna ipsa multo grauior erit & ineuitabilior tam ijs, qui hæc faciunt, quàm qui fieri vident & contemnunt. Vt igitur & illos pœna liberetis, & vobis copiosiorem mercedem comparare possitis, fratrum nostrorum curam suscipite: ad ea, quæ dicta sunt colligenda atque enarranda eos impellite, vt per totam viam hæc meditantes, & ijs, qui domi remanserunt, mensæ huius reliquias afferentes, illustre conuiuium etiam illic habeatis. Ita enim & huius diei festi gustum maximum percipiemus, & sanctam martyrem ad maiorem beneuolentiam prouocabimus, vero honore illam prosequentes: quæ maiorem etiam voluptatem capiet, si fructum aliquem & vtilitatem animas iuuantem adepti redierimus, quàm si huc venerimus, & posteà tumultuati simus.

Matth 18. Vitanda scandala.

FAXIT Deus huius sanctæ virginis, & eorum, qui similiter certauerunt, orationibus ac precibus, & vt hæc, & alia, quæ dicta sunt, diligenter memoria teneatis, & vt ad opus ipsum omnia conferentes, in omnibus ad finem vsq; Deo ipsi grati simus: Cui gloria sit & imperium, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Sancti pro nobis orãt.

BEATI IOHANNIS CHRYSOSTOMI POSTERIOR LAVDATIO IN EANDEM SANCTAM VIRGINEM & Martyrem Pelagiam Antiochenam. Est etiam in Metaphraste.

I. MAIORE quidem theatro sancta virgo Pelagia digna esset: magna enim huius puellæ certamina exiterunt, ob idq; copiosiorem theatri frequentiam requirunt. At satis illi tamen est Christus, qui solus pro omni ornamento huius virginis panegyrim ac celebritatem præsens exornat. Quo enim loco Christus adest, illic omnium Angelorum chorus præstò est. Et omnes quidem martyres sua corpora cruciatibus fortiora præstiterunt, ob idq; magnum quoddam theatrum aduersus diabolum sibi parauerunt, cùm incorporeos spiritus corpore ipso superauerint, & carnem suam cum ferro contendentem fortiter exhibuerint. Cùm verò etiam puellas ipsas video pro Christo crucifixo mori gestientes, tunc diaboli temeritatem magis rideo, qui cùm permulta vaticinandi loca sibi excogitauerit, quasi res futuras in illis ipsis prænunciaturus esset, non illud præuiderit ac vaticinatus sit, quantum dedecus quouis risu dignum hodierno die passurus esset.

IVNII 9.

Dæmonum imbecillitas & temeritas.

QVID

II. QVID enim magis ridendum aliquis duceret, quàm quod hodie passus est diabolus? Qui licèt virginem irretitam haberet, à præda tamen ipsa excidit, & puellam, quam apprehendit, tenere non potuit, quasi vmbram, non virginem apprehendisset. Nam cùm illa simplicitatem columbæ cum serpentis prudentia coniunctam haberet, vt columba quidem simplex comprehensa est, sed vt prudens serpens diffugit: quamuis enim esset comprehensa, de victora tamen non desperauit: neque animo aut consilio capta fuit, licèt corpore detenta esset: sed artem quandam atque consilium excogitauit, quo eorum, à quibus comprehensa fuerat, temeritatem eluderet, & eos tanquam stupidos redderet.

Prudens simplicitas Pelagiæ.

III. SED quidnam hoc fuit? Se consilium mutâsse puella simulauit: idque vt credibile videretur, quamuis in tantæ fluctuationis & naufragij periculo constituta esset, vultu tamen ipso hilaritatem præ se ferebat. Figmento igitur illo milites capti, & puellæ hilaritate decepti, humaniùs in illam se gerere cœperunt. Quæ cùm ab ipsis petijsset, vt tandiù liceret abesse, quoad ornatum sponsæ conuenientem sibi indueret, eundi potestatem milites ei concesserunt, quippe qui ea re non solùm illi virgini gratum facturi essent, sed futurum etiam cogitabant, vt à ludice ipso magis laudarentur, si puellam veste ornatam duxissent. Illa verò consilij sui compos facta, statim se veste induit, quæ verè decora est. Cùm enim animi fortitudine, & resurrectionis spe multa se induisset atque corroborâsset, ad ipsius tecti vestigium cucurrit, & illinc seipsam præcipitem dedit. Itaque palæstræ genus illud exegit, quod vt magnum quippiam aliquando diabolus Domino ipsi proponere ausus fuerat, cùm dixit: Si filius Dei es, mitte te deorsum.

Virgo sancta se præcipitio interficit. *Matth.* 4

IV. HVIVS puellæ fidem & animi magnitudinem valdè obstupesco. Quid enim tunc alia virgo secum ipsa non cogitasset? Dixisset quidem: Do meipsam ex hoc loco præcipitem, cùm id facere eo ipso coacta sim, quòd stuprum metuo. Laudabile est propositum, modò casum ipsum mors consequatur. quamuis enim in me mortuam hostes debacchati fuerint, id tamen ego non sentiam, meque insciente, hoc facient. At si in terram collisa, corporis membra perfracta fuerint, anima verò in membris permanserit, corporis turpitudinem molestè ferens ac dolens, tunc nihilominùs ad ludicem ducta, ea patiar, quæ semper timui: tradent enim stupro corpus ipsum membris læsum, ac me violatam dimittent: sicque duplicem feram calamitatem, tum corporeis membris læsa, tum virginitate spoliata. Hæc satis quidem fuissent, vt aliam puellam perturbarent. At illa fide ipsa ita confisa est, quasi finis ipsius sponsorem aliquem haberet: ob idque prompto animo ad eum casum festinauit.

V. ITAQVE puellæ & virginis fortitudine atque animo illo victus es, diabole. Quæ enim Domino ipsi olim proposuisti, ad ea puella quædam eius famula te prouocauit, & ad tecti fastigium accurrens, illinc seipsam iaculata est: cumque à Iudice vocata esset, tibi, qui hoc suggessisti, non obtemperauit, neque subdolam pugnam subijt: nouit enim versutas cogitationes tuas, cùm sæpè virgines ipsas ad ludices, tanquam ad flagella excipienda, vocare soleas, posteà verò sine pugna ijs, qui pugnam subiêrunt, acerbiùs detentas ejcis. At si verè ad pugnam vel ad stadia puellam prouocas, congredere nunc cum illa è tecto se dejciente, eamque illinc decidentem sustine. Audeas contra illam stare, & palæstram experiri. Excita quamcunque velis astutiam. Habes terram pro pugnæ campo. Vrge nunc gladios ipsos, vt mortem inferas. Substerne interficiendis hominibus dura cædis instrumenta. Para decedenti puellæ confractionem. Omnes enim quantumuis abstrusas atque abditas artes tuas, velut infirmissimas illa superauit, quodque maius est, neque illud à Deo exegit, quod scriptum est: Angelis tuis manda de me Domine, ne vnquàm offendam ad lapidem corpus meum: sed id petijt, vt animæ præciperet, post casum ipsum è corpore discedere.

Puella pudefacit dæmonem superbum. *Psalm.* 90.

VI. O puellam genere quidem & sexu fœminam, animo autem ipso marem. O virginem duobus nominibus extollendam, quòd in virginum grege, & martyrum choro numerata sis. O puellam ita continentem, vt neque adspectu quidem ipso fruendi facultatem intemperato Iudici præbueris. Huius igitur puellæ temperantiam & nos imitemur, & contra voluptates ipsas victoriæ trophæa erigamus. Incontinentiæ atque intemperantiæ impetum frangamus, & animum ipsum ad pietatem seruandam corroboremus. Iudices ipsos à tentationibus submoueamus, & cùm oportunum est, non abiectos, sed audaces nos præstemus. Denique membra nostra, quæ sunt super terram, mortificemus, vt Dominus ipse hoc humile corpus nostrum tale reddat, & in eam conditionem transferat, vt corporis sui formam cùm eo communicet: Cui sit gloria & imperium in sæcula, Amen.

Intemperantia & incontinentia fugienda.

ANN. 560.

VITA S. COLVMBAE, SIVE COLVMBANI

PRESBYTERI ET CONFESSORIS (QVI ALIVS EST A S. COLVMbano Luxouiensi Abbate) authore Adamanno Abbate, Insulæ Haensis in Scotia.

IVNII 9. Præfatio

BEATI nostri Patroni, Christo suffragante, vitam descripturus, fratrum flagitationibus obsecundare volens; inprimis eandem lecturos quosque admonere procurabo, vt fidem dictis adhibeant compertis, & res magis, quàm verba perpendant, quæ, vt æstimo, inculta & vilia esse videntur. meminerintque, Regnum Dei non eloquentiæ exuberantia, sed in fidei florulentia constare, & nec ob aliqua Scoticæ, vilis videlicet linguæ, aut humana onomata aut gentium diuersas *vilescunt linguas; vtilium & non sine diuina opitulatione gestarum despiciant rerum pronunciationem. Sed & hoc lectorem admonendum putauimus, quod de beatæ memoriæ viro, plura studio breuitatis, etiam memoriæ digna, à nobis sunt prætermissa: & quasi pauca de plurimis, ob euitandum fastidium lectorum, sint caraxata. Et hoc, vt arbitror, quisque hæc lecturus fortè annotabit, quod minima de maximis per populos fama de eodem beato viro diuulgata disperserit, ad horum paucorum comparationem, quæ nunc breuiter caraxare disponimus. Hinc post hanc primam præfatiunculam de nostri vocamine Præsulis, in exordio secundæ, DEO auxiliante, intimare exordiar.

*f. quæ vilescunt.

Præfatio 2.

VIR erat vitæ venerabilis, & beatæ memoriæ, Monasteriorum Pater, & fundator, cum Iona Propheta homonymum sortitus est nomen. Nam licet diuerso trium diuersarum sono linguarum, vnam tamen, eandemq; rem significat; hoc quod Hebraice dicitur Iona, Græcis verò Περιστερὰν peristeram vocitat; & Latina lingua Columba nuncupatur. Tale, tantumque vocabulum homini DEI, non sine diuina prouidentia inditum esse credimus. Nam & iuxta Euangeliorum fidem Spiritus sanctus super vnigenitum æterni Patris filium descendisse monstratur in forma illius auiculæ, quæ columba dicitur. Vnde plerumque in sacrosanctis libris mysticè Spiritum sanctum significare dignoscitur. Proinde & Saluator in Euangelio suis præcepit discipulis, vt columbarum in corde puro insertam simplicitatem continerent. Columba etenim & simplex, innocensque nuncupari debuit, qui in se columbinis moribus Spiritui sancto hospitium præbuit: cui nomini non inconuenienter congruit illud, quod in prouerbiis scri-

lego: περιστερὰν.

biis ſcriptum eſt: melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ. Hic igitur præſul noſter non immeritò non ſolùm à diebus infantiæ hoc vocabulo, Deo donante, adornatus proptio ditatus eſt; ſed etiam præmiſſis multorum ciclis annorum ante ſuæ natiuitatis diem cuidam Chriſti militi, Spiritu S. reuelante, quaſi filius repromiſſionis mirabili prophetatione nominatus eſt. Nam quidam Proſelytus Britto, homo ſanctus, ſancti Patricii Epiſcopi diſcipulus Maueteus nomine, ita de noſtro prophetizauit patrono; ſicuti nobis ab antiquis traditum expertis compertum habetur. In nouiſſimis, inquit, temporibus ſæculi, filius naſciturus eſt, cuius nomen Columba per omnes Inſularum Oceani Prouincias diuulgabitur notum: nouiſſimaque orbis tempora clarè illuſtrabit. Mei & ipſis duorum monaſteriorum agelluli vnius *ſepiſculæ interuallo diſterminabuntur: homo valdè Deo charus, & grandis coram ipſo meriti. *Prouerb. 22.* *Mauetei de S. Columbano prophetia.* **pro ſepiculæ.*

HVIVS igitur noſtri Columbæ vitam & mores deſcribens, inprimis breuis ſermonis textu, in quantum valuero, ſtrictim comprehendam, & ante lectoris oculos ſanctam eius conuerſationem pariter exponam. Sed & de miraculis eius ſuccinctè quædam quaſi legentibus, auidè præguſtanda ponam. quæ tamen inferius per tres diuiſa libros plenius explicabuntur. Quorum primus Propheticas reuelationes: ſecundus verò diuinas per ipſum virtutes effectas: tertius Angelicas apparitiones continebit; & quaſdam ſuper hominem Dei cœleſtis claritudinis manifeſtationes. Nemo itaque me de hoc tam prædicabili viro, aut mentitum æſtimet, aut quaſi quædam dubia, vel incerta ſcripturum: ſed ea, quæ maiorum, fideliumque virorum tradita expertorum cognoui relatione narrantium; & ſine vlla ambiguitate carraxaturum ſciat. Et vel ex his, quæ ante nos inſerta paginis reperire potuimus; vt ex his, quæ audiui ab expertis quibuſdam fidelibus, antiquis, ſine vlla dubitatione narrantibus, diligentius ſciſcitantes didicimus.

LIB. I. I. SANCTVS igitur Columba nobilibus fuerat oriundus genitalibus; patrem habens Fedilinitum, filium Ferguſo: matrem Æthneam nomine. cuius pater latinè Filius Nauis dici poteſt: Scotica verò lingua Magnaue. Hic anno ſecundo poſt Culedrebine bellum, ætatis verò ſuæ 42. de Scothia ad Britanniam pro Chriſto peregrinari volens enauigauit. Qui etiam à puero deditus Chriſtiano tyrocinio, & ſapientiæ ſtudiis, integritatem corporis & animæ puritatem, Deo donante, cuſtodiens; quamuis in terra poſitus, cœleſtibus ſe aptum moribus oſtendebat. Erat enim aſpectu angelicus; ſermone nitidus; opere ſanctus; ingenio optimus; conſilio magnus; per annos 34. Inſulanus Miles eſt verſatus. Nullum etiam vnius horæ interuallum tranſire poterat, quo non aut orationi, aut lectioni, vt ſcriptioni, vel etiam alicui operationi incumberet. Ieiunationum quoque & Vigiliarum indefeſſus laborationibus, ſine vlla intermiſſione diu noctuque occupatus, ita vt ſupra humanam poſſibilitatem vniuſcuiuſque pondus ſpecialis operis videretur. Et inter hæc omnibus charus, hilarem ſemper faciem oſtendens, ſanctorum ſpecie ſancti Spiritus gaudio in intimis lætificabatur præcordiis. *S. Columbæ parentes.* *Eius à puero ſtudia.* *Ieiunia & vigiliæ.*

II. SANCTVS Fintenus, qui poſtea per vniuerſas Scottorum Eccleſias valdè noſcibilis habitus eſt, à puerili ætate integritatem carnis & animæ Deo adiuuante, cuſtodiens, ſtudiis dialecticalis ſophias deditus. Hoc propoſitum in annis iuuentutis conuerſatus in corde habuit, vt noſtrum ſanctum Columbam, Hyberniam deſerens, peregrinaturus adiret. Eodem æſtuans deſiderio ad quendam vadit ſeniorem ſibi amicum, in ſua gente prudentiſſimum, venerandumque clericum, qui Scoticæ vocitabatur Columbus, vt ab eo prudentiæ quaſi aliquod audiret conſilium. Cui cum ſuos tales denudaret cogitatus, hoc ab eo reſponſum accepit: Tuum, vt æſtimo, adeò inſpiratum deuotumque deſiderium quis prohibere poteſt, ne ad ſanctum Columbam tranſnauigare debeas? Eadem hora cauſa adueniunt duo monachi ſancti Columbæ, qui de ſua interrogati ambulatione, Nuper, aiunt, de Britannia remigantes hodiè à Roboreto venimus. Soſpes ne eſt, ait Columbus, veſter Columba ſanctus pater? Qui valde illachrymati, cum magno dixerunt mœrore, verè ſaluus eſt noſter ille patronus, qui his diebus nuper migrauit ad Chriſtum. Quibus auditis Fintenus & Columbus, & omnes qui ibidem inerant, proſtratis in terram vultibus amarè fleuêre: Fintenus conſequenter percontatur, dicens: Quem poſt ſe ſucceſſorem reliquit? Battheneum, aiunt, ſuum alumnum, Omnibuſque clamitantibus, Dignum & Debitum; Columbus ad Fintenum ait; Quid ad hæc Fintene facies? Qui reſpondens, ait; Si Dominus permiſerit, ad Battheneum virum ſanctum & ſapientem enauigabo; & ſi me ſuſceperit, ipſum Abbatem habebo. Tum deinde ſupramemoratum Columbum oſculatus, & valedicens, nauigationem præparabat, & ſine vlla morula tranſnauigans, ô uam deuenit inſulam. Et nec dum in id temporis vſque nomen eius in his locis erat notum. Vnde & inprimis quaſi quidam ignotus hoſpes hoſpitaliter ſuſceptus; alia die internuncium ad Battheneum mittit, eius alloquutionem facie ad faciem habere volens: qui vt erat affabilis, & peregrinis appetibilis, iubet ad ſe adduci. Qui ſtatim adductus, primò vt veniebat, flexis genibus in terram ſe proſtrauit, viſuſque à ſeniore ſancto ſurgit; & reſidens interrogatur à Battheneo, adhuc inſcio de gente, & prouincia, nomineque & conuerſatione, & pro qua cauſa inierit nauigationis laborem. Qui ita interrogatus omnia per ordinem enarrans, vt ſuſciperetur, humiliter expoſtulat. Cui ſanctus Senior his ab hoſpite auditis, ſimulque hunc eſſe virum cognoſcens, de quo pridem aliquando ſanctus Columba propheticè vaticinatus eſt; Gratias, ait, Deo meo agere debeo quidem in tuo aduentu fili. Sed & hoc indubitanter ſcito, quod noſter monachus non eris. Hoc audiens valdè contriſtatus infit: Forſitan ego indignus tuus non mereor fieri monachus. Senior conſequenter inquit; Non quod, vt dicis; indignus eſſes, hoc dixi; ſed quamuis maluiſſem te apud me retinere, mandatum tamen ſancti Columbæ mei defenſoris profanare non poſſum, per quem Spiritus ſanctus de te prophetauit. Aliaque die mihi ſoli ſeorſum prophetico ſic profatus ore inter cætera dixit; Hæc mea, ô Batthenee, intentius debes audire verba, ſtatim namque poſt meum de hoc ad Chriſtum ſæculo expectatum, & valdè deſideratum tranſitum, quidam de Scothia frater, qui nunc benè iuuenilem bonis moribus agens ætatem, ſacræ lectionis ſatis ſtudiis imbutus, nomine Fintenus, ad te, inquam, perueniens humiliter expoſtulabit, vt ipſum ſuſcipiens inter cæteros adnumeres monachos. Sed hoc ei in Dei præſcientia prædeſtinatum non eſt, vt ipſe alicuius fieret monachus; ſed vt monachorum Abbas, & animarum dux ad cœleſte regnum olim electus à Deo eſt. * Nobis itaque hunc memoratum virum in his noſtris apud te retinere inſulis: ne & Dei voluntati contraire videaris. Sed hæc ei intimans verba ad Scothiam in pace remittas, vt in Laginenſium vicinis mari finibus monaſterium conſtruat; & ibidem Chriſti ouium paſcens gregem, innumeras ad patriam animas cœleſtem perducat. Hæc audiens ſanctus Iunior Chriſto lachrymas fundens, agit gratias, inquiens; Secundum ſancti Columbæ propheticam fiat mihi & mirabilem præſcientiam. His denique verbis Sanctorum obtemperans, & à Battheneo accipiens benedictionem, in pace ad Scothiam tranſnauigauit. *S. Fintenus cupit adire S. Columbam.* *Mortuo S. Columbâ accedit ſucceſſorem eius, & petit fieri Monachus.* *Prophetia S. Columbæ de Finteno.* **fort. Noli.*

III. ALIO in tempore vir beatus in mediterranea Hyberniæ parte monaſterium, ꝙ Scothice dicitur, DAIRMAG, diuino fundans nutu, per aliquot demoratur menſes. Libuit animo viſitare fratres, qui in Cloenſi Sancti Cerani Cœnobio cõmanebãt. Audito itaq; eius acceſſu vniuerſi vndiq; ab agellulis monaſterio vicinis, cum his qui ibidẽ inuenti ſunt, congregati, cum omni alacritate ſuum conſequentes Abbatem Alitherum, quaſi Angelo Domini obuiam egreſſi vallum monaſterij, vnanimes pergũt, humiliatiſq; in terrã vultibus, eo viſo cum omni reuerentia exoſculatus eſt ab eis, hymniſq; & laudibus reſonantes, honorificè adEccleſiã perducebant; quandamq; de lignis pyramidẽ erga

Vide fratrũ erga S. Columb. obseruantiam.

sanctum deambulantem constringentes à quatuor viris æquè ambulantibus supportari fecerunt: ne videlic. sanctus senior Columba eiusdem fratrum multitudinis constipatione molestaretur. Eadem hora quidã valdè despectus vultu & habitu, puer familiaris, & nec dum senioribus placens, retrò in quantum valuit, se occultans accessit, vt videl. vel illius amphibali fimbriam, quo vir beatus induebatur, occultè, & si fieri posset, ipso nesciente, & non sentiente tangeret, sed hoc tamen sanctum non latuit. Nam quod corporalibus oculis retrò se actũ intueri nõ potuit, spiritualibus perspexit. Vnde subitò restitit, & post se extendẽs manũ, ceruicem pueri tenet, ipsumq; trahens ante faciem suã statuit, omnibusq;, qui ibidem circiter astabant, dicentibus; Dimittite, dimittite, quare hunc infelicem & iniurioſum retines puerum? sanctus è contra hæc puro pectore verba depromit prophetica, sinite fratres; sinite modò. Ad puerum verò valdè tremefactum dicit; O fili aperi os tuum, & porrige linguam. Iussus tum puer cum ingenti tremore aperiens os suum, linguam porrexit; quam sanctus, sanctam manum extendens, & diligenter benedicens, ita propheticè profatur, dicens; Hic puer quãuis vobis nunc despicabilis, & valdè vilis videatur, nemo tamen ipsum ob id despiciat. ab hac enim hora non solũ vobis non displicebit, sed valdè placebit, bonisq; moribus & animæ virtutibus paulatim de die in diem crescet: sapientia quoq; & prudentia magis ac magis in eo ab hac die adaugebitur, & in hac nostra congregatione grandis est futurus prouectus. lingua quoq; eius salubri & doctrina, & eloquẽtia à Deo donabitur. Hic erat Ereneus postea per oẽs Scothiæ Ecclesias famosus, & valdè notissimus. Qui hęc omnia supra scripta verba Segeneo Abbati de se ꝓphetata enarrauerat, meo decessore Failbeo intentius audiente, qui & ipse cum Segeno præsens inerat; cuius relatione & ego ipse cognoui hæc eadem quæ narraui. Sed & multa alia hisdem diebus, quibus in Cloensi cœnobio sanctus hospitabatur, reuelante Spiritu sancto prophetauit; hoc est, de illa quæ post dies multos ob diuersitatem Paschalis festi orta est inter Scothiæ Ecclesias discordia, & de quibusdam Angelicis frequentationibus sibi manifestatis: quibus quædam intra eiusdem cœnobii septa ab Angelis tunc temporis frequentabantur loca.

S Columbę prophetia de Ereneo.

Aliæ eiusdẽ prophetiæ

Prædicit aduenturos hospites.

IV. Alio in tempore, cum in Ioua insula die fragosæ tempestatis, & intolerabilis vndarum magnitudinis, sedens in domo sanctus, & fratribus præcipiens, diceret; Præparate ocius hospitium, aquamque ad lauandos hospitum pedes haurite. Quidam ex ipsis frater consequenter: Quis, ait, hac die valdè ventosa, & nimis periculosa, licet breue fretũ, prosperè transnauigare potest? Quo audito sanctus sic profatur: Cuidam sancto & electo hõmini, qui ad nos ante vesperam perueniet, omnipotens tranquillitatem quamlibet in tempestate donabit. Et ecce eadem die aliquandiu à fratribus expectata nauis, in qua sanctus inerat Chamnechus, iuxta sancti prophetationem peruenit. Cui sanctus cum fratribus obuiam venit, & ab eo honorificè & hospitaliter susceptus est. Illi verò nautæ, qui cum Chamnecho inerant, interrogati à fratribus de qualitate nauigationis, sic retulerunt, sicut sanctus Columba prius de tempestate & tranquillitate pariter Deo donante, in eodem mari, & hisdem horis mirabili diuisione prædixerat, & tempestatem eminùs visam non sensisse professi sunt.

Item de Columbani nauigantis periculo.

V. Alio itidem die sanctus Columba in sua commanens matrice Ecclesia, repentè in hanc subridens vocem erupit, dicens; Columbanus ad nos transnauigare incipiens, nunc in vndosis charybdis æstibus valdè periclitatur. Abbasq; ad cœlum in prora sedens, palmas eleuat; turbatum quoq; & tàm formidabile pelagus benedicit, quem tamen dominus sic terret, non vt nauis naufragio, in qua ipse resedit, vndis obruatur: sed potius ad orandum intentius suscitetur; vt ad nos, Deo propitio, post transũadatum perueniat periculum.

Rursus de Cormaco desertum quærente

VI. In tempore quoque alio, de Cormacco, viro vtique sancto, qui tribus non minus vicibus Eremum in Oceano laboriosè quæsiuit, nec tamen inuenit; S. Columba ità prophetizans ait: Hodie iterum Cormachus desertum cupiẽs reperire, enauigare incipit ab illa regione, quæ vltra Modam fluuium sita est, & Cirros dicitur: nec tamen etiam hac vice, quod quærit, inueniet: & non ob aliam eius culpam, nisi quod alicuius religiosi Abbatis monachum, ipso non permittente, discessorem secum non rectè comitari nauigio susceperit.

Prædicit de Aldani regis pugna & victoria.

VII. In tempore alio, hoc est, post multos annorum transcursus, cùm esset vir sanctus in Ioua insula, subitò dicit ad suum ministratorem, Cloccam pulsa: Cuius sonitu fratres incitati, ad Ecclesiam ipso sancto Præsule præeunte ocius currunt, ad quos ibidem flexis genibus infit, Nunc intentè pro hoc populo & Aldano rege dominum oremus, hac enim hora ineunt bellum. Et post modicum interuallum egressus oratorium, respiciens in cœlum, inquit; Nunc barbari in fugam vertuntur; Aldanoque quamlibet infœlici, tamen concessa est victoria. sed & de numero, de exercitu Aldani interfectorum trecentorum & trium virorum, vir beatus propheticè narrauit.

Et de successore Aldani regis

VIII. Alio quoque in tempore ante supra dictum bellum sanctus Aldanum Regem interrogat de regni successore. Illo respondente, nescire quis esset de tribus filiis regnaturus: Sanctus consequenter hoc profatur modo; Nullus ex his tribus erit regnaturus; nam in bellis cadent ab inimicis trucidandi. sed nunc si alios iuniores habeas, ad me veniant, & quem ex eis elegerit Dominus regem, subitò super meum irruet gremium. Quibus accitis secundum verbum sancti, Euchodius aduenies, in sinu eius recubuit; statimque Sanctus eum osculatus Benedixit, & ad patrem ait: Hic est superstes, & rex post te regnaturus, & filii eius post eum regnabunt. Sic omnia pòst suis temporibus plenè adimpleta sunt, & Euchodius post patrem in regnum successit.

Vaticinium de Domnallo rege.

IX. Domnallvs filius Aido adhuc puer, ad sanctum Columbam per nutritores adductus est, quem intuens percontatur, inquiens; Cuius est filius hic, quem adduxistis? Illis respondentibus, Hic est Domnallus, qui ad te ideò perductus est, vt tua redeat benedictione ditatus Quem cùm sanctus benedixisset, continuò ait: Hic super omnes fratres suos superstes erit, & rex valdè famosus, nec vnquam in manus inimicorum tradetur; sed morte placita in senectute, & intra domum suam coram amicorum familiarium turba super suum morietur lectum. Quæ omnia secundum beati vaticinium viri de eo verè adimpleta sunt.

Scandalanum captiuum visitat Columb & quæ futura de eo sint prædicit.

X. Eodem tempore Sanctus, & in eodem loco ad Scandalanum filium Colmanni apud Aidum Regem in vinculis retentum, visitare eum cupiens pergit: ipsumq; cùm benedixisset, confortans ait; Fili noli contristari, sed potius lætare & confortare. Aidus enim Rex, apud quem vinculatus es, de hoc mundo te præcedet, & post aliqua exilii tempora triginta annis in gente tua rex regnaturus eris, iterumq; de regno effugaberis, & per aliquos *einlabis dies; post quos à populo reinuitatus per tria regnabis breuia tempora. Quæ cuncta iuxta vaticinationem sancti plene expleta sunt. Nam post annos triginta de regno expulsus per aliquod exulauit spatium temporis, sed post à populo reinuitatus; non vt putabat, tribus annis, sed ternis regnauit mensibus; post quos continuò obiit.

* *fort. exulabis.*

Mortem duobus pueris prædicit.

XI. In tempore alio duo plebei ad sanctum in Ioua commorantem insula deueniunt; quorum vnus Meldanus de filio suo, qui præsens erat, sanctum interrogat, quid esset ei futurum. cui sanctus sic profatur, Nónne sabbathi dies hodierna est? filius tuus sexta feria in fine morietur septimanæ, octauaq; die, hoc est, sabbatho, hîc sepelietur. Alter proinde plebeius, & ipse de filio, quem ibidem secum habuit, nihilominus interrogans, talem sancti audit respõsionem: filius tuus suos videbit nepotes, & in hac insula senex sepelietur. Quæ omnia secundum verbum sancti de pueris ambobus suis temporibus plenè sunt expleta.

Fratrem quendam monet vt cetum caueat.

XII. Quadam die, cùm vir venerabilis in Ioua demoraretur insula, quidam frater Berachus nomine ad Ethicam proponens insulam nauigare, ad sanctum manè accedens, ab eo benedici postulat; quem sanctus intuitus, inquit: O fili hodiè intentiùs præcaueto, ne Ethicam cursu ad terram directo per latius coneris transmeare pelagus: sed potius circuiens minores secus nauiges insulas; ne videlicet alio monstruoso perterritus prodigio, vix inde possis euadere.

euadere. Qui accepta à ſancto benedictione ſeceſſit, & nauim aſcendens ſancti verbum quaſi parui pendens tranſgreditur. Maiora proinde Ethici tranſmeans ſpacia pelagi, ipſe, & qui ibi inerant nautæ, vident; & ecce cetus miræ & immenſæ magnitudinis ſe inſtar montis erigens, ora aperit patula, nimis dentoſa, ſupernatãs. Tum proinde remiges depoſito velo valdè perterriti, retrouerſi illam obortam ex belluino motu fluctationem vix euadere potuerunt; ſanctiſque verbum recognoſcentes, propheticum admirabantur. Eodem quoque die ſanctus, Baitheneo, ad ſupra memoratam inſulam nauigaturo manè de eodem intimauit ceto inquiens; Hac præterrita nocte media cetus magnus de profundo maris ſe ſubleuauit, & inter Iouam & Ethicam inſulam ſe hodie in ſuperficiem eriget æquoris. Cui Baitheneus reſpondens inſit; Ego & illa bellua ſub Dei poteſtate ſumus. Sanctus, Vade, ait, in pace: fides tua in Chriſto te ab hoc defendet periculo. Baitheneus tum deinde à ſancto benedictione accepta, à portu enauigauit; tranſcurſiſq; non paruis Ponti ſpaciis, ipſe & ſocii cetum aſpiciunt; perterritiſque omnibus, ipſe ſolus æquor & cetum ambabus manibus eleuatis benedicit intrepidus: eodemq; momento bellua magna ſe ſub fluctibus immergens, nuſquam deinceps eis apparuit.

Alterum, ne eundem timeat.

XIII. Alio quoq; in tempore fratres intempeſta nocte ſuſcitat ſanctus, ad quos in Eccleſia congregatos dicit; Nunc intentius Dominum precemur. nam in hac hora aliquod inauditum peccatum perpetratũ eſt, pro quo valdè eſt tremenda iudicialis vindicta. De quo peccato craſtino die aliquibus paucis percontantibus intimauit, dicẽs; Poſt paucos Menſes cum Lugaido neſciente infelix ille homuncio ad Iouã perueniet inſulam. Alio itaq; die ſanctus ad * Iormitium, interiectis quibuſdam menſibus, præcipiens præfatur, Surge citius: ecce Lugaidus appropinquat. dicitq; ei, vt miſerum, quem ſecum in naui habet, in Maleam propellat inſulam, ne huius inſulæ ceſpitem calcet. Qui præcepto ſancti obſecutus ad mare pergit Lugaidoq; aduentanti omnia ſancti proſequitur de infelici viro verba. Quibus auditis infelix ille iurauit, nunquã ſe cibum cum aliis acceptur ũ, niſi prius ſanctum videret Columbã, eumq; alloqueretur. Quæ infelicis verba Diormitius ad ſanctum reuerſus retulit. Quibus cõpertis ſanctus ad portam perrexit Baitheneoq;, prolatis ſacrę ſcripturę teſtimonijs, ſuggerenti, vt miſeri pœnitudo ſuſciperetur, ſanctus conſequenter inquit; O Baithenee, hic homo fratricidium in modum Cain perpetrauit, & cum ſua matre mœchatus eſt. Tum demum miſer in littore flexis genibus legis pœnitentiæ expleturum ſe promiſit, iuxta ſancti indicationẽ. Cui ſanctus ait; Si duodecim annis inter Brittones cum fletu & lachrymis pœnitentiam egeris, nec ad Scotiam vſque ad mortem reuerſus fueris, forſan Deus peccato ignoſcet tuo. Hæc dicens ſanctus ad ſuos conuerſus dicit: Hic homo filius eſt perditionis, qui quam promiſit pœnitentiam, non explebit; ſed mox ad Scotiam reuertetur, ibiq; in breui ab inimicis interficiendus peribit. Quæ omnia ſecundum ſancti prophetiam ita contigerunt. Nam miſer iiſdem diebus ad Hiberniam reuerſus in regionem quæ vocitatur Lea in manus incidens inimicorum trucidatus eſt.

De fratricida cũ matre ſuo mœchato præ-dicit.

* *Diormitium.*

XIV. Alio itidem in tempore Lugbeus, cuius ſuprâ mentionem fecimus, quadam die ad ſanctum poſt frugum veniens triturationem, nullo modo eius faciem intueri potuit, miro ſuperfuſam rubore; valdeq; pertimeſcens citò aufugit; quem ſanctus complosis paululum manibus reuocat. Qui reuerſus à ſancto ſtatim interrogatus, cur ocius aufugiſſet, hoc dedit reſponſum, Ideo fugi, quia nimis pertimui. Et poſt aliquod modicum interuallum fiducialius agens, audet ſanctum interrogare, inquiens: Nunquid in hac hora aliqua tibi formidabilis oſtenſa viſio erat? Cui ſanctus tale dedit reſponſum. Tam terrifica vltio nunc in remota orbis parte peracta eſt. Qualis, ait iuuenis, vindicta, & in qua Regione facta? Sanctus tum ſic profatur: ſulphurea de cœlo flamma ſuper Romani juris ciuitatem intra Italiæ terminos ſitam hac hora effuſa eſt; triaq; millia ferme virorum, excepto matrum, puerorumq; numero, diſperierunt: & antequam præſens annus, Gallici nautæ de Galliarum prouinciis aduentantes, hæc eadem tibi enarrabunt. Quæ verba poſt aliquot Menſes veridica fuiſſe, ſunt comprobata. Nam idem Lugbeus ſimul cum ſancto vir ad Cap Regionis pergens, nauclerum & nautas aduentantes parce interrogans, ſic omnia illa de ciuitate cum ciuibus ab eis audit enarrata, quemadmodum à prædicabili viro ſunt prædicta.

De ciuitate fulgure tacta viſionem videt.

Capne.

XV. Quadam brumali, & valdè frigida die ſanctus magno moleſtatus mœrore fleuit; quem ſuus miniſtrator Diormitius de cauſa interrogans mœſtitiæ, hoc ab eo reſponſum accepit, Non immerito, ô filiole, ego in hac hora contriſtor; meos videns Monachos, quos Laifranus nunc graui fatigatos labore in alicuius maioris domus fabrica moleſtat, quod mihi valdè diſplicet. Mirum dictu, eodem momento horæ, Laifranus habitans in Monaſterio Roboreti campi quodammodo coactus, & quaſi quadam pira intrinſecus ſuccenſus iubet Monachos à labore ceſſare, aliquamq; cibationum conſolationem præparari; & non ſolum in eadem die otiari, ſed & in cæteris aſperæ tempeſtatis diebus requieſcere. Quæ verba ad fratres conſolatoria à Laifrano dicta ſanctus in ſpiritu audiens flere ceſſauit, & mirabiliter gauiſus, ipſe in Joua Inſula commaneres, fratribus, qui ad præſens inerant, per omnia enarrauit, & Laifranum Monachum benedixit conſolatorem.

Flet monachos longe remotos intenſo frigore laborare.

XVI. Alio in tempore ſanctus in cacumine ſedens Montis, qui huic Monaſterio eminus ſupereminet, ad ſuum miniſtratorem Diormitium conuerſus, profatus eſt, dicens, Miror quare tardius adpropinquat quædam de Scotia nauis, quæ quendam aduehit ſapientem virum, qui in quodam facinore lapſus lachrymoſam gerens pœnitudinem mox adueniet. Poſt proinde haud grande interuallum ad Auſtrum proſpiciens miniſter velum nauis vidit ad portum appropinquantis; quam cum Sancto aduentantem demonſtraret, Citò ſurgito, inquiens. eamus proſelyto obuiam, cuius veram Chriſtus ſuſcepit pœnitentiam. At verò Fechnaus de naui deſcendens, ſancto ad portum peruenienti obuius occurrit cum fleru, & lamento ante pedes eius ingeniculans flexis genibus amariſſimè ingemuit; & coram omnibus, qui ibidem inerant, peccantias confitetur ſuas. Sanctus cum eo pariter inlacrymatus ad eum ait: Surge fili, & conſolare, dimiſſa ſunt tua, quæ commiſiſti, peccamina. quia ſicut ſcriptum eſt, cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Qui ſurgens gaudenter à Sancto ſuſceptus ad Baitheneum tunc temporis in campo Longe Præpoſitum commorantem poſt aliquot eſt emiſſus dies in pace commigrans.

Nauem, in qua pœnitentẽ quendam vehi præuidebat, miratur tardius appellere.

Pſalm 50.

XVII. Alio in tempore binos mittens Monachos ad ſuum alium Monachum, nomine Cailtanum, qui eodem tempore Præpoſitus erat in cella, hæc per eoſdem nuntios ſanctus commendat verba; Cito euntes ad Cailtanũ properate, diciteq; illi, vt ad me ſine vlla veniat morula. Qui verbo Sancti obſecuti, exeuntes, & ad cellam peruenientes ſuę legatiunculæ qualitatem Cailtano intimauerũt. Qui eadem hora nullo demoratus modo, Sancti proſecutus Legatos ad eum in Ioua Inſula commorantem, eorum itineris comes, celeriter peruenit. Quo viſo Sanctus ad eum taliter locutus, his compellat verbis: O Cailtane, benè feciſti ad me obedienter feſtinando. requieſce pauliſper, idcirco ad te inuitandum miſi; amans amicum, vt hîc mecum in vera finias obedientia vitæ curſum tuæ. Nam antè huius hebdomadis finem ad Deum in pace tranſibis. Quibus auditis gratias agens Deo, Sanctum lachrymans exoſculatus eſt, & ad hoſpitium, accepta ab eo benedictione, pergit; eademq; ſubſecuta nocte infirmatus iuxta verbum Sancti in eadem ſeptimana ad Chriſtum Dominum emigrauit.

Cailtanum ad ſe accerſit, & monet de inſtanti morte.

XIIX. Quadam Dominica die vltra ſæpe memoratum clamatum eſt fretum; quem audiens Sanctus clamorem, ad fratres, qui ibidem inerãt, ite, ait, celeriter, peregrinoſq; de longinqua venientes regione, ad nos ocius adducite. Qui continuò obſecuti trãsfretantes adduxerunt hoſpites. quos ſanctus, exoſculatus conſequenter de cauſa percontatur itineris. Qui reſpondentes aiunt, Vt hoc etiam anno apud te peregrinemur, venimus. Quibus Sanctus hanc dedit re-

Hoſpites hortatur vt

vôtum monachicum emittant: & de morte eorum prædicit.

ſponſionem, Apud me, vt dicitis, anni vnius ſpatio peregrinari non poteritis, niſi prius monachicũ promiſeritis votũ. Quod qui inerant præſentes valdè mirati ſunt, ad hoſpites eadem hora aduentantes dici. Ad quę Sancti verba Senior reſpondens frater ait, Hoc in mente propoſitum licet in hanc horam vſque nullatenus habuerimus, tamen tuum ſequemur conſilium, diuinitus, vt credimus, inſpiratum, Quid plura? Eodem horæ momento Oratorium cum Sancto ingreſſi deuotè, flexis genibus votũ monachile vouerunt. Sanctus tũ deinde ad fratres cõuerſus ait, Hi duo proſelyti, viuam Deo ſeipſos exhibentes hoſtiam, longaq; in breui Chriſtianæ tempora militiæ complentes, hoc mox eodem menſe ad Chriſtum Dominum in pace tranſibunt. Quibus auditis ambo fratres gratias Deo agentes, ad hoſpitiũ deducti ſunt, interiectiſq; diebus ſeptem, ſenior frater cœpit infirmari, & eadem peracta ſeptimana, ad Dominum emigrauit. Similiter & alter poſt ſeptem alios dies infirmatus eiuſdem in fine hebdomadis ad Dominum feliciter migrauit. Et ſic ſecundum Sancti veridicam prophetiam intra eiuſdem menſis terminum ambo præſentem finiunt vitam.

Prædicit quendam eodem loco baptizandum, moriturum & ſepelien dum.

XIX. Dvm per aliquot dies in inſula demoraretur Scotia vir beatus, alicuius loci terrulam, mari vicinam, baculo percutiens, ad comites ait, Mirum dictu, ô filioli, hodie in hac huius loci terrula quidam gentilis ſenex naturale per totam bonum cuſtodiens vitam, & baptizabitur, & morietur, & ſepelietur. Et ecce quaſi poſt vnius interuallum horæ nauicula ad eundem ſuperuenit portum, cuius in prora quidam aduectus eſt decrepitus ſenex Geone primarius cohortis, quem bini iuuenes de naui ſubleuantes, ante beati viri conſpectum deponunt. Qui ſtatim verbo Dei à Sancto per interpretem recepto credens, ab eodem baptizatus eſt, & poſt expleta baptizationis myſteria, ſicut Sanctus prophetizauit, eodem in loco conſequenter obiit, ibidemq; ſocii congeſto lapidum aceruo ſepeliunt. qui hodieque in hac hora cernitur, maritima fluuiuſq; eiuſdem loci, in quo idem baptiſma acceperat, ex nomine eius vſq; in hodiernum diem nominatus & ab accolis vocitatus.

Presbyterũ quendam ſacrificantem graui peccato obnoxium eſſe dicit.

XX. Alio in tempore Sanctus cum in Scotienſium paulò ſuperius moraretur memorata regione, caſu Dominica die ad quoddam deuenit vicinum Monaſterium, quod Scoticæ Troĩt vocitatur. Eadem die proinde quendam audiens Presbyterum Sacræ Euchariſtiæ Myſteria conficientem, quem ideo fratres, qui ibidem commanebant, ad Miſſarum elegerant peragenda ſolennia, quia valdè religioſum æſtimabant, repentè hanc formidabilem de ore profert vocem: Munda & immunda pariter nunc permiſceri cernuntur. hoc eſt munda ſacræ oblationis myſteria per immundum hominem miniſtrata, qui in ſua interim conſcientia aliquod grande occultat facinus. Hæc qui inerant audientes, tremefacti nimis obſtupuere. Ille verò, de quo dicebantur hæc verba, coram omnibus peccantiam compulſus eſt confiteri ſuam, Chriſtique commilitones, qui in Eccleſia Sanctum circumſtantes, occulta cordis audierant manifeſtantem, diuinam in eo ſcientiam cum magna admiratione glorificarunt.

Furem prodit.

XXI. Alio tempore Sanctus in Ioua commanens Inſula accitis ad ſe binis de fratribus viris, quorum vocabulo Lugbeus & Silnanus eiſdem præcipiens dicit, Hinc ad Maleam transfretate Inſulam, & in Campulis mari vicinis Ertum quærite furacem, qui nocte præterita ſolus occultè de inſula Coloſo perueniens, ſub ſuo fœno tecta nauicula inter arenarum cumulos per diem ſe occultare conatur, vt noctu ad paruam tranſnauiget Inſulam, vbi marini noſtri iuris vituli generantur & generant, vt de illis furtim occiſis edax valdè furax ſuam replens nauiculam ad ſuum repedet habitaculum. Qui hæc audientes obſecuti emigrant, furemq; in locis à Sancto præſignatis abſconſum reperiunt; & ad Sanctum, ſicuti illis præceperat, perduxerunt. Quo viſo Sanctus ad eum dicit, Quare tu res alienas, diuinum tranſgreſſus mandatum ſæpè furaris? Quando neceſsè habueris ad nos veniens neceſſaria accipies poſtulata. Et hæc dicens præcepit verueces occidi, & pro furtis dari miſero furaci, ne vacuus ad ſua remearet. Et poſt aliquantum tempus Sanctus in Spiritu præuidens vicinam furis mortem, ad Baitheneum eo tempore præpoſitum, commorantem in campo Lunge mittit, vt eidem furi quoddam pingue pecus, & ſeptem * modias nouiſſima mittat munera. Quibus à Baitheneo, ſicut Sanctus commendauerat, tranſmiſſis, ea die inuentus eſt morte ſubita præuentus furax miſellus, & in exequiis eius tranſmiſſa expenſa ſunt xenia.

* *modios.*

Poetam quendam interfici, præuidet.

XXII. Alio tempore Sanctus cùm iuxta ſtagnum Cei prope oſtium fluminis, quod latine Bos dicitur, die aliqua cum fratribus ſederet, quidam ad eos Scoticus Poeta deuenit, qui cum poſt aliquam receſſiſſet ſermocinationem: fratres ad Sanctum, Cur, aiunt, à nobis regrediente Coronano aliquod ex more ſuæ artis canticum non poſtulaſti modulabiliter decantari? Quibus Sanctus, Quare & vos nunc inutilia profertis verba? Quomodo ab illo miſero homuncione poſtularem carmen lætitiæ, qui nunc ab inimicis trucidatus, vſque ad finem ocius peruenit vitæ? His à Sancto dictis, & ecce vltra flumen aliquis clamitat homo, dicens: Ille Poeta, qui vobis nuper ſoſpes rediit, hora in hac ab inimicis in via interfectus eſt. Omnes tum, qui præſentes inerant, valde mirati, ſe inuicem intuentes, obſtupuêre.

Gemit duorum longe diſtantium in duello necem.

XXIII. Alio itidem tempore Sanctus in Ioua conuerſans Inſula, repente inter legendum ſummo cum ingenti admiratione gemitu ingemuit mœſto: quod videns qui præſens inerat Lugbeus, cœpit ab eo percontari ſubiti cauſam mœroris. Cui ſanctus valdè mœſtificatus hanc dedit reſponſionem: Duo quidam nunc regii generis viri in Scotia mutuis inter ſe vulneribus tranſfixi diſperierunt, haud procul à Monaſterio, quod dicitur Cellarois in prouincia Magdœnorum. octaua de hac peracta hebdomada, vltra fretum aliquis clamitabit, qui hęc de Hibernia veniens ita taliter facta enarrabit. ſed hoc, ô filiole, quamdiu vixero, nemini indices. Octaua proinde vltra fretum clamatum eſt die. Sanctus tum ſupra memoratum ad ſe Lugbeum vocans ſilenter ad eum ait: Qui nunc clamitat vltra fretum ipſe eſt, de quo tibi prius dixeram longæuus viator; vade, & educ eum ad nos. Qui celeriter adductus inter cætera hoc etiam retulit. duo, inquiens, nobiles viri ſe mutuò vulnerantes mortui ſunt, hoc eſt, Colmancanus & Romanus. Poſthæc illius verba narratoris idem Lugbeus Chriſti miles Sanctum ſeorſim cœpit interrogare, dicens: Quæſo mihi de his talibus narres Propheticis reuelationibus, quomodo ſi per viſum tibi, an auditum, an alio hominibus incognito manifeſtantur modo? Ad hæc Sanctus: De qua nunc, ait, inquiris, valde ſubtili re, nullatenus tibi quamlibet aliquam particulam intimare potero; niſi prius flexis genibus per nomen excelſi Dei mihi firmiter promittas, hoc te obſcuriſſimum ſacramentum nulli vnquam hominum cunctis diebus vitæ meæ enarraturum. Qui hæc audiens, flexit continuò genua, & proſtrato in terram vultu, iuxta Sancti præceptionem plenè omnia promiſit. Qua ſtatim perfecta promiſſione ſanctus ad ſurgentem ſic locutus inquit, Sunt nonnulli quamlibet pauci admodum, quibus diuina hoc contulit gratia, vt etiam totius terræ orbem cum ambitu Oceani & cœli vno eodemq; momento, quaſi ſub vno ſolis radio, mirabiliter laxato mentis ſinu, clarè & manifeſtiſſimè ſpeculentur. Hoc miraculũ Sanctus quamuis de aliis electis dicere videatur, vanam vtiq; fugiens gloriam, de ſeipſo tamen dixiſſe per obliquũ licet nullus dubitare debet, qui Paulum legit Apoſtolum vas electionis de talibus narrantem ſibi reuelatis viſionibus. non enim ita ſcripſit: Scio me; ſed, Scio hominem raptum vſque ad tertium cœlum. Quod quamlibet de alio dicere videretur, nemo tamen dubitat ſic de propria, humilitatem cuſtodientem, enarrare perſona. Quem etiam & noſter Columba in ſpiritualium viſionum narratione ſequutus eſt, ſuperius memorata, quam ab eo ſupra dictus vir, quem plurimum Sanctus amabat, magnis precibus præmiſſis vix potuit extorquere: ſicut ipſe coram aliorum perſonis Sanctorum poſt S. Columbæ tranſitum teſtatus eſt. à quibus hæc quæ de Sancto ſupra narrauimus indubitanter didicimus.

Quomodo S Columba res omnes præuideat.

2 ad Cor. 12.

Nb.

XXIV. Alio in tempore quidam frater ad Sanctum eadem ſcribentem hora veniens dicit ad eum, Hoc ferrum, quod in manu habeo, quæſo benedicas. Qui paululum extenſa manu ſancta, cum calamo ſignans, benedixit; ad librum,

de quo

de quo scribebat facie conuersa. Quo videlicet supradicto fratre cum ferro benedicto recedente, Sanctus percontatur dicens: Quod fratri ferrum benedixi? Diormicius pius eius ministrator, Pugionem, ait, ad iugulandos tauros vel boues benedixisti. Qui è contra respondens infit; Ferrum quod benedixi confido in Domino meo, quod nec homini, nec pecori nocebit. Quod Sancti firmissimum eadem hora comprobatum est verbum. Nam idem frater vallum egressus monasterii bouem iugulare volens tribus firmis vicibus, & forti impulsione conatus, nec tamen poterat etiam eius transfigere pellem. Quod monachi scientes experti, eiusdem pugionis ignis resolutum calore per omnia monasterii ferramenta liquefactum diuiserunt inlinitum, nec postea vllam potuere carnem vulnerare, illius Sancti manente benedictionis fortitudine.

Ferrum à S. Columba benedictũ neminem lædit.

XXV. Alio in tempore Diormitius Sancti pius ministrator vsque ad mortem ægrotauit, ad quem in extremis constitutum Sanctus visitans accessit, Christiq; inuocato nomine infirmi ad lectulum stans, & pro eo exorans dixit: Exorabilis mihi fias precor Domine, & animam mei ministratoris pij de huius carnis habitaculo me non auferas superstite. Et hoc dicto aliquantisper conticuit. Tum proinde hanc de sacro ore profert vocem, dicens: Hic meus non solum hac vice nunc non morietur puer, sed etiam post meum obitum annis multis viuet. Cuius hæc oratio est exaudita. Nam Diormitius statim post sancti exaudibilem precem, plenam recuperauit salutem. Per multos quoq; annos post Sancti ad Dominum emigrationem superuixit.

Diormitiũ ministrum suũ ægrotũ sanat, & longæuam ei vitam promittit.

XXVI. Alio in tempore quidam de Numinensium prouincia proselytus ad Sanctum venit, qui se in quantum potuit humiliter, quod nullus sciret, quod Episcopus esset, sed tamen hoc Sanctum non poterat latere. Nam alia die Dominica à Sancto iussus Christi Corpus ex more conficere, Sanctum aduocat, vt simul quasi duo Presbyreri dominicum panem frangerent. Sanctus proinde ad altarium accedens, repentè intuitus faciem eius sic eum compellat: Benedicat te Christus, frater. Hunc solus Episcopus Episcopali ritu frange panem, nunc scimus, quod sis Episcopus. Quare hucvsq; te occultare conatus es, vt tibi à nobis debita nõ redderetur veneratio. Quo audito Sancti verbo humilis peregrinus valdè stupefactus Christũ in Sãcto veneratus est, & qui inerant prẽsentes nimis admirati glorificauerũt Deũ.

Episcopũ, totum se esse occultantem, prodit.

XXVII. Alio itidem in tempore vir venerandus Ernanum Presbyterum senem suum auunculum ad præposituram illius Monasterij transmisit, quod in Himba Insula ante plures fundauerat annos. Itaque cum ipsum Sanctum emigrantem exosculatus benediceret, hoc de eo intulit vaticinium dicens. Hunc meum nunc ingredientem amicum, non me spero iterum in hoc sæculo viuentem visurum. Itaque idem Ernanus post non multos dies quadam molestatus ægrimonia ad Sanctum volens reportatus est; cuius in peruentione valde gauisus ire obuius ad portum cœpit. Ipse verò Ernanus quamlibet infirmus, propriis tamen vestigiis à portu obuiare sancto conabatur valdè alacer. sed cum esset inter ambos quasi viginti IV m. viæ passuum interuallum, subita morte præuentus priusquam Sanctus faciem eius videret viuentis, exspirans in terram cecidit, ne verbum Sancti vllo modo frustraretur. Vnde in eodem loco antè ianuam Canabe crux infixa est, & altera vbi Sanctus restitit illo exspirante similiter crux hodieque infixa stat.

Ernanum abeuntem prædicit se non reuisurum.

XXIIX. Alio quoque in tempore quidam inter cæteros ad Sanctum plebeius venit, quem cum Sanctus ad se vespere venientem vidisset. Vbi ait, habitas? Ille inquit, In regione, quæ littoribus stagni contermina est, ego inhabito. Illam quam dicis prouinciolam, ait Sanctus, nunc barbari populantur vastatores. Quo audito miser plebeius maritum & filios deplangere cœpit. Quem Sanctus valdè mœrentem videns consolans, inquit, Vade homuncule, vade, tua familiola tota in montem fugiens, euasit, tua verò omnia pecuscula secum inuasores abegerunt, omnemque domus supellectilem similiter sæui raptores cum præda rapuêre. Hæc audiens plebeius ad patriam regressus cuncta, sicut à Sancto prædicta sunt, inuenit exempla.

Plebeio cuidam prædicit, familiã eius ex vastatorũ manibus euasisse supellectile directa.

XXIX. Alio itidem in tempore omnium illius ætatis in populo fortissimus virorum, sanctum percontatus est virum, qua morte esset præueniendus: Cui * sanctus, Nec in bello, ait, nec in mari morieris, comes tui itineris, à quo non suspicaris, causa erit tuæ mortis. Fortassis, inquit Gorens aliquis de meis comitantibus amicis me trucidare cogiter, aut marita ob alicuius iunioris viri amorem me maleficio mortificare. Sanctus non ita ait continget. Quare Gorens inquit, de meo interfectore mihi nunc intimare non vis? Sanctus, Idcirco, ait, nolo tibi de illo tuo comite nocuo nunc manifestius aliquid edicere, ne eius crebra recordatio nimis te mœstificet, donec veniat dies, qua eiusdem rei veritatem probabis. Quid immoramur verbis? post aliquot annorum excursus idem supra memoratus Gorens casu aliqua die sub naui residens, cultello proprio christiliam de castili eradebat: tum deinde alios prope inter se belligerantes audiens citius surgit, vt eos à belligeratione separaret. eodemque cultello illa subitatione negligentius in terra demisso eius genicula offenso grauiter vulnerata est, & tali faciente comite causa ei mortificationis oborta est: quam ipse continuò secundum Sancti vaticinationem viri mente perculsus recognouit; postque aliquantos menses eodem aggrauatus dolore moritur.

* Cuidam genus mortis prædicit.

XXX. Alio namque in tempore cum Sanctus in Ioua inhabitaret insula vnum de fratribus aduocans sic compellat, Tertia ab hac inlucescente die debebis in occidentali huius Insula parte expectare super maris oram sedens. Nam de Aquilonari hiberniæ regione quædam hospita grus, ventis per longos aëris agitata circuitus, post nonam diei horam valdè fessa & fatigata superueniet, & penè consumptis viribus coram te in littore cadens recumbet, quam misericorditer subleuare curabis, & ad propinquam deportabis domum; ibidem hospitaliter receptam per tres dies & noctes ei ministrans sollicitè cibabis, & post expleto recreata triduo nolens vltra apud nos peregrinari ad priorem Scotiæ dulcem, vnde orta est, remeabit regionem, plenè resumptis viribus. Quam ideò tibi diligenter commendo; quia de nostræ paternitatis regione est oriunda. Obsecundat frater, tertiaq; die post horam nonam, vt iussus fuerat, præscitæ aduentum præstolatur hospitæ; aduentantemq; de littore leuat lapsam, ad hospitium portat infirmam, esurientem cibat. cui ad monasterium vespere reuerso sanctus, non interrogans, sed narrans, ait; Benedicat te Deus, mi fili, qui peregrinæ benè ministrasti hospitæ, quæ in peregrinatione non demorabitur, sed post ternos soles ad patriam repedabit. Quod ita, vt sanctus prædixit, res etiam probauit. Nam trinalibus hospitata diebus coram hospite ministro de terra se primum volando eleuans in sublime, paulisperque in aëre viam speculata Oceani transiuadato æquore ad Hyberniam recto volatus cursu, die repedauit tranquillo.

De grue aduentante prædicit.

XXXI. Alio in tempore vir beatus cùm ad campos reuerteretur æquoreos ipse & Congellus Abbas, quadam secreta æstiui temporis die, haud procul à supra memorata munitione resident. tum proinde aqua de quodam proximo ad manus lauandas fonticulo ad sanctos in æneo defertur vasculo; quam cùm sanctus Columba accepisset, ad Abbatem Congellum, à latere sedentem, sic profatur; Ille fonticulus, ô Congelle, de quo hæc effusa nobis allata est aqua, & veniet dies quando nullis vsibus humanis aptus erit. Qua causa, ait Congellus, eius fontana corrumpitur vnda? Sanctus tùm Columba, quia humano, inquit, cruore replebitur. Nam mei cognationales amici, & tui secundum carnem cognati in hac vicina munitione belligerantes committent bellum; vnde in supra memorato fonte aliquis de mea cognatione trucidabitur homuncio, cuius cum cæteris interfecti sanguine eiusdem fonticuli locus replebitur. Quæ eius veridica suo tempore post multos vaticinatio expleta est annos; In quo bello, vt multi norunt populi, Domnallus Aidi filius victor sublimatus est; & in eodem secundum sancti vaticinium viri fonticulo quidam de parentela

Fontem sanguine inficiendũ prædicit.

NB.

* Adamnano. rentela eius interfectus homo. Alius mihi * Adomnano, Christi miles Finanus nomine, qui vitam multis Anachoreticam annis iuxta Roboreti Monasterium Campi irreprehensibiliter ducebat, de eodem bello se præsente commisso aliqua enarrans protestatus est. In supra dicto fonte truncum cadauerinum vidisse, eademque die ad Monasterium S. Congelli, quod Scotice dicitur Cambas, commisso reuersum bello, quia inde prius venerat. Ibi deniq; duos sancti Congelli senes Monachos reperisse, quibus cum de bello coram se acto, & de fonticulo humano cruore corrupto aliquanta enarraret; illi consequenter, Verus est Propheta Columbanus, aiunt, qui hæc omnia quæ hodie de bello & fonticulo expleta enarras; ante multos annos futura nobis audientibus coram sancto Congello iuxta Cæthirni sedens munitionem prænunciauerat.

XXXII. Eodem in tempore Conallus Episcopus penè innumerabilius xeniis beato viro hospitium præparauit post condictum supra memoratorum Regum turba prosequente multa, reuertenti. Proinde sancto aduenienti viro xenia populi multa in platea monasterii strata benedicenda adsignantur. quæ cùm benedicens aspiceret xenium alicuius opulenti viri, specialiter demonstrans virum ait: Cuius est hoc xenium pro misericordiis pauperum, & eius largitione Dei comitatur misericordia. Itemque aliud discernit, inter alia multa, xenium, inquiens: De hoc ego xenio viri sapientis & auari nullo modo gustare possum; nisi prius veram de peccato auaritiæ pœnitudinem egerit. Quod verbum citò in turba diuulgatum audiens, accurrit Columbus, filius Aidi, conscius, & veram sancto flexis genibus pœnitentiam agit, & de cetero auaritiæ abrenuntiaturum se promittit; & largitatem cum morum emendatione consecuturum. Et iussus à sancto surgere, ex illa hora est sanatus de vitio tenacitatis. Erat enim vir sapiens, sicut sancto in eius reuelatum erat xenio. Ille verò diues, largus Brendenus nomine, de cuius xenio paulò superius dictum est; audiens & ipse sancti verba de se dicta, ingeniculans ad pedes sancti precatur, vt pro eo ad Dominum Sanctus fundat precem, qui ab eo primum pro quibusdam suis obiurgatus peccatis; pœnitudinem gerens, de cetero se emendaturum promisit, & sic vterq; de propriis emendatus, & sanatus est vitiis. Huic primo libro hîc imponitur terminus. Nunc sequens orditur liber de virtutum miraculis, quę plerunq; etiam prophetalis prę scientia comitatur.

Xenia promiscue strata, quorum sint, agnoscit.

LIB. II.

I. Alio in tempore cùm vir venerandus in Scothia apud sanctum Findbarrum Episcopum adhuc iuuenis, sapientiam sacræ scripturæ addiscens, commaneret, quadam solemni die vinum ad sacrificale mysterium casu aliquo minimè inueniebatur. De cuius defectu cùm ministros altaris inter se conquirentes audiret, ad fontem sumpto pergit vrceo, vt ad Sacræ Eucharistiæ ministeria aquam quasi Diaconus fontanam hauriret. Ipse quippe illis in diebus erat in Diaconatus gradu administrans. Vir itaq; beatus aquaticum, quod de latice hausit, elementum, inuocato nomine Iesu Christi, fideliter benedixit; qui in Chana Galilææ aquam conuertit in vinum. quo etiam operante miraculo inferior, hoc est, aquatica natura, in gratiorem, videl. vinalem, per manus prædicabilis viri conuersa est speciem. Vir itaq; sanctus à fonte reuersus, & Ecclesiam intrans talem iuxta altare vrceum intra se habentem deponit liquorem, & ad ministros, Habetis, ait, vinum quod Dominus Christus ad sua misit peragenda mysteria. Quo cognito sanctus cum Ministris Episcopus eximias Deo referunt gratias. Sanctus verò iuuenis hoc non sibimet, sed sancto Vinniano ascribebat Episcopo. Hoc itaque primum virtutis documentum Christus Dominus per suum declarauit discipulum, quod in eadem re initium ponens signorum in Chana Galilææ operatus est per semetipsum.

Aquam in vinum conuertit S. Columba

Iohan. 2.

II. Quædam erat arbor valdè pomosa prope Monasterium Roboris Campi, in australi eius parte, de qua cùm incolæ loci quondam haberent pro nimia fructus amaritudine querimoniam; quadam die sanctus ad eam accessit Autumnali tempore, videnſq; lignum in cassum abundos habere fructus, qui ex eis gustantes plus læderẽt, quàm delectarent; Sanctus eleuata manu benedicens, ait: In nomine omnipotentis Dei omnis tua amaritudo; ô arbor amara, à te recedat, tuaque huc vsque amarissima, nunc in dulcissima vertantur poma. Mirum dictu, dicto citius eodemque momento eiusdem arboris omnia poma, amissa amaritudine, in miram, secundum verbum sancti, versa sunt dulcedinem.

Arborem pomorum ex amara dulcem reddit.

III. Alio in tempore sanctus suos misit monachos, vt de alicuius plebei agellulo virgarum fasciculos ad hospitium afferrent construendum. qui cum ad sanctam oneraria repleta naui de supra dictis virgularum materiis, reuersi venirent, dicerentque plebeium causa eiusdem dispendij valdè contristatum; Sanctus consequenter præcipiens dicit: Ne ergo scandalizemus virum, ad ipsum à nobis bis terni deferantur hordei modii, eosdemque his in diebus arata ipse seminet in terra. Quibus ad plebeium, Frindehanum nomine, iuxta sancti iussionem missis, & coram eo cum tali commendatione adsignatis, gratanter accipiens, ait: Quomodo post medium æstiuum tempus seges seminata contra huius terræ naturam proficiet? Marita è contra: Fac, ait, secundum sancti mandatum, cui Dominus donabit quodcunque ab eo postulauerit. Sed & qui missi sunt simul hoc addiderunt dicendo; Sanctus Columba, qui nos ad te cum hoc misit munere, hoc mandatum per nos de tua commendauit segete, dicens: Homo ille in omnipotentia Dei confidat, quamuis de mense Iunio XII. præmissis diebus seminata in principiis Augusti mensis metetur. Obsequitur plebeius arando, & seminando, & messem, quam supra dicto in tempore contra spem seminauit, cum omnium admiratione vicinorum in exordio Augusti mensis maturam iuxta sancti verbum messuit.

Seges in Iunio seminata, in principio Augusti metitur.

IV. Alio itidem in tempore cum sanctus in Ioua commoraretur insula, sedens in monticulo, qui Latine Munitio Magna dicitur, videt ab Aquilone nubem densam, & pluuialem de Meridie serena obortam. Qua ascendente visa, sanctus ad quendam de suis iuxtá se Monachum sedentem, nomine Siluanum, Hæc nubes, ait, valdè nocua hominibus, & pecoribus erit; hacque die velocius transuolans super aliquantam Scothiæ partem, pluuiam vespere distillabit morbiferam: quæ grauia & purulenta humanis in corporibus, & in pecorum vberibus nasci faciet vlcera, quibus homines morbidi, & pecudes illa venenosa grauitudine vsque ad mortem molestati laborabunt. Sed nos eorum miserati subuenire languoribus Domino miserante debemus. Tu ergo Siluane nunc mecum descendens de monte nauigationem præpara. crastina die vita comite & Deo volente, à me pane accepto, Dei inuocato nomine, benedicto; quo in aquam intincto, homines ea conspersi & pecora celerem recuperabunt salutem. Quid moramur? die crastina his, quæ necessaria erant, citius præparatis, Siluanus accepto de manu sancti pane benedicto, in pace enauigauit. Cui sanctus à se eadem emigranti hora addit, hoc etiam consolatorium verbum, dicens: Confide fili, Ventos habebis secundos, & prosperos diu noctuq; vsque dum ad illam peruenias regionem, vt languentibus ibidem celerius cum salubri subuenias pane. Quid plura? Siluanus verbo obsequutus sancti prospera & celeri nauigatione auxiliante Domino, ad supra memoratam perueniens partem, illius regionis plebem, de qua sanctus prædixerat, deuastatam nubis prædictæ morbifera repperit pluuia superfluente citius præcurrentis, imprimisque bis terni viri in eadem mari vicina domo reperti in extremis morte positi adpropinquante, ab eodem Siluano aqua benedictionis aspersi, in eadem præsenti die oportunius sanati sunt. Cuius subitæ sanationis rumor per totam illam morbo pestilentiore vastatam regionem citò diuulgatus, omnem morbidum ad Sancti Columbe legatum inuitauit populum. Qui iuxta sancti mandatum homines & pecora, pane intincto benedicto, aqua consperſit, & continuò plenam recuperantes salutem, homines cum pecudibus saluati Christum in sancto Columba cum eximia gratiarum actione laudarunt. In hac enim supra scripta narratione, vt æstimo, duo hæc manifestè pariter comitantur, hoc est,

Prædicit de nube pestifera.

Ægrotos, misso ad eos Syluano, sanat.

hoc est, gratia prophetationis de nube, & virtutis miraculum in ægrotantium sanctitate. Hęc per omnia esse verissima supradictus Siluanus Christi miles sancti legatus Columbæ coram Segeneo abbate, & cæteris testatus est senioribus.

V. Alio in tempore cùm sanctus in Ioua demoraretur insula prima diei hora quendam aduocans fratrem Lugaidum nomine, & taliter eum compellat, dicens: Præpara citò ad Scothiam celerem nauigationem, nam mihi valdè est necesse te vsque ad Chiliocherum destinare legatum. In hac enim præterita nocte casu aliquo Maugina sancta Virgo ab Oratorio post Missam domum reuersa titubauit, coxaq; eius in duas confracta est partes, hæc sæpius meum inclamitans nomen commemorat, à Domino sperans se accepturam per me consolationem. Quid plura? Lugaido obsecundanti, & consequenter emigranti sanctus pineam tradit cum benedictione capsellam dicens: Benedictio, quæ in hac capsellula continetur, quando ad Mauginam peruenies visitandam, in aqua vasculum intingatur, eademque benedictionis aqua super eius infundatur coxam, & statim inuocato Dei nomine coxale coniungetur os, & densabitur; & sancta virgo plenam recuperabit salutem. Et hoc sanctus addit: En ego ponam in huius capsulæ operculo numerum viginti trium annorum, quibus sacra virgo in hac præsenti post eandem salutem victura est vita. Quæ omnia sic plenè expleta sunt, sicuti à sancto prædicta. Nam statim vt Lugaidus ad sanctam peruenit virginem, aqua benedicta, sicut sanctus commendauit, perfusa coxa, sine vlla morula condensato osse, plenè sanata est, & in aduentu S. Columbæ cum ingenti gratiarum actione gauisa, viginti tribus annis secundum sancti Prophetiam post sanitatem in bonis actibus permanens vixit.

Mauginam fracta coxâ se inuocantem videt, & misso Lugaido curat

Eidem prædicit 23 annos vitæ.

VI. Vir vitæ prædicabilis, sicuti nobis ab expertis traditum est, diuersorum languores infirmorũ, inuocato Christi nomine illis in diebus sanauit,* quibus ad Regum pergens condictum, in dorso cetæ breui commoratus est tempore. Nam aut sanctæ manus protensione, aut aqua ab eo benedicta, ægroti plures aspersi, aut etiam fimbriæ eius tactu amphibali, aut alicuius rei, salis videlicet, vel panis benedictione accepta, & lymphis intincta, plenam credentes recuperarunt salutem.

Varij ægroti sanantur.

VII. Alio itidem in tempore quidam à Sancto Petram Salis Benedictam accepit, sorori, & suæ nutrici profuturam oculorum dolori; quæ ophthalmiæ laborabat valdè graui languore, id est, oculorum dolore. Talem Eulogiam eadẽ soror & nutricia de manu fratris accipiens, in pariete super lectum suspendit, casuq; post aliquantos contigit dies, vt idem viculus cum supradictæ domuncula fœminæ flamma vastante totus concremaretur. Mirum dictu illius parietis particula, ne beati viri in ea deperiret suspensa benedictio, post totam ambustam domum stans in læsa permansit; nec ignis ausus est attingere binales, in quibus talis pendebat salis petra, sudes.

Ophthalmiam curat

Parietis pars in qua pẽdebat Sal à S. Colũba benedictũ, à flamma conseruatur illæsa.

VIII. Alivd miraculum æstimo non tacendum, quod aliquando factum est per contrarium elementum. Multorum namq; transcursis annorum circulis post beati ad Dominum transitum viri, quidam Iuuenis de equo lapsus in flumine mersus, & mortuus, viginti sub aqua diebus permansit, qui sicuti subascella, cadẽs, libros in pellicio reconditos sacculo habebat; ita etiam post supra memoratum dierum numerum est repertus sacculũ cum libris inter brachium & latus continens, cuius & aridam reportato cadauere, & aperto sacculo, folium S. Columbæ sanctis scriptum digitulis, inter aliorum folia librorum non tantum corrupta, sed & putrefacta, inuentum est nullo modo corruptum, ac si in scrinio esset reconditum.

Scriptum eius manũ folium sub aqua corruptum non est

IX. Alio namq; tempore cùm sanctus in sua versaretur peregrinatione, Infans ei per parentes ad baptizandũ offertur iter agenti. Et quia in vicinis aqua non inueniebatur locis, sanctus ad proximam declinans rupem, flexis genib. paulisper orauit. Et post orationem surgens, eiusdem rupis fontẽ benedixit, de qua consequẽter aqua ebulliens abũdãter fluxit, in qua cõtinuò infantulũ & baptizauit, de quo baptizato hęc vaticinãs intulit verba, inquiens: Hic puerulus vsq; ad extremam longæuus viuet ætatem; in annis iuuenilibus carnalib. dẽsiderijs satis seruiturus, & deinceps Christianæ vsq; in exitum militiæ mancipandus; in bona senectute ad Dominum emigrabit. Quæ omnia eidem viro iuxta sancti contigerunt vaticinium, & qui fonticulus adhuc sancti nomine Columbæ ibidem pollens cernitur.

Prædicit puero, longæuam vitam.

Fons S. Columbæ.

X. Alio in tempore vir beatus cùm in Pictorum prouincia per aliquot demoraretur dies, audiens in plebe gentili de aliquo fonte diuulgari famam, quem quasi diuinum stolidi homines diabolo eorum obcœcante sensus, venerabantur. Nam de eodem fonticulo bibentes, aut in eo manus vel pedes de industria lauantes, dæmoniaca, Deo permittente percussi arte, aut leprosi, aut lusci, aut etiam debiles, aut quibuscunq; alijs infestati infirmitatibus reuertebantur, ob quę omnia seducti gentiles diuinum fonti deferebant honorem. Quibus compertis sanctus alia die intrepidus accessit ad fontem. Quod videntes Magi, quos ipse sæpè confusos, & victos à se repellebat, & valdè gauisi sunt, scilicet putantes, eum similia illius nocuæ tactu aquæ passurum. Ille verò inprimis eleuata manu sancta, cum inuocatione Christi nominis, manus lauat, & pedes; tùm deinde cum socijs de eadem à se benedicta bibit. ex illaq; die dæmones ab eodem recesserunt fonte & non solum nulli nocere permissus est, sed etiam post sancti benedictionem, & in eo lauationem, multæ in populo infirmitates per eundem sanatæ sunt fontem.

Fontem à dęmonibus purgat.

XI. Alio in tempore vir sanctus in Mari periclitari cœpit: totũ namq; vas nauis valdè concussum magnis vndarũ cumulis fortiter ferebatur, grandi vndiq; insistente ventorum tempestate. Nautæ tùm fortè sancto cum illis exhaurire conanti, aiunt: Quod nunc agis, non magnoperè nobis proficit periclitantibus, exorare potius debes pro pereuntibus. Quo audito aquam cessat amaram exinarire, dulcẽ verò & intentam precem cœpit ad Dominũ fundere. Mirũ dictu eodem horæ momento, quo sanctus in prora stans extensis ad cœlum palmis omnipotentẽ exorauit, tota aëris tẽpestas, & maris sæuitia dicto citius sedata cessauit; & statim serenissima tranquillitas supersecuta est. Qui verò erãt in naui obstupefacti, cum magna admiratione referẽtes gratias glorificauerũt Dominũ in sancto & prædicabili viro.

Tempestatem sedat.

XII. Alio quoq; in tẽpore sæua nimis insistente & periculosa tẽpestate; socijs, vt pro eis Dominũ sanctus exoraret, inclamantib. hoc eis dedit responsum, dicens: Hac in die nõ est meum pro vobis in hoc periculo constitutis orare; sed est Abbatis Cahinnichi sancti viri. Mira dicturus sum. Eadem hora S. Cahinnichus in suo conuersans Monasterio, ꝙ Latine Campulus Bouis dicitur, spiritu reuelãte sancto supra dictã S. Columbæ interiore cordis aure vocẽ audierat. Et cùm fortè post nonã cœpisset horam in oratorio Eulogiam frangere, ocius deserit mensulã, vnoq; in pede inhærente calceo, & altero præ nimia festinatione relicto, festinanter pergit hac cũ voce ad Ecclesiam: Non est nobis nũc tempus prandere, quando in mari periclitatur nauis S. Columbæ. Hoc n. momento ipse nomen Cahinnichi ingeminans commemorat, vt pro eo & socijs periclitantibus exoret. Post hæc illius verba oratorium ingressus flexis genibus paulisper orauit, eiusq; orationẽ exaudiente Domino, illico tempestas cessauit, & mare valdè tranquillum factũ est. Tum dein sanctus Columba Cahinnichi ad Ecclesiam præparationem in spiritu videns, quamlibet longè conuersantis, mirabiliter hoc de puro pectore profert verbum, dicens: Nunc cognoui, ô Cahinniche, quod Deus tuam exaudierit precem; nunc valdè nobis proficit tuus ad Ecclesiam velox cum vno calciamento cursus. In hoc itaq; tali miraculo amborum, vt credimus, oratio cooperata est sanctorum.

S. Columbã periclitante in mari, tempestas precibus S. Cahinnichi sedatur.

XIII. Alio quoque in tempore superius memorati viri sancti ad sanctum venientes ab eo simul vnanimes postulant, vt ipse à Domino postulans impetraret prosperum crastina die ventum sibi dari, diuersa emigraturis via, quibus sanctus respondens hoc dedit responsum: Mane crastina die Baitheneus à portu Iouæ enauigans insulæ flatum habebit secundum, vsquequo ad portum perueniat Campilunge. Quod ita iuxta sancti verbum Dominus donauit. Nam Baitheneus plenis eadem die velis magnum totum pelagus vsque ad Ethicam transmeauit terram.

S. Columbã ventum secundũ nauigaturis prædicit.

Hora verò diei eiusdem tertia, vir venerandus Columbanum aduocat presbyterum, dicens: Nunc Baitheneus prosperè optatum peruenit ad portum, ad nauigandum te hodie præpara; mox Dominus ventum conuertet Aquilonē. Cui sic prolato beati viri verbo, eadem hora Auster obsecundans ventus se in aquiloneum conuertit flatum, & ita in eadem die vterq; vir Sanctus alter ab altero in pace auersus, Baitheneus mane ad Æthicam terram, Columbanus post meridiem Hiberniam incipiens appetere, plenis enauigauit velis & flatibus secundis. Hoc illustris viri virtute orationum Domino donante, effectum est miraculum, quia sicut scriptum est: Omnia possibilia sunt credenti. Post illa in die sancti Columbani egressum, Sanctus hoc de illo propheticum Columba protulit verbum: Vir sanctus Columbanus, cui emiganti benediximus, nusquam in hoc sæculo faciem videbit meam. Quod ita post expletum est. Nam eodem anno S. Columba ad Dominum transiuit.

Marc. 9 Abeunti prædicit illum se non reuisurum

Alio quoq; in tempore quidam iuuenis Columbanus nomine, qui ad ianuam tugurioli subitò perueniens restitit, in quo vir beatus scribebat, hic idem post vaccarum reuersus mulsionem, in dorso portãs vasculum nouo plenum lacte, dicens ad Sanctum, vt iuxta morem tale benediceret onus. Sanctus tum ex aduerso eminus in aëre signum manu eleuata salutare depinxit. Quod illico valdè concussum est, gergennaq; operculi per sua bina foramina retrusa, longius proiecta est; operculum terra tenus cecidit; lac ex maiore mensura in solum defusum est. Iuuenculus vas cum paruo quod remanserat lactis, super fundum in terra deponit, genua flectit suppliciter. Ad quem, Surge, ait, Columba, hodie in tua operatione negligenter egisti. Dæmonem enim in fundo vacui latitantem vasculi impresso Dominicæ crucis signo ante infusionem lactis non effugasti, cuius videlicet signi nunc virtutem non sustinens tremefactus toto pariter turbato vase, velociter cum lactis effusione aufugit. Hoc ergo ad me propius vasculum vt illud benedicã, approxima. Quo facto Sanctus seminuacuum benedixerat vas, eodemq; momẽto diuinitus repletum repertũ est, paruumq; quod prius in fundo remãserat vasis, sub sanctæ manus benedictione vsq; ad summũ citius excreuerat.

Lac auget.

XIV.

Hoc factum subsequens in domo alicuius plebei diuitis; vbi cum Sanctus hospitaretur intra rusticanos contendentes duos, quorum prius aduentum præsciuit, recta iudicatione iudicauit. Vnusque ex eis, qui maleficus erat, à Sancto iussus de boue masculo, quĩ prope erat, lac arte diabolica expressit. Quod sanctus non vt illa confirmaret maleficia, fieri iussit, quod absit; sed vt ea coram multitudine destrueret. Vir itaq; beatus vas, vt videbatur tali plenum lacte sibi ocius dari poposcit, & hac cum sententia benedixit, dicens, Modo probabitur non esse verum, quod putabatis lac, sed dæmonum fraude ad decipiendos homines decoloratus sanguis, & continuo lacteus ille color in naturam propriam, hoc est, in sanguinem versus est. Bos quoq; qui per vnius horæ momentũ turpi macie tabidus & maceratus erat, morti proximus, benedicta à Sancto aqua superfusus, mirà sub celeritate sanatus est. Alio quoq; in tẽpore vir beatus quadam nocte cum apud Columbanum tunc temporis inopem benè hospitaret, mane primo Sanctus de quantitate & qualitate substantiæ plebeium hospitem interrogat. Qui interrogatus, Quinq; tantummodo, ait, vaculas habeo; quæ si eas benedixeris, in maius crescent. Quas illicò à Sancto iussus adduxit, & huius Columbani bucolas quinales æqualiter benedicens, inquit, Centenas & quinque Deo donante habebis vaccas; & erit in filijs & nepotibus tuis florida benedictio. Quæ omnia iuxta Sancti viri prophetationem in agris & pecoribus eius & prole plenissimè adimpleta sunt. Mirumq; in modũ numerus à Sancto præfinitus supra memorato viro in cẽtenario & quinario vaccarum expletus numero, nullo modo superaddi potuit Nam illa quę supra præfinitum numerum excedebant diuersis prærepta casibus nusquã comparuerant, excepto eo, q̃ aut in vsus proprios familiæ, aut in opus eleemosynæ expẽdi poterat In hac itaq; narratione, vt in cęteris virtutib. miraculũ & ꝓphetia simul apertè ostẽditur. Nã in magna vaccarũ ampliatione benedictionis pariter & orationis virtus apparet; & in p̃finitione numeri ꝓphetalis præscientia.

Lac magicũ demonstrat esse sanguinem & bouem sanat.

Colũbano S. Columba prædicit, eum 105. vaccas habiturum cũ tantum 5. haberet.

XV.

Vir venerandus supra memoratum Columbanum, quem de paupere virtus benedictionis eius diuitẽ fecit, valdè diligebat; quia ei multa pietatis officia præbebat. Erat autem illo in tempore quidam malefactor homo bonorum persecutor, de regio ortus genere, hic supra dictum Columbanum Sancti amicũ Columbæ persequebatur, domumq; eius omnibus in ea inuentis deuastauerat ereptis, non semel, sed bis inimiciter agens. Vnde fortè non immeritò eidem maligno accidit viro, vt tertia vice post eiusdem domus tertiam deprædationem, beatum virum, quem quasi longius despexerat, proprius ad propinquantem ad nauim reuertens præda onustus cum socijs obuium haberet, quem cum Sanctus de suis corriperet malis, prædamq; deponere rogans suaderet: ille immitis insuadabiliter permanens Sanctum despexit, nauimq; cum præda ascendens, beatum virum subsannabat & deridebat. Quem Sanctus vsq; ad mare prosecutus est, vitreasq; intrãs aquas, vsq; ad genua, æquoreas, leuatis ad cœlũ ambabus manibus, Christum intentè precatur, qui suos glorificantes se glorificat electos. Tum deinde Sanctus expleta oratione ad aridã reuersus, in eminentiore cum comitibus sedet loco; ad quos illa in hora formidabilia valdè profert verba, dicens, Hic miserabiliter homuncio, qui Christum in suis despexit seruis, ad portum, à quo nuper coram vobis emigrauit, nunquam reuertetur, sed nec ad alias, quas appetit terras, subita præuentus morte, cum suis perueniet malis cooperatoribus. Hodie, quam mox videbitis, de nube à Borea orta immitis immissa procella eum cum socijs submerget; nec de eis etiam vnus remeabit fabulator. Post aliquantum paucularum interuentum morarum, die sereniſſima ecce de mari oborta, sicut Sanctus dixerat, nubes cum magno fragore venti emissa raptorem cum præda inter Maleam & Colosum insulam inueniens subito turbato submersit medio mari, nec ex eis, iuxta verbum Sancti, qui naui inerant, vel vnus euasit; mirumq; in modum toto circumquaq; manente tranquillo æquore. Talis vna rapaces ad inferna submersos prostrauit procella; miserè quidem, sed dignè.

Eiusdem Columbani deprædatorẽ submergi impetrat.

XVI.

Alio quoq; in tempore vir sanctus quendam de nobili Pictorum genere exulem in manum alicuius ditis viri diligenter assignans commendauit, vt in eius comitatu, quasi vnus de amicis, per aliquot menses conuersaretur, Quem cum tali commendatione de Sancti manu viri suscepisset commendatum; post paucos dies dolosè agens crudeli eum iussione trucidauit. Quod immane scelus cum Sancto à commeantibus esset nuntiatum, sic respondẽs profatus est, Non mihi, sed Deo infelix ille homunculus mentitus est, eius nomen de vitæ libro delebitur. Hæc verba æstiuo nunc mediante proloquimur tempore; sed Autumnali, antequam de suilla gustet carne, arboreo saginata fructu, subita præuentus morte, ad infernalia rapietur loca. Hæc Sancti Prophetia viri cum misello nuntiaretur homũcioni, despiciens irrisit Sanctum. Et post dies aliquot Autumnalium mensium, eo iubente, scrofa nucum impinguata nucleis iugulatur, nec dum alijs eiusdem viri iugulatis suibus, de qua celeriter exenterata partem sibi in veru celerius assari præcepit, vt de ea impatiens prægustans beati viri prophetationem destrueret Qua videlicet assata, dari sibi poposcit aliquam prægustandam morsus particulam; ad quam percipiendam, extensam manum, priusquam ad os conuerteret, exspirans mortuus retrò in dorsum cecidit. Et qui viderant & audierant valdè tremefacti, admirantes, Christum in sancto Propheta honorificantes glorificauerunt.

Alterius mortem & damnationem prædicit.

XVII.

Alio quoq; in tempore cum vir beatus in Pictorum prouincia per aliquot moraretur dies, necesse habuit fluuium transire Nesam. Ad cuius cum accessisset ripam, alios ex accolis aspicit misellum humantes homunculum, quẽ vt ipsius sepultores ferebant, quædam paulo ante nãtem aquatilis præripiens bestia morsu momordit sæuissimo: cuius miserum cadauer, serò licet, quidam in aluo subuenientes porrectis proripuêre vncinis. Vir è contra hæc audiens, præcepit vt aliquis è comitibus enatans Caupulum in altera stantem ripa ad se nauigando reducat. Quo audito

XIIX.

Sancti

Sancti prædicabilis viri præcepto, Lugneus, nihil moratus, obsecundans, depositis excepta vestimentis tunica, immittit se in aquas. Sed belua, quæ prius non tam satiata, quàm in præda accensa in profundo fluminis latitabat, sentiens, eo nante, turbatam supra aquã, subitò emergẽs natatilis ad hominem in medio natante alueo cum ingenti fremitu aperto occurrit ore. Vir tum beatus videns, omnibus, qui inerant, tàm barbaris, quàm etiam fratribus, nimio terrore perculsis, cum salutare deuota manu in vacuo & in aëre crucis pinxisset signum, inuocato Dei nomine, feroci imperauit bestiæ, dicens: Nolis vltra progredi, nec hominem tangas, retro citius reuertere. Tum bestia hac Sancti audita voce retrorsum, ac si funibus retraheretur: velociore cursu fugit tremefacta; quæ prius Lugneo nanti eò vsque appropinquauit, vt inter hominem & bestiam non amplius esset, quàm vnius contuli longitudo. Fratres tum recessisse videntes bestiam, Lugneumque commilitonem ad eos intactum & incolumem in nauicula reuersum, cum ingenti admiratione glorificauerunt Deum in beato viro. Sed & gentiles barbari, qui ad præsens inerant, eiusdem miraculi magnitudine, quod & ipsi viderant, compulsi, Deum magnificauerunt Christianorum. Belluæ marinæ imperat.

XIV.

XIX. Illo in tempore quo S. Columba in Pictorum prouincia per aliquot demorabatur dies, quidam cũ tota plebeius familia verbum vitæ per interpretatorem Sãcto prædicante viro audiens credidit, credensq; baptizatus est, maritus cum marita, liberisq;, & familiaribus. Et post aliquantum diecularum interuallum paucarum vnus filiorum patrisfamilias graui correptus ægritudine, vsq; ad confinia mortis, & vitæ perductus est. Quem cùm magi morientem vidissent, parentibus cum magna exprobratione cœperunt illudere, suosque quasi fortiores Deos magnificare, Christianorum verò tanquam infirmiori derogare. Quæ omnia cum intimarentur beato viro, zelo suscitatus Dei, ad domum cum suis comitibus amici pergit plebei; vbi parentes nuper defunctæ prolis mœstas celebrant exequias. Quos Sanctus valde tristificatos videns confirmat, dictis compellat consolatorijs, vt nullo modo de diuina omnipotentia dubitarent, consequenter percontatur, dicens. In quo hospitiolo corpus defuncti iacet pueri? Pater tum orbatus Sãctum sub mœstum deducit culmẽ, qui statim omnem foris exclusam relinquens cateruam, solus mœstificatus intrat habitaculum. Vbi illicò flexis genibus faciem vbertim lachrymis irrigans, Christum precatur Dominum, & post ingeniculationem surgens oculos cõuertit ad mortuum dicens, In nomine Domini Iesu Christi resuscitare, & sta super pedes tuos. Cum hac Sancti honorabili voce anima ad corpus redijt, defunctusq; apertis reuixit oculis, cuius manum tenens Apostolicus homo erexit, & in stationem stabiliens secum domum egressus deducit, & parentibus rediuiuum assignauit. Clamor tum populi attollitur, plangor in lætationem conuertitur, Deus Christianorum glorificatur. Hoc noster Columba cum Helia & Heliseo prophetis habeat sibi commune virtutis miraculum, & cum Petro & Paulo & Ioanne Apostolis partem honoris similem in defunctorum resuscitatione, & inter vtrosque, hoc est, Prophetarum & Apostolorum cœtus honorificam cœlestis patriæ sedem, homo Propheticus & Apostolicus æternalem cum Christo, qui regnat cum Patre in vnitate Spiritus S. per omnia sæcula. Suscitat mortuum.

XV.

XX. Eodem in tempore vir venerandus quandam à Broichano Mago Scothicam postulauit seruam, humanitatis miseratione liberandam; quam cum ille duro valde & stolido retẽtaret animo, Sanctus ad eum locutus, hoc profatur, Modò scito Broichane scito, quia si mihi hanc peregrinam liberare captiuam nolueris, priusquam de hac reuertar prouincia, citius morieris. Et hoc coram Brudeo Rege dicens, domum egressus regiam, ad Nesam venit fluuium: de quo videlicet fluuio lapidem attollens candidum ad comites, Signate, ait, hunc candidum lapidem, per quẽm Dominus in hoc gentili populo multas ægrotorum perficiet sanitates. Et hoc efflatus verbum consequenter intulit, inquiens, Nunc Broichanus fortiter concussus est. Nam Angelus de cœlo missus, grauiter illum percutiens, vitream in manu eius, de qua bibebat, confregit in multa fragmenta; ipsum verò anhelantem ægra reliquit suspiria, morti vicinum. Hoc in loco paululum expectemus binos Regis nũtios ad nos celeriter missos, vt Broichano morienti citius subueniamus. Nunc Broichanus formidabiliter correptus ancillam liberare est paratus. Adhuc Sancto hæc loquente verba, ecce sicuti prædixerat, duo à Rege missi equites adueniunt, omnia quæ in Regis *motiõe de Broichano iuxta Sancti vaticinium sunt acta, enarrantes, & de poculi confractione, de Broichano iuxta, & de Magi correptione, de seruulæ parata absolutione; hocque intulerunt, dicentes: Rex & eius familiares nos ad te miserunt, vt nutricio eius Broichano subuenias mox morituro. Quibus auditis Legatorũ verbis Sãctus binos de comitum numero ad Regem cum lapide à se benedicto mittit, dicens, Si in primis promiserit se Broichanus famulam liberaturum, tum deinde hic lapillus intingatur in aqua; & sic de eo bibat, & cõtinuò salutem recuperabit. Si vero renuerit refragans absolui seruam, statim morietur. Duo missi verbo Sancti obsequentes ad aulam deueniunt regiam, verba viri venerabiliter enarrantes Regi, quibus intimatis Regi & nutritio eius Broichano, valdè expauerũt. Eadem hora liberata famula Sancti Legatis viri assignatur, lapis in aquam intingitur, mirumq; in modum lapis contrà naturã in aquis supernatat, quasi pomum, vel nux; nec potuit Sancti benedictio viri submergi: de quo Broichanus nante bibens lapide, statim à vicina redijt morte, integramq; carnis recuperauit salutẽ. Talis verò lapis postea in thesauris Regis reconditus, multas in populo ægritudinum sanitates similiter in aqua natans intinctus, Domino miserante effecit. Mirum dictu, ab his ægrotis, quorum vitæ terminus superuenerat, requisitus idem lapis nullo modo reperiri poterat, sic & in die obitus Brudei Regis quærebatur, nec tamen in eodem loco, vbi fuerat reconditus prius, inueniebatur. * votione. Broichanum sanat & seruum liberat. Per lapidẽ à S. Colũba benedictũ multi sanãtur. Idem, cum alicui modũ est, non inuenitur.

XVI.

XXI. Post supra memorata peracta quadam die Broichanus ad Sanctum proloquẽs virum, infit: Dicito mihi Columba, quo tempore cupis enauigare. Sanctus, Tertia, ait, die, Deo volente, & vita comite, nauigationẽ proponimus incipere, Broichanus è contra, Non poteris, ait, nam ego ventum tibi contrarium facere, caliginemq; vmbrosam superinducere possum. Sanctus, Omnipotentia Dei, ait, omnium dominatur, in cuius nomine omnes nostri motus ipso gubernante diriguntur. Quid plura? Sanctus eadem die, sicut proposuit, ad lacum fluminis Nisæ longum multa prosequente caterua, venit: Magi verò gaudere tum cœpẽre, magnam videntes superinductam caliginem, & cõtrarium cum tempestate flatum. Nec mirum hæc interdum arte Dæmonum posse fieri, Deo permittente, vt etiam venti & æquora in asperius concitentur. Sic enim aliquando Dæmoniorum legiones sancto Germano Episcopo de sinu Gallico causa humanæ salutis ad Britanniam nauiganti medio in æquore occurrerant; & opponentes pericula procellas concitabãt, cœlumq;, diemq; tenebrarum caligine obducebant. Quæ tamen omnia, sancto orante Germano, dicto citius sedata detersâ cessarunt caligine. Noster itaq; Columba videns contrà se elementa concitari furentia, Christũ inuocat Dominum, cimbalamq; ascendens, nautis hæsitantibus, ipse constantior factus velum contra ventum iubet subrigi. Quo facto, omni inspectante turba, nauigium cõtra flatus mira vectum occurrit velocitate, & post haud grãde interuallum venti contrarij ad itineris ministeria cum omnium admiratione reuertuntur. Et sic per totam illam diem flabris lenibus secundi flantibus beati cimba viri optatum prouecta ad portum pulsa est. Perpendat itaque lector, quantus, & qualis idem vir venerandus fuerit; in quo Deus omnipotens talibus præscriptis miraculorum virtutibus coram plebe gentilica inlustre suum manifestauit nomen. Contra tẽpestatem à Magis excitatam nauigat S. Columba.

XIIX.

XXII. Alio in tempore, hoc est, in prima Sancti fatigatione itineris ad Regem Brudeum, casu contigit, vt idem Rex fastu elatus regio suæ munitionis superbè agens, in primo beati aduentu viri, non aperiret portas, quod vt cognouit homo Dei cum comitibus ad valuas portarum accedens, primum Dominicæ Crucis imprimens Signum; tum deinde manum pulsans contra ostia ponit, quæ continuò sponte retro retrusis fortiter seris cũ omni celeritate aperta est, quibus Portas sibi à rege clausas aperit.

quibus statim apertis, Sanctus consequenter cum suis socijs intrauit. Quo cognito Rex cum senatu valdè pertimescens, domum egressus obuiam cum veneratione beato pergit viro, pacificisq; verbis blandè admodum compellat, & ex ea impositum die sanctum & venerabilem virum idem regnator suæ omnibus vitæ reliquis diebus valde magna honorauit, vt decuit, honorificentia.

ALIO itidem in tempore vir beatus aliquantis in Scothia versatus ad visitandos fratres, qui in Monasterio diuini ruris commanebant Riuulorum ab eis inuitatus perrexit; sed casu aliquo accidit, vt eo ad ecclesiam accedente claues non reperirentur Oratorij. Cum verò Sanctus de non repertis adhuc clauibus, & obseratis foribus inter se cõquirentes alios audisset, ipse ad ostium appropinquans. Potens est Dominus, ait, domum suam etiam sine clauib. seruis suis aperire. Cum hac tũ voce subito retrò retrusis forti motu pessulis, sponte aperta ianua Sãctus cũ omnium admiratione ad ecclesiam ante omnes ingreditur, & hospitaliter à fratrib. susceptus honorabiliter ab omnib. veneratur. XXIII.

Itẽ ianuam Oratorij.

ALIO in tempore quidam ad Sanctum plebeius venit pauperrimus, qui in ea habitabat regione, quæ stagni littoribus aporici est contermina. Huic ergò miserabili viro, qui vnde maritam, & paruulos cibaret, non habebat, vir beatus petenti miseratus, vt potuit, quandam largitus eleemosynam, ait, Misselle homuncio, tolle de sylua contulũ vicina, & ad me citius defer. Obsecundans miser iuxta Sancti iussionem detulit materiam; quam Sanctus excipiens in veru exacuit, quodq; propria exacuminans manu benedicens, & illi adsignans inopi dixit: Hoc veru diligenter custodi, quod, vt credo, nec homini, nec alicui pecori nocere poterit, exceptis feris bestijs quoq; & piscibus. Et quãdiu talem habueris sudem, nunquam in domo tua ceruinæ carnis cibatio abundans deerit. Quod audiens miser mẽdiculus valdè gauisus, domum reuertitur, veruq; in remotis terræ infixo locis, quæ syluestres frequentabant feræ, & vicina ti ãsacta nocte mane primo pergit reuisitare volens veru, in quo mirę magnitudinis ceruum cecidisse repperit, transmissum. Quid plura? Nulla, vt nobis traditum est, transire poterat dies, qua non aut ceruum, aut ceruam, aut aliquam reperiret in veru infixo cecidisse bestiam, repleta quoq; tota de ferinis carnibus domo, vicinis superflua vendebat, quæ hospitium suæ domus capere non poterant. Sed tamen diaboli inuidia per sociam, vt Adam, & hunc etiã miserum inuenit; quæ non quasi prudens, sed fatua taliter ad maritum locuta est: Tolle de terra veru. Nam si in eo homines, aut etiam pecora pericrint, tu & ipse, & ego cum liberis nostris aut occidemur, aut captiui ducemur. Ad hęc maritus inquit: Non ita fiet. Nam sanctus vir mihi benedicens sudem dixit; quod nunquam hominibus, aut etiam pecoribus nocebit. Post hæc verba medicus vxori consentiens, pergit, & tollit de terra veru intra domum quasi amans illud secus parietem posuit, in quo mox domesticus eius incidens canis disperijt. Quo pereunte, rursum marita: Vnus, ait, filiorum tuorum incidet in sudem, & peribit. Quo audito eius verbo maritus veru de pariete remouens ad syluam poterat, & in densioribus infixit dumis, vt putabat, vbi à nullo posset, animante offendi: sed postera reuersus die capream in eo cecidisse & periisse reperit. Inde quoq; illud remouens in fluuio, qui Latinè potest dici Nigra Dea, iuxta ripam sub aquis abscondens infixit. Quod alia reuisitans die Esocen in eo mirę magnitudinis transfixum, & retentum inuenit, quem de flumine eleuans vix solus ad domum reportare poterat: veruque secum de aqua simul reportans extrinsecus in superiore tecti affixit loco, in quo & coruus de volatus impetu lapsus disperijt iugulatus. Quo facto, miser fatuæ consilio coniugis deprauatus veru tollens de tecto assumpta securi in plures concidens particulas, in ignem proiecit, & postea quasi suæ paupertatis amisso non mediocri solatio, remendicare, vt meritus, cœpit. Quod videlicet penuriæ rerum solamen sæpè superius in veru memorato dependebat, quod pro pedicis, & retibus, & omni venationis & piscationis genere seruatum posset sufficere, beati viri donatum benedictione, quodq; amissum miser plebeius eo ditatus pro tempore ipse cum tota familiola fero licet omnibus de cetero deplanxit reliquis diebus vitæ. XXIV.

Pauperis inopiam veru benedicto leuat, quo per pauperem combusto, is ad pristinam iterum inopiam redit.

ALIO in tempore beati legatus viri Lugaidus nomine ad Scothiam iussus nauigare proponens inter naualia nauis sancti instrumenta vtrem lactarium quæsitum inueniens sub mari, congestis super eum non paruis lapidibus made faciendum posuit, veniensq; ad sanctum quod de vtre fecit, intimauit. Qui subridens, inquit, Vter quem, vt dicis, sub vndis posuisti, hac vice, vt æstimo, non te ad Hiberniam comitabitur. Cur, ait, non mecum in naui comitem eum habere potero? Sanctus, Altera, inquit, die, quod res probabit, scies. Itaq; Lugaidus mane postera die ad retrahendum de mari vtrem pergit, quem tamen salatia noctu subtraxit vnda. Quo non reperto, ad sanctum reuersus tristis, flexis in terram genibus, suam confessus est negligentiam. Cui sanctus, illum consolatus, ait; Noli frater pro fragilibus contristari rebus, vter quem salatia sustulit ad suum locum post tuum egressum reportabit * venalia. Eadem die post Lugaidi de Ioua insula emigrationem, hora transacta nona sanctus ex circumstantibus sic profatus, ait: Nunc ex vobis vnus ad æquor pergat, vtrem de quo Lugaidus querebatur, & quem salatia sustulerat vnda, nunc venilia retrahens, in loco vnde subtractus est, repræsentauit. Quo sancti audito verbo, quidam alacer iuuenis ad oram cucurrit Maris, repertumque vtrem, sicut prædixerat sanctus, cursu reuersus concito, reportans valdè gauisus coram sancto cùm omnium, qui ibidem erant, admiratione assignauit. In his, vt sæpè dictum est, binis narrationibus superius descriptis, quamlibet in paruis rebus, sude videlicet & vtre, propheticæ simul & virtutis miraculum comitari cernuntur. Nunc ad alia tendamus. XXV.

Vtrem lactarium perdendum prædicit.

* *venalia.*

Eundem iterum prædicit repertum.

QVADAM die sanctus in Ioua commanens insula citò à lectione surgens & subridens dicit: Nunc ad orationem mihi properandum, vt pro quadam misellula deprecer Deum fœmina, quæ nunc in Hybernia nomen huius inclamitans commemorat Columbæ in magnis parturitionis difficillimæ torta punitionibus; & ideò per me à Domino de angustia absolutionem dari sibi sperat: quia & mihi est cognationalis, de meæ matris parẽtela genitorẽ habens progenitũ. Hæc dicens sanctus illius mulierculæ motus miseratione ad Ecclesiam currit, flexisq; genib. pro ea Christũ de homine natum exorat. Et post precationem Oratorium egressus ad fratres profatur occurrẽtes, inquiens: Nũc propicius Dominus Iesus de muliere progenitus oportunè miseræ subueniens eam de angustijs liberauit, & prosperè prolem peperit; nec hac morietur vice. Eadem hora sicuti sanctus prophetizauit misella fœmina nomen eius inuocans absoluta salutem recuperauit. Ita ab aliquibus postea de Scothia, & de eadem regione, vbi mulier inhabitabãt, transmeantibus intimatum est. XXVI.

Cognatæ suæ parturienti subuenit.

ALIO in tempore cũ vir sanctus in Rechrea hospitaretur insula, quidam plebeius ad eum veniens, de suâ quẽrebatur vxore; q̃ vt ipse dicebat, odio habens eum ad maritalem nullo modo admittebat concubituũ accedere. Quibus auditis sanctus maritam aduocans, in quantum potuit eam hac de causa corripere cœpit, inquiens: Quare mulier tuam à te carnem abdicare conaris? Domino dicente. Erunt duo in carne vna. Itaq; caro tui coniugis tua caro est. Quæ respondens, Omnia, inquit, quæcunq; mihi præceperis, fum parata, quamlibet sint valdè laboriosa adimplere; excepto vno, vt me nullo compellas modo in vno lecto dormire cum Lugneo. Omnẽ domus curam exercere non recuso, aut si iubeas vel maria transire, & in aliquo puellarum monasterio permanere. Sanctus tum ait: Non potest rectè fieri, quod dicis. Nam adhuc viro viuente alligata es lege viri Quod enim Deus licitè coniunxit, nefas est separari. Et his dictis cõsequenter intulit: Hac in die tres, hoc est, ego, & maritus cum coniuge ieiunantes Dominum precemur. Illa dehinc; Scio, ait, quia tibi impossibile non erit, vt ea quæ vel difficilia, vel ẽt impossibilia videntur à Deo impetrata donẽtur. Quid plura? marita eadẽ die cũ sancto ieiunare cõsentit, & maritus similiter, nocteq; subsequẽte XXVII.

Coniuges placat.

sanctus

ſanctus inſomnis pro eis deprecatus eſt, poſteraq; die ſanctus maritã præſente ſic compellat marito: O fœmina, ſi, vt heſterna dicebas die, parãta hodie es ad fœminarum emigrare monaſteriolum. Illa, Nunc, inquit, cognoui, quia tua à Deo de me eſt exaudita oratio. Nam quem heri oderam, hodie amo, cor enim meum hac nocte præterita, quonam modo ignoro, in me immutatum eſt de odio in amorem. Quid moramur? Ab eadem die vſq; ad diem obitus anima eiuſdem maritæ indiſſociabiliter in amore conglutinata eſt mariti, vt illa maritalis concubitus debita, quæ prius reddere renuebat, nullo modo deinceps recuſaret.

XXIIX. ALIO in tempore Cormacus Chriſti miles, de quo in primo huius opuſculi libello breuiter aliqua cõmemorauimus, pauca ẽt ſecunda vice, conatus eſt heremum in Oceano quærere, qui poſtquã à terris infinitum Oceanũ plenis enauigauit velis. Iiſdẽ diebus ſanctus Columba cùm vltra dorſum moraretur Britanniæ, Brudeo rege præſente Orcadũ Regulo commendauit, dicens: Aliqui ex noſtris nuper emigrauerunt, deſertũ in pelago intranſmeabili inuenire optantes, qui ſi forte poſt longos circuitus Orcadas deuenerint inſulas, huic Regulo cuius obſides in manu tua ſunt, diligenter commenda; ne aliquid aduerſi intra terminos eius contra eos fiat. Hoc vero ſanctus ita dicebat: quia in ſpiritu præcognouit, quod poſt aliquod menſes idẽ Cormacus eſſet ad Orcadas venturus. Quod ita poſtea euenit, & propter ſupra dictã ſancti viri commendationẽ de morte in Orcadibus liberatus eſt vicina. Poſt aliquantũ paucorũ interuallum mẽſium cũ ſanctus in Ioua cõmoraretur inſula, quadã die coram eo eiuſdẽ Cormaci mentio ab aliquib. ſubitò oboritur fermocinantibus, & taliter dicentibus: Quomodo Cormaci nauigatio proſperè an nõ prouenit, adhuc neſcitur. Quo audito verbo ſanctus hac profatur voce dicens: Cormacum, de quo nunc loquimur, hodie mox perueniẽtẽ videbitis. Et poſt quaſi vnius horæ interuentũ, mirum dictu, & ecce inopinatò Cormacus ſuperueniens Oratorium cum omnium admiratione & gratiarũ ingreditur actione. Et quia de huius Cormaci ſecũda nauigatione beati prophetationẽ breuiter intulimus viri, nũc & tertia æquè ꝓphetica eius ſcientia aliqua deſcribenda ſunt verba.

Cormacum in incertum nauigãtem, ad Orcadas peruenturu prædicit.

De eiuſdem felici reditu vaticinatur.

XXIX. DVM idem Cormacus tertia in Oceano mari fatigaretur vice, vſq; ad mortem periclitari cœpit. Nam cùm nauis eius à terris per quatuordecim æſtiui tẽporis dies totidemq; noctes plenis velis, auſtro flante vento ad ſeptẽtrionalem plagã cœli directo excurreret curſu, eiuſmodi nauigatio vltra humani excurſus modũ & inremeabilis videbatur. Vnde contigit, vt poſt decimã eiuſdem quarti & decimi horã diei quidam penè inſuſtentabiles vndiq; , & valdè formidabiles conſurgerẽt terrores. Quædã quippe in id tẽporis inuiſæ mare obtegentes occurrerant terræ & infeſtæ nimis beſtiolæ, quę horribili impetu carinã & latera, puppimq;, & proraã ita fortiter feriebant percuſſura, vt pellicium tectũ nauis putarentur penetrare poſſe; quæ, vt hi, qui inerant ibidẽ poſtea narrarũt, prope magnitudine ranarũ aculeis permoleſtæ non tamen volatiles, ſed natatiles erant, ſed & remorũ infeſtabãt palmulas. Quibus viſis inter cetera monſtra, quæ non huius eſt tẽporis enarrare, Cormacus cum nautis comitib. valdè turbati, & pertimeſcẽtes, Deum, qui eſt in anguſtiis pius & oportunus auxiliator, inlachrymati precantur. Eadẽ hora & ſanctus noſter Columba, quãlibet longè abſens corpore, ſpiritu tamen præſens, in naui cũ Cormaco erat. Vnde eodem momento perſonãte ſignò fratres ad Oratorium conuocans, & Eccleſiam intrans, adſtantib. ſic more ſibi conſueto prophetizans, profatur, dicens: Fratres tota intentione pro Cormaco orate, qui nunc humanæ diſcurſionis limitẽ immoderatè nauigando exceſſit, nunc quaſdam monſtruoſas ante non viſas penè indicibiles patitur horrificas perturbationes. Itaq; noſtris cõmembribus in periculo intolerabili conſtitutis mente compati debemus fratrib. & Dominum exorare cum eis. Ecce enim nunc Cormacus cũ ſuis nautis faciem lachrymis irrigans vbertim Chriſtum intentius precatur, nos ipſum orãdo adiuuemus, vt Auſtrum flantem ventũ vſq; hodie per quatuordecim dies noſtri miſeratus in Aquilonẽ cõuertat; quĩ videlicet Aquiloneus ventus nauẽ Cormaci de periculis retrahebat. Et hæc dicens flexis genibus flebili cũ voce ante altarium omnipotentiam Domini ventorũ & cunctarum gubernatricem precatur rerũ. Et poſt orationem cito ſurgit, & abſtinens lachrymas gaudenter grates Deo agit, dicens: Nunc fratres noſtris congratulemur, pro quibus oramus caris; quia Dominus nunc Auſtrũ in Aquilonarem conuertit flatũ noſtros de periculis commẽbres retrahentem, quos huc ad nos iterum reducet. Et continuò cũ eius voce Auſter ceſſauit ventus, & inſpirauit Aquiloneus. Per multos poſt dies & nauis Cormaci ad terras reducta eſt, & peruenit Cormacus ad ſanctum Columbam, & ſe, donãte Deo, facie ad faciem cum ingenti omnium admiratione repræſentauit, & non mediocri lætatione. Perpendat itaque Lector quantus & qualis idem vir beatus fuerit, qui talem Propheticam habens ſcientiam ventis & Oceano Chriſti inuocato nomine potuit imperare.

Eundem in mari periclitantem precibus iuuat.

XXX. ALIO in tempore cũ in Scothia per aliquod dies ſanctus conuerſaretur, aliquibus eccleſiaſticis vtilitatib. coactus, currum, ab eo prius benedictum, aſcendit iunctum, ſed non inſertis primò, qua neſcio negligentia accedẽte, neceſſarijs obicibus per axionum extrema foramina. Eadem a. erat diecula Columbanus filius Echudi vir ſanctus illius Monaſterij fundator, quod Scothica vocitatur lingua Snamluthir; qui operam aurigæ in eodem curriculo cum ſancto exercebat Columba. Fuit itaq; talis eiuſdẽ agitatio diei per longa viarum ſpatia ſine vlla rotarum humerulorũq; ſeparatione ſiue labefactatione; nulla, vt ſupradictum eſt, obicum retentione vel communitione retinente, ſed ſola diali ſic venerando præſtante gratia viro, vt currus, cui inſederat, ſalubriter abſq; vlla impeditione recta incederet orbita. Hucuſq; de virtutum miraculis, quæ per prædicabilem virum in præſenti conuerſantem diuina vita operata eſt omnipotentia, ſcripſiſſe ſufficiat. Hic ſecundus de virtutum miraculis finiendus eſt liber, in quo animaduertere lector debet, quod & de compertis in eo multa propter legentium prætermiſſa ſunt faſtidium.

In curru nõ bene præparato feliciter vehitur.

LIB. III.

I. IN primo, ex his tribus libellis, libro, vt ſuperius commemoratũ eſt, de Propheticis reuelationibus quædã breuiter ſuccincteq;, Domino iuuante, deſcripta ſunt. In ſecundo ſuperiore de virtutum miraculis, quæ per beatum declarata ſunt virum, & quæ, vt ſæpè dictum eſt, plerumq; prophetationis comitatur gratia. In hoc vero tertio de angelicis apparitionibus, quæ vel ab ijs de beato viro, vel ipſis de alijs reuelatæ ſunt. Et de his, quæ vtroq;, quamlibet diſparili modo, hoc eſt, ipſi propriè & pleniùs, alijs vero impropriè, & ex quadam parte ſunt manifeſtatæ, hoc eſt, extrinſecus & exploratiuè; in ijſdem tamen vel angelorum vel cœleſtis viſionis locis, quæ vtiq; talium deſcriptarum viſionum ſuis caraxatæ locis inferius clarebunt. Sed nunc à primordijs beati Natiuitatis viri eaſdem deſcribere angelicas apparitiones incipiamus. Angelus Domini in ſomnis Genitrici venerabilis viri quadam inter conceptum eius & partum apparuit, eiq; quaſi quoddam miræ pulchritudinis peplũ aſſiſtens detulit, in quo veluti vniuerſorum decoroſi colores florũ depicti videbantur, quodq; poſt aliquod breue interuallum eius de manibus repoſcens abſtulit, eleuanſque & expandens in aëre dimiſit vacuo. Illa verò de illo triſtificata ſublato, ſic ad illum venerandi habitus virum. Cur à me, ait, hoc lætificum tam citò abſtrahis pallium? Ille conſequenter, Idcirco, inquit, quia hoc ſagum tam magnifici honoris alicuius eſt, quod apud te diutius retinere non poteris. His dictis ſupra memoratum peplũ mulier paulatim à ſe elongari volando videbat, camporumq; latitudinem in maius creſcendo excedere, monteſq; & ſaltus maiore ſui menſura ſuperare; vocemq; huiuſcemodi ſubſecutam audierat. Mulier nolis triſtificari. Viro enim cui matrimoniali es iuncta fœdere, talem filium editura es floridum, qui quaſi vnus Prophetarum Dei, inter ipſos connumerabitur, innumerabiliumque animarum Dux ad cœleſtem à Deo patriam eſt prædeſtinatus. In hac audita voce mulier expergiſcitur.

Apparitio matri S. Columbæ facta ante natiuitatem eius.

ALIA

Apparitio nutritori ipsius facta.

ALIA in nocte eiusdem beati pueri nutritor, spectabilis vir vitæ, Presbyter, post Missam ab Ecclesia ad hospi- II.
tiolum reuertens, totam inuenit domum clara irradiatam luce. Globum quippe igneum super pueruli dormientis faciem vidit stantem, qui viso statim intremuit, & prostrato in terram vultu, valdè miratus, Spiritus sancti gratiam super suum intellexit alumnum cœlitus effusam.

S. Brendeni visio de S. Columba excommunicato.

POST multorum interualla temporum cùm à quadam Synodo prò quibusdam venialibus & excusabilibus III.
causis, non rectè, vt post in fine claruit, sanctus excommunicaretur Columba, ad eandem contra ipsum collectã venit congregationem, quem cum eminùs appropinquantem sanctus vidisset Brendenus, illius Monasterij fundator, quod Scothice Birra nuncupatur, citius surgit; & inclinata facie eum veneratus exosculatur. Quem cùm aliqui illius seniores cœtus seorsum ceteris redarguerent semotim dicentes, Quare coram excommunicato surgere, & eum osculari nó reuereris? Taliter ad eos inquiens, Si vos, ait, videretis ea, quæ mihi Dominus hac in die de hoc suo, quẽ dehonoratis, electo manifestare non dedignatus est, nunquam excommunicassetis, quem Dominus non solum secundũ vestram non rectam sententiam nullo modo excommunicat, sed & magis & magis magnificat. Illi è contra, Quomodo, aiunt, vt dicis, ipsum glorificat Deus, quem nos non sine causa excommunicauimus, scire cupimus. Ignicomam vel valdè luminosam, ait Bendenus, columnam vidi, eundem quem vos despicitis, antecedentem Dei hominem, Angelos quoque sanctos per campum eius itineris comites. Hunc itaque spernere non audeo, quem populorum Ducem ad vitam à Deo præordinatum video. His ab eo dictis non tantum vltra sanctum excommunicare non ausi, cessarunt; sed & valdè venerati honorarunt.

Finnio magister eius, angelum itineris ei comitem videt.

ALIO in tempore vir sanctus venerandum Episcopum Finnionem, suum videlicet Magistrum iuuenis senem IV.
adijt, quem cum sanctus Finnio ad se appropinquantem vidisset, Angelũ Domini pariter eius comitem itineris vidit. Et, vt nobis ab expertis traditur, quibusdam adstantibus intimauit fratribus, dicens: Ecce nunc videtis sanctum aduenientem Columbam, qui sui commeatus meruit habere socium angelum cœlicolam. Ijsdem diebus sanctus cum duodecim commilitonibus discipulis Britanniam transnauigauit.

Aidanum iuxta visionẽ habitã, in regem ordinat, & futura de filijs prædicit.

ALIO in tempore cum vir prædicabilis in Himbria commoraretur Insula, quadam nocte in extasi mentis An- V.
gelum Domini ad se missum vidit, qui in manu Vitreum ordinationis Regum habebat librum, quem cum vir venerandus de manu Angeli accepisset ab eo iussus legere cœpit. Qui cum secundum, quod ei in libro erat commendatũ Aidanum in Regem ordinare recusaret; quia magis Iogenanum fratrem eius diligeret; subito angelus extendens manum, sanctum percussit flagello: cuius liuorosum in eius latere vestigium omnibus suæ diebus permansit vitæ; hocque intulit verbum: Pro certo scias, inquiens, quia ad te à Deo missus sum, cum vitreo libro, vt iuxta verba, quæ in eo legisti, Aidanum in regnum ordines. Quod si obsecundare huic nolueris iussioni, percutiam te iterato. Hic itaque Angelus Domini cùm per tres continuas noctes eundem in manu vitreum habens codicem apparuisset, eademque Domini iussa de Regis eiusdem ordinatione commendasset; sanctus verbo obsecutus Domini, ad Iouam transnauigauit Insulam, ibidemq; Aidanum ijsdem aduentantẽ diebus in Regem, sicut iussus erat, ordinauit, & inter ordinationis verba de filijs & nepotibus, pronepotibusq; eius futura prophetizauit: imponensq; manum super caput eius ordinãs benedixit.* Commeneus Albus in libro quem de virtutibus sancti Columbæ scripsit, sic dixit, quod sanctus Colũba de Aidano, & de posteris eius, & de regno suo prophetare cœpit dicẽs: Indubitanter credo, ô Aidane, quod nullus Aduersariorum tuorum tibi poterit resistere; donec prius fraudulentiam agas in me, & in posteros meos. Propterea ergo tu filijs commendes, vt & ipsi filijs, & nepotibus, & posteris suis commendet, ne per consilia mala eorum sceptrum Regni huius de manibus suis perdant. In quocunque enim tempore malum aduersum me, aut aduersus cognatos meos, qui sunt in Hibernia fecerint, flagellum, quod causa tui ab Angelo sustinui, per manum Dei super eos in magnum flagitium vertetur, & cor virorum auferetur ab eis, & inimici eorum vehementer super eos confortabuntur. Hoc autem vaticinium temporibus nostris completum est in Belloroth Domnallo Brecco nepote Aidani, sine causa vastante prouinciam Domnail nepotis Amureg. Et à die illa vsque hodie adhuc in procliuo sunt ab extraneis, quod suspiria doloris pectori incutit.

* NB. Commeneus Albus scripsit libr. de S. Columba.

Videt monachi animam saluari.

ALIO in tempore cum vir sanctus in Ioua conuersaretur Insula, quidam de suis Monachus Britto, bonis acti- VI.
bus intentus, molestia correptus corporis, ad extrema perductus est; quem cum vir venerandus in hora sui visitaret exitus, paulisper ad eius lectum assidens, & ei benedicens, ocius domum egreditur, nolens videre morientem. Qui eodem momento post sancti de domo recessum viri, præsentem finiuit vitam. Tum vir prædicabilis in plateola sui deambulãs Monasterij, porrectis ad cœlum oculis, diutius valdè obstupescens admirabatur. Quidam verò frater Aidanus nomine, bonæ indolis, & religiosus homo, qui solus de fratribus eadẽ affuit hora, flexis genibus rogare cœpit, vt sanctus eidem tantę admirationis causam intimaret. Cui sanctus, Nunc sanctos Angelos in aëre contra aduersarias potestates belligerare vidi; Christoque Agonothetæ gratias ago, qui victores Angeli animam huius peregrini, qui primus apud nos in hac Insula mortuus est, ad cœlestis patriæ gaudia euexerunt. Sed hoc, quæso, sacramentum nemini in vita mea reueles.

Latronem verbo interficit.

CVM vir beatus adhuc Iuuenis Diaconus in parte Laganensium diuinam addiscens sapientiam conuersare- VII.
tur, quadam accidit die, vt Bono quidam innocuorum immitis persecutor crudelis quandam in campi planitie filiolam fugientem persequeretur, quæ cum forte germanum senem supra memorati Iuuenis Diaconi Magistrum in campo legentem vidisset, ad eum recto cursu, quanta valuit velocitate confugit, qui tali perturbatus subitatione Colũbam eminus legentem aduocat, vt ambo, in quantum valuissent, filiam à persequente defenderent. Qui statim superueniens, nulla eis ab eo data reuerentia, filiam sub vestimentis eorum lancea iugulauit: & relinquens iacentem mortuam super pedes eorum auersus abire cœpit. Senex tum valdè tristificatur conuersus ad Columbam, quanto, ait, sancte puer Columba, hoc scelus cum nostra dehonoratione temporis spacio inultum fieri Iudex iustus patietur Deus? Sanctus consequenter hanc in ipsum sceleratorem protulit sententiam, dicens: Eadem hora, qua interfectæ ab eo filiæ anima ascendit ad cœlos, anima ipsius interfectoris descendet ad inferos. Et dicto citius cum verbo. sicut Ananias coram Petro, sic & ille innocentium iugulator coram oculis sancti Iuuenis in eadem mortuus cecidit terrula, cuius rumor subitæ & formidabilis vindictæ continuò per multas Scothiæ prouincias cum mira sancti Diaconi fama diuulgatus est.

Item aprũ.

ALIO in tempore vir beatus cum in Sicia Insula aliquantis demoraretur diebus, paulo longius solus orationis VIII.
intuitu separatus à fratribus, syluam ingressus densam, miræ magnitudinis aprum, quem forte venatici canes persequebantur, obuium habuit Quo viso eminus sanctus aspiciens eum restitit. Tum deindè inuocato Dei nomine, sancta eleuata manu, cum intenta dicit ad eum oratione, vlterius huc procedere nolis: in loco ad quem nunc deuenisti morere. Quo sancti in syluis personante verbo, non solum vltra accedere non valuit, sed antè faciem ipsius terribilis ferus verbi eius virtute mortificatus citò corruit.

Piscem capiendum prædicit.

ALIO in tempore cũ prædicabilis viri Scothiales strenui piscatores quinos in rete pisces cepissent in fluuio Sale IX.
piscoso; sanctus ad eos iteratò ait, Rete in flumen inijcite, & statim inuenietis grandem, quem mihi Dominus præparauit piscem. Qui verbo sancti obtemperantes, miræ magnitudinis traxerunt in retiaculo Chocem à Deo sibi præparatum.

QVA-

X. QVADAM die quidam bonæ indolis Iuuenis Lugneus nomine, qui postea senex in Monasterio Insulæ Helenæ præpositus erat, ad sanctum veniens queritur de fluuio sanguinis, qui crebro per multos Menses de naribus eius immoderate profluebat: quo propius accito sanctus ambas ipsius nares binis manus dexteræ digitis constringens benedixit, ex qua hora benedictionis nunquam sanguis de naso eius vsque ad extremum distillauit diem. *Sanguinis per nares fluxū sedat.*

XI. ALIO in tempore quidam Euernienſis peregrinus ad sanctum perueniens per aliquot apud eum Menses in Ioua commanebat Insula. Cui vir beatus alia die, Nunc ait quidam de prouincialibus tuis Clericus ad cœlum ab Angelis portatur, cuius adhuc ignoro nomen. Frater vero hoc audiens, cœpit secum de prouincia perscrutari anteriorum, & de illius beati hominis vocabulo, hocque consequenter intulit verbum inquiens, Alium Christi commilitonem scio, qui sibi in eodem territorio, in quo & ego commanebam, Monasteriolum construxit nomine Diormitium. Cui sanctus ait, Ipse est, de quo dicis, qui nunc ab Angelis Dei in paradisum deductus est. Sed hoc etiam non negligenter adnotandum est, quod idem vir venerabilis multa sibi à Deo arcana ab aliis celata sacramenta, nullo modo in hominum notitiam prodi passus est, duabus, vt ipse aliquando paucis intimauerat fratribus, causis existentibus, hoc est, vt iactantiam deuitaret, & ad semetipsum interrogandum insustentabiles turbas de se aliqua interrogare volentes diuulgata reuelationum fama non inuitaret. *Animam defuncti ab angelis in cælum portari videt. Cur reuelationes suas celauerit.*

XII ALIA die vir sanctus in Ioua conuersans Insula remotiorem ab hominibus locum aptum quæ ad orationem in saltibus quæsiuit, ibidemque cum orare cœpisset, subito, vt ipse postea paucis intimauerat fratribus, videt contra se tetram & nigerrimam Dæmonum cum ferreis verubus aciem præliari, qui, sicuti sancto viro per spiritum reuelatum erat, Monasterium eius inuadere, & multos & ex fratribus iisdem volebant iugulare sudibus. Ipse vero contra tales æmulos vnus homo innumeros accepta Pauli armatura Apostoli, forti conflictu dimicabat, & ita ex maiore diei parte vtrinque dimicatum est, nec innumerabiles vnum vincere poterant, nec eos vnus de sua valebat Insula repellere, donec Angeli Dei, vt sanctus post quibusdam non multis retulerat, in adminiculum adfuere, quorum timore perturbati Dæmones loco cesserе. Eademque die sanctus ad Monasterium post Dæmoniorum reuersus de sua Insula effugationem, hoc de eisdem turmis hostilibus verbum profatur, inquiens, illi exitiabiles æmuli, qui hac die de huius terrulæ, Deo propitio, regione Angelis nobis subuenientibus, ad Æthicam fugati sunt terram, ibidem sæui inuasores fratrum Monasteria inuadent, & pestilentes inferent morbos quorum molestia infestati multi morientur. Quod iisdem diebus iuxta beati præscientiam viri, ita & factum est. Et pòst interueniente biduo, ei reuelante spiritu, Bene ait, Baitheneus auxiliante Deo, dispensauit, vt eiusdem Ecclesiæ, cui Deo auctore præest in Campo Lunge, ieiuniis & orationibus collectio à Dæmonum defendatur inuasione, vbi nemo, excepto vno, qui mortuus est, hac vice morietur. Quod ita iuxta vaticinium eius expletum est. Nam cum multi in ceteris eiusdem Insulæ Monasteriis eodem morbo morerentur, nemo nisi vnus de quo sanctus dixit, apud Baitheneum in sua est mortuus congregatione. *Cum dæmonibus pugnat, & eos ope Angelorum fugat.*

XIII. QVIDAM faber ferrarius in mediterranea Scothiæ habitabat, eleemosynarum operibus satis intentus, & ceteris Iustitiæ actibus plenus, hic cum ad extrema in bona senectute perduceretur, supra memoratus Columbus, eadem hora, qua de corpore eductus est sanctus Columba, in Ioua commanens Insula, paucis se circumstantibus sic profatus senioribus Columbus, ait, Faber ferrarius, non in cassum laborauit, qui de propria manuum laboratione suarum præmia emax felix comparauit æterna. Ecce enim nunc anima eius à sanctis vehitur Angelis ad cœlestis patriæ gaudia. Nam quodcunque de suæ artis negotiatione acquirere potuit, in egenorum eleemosynas expendit. *Fabri ferrarii anima in cælum defertur.*

XIV. ALIO itidē tempore vir sanctus in Iova conuersans Insula, quadā die subito oculos ad cœlū dirigens hæc profatus est verba: Felix mulier, felix, benemorata, cuius animā nunc angeli Dei ad paradisum euehunt. Erat autem quidam religiosus fratri Genereus nomine, Saxo pistor opus pistorum exercens, qui hoc audierat verbum ex ore sancti prolatum, eademque die Mensis eodem terminato anno sanctus eidem Genereo Saxoni, Miram rem video, ait. Ecce mulier de qua, te præsente, præterito dixeram anno, nunc mariti sui religiosi cuiusdam plebei in aere obuiauit animæ, & cum sanctis Angelis contra æmulas pro ea belligerat potestates, quorum adminiculo eiusdem homuncionis Iustitia suffragante à Dæmonum belligerationibus erepta ad æternæ refrigerationis locum anima ipsius est perducta. *Item duos coniuges saluari videt.*

XV. ALIA itidem die dum vir venerandus in Ioua conuersaretur Insula, mane primo suum aduocat sæpe memoratum ministratorem Deormitium nomine, eique præcepit, inquiens, Sacra celeriter Eucharistiæ Ministeria præparentur: hodie enim Natalis Brendini est dies. Quare, ait, minister, talia Missarum solemnia hodierna præparari præcipis die? Nullus enim ad nos de Scothia sancti illius viri obitus peruenit nuntius. Vade tu, ait sanctus, meæ obsecundare iussioni debes. Hac enim nocte præterita vidi subito apertum cœlum, angelorumque choros sancti Brendini animæ obuios descendere, quorum luminosa & incomparabili claritudine totus eadem hora illustratus est Mundi orbis. *Item S. Brendini animam.*

XIV. QVADAM itidem die cum fratres se calciantes mane ad diuersa Monasterij opera ire præpararent, sanctus è contra ea die otiari præcepit Sacræque oblationis obsequia præparari, & aliquam quasi in Dominico prandioli adiectionem fieri: Meq;, ait, hodie quamlibet indignus sim, ob venerationem illius animæ, quæ hac in nocte inter sanctos Angelorum choros vecta vltra syderea cœlorum spatia ad Paradisum ascendit, Sacra oportet Eucharistiæ celebrare Mysteria. Et his dictis fratres obsequuntur, & iuxta sancti iussionem eadem die otiantur, præparatisque Sacris ad Ecclesiam ministeriis, quasi die solemni, albati cum sancto pergunt. Sed forte cum inter alia cum modulatione officia illa consueta decantarent, deprecatio, in qua Sancti Martini commemoraretur nomen; subito sanctus ad cantores eiusdem onomatis ad locum peruenientes, Hodie, ait, pro Sancto Columbano Episcopo decantare debetis. Tunc omnes, qui inerant fratres intellexere, quod Columbanus Episcopus Laginensis carus Columbæ amicus ad Dominum emigrauit. Et post alicuius temporis interuallum aliqui de Lagenea commeantes prouincia, ea nocte eundem obiisse nunciant Episcopum, qua sancto ita reuelatum est. *Et S. Colūbani Episcopi.*

XVII. ALIO in tempore vir sanctus cum in Ioua conuersaretur Insula, quadam subitatione incitatus, signo personante, collectis fratribus, Nunc, ait, oratione Monachis Abbatis Congelli auxiliemur; hac in hora in Stagno demersis Vituli. Ecce enim hoc memento in aere contra aduersarias belligerant potestates, animam alicuius hospitis cum eis dimersi eripere conantes. Tum post lachrymosam & intentam orationem citò ante altarium surgens inter fratres pariter in oratione prostratos, lætificato vultu, Christo, ait, gratias agite, nunc enim sancti Angeli sanctis obuiantes animabus, & ipsum hospitem ereptum à Dæmonum belligerationibus, quasi victoriales liberarunt belligeratores. *Item aliorū submersorū*

XVIII ALIO in tempore vir sanctus vltra Britanniæ dorsum iter agens secus Nisæ fluminis lacum subito inspiratus Spiritu Sancto, ad fratres pariter commeantes, Properemus, ait, sanctis obuiam Angelis, qui de summis cœli regionibus ad perferendam alicuius gentilici animam emissi, Nos illuc vsque peruenientes exspectant, vt ipsum naturale bonum, per totam vitam vsque ad extremam senectutem conseruantem, priusquam moriatur oportune baptizemus. Et hæc dicens sanctus senex in quantum potuit comites festinus præcedebat, donec in illum agrum deuenit, ibidemque quidam repertus senex Enichatus nomine, audiens à sancto verbum Dei prædicatum; & credens est baptizatus. *Gentilem senem breui moriturum, de fide instruit, & baptizat.*

XIX. ALIO in tempore vir sanctus dum in tuguriolo suo scribens sederet, subito eius immutata facies, & hanc puro de pectore promit vocem, dicens, Auxiliare, auxiliare. Duo vero fratres ad ianuam stantes; videlicet Colgus & Lugneus, causam talis subitæ interrogant vocis: quibus vir venerabilis hoc responsum dedit, inquiens: Angelo Domini, qui

Fratri è culmine domus labenti ope angeli subuenit

nunc inter vos stabat, iussi, vt alicui ex fratribus de summo culmine magnæ domus lapso tam cito subueniret, quæ his in diebus in Roboreti campo fabricatur. Hocque sanctus consequenter intulit famen, inquiens. Valde admirabilis & pene indiciabilis est angelica volatus pernicitas, fulgureæ, vt æstimo, celeritati parilis. nam ille cœlicola, qui hinc à nobis nuncillo viro labi incipiente auolauit, quasi in ictu oculi priusquam terram tangeret subueniens, eum subleuauit; nec vllam fracturam, aut læsuram ille qui cecidit sentire potuit. Quam stupenda hæc inquam velocissima & opportuna subuentio, quæ dicto citius tantis Maris & terræ interiacentibus spatiis tam celerrime effici potuit.

XX. Alio item in tempore quadam die vir beatus in Ioua conuersans Insula fratribus congregatis cum ingenti animi aduersione denunciauit ad eos dicens: Hodie in occidentalem nostræ Campulum Insulæ solus exire cupio. Nemo itaque ex vobis me sequatur. Quibus obsecundantibus solus quidem, vt voluit, egreditur, sed frater quidam callidus explorator alia means via in cuiusdam monticelli cacumine, qui eidem supereminet Campulo se occulte collocat, videlicet eius causam solitariæ beati egressionis viri explorare cupiens. Quem cum idem explorator de monticelli vertice illius in quodam Campuli colliculo stantem, & expansis manibus ad cœlum orantem oculosque ad cœlum eleuantem conspiceret, mirum dictu; & ecce subito res miranda apparuit. Quam idem supra memoratus homo, vt æstimo, non sine permissu Dei de prioris Monticelli loco oculis etiam corporalibus aspexerat, vt nomen sancti & eius honorificentia, quamuis ipso nolente, ob hanc manifestatam visionem postea magis in populis diuulgaretur. Nam sancti Angeli cœlestis patriæ ciues mira aduolantes subitatione, sanctum Virum orantem circumstare cœperunt induti albis vestibus. Et post aliquam cum beato sermocinationem viro illa cœlestis caterua quasi se exploratam sentiens, ad summa citius repedauit cœlorum. Beatus & ipse Vir post angelicum condictum reuersus ad Monasterium iterum collectis fratribus cum quadam non mediocri obiurgatione inquirit, quis de illis esset transgressionis obnoxius. Quibus consequenter se nescisse protestantibus, ille conscius sui inexcusabilis transgressus vltra non sustinens delictum celare suum, flexis genibus in medio fratrum choro coram sancto veniam supplex precatur. Quem sanctus seorsum ducens ingeniculanti cum grandi commendat comminatione, vt nulli hominum de illa angelica visione in diebus eiusdem beati Viri aliquid, etiam parum, occultumque aperiret. Post egressum verò de corpore sancti viri illam cœlestis cœtus apparitionem fratribus cum grandi intimauit protestatione. Vnde hodieque & locus illius angelici condicti, rem in eo gestam suo proprio potestatur vocabulo, qui Latine potest dici Colliculus Angelorum, Scotice vero Cnocangel. Hinc itaque animaduertendum est, vel non negligenter perscrutandum, quantæ & quales ad beatum virum hyemalibus plerunque noctibus insomnem, & in locis remotioribus, aliis quiescentibus, orantem, angelicæ fuerint & suaues frequentationes, quæ nullo modo venire in hominum notitiam potuere; quæ procul dubio valde numerosæ fuerunt; si etiam quædam ex ipsis quoquo modo ab hominibus vel in die vel nocte explorari potuerint, quæ absque dubitatione paucæ ad earum comparationem angelicarum frequentationum, quæ videlicet à nemine sciri poterant. Hocine idem similiter de quibusdam luminosis manifestationibus adnotandum, quæ à paucis exploratæ inferius caraxabuntur.

S. Columbā monachus quidam vidit cum angelis conuersantem.

XXI. Alio in tempore quatuor ad sanctum visitandum Columbam Monasteriorum sancti fundatores de Scothia transmeantes in Hymba eum inuenerunt Insula, quorum illustria vocabula Congellus, Cahinnechus, Brendenus, Cormacus. Hi vno eodemque consensu elegerunt, vt sanctus Columba coram ipsis in Ecclesia Sacra Eucharistiæ consecraret Mysteria. Qui eorum obsecundans iussioni simul cum eis die Dominica ex more post Euangelii lectionem, Ecclesiam ingreditur, ibidemque, dum Missarum sollemnia celebrarentur, sanctus Brendenus, sicut post Congello & Cahinnecho intimauit, quendam crinosum igneum globum, & valde luminosum de vertice sancti Columbæ ante altare stantis, & Sacram oblationem consecrantis, tam diu ardentem, & instar alicuius columnæ sursum ascendentem vidit, donec eadem perficerentur Sacrosancta Mysteria.

S. Brendenus igneum globum videt de vertice S. Columbæ celebrantis ascendentē.

XXII. Alio in tempore cum sanctus vir in Hymba commaneret Insulā gratia sancti spiraminis super eum abunde & incomparabiliter effusa, per triduum mirabiliter mansit, ita vt per tres dies totidemque noctes intra obseratam, & repletam cœlesti claritudine domum manens, nullum ad se accedere permitteret; neque manducans, neque bibens. De qua videlicet domo immensæ claritatis radij per rimulas valuarum, & clauium foramina erumpentes noctu viscebantur. Carmina quoque quædam spiritualia, & ante inaudita decantari ab eo audiebantur. Sed & multa quædam, vt ipse post coram paucis *ad domum professus est, occulta ab exordio Mundi arcana aperte manifestata videbat. Scripturarum quoque sacrarum obscura quæque, & difficillima plena & luce clarius aperto mundissimi cordis oculis patebant. Baitheneumque alumnum non adesse querebatur. Qui si forte adesset illo in triduo vel de præteritis, vel de futuris deinceps sæculis ab ore viri beati quædam plurimi ab aliis ignorata hominibus mysteria describeret; aliquantas quoque sacrorum explanationes voluminum. Qui tamen Baitheneus in Egea Insula venti contrarietate detentus vsquequo illi trinales illius incomparabilis, & honorificæ visitationis dies, & totidem noctes terminarentur, adesse non potuit.

Eidem S. Columba imperat, ne se viuo quicquam de illa visione dicat.

*fort. admodum.

XXIII. Quadam hyemali nocte supra memoratus Virgnous in Dei amore feruens, Ecclesiam orationis studio aliis quiescentibus solus intrat; ibidemque in quadam exedra, quæ oratorij adhærebat parieti, deuotus orabat. Et post aliquantum quasi horæ vnius interuallum vir venerandus Columba eandem sacram ingreditur domum, simulque cum eo aurea lux de summa cœli altitudine descendens totum illud Ecclesiæ spacium repleuit, sed & illius exedriolæ separatum conclaue, vbi se Virgnous, in quantum potuit, latitare conabatur, eiusdem cœlestis claritas luminis per interiorem illius cubiculi ianuam, quæ ex minore patebat parte erumpens, non sine aliquo formidabili repleuerat terrore. Et sicut nullus æstiuum & meridionalem solem rectis & inreuerberatis potest intueri oculis, sic & illam cœlestem claritudinem ille Virgnous, qui viderat, sustinere nullo poterat modo quia valdè oculorum reuerberat aciem illa luminosa & incomparabilis effusio. Quo fulminali & incomparabili splendore viso in tantum idem supra memoratus frater exterritus erat, vt nulla in eo virtus remaneret. Sanctus verò Columba post non prolixam orationem egreditur Ecclesiam, Virgnoumque valde timoratum ad se crastina aduocat die, hisque breuibus compellat verbis consolatorijs: Bene, ô filiole, ingeminans hac præterita nocte in conspectu Dei placuisti; oculos ad terram deprimendo, claritatis timore perterritus eius. Nam si non ita fecisses, illa inæstimabili obcœcarentur tui luce visa oculi. Sed hoc non negligenter obseruare debes, & vt talem hanc lucis manifestationem nemini vnquam in mea denudes vita. Hæc itaque prædicabilis & admirabilis res post beati viri transitum multis eodem Virgnoo narrante innotuit. Cuius scilicet *Adamāno Virgnoi sororis filius Commanus honorabilis Presbyter mihi *Adomnano de hac supra visione caraxata aliquando sub testificatione enarrauerat: qui eam enarratam ab ore ipsius Virgnoi Abbatis & Auunculi sui ab eo, in quantum potuit visam audierat.

Virgnous videt S. Columbam orantem cælesti luce coruscantē.

XXIV. Illa itidem nocte quidam de fratribus Golgus nomine, cuius in primo fecimus mentionem, casu ad ianuam Ecclesiæ, aliis dormientibus, deuenit; ibidemque aliquandiu stans orabat; tum proinde subito totam videt Ecclesiam cœlesti luce repleri; quæ scilicet fulguralis lux dicto citius ab eius recessit oculis. Sanctum vero Columbam hora eadem intra Ecclesiam orantem ignorabat, postque talem subitam luminis apparitionem valde pertimescens, domum

Itē Golgus.

reuer-

reuertitur. Postera die sanctus illum aduocans asperius obiurgauit, inquiens: De cœtero præcauere debes fili, ne quasi explorator cœleste lumen, quod tibi non est donatum, inspicere coneris; quia te effugiet. Et ne alicui meis diebus quod vidisti enarres.

XXV. ALIO itidem in tempore vir beatus cuidam suo sapientiam discenti alumno nomine Berchano non mediocriter quadam denunciauit die inquiens, Caueto fili ne hac sequente nocte iuxta tuam semper consuetudinem ad meum adpropinques hospitiolum. Qui hoc audiens contra interdictum ad domum beati viri in noctis silentio aliis acquiescentibus accessit, callideque explorans oculos è regione ad clauium foramina posuit, æstimans scilicet, vt res probauit, aliquam intus visionem cœlestem sancto manifestari. Nam eadem hora beati viri illud hospitiolum cœlestis splendore claritudinis erat impletum: quam non sustinens intueri trangressor Iuuenis ilico aufugit. quem die crastina sanctus seorsum ducens, cum magna seueritate obiurgans hæc ad eum profatur verba dicens: Hac in nocte fili coram Deo peccasti, nam tuæ infitialis explorationem calliditatis à Spiritu Sancto celari vel abscondi posse inaniter putasti. Nonne ad mei ostium hospitioli te illa hora appropinquantem, & inde redeuntem vidi? Et nisi ego eodem momento pro te orarem, ibidem ante ianuam aut cadens morereris, aut tui de suis foraminibus oculi eruerentur. Sed tibi hac vice propter me Dominus pepercit. Et hoc scito, quod in tua Hybernali patria luxuriose viuens exprobrationem facies tua omnibus patietur diebus vitæ tuæ. Hoc tamen à Domino orans impetraui, vt quia noster sis alumnus lachrymosam ante exitum agas pœnitudinem, & à Deo misericordiam consequens. Quæ omnia secundum verbum beati viri ita ei postea contigerunt sicuti de eo Prophetata sunt. Item alius, cui & futura prædicit.

XXVI ALIO in tempore dum vir beatus in Ioua commaneret Insula quadam die sancta facies eius subita mirifica & lætifica hilaritate efforuit, oculosque ad cœlum eleuans incomparabili repletus gaudio valde lætificabatur. Tum post modicum alicuius momenti interuallum illa sapida & suauis lætificatio in mœstam conuertitur tristificationem. Duo vero viri, qui eadem hora eius tugurioli ad ianuam stabant, quod in eminentiori loco erat fabricatum, & ipsi cum eo valde tristificati, quorum Lugneus vnus erat, alter vero Pilu nuncupabatur, Saxo, causam ipsius subitæ lætificationis inquirunt, & illius subsequentis mœsticiæ. Ad quos sanctus sic profatur: Ite in pace; ne illius lætaminis causam nec & tristificationis à me nunc inquiratis manifestari. Quo audito inlachrymati, & ingeniculantes, prostratis in terram vultibus, suppliciter rogant, scire volentes aliquid de illa re, quæ hora eadem sancto erat reuelata. Quos valde tristificatos videns, Quia vos amo, ait, tristificari nolo, promittere prius debetis, ne vlli hominum sacramentum, quod inquiritis, in vita mea prodatis. Qui continuo sanctam eius commendationem prompte promiserunt, & post talem promissionem vir venerandus sic ad eos proloquitur: Vsque in hunc præsentem diem, inquiens, meæ in Britannia peregrinationis ter deni completi sunt anni. Interea multis ante diebus à Domino meo deuote postulaui, vt in fine huius tricesimi anni præsentis me de meo absolueret incolatu, & ad cœlestem ilico patriam aduocaret. Et hæc fuit mea causa lætaminis, de qua vos me mœsti interrogatis. Angelos enim sanctos de excelso vidi missos throno ad meam de carne animam obuios educendam. Sed ecce nunc subito retardati vltra nostræ fretum Insulæ stant in rupe, scilicet volentes ad me de corpore aduocandum adpropiare; sed propius accedere non permittuntur; mox ad cœlorum summa repedaturi, quia Dominus quod mihi totis viribus roganti donauit, vt hac in die ad ipsum de Mundo transirem, multarum magis Ecclesiarum pro me orationis exaudiens dicto citius inmutauit. Quibus scilicet Ecclesiis exorantibus sicut à Domino donatum est, vt quamlibet contra meam voluntatem, quatuor ab hac die mihi in carne manenti superaddantur anni. Hæc talis mihi mœsta retardatio hodiernæ tristificationis non immerito causa fuit, quibus videlicet quatuor futuris Deo propitio terminatis in hac vita annis, subita emigratione, nulla præcedente corporis molestia, cum sanctis mihi obuiaturis illo in tempore Angelis, ad Dominum lætus emigrabo. Secundum hæc verba Viri venerabilis, quæ non sine magno gemitu & mœrore, vt traditur, nec non & ingenti lachrymabilitate prolocutus, quatuor postea annis in carne mansit. Finem vitæ suæ prædicit S. Columba.

XXVII. ANNORVM supra quatuor memoratorum termino iam appropinquante, post quorum completionem finem præsentis vitæ veridicus præsagator sibi futurum fore multo ante præsciebat tempore. Quadam die Menso Maio sicut in priore secundo scripsimus libro, ad visitandos operarios fratres, sanctus senex senio fessus plaustro vectus pergit. ad quos in occidua Insula Ioue laborantes parte, sic ea die exorsus est loqui, dicens: In Paschali solemnitate nuper Aprili peracta mense desiderio desideraui ad Christum Dominum, sicut & mihi ab eo concessum erat, si maluissem emigrare; sed ne vobis lætitia festiuitatis in tristitiam verteretur, diem meæ de mundo emigrationis paulo diutius protelari malui. His ab eo mœsti Monachi familiares auditis interim dictis valde tristificati sunt. Quos in quantum poterat, verbis cœpit cõsolatoriis lætificare. Quibus finitis, vt erat in vehiculo sedens, ad Orientem suam conuertens faciem, Insulam cum Insulanis benedixit habitatoribus. Ex qua die, vt in supra memorato caraxatum est libello, viperarum venena trisulcarum linguarum vsque in hodiernum diem nullo modo aut homini aut pecori nocere potuere. Post eiusdem benedictionis verba sanctus ad suum reuehitur Monasterium. Tunc proinde paucis diebus transactis dum Missarum sollemnia ex more Dominica celebrarentur die, subito sursum eleuatis oculis facies venerabilis viri florido respersa rubore videtur. Quia, sicut scriptum est, corde lætante vultus floret. Eadem namque hora Angelum Domini supra volitantem solus vidit intra ipsius oratorij parietes. & quia sanctorum Angelorum amabilis & tranquillus aspectus gaudium & exultationem electorum pectoribus infundit, hæc fuit illius subitæ causa lætitiæ beato infusa viro. de qua scilicet causa inspiratæ lætationis, cum qui inerant ibidem præsentes, inquirerent, hoc eis sanctus responsum sursum respiciens dedit, Mira & incomparabilis est Angelicæ subtilitas naturæ. Ecce enim Angelus Domini ad repetendum aliquod Deo charum missus depositum, nos desuper intra Ecclesiam aspiciens & benedicens, rursum per parasticiam Ecclesiæ reuersus, nulla talis vestigia exitus reliquit. Hæc sanctus. Sed tunc de qualitate illius depositi, ad quod missus est Angelus requirendum, nemo de circumstantibus recognoscere potuit. Noster verò patronus sanctam propriam à Deo sibi commendatam animam depositum nuncupauit; quæ, sicuti inferius narrabitur, alia senis interuenientibus continuis diebus Dominica nocte ad Dominum emigrauit, Triginta duobus annis in Britãnia tantum vixisse S. Columbanum testatur Beda. lib. 2. hist. Anglic. cap. 21. Vide Baron. in Martyr. hoc die. Viperas tollit. Angelum videt.

XXIIX. VIR itaque venerabilis in fine eiusdem hebdomadis hoc est die Sabbathi, ipse & pius minister Diormitius ad proximum pergunt benedicendum horreum, quod intrans Sanctus cum benedixisset, & duos in eo frugum sequestratos vidisset aceruos, hoc intulit verbum cum gratiarum actione, inquiens: Valde congratulor meis familiaribus Monachis, quia hoc etiam anno, si quodam à vobis emigrare me oportuerit, annonam sufficientem habebitis. Quo audito verbo Diormitius minister tristificari cœpit, & sic dixit, Huius anni tempore sæpius nos contristas, quia de tuo transitu crebro commemoras. Cui sanctus hoc dedit responsum: Aliquem arcanum habeo sermusculum, quem si mihi firmiter promiseris, nemini ante meum denudare obitum, de meo egressu tibi aliquid manifestius intimare potero. Quam cum talem promissionem minister iuxta sancti voluntatem flexis genibus terminasset; Vir venerandus consequenter sic profatur, Hæc in sacris voluminibus dies SS. Abbatum nuncupatur, quod interpretatur, requies; & vere mihi hæc est Sabbatum hodierna: quia huius præsentis laboriosæ vitæ mihi vltima est; in qua post meas laborationum molestias Sabbatizo; & hac sequenti media nocte venerabili Dominica secundum eloquia scripturarum patrum ingrediar viam. horã mortis prædicit.

Iam enim Dominus meus Iesus Christus me inuitare dignatur, ad quem, inquam, hac mediante nocte, ipso me inuitante emigrabo. Sic enim mihi ab ipso Domino est reuelatum. Hæc mæsta minister audiens verba cœpit amarè flere; quem sanctus in quantum potuit consolari conabatur.

Post hæc sanctus horreum egreditur, & ad Monasterium reuertens media residet via: in quo loco Crux mola- XXIX.
ri postea infixa lapidi, hodieque stans in margine cernitur viæ. Dumque ibidem sanctus, vt præfatus sum, senio fessus
Equus futu ram S Columbæ mor tem deflet
paulùm sedens requiesceret, ecce albus occurrit caballus, obediens seruitor, qui scilicet lactaria intra bocetum Mona-
sterium vascula gestare consueuerat. Hic ad sanctum accedens, mirum dictu, caput in sinu eius ponens, vt credo, inspi-
rante Deo, cui omne animal brutum sapit, sensu quo ipse iusserit creator dominum à se suum mox emigraturum, & ip-
sum vltra non visurum sciens, cœpit plangere, vbertimque quasi homo lachrymas in gremium sancti fundere, & valde
Fort. sine hunc, sine nostri amatorem. Vel, sine hunc si nostri amator est, fort. reuelare.
spumans flere. Quod videns minister cœpit illum flebilem repellere lamentatorem. Sed sanctus prohibuit eum di-
cens, Sine hunc * si nostri ne amator est vt in hunc sinum fletus effundat amarissimi plangoris. Ecce tu homo cum sis,
& rationabilem animam habeas, nullo modo scire de meo exitu potuisti, nisi quod tibi ego ipse nuper manifestaui. huic
vero bruto & irrationabili animanti quoquomodo ipse conditor voluit egressurum à se Dominum manifeste * reuela-
uit. Et hæc dicens, mœstum à se reuertentem equum benedixit ministratorem & inde egrediens, & monticellum Mo-
nasterio supereminentem ascendens in vertice paululum stetit, & stans ambas eleuans palmas, suum benedixit cœno-
bium inquiens. Huic loco quamlibet angusto, & vili non tantum Scothorum Reges cum populis, sed & barbararum &
exterarum gentium regnatores cum plebibus sibi subiectis grandem & non mediocrem conferent honorem. A sanctis
S. Columba moriturus suum benedicit cœnobium.
quoque & aliarum Ecclesiarum non mediocris veneratio conferetur.

Post hæc verba de illo descendens monticellulo, & ad Monasterium reuertens sedebat in tugurio Psalterium XXX.
scribens, & ad illum trigesimi tertij Psalmi versiculum perueniens, vbi scribitur: Inquirentes autem Dominum non de-
ficient omni bono, Hic, ait, in fine cessandum est paginæ. Quæ vero sequuntur Baitheneus scribat. Sancto congruen-
ter conuenit decessuro nouissimus versiculus, quem scripserat, cui nunquam bona deficient æterna. successori verò se-
quens patri spiritualium Doctori filiorum, Venite filij audite me t. d. d. v. congruenter conuenit. Qui sicut decessor
commendauit non solum ei docendo, sed etiam scribendo successit. Post talem superius memoratum terminatæ ver-
sum perscriptum paginæ sanctus ad vespertinalem dominicæ noctis Missam ingreditur Ecclesiam, qua continuo con-
summata, ad hospitiolum reuertens in lectulo residet pernox, vbi pro stramine nudam habebat petram, & pro puluil-
lo lapidem, qui hodieque quasi quidam iuxta sepulchrum eius stat titulus monumenti. Ibidem itaque residens vltima
ad fratres mandata, solo audiente ministro, commendat, inquiens: Hæc vobis, ô filioli, nouissima commendo ver-
bo, vt inter vos mutuam & non fictam habeatis charitatem cum pace. Et si ita iuxta sanctorum exempla obseruaueritis,
Deus confortator bonorum vobis auxiliabitur; & ego cum ipso manens pro vobis interpellabo, & non tantum præ-
sentis vitæ necessaria vobis ab eo administrabuntur, sed etiam æternalium bonorum præmia diuinorum obseruatoribus
præparata præceptorum tribuentur. Hucvsque extrema venerabilis patroni verba, quasi de hac tædiali peregrinatione
ad cœlestem patriam transmeantis breui textu narrata deducta sunt.

Post felicia appropinquante nouissima paulisper hora sanctus conticuit, tum proinde media nocte pulsata per- XXXI.
sonante clocca, festinus surgens ad Ecclesiam pergit, citiorque ceteris currens solus introgressus iuxta altare flexis in o-
ratione genibus recumbit. Diormitius minister tardius prosecutus eodem momento eminus totam intrinsecus Eccle-
siam angelica luce ergà sanctum repleri videt: quo ad ianuam appropinquante eadem lux visa ocius recessit: quam & alij de fratribus pauci & ipsi eminus astantes viderant. Diormitius ergo Ecclesiam ingrediens flebili voce ingeminat, Vbi es pater? Et nec dum allatis fratrum lucernis tenebras palpans sanctum ante altare recubantem inuenit. quem paulum erigens, & iuxta sedens sanctum in suo gremio posuit caput: & inter hæc cœtus Monachorum cum luminaribus adcurrens patre viso moriente cœpit plangere. Et vt ab aliquibus, qui præsentes aderant, didicimus, sanctus nec dum egrediente anima apertis sursum oculis ad vtrumque latus cum viua vultus hilaritate & lætitia circumspiciebat; sanctos scilicet angelos obuios intuens. Diormitius tum sanctam subleuat ad benedicendum Monachos sancti dexteram ma-
Moriens benedicit fratres. Moritur.
num, sed & ipse venerabilis pater in quantum poterat, simul suam mouebat manum, vt videlicet quod voce in egressu non valebat animæ, vel motu manus fratres videretur benedicere. Et post sanctam benedictionem taliter significatam continuo spiritum exhalauit. Quo tabernaculum corporis egresso, facies rubens, & mirum in modum angelica visione exhilarata in tantum remansit, vt non quasi mortui, sed dormientis videretur viuentis. Tota interim personabat mœstis plangoribus Ecclesia Sed non prætereundum videtur, quod eadem hora beatæ transitus animæ cuidam Ebernienſi sancto reuelarum est. In quodam namque Monasterio Scothorum quidam homo erat sanctus & senex Christi miles, qui Lugudius vocitabatur, iustus, & sapiens. Hicitaque primo mane cuidam æque Christiano militi suam enarrauit visionem cum ingenti gemitu dicens: Hac præterita nocte media sanctus Columba multarum columna Ec-
Visio de morte illius
clesiarum ad Dominum transit, & in hora beati exitus eius Iouam Insulam, ad quam corpore nunquam perueni, totam Angelorum claritudine in spiritu vidi irradiatam, totaque spacia aeris vsque ad æthera cœlorum, eorundem Angelorum claritate illustrata; quia ad sanctam ipsius animam perferendam de cœlis missi descenderant innumeri, altisona quoque carminalia, & valde suauia audiui Angelicorum cantica, eodem momento egressionis inter angelicos sanctæ ipsius animæ ascendentes choros. Hanc angelicam manifestationem Virgnous, vt prædictum est, qui ab ore illius sancti senis, cui reuelata erat, indubitanter didicerat. Iisdem diebus de Scothica remigans Hymba in Insula reliquis diebus vitæ suæ permanens sancti Columbæ Monachis sæpius enarrabat, qui videlicet Virgnous post multos in subiectatione inter fratres irreprehensibiliter expletos annos, alios duodecim in loco Anachoretarum in Miurbulcmar vitam deducens anachoreticam Christi victor miles expleuit. Hanc prædictam visionem non solum paginis inscriptam reperimus, sed & aliquibus expertis senioribus, quibus ipse Virgnous retulerat, sine vllo didicimus cunctamine. Eadem quoque hora aliam visionem aliter reuelatam vnus ex eis qui viderant, Christi miles valde senex, cui nomen etiam potest dici
Alia visio. * *Adamanna.*
Ferreolus, qui inter aliorum S. Columbæ Monachorum reliquias, & ipse S. Monachus in Dorso Thomæ sepultus cum sanctis resurrectionem expectat, mihi * Adamnano illo iuuene in tempore cum grandi retulerat testificatione dicens: Illa in nocte, qua S. Columba de terris ad cœlos felici & beato fine transiit, ego & alij mecum viri laborantes in captura piscium in valle piscosi fluminis Fende, subito totum aerei illustratum cæli spatium vidimus, cuius miraculi subitatione permoti, oculos ad Orientem eleuatos conuertimus; & ecce quasi quædam pergrandis ignea apparuit columna, quæ in illa nocte media sursum ascendens, ita nobis videbatur Mundum illustrare totum, sicuti dies æstiuus & meridianus sol. Et postquam illa penetrauit columna cælum, quasi post occasum solis tenebræ succedunt. Huius itaque claritudinem luminosæ & prædicabilis columnæ non tantum nos, qui simul in eodem loco ineramus, cum ingenti admiratione vidimus, sed & alij multi piscatores, qui sparsim per diuersas fluminales piscinas eiusdem fluminis piscabantur, sicut nobis postea retulerant, simili apparitioue visa, magno pauore sunt perculsi. Harum igitur trium miracula visionum eadem transitus hora venerandi apparentiũ patroni æternos ei à Deo conlatos protestãtur honores. Ad propositũ reuertamur.

Interea post sanctæ egressum animæ hymnis matutinalibus terminatis sacrum corpus de Ecclesia ad hospi- XXXII.
tium, vnde paulo ante viuens venerat, cum canora fratrum reportatur psalmodia, honesteque ternis diebus & totidem

noctibus

noctibus honorabiles rite explentur exequiæ. Quibus in Dei ſapiendis laudibus terminatis, ſancti, & beati patroni venerabile corpus mundis inuolutum ſindonibus, & præparata poſitum intra buſta debita humatur cum veneratione in luminoſa & æternali reſurrecturum claritudine. De ſupra memoratis ergo tribus illis exequiarum diebus, more peractis eccleſiaſtico, quod nobis ab expertis traditum eſt, huius prope finem enarrabitur libri. Sepelitur.

XXIX. XXXII. QVIDAM namq; aliquando vnus de fratribus coram venerabili viro ſimpliciter loquens, Ad celebrandas, ait ad ſanctũ, tuas poſt tuum obitum exequias, vt putatur, totus harũ prouinciarum populus hanc Iouam remigans replebit Inſulam. Quod verbum audiens ſanctus conſequenter ait, ô mi filiole, non vt loqueris, ſic res probatur. nam promiſcuũ populi vulgus nullo modo ad meas poterit exequias venire. Mei ſoli familiares Monachi mea ſepulchralia complebunt, & exequialia honeſtabunt officia. Quod verbum eius propheticũ ſtatim poſt tranſitum ipſius omnipotentia Dei adimpleri fecit. Nam per tres illas exequiales dies & noctes grandis ſine pluuia facta eſt ventoſa tempeſtas, qua fortiter prohibente nullus hinc & inde nauicella vectus transfretare poterat. Et poſt conſummatam ſepultionem viri continuo tẽpeſtate ſedata, & ceſſante vento totum tranquillatum eſt æquor. Perpendat itaque lector quanti & qualis apud Deum prædicabilis patronus honoris habeatur, cui aliquando in carne mortali conuerſante, Deo dignante, oranti tempeſtates ſedatæ ſunt, & maria tranquillata, & rurſus quando neceſſe habuit ſupra memorata occaſione orto flamine ventorum, & ventoſa, cum voluit, concitata ſunt æquora; quæ ſubſequenter, vt ſuperius dictum eſt, expletis eius ſepulturæ miniſteriis, in magnam conuerſa ſunt tranquillitatem. Hic itaque prædicabili noſtro patrono vitæ terminus fuit, ita meritorum exordia, qui ſecundum ſententias ſcripturarum æternis comes triumphis patribus additus, Apoſtolis & Prophetis conſertus, numero aggregatus albatorum millium, agnino in ſanguine ſuas ſanctorum qui lauerunt ſtolas agnum ductorem comitatur, Virgo immaculatus, ab omni integer labe, ipſo Domino noſtro Ieſu Chriſto dignante, cui eſt cum patre honor, virtus, laus & gloria & Imperium ſempiternũ in vnitate Spiritus ſancti per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

VITA S. IVLIANI MONACHI, ET *ANACHORETÆ. AVTORE S. EPHRAEM SYRO, INTERPRETE GERARDO VOSSIO.

ANN. 350. *al. Exercitatori.

I. PRIMVS hic atque fortiſſimus inter pietatis pugiles, ſeruus adhuc ſub dominis ſæcularibus cum eſſet, antea quidem, ſicut ipſe nobis poſtea enarrauit, vitam in multa intemperantia atque laſciuia peregerat, tandem autem ad agnitionem veritatis deueniens, optime vitam ſuam traduxit: ac multa à proprijs Dominis in ciuitate* Heliopoli apud Libanum paſſus eſt, quippe qui cum idololatrarũ furore atque inſania participabant. Cæterum defuncto iam eius hero, vitæ priori renuntians, effectus eſt monachus: Dominum autem Deum tota anima ac corde diligebat, ita vt in omni pene virtutum genere ſe exerçuerit, perfeceritque. Magnam enim poſſedit compunctionem, & humilitatem eximiam: non tamen vt quidam poſt vitæ abdicationem atque ſeceſſum facere ſolent, qui negligentiæ ac otio contemptionique mandatorum Dei ſeſe tradiderunt, lumbisque ſuis haudquaquam per continentiam ac pudicitiam præcinctis, in abyſſum malorum ſuas ipſi animas defixerunt; ita vt aliqui nec de rebus quidem ad ſuum inſtitutum, ſalutemque pertinentibus inſtrui ſe ſinant: ſed eas etiam reſpuere propter ſuas concupiſcentias non dubitarunt; ſoloque pietatis atque religionis habitu amicti, ſeipſos domicilium phalangis dæmonum effecerunt. 9. IVNII. *al. Heliopoli quæ eſt ciuitas mõtis Libani.

II. NEGLIGENS quoque in ijs, quibus reſidebam locis, quidam erat Monachus, qui filium valde paruum habebat, & hunc tamquam inobedientem atque immorigerum in ſacrificium dæmoni propter ſuam auaritiam offerre non verebatur: verum diuino auxilio aſſumptus præſeruatusque eſt puer. Cum enim deduxiſſet eum miſer & ignauus homo in quendam ſubterraneum locum, vbi multum auri* putabatur reconditum ab ijs qui ſacra ſepulchra parabant: dæmon conſpecto crucis ſigno, quo puer amictus ac conſignatus erat, non eſt auſus ei nocere: nam cum[b] analabo adduxerat eũ vir ille, quem patrem hic appellare piget pudetque. Sic igitur re explorata, & ex euentu cognita, ſurgens abſtulit à puero analabum. Rurſusque vox ex locis abditis atque ſecretioribus audita eſt, quod cum omnino conſecratus is ſit Deo, fruſtra mali quid contra ipſum tentari. Puer igitur admirabiliter liberatus ac conſeruatus, enarrauit quæ ſucceſſerant omnia ſimulque quomodo à Domino noſtro Ieſu Chriſto aſſumptus, protectuſque eſſet. Celebris quippe de eo increbuerat ſermo ac rumor: ita vt etiam[a] concilium à ſanctis Patribus, occaſione rei quæ acciderat, colligeretur. De quodã, qui propriũ filiũ dæmoni ex auaritia obtulerat *al. dicebatur. NOTA. ANALABVM.

[b] De hoc vide Voſſium in ſcholiis ad cap. 38. Ephr de humilitate comparanda [a] Concilium occaſione rei miraculoſæ congregatum.

III. HÆC porro, fratres, nobis parat negligentia atque deſpicientia Synaxis, diuinique officij: & quod non continenter, vigilanterque pijs precibus inſiſtamus. Siquidem pſalmodia, & oratio cum humili cogitatione, mentem à vetitis atque illicitis paſſionibus* ſubleuant, & animam ad deſiderium cæleſtium bonorum magis corroborant. Quemadmodum autem colloquium cum Deo per puram orationem, humilitatem producit animæ: ſic ſermocinatio atque confabulario cum Regibus, ſuperbiam ijs, qui non valdè à validiore ac præſtantiore timore incenſi ſunt, generat. Camini igitur & fornacis inſtar, eſt frequens cum Rege conuerſatio, probos ac reprobos eos qui cum ijs agunt, declarans. At qui Dominum ſemper præ oculis habent, meliore timore muniti, * immoderatas rerum earum, quæ videntur, affectiones facilius expellunt fugantque. Beatus ideo ille, qui abdicata vita ſæculari, in cœtu virorum ſanctorum conuerſatur, & ſub obedientia ſpiritalium Patrum; ſuamque in pura conſcientia vitam traducit: quoniam non confundetur in reſurrectione iuſtorum. Væ autem illi, qui cum viris impijs coniungitur, atque inobedientibus: quoniam dies amaros talis videbit. Complacentia enim ſui, & ſingularitas, propriaque voluntas, hominem vaſtant ac perdunt, & ſpiritalibus eum fructibus, gratiisque ſpoliant: cum diſcretione autem atque iudicio cuncta facere, beatum eſt. *al. recreãt *al. inordinatas. Vitæ monaſticæ ac religioſæ commendatio.

IV. BEATVS verò Iulianus mortificans in ſe mundanas concupiſcentias, quantum monaſtica viuendi exigebat ratio, in ſua reſidebat cella: prope autem eiuſdem cellam, etiam mea cella ſita erat: nam eiuſdem eramus congregationis ambo. Accedebat igitur is ad cellam meam, & ego viciſſim ibam ad ipſum, proficiebam enim ex colloquio ac conuerſatione viri; mirabarque cum viderem tantam in homine barbaro cognitionem, quippe ex partibus occidentalibus oriundo, glorificabamque Deum, qui non vult quemquam perire, ſed omnibus per pœnitentiam ignoſcere, & illius dicti Euangelici recordatus ſum: Amen dico vobis, quod multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cœlorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor dẽtium. Suſpiransque dixi: Libera nos Domine, à tenebris exterioribus, & fletu illo, ac ſtridore dentium: & memento noſtri, in beneplacito populi tui: viſita nos in ſalutari tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum: ad lætandum in lætitia gentis tuæ: vt lauderis cum hæreditate tua. Memento noſtri Domine, ſicut meminiſti latronis, cum veneris in regnum tuum: & corpora noſtra ex monumentis cum gloria reſuſcita, dignosque nos raptu iuſtorum redde in nubibus, vt & nos vel modicam hæreditatem montis ſancti tui, precibus Sanctorum tuorum, accipiamus. Amen. S. Iuliani vita, ac mores Iulianus, vt barbarus, & Occidentalis. *Ezec* 18. 33. & 2. *Pet.* 3. *Matt.* 8. & *Luca.* 13. *Pſalm.* 105. *Luca* 23. 1. *Theſ.* 4.

V. BEATVS ergo Iulianus, corpore quidem erat robuſtus, ſed nimio labore atque exercitatione conficiebatur, Patrum veſtigijs inſiſtendo: illiteratus autem cum eſſet, addiſcere conabatur. Hic pietatem atque religionem colens, cellam habebat, in qua per ſe quietam atque tranquillam vitam ducebat, & cubile tenebat: ſed cũ illi non ſufficeret anguſtia B. Iuliani cõditio, ac forma.

cubiculi, intus sibi illud in modum sepulchri ædificauit; angustissimum quoque eius ingressum reddens, per quem cum introiret, in eo velut in monumento aliquo orabat, lugens ac plorans: Operabatur autem & propriis manibus carbasa ac vela nauium. Compunctionem porro & planctum amabat, si quis etiam alius: ita vt prætereuntes cellam ipsius, vocem ploratus eius audirent. Eiulabat enim, sicut solent qui filium aut filiolam sepeliunt vnigenam, reuocantque cum cantu: sua quippe peccata ipse sibi ante oculos constituens, anxie dies noctesque deflebat; ipsasque noctes breuissimo somno transigebat: cura siquidem retributionis, ipsum serio excitabat. Quam multas porro tentationes atque tribulationes sustinuerit propter negligentiores fratres, dici non potest: cunctas vero eas, per humilitatem & patientiam, absque detrimento præteribat. Valde quoque erat pacificus, temperans ac continens, tolerans & constans, mansuetus & clemens, pius atque religiosus, & voluntariæ paupertatis amator. Qui enim cum pecunijs in eremo residet, omni in loco ingemiscet ac contremiscet, & ad extremum inuentio ac præda * maleficis erit: qui vero inopia laborat, insidiis carebit. Quin & impiger, & ad opera extraordinaria promptus & expeditus hic vir beatus erat, & à maledicentia conuitioque omni alienus: humilis quoque in sermone, in opere, in vestitu, in ingressu atque incessu, neque enim vt ego, & mei similes pigri, in negligentia suos percurrit dies: sed in omni compunctione dies vitæ suæ perfecit. Et quemadmodum qui carcerali detinentur custodia, dum coram tribunali Iudicis producendi sunt, præ timore & angore plorant: sic & beatus Iulianus assidue tremendi tribunalis Christi recordabatur: quare & continenter flebat iudicium futurum cogitans. Vbi autem compunctio, & lachrymæ, & humilitas; ibi nequaquam instabilitas, & quæcumque res peruersa, ac improba regnat, sed optimus ordo viget ac disciplina, & omnis res bona. Vbi vero ista non adsunt, multum à scopo, qui quæritur, aberratur. Euitabat is quoque colloquia atque commercia mulierum, occasiones omnes inanium voluptatũ amputans. Quando vero pulsus ad Synaxim audiebatur, ante omnes alios fratres occurrere cõtendebat. Sic vero in Synaxe consistebat absq; vlla oculorum distractione, quasi iam ipsi tribunali Dñi nostri Iesu Christi assisteret.

Virtutes, quibus S. Iulianus claruit.

* *al. insidiatoribus atque latronibus.*

B. Iulianus extremi Iudicii sẽper memor.

Synaxis obseruatio.

V. QVODAM autem die ad ipsum dixi: Quis, obsecro, hosce libros corrumpit? quippe in quibus, vbi scriptum erat Deus, aut Dominus, aut Iesus Christus, vel Saluator, litterarum elementa deleta reperiuntur? Beatus verò ad me: Nihil, inquit, à te penitus abscondam. Fornicatrix mulier ad Saluatorem accedens, lachrymis pedes ipsius rigauit, & capillis capitis sui absterfit, & ego vbicumque nomen Dei mei scriptum comperio, lachrymis meis rigo; vt & ego remissionem ab eo peccatorum accipiam. Ego vero gratiose ad eum dixi: Deus, qui benignus est & misericors, bonum illud tuum suscipiat propositum, verumtamen libris parcas, obsecro. At ille dixit: Non irrigatur cor meum, nisi plorem coram Domino Deo meo. Ardenter porro in religione se gessit, atque exercuit, vltra viginti quinque annos: & interea moritur in Domino, in obedientia, & persecutione quam passus est, dignus æterna factus beatitudine. Beati enim (inquit Christus in Euangelio) pauperes Spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Meis sane oculis excidunt lachrymæ, super disiunctione ac separatione viri istius.

Res notatu dignissima. *Luc* 7.

Matth 5. & *Luca* 6.

VI. NARRAVIT Beatus hic cuidam aliquando fratri, dicens: Frater quidam in interiorem ingredi vult eremum, vt ibi viros contemplatiuos inuestiget: consilium igitur mihi suggere propter Dominum, expeditne vt cum isto isthuc vadam, an non? Frater autem sciens operarium eum esse, dixit ad ipsum. Satius est quietam vitam ducere, & in quiete perfectionem quærere, nam de paruis & leuibus atque instabilibus rebus inquirere, & illarum caussa eremum circumire, minime necessarium est. Dixitque vicissim Beatus: Quid est perfectio? & quæ sunt res illæ exiguæ, & instabiles? Ad quem frater: Perfectio est cuiusvis sermonis, & omnis actionis finis. nam scriptum est: Finis verbi, omne ausculta: Deum time, & mandata eius obserua: Quæ enim accidunt vnicuique nostrum in hoc sæculo, siue tristia ac grauia, siue bona & læta, finem habent; quapropter etiam à tempore consumuntur atque delentur: at quæ post vitæ huius exitum remanent, æterna sunt & immortalia. Diem ergo iudicij, & retributionis in mente habeamus: vt voluntas nostra perfecta sit in Domino, Nam sicut duobus aliquibus accidit in longinquam regionem peregrinantibus, quorum alter in tædio itineris affectus incipiat interrogare aduentantes, quidnam sibi obuiam reperturi sint quod viam indicet? illi autem responderint, viam asperam. Et rursus is interrogat, post asperam viam, quidnam? illi vero postea terram reuirescentem, dixerint eis apparituram. Cæterum itineris eius comes, cernens ipsum ita enixe ac studiose de via percontari, ait ad eum: Desine, ô comes, adeo curiose de via inquirere, quam pertransituri sumus, instar velocissimi cursoris. Nam viæ similis est humana vita; & ideo magis considerandæ nobis sunt, non quæ in itinere occurrunt; sed quæ post viam confectam, nobis euentura sunt. Quæramus ergo, quomodo in requie nos oporteat versari ac demorari in regione illa, in qua perpetuo habitaturi simus post huius vitæ, viæque finem; vbi nimirum, requies nobis in illo erit sæculo: tum etiam vbi portio nostra ibi futura sit, in profundo an in excelso, in requie an in doloribus, in tenebris aut in luce, in igne aut in refrigerio? Ista spiritus noster sacrificet ac perueftiget, & os loquatur. Ab eiusmodi cura atque sollicitudine non recedat cor nostrum, quamdiu in caduca ac momentanea hac versamur vita: illosque qui à tali nos cogitatione ac cura auertere & impedire volunt, tanquam deceptores & perditores nostros contemnamus. Non enim * licet cuiquam, post suam hinc eo emigrationem, iterato ad hanc vitam redire. Solliciti igitur simus, ô filij, quomodo cum fiducia coram Rege gloriæ, * apparere poterimus: & nos ipsos benignitati eius commendare studeamus: vt nostræ infirmitati succurrat, & tunc maxime quando omni humano amictu auxilioque destituti reperiemur: omnibus siquidem prorsus hic relictis, nos illuc abire oportebit. Si ergo non semper futurum iudicium hic in mente habuerimus: nihil nobis rerum occultarum & incertarum, atque obscuratum proderit declaratio. Audiuit olim Ieroboam filius Nabath, qui peccauerat in Israel, superuenturam ipsi iram à Domino: & super malo suo pœnitentiam non egit. Reprehensus quoque est Giezi super delictis suis occultis; & mores suos deprauatos non emendauit: * nam alioqui non esset à magistro in turpi lepra relictus. Nam qui Naaman principem militiæ Regis Syriæ, in verbo Domini ab eiusmodi morbo purgauerat, longe facilius ipsi fuisset, proprium * discipulum à tali calamitate liberare. Hæc igitur mente reuoluentes, & præsentis vitæ fugacitatem breuitatemque considerantes; mentem nostram * obdormiscentem, in beneplacito timoris Dei excitemus ad obseruationem legis Domini, & ad exercitium custodiamque bonorum operum: nam vita nostra quouis leuior atque celerior est cursore. Quando enim in magna hic æstimatione fuerimus & regnauerimus in hac vita; quod autem gesserimus, non fuerit ex eius voluntate, qui iudicaturus veniet viuos & mortuos: nihil sane nobis illuc abituris proderit gloria momentaneæ vitæ huius. Ploremus igitur, qui caducarum iam rerum affluentia insolescimus: ne forte ob negligentiam vitæ hic peractæ, sub indignatione ibi reperiamur Regis gloriæ, & in tenebras mittamur exteriores. Non conceditur illuc abeuntibus, vt à tormentis liberentur. Non permittitur illic ob peccata conclusis, vt ex vinculis illis indissolubilibus dimittantur. Ibi enim ignis est inextinguibilis, & vermis nunquam moriens, & profundum inferni tenebrosum; vlulatus & ploratus ingens atque incredibilis, & stridor dentium. Non habent finem dolores, ac mala istorum intoleranda. Non est post mortem ibi vlla liberatio: neque consilij alicuius excogitatio: neque remedium, vel artificium euadendi acerbissima ea tormentorum genera: quæ fugere nunc licet, si vocem Domini & Dei nostri audierimus. . . . . qui supra modum . . . . . per seipsum . . . omnium hominum salutem . . . . . vt in ipso, à tormentis illis liberati, bona promereamur. Necessarium igitur fuerit, sermones ac præcepta Domini, omni cum humilitate atque modestia animi seruare: nam obseruatio mandatorum Dei, ipsa est perfectio. Et qui præceptorum Dei sectatores ac imitatores facti sunt,

Narrata ex ordine vita Sancti huius sequuntur deinceps documenta.

Perfectio quid sit. *Eccle.* 12.

Diei Iudicij recordatio

Humana vita viæ est similis.

Grauis & salubris admonitio.

* *al. permittitur.*

* *al. comparebimus.*

3 *Reg* 12. *Eccles.* 47. 4 *Reg* 5.

* *al. quare & in turpi lepra à suo Domino est relictus.*

* *al. seruũ.*

* *al. obtorpescentem.*

2. *Tim* 4. *Matt.* 8 *Esa* 66. & *Marc.* 9. *Matth* 13. *Luc.* 13.

Desunt hic in Græco MS. nonnulla.

sunt, hi fortiter perfectionis semitam ingrediuntur, exspectantes ipsum in rectitudine cordis: quotidieque glorioſum eius aduentum contueri ſibi videntur, ac ipſum in throno maieſtatis ſuæ ſedentẽ: quãdo iuſtos ſegregabit à peccatoribus, & reddet vnicuique ſecundũ opera ſuo. Seruemus igitur, ô filii, charitatem ſyncere ac vere; & in ipſa virtutes excolentes, digni reddamur qui à dextris vnigeniti Filij Dei illic ſtatuemur: & gaudebit cor noſtrum, gaudiumq; noſtrum nemo tollet à nobis. Frater porro, qui accurate monita ſuſceperit, fortiter atque conſtanter in tranquillitate perſiſtet, gratias agens Domino noſtro Ieſu Chriſto: Cui gloria, & honor, decus atque imperium, in infinita ſæculorum ſæcula. Amen. *Matth. 16. Rom. 2.* *Matth. 25.*

MARTYRIVM SS. GETVLII, CEREALIS, AMANTII ET PRIMITIVI, EX EGREGIO MS. CODICE PER F. LAVRENTIVM

Surium ſtylo mutato deſcriptum: cui fidem conciliant etiam antiquiſſima Martyrologia.

AN. 110.

I. TEMPORIBVS Hadriani Imperatoris fuit vir quidam omnis diuinæ legis peritiſſimus, idemq; Chriſtianiſſimus, Getulius nomine. Degebat autem in Sabinorum regione haud procul ab vrbe Roma, conuocabatq; ad ſe quotidie permultos tum ex Italia, cum Græcia Chriſtianos, ijsq; alimenta præbens, diuinã legem exponebat, eosq; erudiebat. Peruenit eius rei fama ad aures Hadriani Imperatoris, qui miſſo Cereale Vicario, iuſſit eum comprehendi. Vbi ad illum venit Cerealis, inuenit eum domi ſedentem, & more ſolito Chriſtianos inſtituentem, qui eius doctrina magis ac magis in fide Chriſti confirmabantur. Dixit autẽ ei Cerealis: Audiſti, quæ ſint à principibus edicta apud omnes propoſita? Reſpondit S. Getulius: Itane principũ iuſſis parere neceſſe eſt? Cerealis dixit: Tuipſe edicito, æquum ne ſit illis parere. S. Getulius ait: Cui tandẽ, ô princeps, obtemperandũ eſt? mortaline homini, & mox in putredinem abituro, an vero præpotentis Dei filio? Cerealis dixit: Habet ergo filium Deus veſter? Getulius reſpondit: Habet plane, qui quidẽ & fuit, & eſt, & erit ſemper. Cerealis dixit: Qua vel doctrina, vel ſigno noſſe licebit, filium Dei, Deum eſſe, quemadmodũ tu doces? Reſpondit ſanctus Getulius: Noueris verbum Deum, verũ Deũ ex Deo patre genitum, & de ſpiritu ſancto cõceptum, ex virgine Maria natum eſſe, eumq; nouiſſimis temporibus dignatum eſſe venire, vt mortuos ſuſcitaret, cæcos illuminaret, leproſos mundaret, ſuper mare pedibus ingrederetur, ventis & tempeſtatibus imperaret. Cerealis Vicarius dixit: Noſſe velim, quinam iſthuc factum ſit. 10. IVNII Getulij humanitas in Chriſtianos.

II. TVM S. Getulius vocauit ad ſe Amantium tribunum fratrem ſuum, qui metu Hadriani principis latitabat, narrauitque ei omnia de Cereali Vicario: porro ipſi Cereali indicauit Amantium fratrem ſuum. Ad cuius conſpectum mirifice exhilaratus eſt Cerealis. Dixit autem ei S. Getulius: Abijce iam Cerealis frater artes diabolicas, & amplectere Chriſti patientiam. Ego in Tyburtina vrbe cum haberem vxorem, liberos & opes, omnibus valefeci, vt poſſem ad æternam peruenire ſalutem. Cerealis reſpondit: Equidem nec vxorem nec proles habeo, quas relinquam. Si vero eſt aliquid æternum, ne quæſo id me celetis. S. Getulius dixit: Aeternum hoc eſt, vt manufactis idolis propudiatis, in Chriſtum Dei filium credas. Cerealis ait: A quo tandem ordine hæc fides ſuſcipienda eſt, vt ne quid fuſcatum in me reſideat? Dixit ei Amantius tribunus, amicus eius: Baptiſmum percipies in Chriſti confeſſione, & ſic vitam habebis ſempiternam. Quod ſi vero reliqueris omnia, quæ in hoc mundo appetis, centuplum accipies, & vitam æternam poſſidebis. Cerealis ait: Ecquid obſtat, quo minus pro Chriſto filio Dei ſanguinem meum fundam? Sed iam quæſo moras vos nectere ne velitis. Tum Sanctus Getulius ad pœnitentiam eum adhortabatur, ſimulque ei triduanum indixêre ieiunium, donec diuinitus edocerentur, quid faciendum eſſet. Cumque tota nocte in vigiliis & precibus durarent, audierunt vocem angelicam ipſos admonentem, vt Sixtum vrbis Romæ Epiſcopum ad ſe vocarent, & ab illo baptiſma perciperent. Amantius tribunus, frater Getulij. *Matth. 19.* Triduanũ ieiunium, vigiliæ & preces.

III. VENERVNT igitur Romam, & accerſito beato Sixto Epiſcopo, in cryptam quandam eius, quam diximus, regionis ingreſſi ſunt: vbi B. Sixtus more Chriſtiano eum catechiſmo imbuit, ac deinde baptizauit. Eadem autem hora vidit Cerealis deſcendentem ſuper ſe Spiritum ſanctum, & mox ingenti voce clamauit: Ecce video lumen quoddam Solis ſplendore illuſtrius in me delabi. Porro B. Sixtus pro ſingulis obtulit ſancta libamina, & participes eos fecit ſacroſancti corporis & ſanguinis Chriſti: & cum eos in fide confirmaſſet, gratias agens, diſceſſit ab eis. Eodem tempore officiales Cerealem quæſierunt. Venit autem Vincentius quidam eo, vbi erant ſancti, aurum publica exactione collectum aſportaturus. Vt autem vidit eum Cerealis, dixit ei: Nos temporarias res iam abiecimus, vt fruamur æternis. Temporalia enim vna cum illis, qui amore ea proſequuntur, in nihilum redigentur. Tum Vincentius magna voce exclamauit: O principes orbis & reipublicæ moderatores: ſeductus eſt Cerealis dignitate Vicarius: relictiſque dijs, phantaſmata ſectatur: multaque ira incenſus, celeriter cucurrit ad Hadrianum principem, eique quid comperiſſet expoſuit, nempe Cerealem ſe Chriſtianum confiteri. Itaque Hadrianus miſit Licinium conſularem, qui ipſi Cerealem ſiſteret. Licinius veniens ad vrbem Sabinorum, tenuit Cerealem, & cum illo Getulium, Amantium & Primitiuum: moxque ſcripto petiit ab Hadriano, quid de illis fieri iuberet. Reſcripſit autem Hadrianus, vt aut immolarent dijs, aut ignibus cremarentur. Eodem ergo die, quo lectæ ſunt literæ Imperatoris, iuſſit Licinius in ciuitate Tyburtina tribunal ſibi præparari, ſanctoſque ſibi vinctos exhiberi. Cumque veniſſent, ita dixit: Adeòne Cerealis vitam deſperaſti tuam, vt præcepta principum, qui toti imperant orbi, contemnenda putes? Cerealis reſpondit: Et theſauros publicos declinatione perfecta tradidi in publicum, & Chriſto Ieſu me ſeruiturum promitto, vt vitam obtineam ſempiternam. Licinus dixit: Vtrum viuere aut mori malis, edicito. Cerealis ait: Ego ſi viuere non appeterem, Chriſtum non confiterer. Veſtta autem ſacrificia nihil ſunt. Tunc ad S. Getulium conuerſus Licinius, dixit: Sacrifica dijs Ioui, & Marti: alioqui extorquebo à te animam tuam. Reſpondit S. Getulius: Ego non perdam animam meam: immo verò potius lucrabor eam. Cerealis poſt catecheſin baptizatur. Sancti martyres iudici ſiſtuntur.

IV. TVNC ira inflammatus Licinius, iuſſit eos expoliatos cædi, dicens: præcepta principum contemnere nolite, ſed magnis dominis obtemperate. Cum autem cæderentur, B. Getulius magnificans Deum, alta voce dixit: Gratias ago Deo patri omnipotenti, & Domino Ieſu Chriſto, eique meipſum ſacrificium mundum offero. Dixit ei Licinius: Quod eſt mundum ſacrificium? B. Getulius reſpondit: Spiritum contribulatum, & cor contritum & humialitum Deus non deſpicit. Licinius dixit ad miniſtros: Abducite iſtos in carcerem: vbi ſane ad dies vigintiſeptem permanſere. Porro Licinius Romam proficiſcens, res geſtas narrauit Hadriano Imperatori. At ille furore percitus, miſit milites, qui eos flammis exurerent. Ducti ſunt ergo ſancti martyres ad tredecim milliaria ab vrbe Roma, & illic ligatis manibus & pedibus ad flumen Tyberim in ignem coniecti ſunt. Cum autem beatum Getulium flammæ non contingerent, & ille magis etiam in Domino confortatus, ſolutis vinculis, Chriſtum Dei filium glorificaret, milites caput eius fuſtibus confregerunt: & ſic inuocans Dominum, emiſit ſpiritum. Cuius ſacrum corpus colligens Symphoroſa vxor eius, honorifice eum ſepeliuit in arenario prædij ſui. Verberãtur *Pſalm. 50.* Diu manẽt in carcere. Flammis martyres obiiciũtur.

V. ADO in ſuo Martyrologio hæc adiungit: Conſummati ſunt beati martyres in fundo Capreolis, via Salaria, ab vrbe Roma plus minus milliario tertiodecimo ſupra fluuium Tyberim in parte Sabinenſium. Quorum corpora col-

Symphorosa cũ septẽ filiis necatur.

legit beata Symphorosa, vxor beati Getulij martyris. Quæ non longe post eundem ipsum martyrem cum septem suis filiis fuit martyrio confecta, videlicet 27. die mensis Iunij: & sepulta est in prædio suo, loco & oppido supra nominato.

Baronius in Martyrologio, dicit extare in agro Tiburtino horum Martyrum veterem memoriam, iam vetustate collapsam, censeriq; illum locum Arenarium, vbi S. Symphorosa prædictos sepeluit.

AN. 966.

HISTORIA INVENTIONIS S. MAVRINI ABBATIS ET MARTYRIS, AVTHORE STEPHANO, QVI EAM SCRIPSIT iubente Christiano Abbate, circa annum Domini 990.

10. IVNII.

DOMINO Christiano Stephanus exiguus. Imponis pater mihi, quod ferre non possunt humeri. Mauri- PRO-
num præcipis laudare, & eius opera stylo dare: quorum vnum officium est angelorum, alterum homi- LOG.
num sapientissimorum. Si martyr inuictus, in ore & mente bonorum omnium scriptus, literas desiderat, habet Colonia Agrippina, secunda (si dignatur dici) Roma, suos Gregorios, habet Hieronymos, quos supernæ ciuitatis decet scribere consules. Sunt nihilominus sub alis tuis educati non pauci, qui in-

Colonia Agrippina, altera Roma.

deficientem Nilum viderunt & biberunt, seq; huic operi pares ostentant. Quid ergo mihi in syluam ferre ligna? Bruno ille nobilis filius columbæ sacrarium sapientiæ, te inuenit, in quo complacuit animæ suæ. Compertum quantum præstitistis sæculo, chari inuicem & noti, & in verbis prudentiæ sæpe admirati, Tui ergo & prædictorum officij est cælitum merita tractare, quibus inuidiam promereri est facile, nisi forte admirabili sapientia animi tui hoc Maurino miraculum addere decreuisti, vt ei hominis organo iumentum Balaam deseruiat. Pareo hac conditione interposita, vt supremam manum imponas operi, & titulum tuo dedices nomini.

Sancti in cælis Ecclesiæ propugnatores.

I. SVMMA & vel vnica salus est ægris mortalibus, quod electos suos ita Christus cælis diuisit & terris, vt spiritus cælesti habitatione dignos superis admitteret, & terræ terrena permitteret. Non enim beatorum spiritus sui hominis penitus deserunt exuuias, arma scilicet suæ militiæ, in quibus de antiquo triumphauerunt serpente. Isti etenim isti sunt inclyti propugnatores tui ô redempta Christi cruore Ecclesia: isti stant pro filiis tuis, ne eos baratro oris absorbeant toto aere vagantes spirituum corruptores. Quando enim per te armatis dolo & igni resisteres aduersariis, quæ in propria carne ægre imperium agis? Sed emeriti testes Christi, angelorum ciues, immo consules pro meritis creati, etiamnunc iniquitatis satellites per te expugnant, quos per se vicerant. Hi reos Deo conciliant, orbem portant, tartara spoliant, vt angelorum numerum expleant, & muros Hierusalem extruant. Hoc indefesse Ioannes Ephesi, hoc Andreas, hoc protomartyr Stephanus Byzantij, hoc Petrus & Paulus Romæ, & in toto pene terrarum orbe, hoc singuli sanctorum in sua sorte gratum Deo sacrificium faciunt.

Maurinus martyr.

II. HABEMVS & nos in oculis huius rei testem idoneum Maurinum, Deo & Angelis charum, cuius hodie passio cælos glorioso martyrio ornat, & reis veniam donat. Qui sub signis fidei ad sanguinem vsque deuotus, in die sui certaminis nil minus à magnis egit martyribus: qui caput draconis antiqui & nequitiæ eius satellites Decios detriuerunt & Nerones. Egregia namque vicissitudine mortuo pro se Domino mortis triumphum obtulit, purpuratusque proprij sanguinis ostro, stolam suam dealbauit in sanguine Agni. In cuius nunc comitatu quocunque ierit hærens, securus sui suis prouentum poscit salutis. Huius gratuita Deus clementia nobis causidici scutum obtendit, huius nos pretiosissimis membrorum gemmis ditauit. Nisi multum nos abijcimus, semper eum nobis præsentem sperare debemus, sed præsertim in hac die solennitatis & lætitiæ suæ: Hanc, inquam, diem lætitiæ eius dixerim, in qua familiarius regi suo dux magnanimus militare cœpit, mutato militari cingulo, non deposito. Digna, domini mei, laude hanc diem sacremus, & prono vtriusque hominis obsequio honoremus. Egregium nobis sit Angelorum participari officio. Eis de nostri hodie patroni gloria gratulantibus gaudia nostra conferamus, immo gaudia eorum geminare ambiamus, & de peccatorum nostrorum tumulis resurgamus. Quodam modo enim de sepulchris vitiorum resurgimus, cum Deum manibus

Psal. 150.

exquirimus, & sanctorum laudibus animum intendimus. Hinc per Dauid familiare sibi organum Spiritus sanctus, Laudate, inquit, Dominum in sanctis eius. Et in his quoque mundalibus regnis, quem reges sua dignantur amicitia, si quod in spem gratiæ suorum principum militauerit bellum, nostis quanta dulcedo, quanta regum super eo sit oblectatio audire quantus in clypeũ assurgat, quanta vi torqueat hastam, & quanto ipsius vitæ periculo caput obiectet gladio.

for. * *athletæ.*

Victoria illustris S. Maurini.

III. IN gloriam ergo Maurini nobilissimi * agonotheræ & victoriosissimi, aliquid & nos resonemus dulce Deo, gratum cælo. Sed cinis & puluis quid feret dignum amico DEI excelsi, cui hymnidici superorum famulantur chori? Parum est, si eum fortiter Dominica bella bellasse dicimus. Ter enim quaterque victor existit, qui non modo cum purpureis tyrannis in lites erupit, sed sæculo altior, in ipsum huius mundi principem, in ipsum, vt sic dictum sit, gigantem cælis bella minitantem, gyganteo robore arma commouit, vitam morte possedit, mortuus palmam & spolia de hoste tulit. Parum est, si in eo patritij sanguinis stemma recensemus. Maior ei nobilitas est, confratrem esse martyrum, cohæredem Apostolorum, & socium Angelorum. Quod si de vitæ eius merito agitur, inferius erit quodcunque dici poterit: nisi quod vere probatur glorioſus Dei amicus & pretiosissimus filius. Et quia conducit filio similari ad patrem, piissimus Dominus natiuæ pietatis suum Maurinum ornauit insigni. In quo quisquis spem suam constituit, nouit totus quantæ misericordiæ balsamis affluat, nouit quam præsens exauditor, quam propitius sit interuentor: horumque attestatione quanti stet altissimo facile cognitum est. Verum taceat interim lingua carnis super cœlestem gloriam martyris, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit: & saltem qualiter inuentum sit eius sacratissimum corpus diei gaudio ad

Esa. 64.

memoriam reuocemus.

legendum puto * *latitauit.*

IV. PERACTO beato agonis sui triumpho, egregius Dei athleta Maurinus, locus tumuli cælo tantum notus, & Angelici tantum obsequij reuerentia veneratus, * habitauit vsque ad incarnati Verbi annum nongentesimum sexagesimumsextum, agente tum in sceptris diuo Othone, primo Othone. Cesserat ab hinc anno humanis officiis eiusdem principis diuus frater Bruno archos antistes, & mutata vita, Christorum Domini ante DEVM captabat præmia. Qui corpore extra muros vrbis secundum desiderium cordis sui reconditus in oratoriolo sanctorum Pantaleonis, Cosmæ ac Damiani, locum quem viuens coluit, mortuus * ornabat. Erat autem oratoriolum pro tenera nouellæ conuersationis infantia angustum, & magnis meritis magni præsulis impar. Ruit ergo solo tenus piissimo diuinæ potentiæ effectu sine inhabitantium discrimine, sine familiaris rei damno, & sui ruina occasionem editioris fabricæ præbuit. Cæli quoque inopinatas dederunt copias, prouenturo operi thesaurum inexhaustum, gemmam diadematis Domini, curam sui & Angelici populi. Nam quia non potuit latere sub modio lucerna ardens coram Domino, dum ponendo fundamento terra effoditur, loculus, (Gloria tibi Christe) Maurini martyris inuenitur, qui Brunoni manum conferret, & in altero latere Pantaleoni astaret. * Folcmarus ergo dignus Deo digni Brunonis in sacerdotio successor, vocatus adfuit cælestis doni arbiter, & cælestium exequiarum minister. Ac primo peruidetur lapis loculum claudens, inscriptus martyris nomine, & officio, & martyrii eius die & loco. Hic requiescunt ossa bonæ memoriæ Maurini Abbatis, qui in atrio ecclesiæ martyrium pertulit sub die quarto Idus Iunii.

Vrbis Coloniẽsis dicit. *MS. codex habet* * *ordinabat.*

* *Volcmarus.*

Inuenitur loculus S. Maurini.

AMOTO

IV. AMOTO lapide, lignea ferro euincta inuenitur arcula, carie indicans priscæ passionis tempora. Tota omnibus portis ciuitas ad spectaculum illud Angelicum non potest dici quam pio ruit affectu: Clerus & sanctimonalium se dedit chorus. Sanctæ autem memoriæ antistes, cum reuerentiæ obsequia & orationum prælibasset solennia, spe & sancto plenus timore reliquias virtutum & medelæ scias detexit, & ostenso in terris Angelorum ciue, populum Dei gaudio & gaudij lachrymis satiauit. Renouantur antiqua miracula, hauritur odor, quo electos suos Dominus testatur: Putares balsamis veneranda ossa fluere. Vincitur sermo miraculo: minus est omne quod dico: sed quia hodierna agitis gaudia, in æternum eadem vos satiari contingat fragrantia. Iam vero quis non dicam expediet, sed digne miretur ipsorum pulchram gloriam ossium? Pulchro nanque corporis indumento, quanta sit spiritus pulchritudo & munditia, compertum est. Videres brachia nota ferri inscripta, videres ossa passionis grandine quassa, & in toto corpore militaris animi cerneres signa. Velent ducum aut regum cadauera byssus lilijs, aut purpura contendens violis, aut detorti pondera auri. Quid sunt autem hæc ad Maurini collata gloriam, Byssus & purpura, vermium est esca: Maurini cicatrices & vulnera sunt immortalitatis signa.

Reliquiæ virtutum & medelæ, sciæ, vel scientes.

V. HIC quædam Reginildis nomine sanctimonialis fœmina, cum Maria Magdalena prima ad sepulchrum respecta, viuentem spiritum in mortuis ossibus inuenit & nunciauit. Hæc in monasterio ancillarum Christi extra vrbis muros sito, merito & officio nota, diutino capitis incommodo auditus munere cassata est, simul & oculorum lumine pene priuata. Circa quam cum omnia medicorum defecissent adiutoria, se desperatione recuperandi, sociasque mœroris habitu offudit. Iam ferme bimus situ inualuit dolor, & vt dicitur iuxta statum capitis, status totius erat corporis. Quantus autem esset destituta viribus corporis, imbecillos sustentata artus, mediam se populi, baculo sancti desiderij præuio, ad Sancti vsque bustum iniecit se humi, tacitas preces cælo fudit, & martyri libam fecit* lumine cerei. Cumque quem mente videbat, carnis oculis, quos pene amiserat, intueri desideraret, & caput in loculo martyris reclinaret, vtriusque auris meatus sanguine fluxit, & fidei pretio visus & auditus munia redemit, incolumisque officio quod agebatur iubilauit, & quotquot angelico illi spectaculo intererant, in fide subrexit.

flagrans lumine fidei

Sanatur surda & pene cæca.

VI. SANCTÆ autem memoriæ Gero, post datus Episcopus dignus Deo, secundo loco beati martyris meritum agnouit & prædicauit. Cum enim astante Folcmaro præsule, delectæ secundi ordinis personæ pretiosas sancti corporis margaritas, vino ex deuotione baptizatas, nouo ordinarent repositorio, officiosa se sedulitate admisit, & egregie audax, vno martyrem dente mutilauit. Mira dicturus sum. Mox in ipsa manu rapti teste pœnas dedit, & inuisibili igne non ardens arsit. Agnouit eruditus animus cælestem animaduersionem, quam solus sensit, sed videre ipse non potuit. Quid ageret? Libenter pignus retineret, sed pœnam sustinens, etiam animo maiorem expectatione fortius, nisi reddidisset, torquebatur. Deducuntur interim pignora Sancti, comitante populo arcam Domini, in voce exultationis & confessionis epulante. Præerat tunc monasterio sanctæ Mariæ Dominæ nostræ, quod dicitur nouum, venerabilis Vuoluereda, virginum DEI mater & Abbatissa, quæ huic spectaculo intererat, & psalmorum cantica in codice recitabat. Hanc Gero acciuit, & cum reuerentia in libro sanctum dentem deposuit, complacuitque martyri quies in acerra thuris Dauidici. Factumque est vnum idemque momentum, dentem posuisse & passionem: demonstrastique IESV bone, quanta martyrem tuum diligentia velis tractari, huiusque rei pretium esse à gehenna liberari. Posita sunt autem debito fidelium honore ossa beatissimi Maurini in oratorio sancti Benedicti sub die tertio Idus Octobris.

Nota rem miram.

Miraculum

VII. MAGNIS maiora, glorioßis succedunt glorioßora. Thiedo post datus Episcopus, tunc in monasterio sancti Seuerini custodis officium administrabat. Is non dissimili deuotionis affectu de sancti martyris quod occurrit, latenter tulit, sibi suisque domi profuturum. Cum iam nox esset, in familiariori loco posuit. Ecce in diluculum cum locus ipse, tum proxima quæque tantæ suauitatis completa sunt fragrantia, vt euidens esset cælos eam distillasse gloriam. Res noua, miraculum illustre. Ingredientes & egredientes cælesti communicantur beneficio, sed latet causa. Quod in Maurino Deus operatur, sentitur, nil tamen ipsius ibi scitur. Libet & hic paululum immorari, & in miraculo aliud miraculum demirari. Vsum hic cum natura odor perdidit. Nam cum subito processerit, post duas aut tres horas more solito non recessit, nec cum integro die ætatem æquauit: sed fere septem solibus sine exemplo senuit. De agris, de plateis curritur, irruit alter post alterum, facturi quique per seipsos insolitæ nouitatis fidem. Rumor & odor vero nituntur, causa neque etiam opinatur. Datur tandem gloria Deo, gloria martyri. Res namque nobilior de commisso redditur. Thiedo aperuit verbum emissum patri monasterij, in cuius tuitione est martyr: alter post alterum, quisque notum quasi nouum nuntiat. Is sicut est diuini timoris & amoris apprime scientia eruditus, sciens quia omnia quæcunque voluit Dominus fecit, animum fidei dedit, & totius animi organis alleluia sonuit. Placuit tamen ei duos suæ congregationis fratres mittere, quatenus & eos in cultum sancti excitaret, & filiorum relatione suum suorumque animos indulcaret. Profecti ergo, non solum vt dicta eis sunt inuenerunt, sed secum fratribus non modicas odoris detulere reliquias. Putares ipsos* affectus, & secum quoquo ibant circunferre aromata. Venerabilis autem monasterij rector magnitudine gaudij & dulcedine animi demum attractus descendit, diuino animum nectare pauit, & grata vicissitudine thura laudis Deo litauit. Folcmatus quoque reuerendus antistes & ipse aduenies rumorem auxit, & honorem ampliauit. Sanctas nanque cum suo odore reliquias in altario beati Seuerini locauit, & iunctos in cælo, in terris sociauit.

Nota, monasterium S. Seuerini.

Odor suauissimus ex reliquiis S. Maurini.

Psal. 134.

for. affectos.

VIII. IN semetipso quoque idem antistes expertus est, quanti sit apud Deum meriti Maurinus emeritus miles. Superueniente nanque sacratissima Paschalis gaudij solennitate, vehementi oculorum dolore cœpit fatigari. Vir autem venerandus flagello diuinæ admonitionis æquo quidem animo membra substrauit, sed mœrore amplius deficiebat, ne forte nobilis Colonia sine Episcopali officio sanctum perageret Pascha. Quinta autem feria, quam indulgentiæ diem nominant, vix magno imbecilli hominis & deuoti animi conflictu pontificalia administrauit, & vsque ad lectum languor inualuit. Sed dum Maurinum animo reducit, consilium præsul inuenit. Denique patrem monasterij, in quo martyrium sancti floret, secreto acciuit, cui languoris sui inclementiam paucis aperuit: Semper quidem, inquit, Christiani animo diuina desideranda est correptio, quæ semper filiis fit in salutem. Caro enim attrita conscientiam purgat, spiritum emaculat. Ecce deuotus porto flagellum, quod misit Dominus: sed vides quantus populosæ ciuitatis in ecclesia concursus, vides quantos de remotissimis etiam regionibus festiuitate inuitante confluxerit populus: quos omnes in iudicium mei sine fructu laboris, sine exhortatione sermonis, sine viatico benedictionis in sua dimitto. Nascitur tamen mihi quædam securitas, quod si quid de memoria sancti Maurini ad me delatum fuerit, mihi quoque quam omnibus impendit, misericordiam non denegabit. Tum discessum est. Die autem facto, qui Dominica passione colebatur illustris, dentem beati martyris ægrotanti præfatus Abbas ad lectum mittit Antistitis. Comitatur sanctum pignus cælestis medelæ munus. Nuntiatis enim monachis, assurgit sacerdos venienti in suo pignore martyri, quasi audiens, Surge & ambula. De pressis alta reuerentia luminibus dentem admouit, & quod mulier euangelica tactu fimbriarum Domini accepit, se accepisse exultauit. Subito enim dolor omnis fugiebat, ante sanctum stare non poterat. Sic inclyte martyr, ecclesiæ Episcopum perdonasti, & regis tui Pascha honorasti. Die autem sancti Paschæ cum inter Missarum solennia pro iucunditate festi, præsul verbum faceret, sermonis ductu ad salutis suæ migrauit auspicem.

Sacratissima Paschatis solennitas.

Vide quid maiores nostri senserint de Sanctorum reliquiis.

Matth 9.

Illustre miraculum.

Stupen-

Stupentibus cunctis, quibusdam vero gaudentibus, Maurinum verè sanctum, Deo charum, quæcunque voluerit impetrare à Deo compotem libera voce pronuntiauit: morbi sui inclementiam, sed in aduentu Sancti subitam edocet fugam. Pontificali deinde statuit edicto, vt dies passionis eius honorabilis celebrisque inter nobiles anni festiuitates numeretur. Similitudo autem quædam dubij animi Thomæ sanctissimi Meginhero cuidam nomine & officio noto oborta est, quod scilicet martyr & nomine esset obscurus, & excepto epitaphij verbo, scripturæ testimonio careret. Pontifex autem testis sui sententiam fixit, quique dentem sanctum curatorem suum dum aduixit ita coluit, vt in modico ignore totum se martyrem habere confideret.

Obserua prisci morem Dei irã auertendi.

INTEREA siccitatis flagello vniuersa laborabat regio. Ad nota ergo præsidia sancta confugit Colonia, precibusque & sacrificijs instabat iniqui sereni redimere malitiam. Procedebant litaniæ, exibat clerus, prodibat sanctimonialium chorus, & longa populorum examina sanctæ Crucis vexilla & sanctorum martyrum deducebant suffragia. Sed diuina sententia, forte quia fidem & patientiam in populo suo quæsiuit, spatio duorum fere mensium pluuiam suspendit. Erat autem videre mori pro ventura spe anni. Squalebant arua puluere, & flaui sulci ad aquas hiabant. Superueniente autem sacratissima beati Maurini passionis die, ecclesiæ beatæ memoriæ Dei genitricis & semper virginis, & sanctissimi cælorum clauigeri senatorius clerus, & diuersæ conditionis populos duce Meginhero (Nam Episcopus aberat) ad memoriam Sancti cum litaniis descendit. Denique promptus iam dubium ponere animum, pro angustia temporis idem Meginherus ad martyrium populo Missas facit. Ventum est ad sermonis sui ordinem, conuenientia pro tribulatione dicta sunt. Cumque sermonis virtute cor populi erigeret, hæc ita subintuli: Ecce, inquit, misit Dominus verbum in terra, quod non viderunt patres nostri. Ecce enim populosa ciuitas iterum atque iterum ad deprecandam faciem Domini mittit senes & iuuenes, mittit pueros & virgines, cœtusque infantium & lactentium nitidos, omnem cleX.

Colonia Sãctorum reliquiis egregie instructa *Thren. 2.*

rum & vniuersum populum, & non est qui exaudiatur. Et quæ est sub nostro sole ciuitas, hac nostra locupletior Sanctorum? Vbi Apostolorum parrocinia sic præsentia? Vbi tot in vnis cubilibus martyrum millia, & tot aurea virginum agmina? Vbi sic præsentes confessores & episcopi, qui genuerunt hunc populum Domini? Apud quos rugiebant dæmones, quorum præsentiam portare non poterant, nos pro anima & patria supplicantes audire dissimulant. Sitit dura tellus, languet omnis regio, & iuxta Hieremiam non recordatur Dominus scabelli pedum suorum in ira furoris sui. O inclyta Domini castra, armate animos perseuerantia, & experimini vim facere clauso cælo. Erigere in fide miles Dei, & nubem ne transeat oratio oppositam, vel Maurino scinde patrono. Si hunc Dominus fatiscenti reuelauit subsidium sæculo, donet hodie hanc nobis quidem misericordiam, martyri autem suo gloriam, vt sicut hodie pro se hic martyr sanguinem suum fudit, ita pro eo terris benedictionem pluuiæ Dominus fundat. Dixit, & salutarem hostiam immolatum ascendit. Et ecce in sereniſſimo aere Elias noster nubila contraxit, tonitru omne cælum mugijt, sicque largissimam pluuiam dedit vt per aliquot horarum spatium, qui conuenerant extra locum exire non possent. Sicque vnius dubitatione salus facta est patriæ. Mira dicturus sum: Multis postea annis iussi sunt cæli legem pati, & annuum cursum obseruare huius diei, vt annua pluuia hoc tanti beneficium signi ad memoriam reuocarent. Vnde & martyrem vulgus nominant Sanctum pluuialem, nos autem æterna misericordia dicimus liberalem.

Præclarum miraculum

Sanctus pluuialis.

QVIA cœpi, loquar opera Domini. Puero cuidam morbus, quem dicunt varicum, densa visum caligine obnubit, & oculorum manus extinxit. Fluxerat decem annorum orbita, cum quadam die data manu puellæ, quæ ei dux erat & oculos, ad memoriam sancti Maurini peruenit. Aliquandiu oratum est. Tum puella, quæ orbati, vt dictum est, gressus regebat, humi fusum tetigit, surgat & abeat præcipit. Tu, inquit, ille, abeas, viam quam volueris carpas: mihi opitulatione huius pijssimi patris oculi familiarissimi viæ collati sunt duces. Surgens autem, ex scissione caliginis genas gutta sanguinis apparuit cruentatus, videntes videns, & viæ ducem vlterius non requirens. Coloniæ natus & educatus, facie sed & genere notus, cognatos & affines gaudio, & totam ciuitatem miraculo, & martyris compleuit præconio. XI.

Cæcus recipit lumen.

THEVSBVRG nomen est villæ, Hic ante aliquot annos inguinaria Dei permissu debacchata est pestis, & non paucos inopina morte soporauit. Inter altos presbyterum ecclesiæ prouisorem morbus inuadit, qui hoc consilio mortem distulit. Qui se familiarius curabat, rogat vt amicorum & parentum subuectione Coloniam veniat, ad memoriã, inquit, martyris, qui ibi recens reuelatus, signorum virtute coruscat. Visa sunt verba hæc amentis & deliri, quia toto fere homine mortuum attendebant. Cumque ante oculos & eius vires, & vsitata subinde tum subtractorum ab hac luce ponerent exempla, quasi in sepulchro eum videbant. Is autem confortatus fide de lecto se super baculum dedit, & stupentibus cunctis pedem trahere post pedem tentabat. Euidenter hic enituit, quia sicut Agnus vbique est, ita & qui Agnum quocunque ierit sequuntur, vbi fideliter inuocati opitulatione præsentes sunt. Nam qui de lecto fere mortuus descendit, mox ad quem tendit sibi adesse martyrem sentit: quoque vlterius processit, eo amplius viribus valuit. Et sicut ignis feruore amplius calescit, qui vicinus accedit: ita dum ciuitati appropiat, clementius ægrotat. Vbi autem ad memoriam Sancti ventum & oratum est, & sibi & omnibus in præfata villa eodem morbo laborantibus, integerrimam sanitatem fidei auro obtinuit.

Martyres vbique opitulatione præsentes. Insigne miraculum.

LONGVM est ire per singula, quomodo virtutibus iustus vt palma floreat. Sed ecce dum qui prope & qui longe sunt, inter nos fontem salutis hauriunt, timeamus ne nobis sit iudicio, si medicum habentes ægrotamus. Loco patris & medici nobis Dominus Maurinum suum perdonauit filium, quem sibi genuit sponsa formosa sua, columba sua, quam sibi vitæ pretio redemit, & in sanguine suo lauit. Si lepra conscientiæ prurit animus, si cælum libero intuitu non respicit oculus, si in via iustitiæ cursum stupens impedit neruus, si auaritia venarum fila contrahit in manibus, à patre medico filius medelam paruo mereberis. Immo tum filius eris, si mederi quæsieris. Nunquam duro vsus est cauterio. Imperio morbos exturbat, vulnera oratione lauat, meritis fata sanat. Cum Elia clausum cælum in pluuias soluit, cum Eliseo ignem cælo demittit, sed mitior extinguit. Sicut ipse prophetarum Dominus fimbrijs, sic iste languores pellit reliquijs. Petrus in plateis eiectos vmbra suscitat: Maurinus longe positum tenui famæ aura de lecto desperatum in viam salutis excitat. Cum Paulo cæcos lumine vestit, cum Stephano ad tumulum surdorum aures aperit. Non longũ est, quod dico. XII.

Matth. 9. Actor. 5.

Aliud miraculũ haud vulgare.

GERONEM quendam sacerdotio & officio clarum ita grauissimus languor perculit, vt vita in confinio mortis palpitaret. Iam ei pollices, iam lingua ligabatur, cum puerum cum argento ad nostrum medicum mittit, & vt pro se celeriter & fideliter faciat membris morientibus exposcit. Iuit, redijt, & dominum paulò ante cum morte agentem, in lecto residentem inuenit & comedentem. Hic & item ei similes medici præcantare animas nouerunt, ne iuxta Ioannem, diuini pectoris potatorem, calicem iræ Dei bibant, vt crucientur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & in conspectu Agni: & fumus tormentorum ascendat in sæcula sæculorum. Hæc hodie Maurinus securus euasit, & in supernam ciuitatem laureatus intrauit. In ciuitate autem patris debentur filiis iura hæreditatis: Age ergo nunc pater inclyte, pater pie, age cum iudicibus sæculi causas nostras: vt & in terris digne te veneremur, & ibi quandoque desideratam tuam faciem contemplemur, vbi epularis & cum Angelis delectaris gloria & aspectu Agni, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen. XIII.

Apoc. 14.

VITA

VITA S. MARGARETÆ REGINÆ SCOTIAE, QVAM QVIDEM S. ADELREDVS ABBAS PRIMO CONSCRIPSIT, SED HÆC, QVAM nos edimus, ab alio quodam incerto authore, ex illo breuius descripta est. Stylum in gratiam lectoris nonnihil elimauimus.

AN. 1060.

I. MORTVO Edmundo rege cumprimis strenuo, qui ab Anglis propter insuperabilem eius fortitudinem IVNII. 16. ferrei lateris cognomen acceperat, Canutus rex, Angliæ conquestor, filios eius Edmundum & Edouardum propter fœdus cum patre illorum ictum, præ pudore ferire non valens, ad regem * Suedorum ferendos transmisit: qui pietate motus, eos vlterius ad regem Hungarorum Salomonem vitæ reseruandos misit. Edmundo vero sine liberis decedente, Edouardus frater eius Agatham Imperatoris filiam duxit, ex qua sanctam Margaretam, postea Scotiæ reginam, progenuit. Quæ cum in primæua adhuc floreret ætate, vitam sobriã ducere ac Deum super omnia diligere cœpit, in diuinarum quoque lectionum studio se occupare, & in his animum delectabiliter exercere. Suorum tandem magis quam sua voluntate, immo Dei ordinatione, regi Scotorum Malcolino in matrimonium collocatur. Vbi licet ea, quæ mundi sunt, agere compelleretur, at tamen mundi rebus & desiderijs inhærere contempsit. Plus enim delectabatur bono opere, quam diuitiarum possessione. Omnia, quæ decebant, prudentis reginæ imperio agebantur, eius consilio regni iura disponebantur, illius industria religio diuina augebatur. Nihil illius fide firmius, vultu constantius, patientia tolerantius, consilio grauius, sententia iustius, colloquio iucundius.

* *Sueuorũ.*

Parentes S. Margaretæ.

Nubit Malcolino regi Scotiæ.

II. IN loco, vbi nuptiæ eius fuerant celebratæ, in honorem sanctæ Trinitatis nobilem ecclesiam construxit, eamque varijs magni precij ornamentis decorauit: in quibus ex solido & puro auro & argento vasa non pauca fuisse constat. Crucem quoque contulit, quam auro & interlucentibus gemmis vestiri curauit. In aliis quoque quibusque ecclesiis deuotionis suæ signa reliquit. Tanta vero ei inerat cum iucunditate seueritas, & cum seueritate iucunditas, vt omnes, qui in eius erant obsequio, illam & timendo diligerent, & diligendo timerent, atque in eius præsentia non solum nihil execrandum quisquam ausus esset facere, sed neque turpem proferre sermonem. Liberos suos cum omni diligentia nutriri & honestis moribus institui voluit, eosque coram ipsa sæpius adductos fidem Christi docuit, vtque illum semper timerent, accurate admouit. Timete, inquit, ô filij Dominum: quoniam non erit inopia timentibus eum. Et si dilexeritis illum, præsentis vitæ prosperitatem, & cum sanctis suis æternam vobis reddet felicitatem. Hæc matris desideria, hæc crebra admonitio, hæc pro sua sobole quotidiana erat cum lachrymis oratio, vt suum creatorem agnoscerent, agnoscendo colorent, colendo in omnibus diligerent, & diligendo ad cælestis regni gloriam peruenirent. Nemo illa ingenio erat præstantior, nemo eloquio illustrior, regem ipsum ad iustitiæ, misericordiæ, eleemosynarum, aliarumque studia & actus virtutum instigauit, & Deo cooperante obtemperantissimum reddidit. Videns enim ille in corde eius reuera Christum habitare, illam quouis modo offendere formidabat, votisque eius & consilijs in omnibus obedire studebat. Quæ respuit illa, ea & ipse respuere, & quæ amabat illa, ea ipsa itidem amore illius amare solebat: delectabatque illum manibus contrectare & osculo venerari librum, ex quo regina precari consueuit.

Liberalitas eius in ecclesias.

Optime suas instituit proles. *Psal. 33.*

III. REGE cum magno comitatu aliquo proficiscente, omnes comites & satellites eius tanta seueritate coercuit, vt nullus quicquam rapere, nullus rusticos vel pauperes quoslibet lædere vel opprimere auderet. Tanto autem facilius sancta regina omnem mundi pompam spreuit, & peccatorum euasit maculas, quanto maiori cum tremore & pauore districtum iudicii diem ante mentis oculos sibi indesinenter repræsentabat. Crebro etiam confessarium suum rogabat, vt quicquid in ipsius dictis & factis reprehensione dignum aduerteret, id cum reprehensione secreto ipsi indicare non dubitaret. Quod cum ille rarius & remissius, quam ipsa vellet, faceret, importunam se illi ingerebat, somnolentum illum & suæ salutis incuriosum ac negligentem vocitans. Corripiat, inquit, me iustus in misericordia, & increpet me: oleum autem, id est, adulatio peccatoris, non impinguet caput meum. Reprehensionem sui, quam alius accipere posset ad contumeliam, illa ad virtutis profectum expetebat. Malum aliquem si vidisset, admonebat, vt ad meliorem frugem se reciperet: bonos hortabatur, vt studerent fieri meliores.

Regis familiam vt in officio continuerit.

Vult sua errata reprehendi. *Psalm. 140.*

IV. CVM autem in gente illa Scotorum contra vniuersalis Ecclesiæ sanctam consuetudinem multa illicita fieri videret, multa adhibuit consilia, vt ad veritatis viam errantes, Christo donante, reduceret. In quo conflictu rex ipse adiutor ei præcipuus aderat, quicquid in hac causa illa iussisset, & dicere & facere paratissimus: qui quòd perfecte Anglorum idioma æque vt proprium calleret, vigilantissimus hac in re vtriusque partis interpres fuit, Itaque regina præfatione præmissa, qui cum catholica Ecclesia in vna fide vni Deo seruirent, eos ab eadem Ecclesia nouis quibusdam & peregrinis institutionibus discrepare non debere: Primo proposuit, eos Quadragesimale ieiunium non legitime obseruare, quia hoc non cum sancta Ecclesia à feria quarta in capite ieiunij, sed sequenti septimana feria secunda solerent inchoare. Cum autem illi è contrario dicerent, ieiunium suum se ex Euangelij authoritate, quæ Christi narret ieiunium, obseruare per sex hebdomadas: illa respondit, Longe in hoc ab Euangelio discrepatis. Legitur enim ibi Dominus quadraginta diebus ieiunasse, quod manifestum est vos non facere. Nam cum per sex hebdomadas sex Dominici dies à ieiunio abstrahuntur, triginta tantum & sex dies ad ieiunandum relinqui perspicuum est. Non ergo Euangelica authoritate quadraginta, sed triginta duntaxat & sex dierum constat vos obseruare ieiunium. Restat itaque, vt quatuor diebus ante Quadragesimæ initium ieiunare nobiscum incipiatis, si Dominico exemplo quadraginta dierum numero abstinentiam obseruare velitis. Alioquin contra ipsius Domini authoritatem & totius sanctæ Ecclesiæ traditionem vos soli repugnabitis. Hac illi ratione veritatis conuicti, deinceps secundum morem vniuersalis Ecclesiæ sua ieiunia inchoarunt.

Scotorũ errores quosdã corrigit.

Scoti quando tum inchoarunt Quadragesimæ ieiunium. *Matth. 4.*

V. DEINDE etiam illud regina proposuit, iussitque vt ostenderent, qua ratione die sancto Paschæ secundum morem sanctæ & Apostolicæ Ecclesiæ sacramenta corporis & sanguinis Christi sumere negligerent. Responderunt illi: Apostolus de his loquens, ait: Qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit. Vnde quia nos peccatores agnoscimus, ne iudicium nobis manducemus & bibamus, ad illud mysterium accedere formidamus. Quibus regina: Quid igitur? inquit. Qui peccatores sunt, sacrosanctum mysterium non percipient? Nemo ergo illud percipere debebit, quia nemo sine sorde peccati, nec infans, cuius est vnius diei vita super terram. Si autem nemo illud sumere debet, cur in Euangelio clamat Dominus: Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis? Sed planè sententiam, quam de Apostolo profertis, secundum Patrum expositionem aliter necesse est vt intelligatis. Non enim omnes peccatores salutis sacramenta indigne sumere affirmat. Nam cum dixisset, Iudiciũ sibi manducat & bibit: adiungit, Non dijudicans corpus Domini: hoc est, Non separans illud in fide ab escis corporalibus, iudicium sibi manducat & bibit. Sed & ille, qui absque confessione & pœnitentia cum suorũ inquinamentis scelerũ ad sacra mysteria accedere præsumpserit: ille, inquam, iudicium sibi manducat & bibit. At nos, qui multis ante diebus, facta peccatorũ confessione, pœnitẽtia castigamur, ieiuniis attenuamur, eleemosynis & lachrymis à peccatorũ sordibus abluimur, in die resurrectionis Dominicæ ad eius mensã in catholica fide accedẽtes, carnẽ & sanguinẽ agni immaculati

1. Cor. 11.

Iohan. 6.

Eucharistiã quis indigne percipiat

Iesu

Iesu Christi non ad iudicium, sed ad peccatorum sumimus remissionem, & ad salutarem percipiendæ beatitudinis æternæ præparationem. His ab ea perceptis, respondere nil potuerunt, atque agnita deinceps Ecclesiæ instituta in mysterij salutaris perceptione obseruarunt. Fuere præterea in quibusdam Scotiæ locis, qui contra totius Ecclesiæ morem Missas celebrare solerent. Quod regina, zelo Dei accensa, ita destruere & profligare studuit, vt postea in toto Scotorum regno, qui tale aliquid attentaret, nemo repertus sit.

Scoti non colebant diem Dominicum. Li. 11. Epi. 3.

SOLEBANT etiam, neglecta Dominici dei reuerentia, quemadmodum aliis diebus, ita illo quoque laboribus insistere. Quod minime licere, ratione pariter & authoritate ostendit. Dominicum, inquit, diem propter Dominicam, quæ in illo facta est, resurrectionem veneration habemus, vt in eo seruilia opera iam non faciemus, in quo nos à seruitute diaboli redemptos nouimus. Hoc & beatus Papa Gregorius affirmat, dicens: Dominico die à labore terreno cessandum est, atque omnimodo orationibus insistendum: vt si quid negligentiæ per sex dies agitur, per diem resurrectionis Dominicæ precibus expietur. Idem quoque pater Gregorius quendam propter opus terrenum, quod die Dominica fecerat, districta increpatione feriens, eos, quorum hoc consiliis egerat, duobus mensibus excommunicatos esse decreuit. His rationibus reginæ contraire nõ valentes, ita diem Dominicũ deinceps obseruabãt, vt nihil quicquam in eo operari auderent. Illicita etiam nouercarum coniugia, similiter & vxorem fratris defuncti fratrem superstitem ducere, quæ ibi antea fiebant, nimis ostendit execranda, & à fidelibus, velut ipsam mortem, deuitanda. Multa quoque alia contra morem Ecclesiæ inoleuerant, quæ in eodem Concilio damnans, de regni finibus extirpauit. VI.

Li. 7. Epi. 1. Indictionis 2.

Illicita cõiugia Scotorum.

QVANDO autem illa de salute animæ confessario suo & de sempiternæ vitæ dulcedine loquebatur, verba eius plena erant omnis gratiæ: tantumque inter loquendum compungebatur, vt tota in lachrymas resoluenda putaretur. In ecclesia nemo illa silendo quietior, nemo orando attentior. Nihil vnquam sæculare vel mundanum illic loqui nihil terrenum agere, sed tantum orare & lachrymas fundere solebat. Per nimiam autem inediam & abstinentiam in grauissimum morbum incidit. Nihil illius pectore clementius, nihil erga egenos & inopes benignius fuit. Neque enim suadentaxat, sed seipsam quoque, si licuisset, pauperibus libenter impendisset: atque interim omnibus pauperibus suis erat ipsa pauperior. Illi enim non habentes, habere cupiebant: illa vero ea, quæ habebat, dispergebat. Quando prodibat in publicum, miserorum, orphanorum, viduarum greges quasi ad matrem piissimam confluebant: nec vllus ex eis sine consolatione ab illa recedebat. Interdum quicquid erat regis proprium, egenis erogandum abstulit: quam pietatis rapinam rex omnino gratam & ratam semper habuit, seque nescire simulauit. Neque modo pauperibus indigenis, verumetiam omnium pene nationum suam liberalitatem & munificentiam impendit, innumerabilesque captiuos dato precio libertati restituit, quos de gente Anglorum hostilis Scotorum vis in seruitutem abduxerat. Occultos etiam exploratores per prouincias misit, vt qui duriori premerentur seruitute, & inhumaniter haberentur ac tractarentur, eius liberalitate redimi possent. VII.

In templo vt se gesserit regina

Liberalitas in pauperes

In captiuos

EREMITAS & separatis cellis vbique inclusos, Christo seruientes, venerari, diligere, suo aduentu & alloquio crebrius visitare consueuit, illorumque se precibus commendans, quicquid petiissent, deuota compleuit. Cum principio noctis paululum quieuisset, ecclesiam ingressa, nocturnas preces, quas matutinas vocant, primo de sacrosancta Trinitate, deinde de sancta Cruce, tertio de beatissima Maria sola absoluebat. Illis finitis, officium defunctorum incipiebat, ac deinde Psalterium integrum perlegebat. Quando Clerus hora congrua preces Canonicas celebrabat, illa psalterium vel iam cœptum finiebat, vel primo absoluto, alterum inchoabat. Finitis autem precibus horarijs, in cubiculum rediens, sex pauperum pedes lauit, eisque pecuniam dari iussit. Deinde parumper quieti ac sopori indulsit. Mane facto surgens piissima regina, nouem infantulos orphanos, omni auxilio destitutos, prima diei hora ad se introductos cibis mollioribus flexis genibus reficiebat, & cibos in ora eorum immittebat. Præter hæc trecentos pauperes in aulam consuetudo erat introduci, & clausis ostijs rex ab vna parte, reginaque ab altera, Christo in pauperibus seruiebant, cibosque specialiter præparatos offerebant. Quo facto, regina ad ecclesiam se conferens, prolixis precibus & lachrymis atque gemitibus seipsam Deo sacrificium immolabat, & ante summam Missam quinque vel sex priuatim Missas audiebat. Ante refectionem vigintiquatuor pauperes humiliter eis ministrando reficiebat. Sumebat deinde cibum, non vt delectationi acquiesceret, sed tantum vt vitam seruaret. Erat verò eius refectio tenuis & sobria, & quæ esuriem excitaret potius quam extingueret: videbaturque non tam sumere, quam gustare cibum. Quadraginta ante Pascha & natalem Christi diem, incredibili abstinentia se afflixit, sed propter nimium ieiunii rigorem vsque ad finem vitæ suæ acerrimos passa est stomachi dolores: nec tamen ægra corporis valetudo virtutem operis debilitare potuit. In sacra lectione erat studiosa, in orationibus perseuerans, in eleemosynis indeficiens, denique in omnibus prorsus, quæ Dei erant, vigilanter sese exercitans. Codex quidam Euangelicus, gemmis & auro ornatus, in quo studere & legere solebat, custodis negligentia in aquam cecidit, & per diem ac noctem sine aliqua iniuria vel læsione inuiolatus permansit. VIII.

Preces eius.

Nota eximiam regis & reginæ pietatem.

HABEBAT confessarium Turgotum, secundum Priorem Dumelmiæ. Illi ergo ad se accersito, vitam suam replicare cœpit, & ad singula verba lachrymarum flumina profundere: tantaque erat sub eius sermonibus compunctio, tantus lachrymarum imber, vt nihil proculdubio esse videretur, quod tunc à Christo impetrare non posset. Cumque de necessariis sermonem pertexuisset, ita ait ad eum: Vale: ego posthac diu in hac vita non subsistam: tu verò paruo post me tempore viues. Duo sunt autem, quæ à te postulo: Vnum, vt quoad vixeris, animæ meæ in Missis & orationibus tuis meminisse velis: alterum, vt liberorum meorum curam habeas, amorem eis impendas, Deum præcipue timere eos doceas, & cum ad culmen terrenæ dignitatis quemlibet eorum euehi conspexeris, illius vel maxime patrem simul & magistrum te exhibeas, admonendo, &, vbi res postulauerit, etiam obiurgando, ne propter mundi prosperitatem, æternæ vitæ felicitatem sua negligentia amittat. IX.

Vult sui in Missis post obitum haberi memoriam.

DIMIDIO post hæc anno, ingrauescente morbi molestia, rarò è lecto surgere potuit: quarto autem ante obitum suum die, cum rex Malcolinus in expeditione esset, tristior solito effecta, assidentibus ait: Forte hodie tantum mali regno Scotorum accidit, quantum vix multis retro temporibus. Post dies aliquot nunciorum relatione eodem die, quo regina dixerat, regem cum filio Edouardo fuisse occisum cognouerunt: quem illa, ceu futurorum præscia, multum prohibuerat, ne quoquam tunc cum exercitu progrederetur. Quarto inde post mortem regis die, morbo nonnihil de sua acerbitate remittente, Missas auditura, oratorium intrauit, & exitum suum Dominici corporis & sanguinis viatico præmuniuit. Mox autem prioribus grauata doloribus, lecto prostrata, ad exitum, crescente molestia, vehementius vrgetur. Tum illa Crucem Scotiæ nigram, quam semper in magna veneratione habuit, amplecti, exosculari, oculos faciemque crebro illa signare curauit. Rediens interea de exercitu filius eius Edgarus, cubiculum reginæ intrat: quem illa de patre & fratre interrogat: sed ille quod verum erat dicere noluit, ne audita morte illorum, continuo & illa expiraret. Respondit autem, eos bene valere. At illa grauiter suspirans: Scio, inquit fili, scio, adiurauitque eum, ne rei veritatem celaret. Tum ille coactus, sicut erant, gesta exposuit. Quibus auditis, non peccauit labijs suis, neque stultum quid contra Deum locuta est: sed manus ad cælum eleuans, in laudem & gratiarum actionem prorupit, dicens: Laudes & grates tibi ago omnipotens Deus, quod me tantas in exitu meo angustias perpeti, easque tolerantem, à quibusdam peccatorum maculis, vti spero, mundare voluisti. X.

Malcolini regis cædes &c.

Præclara sanctæ reginæ patientia.

SENTIENS

XI. SENTIENS postea mortem adesse, hanc orationem dicere cœpit: Domine Iesu Christe, qui ex voluntate patris, cooperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum viuificasti, libera me, atque sub his postremis verbis, liberata à vinculis corporis, anima ad veræ libertatis, quem semper dilexerat, authorem Christum migrauit, felicitatis eorum particeps effecta, quorum virtutis est exempla secuta. Faciem autem eius, quæ tota in morte palluerat, ita post obitum rubor candore permixtus perfudit, vt non mortua, sed viuens aut dormiens videri posset. Obiit quarto Idus Iunii, & in ecclesia sacrosanctæ Trinitatis, quam ipsa construxerat, contra altare humata est. Feliciter migrat ad Dominum An. 1079.

XII. CVM autem Dauid filius eius in aula regis Angliæ Henrici primi moraretur, nocte quadam à sorore sua Mathilde regina, quæ matris vestigiis puro corde insistebat, vocatus, ad cubiculum eius accessit. Et ecce domus plena leprosis, & regina in medio stans, deposito pallio, linteo præcinxit se, & missa in peluim aqua, pedes eorum lauare, lotos extergere, & extersos vtrisque manibus constringere & deuotissime osculari cœpit. Cui ille: Quid, inquit, agis domina mea? Certe si rex isthuc sciret, nunquam os tuum leprosorum pedum tabe pollutum, labiis suis contingeret. At illa subridens, ait: Pedes regis æterni quis nesciat labiis regis morituri esse præferendos? Ego certe idcirco vocaui te, frater charissime, vt meo exemplo similia facere discas. Sumpta itaque pelui, fac quod me facere intueris. Ille vero culpa sua subridens, ad socios suos se recepit. Præclarum in regina eximiæ humilitatis exemplum.

ALEXANDRI MONACHI LAVDATIO IN APOSTOLVM BARNABAM, QVAM HABVIT ROGATVS A MAGNO SACERDOTE, VENERANDI templi præfecto, quod beato Barnabæ consecratum fuerat. Est in Simeone Metaphraste. AN. 50.

I. MAXIMVM orationis argumentum nobis, magna sermonis paupertate laborantibus, patrio certe studio & affectu commotus proposuisti, pater optime, & eorum, qui virtutis exercitatione præstantes sunt, probatissime. Nobis enim laudandum proposuisti diuinum & beatissimum virum, insignem Apostolum, consolationis filium, orbis terrarum facem, Barnabam, inquam, multarum laudum præconiis celebratum. Ego vero inscitiam meam cum argumenti magnitudine conferens, tractationem hanc exhorrescens, iussis tuis parere diutius recusaui. Quæ enim oratio tam perfecti Apostoli rebus narrandis par esse poterit, cum huiusmodi negotium tale sit, vt non solum meas vires omnino superet, sed omnibus etiam aliis difficultatem afferre possit? Omnes igitur inferiores esse arbitror, quam vt Barnabæ res gestas narrare valeant. Quod si quis de illo aliquid dicere aggressus fuerit, sit quamuis sapiens, peritus & orationis facultate præstantissimus, longo tamen interuallo à tergo relinquetur, longe inferior existens, quam Apostoli dignitas postulat, & in eius laudum pelago omnino demergetur. Alius quidem ex iustorum hominum numero aliud quoddam à Spiritu sancto donum assecutus est: Apostoli autem ipsi omnes diuinarum gratiarum thesauros acceperunt, & virtutes omnes se habere ostenderunt. Quî potero igitur miser ego infinitis perturbationibus oppressus, Apostolicæ virtutis Pontum tranare? Namque tenui & tarda sum lingua, (vt quod est in literis diuinis scriptum, de me dicam) neque ita eloquens sum, vt diuinas admirabilis Apostoli Barnabæ virtutes commode narrare possim. Ita enim perfecte virtutem omnem vir hic exercuit, vt nemo alius in vna aliqua virtute profecit. Quam obrem prouinciam hanc mihi iniunctam suscipere hactenus recusaui, cum meam imbecillitatem tanti viri gloriosis factis enarrandis imparem esse cognouerim. II. Iunii. Apostolorũ præstantia. *Exod* 3.

II. AT cum memoria repeterem, quod in literis diuinis scriptum legi, hominem, qui obedientiam non seruat, interitum subire: qui vero est obediens, eum ab interitu liberum esse: vix ad id, quod præcepisti, multum certe mutuens, aggressus sum, satius esse ducens in eo ipso accusari, quod oratio mea manca sit, quam in contumaciæ crimen incurrere. Illud igitur vnum à vobis peto, vt mecum vna sanctissimum Barnabam orationis adiutorem mihi esse precemini. Ipsi autem viro, quem laudabimus, non dubito id gratum fore, quod à nobis, qui nihili sumus, dicetur: nam & eius Domino aliquando placuisse legimus duo illa minuta, olim à vidua & paupere miliercula oblata. Non enim Deo ipsi tam grata & accepta est earum rerum, quæ offeruntur, magnitudo, quam mens ipsa & æquus animus, quem is ostendit, à quo aliquid offertur, siue paruum, siue magnum illud sit. Cum vero Barnabam laudamus, tunc & omnium Apostolorum sacrum collegium collaudamus, quorum enim vocatio vna fuit, eorum eadem est & gloria: & quorum ordo vnus, eorum eadẽ est & dignitas: quorum paria certamina, eorundem coronæ diuersæ non sunt: quorum denique institutionis ratio communis, eorum præmia æque honorata sunt. Iam vero Barnabam ipsum oratione nostra in medium producamus, & quã maxime possumus, laudum præconia illi concinnemus, sum enim eius viri amator ardentissimus. Scio autem, & mihi persuadeo, huius Apostoli vel nomen ipsum auribus vestris iucundissimum accidere. Itaque illum honoremus, quatenus pro viribus de illo dicentes, æqui animi significationem demus: quod enim eius viri dignitas postulat, id tale est, vt omnem orationem ab eo superari fateamur. *Luc.* 21.

III. LAVDETVR igitur à nobis infimis magnus ille Apostolus Barnabas. Celebretur consolationis filius ab hominibus, qui Christo crediderunt. Extollatur à quouis homine ille, qui à Patre ipso honoratus, à filio vocatus, & à Spiritu sancto perfectus est. Barnabas, inquam, magnus Ecclesiæ orator, illa Euangelicæ prædicationis tuba, magna Christi vox, Spiritus sancti cithara, diuinæ gratiæ plectrum. Barnabas in expediendis pro Christo bellis miles robustissimus: qui corpore incorporeum hostem, simul versans cum Apostolorum exercitu, validissime profligauit: qui bonarum disciplinarum religiosus præceptor extitit, & Christiani ouilis dux certus, & rationalis quidam summi Dei paradisus, omnium virtutum germina florentia in se continens: qui egregium quoddam fidei germen fuit, charitatis rosa, suauissimum odorem emittens, spei flos incorruptus, diuinæ gratiæ fructus iucundissimus, illius vitis, quæ vitam omnibus præbet, palmes feracissimus, immortalitatis racemus, mel distillans, patientiæ propugnaculum firmum atque immobile, continentiæ sectator ita validus, vt Crucem gestauerit, & aduersus Christi interfectores intrepidus militiæ dux fuerit, Christi Crucifixi germen ad cœlum vsque protensum. Barnabas consolationis filius, pietatis magister, fidei columna ac fastigium, turris firma & immobilis, fundamentum stabile, & *crepida indissolubilis, saxum immotum, fluctuantium portus valde tranquillus, fidelis & prudens dispensator, architectus nobilissimus: qui cœlestem in terris semitam tenuit, & parem angelis vitam duxit: qui fuit ecclesiarum patronus, adiutor pauperum, inopes abunde nutriens, viduarum consolatio, & orphanorum diligentissimus procurator ac pater. Barnabas Christi mysteriorum thesaurus, orthodoxorum sanctæ Dei Ecclesiæ dogmatum minister, ægrotantium medicus liberalis, sanos & valentes homines, firma certaque animi iucunditate afficiens, Christiani gregis custos vigilantissimus, in terris manens, & in cœlis vita atque institutione versans: qui in mundo pietatis dogmata clara & alta voce prædicauit, & in cœlis sempiternam coronam recepit: qui fuit gentium dux, ad Deum eas perducens, & Ecclesiarum Dei beatissimus præco, campus quidam beneolentibus Christi floribus refertissimus, virtutum cœlestem odorem spirantium quoddam rosetum, Christi gratiarum ager fertilissimus: qui vitam valde synceram ac puram in terris transegit, tam recte in terra viuens, quam Angeli ipsi in cœlis viuunt. Idem virtutum exercitatione insignis, contẽplationibus & miraculis præstans, virginitatis margarita quædam preciosa, & castitatis beryllus lectissimus, temperantiæ gemma purissima, Christum in se loquẽtem habens, electum Dei vas, qui mundum dereliquit, & omnia quæ in illo sunt, quisquilias quasdam duxit, vt Christum tantum lucrifaceret sæculorum Regem. Ille Præclara encomia S. Barnabæ. * *for. crepido.* Nostra cõuersatio in cœlis est. Barnabas virgo.

gem. Ille suam Crucem sine dubitatione aliqua portauit, & vt verus Discipulus prompto animo Christum secutus est: qui dæmones profugauit, & diabolo vulnera inflixit: qui quatuor orbis terrarum fines firmo & constanti gressu peragrauit, & vt sacer ac bonus, suique Domini minister amantissimus, omnes gentes Euangelii prædicatione ad Christi fidem conuertit. Ille se domicilium paratum præbuit, in quo eiusdem essentiæ particeps Trinitatis habitaret, quiq; summi Dei templum fieret: Barnabas, inquam, Cypriorum insigne ornamentum, & orbis terrarum propugnator inexpugnabilis, qui Christum ipsum mirum in modum dilexit, & pro ipso quotidie animam suam exposuit: qui nunc vna cum illo in cœlis regnat, & omnibus sæculis regnabit.

Longe lateque Christum prædicauit.

DEFESSA est oratio nostra, dum admirabilem, diuinum & optatissimum Apostolum Barnabam laudibus extol- IV.
lere cupit atq; contendit, quodque mirum est, nondum ad exordium peruenit. Huius enim admirabilis viri laudes maiores sunt, quam vt nostra oratio illas attingere possit. Earum igitur tractationem, vt orationibus nostris maiorem, omittentes, pauca quædam de eius vita & martyrio ab authore Stromatum Clemente, aliorumque veterum hominum scriptis, repetita vobis, venerandi auditores, exponam, & ita narrationi huic finem imponemus, diuinis literis concedentes, vt huius viri semper decantati & celeberrimi caput magnifico illo præconio coronent: Erat Barnabas vir bonus, & plenus Spiritu sancto & fide. Quid huic præconio par, aut vnquam fuit simile?

Actor. 13.

ORTVM duxit beatissimus hic vir de laudatissima illa tribu Leui, ex qua Moses & Aaron, magni illi Dei prophe- V.
tæ & populi optimates ortum duxere, cuius cognationis etiam Samuel propheta particeps fuit. Eius autem proaui bellorum causa cum ad Cypriorum regionem migrauissent, æquo animo illic habitabant. Erant autem viri admodum religiosi, Dei legem reuerentes, & valde diuites: quamobrem & Hierosolymis facultates multas possidebant, & agrum prope vrbem illam pulcherrimum, non solum omnium generum fructuosis arboribus elegantem, sed ædificiorum magnitudine valde illustrem. Ex quo enim tempore Esaias propheta ita reliquit scriptum. Beatus, qui habet semen in Sion, & domum in Hierusalem: hanc eius prophetiam Hebræorum filii corporeo sensu interpretabantur, & ditissimus quisque dabat operam, vt aliquid in vrbe Hierosolyma possideret. Cum vero in Cypriorum regione natus esset hîc, de quo scribimus, & parentes elegantem puerum vidissent, statim Ioseph eum nominarunt, puerum suum Patriarchæ illius appellatione honorantes. Factum vero est, vt cum nominis appellatione, morum etiam nobilitas conueniret, si quis enim vocem hanc, Ioseph, interpretetur, inueniet idem valere, quod Dei additamentum: additus enim fuit à Deo iustus hic vir Apostolorum cœtui, & sacro Sanctorum consortio. Ad hæc eandem vocem, Dei gloriam interpretari possumus. Neque quisquam putet verbum hoc exuperantiæ causa dictum, sed à diuinis literis sumptum sciat. Ait enim Paulus: Vir non debet caput tegere, cum sit imago & gloria Dei. Quod si virum quemcunque, imaginem Dei & gloriam lectissimus ille Apostolus appellauit, quid dicemus de hoc viro in rebus diuinis perfectissimo?

Barnabas Leuitica stirpe ortus.

In Cypro natus.

1. Cor. 11.

CVM vero Barnabas ipse adoleuisset, illum in vrbem Hierosolymam parentes perduxerunt, & Gamalieli legem VI.
ac Prophetas diligenter edocendo tradiderunt, qui & Paulum, tunc Saulum appellatum, condiscipulum habebat. Quotidie vero Barnabas magis proficiebat, tum doctrina, tum omni virtute, nondum tamen ad Leuitarum ordinem aggregatus fuerat, eo quod non erat ætate illa, quam ea res postulabat: adhuc enim cum ephebis numerabatur. Non tamen à templo discedebat, cum in ieiuniis ac precibus die ac nocte versaretur. Ita vero leges & reliqua diuina scripta memoriter pronunciabat, vt literarum monimentis non indigeret, quietemque ipsam tam charam habebat, vt temperantiæ matrem illam esse duceret. Pernicioſas vero hominum consuetudines execrabatur, ac vehementer fugiebat, purum & à vitiis intactum seipsum ita conseruans, vt virtutis esset specimen quoddam. Quamobrem apud omnes existimatione & gloria florebat.

Barnabas Pauli condiscipulus.

Iohan 5.

ACCIDIT autem, vt tempore illo Dominus Iesus Christus Hierosolymam veniret, & paralyticum in probatica pi- VII.
scina sanaret, aliaq; signa multa & prodigia in templo ederet. Illa omnia cum Barnabas vidisset, obstupuit, & statim ad Christi pedes se abiecit, eumque precatus est, vt illi beneficeret. Christus autem, qui cor hominum & animos inspicit, Barnabæ fidem gratam habens, benuole ipsum accepit, & diuini sui congressus eundem participem fecit: quare ad Christi charitatem magis accendebatur. Quamprimum vero adiit domum Mariæ matris Iohannis, qui Marcus postea dictus est: quæ Maria eius matertera esse dicebatur, quamobrem & Marcum Barnabæ consobrinum appellabant. Illam cum adiisset: Age, inquit, mulier, veni & vide, quæ patres nostri videre concupiuerunt: ecce enim Iesus quidam propheta è Nazareth Galilææ in templo est, magnifica quædam edens miracula, qui multis videtur Messias esse, qui venturus erat. Cum hæc audisset admirabilis illa mulier, relictis omnibus his, quæ habebat in manibus, templum Dei adiit: vbi cum Iesum templi Dominum vidisset, ad eius pedes se abiecit, eumque sic precata est: Si gratiam inueni, ô Domine, in conspectu tuo, veni ad domum ancillæ tuæ, vt ingressione tua famulis tuis benedicas. Eius petitioni Christus Dominus assensus est: quem mulier illa valde læta in cœnaculum suum accepit. Ex illo igitur die, quoties Dominus Hierosolymam venisset, illic vna cum discipulis suis diuersabatur, quibus cum & Pascha illic fecit, vbi & mysteriorum sacramenta eosdem discipulos suos edocuit. Sermo enim quidam à Patribus traditus, ad nos peruenit, eum, qui lagenam aquæ portabat, quem Dominus ipse discipulis suis præcepit, vt sequerentur, Marcum fuisse beatæ illius Mariæ filium. Quod autem illum Dominus non nominarit, sed dixerit, Ite ad quendam: prouidentia quadam factum est, sicut Patres sancti locum hunc interpretantes dixerunt, vt re obscure dicta hoc nos doceret, Dominum Iesum apud eum diuersari, quicunque se paratum præbet. In illo igitur ipso cœnaculo Dominus Pascha fecit, in illo apparuit Thomæ Apostolo, cum à mortuis surrexisset: illuc, postquam Iesus in cœlum assumptus est, discipuli cum reliquis fratribus centum viginti, in quibus erant Barnabas & Marcus, ex monte Oliuarum conuenerunt: illuc Spiritus sanctus in linguis igneis ad discipulos descendit in die Pentecostes: illic collocata nunc est magna & sanctissima Sion, omnium Ecclesiarum maxima,

Fit Christi discipulus.

Coloss 4.

Hospitium Christi in Ierusalem.

Marc. 14.

Iohan. 20.

Act. 1.

Act. 2.

TVNC vero Barnabas secutus est Dominum reuertentem à Hierosolymis in Galilæam. Cum autem multi vndiq; IIX.
ad Dominum conuenirent, & eius fidem sequerentur, dixit discipulis suis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Itaque designauit septuaginta illos discipulos, quorum primus dux & summus erat magnus Barnabas. Sed nemo audiens Apostolos hanc appellationem illi viro imposuisse, temere & sine diuino consilio id factum fuisse opinetur: nam Petrus ipse illi nomen hoc imposuit, ille, inquam, Petrus, qui per sancti Spiritus reuelationem filii Dei theologiam edidicit. Et quemadmodum Iacobus & Iohannes propter virtutem, filii tonitrui vocati sunt, ita & Barnabas virtutis suæ causa filius consolationis appellatus est, quippe qui propter sanctitatis præstantiam omnibus consolationi fuit.

Matth 9.

Luc 10.

Marc. 3.

Actor 4.

Luc. 12.

IDEM cum audisset Dominum docentem, Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam, & facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum nunquam deficientem in cœlis: nihil moratus, statim rem omnem preciosam à parentibus mortuis sibi relictam vendidit, & egentibus distribuit: sibi vero solum agrum vnum reseruauit, vnde ali posset. Postea vero quam Dominus Crucem perpessus est, & à mortuis resurrexit, ac Spiritum sanctum ad discipu- IX.
los suos misit, tunc diuinus Barnabas Christi charitate magis inflammatus, illum etiam agrum vendidit, cumque multum pecuniæ ex eius precio accepisset, omnem pecuniam illam ad Apostolorum pedes deposuit, neque quicquam omnino sibi reseruauit, suo exemplo omnes discipulos ad eandem virtutem alliciens. Ille & cum Saulo disputabat, quem ad Christi Domini fidem perducere cupiebat. Saulus autem cum legis institutione diligenter atque accurate niteretur, Barnabam ipsum vt deceptum irridebat, & in Christum maledicta iaciens, fabri filium, idiotam & agrestem hominem

Actor 4.

minem appellabat, quem vt & morte violenta ſublatum deridebat. Cum vero miracula, quæ per Apoſtolos efficiebantur, & populi multitudinem indies maiorem ad fidei prædicationem confluentem videret, animo cruciabatur: cumque vna cum Libertinis, Cyrenenſibus atque Alexandrinis magnum illum Eccleſiæ oratorem Stephanum adortus eſſet, neque ſapientiæ & Spiritui, qui per Stephanum loquebatur, reſiſtere poſſet, inſania & furore multo correptus, inordinatos populi homines contra Stephanum concitauit. Quo interfecto, perſecutionem magnam commouit aduerſus Eccleſiam, quæ erat Hieroſolymis. *Actor 6. 7. 8. & 9.*

X. VERVM cum ita inordinate Damaſcum proficiſceretur ad vexandos atque affligendos fideles homines, Chriſtus Dominus illum deiecit, & in terram ſupinum proſtrauit: qui cum proſtratus eſſet, eum tandem cognouit, quem perſequebatur, & viſu corporeo excæcatus, mentis aciem ad cœli celſitatem omnino erexit. Cum vero Hieroſolymam reuerſus eſſet, dabat operam, vt Chriſti diſcipulis adhæreret: quem tamen omnes illi, multam eius ſæuitiam formidantes, fugiebant. At magnus Barnabas illi occurrens, ait: Quouſque tandem, Saule, pergis eſſe Saul? Quare ita petulanter beneficiorum authorem Ieſum perſequeris? Deſine horribile illud myſterium oppugnare, quod à Prophetis ipſis olim clara voce prænunciatum eſt, noſtris autem temporibus pro noſtra ſalute patefactum fuit. Hæc cum audiſſet Saulus, ad pedes Barnabæ ſe deiecit, multiſque lachrymis & clamoribus: Ignoſce, inquit, mihi dux luminis, & veritatis magiſter Barnaba: expertus enim ſum, & re ipſa cognoui vera eſſe, quæ tu dixiſti. Quem enim ego maledictis perſequens, fabri filium appellabam, illum nunc confiteor Dei viui filium vnigenitum, eiuſdem eſſentiæ, gloriæ & ſolii participem, coæternum, & principium coæuum: qui cum ſit ſplendor gloriæ, & character ſubſtantiæ inuiſibilis Dei, in nouiſſimis his diebus propter nos & noſtram ſalutem ſeipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, hoc eſt, perfectum hominem ex ſancta Virgine & Deiparente Maria ſe fecit, non confuſionem, non conuerſionem, nec diuiſionem, aut ſeparationem paſſus: & figura inuentus vt homo, humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis: qui & reſurrexit à mortuis tertia die, & apparuit vobis Apoſtolis ſuis, & aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet ad dexteram Patris, & rurſus veniet cum gloria iudicare viuos & mortuos, & regni eius non erit finis. Pauli conuerſio. Confeſſio fidei S. Pauli. *Hebr 1* *Philip 2.*

XI. HÆc cum audiuiſſet diuinus Barnabas à blaſphemo & perſecutore illo dicta, obſtupuit, & præ gaudio eius vultus lachrymis, vt matutino rore flos aliquis, perfuſus eſt: cumq; illum amplexus & oſculatus fuiſſet: Ecquiſnam, inquit, Saule, te docuit talia diuinitus inſpirata verba pronunciare? Ecquis tibi perſuaſit, vt Ieſum Nazarenum Dei filium confitereris? Vndenam cœleſtium dogmatum tam perfectam ſcientiam didiciſti? Tum ille, demiſſo vultu, & lachrymas fundens, ac corde valde compunctus, reſpondit: Ille ipſe Dominus Ieſus, quem ego peccator maledictis laceſſiui, & perſecutus ſum, hæc omnia me docuit. Nam tanquam abortiuo & mihi apparuit, cuius diuina & iucunda voce aures ipſas adhuc perſonantes habeo: ſua enim benignitate ſingulari & omnium maxima proſecutus me fuit, quippe qui mihi proſtrato, & miſerabiliter iacenti, ſeipſum defendens potius, quam mihi ſuccenſens: Saule, inquit, Saule cur me perſequeris? Ego vero horrens & metuens, reſpondi: Quis es, Domine? Tum ille multa manſuetudine & miſeratione me proſequens: Ego, inquit, ſum Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris. Ob id ego ſingularem eius patientiam obſtupeſcens, ipſumque orans, dixi: Quidnam ego faciam, Domine? Tuncille ſtatim omnia hæc, quæ dixi, & his plura me inſtruxit. *Actor 9.*

XII. HIs auditis magnus Barnabas Saulum manu apprehenſum duxit ad Apoſtolos, eiſque dixit: Quare paſtorem fugitis, lupum exiſtimantes? Quare gubernatorem, vt piratam, propulſatis? Cur bellatorem optimum, vt proditorem, execramini? Cur Chriſti ſponſam deducentem, vt thalami direptorem, reiiciris? (Spiritalis[a] enim eſt thalamus, Eccleſia Dei) Hunc pro paſtore, gubernatore & propugnatore Dominus ſibi delegit. Tunc narrauit eis Paulus, quæcunque ipſi acciderant in via, quodque vidiſſet Chriſtum Dominum, & loquentem ſecum audiuiſſet, ac quemadmodum in vrbe Damaſco Chriſti nomen libera oratione prædicaſſet. Itaque vna cum illis in vrbe Hieroſolyma Chriſti prædicationem exercebat. Erat autem Iudæis ipſis valde moleſtus atque inuiſus, quod qui heri & nudiuſtertius Ieſum perſecutus fuerat, ille ipſe mutato conſilio, tunc eundem illum Iesum Dei filium eſſe prædicaret. Conſilium itaq; inierunt Iudæi de Paulo interficiendo. Quod cum didiciſſent Apoſtoli, eum miſerunt, vt in ſua patria Euangelium prædicaret. Barnabas ducit Paulum ad Apoſtolos. [a] Eccleſia, thalamus Dei. *Ibidem.*

XIII. CVM vero de his, qui propter Stephani cædem atque anguſtias diſperſi, Antiochiam venerant, & Chriſti Euangelium prædicauerant, auditum fuiſſet ab iis, qui erant Hieroſolymis, Apoſtoli beatum Barnabam, magnum & potentem virum, ad ſanctiſſimum Eccleſiæ, quæ illic erat, & Chriſti gregem paſcendum miſerunt. Qui cum illuc veniſſet, multo adiumento fuit hominibus Chriſti fidem ſequentibus: eius enim diuina prædicatione ac doctrina factum eſt, vt multa populi acceſſio ad Chriſtum fieret. Cum vero diuino Spiritu ductus Barnabas, ab vrbe Antiochia egreſſus eſſet, vrbes omnes ac regiones peragrauit, Chriſti Euangelium longe lateq; diffundens, neque prius deſtitit, quam ad vrbem Romam omnium maximam venerit. Ex vniuerſis enim diſcipulis Chriſti primus Euangelium in vrbe Roma prædicauit. Cumq; multi ad Chriſti fidem veniſſent, & Barnabam ipſum ſummo honorarent, humana gloria reiecta, clam fugiens, Roma exiit. Etenim beatus ille vir ita omnes homines, qui erant temporibus illis, animi ſubmiſſione ac modeſtia ſuperabat, vt ad huius virtutis culmen peruenire. Id quod declarat eius hiſtoria. Cum enim diuinæ literæ vbique virum hunc cum primis nominent ac laudent, ipſe primas aliis concedens, ſecundas partes amplexus eſt, diligenter imitatus Dominum ſuum, qui dixit: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. *Actor 10.* Barnabam primum Romæ Chriſtum prædicaſſe inſulſum cõmentum dicit Baron. anno 51 §. 53. ſcribit.

vbi porro §. 54. dicit, ſi vnquam Romam venerit, id ad Neronis tempora reiiciendum eſſe, Mediolanenſem tamen Eccleſiam eum erexiſſe

XIV. POSTEA cum idem Barnabas ad Ægypti vrbem Alexandriam veniſſet, & Dei ſermonem ibi prædicaſſet, illinc exiit, peragrans deinceps vrbes omnes, quoad venit Hieroſolymam. Vnde etiam egreſſus, reuerſus eſt Antiochiam. In qua cum Dei gratia Eccleſiam copioſiorem factam vidiſſet, valde gauiſus eſt. Inde autem diſcedens, Tarſum venit, Paulum quærens: quem inuentum, Antiochiam perduxit. Ibi cum totum annum tranſegiſſent, & multum populum ad Chriſti diſciplinam tranſtuliſſent, cumque ibi primum Chriſti diſcipulos Chriſtianos vocaſſent, atque illinc acceptiſſent ab Eccleſia, quæ pauperibus diſtribuerent, aſcenderunt rurſus Hieroſolymam quartodecimo anno poſtquam Dominus IESVS Crucem pertulit, quemadmodum ſcribit Paulus, cum dicit: Quatuordecim annis poſtea Hieroſolymam aſcendi cum Barnaba. Cum vero miniſterium compleuiſſent, & fidem ac dexteram ab Apoſtolis datam accepiſſent, vt ipſi ad gentes profecti, ii vero, qui cum Petro erant, circumciſis prædicarent, deſcenderunt Antiochiam, habentes Marcum miniſtrum. Miſſi autem à Spiritu ſancto ex vrbe Antiochia, venerunt in Cyprum, & totam inſulam peragrarunt, Salamina Paphum vſque Euangelium prædicantes, & miracula facientes: quo tempore Elymam excæcarunt, & Proconſulem Sergium Paulum fide illuminarunt. Venit Alexandriam. *Actor 11.* *Galat 2.* *Actor 13.*

XV. POSTEA vero quam multos ad Chriſti diſciplinam conuerterunt, è Cypro diſcedentes, venerunt Pamphyliam. Cum vero Marcus ipſe Apoſtolos vidiſſet pro Euangelii prædicatione pericula ſubeuntes, neque honori ſtudentes, ſed breuem & caducam hanc gloriam derelinquentes, ad bellum contra infideles homines ſuſcipiendum properare, ipſe ad pericula ſubeunda claudicare cœpit, quippe qui adoleſcens erat formidoloſus, & infirmior, quam vt mortem contemnere poſſet. Derelictis igitur Apoſtolis, reuerſus eſt Hieroſolymam ad matrem ſuam. Cum vero Apoſtoli Barnabas & Paulus opus compleuiſſent, ad quod miſſi fuerant, & infinita pro Chriſti certamina ſuſtinuiſſent, venerunt Antiochiam, vnde à diuina gratia miſſi ſunt ad Gentes. Neceſſe autem fuit rurſus proficiſci Hieroſolymam ad Petrum Apoſtolum propter falſos illos Apoſtolos, qui docebant diſcipulos, vt ſe circuncliderent, & legem ſeruarent. Cum autem *Ibid.* *Actor 14.* *Actor 15.*

Marcus illos ab omnibus honoratos videret, quodque post multa illa verbera & pericula robustiores facti essent, & integris corporibus præditi: propriam imbecillitatem accusans, doluit quod factum à se fuerat, & ad Paulum quidem ipsum erubuit se conferre, Barnabam vero adiit lachrymans: cumque ad eius pedes se abiecisset, eum rogabat, vt superioris errativeniam impetraret, & eius precibus firmior fieret in posterum, futurum promittens, vt omnia mortis genera pro Domini nostri Iesu Christi nomine, prompto animo sufferret. Multis his lachrymis magnus ille virtutibus ornatus Barnabas flectitur, eumque hortatus, vt à luctu desisteret: Fiat, inquit, quod Deus vult, modo tu paratus sis præstare quod promiseris.

CVM vero scripta accepissent, quæ ab Apostolis in vrbe Hierosolyma decreta fuerant, descenderunt Antiochiam, XVI.
Actor. 15. & vna cum fratribus exultabant. Marcus autem ipsos animo parum fidenti secutus est. Post hæc visum est Barnabæ & Paulo peragrare vrbes omnes, & fratres visere. Tunc Barnabas Paulum rogabat, vt Marcum secum vna venire pateretur, quippe qui paratus esset vsque ad mortem pro Christi fide certamen sustinere. Paulus vero contra rogabat Barnabam, vt secum vna Marcum non haberent. Hinc occasio quædam nata est, vt Apostoli à se vicissim separarentur, diuina prouidentia id vtiliter permittente. Deus enim ipse Marcum populorum & gentium multarum pastorem ac magistrum creaturus erat.

Paulus & Barnabas à se separantur propter Marcum.

SED nemo imprudenter proprio affectu metiatur, quod est in sacra de Apostolorum actis historia, quo loco XVII.
Ibidem. de Paulo & Barnaba narratur illud: Facta est dissensio ita vt discederent abinuicem. Non enim ad hoc iracundiæ aut furoris affectu impulsi sunt Christi Apostoli: (minime hoc nos cogitemus) nam qui carnem cum affectibus & cupiditatibus crucifixerunt, qui voce magna sic omnes Christo credentes admonebant: Omnis amaritudo, & ira, & indignatio,
Ephes. 4. & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia: quî fieri potest, vt illi ipsi in huiusmodi affectum inciderint? Scimus autem, & ex diuinis literis dissensionum diuersitatem cognouimus, & vocem hanc παροξυσμὸς in bonam
Hebr. 10. partem accipi solitam, vt cum ait Apostolus: Consideremus nosmetipsos in prouocatione charitatis, & bonorum operum. Talis fuit & Apostolis dissidendi ratio, hoc est, Dei zelus. Paulus enim accuratam censuram requirebat, Apostoli-
Actor. 15. cæ professioni conuenientem: Barnabas vero ad humanitatem propensior erat: quamobrem & Marcum secum habens, in Cyprum nauigauit.

CVMQVE eam insulam totam peragrasset, populos multos ad Christi fidem conuertit, & Salaminam venit, vbi XIIX.
Multos in Cypro conuertit Barnabas. paulisper moratus est, edens miracula, & prædicans regnum Dei: quo loco turbæ multæ ad Christi fidem accesserunt. Disputabat autem cum Iudæis in Synagoga omnibus sabbatis, diuinarum literarum testimoniis Iesum Christum illum esse probans, quem Deus promiserat. Omnes autem Barnabam reuerebantur propter diuinam quandam honestatem, quę in illius adspectu vigebat. Erat enim oris specie valde grauis, habitu ac veste admodum tenui, cuiusmodi illorum est, qui delicias abiicientes, in virtutis exercitatione versantur. Erat superciliis contractis, & oculis hilaritatem præ se ferentibus, non toruum aliquid, sed graue quiddam in se habentibus, & reuerenter admodum deorsum spectantibus. Oris honestas & labra decora, mellis suauitatem distillantia, in eodem illo inerant. Non enim aliquid vnquam pronunciabat, quod foret superuacaneum. Eius incessus compositus, & ab ostentatione alienus, totus denique omni ex parte Apostolus Barnabas erat tanquam recta quædam Dei columna, omnium virtutum splendore illustris.

Forma S. Barnabæ.

HIC cum in vrbe Salamina Christi prædicationem doceret, venerunt è Syria Iudæi quidam, qui maledicta in eum XIX.
Iudæi turbam in eum concitant. coniicientes, quæque ab illo dicebantur oppugnantes, turbam contra ipsum excitauerunt, criminantes nihil veri ab eo dici: sed quem ipse Iesum Christum fuisse diceret, eum fallacem quendam hominem, & Deo ipsi contrarium fuisse, legem, prophetas & sabbati obseruantiam reprobantem. Iidem & Barnabæ interficiendi opportunitatem obseruabant. Sanctus vero Christi Apostolus Barnabas, cum omnes fratres congregasset: Vos, inquit, scitis quomodo vna vobiscum omni tempore versatus fuerim, vnumquemque admonens & hortans, vt in gratia & Domini nostri Iesu Christi fide
2. *Cor.* 5. constanter permaneatis, & eius præcepta obseruetis, & ab omni prauo opere mentem & manus cohibeatis. Namque oportet omnes nos sisti ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis sui, quæ fecerit, siue bona, siue ma-
Luc. 12. la: præterit enim figura mundi huius, & Dominus venturus est de cœlo iudicare viuos & mortuos. Nolite igitur negligentes esse, scientes, quod qua hora non putatis, Dominus noster veniet. Ærumnas & labores libenter perferatis, corda vestra spe confirmantes, quod aduentus Domini prope sit. Recordemini quæ vobis sæpe dixi, præsentis vitæ res, siue prosperæ, siue aduersæ sint, breues & caducas esse, omniaque hæc celeriter præterire: futuri vero illius sæculi bona semper in eodem statu permanere, æterna & finem nullum habentia. Neque enim regnum cœlorum aliquando præterire poterit: neque iudicium illud finem habebit, sed semper erit, his, qui peccando vitam transegerunt, immortalem pœnam afferens, & finem nullum habituram. Date igitur operam, vt sine culpa & labe in die illo extremo inueniamini, ne
Prædicit obitū suum. in gehennam sempiternam decidatis. Memoria repetite, quot signa & prodigia per me seruum suum Deus ipse apud vos effecerit, & pro me Deum orate. Ego enim iamiam immolandus sum, & tempus illud prope est, quo ab hoc corpore dissoluendus sum, sicut Dominus noster Iesus Christus mihi significauit. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: nunc reposita mihi est corona iustitiæ, non solum autem mihi, sed & omnibus, qui propter Christi confessionem certamen sustinuerint.

HÆC cum dixisset, vna cum omnibus Deum orauit: multusque fletus hominum fuit, eo quod Apostolus ille di- XX.
Missam celebrat. xerat, tempus prope esse, quo à corpore dissoluendus foret. Barnabas vero cum panem & calicem sumpsisset, & diuini ministerii ordinem totum compleuisset, vna cum fratribus particeps factus est Eucharistiæ mysteriorum. Quo facto Marcum secum habens secessit, & ipsi seorsum dixit: Hodie infidelium Iudæorum manibus me consummari oportet: tu vero extra ciuitatem Occidentem versus egredere, & corpus meum inuenies: quod cum sepelieris, exi è Cypro, & ad Paulum proficiscere, & esto cum illo, quoad Dominus res tuas disposuerit: futurum enim est, vt nomen meum per totum orbem terrarum diuulgetur.

POST hæc ingressus est Barnabas in Synagogam, & Iudæos ipsos docebat, illis persuadere studens, Dominum XXI.
A Iudæis in Cypro interficitur. Iesum esse Christum viuentis Dei filium. Illi vero Iudæi, qui è Syria illuc venerant, furore perciti, è Synagoga surrexerunt, & manibus in eum coniectis, in obscuram quandam Synagogæ illius cellam vsque ad multam noctem custodierunt. Cumque illum eduxissent, & multis cruciatibus affecissent, postremo nefarii homines eundem lapidauerunt, & accenso rogo quodam magno, beatum Barnabæ corpus in eum coniecerunt, vt nullæ ipsius reliquiæ superessent. Diuina vero prouidentia factum est, vt Apostoli corpus integrum permaneret, neque ab igne ipso læderetur. Marcus igitur, vt Barnabas præceperat, extra vrbem egressus Occidentem versus cum quibusdam fratribus, reliquias sancti Barnabæ clam abstulit, & in spelunca quadam, stadiis fere quinque ab vrbe distante, sepeliuit. Mox in vrbem reuersi, planctu & lachrymis eum prosecuti sunt.

ILLO autem tempore contra Salaminæ vrbis Ecclesiam persecutio magna commota est, omnesque alii alio dis- XXII.
persi sunt. Itaque sancti Apostoli Barnabæ sepulchrum deinde ignotum erat. Proinde Marcus cum è Cypro nauigasset, ad Paulum venit, qui erat Ephesi, eumque de Barnabæ martyrio certiorem fecit. Id cum ille audiuisset, lachrymauit, &
Errat hic Alexander, Marcum secum tenuit. Postea vero cum Petrus Apostolus diuina reuelatione iussus esset Romam proficisci, secum duxit & Marcum, quem quodammodo sibi filium genuerat. Illi cum essent in vrbe Roma, Euangelium Marcus conscripsit:

quod

quod Petrus Apostolus legit,& diuino Spiritu scriptum cognouit, atq; approbauit. Itaque Marcum ipsum per manuum impositionem ordinauit,& vt maxime idoneum in vrbem Ægypti Alexandriam, Lybiam & Pentapolim misit. Quo cum Marcus venisset, Domini Iesu Christi Euangelium illis regionibus prædicauit, ita vt multi ad Christi fidem conuersi fuerint. Cum vero nouem annos Dei fidem Marcus in ea regione docuisset, martyrio in vrbe Alexandria functus est.

dum Marcum Euangelistam eundem facit, cum Ioanne cognomento Marco, consobrino Barnabæ. Vide Baron. anno 45. § 45.

XXIII. MVLTO autem tempore postea, cum Christiana fides latius fusa esset,& Imperatores Christiani Romanorum imperio potirentur, miracula quædam magna Deus ipse in eo loco edebat, vbi reliquiæ sancti Apostoli & generosi martyris Barnabæ repositæ fuerant. Nam cum multi homines impuros spiritus habentes, per locum illum transirent, spiritus ipsi voce magna clamantes egrediebantur. Multi etiam paralytici, & claudi, variisque morbis & cruciatibus vexati, ad eum locum profecti pernoctabant: qui omnes curabantur: ob idque Salamina ciuitas gaudio magno perfundebatur. Quod vero diuina quædam potentia in eo loco miracula efficeret, id quidem omnes cognoscebant: quænam tamen esset causa gratiæ illius tam copiosæ, id nequaquam intelligere poterant. Regionem autem illam sanitatis locum indigenæ appellabant. Miracula ad sepulchrum S. Barnabæ.

XXIV. CVM vero beatus Martianus obiisset, sanctæ memoriæ Leo Imperio successit. Huic erat gener Zeno Isaurus genere, qui post Leonem & ipse Imperator fuit. Tempore autem illo in religioso Acœmetensium monasterio extitit monachus quidam, qui, vt Iudas inter Apostolos, diaboli mores imitabatur. Illi nomen erat Petrus, qui fullonis artem exercebat, sanctam vero Synodum in vrbe Chalcedone celebratam auersabatur, & dogmatis Eutychiani erat propugnator. Eiusmodi hominem, vt corruptorem & pestilentem, atque Apostolicorum dogmatum hostem acerrimum, eius loci homines è monasterio expulerunt. Qui cum illinc expulsus fuisset, Constantinopolim profectus est, & assentatorum vitam imitatus, modo hanc, modo illam domum obibat, ventri & gulæ seruiens: cumque execrabilis suæ hæresis participes homines quosdam honore præditos inuenisset, illis adhærere cœpit, per quos etiam in eius notitiam venit, qui erat gener Imperatoris, patritius & excubitorum Comes: sic enim appellabatur, qui excubiis præsidebat. Itaque Petrus ille cum religionis specie quadam se induisset, erat quidem assidue cum Zenone Imperatoris genero, non audebat tamen propriam impietatem aperire. Eundem autem Zenonem ad Orientis partes proficiscentem secutus est fullo ille vsque ad vrbem Antiochiam: vbi cum multos Apollinaris sectatores inuenisset, vna cum illis contra Patriarcham temeritatem exercuit, aduersus eum seditiosissimum quemque hominem concitans, & Chalcedonensem synodum conuicians, ac Patriarcham ipsum Nestorianum appellans. Petrus Fullo improbus monachus. Comes excubitorum.

XXV. CVM igitur Antiochena ciuitas multa seditione & tumultu perturbaretur, Petrus ille Comitem Zenonem dolo aggressus: Nisi, inquit, huius ciuitatis Episcopus permutetur, fieri non potest, vt populus quiete viuat. Quinetiam multam auri vim ei proposuit, si ab eo impetraret, quod petebat: patefecit enim illi consilium suum, quod antea occultauerat. Tunc infames quosdam & improbos homines, qui eadem, quæ ipse, sentiebant, persuasionibus suis secum duxit, & grauissima quædam scelera contra Patriarcham falso conficta, ad Imperatorem detulit. Sed eius malitia nihil profecit, cum Imperator Apostolicorum dogmatum esset propugnator. Postea vero, quem Leo ipse terrestre Imperium dereliquit,& ad immortale illud regnum translatus est, Imperio successit Zeno. Antiocheni vero, quos supra diximus, Imperatori supplicationem obtulerunt, petentes fullonem illum Petrum sibi Episcopum creari. Id quod factum est, auro ipso omnibus, qui erant in aula regia, persuadente, vt Petri fullonis patrocinium susciperent. Statim igitur vt Petrus ille ordinatus est Episcopus, sanctam Chalcedonensem synodum anathemate fuit detestatus. Cumque Apollinaris sectatoribus placere studeret, qui Theopassiani appellabantur, eo quod Deum ipsum passum fuisse dicebant, nouitatem quandam pessimam excogitauit vt hymno illi, qui Trisagion appellatur, hoc etiam in fine adderet: Qui crucifixus est propter nos. Hæc cum sancti Episcopi & patres nostri audiuissent, ad prauam illius opinionem refrenandam alacri & prompto animo aggressi sunt: & primum quidem literis eum ab impietatis voragine reuocare conati sunt. Sed cum eundem repugnantem maiore audacia & temeritate contra fidem orthodoxam efferri vidissent, omnes, qui sunt in orbe terrarum, Episcopi, sententia pronunciata, sub anathemate illum expulerunt. Nota fraudem hæreticis familiarem. Petrus Fullo fit patriarcha Antiochenus, Theopassiani. Ea sede pellitur.

XXVI. IN hac orationis parte libenter eos, qui ex nostris hominibus non vitio, sed quadam mentis leuitate, nouitatem hanc temere amplexati sunt, his verbis compellarem: Quænã causa vos, fratres, adduxit, vt recte sentientem patrum nostrorum doctrinam relinquereris, & nouitatem ab hæreticis nuper excogitatam sequeremini? Animaduertendum vobis erat, quemadmodum sancti Patres nostri non fictas fabulas secuti, nobis hunc hymnum canendum tradiderunt, sed diuina quadam reuelatione docti, quæ non vni aut alteri, neque in aliquo terræ angulo, sed meridie ipso in luce clarissima vniuerso Constantinopolitanæ vrbis populo Christi amantissimo facta est, quo tempore beatissimus pater Episcopus & magister cum primis probatus Proclus Constantinopolitanæ sedi præsidebat. Quicquid autem diuina gratia suggerente diuinitus nobis reuelatum est, illud nulla ex parte mancum, sed omnino perfectum est, & ad salutem idoneum, non indigens humanarum argumentationum inuentis, neque additamento, vel subtractione aliqua, vt diuinæ literæ docent, cum dicunt: Verbum, quod ego præcipio tibi hodie, vide vt illud valde obserues, neque quicquam addas, neque ab eo aliquid imminuas, cum re vera diuinis eloquiis aliquid addere, vel detrahere, periculosum sit, & perniciem iis, qui hæc faciunt, magnam afferat: non enim ii sumus, qui Christum corrigere possimus, sed qui Christo subiici & obedire debeamus. Hæc, & multa alia licet de hac re dicere nostris hominibus ita sentientibus, quos doceri cupimus, extremæ insciitiæ esse, hæretici hominis nouitatem admittere. Desinant igitur cum hæretico homine deinceps sentire. Semper hæretici nouitates excogitant, quibus simplices fallunt. *Deut.* 12.

XXVII. ITAQVE cum Petrus ille ab omnibus Episcopis sub Anathemate (vt diximus) damnatus esset, & Zeno propter inuasionem Basilisci ab Imperio aufugisset, ipse quoque fugiens ad ignota quædam loca se contulit. Postea vero quam Zeno ad Imperium reuersus est, Petrum fullonem requisiuit, & Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum restituit, cum nondum anathemate liberatus esset: beatum vero Calendionem Patriarcham in Oaxim exulem relegauit, fullone illo Antiochenæ sedis Episcopatum vi capiente. Qui vt impius, & nullam spem reliquam habens, tyrannidem ipsam impune, vel scelerate potius exercebat, interficiens, proscribẽs, & omnes eos fugans, qui nolebant cum eius impietate communicare. Sed hæc quidem missa faciam, cum multa sint, & propriam historiam requirant. Conferet autem se oratio nostra ad id, quod magis vrget, vt sancti Apostoli Barnabæ gratiam omnibus notam faciamus, & quanta patriam suam cura & benignitate prosequatur, declaremus. Zeno Imperat. restituit Petrũ.

XXIIX. CVM nondum contentus esset Petrus fullo innumerabilibus illis malis, quibus Orientis partes affecit, in prouincias etiam illas, quæ nihil ad eum pertinebant, manus iniecit. Cum enim Imperatoris, & eorum, qui erant apud Imperatorem gratiosi, lenitatem auro sibi comparasset, ipsius etiam Dei legem deinceps contempsit, & Cyprios homines Dei & fidei amatores, ac recta sentientes, omnibus modis vexare cogitauit, quoniam eius insulæ habitatores pietatem à patribus suis traditam seruantes, recusabant cum eius impietate communicare. Itaque Cypri sedem sanctissimam, & à principio inde vsque ab Apostolorum tempore liberam, ipse arripere & sibi subiicere aggressus est, idque ad Imperatorem retulit, falsum deferens ac dicens: Quoniam verbum Dei ab vrbe Antiochia ad Cyprum insulam manauit, ob id Cypri Ecclesiam sub Antiochenæ sedis Patriarcha esse oportet, quandoquidem Apostolica & Patriarchica sedes est. Petrus Fullo semper atrociora molitur.

Contemnit decreta Synodi Ephesinæ.

Hæc ille rectæ fidei & sententiæ desertor contendebat, cum tamen non ignoraret ea, quæ in vrbe Epheso sancta XXIX. illa Synodus, Cyrillo præsidente, definierat, à se violari atque corrumpi. Sed pietatis præco, & sanctissimus Apostolus Barnabas patriæ suæ opportuno tempore subueniens, illius Petri stultitiam vel malitiam potius redarguit. Cum enim Episcopus Salaminæ iussus fuisset ad regiam vrbem se conferre, & aduersus Antiochenos coram Patriarcha causam dicere, præ timore torpescebat, fullonis illius insidias suspectas habens. Erat tunc Salaminæ vrbis Episcopus Anthemius, vir cum primis admirabilis, quod ad rectam fidem & vitę innocentiam pertineret, sed ad disputationem cum aduersariis

S. Barnabas apparet Anthemio Episcopo.

sustinendam, parum valebat. Cum igitur ancipiti cogitatione fluctuaret, neque certum haberet, quid ageret, num videlicet Constantinopolim proficisci deberet, necne: nocte in somnis adstitit illi quidam, diuinam quandam speciem præ se ferens, & luminis splendore multo effulgens, lucidaque veste indutus, ac sacro habitu decorus, qui & hæc dixit: Cur ita tristis es nunc, Episcope? Quomodo tantus iste torpor te corripuit? Cur vultus tuus ita concidit? Nihil mali ab aduersariis tuis patieris. Hæc cum dixisset, ab Anthemio discessit: qui experrectus, & timore perterritus Episcopus, in faciem se prostrauit, & multis lachrymis Deum ita precatus est: Domine Iesu Christe, fili Dei viui, adiuua ecclesiam hanc. Scio autem, quod illam adiuuas. Si visio hæc à te profecta est, fac, quæso, vt eadem iterum, ac tertio mihi ostendatur, vt te mecum esse certo scire possim.

Iterum ei apparet.

Itemque tertio.

INTEREA Episcopus ille diuinis precibus attentius vacabat, ab omnium hominum congressione remotus. Nocte XXX. autem, quæ deinceps consecuta est, cum adstitisset idem ille vir eadem forma & habitu, quo antea visus fuerat: Iam, inquit, tibi dixi, nihil mali te passurum ex iis, quæ tibi aduersarii minantur. Nihil igitur suspicans, prompto animo ad vrbem Constantinopolim venias. Hæc cum dixisset, discessit. Episcopus vero rursus Domino gratias egit, neque quicquam alicui dixit, sed expectabat tamen reuelationem tertiam. Nocte igitur consequente idem vir apparuit, qui grauius eum increpans: Quousque, inquit, non vis credere verbis meis, quæ diebus his complenda sunt? Proficiscere in vrbem regiam prompto & alacri animo: illic enim cum gloria reuerteris, neq; quicquam mali ab aduersariis passus fueris, cum Deum ipsum propter me seruum suum tui pugnatorem habeas. Tunc Episcopus: Quæso, inquit, Domine mi, dic: Quis es tu? qui hæc mecum loqueris? Tum ille ait: Ego sum Barnabas, discipulus Domini nostri Iesu Christi, segregatus à Spiritu sancto, vt vna cum Paulo Apostolo electionis vase munus Apostolicum inter gentes exercerem. Huius rei signum hoc habeas: Egredere extra vrbem Occidentem versus stadiis quinque, in eam regionem, quæ Saniratis locus appellatur, (Per me enim Deus ipse in loco illo miracula efficit) & sub arbore Siliqua effodias: speluncam enim atq; arcam inuenies, quoniam illic totum corpus meum conditum est, & Euangelium manu propria scriptum, quod à sancto Apostolo & Euangelista Matthæo excepi. Quoniam vero aduersarii tui sursum & deorsum miscentes omnia, & iura quædam obiicientes, tecum disceptant, Antiochiæ sedem Apostolicam esse contendentes, & tu contra ius tuum illis opponas: Et mea, inquiens, sedes Apostolica est: nam & Apostolum habeo in patria mea. His dictis, Barnabas discessit.

Nota crucē antelatam.

S. Barnabæ reliquiæ reperiuntur circa ann. 485.

EPISCOPVS vero experrectus, Deum adorauit, totoque clero & populo Christi amantissimo congregato, exiit in XXXI. eum locum, quem per reuelationem didicerat, multo apparatu, & cruce ipsa prælata. Cumque preces ad Deum misisset, iussit locum effodi: quem postquam paulùm fodissent, inuenerunt speluncam lapidibus obstructam. Illis autem sublatis, apparuit arca illa: qua detecta, inuenerunt venerandas sancti & venerabilis Apostoli Barnabæ reliquias, suauem gratiæ spiritualis odorem spirantes, inuenerunt etiam Euangelium supra Barnabæ pectus impositum. Illam vero arcam plumbeo sigillo munierunt. Cumque Deum precati essent & adorassent, discesserunt, viris religiosis in loco illo ab ipso Episcopo constitutis, qui vespertinis & matutinis hymnis Deum collaudarent. Ille igitur insigniores Episcopos secum habens, venit in vrbem regiam Constantinopolim, & ad Patriarchæ domum deductus est. De cuius aduentu cum Imperator audiuisset, Patriarchæ ipsi mandauit, vt cum Synodo, quæ illuc conuenerat, omnium partium controuersiam audiret, & quod illi videretur decerneret. Coacto igitur Concilio, cum causa illa tractaretur, aduersarii afferebant sua iura, vt sibi videbantur, quod Antiochena sedes Apostolica & Patriarchica sedes esset: ob idque contendebant & alias prouincias sibi subiectas esse debere.

Anthemius Episcopus Petrum Fullonem confutat.

HÆC cum assererent, iis, qui præsentes erant, rationi consentanea dicere videbantur. Beatus vero Anthemius paulùm moratus, contra obiiciens: Et mea, inquit, sedes Apostolica fuit inde vsque à principio & libertate honorata, qui & Apostolum habeo in patria mea integro corpore constantem, beatissimum, inquam, illum Barnabam, sanctarum laudum præconiis celeberrimum. Hoc cum Anthemius opposuisset, nihil loci aduersariis relictum est, cum Episcopi, qui præsentes erant, silentio Anthemii orationem confirmassent. Aduersarii vero ipsi rubore perfusi, muti remanserunt, responso illo tam iusto perculsi. Hæc cum Imperator audiuisset, Episcopum Cypri ad se accersiri iussit, & de reuelatione sancti Apostoli Barnabæ diligenter ab eo quæsiuit. Ille nihil ex his, quæ vera cognouerat, occultauit, sed ordine rem omnem Imperatori narrauit. Ille hæc audiens, valde gauisus est, diuinæ gratiæ diuitias admirans, quod Imperii sui temporibus tantum miraculum à Deo factum cognosceret.

XXXII.

Euangeliũ S Matthæi Barnabæ manu descriptum.

TVNC Antiochenæ vrbis Episcopum illinc expulit, & iussit, vt in posterum Cypri Episcopo, quod ad eam causam XXXIII. pertinebat, nihil omnino molestus esset. Beatum vero Anthemium Episcopum ita rogauit: Quoniam sancti Pontificatus tui temporibus Domino nostro Iesu Christo placuit, sanctum suum Apostolum Barnabam reuelare, iube, quæso, celeriter Euangelium illud, quod inuentum est, nobis afferri. Id si feceris, mihi filio tuo gratissimum erit: habebis enim & meipsum posthac tibi, pater, in omnibus obtemperantem. Assensus est eius petitioni Episcopus, & quendam ex iis, quos secum habebat, vna cum fidelissimo Imperatoris ministro Episcopum misit: qui Euangelium illud in vrbem Constantinopolim attulerunt. Erant autem libri tabellæ thyinis lignis compositæ. Euangelium illud Imperator in manus sumpsit, & deosculatus est, auroque multo exornatum in palatio suo reposuit, vbi ad hodiernum vsque diem seruatur, & in magna quinta Paschæ feria quotannis in palatii oratorio Euangelium ex eo libro recitatur. Episcopum vero Anthemium magnis honoribus prosecutus, pecuniis multis donatum, ad insulam Cyprum remisit, eique mandauit, vt sancto Apostolo Barnabæ templum in eo loco erigeret, vbi venerandæ ipsius reliquiæ inuentæ fuerant. Multi autem ex optimatium numero pro illius templi ædificatione pecuniam contulerunt.

Templum S. Barnabæ.

ILLE igitur in Cyprum reuersus, multos artifices atque operarios collegit, & ædificationi non mediocrem operam XXXIV. dedit, & Apostolo Barnabæ templum valde magnum tum ædificio, tum multo & vario ornatu insigne construxit. Ad eam vero templi partem, quæ ad Lybiam spectat, aulam quandam composuit, quatuor porticus habentem, & cellas hinc atque illinc è regione sibi oppositas in aula construxit, vt qui diuina officia in templo illo Monachi celebrarent, in illis cellis habitare possent. Quinetiam è longinqua regione aquæductum deriuari fecit, & in medio atrio conchamquandam pulcherrimam construxit, in quam aqua illa deflueret, vt tam qui eo in loco habitabant, quam qui peregre venissent, abunde aquis illis frui possent. Multa etiam alia hospitia illic ædificauit, in quibus peregrini & hospites recreari possent. ita vt qui locum illum vidisset, paruæ alicuius & iucundæ vrbis figuram videre sibi visus esset. Dein arcam illam, in qua Barnabæ Apostoli reliquiæ conditæ erant, in dextera sacræ aræ parte collocauit, qui locus multo argento & marmoreis columnis ornatus erat. Diem vero festum, quo beati Apostoli & generosi martyris Barnabæ memoria celebratur, Patres agi per singulos annos constituerunt, tertio Idus Iunii, vt Romani numerant: vt vero Cyprii Constantienses, die vndecimo eius mensis, qui ab illis dicitur Mesores, & decimus numeratur: vt autem Asiani homines, vel Paphii numerant,

Dies festus sancti Barnabæ Apostoli.

merant, decimonono menſis, qui Phthipatus dicitur, & nonus numeratur. Hoc igitur anni tempore in eum locum, quem ſupra diximus, gentiles plurimæ conueniunt, & diuina officia concelebrant in gloriam Patris, Filii, & Spiritus ſancti, cui debetur gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

XXXV RELIQVIARVM ſancti Apoſtoli Barnabæ reuelatio ita ſe habuit, vt diximus. Quæ vero miracula quotidie à ſanctiſſimo ipſius ſepulchro abunde proficiſcuntur, ea ſi quis conſcribere velit, ne multis quidem voluminibus (vt opinor) illa complecti poterit. Nos igitur ad eorum, quæ ſupra diximus, memoriam redeuntes, virum hunc pietatis cauſa omnibus certaminibus egregie functum, ob id q; cœleſti corona donatum, hymnis diuinis proſequamur, & eundem beatum prædicantes, laudum præconiis celebremus. Hic enim, tanquam oliua quædam fructifera, in domo Dei plantatus quotidie fructus ſuauem odorem ſpirantes Deo ipſi offert. Hic Imperatorum gloria, ſacerdotum iucunditas, populorum exultatio, eorum, qui anguſtiis premuntur, conſolatio, afflictorum profugium ac recreatio, deſperatorum ſpes atque adiutor, peregrinorum requies, ægrotantium medicina, ſanorum cuſtos, ſpiritualium gratiarum fons, Eccleſiæ murus, Orthodoxorum firmamentum, fidelium hominum propugnatio, totius orbis terrarum decus. Cæterum tot & tantæ ſunt, beatiſſime Apoſtole Ieſu Chriſti Barnaba, laudes tuæ, vt omnium hominum mentem atque orationem ſuperent. Nihilominus tamen noſtri ſermonis paupertatem exiguam illam quidem, ſed promptam certe, acceptam habens, pro nobis apud eum, quem dilexiſti, Chriſtum vnigenitum Dei filium & Verbum, intercedere non graueris, vt ille à præſenti & laborioſo hoc ſæculo nos eripiat, nobiſque concedat, vt remiſſionem peccatorum, clementiam & miſericordiam multam aſſequamur in illo die terribili, cum venerit iudicare viuos & mortuos.

Miracula innumera ad ſepulchrum eius.

Egregia illius epitheta.

Author inuocat S. Barnabam.

XXXVI TVVM vero ſucceſſorem, qui ſanctam Sedem tuam gubernat, firmam atque immobilem, cuius & tu propugnator fuiſti, fidem eodem ſenſu tuentem, Orthodoxæ veritatis legitimum & verum doctorem, Saluatoris noſtri imitatorem, paſtorem & patrem noſtrum, qui præſens eſt, & ſanctam tui memoriam illuſtrem repræſentat, Deum exora, vt multis annorũ circulis in ſanctiſſima tua ſede conſeruet valentem, & populum ipſius in pace & tranquillitate regentem, qui & veritatis doctrinam omni cum ſanctitate & iuſtitia dirigat. Te inſuper oramus, vt qua cura patriam tuam ſemper proſecutus es, eadem & nunc illam proſequaris, eamque tuis ſanctis apud Deum precibus cuſtodias, & à ſcandalis operantium iniquitatem eripias, vt in pace, modeſtia ac pietate vitam in hoc ſæculo ducamus, & miſericordiam Domini noſtri Ieſu Chriſti expectantes, ad æternam illam vitam peruenire poſſimus, cuius nos omnes participes fieri optamus gratia, miſericordia & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti: Cui gloria ſit, Patrique & ſancto Spiritui, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Vide quid præſtet nobis Sancti.

VITA B. PARISII BONONIENSIS, EX LIBRIS IACOBI DE VORAGINE SVMMATIM EXCERPTA A DOCTISS. VIRO CAROLO SIGONIO, iuſſu ampliſſimi Cardinalis Gabrielis Palæoti, Epiſcopi Bononienſis, qui eam miſit ad me.

AN. 1190.

I. BEATVS Pariſius Bononiæ in Italia natus eſt circa annum ſalutis milleſimum centeſimũ quinquageſimum. Is cum iam inde à primis annis magna ſingularis & inſolitæ cuiuſdam in illa ætate probitatis ac ſanctitatis argumenta dediſſet, poſtquam ſeſe corroborauit, eodem illo religionis ſtudio ſic exarſit, vt ſæculo relicto Camaldulenſibus aſcribi ſe cœnobiis voluerit. Ibi vero cum per annos aliquot ita vixiſſet, vt non dubiam omnibus ſummæ temperantiæ, eximiæ caſtitatis, omniſq; demum monaſticæ moderationis opinionem attuliſſet, viſus eſt cœnobii præfectis idoneus, qui ſacerdotis officio, quem Capellanum appellant, monachas S. Chriſtinæ Taruiſii gubernaret. Quam curam libenter ille obedientiæ Chriſtianæ cauſa ſuſcepit, ac munus illud plurimos annos maxima cum ſui laude adminiſtrauit, vita aſſidue in ieiuniis, vigiliis, diuinis precationibus, corporis afflictionibus, & manuum operibus ſine vlla omnino hominum obtrectatione, aut virginum ipſarum querela traducta.

IVNII 15. Pariſii patria.

Fit monachus Camaldulen. Præficitur monachabus.

II. QVIN etiam in eo officio iam effœtis corporis viribus, vt qui annos circiter centum ſexdecim ageret, expirauit, cum annus ſalutis ageretur milleſimus ducenteſimus ſexageſimus ſeptimus, tertio Idus Iunias. Cæterum cum & viuens & mortuus, aliquot miraculis editis, hominum in ſe oculos conuertiſſet, Albertus Epiſcopus Taruiſinus, homo grauiſſimus, faciendum ſibi eſſe putauit, vt vitam eius, certis adhibitis de more Eccleſiæ teſtibus, exploraret: atque conſtanti eorum teſtimonio cognitum eſt, ſuperiorem omnem longiſſimæ illius vitæ conſuetudinem morti ſanctiſſime obitæ, & multis ſignis illuſtratæ, facilime reſpondiſſe.

Valde grandæuus deceſſit.

VITA SANCTI * HONOPHRII EREMITÆ ET ALIORVM PATRVM, QVOS EGO PAPHNVTIVS ANACHORETA, DEI PROVIDENTIA, vt cognoſcerem, dignus fui habitus, & quorum audeo piis ac religioſis fratribus narrare hiſtoriam. Habetur in Simeone Metaphraſte.

AN. 320. *al. Onuphrii.

I. QVODAM die ſtudium adhibui, vt in interiorem venirem ſolitudinem, & viderem an eſſet vllus alius frater monachus, qui interius meo ſeruiret Domino. Cumque ſurrexiſſem, profectus ſum iter quatuor dietum in interiorem ſolitudinem, licet nec panem interim comediſſem, neq; vinum aut aquam bibiſſem. Quarto autem die, cum perueniſſem ad antrum venerabile, manſi hora vna pulſans oſtium, ſperans fore, vt pro more egrederetur aliquis ex fratribus, & me ipſe ſalutaret. Cum vero pulſaſſem, & nemo reſpondiſſet, aperui oſtium, & ingreſſus ſum clamans, Benedic. Cumque vidiſſem quendam ſedentem, tetigi eius humerum: fuitque tanquam lanugo. Cumque reliquum corporis contrectaſſem, inueni eum iam longo tempore mortuum. Vidi vero pendens quoque colobium. Cumque ego id tetigiſſem, euaſit non ſecus ac puluis in manu mea, adeo vt ego ſtatim me veſte propria exuerim, promptoque & alacri animo propriis manibus effoſſa terra arenoſa, eius depoſuerim reliquias cum precibus & multis lachrymis.

IVNII 12.

Res admiratione digna in extincto corpore.

II. ILLINC autem egreſſus, profectus ſum ad interiores partes ſolitudinis. Inuenio autem in altera ſpelunca veluti veſtigia hominis. Cumque cognouiſſem aliquem in ea habitare, fui parum animo commotus. Cum autem pulſaſſem, & nullam vocem audiiſſem, ingreſſus ſum in eãdem ſpeluncam. Cumq; nullam inueniſſem, ſum egreſſus, reputans ſeruum Dei illic ſolitum ſe exercere. Cum autem inueniſſem propriam eius cellam, in qua ſimiliter nullus erat, perſeueraui manere toto die, cupiens ſalutare hominem, & citra vllam intermiſſionem dicens ex pſalterio. Cum ille autem dies finiretur, vidi gregem bubalorum venientem, & fratrem ambulantem in medio eorum. Cum vero ii prope me veniſſent, illum quidem vidi virum veſte nudum, pilis autem tectum corpore. Qui cum perueniſſet in eum locum, in quo ſtabam, & me putaſſet eſſe ſpiritum, manſit orans. Multi enim ſpiritus in iis locis eum tentarant, quemadmodum ipſe poſtremo mihi narrauit. Dixi autem ei: Cur times, ſerue Ieſu Chriſti Dei noſtri? Contemplare & vide greſſus meos, vt ſcias, quod ſum homo, ſicut tu: Palpa me, vt videas, quod caro & ſanguis ego ſum. Ipſe autem cum me eſſet contemplatus, & gratias

Monachus verſatur inter bubalos

egisset, dixit, Amen. Ego vero rogaui eum, & persuasi, vt me in suam speluncam deduceret. Ille autem ex me quæsiuit, quomodo eo accessissem. Ego vero ei audacter scopum meum & institutum exposui, nempe quod cum vellem cognoscere Christi seruos, qui sunt in solitudine, illuc accessi, nec Deus eo me fraudauit desiderio. Tunc ex eo sciscitatus sum, dicens: Quomodo huc venisti? & quanto tempore habitasti in hac solitudine? & quamobrem nudus incedis, nulla re tectus? Is autem hæc mihi dixit:

III. Ego fui nuper monachus, degens in cœnobio Thebaidis, magnoque & fidenti animo operans. Statui autem egredi ex illo cœnobio, & solus quietè habitare in monasterio, studens maiorem inuenire mercedem. Hanc cogitationem cum lubenter suscepissem, ædificaui paruam cellulam, & solus in ea habitaui artem exercens meis manibus. Quo factum est, vt multi quoque ad me accederent, iubentes mihi opus, quod meis facerem manibus. Neq; vero mihi parui fructus ex iis redibant, ex quibus, pauperibus & egentibus & hospitibus suppeditabam. Inimicus autem, qui est omnino bonis infestus, illo mihi tempore inuidens, & meum erga Deum vehementem scopum & institutum impedire cupiens, cum subisset mentem cuiusdam Monachæ, quæ apud me fuerat, iubens paruum aliquod opus, effecit, vt ea ad me rediret. Quo factum est, vt libere inter nos locuti, simul quoque habitauerimus, & postremo (quod est grauissimum) iniquitatem peperimus, & sex menses in peccato manserimus. Postea autem cum mihi in mentem veniisset meæ vitæ finis, & æternum ac magnum iudicium, & tenebræ exteriores, & ignis, qui extingui non potest, conflagratio, & vermis, qui non potest sopiri, corrosio, dixi apud me: Hei mihi ô anima, melius est mihi surgere, & abire in solitudinem, & fugere à peccato. Relictisque rebus omnibus & illa muliere, veni in hanc solitudinem, & inueni fontem, & hanc speluncam, & hanc palmam. Ea autem mihi victum suppeditat. Hæc enim palma generat quotannis duodecim spathas, nempe singulis mensibus vnam. Vna autem spatha sufficit mihi triginta dies. Et postea venit alia spatha. Nihil autem aliud habeo cibi in hac spelunca, neque alium potum. Quin etiam vestes meæ longo temporis spatio interierunt, & capillis capitis mei corpus tegitur cum pudendis. Iam enim tempore triginta annorum habito in hac solitudine, nec vnquam cessauit aër mihi salubrem dare temperiem, neque panem omnino gustaui.

Insidiatur viro sancto diabolus.

Esa 66.

IV. Postquam ex illo iusto hæc audiissem, eum interrogaui, dicens: In principio quando huc venisti, laborastine valde, an non? Ipse autem respondens mihi, dixit: Primum quidem valde laborabam, ô frater, adeo vt dolore cruciatus, me in terram proicerem, vt qui in ventre maximam sentirem molestiam, nec possem caput erigere: ob idque cogebar meam synaxim peragere volutatus, Deum, qui in omnibus est misericors, rogans, tam propter eum, qui me tunc affligebat, dolorem, quam pro redemptione meorum peccatorum. Cum vero multos labores sustinuissem quodam die dum sederem, & graui dolore ventris vexarer intrinsecus, vidi virum insignem coram me stantem, qui me est allocutus, dicens: Quid habes, & quidnam tibi dolet? Statim autem, postquam hoc ex eo audiissem, confirmaui vires, & ei dixi: Domine, dolet mihi iecur. Is vero dixit: Ostende mihi locum, in quo sentis dolorem. Cum ego autem ei iecur ostendissem, ipse manu extensa, & mihi imposita, & coniunctis digitis, perinde ac gladio scidit latus, & meum iecur eduxit, meo maximo cum dolore, & ostendit mihi plagas, quas in eo habebam. Illud vero manu sua erasit, & ei pannum mundum iniecit, & iecur meum in locum suum restituit. Cumque totum corpus meum contrectasset benedictis suis manibus, lateris mei vulnus conglutinauit & dixit: Ecce sanus factus es, noli amplius peccare, ne deterius tibi contingat: sed serui Domino nunc, & vsque in sæcula. Ecce autem ab illo die curata sunt omnia mea interiora, cessauitque dolor mei iecoris. Ex illo ergo tempore maneo sine dolore, Deo benedicens, & ipsum glorificans propter suam in me misericordiam.

Diuinitus iecur eius curatur.

Ioan 5.

V. Mihi autem ostendit vir ille insignis pannum amomi, quem meo lateri imposuit. Quando vero mihi Paphnutio narrauit hæc omnia, rogaui eum, vt cum ipso manerem in spelunca. Ipse autem mihi respondit, dicens: Non poteris, frater mi, ferre insultus dæmonum. Postea vero rogaui eum, vt mihi nomen suum significaret. Is vero mihi dixit: Nomen est mihi Timotheus. Memento mei, & roga pro me, frater dilecte, vt Deus in me perficiat bonum, quo sum dignatus. Ego autem Paphnutius procidi ad eius pedes, preces ab eo postulans. Ipse autem respondens mihi, dixit: Dominus noster Iesus Christus benedicat te, & defendat te ab omni laqueo diaboli, & præbebit tibi vias rectas ad hoc, vt pergas ad sanctos eius in sæcula. Benedictionem autem eius consecutus, prompto & alacri animo cum gaudio sum egressus, Deum laudãs propter egregios sermones, quos audiui à sancto illo Timotheo. Inter ambulandum vero apud me considerabam, & animo valde anxius, dicebam: Quidnam est mea vita, aut quodnam meum institutum? Mansi autem non paucos dies hæc apud me cogitans, & huius iusti viri Deo grata opera sequi cupiens. Cum vero clementis Dei mihi illuxisset prouidentia non abieci curam meæ vitæ, sed excitatus, rursus profectus sum in interiorem solitudinem in via auia, vbi est genus eorum, qui dicuntur Mazici. Omne enim studium à me in eo ponebatur, vt scirem, an esset alius Anachoreta, in interioribus partibus solitudinis Deo seruiens, vt ego quoque dignus haberer, qui id consequerer.

Timotheus eremita.

VI. Hoc autem iter cum cœpissem ingredi, tuli mecum paucos panes, & aquæ modicum. Quæ quidem mihi suffecerunt vsque ad quatuor dies. Cum ii autem præteriissent, & expletum esset quod manducarem, affligebar adductus in magnas de victu angustias. Statim vero sumptis viribus, & mortem habens ante oculos, ea cura dimissa, alios quatuor dies & noctes sum profectus, cum nec panem aut aquam gustassem: adeo vt rursus cum mihi deesset cibus, valde laborarem, & me humi abiiciens, mortem expectarem. Tunc vidi virum insignem venientem, & manum suam labris meis imponentem, non secus atque medicus scalpellum oculo, & protinus rursus sumpsi vires, adeo vt neque famem, neque sitim sentirem. Cum magnam autem & terribilem vidissem visionem, surgens rursus prompto & alacri animo, profectus sum in interiorem solitudinem alios quatuor dies & noctes. Defessus vero & extensis in cœlum manibus, Deum orauit. Cumque rursus virum illum vidissem ad me venientem, accepi ab eo magnas vires. Cumque septendecim dierum itineri finem (vt semel dicam) imposuissem, vidi procul virum venientem adspectu admodum terribilem, hirsutum pilis, eisque tectum toto corpore, non secus ac feram terribilem. Erat enim veste nudus, lumboque cinctos habebat foliis herbarum. Cum is autem prope me accessisset, territus ascendi supra cacumen montis valde excelsum. Timui enim, existimans esse homicidam. Ipse vero cum venisset ad radices illius montis, abiecit se in vmbram. Affligebatur enim propter angustias senectutis & nutrimenti, ardoremque & laborem, quem sustinebat in illa solitudine. Cumque suspexisset & me vidisset, clamauit dicens: Descende ad me vir sanctissime. Nam ego quoque homo sum, habitans in hac solitudine. Ego autem his auditis, protinus descendens, me humi abieci ad illius pedes. Is vero dixit mihi. Surge, fili mi: nam tu quoque es seruus Dei, & amicus sanctorum. Surgensque dignus sum habitus, qui sederem ex aduerso eius.

Paphnutius multa afficitur inedia, sed diuinitus cõfortatur.

Honofrii forma terribilis propter vitæ asperitatem.

VII. Sæpe autem rogaui, vt mihi diceret nomen suum. Is vero mihi dixit: Est mihi nomen Honofrius. Sexagesimus iam annus agitur, ex quo habito in hac solitudine, ambulans in montibus huius solitudinis: quo tempore nullum omnino hominem vidi, qui in carne cognosceretur, te solo excepto. Habitaui autem antea in sancto monasterio, quod nomine appellatur Eriti Hemepolitani Thebanorum regionis, quod è fratribus impletur numero centum, qui eiusdem sunt fidei & animi: & omnes communiter comedunt in charitate & multitudine pacis Domini nostri Iesu Christi, & in magno silentio quieteque se exercent, & glorificant eius bonitatem. Cum ergo in iuuenili ætate illic degerem & erudirer, Deique amorem à sanctis patribus, puramque ac synceram fidem docerer & regulam pietatis, audiui sanctos patres dicentes de admirabili pioque & religioso patre nostro Elia, quemadmodum ei fuerunt vires à Deo confirmatæ per tolerantiam & patientiam eorum, quæ sustinuit in deserto: & rursus de Iohanne Baptista & præ-

In vitis Patrum ab Heriberto Rosvveida S. I. recognitis habetur Septuagesimus.

& præcursore, cui nullus par fuit ex hominibus, & de iis, quæ passus est in solitudine vsque ad diem, quò reuelatus est Israëli.

III. ROGAVI autem sanctos patres, dicens: Quid ergo? qui habitant in solitudine, sunt vobis maiores apud Deum? ipsi vero respondentes mihi dixerunt: Sunt nobis maiores, fili. Nam nos quidem alter alterum videmus quotidie, & nostras synaxes communiter celebramus cum gaudio, & quando esurimus, cibum paratum inuenimus. Similiter etiam si sitierimus, habemus aquam: & si contigerit aliquem nostrum esse imbecillum, alii eum consolantur, propterea, quod viuamus communiter. Quod si etiam esculentum aliquod desiderauerimus, hoc inter nos communicamus propter Dei charitatem. Qui autem habitant in solitudine, sunt remoti ab his omnibus. Vndenam enim hæc eis suppeterent? Quod si eos aliquando inuaserit afflictio, vel bellum ex laqueo aduersarii, vbi inuenient hominem, qui mutare possit mentem, aut consolari? Quin etiam si desit eis cibus, non est facile eum consequi. Similiter si inuadat sitis, eis aqua non adest. Ibi autem, ô frater, maxime laborant, qui sunt huiusmodi, quando statuunt solitudinem occupare ad habitandum, & magis amplectuntur seruitutem in Deum, & se tradunt exercitationi, famem & sitim parati sustinere, & occulta bella eius, qui est bonis infestus, contendentes vincere, & omnem viam arctam in Domino persequentes, vt nequaquam superentur ab insania aduersarii. Is enim semper studet, impedimentum afferre iis, qui talia desiderant, & eos tentare, vt bonum scopum retardet, ne permaneant in exercitatione, & consequantur Dei munificentiam, quando excedunt è corpore: quandoquidem ad eos, qui sustinent in exercitatione, peruenit bona Domini nostri misericordia, ad ea remuneranda, quæ propter eum sustinuerunt. His vero ab eius sanctis Angelis, qui ad ipsos mittuntur, nutrimentum suppeditatur, & aqua ex petra, sicut docet Esaias Propheta, quod qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem: assument pennas, sicut aquilæ: current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient. Et rursus dicit: Si sitierint, afferte eis aquam ex petra. Fiuntque eis herbæ, quæ sunt in solitudine, dulce in ore plus quam mel. Quod si eis quoque laborem exoriri contigerit, aut bellum aduersarii, dum surgunt ea hora, qua extendentes manus accedunt ad Dominum, statim eis desuper ab ipso mittitur auxilium: dispergunturque ab eis omnes tentationes propter ipsorum in eum rectitudinem & cor purum. Non audita sunt à te, ô fili, ea, quæ feruntur in scriptura, nempe quod Deus non derelinquit pauperem in sæculum? Patientia pauperum non peribit in finem? Et rursus dicit: Exaudiet eos Dominus, & liberabit eos ab afflictione ipsorum. Dat enim Dominus vnicuique secundum laborem, quem propter ipsum sustinuit. Beatus est ergo qui facit Dei voluntatem super terram. Angeli ministrant ei, & faciunt eum exultare, & ei vires addunt singulis horis, dum est in carne.

Eremitæ antecellunt cœnobitas.

Dæmon infestus monachis.

Esa. 40.

Esa. 48.

Psalm 9.

Psalm. 108.

IX. CVM autem à sanctis patribus, qui erant in monasterio, hæc didicissem ego minimus Honofrius, tanquam melle suauissimo, & anima & corde repletus, magnam in me sensi correctionem, adeo vt ab iis, quæ audiui, perinde ac si fuissem in alio mundo, mea mutata sit cogitatio, promptoque & alacri animo noctu surgens, accepi paucos panes, qui mihi satis erant ad alimentum vsque ad quatuor dies. Studebam enim cognoscere, deductus à Dei prouidentia, vbinam me vellet habitare. E monasterio autem egrediens illa nocte, veni in viam montis, volens ingredi in solitudinem. Animaduerti vero lucem, quæ erat ante me. Cumque eam vidissem, valde sum perterritus, adeo vt consilium ceperim de reuertendo ad locum, in quo eram prius, & de in eo habitando, vt prius. Sed hoc mihi fuit argumentum maioris profectus in Domino. Ecce enim cum ego fuissem territus, insignis ille, quicunque is esset, id sciens, est ad me conuersus, & mihi appropinquans, dixit: Ne timeas, ego sum Angelus, qui tecum ambulo à tua incunte ætate. Hoc enim consilium & hæc dispensatio, propter quam voluit Deus me tecum habitare, nunc tibi perficitur. Cum hæc autem mihi dixisset, mecum ambulauit, & venit in solitudinem circa sex vel septem milliaria. Cum vero speluncam vidissem venerabilem, accessi prope eam, volens scire, an homo in ea habitaret. Cumque peruenissem ad ostium, clamaui: Benedic, Domine: id dicens pro more fratrum Christi amantium. Vidi autem senem virum sanctissimum, forma vero admodum speciosum & vultu magna plenum gratia. Cum eum autem vidissem, me ad eius pedes statim proieci in terram, & eum sum veneratus. Ipse vero me manu erigens: Tu es, inquit, frater Honofrius, qui es meus in Domino cooperator. Ingredere, fili: Deus tibi opem feret, perseuereque, vt es vocatus, bona implens opera in eius timore. Ingressus autem sedi cum eo paucos dies, studens ex eo discere sanctum opus, quod etiam accidit. Me enim docuit instituta vitæ Eremitarum. Cum ipse autem cognouisset illuminatum esse meum spiritum ad discendum opus Domini nostri Iesu Christi, & resistendum occultis bellis aduersarii, & metum, quem habet solitudo, dicit mihi: Surge, fili, & abducam te in alteram speluncam in interiori solitudine, vt tu in ea solus habites, & laborem sustineas. Ideo enim te misit Dominus & hoc consilio, vt tu in interiori habites solitudine. Cum hæc autem mihi consuluisset, mecum in interiorem profectus est solitudinem, quatuor dies & totidem noctes. Postea vero deuenimus in quoddam paruum tugurium, vbi prope erat palma. Tunc autem mihi dixit vir sanctissimus: Hîc est locus, qui Dei prouidentia est tibi paratus ad habitandum. In eo ergo mansit mecum triginta dies, me pulchra docens opera. Et post triginta dies vale dicens, recessit à me: & ex illo tempore semel tantum singulis annis conueniebamus vsque ad illum diem, quo excessit è corpore. Cum eum autem mortuum offendissem, deposui eius reliquias prope meam habitationem.

Angelus Domini confirmat Honofrium.

Honofrius inuenit senem eremitam.

X. POSTQVAM hæc omnia mihi narrauit, rogaui eum quoque ego minimus Paphnutius, dicens: Bone pater, multum ne laborem sustinuisti, quando primum venisti in hanc solitudinem? Dicit autem mihi beatus senex: Crede, dilecte frater, tantum laborem sustinui, vt mei sæpe spem omnem abiicerem vsque ad mortem, fame & siti mihi imminentibus, & simul etiam igne solis in die, & frigore aëris noctu, madefactaque fuit mihi caro à rore cœli. Cum vero bonus Deus vidisset hæc me sustinuisse, & certamen ieiunii, & quod dedissem animam meam exercitationi, iussit sanctum suum Angelum mihi prouidere, & ad me afferre alimentum quotidianum, & modicum aquæ ad meum corpus confirmandum: & hæc palma mihi quotannis producit duodecim spathas, adeo vt sit vna singulis mensibus. His ego cum vescerer cum herbis solitudinis, fuerunt mihi per Dei prouidentiam, melle dulciora. Scriptum est enim: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod proficiscitur ex ore Dei. Si ergo, ô frater Paphnuti, feceris voluntatem Domini nostri, ab eo tibi prouidebitur. Dicit enim in sancto suo Euangelio: Nolite esse soliciti, quid comedatis aut bibatis, Dominus enim & pater vester, qui est in cœlis, nouit quonam opus habeatis. Petite ergo primum regnum eius & iustitiam, & hæc omnia adiicientur vobis.

Vide quantas afflictiones passus sit sanctus iste.

Deut. 8.

Matth. 6.

XI. HÆC cum mihi exposuisset sanctissimus pater Honofrius sub cacumine montis, vbi ei factus sum obuiam, repletus omni gaudio, oblitus sum omnium laborum, qui mihi acciderant in itinere, dum ambularem in montibus solitudinis, famem & sitim nihil omnino apud me reputans. Cumque vires sumpsissem & spiritu & corpore, & essem exultatione repletus, ei dixi: Sum beatus, qui dignus sum habitus, vt te viderem, Pater sanctissime, & audirem tuos pulchros & iucundissimos sermones, qui me nullo non affecêre beneficio. Ipse autem respondens mihi dixit: Surge modo, ô frater, & simul recedamus. Non cessabam autem, tanquam rem nouam & inauditam, admirari gratiam sancti patris Honofrii. Deinde cum processemus duo aut tria milliaria, peruenimus ad tugurium maxime venerandum, prope quod stabat palma. Ipse vero cum ad locum accessisset, mecum est precatus. Impletis autem precibus, dixit, Amen. Postea vero sedentes mansimus exponêtes inter nos inuicem bona Domini. Cum autê occidête iam sole dies desineret, hæc vidi in medio tugurii, iacentem panem, & parũ aquæ. Dixit vero mihi vir ille beatus: Surge, fili, sume parũ panis & aquæ, qui sunt ante te.

Video

Video enim te adductum esse in periculum ex fame & siti, & labore itineris. Ego autem dixi ei: Viuit Saluator meus Dominus, non comedam nec bibam, nisi manus nostras relaxemus, & edamus communiter. Eum ergo valde rogaui, & vix potui persuadere, vt manum immitteret, & pane fracto mecum vesceretur, donec esset satiatus. Ex illo autem pane nobis superfuit. Mansimus vero tota illa nocte orantes.

XII. DVM esset autem mane, vidi ipsum post matutinas preces mutasse faciei adspectum & colorem, & fui conterritus. Ipse autem cum hoc cognouisset, me est allocutus, dicens: Ne timeas, frater Paphnuti. Deus enim qui est in omnibus misericors, te ad me misit, vt curam geras sepulturæ mearum reliquiarum. Ecce enim hodierno die perficio meam administrationem, & abeo in requiem meam vsque in sæculum. Erat autem dies sextus quidem decimus Pauen, nonus autem Iunii mensis apud Romanos. Mihi autem hoc quoque præcepit: Si in Ægyptum exieris, frater Paphnuti, annuncia mei memoriam, ad thymiama ei præbendum in medio fratrum, & omnium Christianorum. Si quis enim oblationem in nomine meo, & in mei memoriam obtulerit Domino Deo nostro in omni loco, feret ipsum Dominus in primam horam annorum meorum. Hæc est enim petitio mea, quam ab ipso petiui. Et si quis fratrem pauperem nutrierit in nomine meo, meminero eius, vt dignum eum censeat Dominus, qui veniat in primam horam meorum annorum. Respondi vero ei, & dixi: Si quis[a] autem sit pauper, qui non possit offerre aliquid, aut nutrire pauperem in tui memoriam, non veniet is in primam horam annorum tuorum? Is autem dixit: Modicum thymiamatis in nomine meo in odorem suauitatis si Domino obtulerit, dignus habebitur simili lætitia. Ausus sum autem hoc quoque ei dicere: Si quis autem non inuenerit thymiama, sicut tu degens in solitudine, aut ei nequaquam suppetierit ad offerendum, non feretur in primam horam mille annorum? an potius, ô pater, ad nos perueniet preces tuæ iustitiæ? Si quid enim à Domino petieris, dabit tibi: neque tua tardius veniet petitio, propter tuam impigram seruitutem, quam sexaginta annos sustinuisti, quibus fuisti in hac solitudine expectans Dominum. Ipse autem respondens, dixit mihi: Si quis est pauper habitans in solitudine, & non potest offerre oblationem, aut mittere thymiama, is vero surgens dixerit, Pater noster qui es in cœlis, & reliqua vsque ad Amen in nomine meo Domino obtulerit, rogabo eum, vt dignus habeatur, qui in prima hora mille annorum cum omnibus iustis mercedem consequatur. Ego autem rursus ei dixi: Bone pater, si sum dignus, cupio habitare in hoc loco, postquam tu è corpore excesseris. Is vero dixit mihi: Fili, non venisti ad hanc administrationem: sed Deus te misit, vt recrees suos sanctos, qui habitant in solitudine, & annuncies bonum odorem eorum vitæ in medio fratrum. Abi ergo fili in Ægyptum, & perseuera in bonis operibus Domini Iesu Christi, prædicans omnibus ea, quæ vidisti in solitudine.

Prædicit obitum suũ.

Hoc quomodo intelligẽdum sit, vide apud Heribertum Rosweidã in Vitis Patrum in onomastico in mensium tabula.

[a] His verbis celerem ad futuri sæculi felicitatem aduentum innuit.

XIII. HÆC cum dixisset venerandus senex Honofrius, humi procidi ad eius pedes, dicens: Benedic igitur mihi pater, vt inueniam coram Deo misericordiam, & sicuti dignum me censuit in hoc mundo Saluator noster, vt te venerarer, rursus quoq; iubeat, vt in futurum sæculum eo dignus habear. Ipse autẽ mihi dixit: Fili Paphnuti, Quod attinet ad ea, quæ petis, Dominus nequaquam te afficiet molestia: Tibi vero benedicet, & tuam confirmauit charitatem, & illuminabit tuos oculos ad eius diuinitatem, & te liberabit ab omni casu & vinculis aduersarii, & in te perficiet opus, quod es aggressus. Protegent te oculi eius, & custudient ab insidiis inimici, nihilque inuenient, in quo te possint accusare in hora terribili, in qua es apud Deum sistendus, & causam tuam defensurus. Post hæc autem surgens, orauit Deum cum lachrymis & multis gemitibus: & paulo post cum ea ipsa hora se humi deiecisset, consummatus est in Domino, in eius manus tradito spiritu cum lætitia. Statim vero audiui vocem Angelorum, Deum magna voce laudantium ante animam beati & sanctissimi Honofrii: eratque magnum gaudium ea hora, qua is ad Deum venit. Ego autem cum me exuissem eo, quod gestabam, lebitonario, & eius transuersa soluissem, ea in duo diuisi: & cum dimidio quidem eius corpus inuoluissem, pro more iustorum, quæ mortuis peraguntur, contexi. Alterum autem gestaui dimidium, ne ego manerem nudus. Et cum petram inuenissem concauam, tanquam in cisterna corpus eius illic deposui, multisque collectis lapidibus contexi reliquias. Surgens autem, oraui vt illic manerem. Statim vero vidi collapsum tugurium, & palmam, qua nutriebatur, ipsam quoque cecidisse similiter. Quod cum vidissem tam cito accidisse, & ex eo cognouissem non esse Dei voluntatem, vt in illo loco habitarem, comedi panis id, quod superfuit, & aquam bibi similiter.

S. Honofrius excedit è vita. An. 370.

XIV. RVRSVS autem extensis in cœlos manibus oraui, & vidi virum illud ad me venientem eo modo, quo vidi ambulantem in solitudine. Qui mihi vites addens, ambulabat ante me. Cum illinc autem essem egressus, & affligerer propter beatum patrem Honofrium, rursus animo meo exortum est gaudium, quod dignus sim habitus, qui eius sancto ore benedicerer. Cumque quatuor dierum spatio ambulassem, accessi ad quandam cellam, quæ in alto fuerat ædificata. Quam ingressus, neminem inueni. Sedi autem parumper, cogitans & dicens apud me: Estne aliquis habitans in hac spelunca, in quam me deduxit Deus? Hæc cum apud me cogitarem, ingressus est vir sanctus canis plenus, specie admirandus & decoris, ex palmis contexto indumento vestitus, & suum corpus contegens. Ipse autem cum me vidisset, statim est allocutus, dicens: Tu es frater Paphnutius, qui contexisti corpus sancti patris Honofrii. Cum ergo cognouissem eum in visione didicisse, quod factum fuerat, statim ei procidi ad pedes. Ipse vero me consolatus dixit mihi: Surge frater, Deus te dignũ censuit, vt esses amicus sanctorum eius famulorum. Iam enim didici ab eius prouidentia tuum futurum hodie ad me aduentum. Tibi autem aperiam, frater dilecte, quod sexaginta annos habitaui in hac solitudine: Non vidi hominem, qui ad me venerit, nisi eos solos fratres, qui hîc mecum habitant. Interim autem dum nos loqueremur, ingressi sunt tres alii, tanquam sancti, senes patres in illam cellam. Qui me alloquentes, statim dixerunt: Benedic frater: Tu es frater Paphnutius, noster in Domino cooperator. Tu es, qui texisti corpus sancti Honofrii. Gaude frater, es enim dignatus magnam virtutem cognoscere. Videns autem Dominus, nobis significauit, fore vt hodie ad nos venias: iussitq; vt esses nobiscum vnum diem. Iam enim sexaginta annos habitamus in hac solitudine, neque vidimus hominem præter te solum. Cum vero nos colloqueremur de patre Honofrio & aliis sanctis, post duas horas dixerunt mihi: Surge frater, vescere modico pane, & confirma cor tuum, quandoquidem venisti è longinquo, & cupis nobiscum collætari.

Sanctum quendam senem eremitam videt Paphnutius.

Item tres alios.

XV. POSTQVAM ergo me fecerunt surgere, vnanimes Deum precati sumus, & ecce vidimus ante nos quinque panes leues, & admodum pulchros & delicatos, tantummodo coctos. Ipsi quoque attulerunt aliquid aliud esculentum, quod quidem sumpsimus cum panibus, omnesque sedimus & simul comedimus. Ipsi autem rursus mihi dixerunt: Ecce, vt iam tibi diximus antea, cum sexaginta annis habitauerimus in hac solitudine, quatuor panes Dei iussu ad nos è cœlo quotidie deferuntur: Nunc autem cum tu ad nos veneris, ecce panum numerus pro te quoque est ad nos missus: neque scimus vndenam afferantur, sed quotidie speluncam ingredientes, inuenimus eos per se paratos. Postquam vero nos simul gustauimus, tota illa nocte fecimus orationes: & magnam synaxim celebrauimus: Erat enim sanctus dies Dominicæ. Cum esset autem mane, rogaui ipsos, vt manerem cum eis in spelunca vsque ad diem vltimum. Ipsi vero respondentes mihi dixerunt: Non est voluntas Dei, vt tu habites in hac solitudine: sed surge, & vade in Ægyptum, & narra fratribus Christi amantibus omnia, quæcunque vidisti ad nostri memoriam, & ad lucrum & vtilitatem eorum, qui audiũt. Cum ii hæc dixissent, eos valde rogaui, vt sua nomina mihi significarent. Ipsi autem non sunt passi hoc mihi dicere. Sæpe ergo hoc ab eis vehementer petii. Cumque vehementer laborassem, non potui hoc eis persuadere: sed respondentes mihi dixerunt: Is scit, qui omnium nouit nomina. Memento autem nostri, frater, vt digni simus, qui nos inuicem videamus in domo Dei. Stude ergo, dilecte fili, fugere mundi tentationes, ne ab eis illudaris, quandoquidem multos sunt ludificatæ.

Panes diuinitus dantur sanctis viris.

catæ. Cum hæc autem ex eis audiuissem, procidi ad eorum pedes. Qui cum mihi benedixissent, ab eis abii in pace Dei. Prædixerunt autem mihi quædam alia, quæ mihi acciderunt.

XVI. Cvm autem ab eis abiissem, ambulaui vno die per interiorem solitudinem. Cumque venissem ad speluncam fontis aquæ, illic sedi, vt parum per requiescerem à labore itineris. Erat autē locus ad id aptus, vt qui circa illum fontem multas haberet arbores plenas fructibus. Cum vero parum quieuissem, & surrexissem, circuiui in medio arborum, admirans ipsorum fructuum multitudinem, & cogitans apud me, quisnam esset is, qui illo loco plantauerat. Erant autem fructus illarum arborum multæ palmæ, citri, punica, sycamina, zizipha, & vites, aliæ quoque amœnæ arbores & frugiferæ, quarum gustus est melle dulcior. His accedebant myrti quoque, & aliæ variæ arbores in medio earum, quæ illic sitæ erant, suauem odorem emittentes. Ille quoque fons ex se scatens, & omnes illas arbores irrigans, adeo vt existimarem eum esse Dei paradisum. Cum ergo illud admirarer spectaculum, vidi quatuor adolescentes hilares & valde speciosos ad me procul venientes, succinctos pellibus ouium. Qui cum appropinquassent, dixerunt: Salue frater Paphnuti. Ego autem protinus humi cecidi in faciem, & eos veneratus sum. Qui cum me erexissent, mecum sederunt, & locuti sumus inter nos. Erant vero tanta gloria insignes, vt ego existimarem eos esse Angelos, & descendisse de cœlo. Mecum autem magna sunt affecti lætitia, & collectos fructus ex illis arboribus mihi dederunt ad vescendum, & lætatum est cor meum, eo quod ego ab eis diligerer. Mansique apud illos septem dies, vescens fructibus illarum arborum.

Quatuor adolescentes eremitæ.

XVII. Rogavi autem eos: Quomodo huc veniistis, & vnde estis? Ipsi vero respondentes mihi dixerunt: Frater, quandoquidem Deus te misit ad nos, omnem nostram tibi vitam narrabimus. Nos sumus ex ciuitate quæ dicitur Oxyrrynchos: Nostri vero parentes, sunt senatores illius ciuitatis. Cum autem in illorum literis ab eis institueremur, vni scholæ traditi, literas quidem pedestres didicimus. Cum vero etiam superiorem inchoassemus doctrinam, in vnam conuenimus sententiam, Deo nobis opem ferente ad id, quod est melius, & statuimus eius quoque discere sapientiam. Ex illo ergo tempore nos quotidie mutuo excitantes ad animi alacritatem, & bonum scopum habentes in nostris cordibus studentesque locum inuenire, & paucos dies quiescere, donec sciremus Dei de nobis prouidentiam, acceptis nobiscum paucis panibus, & modico aquæ ad nostrum cibum & potum vsque ad septem dies, recessimus. Cum vero peruenissemus intra solitudinem, fuimus in ecstasi, & vidimus ante nos virum gloria insignem, qui nos apprehensos manibus deduxit in hunc locum, & nos tradidit viro valde prouectæ ætatis, qui Deo seruiebat. Ecce autem hic iam habitauimus sex annos, mansimus vero cum eo vsque ad vnum annum, ab illo docti quemadmodum Domino seruiremus. Impleto autem illo anno, consummatus est hic pater, & ex illo tempore hîc soli sumus. Ecce autem, frater dilecte, nos tibi confitemur. Spatio sex annorum, vt diximus, in hoc loco degimus. Panem non gustauimus, nec alium cibum sumpsimus, nisi solummodo de fructibus harum arborum. Singulis vero hebdomadis semel tantum nos videmus inuicem. In hoc enim loco inuenimur, & nobis inuicem occurrimus sabbato & sancta Dominica. Post hos autem duos dies vnusquisque nostrum venit in locum proprium, & apud se degit. Ipsi vero rursus fructus attulerunt, & communiter cibum sumpsimus. Cumque postea egressi fuissemus, simul processimus circiter quinque milliaria per solitudinem. Cum autem eis vale dicerem, rogaui eos vt dicerent mihi sua nomina. Et primus quidem dixit, Iohannes: Secundus autem, Andreas: Tertius vero, Heraclambon: Quartus, Theophilus: præcipientes mihi dicere nomina sua fratribus ad sui memoriam. Ego vero eos rogaui, vt mei meminissent.

Panem sancti iuuenes non gustabant, sed fructibus duntaxat arborum vescebantur.

XIIX. Cvm autem ab eis discessissem, & non viderem eos amplius, ambulaui tristis, recordans & ea admirans, quæ vidi meis oculis. Rursus vero apud me magnam capiebam lætitiam, admirans & recordans earum, quas consecutus fui, benedictionum à sanctis Eremitis & sancto Angelo. Cum autem veniissem in Ægyptum itinere trium dierum, inter ambulandum inueni duos fratres Deum timentes. Apud ipsos autem quieui ad decem dies, annuncians eis illa, quæ vidi, & ea, quæ mihi acciderunt. Ipsi vero mihi respondentes, dixerunt cum omni gaudio: Vere, frater Paphnuti, magnam gratiam es consecutus, qui dignus es habitus, vt videres magnos & perfectos Dei seruos. Ipsi autem fratres benigni & clementes, diligebant Deum ex tota anima. Nominatur autem locus eorum Scites. Cum vero audiuissent ea, quæ ego illis narraui, ea diligenter conscripserunt, & celeriter currentes, obierunt totam Scitem, ferentes librum, quem conscripserunt ex mea narratione. Et postquam ea legissent sanctis patribus, acceperunt eum in Ecclesiam, quem quidem illic reliquerunt ad lucrum & lætitiam iis, qui credunt & ea audiunt. Nam qua hora voluerint hæc meditari, magis benedicunt Deum & sanctos eius, pleni lætitia & exultatione, cum hi sermones sint pleni contemplatione, quam ego minimus seruus Paphnutius, Dei prouidentia dignatus sum assequi. Sit autem gratia & pax Domini nostri Iesu Christi nobiscum, intercessionibus sanctorum patrum, qui ei placuerunt, nunc & semper & in sæcula sæculorum, Amen.

Habes ex alia versione hanc fere eandem, etsi aliquanto vberiorem, S. Onuphrii vitam à Paphnutio scriptam, lib. 1. vitarum SS. Patrum à P. Heriberto Rosweyda societatis Iesu recognitarum & illustratarum notis eius.

VITA SANCTORVM MARTYRVM NAZARII ET CELSI, PER D. AMBROSIVM EPISCOPVM MEDIOLANENSEM scripta sermone 92.

An. 70.

Etiamsi martyribus regionis extraneæ pia votorum debita redderemus, propriis consulere vtilitatibus & commodis probaremur. Nostros enim eos fides faceret, & remotis quamlibet finibus, sperata nobis patrocinia conrogarent, studiorum siquidem sunt huiusmodi suffragia, non locorum. Proinde apud domesticos Dei tantum intercessionis promeruëris, quantum venerationis impenderis. Oportet itaque vt alienos potius nobis deuotio religiosa conciliet, quam forte proprios à nobis negligentia irreligiosi temporis alienet. 12. Ivnii.

I. Agnoscamvs, charissimi, circa ecclesiam nostram vberiorem diuinorum munerum largitatem. Exultant felices singularum vrbium populi, si vnius saltem martyris reliquiis muniantur. Ecce nos populos martyrum possidemus. Gaudeat terra nostra nutrix cœlestium militum, & tantarum parens fœcunda virtutum. Recte itaque & ex debito à filiis parentis ecclesiæ horum beatorum martyrum celebrantur insignia: Qui illuminantes virtute fidei suæ innumerabiles populos, soli quidem illatam sibi sensere mortem, sed non soli mortis suæ beneficia possederunt. Immensa enim Dei nostri pietas multiplex ad bonitatem, & artifex ad salutem, proponens arduam virtutum palmam, raro appetitore preciosam, in paucorum triumphis, plurimorum commodis prospicit. Illorum siquidem merita, nostra vult esse suffragia. Simulque dum nobis fidem veram duro martyrii agone commendat, afflictionem præcedentium, instructionem efficit posterorum.

Nota prisc. corũ Christianorum erga sacras reliquias deuotionem.

II. Qvanta est circa nos Dei nostri solicitudo? Illos examinat, vt nos erudiat. Illos conterit, vt nos acquirat: eorumque cruciatus, nostros vult esse profectus. Merito ergo eos colimus, qui periculis suis pugnant, & nostris vtilitatibus militant: qui per lucis vitæq; contemptum edocent nos, quantum Deo nostro debeamus affectum. Nouerimus itaq;, quia non sine magno discrimine de religionis veritate dubitamus, quã tantorum sanguine confirmatam videmus. Magni periculi

Merito colimus Sanctos.

Obserua hæc.

riculi res est, si post Prophetarum oracula, post Apostolorum testimonia, post martyrum vulnera, veterem fidem quasi nouellam discutere præsumas, & post tam manifestos duces in errore permaneas, & post morientium sudores ociosa disputatione contendas. Congratulamur ergo, dilectissimi fratres, magnæ fidei vestræ, per quam dum exules profluа charitate suscipitis, etiam incolas paradisi & cœli ciues habere meruistis.

BEATVM itaque Nazarium martyrem Christi sancta Mediolanensis ecclesia licet totum corpore secum retineat, IV.
& mundo tamen totum in benedictione transmittit. Hæc est enim sanctorum martyrum gloria, quorum etsi per vniuersum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo. Veneramur ergo in tanto Christi milite fidem nostram: mater namq; martyrii, fides catholica est, in qua iste illustris athleta sanguine fuso mortem pro ipsa calcauit: mater, inquam, martyrii fides est. Veneramur ergo in sanctorum martyrum gloria fidem nostram. Quomodo fidem nostram? Ab istis enim dum mortis tolerantia indubitanter excipitur, spes immortalitatis euidenter asseritur. Nunquam enim hanc vitam tam constanter expenderent, nisi esse alteram incomparabiliter beatiorem perfecta definitione sentirent. In sanctis itaque præconibus veritatis resurrectionis authoritas est. Prompti enim pereunt in melius reparandi, quibus per angustias tribulationum aperitur exitus ad amplitudinem gaudiorum.

Festus dies S. Nazarii.

VNDE & beatus Nazarius, cuius hodie glorioſam de mundi hoste victoriam vniuersalis Ecclesia festa exultatione V.
concelebrat, cum tempore gentilitatis non ignobilibus parentibus oriundus existeret, sacrilegi adhuc puer genitoris militiam simul & doctrinam detestari ex improuiso cœpit: atque ab innocente matre, quæ iam Christianæ fidei titulis insignita, Christo sedule insistebat, sacrosanctæ regenerationis fluenta, fidelis iam spiritu ac fide instituta præueniens, demonstrari sibi flagitabat. Nondum siquidem baptismum consequutus, sed inter religionis principia consummatus, & nondum manifestatis sibi legibus, Deo plenus, repente possessio atque habitaculum Dei factus est: atque ita peruenturæ vsque ad cœlos turris prius meruit eleuare fastigium, quam disponeret fundamentum. Nondum sacramentorum conscius, & in sacrificium iam præelectus.

In eos, qui post baptismum relabuntur in flagitia.

QVID ad hæc nos infelices respondere poterimus? Qui post nitorem baptismi, post collatum nobis sacra regene- VI.
ratione candorem, post acquisitam indumenti nuptialis angelicam dignitatem, in peccatorum cœnum relapsi, & in antiqua criminum volutabra reuoluti, niueum vestimentum tetris iniquitatum ac libidinum contagiis sordidamus, & holosericam, in qua sigillum diuinæ imaginis acceperamus impressum, maculis mortiferæ corruptionis infecimus: & post singularem Dei nostri indulgentiam innouata fœdamus, integra rescindimus, expiata violamus, repetentes opera non iam vndis purganda, sed flammis. Quid illud, quamq; insigne diuinæ gratiæ munus, quod accepto iam salutari lauacro, post innumera virtutum signa, post peragratas circumquaque ob Christi prædicationem innumeras regiones, cum pro Dei summi confessione diuersa per supplicia aduersus eum totus pene orbis baccharetur, & nunc atrocissimis arctaretur pœnis cruciandus, nunc in longinquis finibus transueheretur exulandus, ita robustissimo Christi athleta pectore tormenta omnia deuincebat, vt strenuum de prostrato hoste reportaret trophæum, interq; cruenta Cæsaris iussa vasti maris deiectus gurgitibus, ambulare et diuina super aquas concessum est prouidentia, & rerum obstupescente natura, per insueti itineris nouas vias pendulum inferens gressum, tumentia maris dorsa calcauit?

Celsus puerulus martyr.

VIDERES æquoreas sanctis substerni meritis vndas, supraque angelicis confortatum alloquiis, in Christi Iesu lau- VII.
dibus exultare. Ecce prophanus hostis nunquam beato martyri tantum prodesset obsequio, quantum profuit odio. Sed tandem perfecto agonis certamine cum Celso puerulo, quem ipse in holocaustum Deo polluto assumpserat ex sæculo, crudeli imperio damnatione absoluitur, gladio consecratur. Felix hic tali exitu, quo omne delictum ita ab eo exiit, vt etiam redire non possit: quo sic debita sua soluit, ne vltra creditorem timeret: quo in se hostium peccata fide clausit, fide damnauit: per quem innocentiam deuotione quæsiuit, perseuerantia inuenit, morte seruauit.

QVÆ cum ita sint, charissimi, licet hic tantus Christi testis pretiosus confessione, pretiosior sanguine, crudeli vul- IIX.
nere pretiosior, & tincta veste candidior, licet hic Mediolanensium peculiaris putetur priuilegio sepulchri, sed omnium est communione suffragii. Neq; enim istius vrbis charitas profluа, & fides auara, tantum huic martyri derogauerit, dum sibi arrogat, vt solum erga mœnia sua, patrocinii illius beneficia affutura esse crediderit. Non clauditur locis, quod diffunditur meritis. Inuocasti vbique martyrem, vbique te exaudit ille, qui honoratur in Martyre.

Inuocatio martyrũ Dei honor est.

MODERANTE itaq; eo, qui pensat vota tua, & dispensat munera sua, in tantum vicina præsentia efficacis præbebi- IX.
tur aduocati, in quantum fuerit fides deuota suscepti. Oratio enim, quæ castitatis, iustitiæ, eleemosynarum operibus adiuuatur, excedit mundum, penetrat paradisum, euolat vsque ad ipsum summæ Maiestatis, Angelo conferente, conspectum. Sicut quodam loco vox testatur angelica: Et cum tu, inquit, orares, ego obtuli orationem tuam in conspectu claritatis Dei. Beata anima, charissimi, cuius votum cuius compunctionis incensum, cuius supplicationis holocaustum, nulla infidelitate fumidum, nullo carnalis illecebræ fœtore pollutum, nulla fœuitia cruentum, nulla odii simultate macula ũ, sed fide igneum, conscientia nitidum, synceritate cordis odoriferum, concordia & charitate perfectum, vsque ad Dei vultum per cœlestium nunciorum defertur obsequia.

Tob 12.

Martyres mundi intercessores. *Psalm. 115.* *Psalm 135.* *Psalm 33.*

QVÆ cum ita sint, honoremus beatos martyres, principes fidei, intercessores mundi, præcones regni, cohæredes X.
Dei. Quod si dicas mihi: Quid honoras in carne iam resoluta atque consumpta, de qua nulla iam Deo cura est? Et vbi est illud, charissimi, quod ipsa veritas loquitur per Prophetam? Pretiosa, inquit, in conspectu Domini mors sanctorum eius. Et iterum: Mihi autem valde honorificati sunt amici tui Deus. Honorare debemus seruos Dei, quanto magis amicos Dei? De quibus alio loco dicitur: Dominus, inquit, custodit omnia ossa eorum, & vnum ex his non conteretur. Honoro ergo in carne martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices. Honoro viuentis memoriam perennitate virtutis. Honoro per confessionem Domini sacratos cineres. Honoro in cineribus semina æternitatis. Honoro corpus, quod mihi Dominum meum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reuerentur & dæmones? quod & afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro? Honoro itaque corpus, quod Christus honorauit in gladio, quod cum Christo regnabit in cœlo.

Nota hæc de veneratione Sanctorum & reliquiarũ.

DE IISDEM SS. NAZARIO ET CELSO MARTYRIBVS EX ADONIS *Martyrologio hoc die.*

MEDIOLANI, natale sanctorum martyrum Nazarii, & Celsi pueri: beati Nazarii pater Aphricanus, mater XI.
vero Perpetua, à beato Petro Apostolo baptizata. Ipse vero sanctus Nazarius à sancto Lino instructus & baptizatus est. Quem Anolinus sub rabie persecutionis, quæ per Neronem excitata est, diu maceratum & afflictum in carcere & cum eo beatissimũ Celsum puerum, quem idem ipse nutrierat, gladio feriri iussit. Quorum corpora Christiani furati, quinto Calendas Augusti sepelierunt foras portam, quæ dicitur Romana, in propriis hortis: Reuelabant autem se beatissimi martyres cuidam Cereario nomine, cui vxor Fortunata, & per visum monuerant se occultari propter rabiem persecutionis, quam Nero impius excitauerat. Latuerunt vero vsque ad tempora Honorii & Arcadii Imperatorum. Quos beatus Ambrosius Domino reuelante reperit.

Vt habetur To. 2. in vita S. Amb.

PATEFACTO autem sepulchro, in quo iacebat corpus sancti Nazarii, (qui quando passus fuerit, vt scribit sanctus Pau- XII.
linus, vsq; tunc temporis ignorabatur) viderunt sanguinem martyris ita recentem, qui præsentes erant, quasi eodem die fuisset effusus. Caput etiam ipsius, quod ab impiis fuerat abscissum, ita integrum atq; incorruptum, cum capillis capitis & barba,

& barba, vt videretur eo tempore, quo leuabatur, lotum, atque in sepulcro compositum. Etiam odore tanto repleti sunt, vt omnium aromatum vinceret suauitatem. Quo leuato, & in lectica composito, statim ad S. Celsum martyrẽ, qui in eodem horto positus erat, ad orationem S. Episcopus perrexit, & transtulit ad basilicam Apostolorum quæ est in Romana. Inuenti autem sunt pridiè Idus Iunij: festiuitas verò agitur, de martyrio, V. Cal. Augusti. Commemoratio tamen eorum publica & celebris in die sanctorum Geruasij & Protasij à fidelibus populis frequentatur, & venerabiliter excolitur. SS. Nazarij & Celsi inuentio, circa annum Dom. 400.

VITA S. ODVLPHI PRESBYTERI ANTE ALIQVOT SÆCVLA AB INCERTO QVIDEM AVTHORE, SED GRAVITER EDITA. STYLVM *mutauit magna ex parte Frater Laurentius Surius.*

I. EMPORIBVS Ludouici pijssimi Imperatoris vir quidam venerabilis fuit, è Francorum nobili prosapia ortus. Dicebatur is Bodgis, & ex eo procreatus est Odulphus: qui simulatq; è sacratissima baptismatis vnda renatus est, cælesti quoq; rore diuinitùs est irrigatus. Porro vbi desijt ad materna pendere vbera, literarum studiis traditus, & sanctis ac Deo deuotis hominibus, vt ab illis canonica religione imbueretur, commendatus est. Præstitit autem illi Deus tantum discendi studium, tantamq; ingenij felicitatem, vt illos etiam, qui ipsum ætate antecedebant, ipse longo post se interuallo relinqueret, ætatemq; suam, licet annis necdum maturam, diuinis disciplinis, & dogmatibus egregiè ornaret. Porrò cùm ætate accreuit ei etiam sapientia & sanctitas, idq; adeò, vt ijs, qui per id tempus Deo religiosè seruire conabãtur, nouus quidam Samuel ortus videretur. Quibus sanè adeò gratiosum illum diuina gratia effecit, vt vnanimiter ab illis omnibus amaretur, & ob vitam probabilem summæ veneration i haberetur. Atq; ille ediuersò par pari referens, syncero animi affectu eos quoq; diligebat. Iam verò puer religiosus ac venerabilis in ipsis adolescentiæ initijs id se meditari & appetere declarabat, quod postmodùm reipsa compleuit, non immemor illius Dominici sermonis, Qui amat patrem aut matrem plùs quàm me, non est me dignus. itemq;: Qui vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidiè, & sequatur me. Quorum ille adhuc puer crebrò memor, & die ac nocte sæpè illa tacitus secum reuoluens, pijs moribus & sanctis operib. planè apud se statuit Deo perpetuò seruire, spiritaliq; matri sanctæ Ecclesiæ inseparabiliter adhærere. *Matth.* 10. *Luc.* 9.

II. ITAQVE sanctus adolescens, viris quidem probatis in primis charus, sed tamen soli Deo seruire solicitus, per virtutum gradus semper ad sublimiora tetendit, donec in virum perfectum euaderet. Mentem atq; animum, quemadmodum solent sancti homines, ad cælestia continenter erigere, & mundanæ vanitatis ac pompæ inanis illecebras declinare statuit, vt in illum quoque competeret, quod in Psalmo legitur: Ibunt de virtute in virtutem. Sic ergo in cunctis virtutibus proficiens, etiam Ecclesiasticorum ordinum gradus ascendit, & presbyterij est benedictionem adeptus, regis altissimi sacerdos effectus. Tum verò mox apud se decreuit studio piæ conuersationis ad quoddam sacræ religionis monasterium se conferre. At parentes eum dehortabantur, ne id faceret, sed potiùs ad ipsorum se voluntatem accommodans, ecclesiam Oroschattanam administrandam susciperet. Illic enim & natus & educatus erat. Victus tandem precibus illorum, morem eis gessit ea in re, quamuis inuitus. Sed non diù pòst visum est ei adire summæ reuerentiæ locum Traiectum, antiquitùs Wiltenburg dictum, idq; ea mente & consilio, vt illic cum cæteris Dei famulis, Christo ibidem militantibus, quoad viueret, præpotenti Deo fideliter seruiret. Memoria ergo retinens, quod in euangelio Saluator ait: Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus: posthabito patre, neglectis propinquis, contemptis agris, familia, rebus & facultatibus omnibus, ad locum illum Christo duce profectus est, rebus quidem pauper, sed meritis diues. Nihil iam in hoc mundo habere volebat, vt à Domino iuxta illius promissionem centuplum acciperet, & vitæ æternæ hæres esse mereretur. *Psal.* 83. Initiatur sacerdotio. Traiectum olim Wiltenburg. *Luc.* 9. *Matth.* 19.

III. ERAT per id tempus Traiecti Episcopus eximia sanctitate, Fridericus nomine, qui virum Dei cum multo gaudio & honore excepit. Fecerunt idem omnes serui Dei, qui illic erant adunati, ex animo sibi gratulantes tam sanctũ tamq; religiosum ad ipsos Dei famulum accessisse. Nec potuit diù illos celare, quod oculos diuinæ maiestatis non latuit: sed cùm aliquantisper apud illos moratus esset, omnibus ardens cælesti lumine lucerna resplenduit. Erat enim in vigilijs strenuus, in ieiunijs potens, in oratione sedulus, in sacra lectione studiosus, in eleemosynis largus, in curandis pauperibus celebris, in hospitalitate feruens, in rebus ecclesiasticis distribuendis prudens. Deniq; quibus post antistitem præfectus erat, eos omnes mirum in modum antecedebat. Neq; aliter vel ab omnibus illis, vel ab ipso etiam præsule, quàm monasterij pater vocabatur, atq; ab eius ore omnes cupiebant accipere consilium. Omnibus enim omnia factus erat cum Apostolo, vt omnes Christo lucrifaceret. Fridericus Traiecti Episcopus. Virtutes S. Odulphi. *1. Cor.* 9.

IV. EA tempestate Frisones, homines feroces, in tam fœdos erant prolapsi errores, vt is, quem diximus, Episcopus, neq; per seipsum, neq; per suos Archidiaconos eos posset in viam veritatis reuocare. Itaq; literas per hominem fidelem misit Traiectum ad virum Dei Odulphum, rogans eum, vt qua posset celeritate traiecto maris sinu ad ipsum veniret. Literis illis acceptis, Christi seruus mirificè exhilaratur, perinde acsi ad cælestes epulas inuitaretur, cupiens cum suo pastore, si ita res poscat, in tam pio agone pro Christo sanguinem suum fundere. Cùm autem ad Episcopum peruenisset, ille viso eo, immenso perfusus gaudio, cum pacis osculo eum humaniter excepit. Deindè mutuo sese consolantes, &, vt summi regis generosos præcones decebat, gladio spiritûs egregiè accincti, per ecclesias pariter proficisci, iterùm atque iterùm eas inuisere, habere conciones ad populum, Euangelica eruditione ad veritatem reducere cœperunt. Denique, crebro admonendo, arguendo, increpando homines, qui anteà instar luporum sæui & rapaces fuerant, salutari doctrina in oues mansuetas conuerterunt. His ita gestis, antistes ille, communicato cum clericis, nec paucis eius religionis laicis viris consilio, virum Dei obnixè rogat, vt intra illius terræ limites velit permanere, & populum nuper ad sanitatem reuocatum, suis eruditionibus confirmare, & ab antiqui hostis mortiferis faucibus eripere. At vir Dei planè recusat, asserit se ætate grauem, ad id ministerium pares vires adferre non posse. Contrà Episcopus suis eum precibus flectere conatur. Cedit tandem sanctus vir, & pastoris sui iussa capessit, populique votis obsecundat, ea tamen conditione, vt liceat ei aliquot exactis annorum curriculis Traiectum reuisere, vbi se in Christi famulatu vitam finiturum promiserat. Cũ Episcopo Frisones ad meliorẽ frugem reuocat.

V. VOLENS igitur suo muneri non deesse vir plenus Spiritu sancto, non cessabat semina verbi Dei spargere in populum, cælorum regnum multa instantia prædicare, omnibus ceu prudens & fidelis dispensator, diuini sermonis præbere alimoniam, fortioribus solidum cibum, infirmis, ex Apostoli sententia, lac offerre. Ita factum est, vt omnes ex eius sanctitate gaudio replerentur. Cùm autem eo ministerio perfunctus esset, se recepit ad suos Traiectenses, Deum laudans, quod eius fretus ope, tot animas lucratus esset. Etsi autem iam longo fractus esset senio, at tamen animo vincens ætatem, nihil de Dei seruitio & solitis pietatis exercitijs remisit. Perseuerauit enim in ieiunijs assiduis, in vigilijs Deo gratis, in sanctis precibus, in largissimis eleemosynis: sibi parcus, aliis omnibus pro Christi nomine largus: nihil terrenum sibi acquirere cupiens, vt posset bonis æternis frui. S Odulphus multùm eis confert. *1. Cor.* 3.

CLARVIT verò etiam prophetiæ ſpiritu, ita futura prædicens, ac ſi iam coram fieri cerneret. Quod vt certius te- VI.
ſtatiusq; fiat, ex plurimis pauca adferemus. Cùm iam diſceſſurus eſſet ab eo loco, qui Staueren dicitur, priuſquàm ſe
daret itineri, ingens ad eum conuenit Friſonum multitudo, eius ſaluberrima adhortatione muniri cupientium. Ille
verò Domino eos commendans, benè precatus eſt eis, amanterque admonebat, ne à via veritatis vnquàm deflecte-
Prædicit Friſonibus, ipſorum defectionē & Dei animaduerſionem. rent, certi non ſine graui animaduerſione id ſe facturos. Et ego quidem, inquit, ſat ſcio non vos permanſuros in ſana
doctrina: ſed ea cauſa gentiles barbari in vos incurrent, quod mihi vobis iam antè prædicenti incunctanter credere
poteſtis, ijq; veſtram regionem populabuntur, vosq; & res veſtras ſecum in captiuitatem abducent. Euénit vtrunq;
poſteà, ſicut erat à ſancto viro prænunciatum.

INGENS ſaxum ad domûs eius oſtium iacebat. Illud ergo digito demonſtrans ijſdem, Scitote, inquit, futurum VII.
eſſe, vt abſq; vllius hominis opera ſaxum iſtud in flumen deuoluatur: vbi etiam latitabit ſub vndis, donec vos diuinæ
pacis eritis beneficio deſtituti. Cùm autem videritis iterùm abſque humano opere ad litus emergere, non dubitetis
me, licet iam extinctum, vos reuiſere, vobisque pacem à Deo impetratam apportare, manſuram apud vos, donec ſu-
perbia, periuriis, homicidiis, adulteriis atque omniuariis flagitiis eam rurſus à vobis excludatis, irato Deo propter
maleficia veſtra. Huius quidem vaticinij & ſigni admirandi permulti teſtes hodieque ſuperſunt, qui ſe id ſuis oculis
conſpexiſſe aſſeuerant: ſaxumque illud ibidem in Eccleſia immobile perdurat, vt credentium confirmetur fides, &
increduli pudefiant.

ECCLESIA Traiectenſis, è vita ſublato Epiſcopo, paſtore orbata fuit. Mox collecti clerici cum beato viro tra- VIII.
ctabant de eligendo ſucceſſore. Diù autem illis inter ſe contendentibus, tandem elegerunt Eccleſiæ Præpoſitum
Craſtum. At ille rebus valdè locuples, arroganter ac tumidè dixit ad illos: Habeo abundè multa: Cur in meos hu-
meros tantum onus conijcitis? Iis verbis commotus B. Odulphus, Quid, inquit, ais miſerrime? Spernis planè, ſed
Prædicit mortem ſuperbi Præpoſiti. quod conſequi non mereris. Quòd ſi nolebas in te recipere, diceres ſaltem te tanti honoris culmine indignum. At
nunc propter opes immenſas Apoſtolici ordinis ſpernens dignitatem, propediem ex hac luce ſubtraheris. Dixit vir
Dei, & ſermonis veritatem hominis mors declarauit. Interim qui ex Clero conuenerant, cùm animis vacillarent, ſin-
guli qui ipſis cumprimis idonei viderentur, elegêre. At Chriſti ſacerdos non ad perſonam, ſed ad meritum reſpiciens,
dicebat poſſe inter ipſos alium inueniri magis idoneum: nec tamen vituperabat ab ipſis electos. Itaque oſtendit eis
Hungerus fit Traiecti Epiſcopus. presbyterum quendam Hungerum nomine: qui licet vultu deformis eſſet, at tamen neſcientibus hominibus, ſed
non neſciente Deo, meritis inſignis erat. Eum ergo omnes elegerunt, & ſtatuto tempore conſecratus eſt Epiſcopus:
cuius ſanè tanta fuit vitæ integritas, vt poſt Willibrordum & Bonifacium ſanctos Epiſcopos, in illa ſede nullus re-
pertus ſit, qui vſque ad ſupremum vitæ diem excolendis virtutibus par illi fuerit. Apparet inde, non temerè eum à
ſancto Odulpho aliis prælatum fuiſſe.

IAM ſenectus premebat ſanctum virum Odulphum, & ad Eccleſiam abſque ſcipione progredi non poterat. In IX.
ipſius autem ſcipionis ſuprema parte ceream affixerat tabellam, in qua ſolebat, oblata occaſione, nomina fidelium
annotare, donec ea in libro vitæ deſcriberet. Quodam autem die præ animi vigore & alacritate oblitus imbecillita-
tis ſuæ, cùm ad Dei cultum properaret, in domicilio ſuo reliquit ſcipionem illum. Paulò pòſt opera maligni dæmo-
nis inflammatum eſt domicilium illud, & cum omni ſupellectile conflagrauit. Erat tum vir Dei occupatus laudi-
bus diuinis, ſed cùm cerneret valido igni iam correptum domicilium, ad ſolita præſidia ſe contulit, Deum orans, ne
loca ſancta ignis inuaderet: non admodum curans excidium cellulæ ſuæ. Exaudiuit verò Deus preces eius, moxque
Scipionem & cerā viri Dei nihil lę dit ignis. incendium repreſſum eſt, nec quicquam præter viri Dei domicilium exuſſit. In mediis autem flammis adeò ſcipio
manſit illæſus, vt ab igni cera indurata videretur, ne minutiſſimo quidem apice ex illa abolito. Quo inſigni miraculo
Deus oſtendere voluit, quanti apud ipſum meriti eſſet ſanctus Odulphus. Scipionem autem illum in eius defuncti
ſepulcrum defixêre fratres, qui illic ita manſit fixus vſq; ad beatæ memoriæ Ratbodi Epiſcopi tempora.

ADVENTANTE tandem tempore, quo vir beatus ad optatam cæleſtis patriæ gloriam erat tranſiturus, modica fe- X.
bre correptus, ſenſit adeſſe migrandi tempus. Accitis igitur fratribus, indicauit eis diem obitûs ſui. Sub ipſam autem
mortis horam rurſus fratres ſibi adeſſe voluit, & cum ipſo cantare pſalmos pro expectatione deceſsûs ſui. Omnibus
Vult pro ſe defuncto rogari. denique ex ipſius præſcripto ritè peractis, valefecit fratribus, rogans eos, vt pro ipſo Dominum precarentur, ſe quoq;
pollicens pro ipſis & loco illo eiusque habitatoribus perpetuo Domino preces oblaturum. Inde mox ad Dominum
Pſal 30. ſe conuertens, nihilque trepidans ad mortem, (quippe qui mortem ipſam in lucro poneret) hilari mente dixit: In
manus tuas Domine commendo ſpiritum meum: ſub quibus verbis ſanctiſſima illa anima è corpore egreſſa eſt: ſi-
mulque ſuauiſſimi odoris fragrantia illic diffuſa eſt, ita vt omnes inæſtimabili ſuauitate replerentur, perſpicueq; in-
de liceret animaduerti, beatiſſimos angelicos ſpiritus animam illam è corpore abeuntem ſuſcepiſſe. Eius feſtus dies
* Vbi eius reliquiæ habentur apud S. Saluatorē. celebratur pridiè Idus Iunij. Fiunt autem per eius merita non ſolùm * Traiecti, ſed etiam in Staueren innumera mi-
racula in honorem & gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum patre & Spiritu S. viuit & regnat per infinita ſæcu-
la ſæculorum, Amen.

Molanus in Vſ. martyr. hoc die.

F. LAVRENT. SVRIVS PIO LECTORI.

IN Aprili menſe vitam Iuſtini Philoſophi repoſuimus, authore Ioachimo Perionio, ſecuti Latina Martyrolo-
gia. Nunc rurſus damus Iuſtinum Philoſophum, cum multis aliis pro pietate cæſum, authore Simeone Metaphraſte,
qui eum habet die 12. Iunij. Vtrùm autem planè idem vtrobique ſit Iuſtinus, ob temporis penuriam necdum ſatis ex-
aminare licuit. Mihi quidem diuerſus hic ab illo priori eſſe videtur. Non enim tam obſcurus fuit Iuſtinus, vt Præfe-
ctum ex eo percontari oportuerit, quod in hac hiſtoria fit, in quarum diſciplinarum genere verſaretur. Sunt & alia,
quæ facilè perſuadeant non eundem eſſe.

Baronius è contra authoritate Epiphanij hæreſi 46. eundem eſſe aſſeuerat anno 165. §. 6.

AN. 140. ## MARTYRIVM SANCTORVM IVSTINI PHILOSOPHI, CHARITONIS, ET SOCIORVM, QVI ROMÆ PASSI SVNT,

ex Simeone Metaphraſte.

12. IVNII. QVO tempore nefarij ſuperſtitionis idolorum repugnatores impia contra pietatem ac religionem ſer- I.
uantes Chriſtianos per ſingulas vrbes ac regiones edicta propoſuerunt, vt quicunque Chriſtiani de-
prehenſi eſſent, idolis ſacrificare cogerentur: comprehenſi Iuſtinus, & qui cum illo erant adducti
* vrbis Præfectum. ſunt ad * Romæ Præſidem, Ruſticū nomine. Quibus ante tribunal conſtitutis, Ruſticus Præſes dixit
Iuſtino: Agè, eſto diis ipſis obediens, & Imperatoriis edictis. Illi autem Iuſtinus reſpondit: Nemo vnq̄ reprehendi aut
condemna-

condemnari poterit, qui Saluatoris nostri Iesu Christi præceptis obedierit. Tum Rusticus Præfectus: In cuiusnam, inquit, eruditionis ac disciplinarum genere versaris? Cui Iustinus: Omnium disciplinarum genus discere conatus sum, omnemque eruditionem expertus, postremò verò Christianorum disciplinæ adhæsi, quamuis illa non placeat his, qui falsæ opinionis errore ducuntur. Tum Rusticus dixit: Illáne, miserrime, eruditione delectaris? Maximè, inquit Iustinus, quoniam recto cum dogmate Christianos ipsos sequor. At Præfectus: Qualenam est istud dogma? Respondit Iustinus: Rectum dogma, quod Christiani homines cum pietate seruamus, hoc est, vt Deum vnum existimemus factorem atque creatorem omnium, quæ videntur, quæq; corporeis oculis non cernuntur, & Dominum Iesum Christum Dei filium confiteamur olim à Prophetis prænunciatum, qui & humani generis Iudex venturus est, salutis præco, & magister ijs, qui ab illo benè didicerint. Ego quidem, vt homo, imbecillis sum, & longè minor, quàm vt de infinita illius Deitate aliquid magnum dicere possim: Prophetarum munus hoc esse fateor. Illi enim huiusipsius, quem Dei filium esse dixi, in orbem terrarum aduentum multis anteà sæculis diuinitùs prædixerunt. Christianũ dogma.

II. QVÆSIVIT Præfectus, quem in locum Christiani conuenirent. Cui respondit Iustinus, eò vnumquemq; conuenire, quò vellet ac posset. An, inquit, existimas, omnes nos in eundem locum conuenire solitos? Minimè res ita se habet, quoniam Christianorum Deus loco non circumscribitur: sed cùm inuisibilis sit, cœlum & terram implet, atque vbique à fidelibus adoratur, & eius gloria collaudatur. Tunc Præfectus: Agè, inquit, dicas, quem in locum conueniatis, & discipulos tuos congreges. Respondit Iustinus: Ego prope domum * Martini cuiusdam ad balneum, cognomento * Timiotinum, hactenùs mansi. Veni autem in vrbem Romam secundò, neq; alium quempiam locum, nisi quem dixi, cognosco. Ac si quis ad me venire voluit, communicaui cum illo veritatis doctrinam. Ergo Christianus es tu? inquit Rusticus. At Iustinus: Maximè, Christianus ego sum. Tunc Præfectus dixit Charitoni: An & tu Christianus es? Cui Chariton: Christianus ego sum, Deo ipso adiuuante. Quæsiuit Rusticus à Charitana muliere, num & ipsa Christi fidem sequeretur. Cui respondit illa, se quoq;, Deo dante, Christianam esse. Tunc Rusticus dixit Euelpisto: Tu verò quisnam es? Qui respondit: Seruus quidem Cæsaris sum, sed Christianus, à Christo ipso libertate donatus, & illius beneficio atq; gratia eiusdem spei, cuius & isti sunt, quos vides, particeps factus. Post hæc Præfectus quæsiuit ab Hierace, num & ipse Christianus esset. Cui Hierax dixit: Certè Christianus & ego sum: eundem enim Deum colo atque adoro. An, inquit Præfectus, Christianos vox fecit Iustinus? Ego, inquit Hierax, & fui, & ero Christianus. Stans autem & Pæon dixit: Ego quoq; sum Christianus. Et quisnam, inquit Præfectus, te docuit? Respondit ille: A parentibus bonam hanc confessionem ego accepi. Post hunc Euelpistus dixit: Et ego Iustini quidem sermones magna cum voluptate audiebam, sed à parentibus tamen & ipse Christianus esse didici. Tum Præfectus: Et vbinam parentes tui sunt? In Cappadocia, inquit Euelpistus. Quæsiuit Præfectus & ab Hierace, vbinam gentium essent eius parentes. Cui respondit Hierax: Verus pater noster Christus est, & mater Fides, qua in ipsum credimus: terreni verò parentes mei mortui sunt. Cæterùm ego ab Iconio * Phrygiæ abstractus huc veni. Quæsiuit Præfectus à Liberiano, quidnam & ipse diceret: num Christianus esset, atque in deos impius? Cui Liberianus: Et ego, inquit, Christianus sum: colo enim & adoro solum verum Deum. *Ieremi. 23.* *Martij. * Timothinum. Chariton. Charitina. Euelpistus. Hierax. Pæon. * Pisidiæ. Liberianus.

III. TVNC Præfectus conuersus ad Iustinum dixit: Audi tu, qui eloquens esse diceris, & putas te veram disciplinam tenere: Si à capite per totum corpus flagellis cæsus fueris, persuasúmne habes, fore vt in cœlum ascendas? Cui Iustinus: Spero, inquit, me habiturum, quod habent, qui Christi dogmata seruauerint, si hæc ipsa, quæ dicis, perpessus fuero. Scio enim omnibus, qui sic vixerint, diuinam gratiam conseruari, quoad totus mundus consummetur. Ad hæc Præfectus Rusticus: Ergo futurum opinaris, vt in cœlos ascendas, mercedem aliquam recepturus? Non opinor, inquit Iustinus, sed scio, & hoc tam certum habeo, vt nihil dubitem. Rusticus dixit: Veniamus deinceps ad id, quod propositum est, & nos vrget. Conuenite simul, & vno eodemque animo diis sacrificate. Ad hæc Iustinus: nemo, inquit, qui rectè sentiat, pietatem deserit, vt in errorem atque pietatem delabatur. Præfectus Rusticus dixit: Nisi iussis nostris parere volueritis, cruciatus sine vlla misericordia patiemini. Iustinus autem: Maximè nos in votis habemus, propter Dominum nostrum Iesum Christum cruciatus perpeti, ac saluari: hoc enim nobis salutem & fiduciam conciliabit ante eiusdem Domini & Saluatoris nostri terribile illud tribunal, cui totus mundus diuino iusso assistet. Idem & reliqui omnes Martyres dixerunt, hoc addentes: Fac citò, quod vis: nos enim Christiani sumus, & idolis non sacrificamus. De firma spe dicit, qua illud expectare debet, si seruet mandata Dei.

IV. HAEC audiens Præfectus, talem sententiam pronunciauit: Qui diis sacrificare, & Imperatoris edicto parere noluerunt, flagello cæsi, ad capitalem pœnam abducantur, quemadmodum leges præcipiunt. Itaq; sancti martyres Deum collaudantes, ad consuetum locum perducti, post verbera securi percussi sunt, & in Saluatoris confessione martyrium consummârunt. Post hæc quidam fideles clàm illorum corpora sustulerunt, & in loco idoneo illa condiderunt, cooperante gratia Domini nostri Iesu Christi: Cui gloria in sæcula sæculorum, Amen. Sententia Iudicis in martyres.

MARTYRIVM SANCTÆ AQVILINAE VIRGINIS, EX SIMEONE METAPHRASTE. AN. 290.

I. POSTEAQVAM Saluator noster Iesus Christus è cœlo descendit, & homo factus est, & pro peccantium hominum salute in terris apparuit, eiusque miraculis abundè mundus ipse illustratus fuit, atque his, quæ vltrò passus est, diaboli, qui hominem circumuenerat, imperium exinanitum fuit, diuinaque gratia per gloriosam ipsius resurrectionem in mundum redundans, humanum genus ad fidem conuertit, denique posteaquam è terra in cœlum ipse ascendit, & ad patris dexteram sedit, Apostoli, acceptis ab eo mandatis, fidem ipsius per totum orbem terrarum prædicârunt. Cumque multi per Apostolicam prædicationem instituerentur, & Dei ope adiuuante, omnes illi à S. Spiritu illuminarentur, fides ipsa per totum orbem terrarum vigebat. Apostoli verò, cùm suum munus compleuissent, ad cælestem Dominum ascenderunt. Sed illorum tamen prædicatio faciebat, vt per vniuersam terram multi Deum timerent. IVNII 13.

II. ITAQVE in vrbe quadam Palæstinæ regionis, quæ Biblos dicebatur, erant Christiani homines, qui ab Apostolis ipsis pietatis doctrina instructi fuerant, è quibus vnus, Eutolmius nomine, in vrbe illa vxorem duxit: qui cùm vnà sanctè viuerent, Deus ipse fructum & progeniem illis dedit, quæ nefaria tyranni decreta exinaniuit. Cùm enim fœmina illa ex Eutolmio viro suo concepisset, puellam peperit, quam & Aquilinam parentes nominârunt. Hæc cùm paulò grandior facta esset, & ætatem adhuc tenellam ageret, iniquorum Imperatorum de idolorum cultu seruando constitutiones euertit. Cùm enim puella ipsa quadrimestrem ætatem ageret, eius mater ad Euthalium Episcopum illam tulit, quam in nomine Domini nostri Iesu Christi Episcopus ille signauit, & catechumenam fecit. Post duos verò menses cùm eandem ad Euthalium ipsum mater portâsset, puella Christi baptismo illuminata est. Quæ cùm annum ageret, eius pater Eutolmius ex humana vita ad Christum migrauit: Mater verò puellam educabat. Itaq; cùm septem annos hæc ageret, à matre sua omnem institutionem mulieribus congruentem edocebatur, quæ quo ætate magis crescebat, eo magis Spiritu sancto implebatur, & Christi gratia decorabatur. S. Aquilinæ patria & parentes.

CVM verò decimum annum ageret, nunquàm desinebat Deum ipsum inuocare. Quo tempore, Diocletiani III.
Imperatoris anno septimo instante, Volusianus quidam homo tam nefarius, vt diaboli progenies dici posset, prouin-
Volusianus crudelis Palæstinæ præfectus. ciæ Palæstinæ administrationem accepit: qui cùm Deum ipsum non cognosceret, cœpit diuinæ pietatis cultores in-
sectari. Cùm igitur Christi victoria multi coronarentur, & Domini Iesu athletæ certamina maxima rectè sustinerent,
diabolus ipse videns consilia sua à victoribus Christi militibus destrui, omnem insaniam ac furorem effundebat.
Quæ cùm ita fierent, beata & honesta virgo Aquilina multam Dei notitiam habens, æqualesq; suas conueniens, &
quotidiè cum illis colloquens. Quænam, inquit, vtilitas vobis est ab idolis, quæ vos colitis? An ignoratis, quòd qui
fidem in istis collocârunt, vanam expectationem, inanem, nugacem, animarum corruptricem & dæmoniacam spem
habent? istorum enim omnis inuocatio inutilissima est, quiq; istis diis sacrificium offerunt, vt eos propitios sibi faci-
ant, inanem operam consumunt. Nam qui mortui sunt, & loquendi facultatem sibi dare non possunt, quomodo illi
poterunt aliis benefacere?

Hæc cùm Aquilina diceret, mulieres omnes quæ cum ea loquebantur: Quoniam, inquiunt, deos ipsos negas, IV.
& eos euertere vidéris, agè dic: Quemnam Deum tu colis? Respondit Aquilina: Ego Deum illum colo, qui cœlum,
terram, & mare creauit, quique ab omnibus sæculis ijs omnibus benefecit, qui fidem & spem in ipso habuerunt, &
Aquilina fœminas iè prouocat ad fidē. adhuc potest benefacere in perpetuum ijs, à quibus inuocatur. Tum mulieres illæ: Et quomodo, inquiunt, nos audi-
uimus, à Iudæis interfectum fuisse istum, quem tu Deum dicis? At Aquilina: Omnes, qui à morte absorpti fuerant,
Deus meus redemit; mors enim ipsi non dominatur. Hic igitur cùm opera manuum suarum, hoc est, homines ipsos
in multo errore vagantes vidisset, hominem se facere voluit, vt mundi errorem extingueret, & gratiam cum iustitia
coniunctam nobis afferret. Dixerunt fœminæ illæ: Et quisnam est, quem Crucifixum dicunt? Ille ipse, inquit Aqui-
lina, est omnium Saluator, qui propter suam in homines charitatem, cùm vellet omnibus hominibus per aquam &
spiritum nouam generationem afferre, Crucem subire & perpeti voluit, vt non solùm ijs, qui in terris sunt, salutem
conferret, sed eos etiam, qui apud inferos tenebantur, liberaret: omnibusque, eò quod ipse tertio die à mortuis re-
surrexit, futurum ostendit, vt & ipsi omnes suo tempore à mortuis resurgerent. Tunc illæ: Si hæc beneficia in orbem
terrarum, vt tu dicis, iste contulit, quare Iudæi, ex quibus & ipse erat, non vt Deum colunt? Ad hæc Aquilina: Sem-
per, inquit, Iudæorum natio veritatis viam auersata est, cumque ceruice dura & animo obstinato sint, quæ iusta &
vera sunt, reijciunt: quamobrem & eum, qui multis modis in ipsos piè se gesserat, negauerunt, Pilato tradentes, &
vt eum in Crucem tolleret, ab ipso flagitantes. Ipse tamen Iesus sponte Crucem illam subijt.

V.
DVM Aquilina cum fœminis hæc loquebatur, Nicodemus quidam ex illorum numero, qui erant cum Procon-
Aquilina defertur apud Volusianum. sule, audiuit quæ Aquilina dicebat, & statim ad Volusianum Proconsulem cucurrit, & ait: En, Proconsul, Impera-
tores ipsi deorum beneficia profitentes, per omnes vrbes edicta miserunt, vt quicunque dijs ipsis non sacrificant,
pessimis modis interficiantur. Est in vrbe hac puella, quæ dijs aduersatur, & edictis religiosorum Imperatorum non
obedit, sed totam spem suam in homine illo Crucifixo collocauit: quinetiam mulieres alias docet, & ipsas Deorum
stabilem & compositam religionem denegare. Adde, quòd & deos ipsos dæmones vocat. Hæc cùm audîsset Pro-
consul, misit quosdam ex cohorte sua, qui eam comprehenderent. Quam cùm tenuissent, ad tribunal duxerunt.
Tum in eam Proconsul intuens: Túne, inquit, es, quæ Imperatorum edictis repugnas, & fœminas alias falsis sermo-
nibus instruis, ne amplius dijs ipsis obediant, sed Crucifixum hominem colant? An ignoras, Imperatores ipsos isti
Crucifixo iratos esse, quippe qui iusserunt, pœnis quibusdam ineuitabilibus & summis cruciatibus illos interfici,
qui Iesum colunt? Quamobrem & tu ab illius doctrina discedas, & inuictis dijs nostris congruentes victimas afferre
Constantia S. Aquilinæ studeas, ne aliquo modo nos cogamur cruciatibus te subijcere, eô quòd dijs ipsis obtrectes. Ad hæc Aquilina: Cùm,
inquit, cruciatibus à te Proconsule subiecta fuero, tunc immortalitatis coronam à Saluatore meo me accepturam
expecto, eô quòd illum non negem. Quapropter sine mora quæuis tormenta in meipsam excogites, vt cognoscas me
fide armatam tibi assistere, neq; minas tuas extimescere.

VI.
TVNC dixit Volusianus: Video te ad tribunal meum assistere ætate admodum iuuenili, specie verò & pulchri-
tudine valdè honesta: itaque tuî rationem habeo: nam si tormentis te subijciam, tenera membra tua quamprimùm
gladijs destruentur. Quòd si carnificibus meis iussero te cruciare, nullam tuî rationem habebunt: tu verò ætate val-
dè tenera supplicijs malè consumpta, vitam finies, neq; quicquam tibi prodesse poterit Christianorum Deus, quem
Aquilinæ ætas. colis. Erat beata Aquilina duodecimum ætatis annum tunc agens, cùm Proconsuli assistebat: quæ respondens: No-
lo, inquit, ego, vt misericordia me prosequaris: putans enim te misericordem in me esse, maiori damno me afficis:
sed à te peto, vt ferociorem te ostendas, quô ex patientia mea cognoscas, eos, qui spem suam in Christo Domino po-
suerunt, inuictos permanere.

VII.
HÆC cùm Volusianus puellam dicentem audiuisset, iussit carnifices ad eam accedere, & constanter colaphis
Colaphis cæditur. illam percutere, & addidit: Vide, Aquilina, num istæ tormentorum primitiæ tibi suaues & iucundæ videantur. Ad
hæc Aquilina: Tu quidem, Tyranne, non veritus es iubere colaphis eam cædi, quæ ad imaginem Dei facta est: itaq;
nec Deus meus tibi parcet in die Iudicij. Tum Volusianus: Ego, inquit, existimo, maximos nostros deos terrarum
orbis salutem in manu sua tenere, & in illo altero sæculo omnium salutem in sua potestate habituros. Idque cùm di-
Verberatur acriter. xisset, iussit puellam exui, & subligaculo cinctam, à duobus carnificibus distentam acriter verberari, hæc verba ad-
dens: Nónne tu, Aquilina, dixisti futurum, vt Deus tuus in die Iudicij mihi non parcat? Et vbinam ille nunc est, qui
mihi non parcit? Veniat, & liberet te de manibus meis. Sed admoneo te, vt vanam istam Christianorum hæresim
fugias.

VIII.
TVNC iussit carnifices verbera intermittere, & ad Aquilinam conuersus: Agè, inquit, dic mihi, misera: Et quem
aliquando cognouisti, aut audiuisti spem habuisse in homine Crucifixo, qui manus meas effugere potuerit? Et quē-
nam eorum, qui eius fidem secuti sunt, Imperatores viuum reliquerunt? Agè igitur, audi me, & ab insania ista te re-
moueas. Ad hæc Aquilina: Num ô Tyranne ferocissime, tormenta hæc putas me sensisse? Illud velim scias, quot-
cunque machinas pater tuus diabolus tibi contra meipsam suggerit, totidem, & longè iis plura, subsidia mihi à Deo
suppeditari. Tunc Volusianus: Nos, inquit, edocti sumus à sapientibus iis, qui ante nos fuerunt, diis ipsis immolare:
itaque tibi dies aliquot præscribi iubeo, vt interea consilium ineas, num meliorem mentem capiens, diis cultum of-
ferre, & vitam à nobis, maximosque honores ab Imperatoribus nostris assequi velis. Ad hæc Aquilina: Quotnam
dies mihi præscribis, quibus deliberem? Tot, inquit Volusianus, quot ipsa voles, & à me petes. Aquilina autem di-
Magna teneræ puellę sapientia. xit: Hoc à te peto, vt nullos mihi dies præscribas, quòd ad huius rei consultationem attinet. Ego enim ab ineunte
ætate hoc semper cogitans nullum alium Deum inueni, qui possit mihi benefacere, & ad quem confugere oporteat,
nisi cælestem illum Deum. Tunc Volusianus: Vana est, vt video, admonitio mea, & frustrà laboraui, cùm te admo-
nui. Nequaquàm, inquit Aquilina, hac in re tibi obtempero, itaque ne frustrà labores, sed quicquid excogitari po-
test, aduersus me inutilem Dei seruam adhibeas, vt rursus te victum esse ostendam, quemadmodum & superioribus
tormentis victus es.

TVNC

IX. TVNC Volusianus dixit: Accendantur subulæ, ita vt ignitæ sint, & per eius aures transmittantur. Cùm fecissent carnifices, quod iussi fuerant, & subulas ardentes in aures puellæ eò vsq; transmisissent, quoad vel solus ignis vapor eius cerebrum combureret, & per nares effunderet, cumq; ipsius cerebrum incenderetur, puella Deum sic precata est: Tu Domine Iesu Christe, qui aluisti me ab adolescentia mea, qui iustitiæ tuæ radiis occultissimas cogitationes meas illuminâsti, qui generosa & forti potentia tua me fortem reddidisti, vt contra hostem & aduersarium diabolum pugnarem, qui veram & summam sapientiam tuam omnibus fidelibus tuis impertiuisti, perfice cursum certaminis mei, & virginitatis meæ lampadem extinctam serua, vt & ego vnà cum quinq; illis virginibus ad purissimum thalamum tuum introire, ac teipsum celebrare possim, qui petitiones meas mihi concessisti. Ignitæ subulæ in aures eius defiguntur. *Matth 29.*

X. HÆC cùm precata esset, & diutiùs ferreis & ardentibus subulis combureretur, semimortua facta est, ita vt Proconsul Volusianus illam mortuam esse crediderit. Itaq; iussit illinc eam absportari, & extra vrbem proijci, quippè quæ deos ipsos negauerat, & Imperatores contempserat: ob idq; dicebat sepulturæ mandari non debere, sed canibus ipsis escam proijci. Cùm verò Aquilina totum diem in via proiecta iacuisset, circa medium noctis tempus descendit Angelus Domini, & Aquilinam cùm tetigisset: Surge, inquit, & esto sana, Volusianumq; Proconsulem redarguas, quòd ipse nihil, & eius consilia vana sint. Statim Aquilina incolumis surrexit, & Deum laudans, dicebat: Gratias ago tibi vitæ meæ authori, qui sanitatem affers, & ab iniquitatibus homines liberas: tu enim es, Domine, qui ante sæcula fuisti, & in sæcula permansurus es, nec præter te alius est Deus. Illud vero à te supplex peto, vt cùm patientiæ brauio consummata fuero, corona tua caput meum circumdes, vt certissimis promissis tuis fruens, vnà cum choro sanctorum tuorum, qui propter te martyrium compleuerunt, hymnos tibi concinam. Tunc illi Dominus respondit: Vade, fiat tibi, sicut tu dixisti. Quo audito, Aquilina valdè lætata est. Tunc ab Angelo ducta, venit ad portam vrbis: qua statim patefacta, in vrbem ipsam est ingressa. Ab Angelo sanatur.

XI. FVIT autem illi dux Angelus, donec ad Volusiani prætorium eam duxit. Qui cùm à somno excitatus, illam ante oculos suos stantem vidisset, stupore perculsus est: & statim quosdam vocauit ex ijs, qui in eius prætorio morabantur, dicens: Videte, quænam hæc sit, quæ ante oculos meos consistit. Cumq; allatis luminibus, illam vidissent, dixerunt: Profectò hæc Aquilina est, quam tu canibus escam proijci iussisti. Hæc cùm audîsset Proconsul, iussit illam seruari vsq; ad sequentis diei tempus. Quod cùm venisset, iussit illam duci ante tribunal. Eam vero affatus: Túne, inquit, es Aquilina? Tum illa respondit: Sceleſtissime homo, & si cordis tui lumen excæcatum est à patre tuo diabolo, an & corporeis oculis non vides? Ego sum Aquilina, quæ tibi nunc assisto. Tum Proconsul manu sua oculos terens, & præ stupore cùm paulisper obmutîsset, secum dicebat: Si ipsius cerebrum combustum est, & morti subiecta non fuit, nullum igitur deindè aliud tormentum ipsam attingere poterit.

XII. HÆC cùm dixisset, sententiam, vt securi percuteretur, talem pronunciauit: Aquilinam pessimæ Christianorum sectæ propugnatricem, natu quidem minorem, sed veneficiis tamen grandem, Imperatorum edictis religiosissimis aduersantem deprehendimus, neq; diis obedientem, neq; Imperatoribus assentientem: quam cùm multis admonitionibus conati simus ab insania hominis Crucifixi ad inuictorum deorum verissimam cognitionem traducere, non potuimus. Hæc multa tormenta experta quidem fuit, sed veneficiis tamen suis fecit, vt nullis tormentis perturbari posset. Reliquum igitur mihi visum est, ne deorum sacrificia irrideantur, vt hanc extra vrbem eductam capitali pœna plecti iubeamus. Cùm igitur Aquilina educeretur, & carnifex præiret, venit ad eum locum, in quo illam gladio percuti definitum fuerat. Ibi vnius horæ tempus petijt, vt Deum oraret. Erectis igitur in cœlum oculis: Domine, inquit, Deus omnipotens, ago tibi gratias, quòd martyrij mei tempus mihi ostenderis. Laudo te, Deus meus, rerum omnium effectorem, quod non fecisti, vt frustrà stadij mei cursum conficerem. Benedico tibi creator vniuersorum, quod Tyrannum confudisti, & meipsam coronâsti. Hoc igitur à te supplex peto, vt accipias spiritum meum in pace, vt derelictis terrenis rebus, cælestibus bonis frui possim, &, te authore, immortalitatis coronam recipiam. Sententia Volusiani in eam. Virtus diuina adscribitur veneficiis.

XIII. HÆC cùm precata esset, vox è cœlo venit, quæ dixit: Age, virgo electa, quæ Tyranni fremitum conculcâsti, & diaboli stimulos certamine tuo comminuisti, ducemq́ue Volusianum omninò superâsti, accipe brauium tibi propositum. In terris labores & ærumnas pertulisti, in cœlis nunc iucunditate perfruaris. Cùm hæc vox ad eam delata esset, priusquàm carnifex in eius ceruicem gladium iniecisset, beata Christi veri Dei nostri martyr perfectè mortem obijt. Carnifex vero, licet illa spiritum reddidisset, tamen, Proconsule iubente, eius caput abscidit, ex quo pro sanguine lac in terram defluxit. Christiani autem homines cùm præsto essent, eius reliquias gemmis præstantiores sustulerunt, & preciosis vnguentis ac linteis nouis inuolutas, in monumento apud vrbem Biblon sepeliêrunt. Martyrio autem consummata est beata Aquilina, Imperatore Diocletiano, & Volusiano Proconsule, tertiodecimo die mensis Iunij. Est autem eius martyrij locus in vrbe Biblo, vbi vsq; ad hodiernum diem multæ curationes hominibus afferuntur, in Christo Iesu Domino nostro: Cui gloria in sæcula sæculorum, Amen. Expirat nec dum cæsa à carnifice. Reliquiæ eius gemmis præstantiores.

De S. Felicula videat Lector historiam SS. Nerei & Achillei in mense Maio, die 12.

VITA GERARDI MONACHI, FRATRIS D. BERNARDI ABBATIS CLARAVALLENSIS, PER EVNDEM SCRIPTA, *Sermone xxvi. in Cantica Canticorum.* AN. 1120.

I. QVOVSQVE dissimulo, & ignis, quem intra meipsum abscondo, triste pectus adurit, interiora depascitur? Clausus latiùs serpit, sæuit acriùs. Quid mihi & cantico huic, qui in amaritudine sum? Vis doloris abducit intentionem, & indignatio Domini ebibit spiritum meum. Subtracto siquidem illo, per quem mea in Domino studia vtcunq; libera esse solebant, simul & cor meum dereliquit me. Sed feci vim animo, ac dissimulaui vsq; huc, ne affectus fidem vincere videretur. Deniq; plorantibus aliis ego (vt aduertere potuistis) siccis oculis secutus sum inuisum funus, siccis oculis steti ad tumulum quousq; cuncta peracta sunt exequiarum solennia. Indutus sacerdotalibus, solitas in eum orationes proprio ore compleui, terram meis manibus ex more ieci super dilecti corpus terram mox futurum. Qui me intuebantur, flebant, & mirabantur quod non flerem ipse: cum non illum quidem, sed me potius qui illum amisissem, omnes miserarentur. Cuius enim vel ferreum pectus super me ibi non moueretur, quem videret Gerardo superstitem? Commune damnum: sed præ meo non reputabatur infortunio. At ego quibus poteram viribus fidei, reluctabar affectui, nitens vel inuitus non moueri frustrà addictione naturæ, vniuersitatis debito, conditionis vsu, potentis iussu, iudicio iusti, flagello terribilis, Domini voluntate. Pro huiusmodi semper extunc & deinceps exegi à memetipso non indulgere multo fletui, multum tamen turbatus & mœstus. Nec potui imperare tristitiæ, qui potui lachrymæ: sed vt scriptum est, Turbatus sum, & non sum locutus. At suppressus dolor altius introrsum radicauit, eo (vt sentio) acerbior factus, quod non est exire IVNII 13. En vt vir sanctus domitas habuerit affectiones. *Psal. 76.*

permissus. Fateor, victus sum. Exeat necesse est foras, quod intus patior. Exeat sanè ad oculos filiorum, qui scientes incommodum, planctum humaniùs æstiment, dulciùs consolentur.

Encomia Gerardi.

II. SCITIS, ô filij, quàm iustus sit dolor meus, quàm dolenda plaga mea. Cernitis nempè quàm fidus comes defe- ruit me in via hac qua ambulabam, quàm vigil ad curam, quàm non segnis ad opus, quàm suauis ad mores. Quis ita mihi perneccssarius? cui æquè dilectus ego? Frater erat genere, sed religione germanior. Dolete, quæso, vicem me- am vos, quibus hæc nota sunt. Infirmus corpore eram, & ille portabat me. Pusillus corde eram, & confortabat me. Piger & negligens, & excitabat me. Improuidus & obliuiosus, & commonebat me. Quò mihi auulsus es? Quò mi-

Nota S. Bernardi singularem modestiam

hi raptus è manibus homo vnanimis, homo secundùm cor meum? Amauimus nos in vita, quomodo in morte fu- mus separati? Amarissima separatio, & quam non posset omninò efficere nisi mors. Quando enim me viuus viuum desereres? Omninò opus mortis, horrendum diuortium. Quis enim tam suaui vinculo mutui nostri non pepercisset amoris, nisi totius suauitatis inimica mors? Benè mors, quæ vnum rapiendo, duos furiosa peremit. An non mors et- iam mihi? Immò plus mihi, cui vtiq; omni morte infelicior vita seruata est. Viuo, vt viuens moriar: & hoc dixerim vitam? Quia mitiùs me priuares, ô austera mors, vitæ vsu, quàm fructu. Nam vita sine fructu grauior mors. Deniq; duplex malum ligno paratur infructuoso, securis, & ignis. Ergo meis laboribus inuidens, elongâsti à me amicum, & proximum: per cuius maximè studium erant (si quando erant) fructuosi.

III. SATIVS proinde mihi fuisset periclitari vita, quàm tua, Gerarde, præsentia: qui meorum in Domino studiorum eras solicitus incitator, fidelis adiutor, cautus examinator. Cur, quæso, aut amauimus aut amisimus nos? Dura con- ditio, sed mea miseranda fortuna, non & illius. Nam tu, chare frater, si charos amisisti, chariores vtiq; recepisti. Me vero quænam iam miserum consolatio manet post te vnicum solatium meum? Placita fuit pariter vtrique societas corporum pro morum concordia: sed solùm me diuisio vulnerauit. Commune, quod libuit: quod triste & lugubre, meum. In me transierunt iræ, in me confirmatus furor est. Erat ambobus alterutrùm grata præsentia, dulce consor-

Sancti sunt cum Christo in cælis.

tium, suaue colloquium. Sed tantas vtriusque delicias ego perdidi, tu mutâsti. Et quidem immutatis illis retributio multa. Quanto fœnore gaudiorum, ac benedictionum cumulo cares hodiè, nobis frater charissime, tanto habes certè pro me tantillo repositam tibi Christi præsentiam. Nec dispendium sentis absentiæ à nobis tuæ, angelorum ad- mixtus choris. Non est igitur, quod causeris tu de nostra quasi subtracta tibi præsentia, cui affatim suî suorumq; co- piam Dominus maiestatis indulsit.

IV. AT ego pro te quid? Quàm vellem scire quidnam sentias nunc de me illo vnico tuo, mediis nutante curis & pœnis, destituto te baculo imbecillitatis meæ. Si tamen licet adhuc cogitare de miseris, ingresso abyssum luminis, at-

Psal 70. que illo pelago æternæ felicitatis absorpto. Fortè enim etsi nôsti nos secundum carnem, sed nunciam non nôsti: Et

2 Cor. 6. quoniam introîsti in potentias Domini, memoraris iustitiæ eius solius, immemor nostrî. Cæterùm qui adhæret

1. Ioan. 4. Deo, vnus spiritus est, & in diuinum quendam totus immutatur affectum: nec potest iam sentire aut sapere nisi Deum, & quod sentit & sapit Deus, plenus Deo. Deus autem charitas est, & quanto quis coniunctior Deo, tanto plenior charitate. Porro impassibilis est Deus, sed non incompassibilis, cui proprium est misereri semper & parcere. Ergo & te necesse est misericordem esse, qui inhæres misericordi, quamuis iam minimè miser fis: & qui non pateris, compateris tamen: affectus proinde tuus non est imminutus, sed immutatus: nec quoniam Deum induisti, nostrî

1. Pet. 5. cura te exuisti: & ipsi enim cura est de nobis. Quod infirmum est, abiecisti, sed non quod pium. Charitas denique

1. Cor. 13. nunquam excidit. Non obliuiscéris mei in finem. Videor mihi quasi audire fratrem meum dicentem: Nunquid ma-

Psal. 12. ter obliuisci poterit filij vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tuî. Non expedit prorsus. Scis vbi

Esa. 49. verser, vbi iaceam, vbi reliqueris me. Non est qui porrigat manum. Ad omne quod emerserit, respicio ad Gerardum, vt consueueram, & non est. Heu tunc ingemisco miser, sicut homo sine adiutorio. Quem consulam in ambiguis, cui in aduersis fidam, quis portabit onera, quis pericula propulsabit? Nónne vbiq; gressus meos Gerardi oculi antei- bant? Nónne tuum Gerarde pectus curæ meæ notius quàm meum ipsius habebant? familiariùs incursabant, acriùs

Esa 50.

Amicum si le.. tium vi- ris sanctis.

vrgebant? Nónne in lingua tua illa placabili & potenti, meam à sermonibus sæculi frequentissimè vendicabas, & amico reddebas silentio? Dominus dederat illi linguam eruditam, vt sciret quando deberet proferre sermonem.

V. ITA denique in prudentia responsorum suorum, & in gratia data sibi desuper, & domesticis satisfaciebat, & ex- teris, vt penè me nemo requireret, cui prior fortè Gerardus occurrisset. Occurrebat autem aduentantibus, opponens se, ne subitò meum otium incursarent. Si quibus sanè per se satisfacere non quibat, hos perducebat ad me, cæteros e- mittebat. O virum industrium, ô amicum fidelem, & amico gerebat morem, & officiis charitatis non deerat. Quis vacua ab eo recessit manu? Si diues, consilium: si pauper, subsidium reportabat. Nec quærebat quæ sua sunt, qui se mediis ingerebat curis, vt ego vacarem. Sperabat enim (sicut erat humillimus) maiorem de nostra quiete fructum, quàm si vacaret ipse. Interdum tamen postulabat absolui, & alteri cedere, quasi qui meliùs prouideret. Sed vbi ille inueniretur? Nec petulanti aliquo (vt assolet) in eo officij detinebatur affectu, sed solo intuitu charitatis. Siquidem

Gerardus aliis largus, sibi parcus.

plùs omnibus laborabat, & minùs omnibus accipiebat; ita vt sæpè cùm aliis necessaria ministraret, egeret ipse in plu- ribus (verbi causa) cibo, aut veste.

VI. DENIQVE cùm se sentiret decessui propinquare: Deus, inquit, tu scis, quod quantum in me fuit, semper optaui quietem: mihi intendere, tibi vacare. Sed implicitum tenuit timor tuus, & voluntas fratrum, & studium obediendi, super omnia Abbatis pariter & fratris germana dilectio. Ita est. Gratias tibi, frater, de omni fructu meorum (si quis est) in Domino studiorum. Tibi debeo, si profeci, si profui. Tu intricabaris, & ego tuo beneficio feriatus sedebam mihi, aut certè diuinis obsequiis sanctiùs occupabar, aut doctrinæ filiorum vtiliùs intendebam. Cur enim securus intus non essem, cùm te scirem agentem foris manum dexteram meam, lumen oculorum meorum, pectus meum & lin- guam meam? Et quidem indefessa manus, oculus simplex, pectus consilij, lingua lonquens iudicium, sicut scriptum

Psal. 36. est: os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium.

VII. SED quid dixi foris agentem illum, quasi interna Gerardus nesciret, ac spiritualium expers esset donorum? No-

Præclaræ Gerardi vir- tutes.

runt qui illum norunt spirituales, quam verba eius spiritum redolerent. Norunt contubernales, quàm mores eius & studia non carnem saperent, sed feruerent spiritu. Quis illo rigidior in custodia disciplinæ, quis in castigando corpus suum districtior, suspensior, vel sublimior in contemplando, subtilior in differendo? Quoties cum eo differens ea di-

Quàm fue- rit diuini- tùs illumi- natus.

dici, quæ nesciebam, & qui docturus adueneram, doctus magis abscessi? Nec mirum de me, cùm magni ac sapientes viri idipsum nihilominùs ex illo sibi accidisse testentur. Non cognouit literaturam, sed habuit literarum inuentorem sensum, habuit & illuminantem spiritum. Nec in maximis tantùm, sed & in minimis maximus erat. Quid (verbi cau- sa) in ædificiis, in agris, hortis, aquis, cunctis deniq; artibus seu operibus rusticorum, quid, inquam, vel in hoc rerum genere Gerardi subterfugit peritiam? Cæmentariis, fabris, agricolis, hortulanis, sutoribus, atq; textoribus facilè ma-

Modestia eius.

Esa 5.

gister erat. Cumq; omnium iudicio omnibus esset sapientior, solis in suis oculis non erat sapiens. Vtinam multos, etsi minùs sapientes, non plus tangeret illa maledictio: Væ qui sapientes estis in oculis vestris. Scientibus ista loquor, & adhuc plura his de illo, & maiora compertis. Parco tamen, quia caro mea & frater est. Hoc tamen securus addo, mihi vtilis in omnibus & præ omnibus fuit. Vtilis in paruis & magnis, in priuatis & publicis, foris & intus.

MERITO

IIX. MERITO exeo pendebam totus, qui mihi totum erat. Solum pene reliquerat mihi prouisoris honorem & nomen: nam opus ipse faciebat. Ego vocitabar Abbas, sed ille præerat in solicitudine. Merito requieuit in illo spiritus meus, per quem licebat delectari in Domino, in omnibus prædicare liberius, orare securius. Per te, inquam, mihi, frater mi, mens sobria, & grata quies, sermo efficacior, pinguior oratio, frequentior lectio, & feruentior affectus. Heu sublatus es, & hæc omnia simul. Tecum omnes pariter abiere delitiæ & lætitiæ meæ. Iam curæ irruunt, iam molestiæ hinc inde pulsant, & angustiæ vndiq; solum me repererunt, solæ mihi te abeunte remanserunt, solus sub sarcina gemo. Aut ponere aut opprimi necesse est, quia tu tuos humeros subduxisti. Quis mihi tribuat citò mori post te? Nam pro te nolim, nec te tua fraudare gloria. Porro superuiuere tibi, labor & dolor. Viuam quoad viuam in amaritudine, viuam in mœrore, & hæc sit mihi consolatio, vt mœrendo affligar. Non parcam, & iuuabo manum Domini. Etenim manus Domini tetigit me. Me, inquam, tetigit & percussit, non illum, quem vocauit ad requiem. Me occidit, cum succidit illum. Nunquid enim occisum quis dixerit, quem plantauit in vita? At quod illi vitę ianua fuit, mihi plane est mors: meq; illa morte mortuum dixerim, non hunc qui obdormiuit in Domino.

Non sunt mortui Sancti, sed plãtati in vita.

IX. EXITE, exite lachrymæ iampridem cupientes: exite, quia is qui vobis meatum obstruxerat, commeauit. Aperiantur cataractæ miseri capitis, & erumpant fontes aquarum, si forte sufficiant sordes diluere culparum, quibus iram merui. Cum consolatus fuerit super me Dominus, tunc fortassis & ego merear consolari, si tamen non pepercero à mœrore. Nam qui lugent, ipsi consolabuntur. Propterea condescendat mihi omnis sanctus, & in spiritu lenitatis, qui spiritualis est, sustineat lamentantem. Luctus meus humano, quæso, pensetur affectu, non vsu. Videmus nempe mortuos quotidie plangere mortuos suos, fletum multum, & fructum nullum. Non culpamus affectum nisi cum excedit modum, sed causam. Ille nimirum naturæ est, & eius turbatio pœna peccati: hæc vanitas & peccatum. Et enim ibi sola (nisi fallor) plorantur damna gloriæ carnis, vitæ præsentis incommoda. Et plorandi, qui ita plorant. Nunquid ego sic? Similis mihi affectus, sed altera causa, dissimilisq; intentio. Nulla mihi sane querela de omnibus quæ sunt mundi. In his profecto quæ sunt Dei, ademptum doleo fidele auxilium, salutare consilium. Gerardum lugeo, Gerardus est in causa, frater carne, sed proximus spiritu, socius proposito. Adhæsit anima mea animæ illius: & vnam fecit de duabus, non consanguinitas, sed vnanimitas. Carnis quidem necessitudo non defuit: sed plus iunxit societas spiritus, consensus animorum, morum conformitas. Cum ergo essemus cor vnum & anima vna, hanc meam pariter atq; ipsius animam pertransiuit gladius, & scindens mediam partem locauit in cælo, partem in cœno deseruit. Ego, ego illa portio misera in luto iacens, truncata parte sui, & parte potiori: & dicitur mihi, ne fleueris? Auulsa sunt viscera mea à me, & dicitur mihi, ne senseris? Sentio, sentio vel inuitus, quia nec fortitudo lapidum, fortitudo mea, nec caro mea ænea est: sentio prorsus & doleo, & dolor meus in conspectu meo semper. Non sane nos poterit duritiæ & insensibilitatis arguere ille qui verberat, quomodo illos de quibus ait: Percussi eos, & non doluerunt. Affectum meum confessus sum, & non negaui. Carnalem quis dixerit, ego humanum non nego, sicut nec me hominem. Si ne hoc sufficit, nec carnalem negauerim. Nam & ego carnalis sum, venundatus sub peccato, addictus morti, pœnis, & ærumnis obnoxius. Non sum (fateor) insensibilis ad pœnas, mortem horreo meam & meorum. Meus Gerardus erat, meus plane. An non meus, qui frater sanguine fuit, professione filius, solicitudine pater, consors spiritu, intimus affectu? Is recessit à me sentio: læsus sum, & grauiter.

Matth 5.

Luctus hominum mundanorum.

Ierem. 5.

X. IGNOSCITE filij: immo si filij, vicem dolete paternam. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, qui certe consideratis; quam grauia pro peccatis recepi de manu Domini. In virga indignationis suæ percussit me, digne pro meritis, dure pro viribus. An leue quis dixerit, viuere me absq; Gerardo, nisi qui ignorat quid mihi cum Gerardo? Nec tamen contradico sermonibus sancti: Nec reprehendo iudiciũ quod recepit quisq; quod dignus est. Ille coronam quam meruit, ego quam debui pœnam Nunquid quia sentio pœnam, reprehendo sentẽtiam? Humanum est illud, hoc impium. Humanum, inquam, & necesse affici erga charos, siue delectabiliter cum prẽsto sunt, siue, cum absunt, molestè. Non erit otiosa socialis conuersatio, præsertim inter amicos: & quid effecerit mutuus amor in sibi præsentibus, horror indicat separationis, & dolor de inuicem in separatis. Doleo super te, Gerarde charissime, non quia dolendus, sed quia ablatus. Et ideo fortassis dolendum mihi potius super me, qui bibo calicem amaritudinis. Et solus dolendus, quia solus bibo. Non enim & tu. Solus ego patior, quod solent pariter pati, qui se diligunt, cum se amittunt. Vtinam non te amiserim, sed præmiserim. Vtinam vel tarde aliquando sequar te, quocunq; ieris.

Iob 19.

Corona sanctis datur pro meritis.

Esa 50.

XI. NON enim dubium, quin ad illos ieris quos circa medium extremæ noctis tuæ inuitabas ad laudem, cum in vultu & voce exultationis subito erupisti in illud Dauidicum, stupentibus qui assistebant: Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis. Iam tibi, frater mi, nocte adhuc media diescebat, & nox sicut dies illuminabatur. Prorsus illa nox illuminatio tua in deliciis tuis Accitus sum ego ad id miraculi, videre exultantem in morte hominem, & insultantem morti. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? Iam non stimulus, sed iubilus. In cantando moritur homo, & moriendo cantat. Vsurparis ad lætitiam, mater mœroris: vsurparis ad gloriam, gloriæ inimica: vsurparis ad introitum regni, porta inferi, & fouea perditionis ad inuentionem salutis, idq; ab homine peccatore. Iuste nimirũ, quia tu iniquè in hominem innocentem & iustum potestatem tamerariam vsurpasti. Mortua es, ô mors, & perforata hamo quem incauta glutiisti, cuius illa vox est in Propheta: O mors, ero mors tua: morsus tuus ero inferne. Illo, inquam, hamo perforata, transeuntibus per medium tui fidelibus, latum lætumq; exitum pandis ad vitam. Gerardus te non formidat larualis effigies. Gerardus per medias fauces tuas transit ad patriam, non modo securus, sed & lætabundus & laudans.

Vt Gerardus sub mortem se gesserit.

Psal 148.

Osee. 13.

XII. CVM ergo superuenissem, & extrema iam psalmi, me audiente, clara voce complesset, suspiciens in cælum, ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et repetens eundem sermonem, ac frequenter ingeminans, Pater, pater, conuersus ad me, exhilarata quidem facie: Quanta, inquit, dignatio Dei, patrem hominum esse: quanta hominum gloria, Dei filios esse & hæredes? Nam si filij, & hæredes. Sic cantabat quem nos lugemus. In quo & meum (fateor) luctum pene in cantum conuertit, dum intentus gloriæ eius, propriæ fere miseriæ obliuiscor. Sed reuocat me ad me pungens dolor, facileq; à sereno illo intuitu tanquam à leui excitat somno perstringens anxietas.

Psal 30.

Mira exultatio morienti.

XIII. PLANGAM igitur, sed super me, quia super illum iam vetat ratio. Puto enim, si opportunitas daretur, modò diceret nobis: Nolite flere super me, sed super vosipsos flete. Planxit merito Dauid super parricida filio, cui perpetuo sciret obstructum exitum de ventre mortis mole criminis. Merito super Saul & super Ionatham: quibus æque absorptis semel, emersio iam non sperabatur. Et quidem resurgent, sed non ad vitam. Immo ad vitam, vt viui in morte infelicius moriantur. Quanquam de Ionatha possit non immerito hærere sententia. At mihi etsi non ista suppetit plangendi ratio, non tamen nulla. Plango primum super mea ipsius plaga, atque huius iactura domus. Plango deinde super pauperum necessitatibus, quorum Gerardus pater erat. Plango certe & super vniuerso statu nostri ordinis, nostræ professionis, qui de tuo, Gerarde, zelo, consilio & exemplo robur non mediocre capiebat. Plango postremo etsi non super te, propter te tamen. Hinc prorsus, hinc afficior grauiter, quia vehementer amo. Et nemo mihi molestus sit, dicens non debere sic affici: cum benignus Samuel super reprobo rege, & pius Dauid super parricida filio satisfecerint affectioni, & non ad iniuriam fidei, non in superni sugillationem iudicij, Absalon fili mi

Luc 23.
2 Reg. 18.
2 Reg. 1.

Pater pauperum, Gerardus.

Præclara Gerardi laus.

1 Reg. 15.

2. Reg 18. Luc. 19. Ioan. 11. fili mi (ait sanctus Dauid) fili mi Absalon: Et ecce plus quam Absalon hic. Saluator quoq; videns ciuitatem Hierusalem, & præuidens ruituram, fleuit super eam. Et ego propriam, & quę in præsenti est, desolationem non sentiam? Plagam meam recentem, & grauem non doleam? Ille fleuit compatiendo, & ego patiendo non audeam? Et certe ad tumulum Lazari nec flentes arguit, nec à fletu prohibuit, insuper & fleuit cum flentibus. Et lachrymatus est, inquit, IESVS. Fuerunt lachrymæ illæ testes profecto naturæ, non indices diffidentiæ. Deniq; & prodiit mox ad vocem eius, qui erat mortuus, ne continuo putes fidei præiudicium dolentis affectum.

Sic nec fletus vtique noster infidelitatis est signum, sed conditionis indicium. Nec quia percussus ploro, arguo ferientem: sed prouoco pietatem, seueritatem flectere satago. Vnde & verba mea dolore sunt plena, non tamen & murmure. Nunquid non plenum iustitiæ protuli, quod vnius sententiæ complemento & punitus est qui debuit, & coronatus qui meruit? Et adhuc dico: Bene vtrunque fecit dulcis & rectus Dominus. Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Cantet tibi misericordia quam feci sti cum seruo tuo Gerardo, cantet & iudicium quod nos portamus. In altero bonus, in altero iustus laudaberis. An solius laus bonitatis? Est & iustitiæ. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Gerardum tu dedisti, Gerardum tu abstulisti: etsi dolemus ablatum, non tamen obliuiscimur quod datus fuit, & gratias agimus quod habere illum meruimus quo carere in tantum non volumus, inquantum non expedit. Recordor Domine pacti mei, & miserationis tuæ, vt magis iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. XIV.

Psal. 100. Psal. 118. Psal. 50.

An. 1137. S. Bernardi miraculū. Cvm pro causa Ecclesiæ anno præterito Viterbij essemus, ægrotauit ille: & inualescente languore, cum iam proxima videretur vocatio, ego ægerrime ferens comitem peregrinationis, & illum comitem in terra relinquere aliena, nec resignare his, qui mihi eum commiserant, quoniam amabatur ab omnibus, sicut erat amabilis valde: conuersus ad orationem cum fletu & gemitu, Expecta, inquam, Domine vsq; ad reditum. Restitutum amicis, tolle iam eum si vis, & non causabor. Exaudisti me Deus: conualuit, opus perfecimus, quod iniunxeras, rediuimus cum exultatione reportantes manipulos pacis. Porro ego oblitus pene sum meæ conuentionis, sed non tu. Pudet singultuum horum, qui præuaricationis me arguunt. Quid plura? Repetiisti commendatum, repetiisti tuum. Finem verborum indicunt lachrymæ. Tu illis, Domine, finem modumque indixeris. XV.

An. 1210. VITA S. ANTONII VLYSBONENSIS, PROFESSIONE FRANCISCANI, QVEM VVLGO A PADVA VOCANT: SCRIPTA A QVODAM PATRE Franciscano grauiter & f deliter. Dictionem Fr. Laur. Surius in gratiam Lectoris mutauit, omissis plerisque, parum ad historiam facientibus, absque tamen historiæ detrimento.

Ivnii 13. Est in Lusitaniæ regno ad plagam Occidentalem, in extremis orbis finibus vrbs quædam, quam incolæ Vlysbonam vocant, quod ab Vlysse, vt aiunt, bene sit condita. In ea templum miræ magnitudinis extructum est in honorem matris Dei & perpetuæ virginis Mariæ, in quo beati Vincentij martyris sacrum corpus honorifice asseruatur. Ad eius templi partem occiduam felicis beati Antonij parentes honestum habuere domicilium, ipsis templi foribus valde propinquum. Ex illis in ipso iuuentutis flore procreatus beatus Antonius, cum sacri baptismatis salutaribus expiaretur vndis, Fernandi nomen accepit. Qui deinde ab ipsis prope incunabulis multa fuit morum probitate & integritate, nec sicut tenera puerorum solet ætas, mundi lasciuiam & vanitatem complexus est, sed bonorum parentum sedulus imitator, ecclesiarum & monasteriorum crebro terebat limina, manusq; suas libenter extendebat ad pauperes, vt illorum inopiam subleuaret, vt posset in illum quoq; competere, quod de se beatissimus Iob ait: Ab infantia mea creuit mecum miseratio. Pater eius vir nobilis fuit, miles Alphonsi regis, Martinus nomine. Mater eius Maria, non infimo genere fuit. I.

Patria S. Antonij. In baptismo Fernandus appellatur. An. 1195. Iob 31. Parentes eius.

Cvm autem puer esset rationis capax, à parentibus in ea, quam diximus, beatissimæ matris Dei ecclesia literis traditus est imbuendus, simul & educandus à ministris Christi, cuius erat præco futurus. Ita pueritiæ ætatem instar patriarchæ Iacob domi simpliciter exegit. Cum autem accedentibus annis sentiret improbos corporis motus, de carnis corruptione nascentes, nequaquam cessit petulantis ancillæ prauis cupiditatibus, nec fræna libidini laxauit: sed strinxit habenas, corpusq; in seruitutem spiritus redigere nitebatur. Vilescebat ei indies mũdus iste, & ne puluis terrenæ felicitatis pedibus adhæreret, animoq; in via Domini currenti offendiculo foret, retraxit eos, cum necdum tortos illos in ipso mundi primo aditu posuisset. Est autem extra vrbis Vlysbonæ muros monasterium Augustinianorũ, in quo viri spectatæ religionis degunt, quos Canonicos regulares vocant. Ad quos vir Dei, spretis mundi oblectamẽtis, se contulit, & illorum habitum induit humiliter ac deuote. Sed cum biennio illo, quo apud eos mansit, amicorũ crebra visitatione, quæ solet piis mentibus non parum importuna videri, interpellatus fuisset, vt omnes eiusmodi occasiones sibi præcideret, natale solum deserere decreuit, vt apud exteros Domino tranquillius & liberius vacare posset. Impetrata igitur, sed ægre, recedendi copia à superiori, non vitæ institutum, sed locum mutauit, ad monasterium S. Crucis de Colimbria, feruenti spiritu commigrans, idq; zelo seueriores disciplinæ & studio maioris quietis. II.

Fit canonicus regularis. Aliud monasterium petiit.

Qvam autem ille non locum, sed morum mutationem & expetiisset & fecisset, satis declarabat vita eius solito feruentior. Et quoniam, teste D. Hieronymo, non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse, laudandũ est: talem se moribus exhibuit, vt omnibus perspicuum esset, loci opportunitatem maiorem id circo illum appetiisse, vt ad vitæ perfectionem facilius posset pertingere. Neq; vero mediocri studio semper excolebat ingenium, nec diebus nec noctibus pro temporis ratione à lectione diuina cessans, animumq; sanctis cogitationibus & meditationibus exercens. Solebat autem legendo historicæ veritatis textum, allegorica comparatione confirmare fidem, & rursus ipsis scripturæ verbis conformare mores & affectum inflammare. Scrutabatur religiosa curiositate profunda sermonum Dei, & contra errorum foueas diuinæ scripturæ sententiis intellectum communiebat: simul etiam sanctorum Patrum monumenta sedula lectione euoluens. Deniq; lecta tenaci memoria complectens, prẽter omnium expectationem, magnam scripturæ diuinæ est cognitionem adeptus. III.

Epistola 13. ad Paulinum. Eius studium.

Cvm autem reliquias sanctorum martyrum, quinq; fratrum ordinis sancti Francisci, dominus Petrus Infans, serenissimi Lusitaniæ regis filius primogenitus, à Marochio adduxisset, & se illorum meritis à magnis periculis liberatum per omnes Hispaniæ prouincias diuulgasset: Christi seruus Fernandus audiens mira, quæ per illos fiebant, multo cœpit flagrare desiderio instar illorum pro Christo hauriendi martyrij calicem, factusq; seipso robustior, humano calcato timore, diuinæ gratiæ validissimo protectus clypeo, dicebat apud se: Vtinam coronæ martyrum suorũ participem me facere dignetur Deus. Vtinam liceat pro Christi nomine flexo poplite carnificis ictum excipere. Interim nocte ac die rogabat attentissime Dominum, vt menti ipsius adspiraret, quod & illius voluntati gratius, & suę saluti conducibilius, & proximorum vtilitati atque ædificationi opportunius esset. IV.

Reliquiæ martyrum Franciscanorum.

Erat per id tempus haud procul à Colimbria eo in loco, qui S. Antonius dicitur, vbi fratres erant instituto & professione Franciscani, literas quidem nescientes, sed vim atque virtutem literæ vita & virtutibus exprimentes: qui V.

ex præ-

ex præscripto regulæ & professionis suæ eleemosynam petituri, ad monasterium viri Dei sæpe venire solebant. Ad quos pro suo more die quodam visitandi gratia clam accedens, inter cætera ait ad illos: Ordinis vestri habitum, fratres charissimi, ardenti animo cupio accipere, modo id mihi polliceri velitis, simulatque illum induero missuros me vos ad regiones Saracenorum, vt cum sanctis martyribus merear ego quoque sanguinem fundere, & esse coronæ illorum particeps. Illi his auditis, non mediocriter tanti viri sermonibus exhilarati, diem crastinum eius explendo desiderio designant. Mox beatus Antonius Abbatem suum pro obtinenda abeundi facultate precibus pulsat, eaque vix extorta, fratres Franciscani non immemores pollicitationis suæ, mane redeunt, habitum suæ professionis illi tradunt. Quo cum ille indutus esset, quidam ex Canonicis monasterij eius acerbo animo dixit ad eum: Eas, eas: forsitan sanctus eris. Ad quem ille conuersus, humili voce dixit: Cum me in sanctos relatum audieris, profecto Deum laudabis. Possumus ex his colligere, quam gratus ille fratribus suis fuerit, cui nec Prælatus nisi admodum difficulter discedendi voluit facere potestatem, nec fratres hac in re suo eum fouere consilio, nec ille, quem diximus, frater eius absentiam æquo potuit animo perferre. Puto equidem non absque multo dolore & lachrymis talem à se virum illos dimisisse, quem sui monasterij idoneum sese præfectum breui habituros sperarent. Porro autem fratres Franciscani cum nouo socio suo domum properant, eumque amanter accipiunt. Sed quia formidabat vir Dei, ne parentes aliquam ipsi molestiam facesserent, vt ipsum inquirentium curam eluderet, mutato nomine, Antonium se dici voluit.

S. Antonius fit Franciscanus.

Nomen suum mutat.

VI. PAVLATIM autem crescebat in eo sitis martyrij, & zelus fidei magis ac magis eum extimulabat, nec eum quiescere patiebatur. Itaque quemadmodum se facturos receperant, fratres Franciscani fecerunt ei copiam ad Saracenos proficiscendi. Nec ille sibi moras nectendas putans, celeriter abiit. Sed præpotens Deus hac in re illius propositum plane retardauit, totius hyemis spatio graui eum morbo affligens. Quare compulsus ille, ad natale solum ob corporis curandam valetudinem se recepit: sed cum nauigando ad Hispaniæ littora nautas appulsuros speraret, ad Siciliam ventorum impulsu delatum se sensit. Habuit ergo pro Christo moriendi & desiderium & conatum vir omnium ore merito celebrandus, sed diuina prouidentia, vt post ipsa res docuit, plurimorum saluti eum seruauit, quos ille in diuersis regionibus è fæcibus peccatorum reuocauit ad salutares pœnitentiæ fructus.

Cupit apud Saracenos mori pro Christo, sed impeditur.

VII. NON longe tum aberat dies, in quem indictus erat fratrum conuentus apud Assisium, quem Capitulum generale vocant. Id vbi Messanæ ex fratribus vir Dei resciuit, seipsum confirmans, eo, licet debilis & affecta valetudine, profectus est. Eo autem conuentu soluto, cum ille, quem Ministrum vocant, commissos ipsi fratres ad sua loca remitteret, solus Antonius à nemine expetebatur: quippe qui vt ignotus, ita parum vtilis aut idoneus existimaretur: atque ita solus in Ministri generalis manibus relictus est. Accito autem fratre Gratiano, qui tum in Æmilia siue Romandiola fratrum Minister erat, secreto eum rogauit seruus Dei, vt à Ministro generali ipsum acceptum in Æmiliam perduceret, disciplinis regularibus illic erudiendum. Nullam vero literaturæ mentionem faciens, nihil ecclesiasticam exercitationem iactitans, sed intellectum & scientiam omnem captiuans in obsequium Christi, illum solum crucifixum se sitire, se nosse, se complecti velle proclamabat. Frater autem Gratianus mirã eius deuotionem exosculans, votis eius assensit, secumque in Æmiliam abduxit: vbi venia impetrata, ad eremum Montis Pauli secessit, quietem animi & conscientiæ captare volens. Cum autem in ea eremo aliquandiu moraretur, frater quidam cellulam precationi aptam in quadam crypta sibi condidit, vt illic liberius Deo vacaret. Eam vt vidit vir beatus, à fratre illo sibi eius copiam fieri precibus contendit. Non negauit ille, & vir Dei persoluto quotidie nocturnarum precum officio, ad eam cellam secedebat, sumptaque secum exigua panis particula & in vase aqua, cogebat carnem parere spiritui, solitariamque illic, quantum licuit, vitam ducens, sanctis cogitationibus & meditationibus spiritum aduersus tentationes communiebat, & diuino amore se confirmabat. Perstabat illic solus nocturnis horis in precibus, totumque se diuinæ moderationi permittens & commendans, in cælestibus spei suæ ancoram solidissime defigebat. Nec deerant illi crebræ infestationes dæmonum, volentium eum in sanctæ orationis studio perturbare. Tanta autem se inedia macerauit, vt quemadmodum testantur ij, qui id viderunt, hora refectionis ad fratres rediturus, nutante præ nimia imbecillitate gressu, seipsum interdum sustentare non posset. Sic igitur vir ille plenus sapiẽtia, non breui tempore simplex vixit apud simplices, & omnem arrogantiam humili corde deuitans, sub indocti persona gratiæ lumen abscondit.

Magna eius modestia.

Degit in loco solitario.

Magna eius abstinentia.

VIII. SED non est passus Deus semper latere eum, voluitque aliquando illum innotescere simplicibus fratribus. Cum enim multum iam temporis fluxisset, fratres pro sacris accipiendis Ordinibus ad forum Liuij, quæ est Æmiliæ ciuitas, confluxerunt: inter quos adfuit etiam Antonius & quidam fratres S. Dominici. Instante autem collationis hora, fratribus ex more congregatis, Minister loci illius fratres Dominicanos rogauit, vt sitientibus verbum salutis proponeret. Illis recusantibus, quod nihil se præparassent, instigante eum fortiter spiritu Dei, Minister ad Antonium, de cuius eruditione nihil comperti habebat, se conuertens, iubet, vt apud fratres dicat, quicquid ipsi suggereret spiritus Dei. Non putabat eum quicquam scire de scripturis diuinis, aut legisse aliquid, nisi forte quæ ad ecclesiasticum officium pertinerent. Spem tamen nonnullam ei adferebat, quod audierat illum necessitate cogente, idque perraro, aliquid literate dixisse. Et certe cum tantus ille esset, vt memoria pro codicibus vteretur, & mystici eloquij gratia mire afflueret, peritior tamen apud fratres habebatur abluendorum culinæ vtensilium, quam scripturæ sanctæ mysteria explicandi. Præfectum enim suum, quem Guardianum dicunt, supplex rogarat, vt magni beneficij loco ipsi permittere vellet eluere coquinę vasa, & verrere quotidie fratrum domicilia, nulli alij rei aptum & vtilem se confitens, cum esset reuera vas electum & sancti spiritus gratia multiuaria ornatum. Mundabat ergo quotidie humili ac deuoto corde culinæ res & fratrum domicilia, eximiæ cuiusdam humilitatis & contemptus sui de se exempla præbens. Non ita agunt pleriq; alij, qui ante, quam sint discipuli, magistri esse volunt, seseq; in cathedram importune ingerere non verentur. Contra Antonius iam perfectus in scripturis diuinis, inter idiotas & rudes laicos haberi maluit quam sciolus aut magister videri, potiusq; laboribus occupari culinariis, quam magisterij cathedram occupare. Verumenimuero licet totis viribus in id incumberet, vt à Ministro impositum munus liceret subterfugere, non potuit tamẽ voto potiri suo. Tandem ergo cedens tum illius voluntati, tum omnium precibus, cum timore Domini primo orsus est simpliciter ad eos dicere: sed cum vellet Dominus lucernam hactenus sub modio positam, in omnium conspectum proferri, in orationis progressu tanto verborum splendore, tanta mysticarum sententiarum altitudine vsus est, vt omnes in summam admirationem adducerentur, maxime quod prẽter omnium opinionem id eueniret: simul etiam eximia eius charitate non mediocriter ædificarentur, nec affirmare dubitarent, eiusmodi sermonem nunquam se antehac audiuisse. Ita deinceps, non minima affecti consolatione, venerabantur in illo diuinitus detectam supernæ sapientiæ claritatem, cum tam insigni humilitate coniunctam.

Celat diu scientiam suam.

Humilitas tanti viri.

IX. NON diu post ad aures Ministri generalis huius rei fama perlata, illius voluntate compulsus est, rupto diuturno silentio, prodire in publicum, demandataque illi concionandi prouincia, cultor eremi, missus est ad prædicandum verbum Dei: dignus quidem tali ministerio, quod ipse, licet diuina pollens sapiẽtia, sibi imprudenter non vsurpasset, sed in collegio pauperum, vere pauperem spiritu se declarasset, & nõ nisi vocatus ad concionandũ accessisset.

Fuisse

Vt ad concionandū missus, se gesserit. Esa 58.

Fuisse autem diuinitus vocatum, & vita illius & obitus perspicue docuere: è quibus priorem, nempe vitam, abiectio sui voluntaria, simplex innocentia, & disciplinæ monasticæ studium commendant: posteriorem vero, id est, doctrinam, cum zelo coniuncta charitas, veritas & modestia approbarunt. Quæ cum non possint omnia singulatim referri, paucis dicemus, quemadmodum veritatem indiscriminatim omnibus annunciarit. Fecit nimirum instar Esaię, cui dictum est: Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum: mittentisq; Dei authoritate fretus, ex eremi cultore, vbi sibi vni intenderat, factus præco Dei, non segniter fungens officio suo, ad proximorum conciliandam salutem totum se contulit: in concionibus suis eam adhibens iustitiæ æquitatem, vt siue magnis, siue paruis loqueretur, veritatis iaculis indifferenter omnes feriret. Arguebat incredulos, obsecrabat pios, impios obiurgabat, vt copiosissime, ita feruentissime singulis accommoda & conuenientia salutaris doctrinæ monita depromens. Qui enim iam ante, vt supra dictum est, passionis calicem tantopere concupierat, nullius magnitudini, etiamsi mortis impenderet discrimen, pro veritate cedebat, sed mirabili strenuitate etiam potentium tyrannidi sese opponebat. Nulla prorsus flectebatur personarum acceptione, nulla adulatione molliebatur, non popularis transuersum rapiebat fauor & opinio: sed iuxta Prophetæ vocem, quasi plaustrum triturans, habens rostra serrantia, montes comminuit, & colles quasi pulnerem posuit. Videbatur quasi alter quidam prodiisse Elias, zelo Dei feruens: inflammatusq; igne Spiritus sancti, ignitis sermonibus accendebat & vrebat auditorum tepida, torpentia, frigida & obscura corda. Personas quasdam sublimes reprehensione dignas, tanta nonnunquam seueritate obiurgauit, vt pleriq; alij celebres concionatores illum audientes, ad intrepidam illius constantiam trepidarent, vultusq; suos quodam pusillanimitatis rubore perfusi obtegerent. Circumibat per vicos, castra, vrbes & agros, & vitæ semina vbique largissime spargebat. Cumq; ob zelum animarum passim discurreret, omnemq; requiem sibi prorsus vellet interdictam, contigit eum Dei nutu Ariminum peruenire: vbi cum multos cerneret hæresi correptos, mox totius oppidi conuocato populo, feruenti spiritu ad eos concionari cœpit, versutaq; hæreticorum dogmata luculenter confutauit. Eas autem in auditorum pectoribus efficax sermo & doctrina salutaris fixit radices, vt profligatis tetris erroribus, nō pauci ad fidei integritatem sint reducti. In quibus etiam * Boniuillum hæresiarcham, quem triginta annis errorum tenebræ occæcauerant, ad sanitatem reuocauit, effecitque vt vsque ad mortem Ecclesiæ mandatis deuotus steterit.

Esa 41. Egregius zelus eius.

Confutat hæreticos.

* al. Bonellus.

Boniuillum hæresiarcham conuertit.

POSTEA vero, priuato quodam negocio vrgente à Ministro Ordinis Romam missus est: vbi tantam principum Ecclesiæ erga se beneuolentiam expertus est, vt & ab ipso Pontifice Maximo & cæteris omnibus concio illius incredibili studio ac deuotione auscultata sit. Tam enim sublimiter facundo ore scripturæ mysteria depromebat, vt Pontifex maximus singulari quadam prærogatiua eum arcam Testamenti appellaret. Habebat hoc vir Dei, vt sermo eius, pro rerum diuersa ratione, semper in gratia sale discretionis esset conditus: noueratque pariter & placidum & seuerum se exhibere: qua re fiebat, vt sermo eius & amore & timore afficeret auditores. Mirabantur in illo viri literati tantum ingenij acumen, tantamque eloquentiam, mirabantur illum erga omnes miro quodam prudentiæ & discretionis pondere sua verba librantem. Maiores non sine admiratione attendebant spiritualibus spiritualia comparantem: minores stupebant vitiorum causas & occasiones sapienter resecantem, & virtutes ac bonos mores cum multa cautione inserentem. Denique omnes omnium ætatum, ordinum, conditionum mortales accommodatas sibi doctrinas & institutiones ex illo se suscipere lætabantur. Nec immerito illi tributum fuit à Pontifice, vt arca testamenti diceretur. Ita enim vtriusque instrumenti paginas memoriæ plane affixas habebat, vt instar Esdræ potuerit, si sic res postulasset, omnes scripturas diuinas in integrum de sua memoria, etiam codicibus omnibus prorsus abolitis, restituere. Testantur hoc, qui eius quotidiano conuictu & familiari consuetudine diu vsi fuere. Nec ei defuisset facultas, si res popposcisset, omnia scripta diuina luculenter & multiplici ratione exponendi & interpretandi. X.

Arca Testamenti vocatur à Pontifice.

Scripturas sacras totas memoria retinuit.

MVLTA vero insignia Ordinis sui monasteria prælegendo, disputando, concionando illustrauit & ornauit, idque tum zelo fidei & feruore Christo animas adducendi, tum studio fratres instituendi, tum quoque desiderio cohonestandi institutum siue Ordinem suum, qui per id tempus propter imperitiam apud plerosque in contemptu erat. Et certe fuit primus ille prælector in Ordine siue instituto suo, consentiente beatissimo patre Francisco, institutus Bononiæ, vt præesset suis in theologica facultate. In cismontana enim regione tum temporis potissimùm florebant studia literarum, placuitque fratribus Antonium, tanquam præ cæteris magis idoneum, illic prælectorem constituere. Idem autem ipse etiam in Æmiliæ prouincia permultis annis fratrum Minister cum laude fuit. Etsi vero doctrina & verbo in Italia vix quenquam parem haberet, at nihilo minus in sua præfectura vel Ministri functione mire commodum & humanum se præbebat. Cum autem in ciuitate Podiensi Guardiani ministerio fungeretur, erat illic notarius quidam omnino lubricus, carni & mundo totus addictus. Eum quoties præteriret vir Dei, nudato capite coram illo genu flectebat. Ille vero existimans id in sui irrisionem & contumeliam fieri, animo perturbabatur, dabatque modis omnibus operam, ne illum vnquam obuium haberet. Sed cum die quodam ab insperato eum transiret vir sanctus, & ita, vt diximus, erga illum se gereret, exacerbatus homo, dixit: Nisi timerem Dei iram, gladio te percuterem, quod ita me ridiculum facis. Quid sibi vult isthuc, quod coram me poplitem flectis? Respondit vir beatus: Ego me libens Deo martyrem obtulissem, sed illi non placuit. De te autem ille mihi reuelauit, præclarum te martyrem fore. Oro itaque, vt vbi ad martyrij agonem perueneris, mei memor esse velis. Hoc ille audiens, risit. At non multo post tempore Episcopus Podiensis cum multis aliis profectus est Hierosolymam, vt Saracenis Christum prædicaret. Et ecce diuinitus permotus notarius ille, venditis suis rebus omnibus, cum illo iter ingressus est. Cum autem peruenissent ad Saracenos, & Episcopus sic satis frigide haberet conciones, semel quidem & iterum & tertio notarius dissimulauit. At tandem instar beati Vincentij increpat antistitem, quod ita frigide fidem Christi & prædicet & propugnet: diuinoque afflatus spiritu, cum multo feruore cœpit docere Saracenos, Christum esse verum Deum & Dei filium, Mahometem autem filium esse satanæ & perditionis. Quod illi non ferentes, rapiunt hominem, & per triduum diris eum suppliciis excruciant. Cumque iam ad mortem duceretur, exposuit fratribus Antonium id prædixisse, quod ipse martyr futurus esset. Fuit ea res populo occasio, multa deinceps reuerentia beatum Antonium prosequendi. XI.

Primus prælector in suo Ordine fuit.

Lubrico homini præstat reuerentiam tanquam futuro martyri.

Verax eius prophetia.

FRATRIBVS quandoq; in Prouincia ad Capitulum congregatis, vir sanctus de titulo Crucis & dulcissimi Saluatoris passione præclaram habuit concionem. Eo autem concionante, sanctissimus pater Franciscus, qui tum procul aberat in alia regione, filiis suis in aëre mirabili quodam modo apparuit. Visus enim est vni ex illis, tanquam brachiis ad crucem extensis, velut approbando sermonem Antonij, indicare quid fratres imitandum suscipere deberent, illisq; benedicens, Crucis super eos signum exprimere. XII.

Absoluitur ab omni fratrum præfectura. An. 1230.

IN illo generali Capitulo, quo sacratissimæ beatissimi patris nostri Francisci reliquiæ ad eum locum, in quo nunc cum ea, qua par est, veneratione asseruantur, translatæ sunt, qui fuit annus proximus ante obitum eius, ab omni fratrum regimine prorsus absolutus est beatus Antonius, factaq; ei est generalis potestas verbum Dei vbicunq; vellet, prædicandi. Cum igitur eo tempore, quo conciones suas, quas de Tempore vocant, conscripsit, Paduę moratus fuisset, mul- XIII.

set, multamque erga se ciuium fidem & beneuolentiam esset expertus, mira erga eos deuotione affectus, primo libertatis suæ cursu ad eos se conferre decreuit. Cumque eo peruenisset, Ostiensis Episcopus eum hortatus est, vt conciones de sanctis quoq; conficeret. Itaq; illi morem gesturus, Paduæ voluit in illud opus incumbere. Sed sacro Quadragesimæ aduentante tempore, videns vir Dei adesse tempus acceptabile & dies salutis, illud opus intermisit, totumq; se ad docendum pro concione populum, eius sermones mirifice sitientem, applicuit, illisq; quadraginta diebus quotidie concionatus est, non sine multorum admiratione. Erat enim natura corpulentus, & ea causa perpetuo laborabat incommoda valetudine: at tamen præ infatigabili animarum zelo, prædicando, docendo, confessiones auscultando, sæpissime vsq; ad solis occubitum ieiunus permanebat.

Zelus animarum ingens.

XIV. VIDIT hoc & inuidit malignus dæmon, perpetuus bonorum studiorum hostis, & vt virum sanctum à suo proposito deterreret, nocturnis illusionibus infestus ei fuit. Rem non commentitiam refero, quam ipse vir Dei cum adhuc viueret, cuidam fratri narrauit. Nocte quadam sacræ Quadragesimæ, in exordio earum, quas diximus virum Dei tunc suscepisse, occupationum, fessa laboribus membra somni beneficio nonnihil recreare volebat. Ecce autem impurus satan adest, & hominis Dei guttur tanta vi comprimit, vt nisi diuinitus retardatus esset, haud dubio eum prę-focaturus fuerit. At ille beatissimæ matris Dei nomen inuocans, & fronti suæ viuificæ Crucis signum imprimens, simulq; depromens hymnum illum, O gloriosa Domina, in fugam compulit nequissimum spiritum, & repente se sensit liberatum. Cumq; fugientem illum videre cuperet, oculos aperiens, totam illam, in qua cubabat, cellulam superni luminis splendoribus perfusam conspexit.

Pellit infestum dæmonem à se signo crucis, &c.

XV. PERGENS deinde in suscepto per Quadragesimam concionandi labore ac studio, populum habuit audiendi ipsum cupidissimum, ita vt certatim cunctis ad eum confluentibus oportuerit quotidianas in ecclesiis stationes indici. Sed cum nimiam auditorum frequentiam ecclesiarum ambitus non caperet, compulsus est ad patentes sese campos transferre, atque ita salutaris doctrinæ pluuia de spiritus abundantia irrigare sitibundos. Confluxit autem eo ex vicinis vrbibus, castris, pagis, innumera prope hominum multitudo, salutem suam in illius doctrina spe non dubia collocans. Surgebant intempesta nocte, & alij alios nitebantur anteuertere, accensisque luminaribus ad locum, vbi erat facturus verbum vir Dei, summa contentione properabant. Cernere illic erat milites, matronas nobiles mediis noctis tenebris accurrere, & qui in multam lucem prius stertere consueuerant, absque vllo tædio vel molestia concionaturum vigiles expectare. Deponebant autem omnes cultiorem habitum, & quę ad ornatū spectare videbantur, vtebanturq; vestibus religiosis. Ipse quoq; Antistes Paduanus cum Clero suo virum Dei deuote sequens, formaque gregi suo factus ex animo, omnes suo egregiæ humilitatis exemplo ad accurate auscultandum incitauit. Itaque viro Dei loquente, tanto ab omnibus studio attendebatur, vt in triginta vel eo amplius hominum millibus vix murmur aliquod aut strepitus sentiretur. Tabernas suas mercatores non volebant patere cuiquam ad emendas merces, nisi prius sancti viri concione absoluta: adeo feruebant illius audiendi desiderio. Fœminæ ex pietate & deuotione præcidebant forficibus particulas è tunica eius, pro reliquiis eas habituræ: & cui dabatur contingere fimbriam vestimenti eius, is beatum se arbitrabatur. Concione peracta, ab hominum irruentium vi defendi vix potuit, nisi fortium virorum septus præsidiis, vel fugæ opportunitatem callide exploraret, vel turbis tandem recedentibus, citra molestiam ipsi quoque abire liceret.

Frequentissimum habet auditorium, dum concionatur.

XVI. O quot ille tum odia inexpiabilia & implacabiles inimicitias ad pacem & concordiam reuocauit, quàm multos diuturna captiuitate miseros libertati restituit, quot ille res, per vsuras & nefariam vim aliis ereptas, restituendas curauit. Reddebantur pignora, remittebantur debita, in variis negociis consilia à viro Dei expetebantur, & promittebant omnes se staturos arbitrio illius. Compescebantur scorta à flagitioso concubitu, fures & insignes prædones retrahebantur à contrectatione rei alienæ. Atque hunc in modum dies illos quadraginta felicissime exigens, gratam Domino messem solicitus adduxit. In tanta autem vndique concurrentium turba id fuit admiratione dignum, quod nullus sese comprimentium clamor audiebatur, nulla cernebatur dissolutio, risus nullus, nullæ voces percipiebantur, nulli infantium vagitus, quibus vel parum eius conciones interpellarentur. Stabant omnes arrectis auribus, intentissimis perpetuo in virum Dei oculis, sine vllo tædio cum multa deuotione eum sustinentes, perinde ac si non homo, sed angelus lapsus è summo cælo, ad illos concionaretur. Neque id mirum, quandoquidem tanta illum Dominus gratia perfuderat, vt lingua facundissima, voce clarissima, sua verba instar tubæ cuiusdam expromens, ab omnibus & audiretur & intelligeretur. Nec id admiratione vacat, cum in longinqua regione natus & educatus multo tempore fuisset, quod Italico idiomate adeo polite potuit, quæ voluit pronunciare, ac si extra Italiam nunquam posuisset pedem. Tantam vero vtriusque sexus multitudinem ad confitenda peccata sua remisit, vt nec fratres, nec alij sacerdotes, qui non pauci eum comitabantur, illis audiendis sufficerent. Dicebant autem, qui ad agendam pœnitentiam veniebant, diuino iussu admonitos & ad Antonium transmissos, id se in mandatis habere, vt per omnia eius cōsiliis parerent. Nonnulli post eius decessum è vita, quibusdam fratribus secretius dixerunt, beatum Antonium ipsis dormientibus apparuisse, & nomina fratrum, ad quos illos mittebat, indicasse. Die quodam sancti viri concione adeo quidam mente compunctus fuit, vt cum ad confitendum peccata sua ex eius consilio se compararet, præ suspiriis & singultibus nec vnum posset verbum proferre. Cumque vir sanctus ei diceret, vt peccata sua in scripta redigeret, eaque ipsi legenda offerret, fecit ille vt erat iussus. Sed cum chartulam vir Dei acciperet, ita scripturam omnem abolitam & prorsus obliteratam inuenit, ac si prorsus nihil scriptum fuisset. Cœperunt tum primum homines cateruatim sese verberando, & pia cantica deuote depromendo procedere. Atque ea laudabilis consuetudo, à tanto authore profecta, deinceps suis est aucta incrementis, ita vt in omnibus fere Italiæ locis accuratissime hodieque obseruetur.

Efficacia & fructus concionum eius.

Mira profecto sunt hæc, à tam multis potuisse cum intelligi.

Multi se palam verberibus afficiunt.

XVII. FVIT autem viri Dei id præcipuum semper studium & conatus perpetuus, vt pernicios issimas vulpeculas, quæ demoliuntur vineam Domini Sabaoth, nempe hæreticos pestilentes & falsas eorum doctrinas, pro viribus oppugnaret, funditus destrueret, ac radicitus extirparet. Hæresiarchas quosdam in publicis disputationibus Arimini, Tolosæ & Mediolani palam conuicit, & errores eorum coram omnibus confutauit. Adeo enim instructus erat & efficacibus scripturæ diuinæ sententiis, & solidis ac perspicuis rationibus, vt qui nefanda essent hæresi imbuti, coram illo consistere aut os aperire non auderent, ita vt ad illum quoque pertinere videretur, quod Dominus promisit discipulis suis: Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij veritatis. Detegebat mirum in modum hæreticorum fraudes & versutias, conatus retardabat, errores abominandos cum multa vituperatione traducebat. Nec facile quenquam ea tempestate vspiam inuenire licuisset, quod ipse quoque publice fatebatur, qui tam acriter & perpetuo illos insectaretur, tamque continuam persecutionis procellam illis excitaret. Vnde factum est, vt passim ab omnibus indefessus hæreticorum malleus diceretur. Nec sine fructu fuit labor viri Dei, pleriſque hæreticis cum ipsorum fautoribus ad veritatem & obedientiam sanctæ matris Ecclesiæ reuertentibus. Quod vt magis perspicuum fiat, præter illum, quem Arimini conuersum diximus, * Bonouillum nomine, alium quendam hic commemorabimus hæresiarcham insigniter perfidiosum quem vir Dei stupendo miraculo ad sanitatem reduxit. In partibus Tolosanis quandoque incidit in disputationem acerri-

Cant. 2.

Luc. 21.

Est malleus hæreticorum.

* *al. Bonellum.*

acerrimam cum perfidissimo quodam hæresis architecto de salutifero sacramento Eucharistiæ. Iam pene vicerat hominem, parumq; aberat, quin ille Catholicæ veritati accederet, cum post multa & varia, per quæ elabi nitebatur, argumenta in hæc ille verba prorupit: Missa faciamus verba, & ad res veniamus: Si tu miraculo testatum efficere potueris, in Eucharistia verum haberi corpus Christi, omni perfidia abiurata, mox ceruices meas Catholicæ fidei iugo submittam. Respondit vir Dei cum multa fiducia: Confido in Christo Saluatore, me pro tui & aliorum conuersione id, quod postulas, ab eius misericordia impetraturum. Tum surgens hæreticus, & manu silentium indicens, ait: Ego iumentum quoddam triduana inedia macerabo: post triduum vero producam illud in populi conspectum, & paratas escas ostendam illi: tuq; stabis ex aduerso cum tuo illo, vt dicis, corpore Domini: Si iumentum posthabito pabulo suo, properauerit ad adorandum Deum suum, Ecclesiasticæ fidei totus accedam. Assensit iis vir Dei absq; mora. Iam dies præfixus aderat, & in plateam latissimam vndiq; fiebat hominum concursus.

XIIX. Adest etiam vir Dei Antonius, ingenti Catholicorum frequentia stipatus: nec abest hæreticus cum nequissima suorum caterua. Prope aderat sacellum, in quod vir sanctus ingressus, cum multa deuotione obtulit Missæ sacrificium. Eo peracto, egreditur ad populum, cum summa reuerentia gestans corpus Domini. Producitur è conclaui mulus bene famelicus, congruumq; illi pabulum offertur. Tum imperato silentio, vir Dei cum multa fiducia bruto illi animanti ita dixit: In virtute & nomine creatoris tui, quem in manibus, licet indignus, re vera teneo, tibi præcipio, vt confestim humiliter huc accedas, & eam, quam par est, illi præstes reuerentiam, vt hinc perspicue intelligat peruersitas hæreticorum, omnem creaturam suo subdi creatori, quem dignitas sacerdotalis in altari contrectat. Necdum Christi seruus dicendi finem fecerat, & ecce iumentum illud, neglecto pabulo, vsq; ad poplites submisso capite accessit, & coram illo viuifico corporis Christi sacramento genu curuauit. Mox immenso gaudio exultant catholici, hæretici dolore animi contrahuntur. Laudatur & benedicitur: præpotens Deus, fides catholica extollitur, hæretica prauitas pudore afficitur & opprobrio sempiterno. Hæresiarcha autem ille coram omnibus abiurata perfidia, sanctæ Ecclesiæ mandatis deinceps paruit.

Insigni miraculo mulus adorat Eucharistiam. Væ tibi hæretice.

XIX. Quodam tempore Romam innumera diuersarum gentium multitudo venerat, condonationes siue indulgentias Paschales promeritura. Erat tum in vrbe vir Dei Antonius propter negocia quædam, voluitq; summus Pontifex, vt ad peregrinos illos haberet concionem. Renouatum illic cernere licebat præclarum illud miraculum, quo olim in Pentecoste Apostolos illustrauit Christus. Nam beati viri linguam ita instruxit gratia Spiritus sancti, vt singuli & aperte audirent, & plane intelligerent idioma regionis suæ, in quo & nati & educati fuerant, quemadmodum multi ex iis postea pro certo affirmarunt.

Act. 2.

Eximium miraculũ.

XX. Eo tempore, quo apud Montem Pessulanum vir sanctus prælegebat, quodam solenni die concionabatur, omni & Clero & populo auscultante. Sermone inchoato occurrit animo, se officium quoddam sibi iniunctũ, alteri nõ demandasse. Moris illic erat, vt in præcipuis Dei solennitatibus duo insignes fratres sub summo sacrificio Alleluia canerent: quod officium tum incumbebat viro Dei. Itaq; magno quodam mœrore affectus, in pulpitum, caput cucullo operiens, sese reclinabat, & coram omni illa auditorum frequenria sic aliquandiu permansit. Interim mirabili quodam modo illud officium peregit, quemadmodum olim sanctus Ambrosius legitur beatissimi Martini funus, licet procul corpore abesset, curasse, & sanctus Franciscus, vt supra annotauimus, fratribus suis in Arelatensi conuentu siue Capitulo apparuisse. Eo autem munere diligenter perfunctus, ad se rediit vir Dei, & sermonem inchoatum egregie prosecutus est.

XXI. Eivsdemmodi quippiam etiam apud Lemouicenses illi contigisse ferunt. Vbi cum in nocte natiuitatis Christi in summa æde concionandum ei esset, & eodem tempore nona in nocturno officio lectio apud fratres in suo monasterio recitanda: cum vtrumq; simul præstare non posset, rogauit Dominum, vt is sua virtute suppleret, quod humana ope fieri nequiret. Et ita eodem tempore & lectionem illam in fratrum Choro visus est legere, & in primario templo concionem habuit.

XXII. Alio tempore cum à prædicatione rediens, & per solitudinem iter habens, populi applausus declinaret, mulier quædam viæ compendia captans, & virum Dei per deuia quærens, filium suum brachiis & cruribus à primo ortu contractum ad eius pedes abiecit, cum multis lachrymis rogitans, vt Crucis signum in illum exprimeret, nihil dubitans hoc facto ilico filium sanatum iri. Sed cum vir sanctus præ multa modestia & humilitate id recusaret, illa flens largius, & preces multiplicans, clamare cœpit: Domine pater Antoni, miserere mei. Tandem vir pius & matris afflictione & filij calamitate permotus, tum etiam flexus precibus socij sui fratris Lucæ, eius perpetui comitis, scientia & sanctitate præclari, Crucis signum in Christi nomine in ægrum puerum edidit, & ille eodem temporis puncto sanus & incolumis surrexit. Porro vir Dei non hoc suis meritis, sed mulieris fidei adscribens, rogauit eam, vt dum ipse esset in viuis, nulli id propalaret.

Crucis signo contractum puerum sanat.

XXIII. Pvella quędam annorum quatuor, pedum officio carens, insuper morbo caduco laborans, crebro volutabatur spumans, & ad terram se miserandum in modum allidens. Contigit autem, vt pater eius Petrus nomine, cum illam gestaret in vlnis, ab insperato obuium haberet patrem Antonium à concione reuertentem. Itaq; obnixe eum rogat, vt signum vitalis Crucis edat in puellam. Ille cernens hominis synceram fidem, à capite vsq; ad pedes Cruce eam consignat, & derepente fit sana.

Item morbidam puellam.

XXIV. Matrona quædam nobilis virum Dei cum ingenti populi multitudine extra oppidum sequens, vt in agro concionaturum audiret, in angusta quadam platea in densissimum lutum decidit, nouis iisq; non parui precij vestibus induta. In ipso autem casu se Deo & sancto viro commendans, ex luto ita surrexit munda, vt omnes in admirationem versi, Deum & fidelem seruum eius mirifice prædicarent.

XXV. Alia quædam pia fœmina in Francia, virum Dei pro habenda concione extra vrbem exeuntem sequi desiderans, à marito male valente non permittebatur. Fuit hoc illi molestissimum, & cum concioni interesse non liceret, ascendit in solarium domus suæ, & ex fenestra ad locum concioni destinatum cupida respexit, vt vel sic nonnihil suo desiderio satisfaceret. Accidit tum res admiratione digna. Cum enim ad duo milliaria abesset locus ille, vocem viri Dei prædicantis audiuit. Cuius suauitate delectata, hæsit diutius ad fenestram, quam vir eius ferre posset: qui etiam eo nomine obiurgauit eam, sed illa se respondit patrem Antonium audire concionantem. Quod ille audiens, irrisit eam, delirare illam existimans. Illa contra asserente se optime audire eum, ascendit vir ad fenestram eandem, & etiam ipse viri Dei vocem meritis fidelis coniugis percepit, atq; ab eo die nunquam ex illius concione abesse voluerunt.

Auditur vox eius procul per miraculum.

XXVI. Cvm beatus vir ex Tolosano Lectore & Podiensi Guardiano factus esset Custos Lemouicensis, & per regnum Franciæ proficiscens concionaretur, tandem ad Bituricensem vrbem peruenit. Vbi cum die quodam prædicaret populo, tam frequens habuit auditorium, vt nullus intra oppidum locus esset tantæ multitudinis capax. Canonici igitur cum populo instituta processione in agrum latissimum exierunt. erat æstiuum tempus. Sub ipsa autem concione immanis orta tempestas, fulguribus & tonitruis existentibus, omnes imminentem pluuiam fugere compulit. Sed vir Dei cernens illos fugam meditantes, alta voce dixit: Sitis bono animo: nec vos loco moueatis. Ne gutta quidem pluuiæ quenquam vestrum continget. Tum illi verbis eius fidentes, nihil se mouerunt. Interim pluuia & grando crassissima præ-

Grando & pluuia non contingũt auditores concionis eius.

sima præceps è cælo proruens, omnes illos prorsus intactos reliquit, ne locum quidem, in quo stabant, madefaciens, cum tamen eum vndiq; instar muri ambiuisset. Ad tam insigne miraculum omnes gratias egerunt Deo, & virum Dei deinceps in multa reuerentia habuere.

XXVII. CONCIONANTE quandoq; viro Dei ad sex miliaria extra vrbem Podiensem, absoluto sermone quidam viri fideles vinum & alia quædam ei miserunt. Quod vinum gustans matrona quædam, cum eius palato non sederet, festina domum abiit, melius vinum allutura. Qua in re tam fuit solicita, vt vasis epistomium apertum relinqueret, manuque ferens vertibulum siue partem illam, qua epistomium obturatur, ad hominem Dei properaret. Ad quem vt accessit, vidit in manu sua instrumentum illud, sensitq; se non clausisse epistomium: moxq; domum reuersa, totum cellarium vidit vino perfusum. Confidens autem meritis sancti viri, in epistomio reposuit vertibulum, statimq; dolium adeo est vino repletum, vt exundarit.

Vas vacuũ redundat vino.

XXIIX. IN vsurarij cuiusdam exequiis vir Dei concionaturus, thematis loco accepit illud ex Euangelio: Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Sub concione autem inter cætera ait: Mortuus est hic diues, & sepultus est in inferno. Ite ad thesaurum eius, & in illius medio inuenietis cor eius, corpore iam humato. Abierunt hominis parentes & amici, & cor adhuc calidum in medio nummorum eius inuenerunt.

Matth. 6. Res sane terribilis.

XXIX. QVODAM solenni die vir sanctus concionabatur, & quædam nobilis domina auide auscultabat. Cernens hoc impurus satan, vt fructum concionis ab ea excluderet, cursoris speciem præ se ferens, ad eam cum literis venit, aitq; filium eius ab hostibus captum & interfectum. Eas maligni hostis versutias spiritu cognoscens vir Dei, (nam corporeis auribus nihil huius perceperat) coram omnibus dixit: Nihil timeas Domina: filius tuus & viuit, & recte valet: Cursor autem iste, diabolus est. Ad quas voces instar fumi ille egregius cursor euanuit.

Malignitas dæmonis.

XXX. CVM Paduæ degeret vir Dei, Vlysbonæ duo ciues inexpiabili odio se mutuo prosequebantur: è quibus alter iuxta ædes parentum beati viri manebat, & cum hora vespertina filium hostis sui in platea inuenisset, per summam crudelitatem iugulauit, & intempesta nocte in horto parentum viri Dei, facta fouea, eum sepeliuit. Cum autem nobilis esset is, cuius filius cæsus erat, inquisitum est diligenter, & repertum eius filium illac transisse, vbi eius inimicus morabatur. Itaq; eius domo & horto lustrato, nihil compertum est. Itum est ad vicinas ædes, & in horto illarum pueri cadauer inuentum est. Itaq; pater sancti viri cum tota familia coniectus est in vincula, tanquam reus cædis illius. Id vero vt per spiritum Paduæ cognouit vir Dei, vesperi à Guardiano petiit copiam exeundi, quæ illi negata non est. Eadem nocte magno miraculo Vlysbonam perductus est, & proxima luce ad Iudicem se contulit, rogans vt insontes è vinculis dimissos pateretur abire domum. Illo modis omnibus recusante, petiit cadauer perempti pueri ad se adferri. Quo allato, iussit surgere puerum & dicere, num à parentibus ipsius occisus esset. Ille surgens, dixit eius cædis illos prorsus conscios non esse. atque ita discedendi est illis facta potestas. Mansit toto illo die cum parentibus suis vir beatus, & mane angelico ministerio Paduam reductus est.

Nota insigne miraculum.

Irem aliud.

XXXI. QVANDO ad populum concionabatur eximius præco Christi, sermo ex illius ore tanquam ex ardenti camino proficiscens, mirabiliter solebat mouere auditores, ipsasq; animorum penetrare medullas, & multam in iis deuotionem & compunctionem, vitiorumq; odium & detestationem excitare, ita vt plerunq; alter alteri diceret cum multo gemitu: Heu me miserum, qui nunquam antehac isthuc putarim esse peccatum: quod si sciuissem, certe nunquam illud admisissem: mutuoque se hortabantur ad faciendam confessionem, ad suscipiendas peregrinationes religionis ergo, ad ieiunia certis diebus amplectẽda in honorem matris Dei, aut similia pietatis studia sectanda. Quis vero possit dicendo consequi, quæ illic fusæ sint lachrymæ, quæab imo pectore ducta suspiria, quæ pectorum tunsiones in obstinatis peccatoribus conspectæ? Adeo enim Dominus mirificauit sanctum suum, vt non solum vsitatis quotidie coruscaret miraculis, sed etiam inaudita ab eo signa ederentur. Sicut enim beatus Nicolaus fertur per visum apparuisse Constantino Magno, eiusq; Præfecto, minasq; intentasse, ni dimitterent homines innoxios in carcerem coniectos: ita hic vir beatus, quos per peccatum cernebat è maligno dæmone vinctos detineri, & ad mortem tendere sempiternam, iis liberandis præcipuam nauabat operam. Et solebant nonnulli venire ad fratres, cum adhuc viueret vir Dei, & pro certo affirmare, ipsis in lecto iacentibus apparuisse eum, & dixisse: Surge Martine, surge Agnes: abi ad illum fratrem, & hoc siue illud peccatum ei confitere, quod tali in loco perpetrasti, cuius nemo præter Deum conscius erat. Qua ratione peccata prorsus occulta expiata fuere.

Effectus concionum eius.

Nota.

XXXII. PADVANVS quidam viro Dei confitens peccata sua, inter alia exposuit ei, quod matrem suam tanta vi trusisset pede, vt illa compulsa fuerit cadere. Id audiens vir sanctus, omnis malitiæ hostis capitalis, cum quodam spiritus feruore dixit: Pes, quo pater aut mater percutitur, merito quamprimum deberet amputari. Quod ille homo simplex perperam accipiens, ilico domum abit, & pedem amputat. Mox per omnium ora volitat crudele facinus, & ad virum Dei refertur. Qui absq; mora adit hominem, & post oblatas Deo preces, Crucis signo expresso, iungit pedem tibię, & aliquandiu linit sacris manibus suis. Confestim surgit homo incolumis, ambulans & exiliens, & laudas Deum, & ingentes agens gratias seruo eius fideli Antonio.

Pedem truncatum restituit.

XXXIII. TYRANNIDEM apud Veronenses occupante immanissimo illo * Ecelino Romano, cum didicisset beatus Antonius multam eum hominum cædem per summam crudelitatem Veronæ fecisse, intrepidus illum accessit, atq; his verbis compellauit: Imminet ceruicibus tuis tyranne sæuissime & rabide canis horrenda sententia Dei. Quousq; non temperabis tibi à fundendo insontium hominum sanguine? pluraq; his similia voce liberrima in faciem ei dixit. Qui vero aderant, nihil expectabant aliud, nisi illum more suo iussurum, vt trucidaretur: sed secus euenit. Nam omni posita feritate, instar ouis, ad collum suspensa zona, coram viro Dei humi prostratus, culpam suam humiliter edixit, omnemq; pro illius arbitrio promisit emendationem: adiecitq;: Viri commilitones, non vobis isthuc mirum videatur. Nam reuera diuinum quendam vidi fulgorem ex huius vultu vibrari, qui adeo me perterruit, vt me repente in tartarum demersum iri vererer. Ex illo tempore multa erga hominem Dei deuotione fuit, & quoad vixit, à multis malis, quæ alioqui, sicut ipse fatebatur, fecisset, illo retrahente, abstinuit.

Ecelinus tyrannus Veronẽsis.
* *al. Eccelino.*
Mire conuertitur.

XXXIV POTEST de beato viro non absurde dici, quod de filio suo Iacob dixit Isaac patriarcha: Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Adeo enim cælestis benedictionis gratia perfusus erat, & virtutum odoriferis floribus mirifice ornatus, vt esset humilitate præcipuus, sapientia clarissimus, eloquentia mellitissimus, charitate feruentissimus, paupertate insignis, omni morum elegantia illustrissimus, honestate præcelsus, sermone placidus, conuersatione humanissimus, deniq; in omnibus & Deo & hominibus gratus. Moderatione autem siue discretione, quæ est virtutum omnium parens, sine qua virtutes abeunt in vitia, præclare inprimis vsus est in concionibus, in dãdis consiliis, in recipiendis confessionibus, deniq; in dictis, factis & rebus omnibus, vt nihil in eo posset animaduerti huius virtutis sale non conditum. Solebat sine personarum acceptione omnibus fidelem nauare operam, vt è peccatis extraherentur, & quibuslibet poscentibus opitulari nunquam desiit viuens in terris, vti nec hodieq; cessat post obitum suum, vt res ipsa testatur.

Gen 27.
Virtutes sancti viri.

XXXV. ET ipsum quidem obitum suum longe ante præsciuit: sed ne fratres mœrore afficerentur, illis indicare noluit. Decimoquinto fere ante mortem suam die, cum è quodam colle contemplaretur amœnam Paduæ planitiem, exul-

Padua felix reliquijs sancti viri.

tans spiritu, situm vrbis eius miris vehebat laudibus. Versus deinde ad fratrem itineris sui comitem, multo honore ciuitatem illam breui affectum iri prædixit, non tamen exprimens, cuiusmodi ille honor futurus esset. Sed ab illius abitu vsque in præsens gratulatur vrbs illa felici rerum experimento, quando propter viri Dei præclara merita innumerabilium hominum frequentia visitatur, egregiis præconiis & eximiis muneribus cohonestatur, dum thesaurum illum miraculorum signis inclytum obtinet, rei prope incomparabilis titulo gaudet, in suo Antonio tot miseris opitulatur.

XXXVI. Cvm iam messis instaret, & vir Dei sciret colligendis frugibus populum occupatum iri, statuit ad tempus concionibus supersedere. Pertæsus vero crebri cum sæcularibus hominibus congressus, extra oppidum ad locum quendam solitarium, quem S. Petri campum vocant, secessit, Deo & sibi vacaturus. Nec vero mediocriter eius aduentu exhilaratus * Tiso vir nobilis, in cuius ditione erat locus fratrum, multa humanitatis officia propensissimo animo illi præstitit. Habebat is locum quendam nemoribus consitum, haud procul à domo fratrum: in quo erat arbor procera, ex cuius trunco sex rami emerserant, coronæ speciem referentes. Eam vir Dei conspicatus, Cellulam sibi super eam extrui voluit, quod solitudini & quieti opportunus ille locus videretur. Id vbi Tiso ex fratribus cognouit, ipse suis manibus viro Dei & duobus sociis eius tres Cellulas cum multa deuotione confecit. In ea igitur Cellula vir Dei vitam degens solitariam, instar apis sedulæ lectioni scripturæ sacræ & contemplationi vacabat. Atq; hæc inter mortales illius extrema fuit habitatio.

*al. Tysso.

Degit solitarius.

XXXVII. Iam igitur separatus ab hominum turbis, viuebat sibi, sanctis meditationibus & feruentibus precibus intentus, vt spiritum ab omni rerum terrenarum contagione repurgaret, & si qui pulueres ex hominum sæcularium conuictu & consuetudine, vt assolet, illi aliqua ex parte inhæsissent, eos lachrymis compunctionis & capillis sanctæ contemplationis abstergeret, cælestis patriæ propediem ciuibus felicissime coniungendus. Cum autem die quadam è sua cellula prandij hora descendisset, cum fratribus pro more discubuit. Facta vero est illic super eum manus Domini, cœpitq; repente totius corporis viribus destitui. Morbo autem magis ac magis inualescente, fratrum manibus sustentatus, à mensa surrexit: sed cum fatiscentes artus sustinere non posset, in cuiusdam lectuli stramenta se præceps inclinauit. Sentiens itaque corporis dissolutionem imminere, accito ad se socio suo fratre * Rogerio, dixit ei: Si tibi consultum videtur, frater, ob vitandum horum fratrum grauamen, Paduam me conferam ad beatæ Mariæ locum. Quod cum fratri illi placeret, in currum imponitur vir Dei, fratribus quidem loci illius, ne ipsos desereret, obnixe contendentibus. Qui tamen vt viderunt eius animum flecti non posse, passi sunt, licet inuiti, eum abire. Iam vero ad vrbem propius accedenti alius quidam frater obuiam venit, qui illum inuisere constituerat. Is vt vidit eum in vehiculo valde affecta valetudine, hortabatur ne propter ciuium importunitatem in vrbem ingrederetur ad fratres de S. Maria, sed diuerteret potius ad Cellam fratrum, iuxta monasterium pauperum dominarum commorantium, & eis diuina ministrantium. Assensit vir beatus, seque eo perduci curauit. Paulatim autem increscente ægritudine, ad extrema festinauit: cumque nonnihil quieuisset, facta confessione, hymnum illum de beata Maria, O gloriosa Domina, canere cœpit. Deinde sublatis oculis, aliquandiu sursum diligentissime intentos eos tenuit. Cum autem interrogaretur, ecquidnam ita adspiceret, respondit: Video Dominum meum. Cernentes igitur fratres, qui aderant, felicem eius exitum adesse è proximo, sacram vnctionem ei impendere voluerunt. Vt autem vidit sanctus vir fratrem ex more sacrum oleum apportantem, intuens in eum, ait illi: Hanc vnctionem ego habeo intra me: etsi autem necesse non est vt hanc mihi extrinsecus adhibeas, at placet tamen & vtilis est. Suscepit igitur sacram vnctionem, extensisque manibus & palmis inunctis, psalmos, quos pœnitentiales vocant, cum fratribus perlegit. Inde quasi dimidia elapsa hora, inter manus adstantium dormienti similis leniter expirauit, & anima illa sanctissima, carnis ergastulo absoluta, in abyssum claritatis absorpta est. Corpus plane dormire videbatur, manibus in candorem & colorem pristinum mutatis, & membris omnibus ad nutum contrectantium flexibilibus. Agebatur tum à Christi incarnatione annus 1231. & dies Iunij 13.

Viribus repente destituitur.

* al. Rugerio.

Vinotus nomine. Vide Petr. Rod. Tossianensem libro 1. historiæ Seraphicæ.

Videt Dominum Iesum.

Felicissime obdormit in Domino. An. 1231.

XXXVIII. Eodem autem die celeberrimus ille Abbas Vercellensis, sacræ lectioni & diuinis meditationibus intentus, solus erat in cubiculo. Eum vir Dei, cum esset in corpore, præcipue charum habuit, maxime quod olim in Theologia illum instituisset, & vicissim ab illo ex libris Dionisij de rebus altissimis instructus fuisset. Et ille quidem Abbas in cõuentu fratrum suorum hoc viro Dei perhibuit testimonium: Frater, inquit, Antonius Ordinis * illorum fratrum, de pura Theologia sensu mystico hausit plenissime, diuini radij gratia illustratus. Porro in Abbatis eius cubiculum vir Dei subito ingressus, post mutuam salutationem ait illi: Ecce domine Abba, relicto asello apud Paduam, festinus ad patriam proficiscor. Laborabat tum Abbas grauiter ex gutture: sed vir Dei leniter eum attingens, totum illud incommodum repente depulit, & disparuit. At ille putans eum ad natale solum iter intendere, ignarus prorsus obitus illius, surgit, & ex famulis monasterij perquirit, vbi sit frater Antonius. Stupefacti illi, respondent se nescire, Abbate assentem se pro certo eum vidisse, & ex suo cubiculo quamprimum eum exiisse, missus est quidam ad fratres, vt ex illis cognosceretur, num quid de Antonij aduentu comperissent. Vbi ille reuersus, fratres dixit nihil eius nosse, Abbas tandem ad se rediens, certissime cognouit Antonium migrasse ad cælos: tempusq; annotans, postea didicit, eodem die & hora eum decessisse, quo in cubiculo apparuerat, sicut ipse fratribus non sine lachrymis narrauit.

Abbas Vercellensis

* fort. Minorum.

Et apparet vir sanctus.

XXXIX. Cvm iam abiisset à vita beatus vir, noluerunt fratres ad hominum notitiam ilico id perferri, ne populus subito ad ipsos accurreret: sed latere non potuit. Pueri enim nemine quicquam sciente de eius morte, per vrbem cateruatim incedẽtes, clamabant: Mortuus est pater sanctus: mortuus est Antonius. Mox in omnes vrbis angulos rumor ille peruadit, & populus certatim neglectis laboribus, quibus se suosq; alebant, instar apum aduolat ad domum fratrum, eamq; circundat vndiq;. Inprimis vero ciues, ad pontis caput habitantes, cum armata iuuentute accurrunt ocyus impedituri ne quis beati corpus rapiat. Omnium ibi lamentabiles voces & gemitus audiuntur, lugentium orbitatem suam. Maxime vero plorabant se tanto patre destitutas sorores, quas pauperes dominas vocant, quæ etiam multum egerũt apud primarios eius ciuitatis viros, vt liceret ipsis apud se retinere corpus sancti viri. Sed repetebant illud fratres ad S. Mariam degentes, apud quos etiam sepeliri voluit vir Dei, idq; adeo, vt sub mortem fratri cuidam ipsi assistenti præceperit, modis omnibus daret operam, vt corpus eius ad S. Mariæ ecclesiam deportaretur. Itaq; instabant fratres isti, & sacrum corpus absportare volebant: sed ciues de pontis capite illis resistebant, & nec attingere quidem permittebant corpus. Interim etiam augent armatorum numerum, qui noctes & dies aduigilent, ne inde auferatur. Tum fratres nescij quid facerent, adeunt ciuitatis Episcopum, eique rem totam permittunt. Episcopus Canonicis conuocatis, singulorum super hac re sententiam inquirit. Multi videbantur in eam ire sententiam, vt pauperibus dominabus corpus sancti viri relinqueretur. Tanden Episcopus non negligendas putans preces fratrum rationi consentaneas, magistratui vrbis præcipit, vt fratribus in deportando corpore pro viribus adiumento sit.

Pueri miro modo mortem eius produnt.

En quam charus Paduanis fuit vir Dei.

XL. Interea dum hæc geruntur, pars ciuium de pontis capite valde inflammantur desiderio humandi sacri corporis, neglectoque magistratu in vetitum maiori contentione nituntur, inuitantq; seniores & amicos, vt ipsis auxilio sint. Denique inter se vnanimiter statuunt, se suaq; omnia in præsens & excidij discrimen coniicerere potius, quam sinant ex eo loco tolli corpus viri Dei. Et quod mirum videri queat, adeo in hac re feruebant, vt quidam eorum odiũ

Nota studium Ciuium

inuete-

inueteratum & bella inteſtina, quibus inter ſe multo tempore ſæuierant, plane ex animis abieciſſe viderentur, tantum vt illud ſacrum pignus retinerent. Et ne cuiuſquam fraude aut machinis illo fortaſſis priuarentur, communicato inter ſe conſilio, illud rapere moliebantur. Sed quod præſens non eſſet Miniſter prouincialis, ad cuius nutum fratrum controuerſia pendebat, ſeniores quosdam è ciuibus rogabant fratres, vt ad illius aduentum pauliſper à ſuo propoſito deſiſterent, eiusque arbitrio omnia permitterentur. Placuit hoc ciuibus, & omnes illi ſententiæ accedebant. Nocte incumbente, fratres emiſſis turbis, claudunt oſtia domorum, & diligenter vectibus & ſeris ea obfirmant. Et ecce media nocte clamor ingens exiſtit, & importuno deſiderio turbę inhiant ad videndum corpus ſancti viri. Itaque oſtia perfringunt: ſed cum iam tertio id feciſſent, nulla ratione in domum ingredi potuerunt, ſtabantque, vt ipſimet faſſi ſunt, apertis oſtiis ſtupefacti: & cum domus plena eſſet luminibus, aditum videre non potuerunt. Mane facto, permulti ex vrbe, caſtris, pagis & locis vicinis accurrunt, & quibus datur vel ſemel vtcunque contingere ſacrum corpus, beatum ſe credit. Qui autem præ turba tangere non poterant, zonas, annulos, monilia, claues & cætera ornamenta per feneſtras & oſtia paſſim porrigebant, vt contactu ſanctiſſimi corporis ſanctificata reciperent.

erga eius ſacrum corpus.

Præclarum miraculum.

XLI. PENDENTE interim propter Miniſtri abſentiam negocio, fratres propter æſtiuum calorem corporibus infeſtum, in capſa lignea ſacrum corpus conditum, in foueam deponunt, leuiter illud humo operientes. Mox rumor exit in populum, raptum eſſe ſacrum corpus. Aduolant igitur omnes furibundi in domum fratrum cum fuſtibus & gladiis, ſepes & oſtia euertunt, properant ad locum, in quo erat corpus, nec ceſſant à ſuo conatu, donec capſam illam inuenirent. Sed nec ſic credunt in ea haberi corpus, licet fratres id aſſeuerarent. Tandem aduenit Miniſter, ad cuius reditum tota vrbs ſuſpenſa hærebat. Ab eo igitur ciues de pontis capite corpus ſancti viri petunt inſtanter, addunt etiam minas, vt terroribus frangant fratres, affirmantq; ſe nullius periculi cauſa à ſententia diſceſſuros. Videns Miniſter temeritate illos duci, cum multa cautione & modeſtia dicit ad eos: Nihil quidem iure hic repoſcere poteſtis chariſſimi: ſed ſi de indulgentia agitur, de fratrum conſilio faciemus, quod Dominus inſpirabit. Interim ne aliquam poſſitis ſuſpicari fraudem, vobis permitto cuſtodire locum, in quo beati patris corpus quieſcit. Mane alterius diei Miniſter adit Magiſtratum, & conuocato ſenatu, humiliter opem & conſilium implorat. Magiſtratus de communi omnium ſententia cuſtodes adhibet loco ſacri corporis, & ſub pœna centum librarum cauet, ne quis vim afferat fratribus, aut armatus ad eum locum accedat, donec Epiſcopus & Clerus quid fieri oporteret, ſtatuerent. Altera luce Epiſcopus in eam curam & cogitationem diligenter incubuit, & audita vtraq; parte, tandem voluit, vt omnia ex Miniſtri voluntate fierent: iuſſitq; vt & Clerus & populus omnis die craſtino ad efferendum ſacrum corpus ſummo mane conuenirent: Magiſtratui quoq; præcepit, vt fratribus, ne quid paterentur moleſtiæ, ſua ope adeſſent. Magiſtratus libenter iuſſa capeſcit, & ex aduerſo fluminis, quod Cellam fratrum ambit, ex nauibus & lignis celeriter curat pontem confici, ne ciues de pontis capite animis commouerentur, ſi cernerent corpus per ſuos fines deferri. At illi nihilo minus verſi in ſeditionem, pontem illum diſſipant. Ea res totius ciuitatis animos concitauit, quod tanta temeritas ad omnium iniuriam redundaret. Itaq; armis muniti, omnes proficiſcuntur contra illos pontis euerſores, & hi non minus fidenter ad arma ſe parant, omni periculo contempto.

XLII. VIDENTES autem fratres tantum vrbis totius diſcrimen, magno timore correpti ſunt: nec minus terrebantur pauperes dominæ, ſua culpa eas turbas concitatas aſſerentes. Tum vero Magiſtratus illum populi tumultum non ferens, omnes voce præconis ad palatium conuocat, & pontis euerſoribus interdicit, ne ea die auſi ſint redire ad ædes ſuas. Amotis ergo illis ſeditionis authoribus, Epiſcopus cum Clero, Magiſtratus cum militibus & innumera populi multitudine, inſtitutis vſq; ad ſacri corporis locum proceſſionibus, cum hymnis & canticis ſpiritalibus per medium capitis pontis ad eccleſiam ſanctiſſimæ matris Dei idem beatiſſimi viri corpus mira omnium exultatione transferunt. Supponebant autem feretro humeros ſuos primarij viri ciuitatis & magiſtratus, beatos ſe exiſtimantes, qui loculum vel leuiter attingere mererentur. Quotquot autem cereos habere potuerunt, eos accenſos manibus ferebant: quorum tanta erat copia, vt eorum lumine quaſi tota vrbs inflammata videretur. Vbi ad perpetuę Virginis templum ventum eſt, Epiſcopus ſacrificium fecit: eo peracto, & exequiis celebratis, quinto ab obitu eius die terræ mandatum eſt ſanctiſſimum corpus.

Transfertur ſacrum corpus honorificentiſſime.

XLIII. EODEM ipſo die, tempeſtate illa in tranquillitatem redacta, cœperunt miraculorum coruſcare ſigna, ita vt quouis affecti morbo, ad contactum tumbæ viri Dei mox reualeſcerent: qui vero præ turba propius accedere non poterant, coram omnibus etiam in platea ſani euaderent. Ibi reuera oculi cæcorum aperiebantur, aures ſurdorũ patebant, claudus ſicut ceruus ſaliebat: ibi ſoluta mutorum lingua, velociter & plane Deo laudes promebat: deniq; omne genus ægritudinũ depellebatur, & optata diuinitus beneficia impetrabantur. Porro ciues illi de capite Pontis, qui põtem deſtruxerant, lachrymis infuſi & detractis calceamentis, Clero cum Crucibus & vexillo præcedente, cum tanta reuerentia & humilitate coram tumulo ſe proſtraturi venerunt, vt pœnitentia ſua animos intuentium ad multam cõmiſerationem permouerent. Erant illi milites, delicatum hominum genus: quos etiam matronæ nobiles, præ teneritudine vix ſe ferentes, nudatis pedibus ſequebantur. Nec ij duntaxat, ſed ciues omnes in partes diſtributi, ſtatis diebus cum ſimili proceſſione, abiectis à pedibus calceis, ad ſacrum beati viri tumulum accedebant. Veniebant itidem religioſi, ac poſtremo Epiſcopus cum toto Clero, pręceptores cum multa ſtudioſorum caterua, Magiſtratus cum militum & potentium frequentia, aliiq; diuerſarum artium profeſſores, ſingulatim ordinatis proceſſionibus, certis diebus & horis, cereos habentes in manibus, poſitis calceis, decentiſſime aduenerunt. Erant autem cerei, qui ante ſingulos aduentantium cætus portabantur, ea longitudine, vt non niſi aliqua præciſa parte, intra ædem beatiſſimæ matris Dei inferri poſſent, multa etiam formarum inter ſe varietate artificioſe diſtincti. Quidam etiam præ ſuo pondere humeris portabantur, nonnulli curtibus vehebantur. Cum non poſſent autem præ nimia multitudine ad eccleſiæ valuas accedere, cereos in platea circa templi oſtia ſtatuebant. Nec deerant, qui ſuper muros lumina collocarent, & in plateis excubias perpetim agerent: iiq; nec æſtiuis ardoribus, nec hybernis algoribus ab eiuſmodi pietatis ſtudiis arceri ſe patiebantur. Iungebantur cum noctibus dies, & aliis poſt alios ſuccedentibus ſine vlla intermiſſione Deo laudes gratesque agebantur. Lætabatur Padua (alij Patauium vocant) tantis ornata luminibus, tantis illuſtrata fulgoribus, nec vllas noctium ſenſit caligines. Accurrunt Veneti, properãt Cenomani, adſunt Vicentini, Longobardi, Sclaui, Aquileienſes, Germani, Hungari, Hiſpani, Galli: ſuisq; oculis cernentes diuinitus celeberrima declarari miracula, in laudes præpotentis Dei ſua ora laxabant, & corde compuncti, peccata ſua fratribus, tantæ turbæ vix ſufficiẽtibus, confitebantur. Si qui vero curationis cauſa veniſſent, nec ſua vellent peccata confiteri, illi nihil obtinebant: facta autem confeſſione, & correctius viuendi concepto propoſito, cunctis videntibus mox miſericordiam experiebantur.

Multis cõcuſcat miraculis. *Eſa. 35.*

Nota deuotionem.

Milites, pro nobilibus author accipere videtur.

Ex longinquis regionibus confluunt ad ſacrum corpus.

XLIV. INTERIM exaltabatur catholica fides, pudefiebat cæca perfidia, mordaces hæreticorum dentes conterebantur, Chriſti ſponſam calumniis exagitare conantium, caligo incredulitatis miraculorum ſplendoribus profligabatur. Fuit vero totius Cleri & populi ea concors ſententia, vt quamprimum apud Romanum Pontificem de viri beati nomine ſanctorum catalogo adſcribendo ageretur, cum ab eius obitu necdum menſis fluxiſſet. Et eſt accurate ſane iuſſu Pontificis Gregorij noni in eius miracula inquiſitum, & multa adhibita cura, vt omnia rite fierent. Tandem cum eſſent à Pontifice conuocati Cardinales & Prælati omnes, qui tum Pontifici aderant, inter cætera ab illis dictum eſt:

Nota. Refertur in sanctos.

Indignum valde est, nos, quod absit, beatissimi patris Antonij meritis venerationem debitam in terris subtrahere, quem Dominus maiestatis dignatus est gloria & honore coronare in cælis. Sicut enim veritati miraculorum cognitæ fidem non adhibere, perfidia est: sic meritis sanctorum laudem negare, genus inuidentiæ est. Itaque Pontifex, qui tum Spoleti erat, anno à nato Saluatore 1232. Pontificatus sui anno sexto, ipso sacratissimo Pentecostes die, beatum virum in sanctis deinceps numerandum cum ingenti celebritate decreuit, cum necdum ab eius è vita decessu annus expletus esset. XLV.

Nota rem miram.

Eo autem die, quo in sanctos relatus est vir Dei, res stupenda accidit Vlysbonæ. Nam & viri & fœminæ extra domos in plateis cantabant & tripudiabant, & campanæ omnes totius ciuitatis, nullo eas mouente, concrepabant egregie, nec poterant homines se cohibere, quin se lætitiæ & tripudiis darent. Ea autem re in multam illis admirationem adductis, non diu post superuenêre ex Italia fratres, quorum relatu didicerunt, eodem ipso die inusitatæ lætitiæ suæ, virum beatum in sanctorum albo inscriptum fuisse.

An. 853.

VITA S. FANDILÆ MONACHI ET MARTYRIS

SCRIPTA A S. EVLOGIO LIBR. III. MEMORIALIS SANCTORUM cap. 10. & 7.

Ivnii 13. Christiani palatio electi.

DEPTO Mahomad patris imperio, confestim in promptum odium contra nos prorumpens, ipso die, quo fascibus infulatus, solium regnaturus conscendit, Christianos omnes palatio abdicans, indignos aulæ principali ministerio promulgauit. Quos iterum post non longo interuallo sub tributario censu præscribens, plures præmio regali priuauit, qui dudum militaribus vescebantur annonis. Et quia scriptum est: Secundum iudicem populi, sic & ministri eius; ipsis per idem tempus gubernacula vrbis commisit, qui consimili zelo controuersiæ aduersum Dei populum laborantes, eum vbique affligerent, euerterent, & opprimerent: vt non solum vatem suum nullatenus infamari præsumerent, verumetiam terroribus compulsi abominabilem confiterentur culturam. Sic quoque mœror importabilis & persequutio truculenta vndiq; nobis obuians, plerosque præuaricationis laqueo immergebat. I.

Cap 6.

His interim imminentibus malis, & huiuscemodi ærumnis Ecclesia vapulante, ferunt ob hoc regem ingenti crapulatum lætitia, ampliora fidelibus scandala irrogaturum se promittere: & dira incursatione, molestiaque contraturum, si commodum regnandi successum diutius obtineret: adeo vt plerique procerum olim decedentium martyrum subsannantes constantiam, nobis referrent: quo nunc abiit illa vestrorum virtus agonistarum? quo aufugit magnanimitas? quo absorpta temeritas delitescit? vbi se eneruata fortitudo abduxit? qui dudum concitis gressibus certatim ad expugnandum dogmatistem nostrum occurrentes, debita vltione perempti sunt. Nunc adsint, nunc veniant, modo properent, si diuinitus inspirati illud in veritate conseruant certamen. II.

Cap. 7.

Dvm ergo in nos huiuscemodi irrisionibus insultarent, & hoc deludio nostram pene consummatam cladibus fatigarent miseriam: adolescens quidam Fandila ephebus, aspectu decorus, honestate vitæ probabilis, sanctus, & timoratus presbyter inter has cædes, sæuaque discrimina, ostium aditumque primus exercendi martyrium sub huius tyranni priuilegio * patefecit. Hic itaque ex vrbe * Accitana progenitus Cordubam discendi gratia veniens totam pene pubertatem ibidem sub pædagogi traditione peragens, confestim vt adolescentiam adiit, monastica oblectatus conuersatione, illico monachis se Deo iugiter militaturus admiscuit. Qui aliquibus locis peragratis ac demutatis, in quibus ardens deuota mens requiescere non poterat, vltimo se in Tabanense cœnobium contulit. Ibi aliquamdiu sub regulari disciplina, vel regimine Abbatis Martini demorans, perfectius in timore Domini claruit. III.

*regno aut imperio sup.

* nunc Guadix in regno Granatensi.

§ Fandila fit monachus

Fit sacerdos.

Et quoniam summæ humilitatis magnæque obedientiæ erat, idcirco gratia sanctitatis, qua cælitus refulgebat, diu implorantibus ac rogantibus monachis cœnobij sancti Saluatoris, quod haud procul à ciuitate Cordubæ in parte Septentrionis ad radicem mellaris pinnaculi situm est, ad officium sacerdotale præelectus inuite, & (vt vita dixerim) violenter instantia vel præiudicio Abbatis sui sanctum ministerium suscipit, & nihilominus ieiuniorum, vigiliarum, orationumque solito propensius labores adaugens, ambulat de virtute in virtutem, visurus Dominum in Sion scalis meritorum euectus. Cuius venerabilem vitam, cunctisque necessario imitabilem conuersationem, cum affatim digno laudum præconio eorundem fratrum atque sororum, quibus præerat, relatione pandatur, eo tamen magnificentius declaratur, quo florentissimam iuuentutem animo robustiore transgrediens, gladio martyriali non cunctatus fuerit subdere. IV. *Psal. 83.*

Igitvr comitante ipsum perfectione timoris Domini, cum omnia terrena despiciens mentem cælo suspenderet, cuperetque dissolui melius, & cum Christo manere, quam rebus hærere caducis, quodam die obfirmato vultu iudici astans, prædicat Euangelium, impudicum exprobrat vatem; cætumque noxiæ combinatum culturæ pædoribus (nisi resipiscens pietatis fidem apprehendat) vltricibus luiturum pœnarum incendiis protestatur. Hinc carcere trusus, & vinculis coarctatus, latronum mansionibus alligatur, principali postmodum sententia decollandus. V.

Prædicat Euangeliū. Coniicitur in carcerē.

Qvod factum iudex regio intimari auditui non differens, accenditur igne furoris immensi, & quodam hebetatus horrore miratur stupidus, quæ esset illa victrix audacia, quæ tantæ gloriæ non expauerit regem, tamque sublime vanitate & superbia caput, atque (vt se putabat) super omnia excellens talibus non reuerentiæ ausibus propulsaret. Quamobrem eodem momento sub voce terribili episcopum comprehendi decernit. Sed ipse fugæ præuentus remedio saluatur. Nam ferunt iam tunc eum nulla intercedente dilatione punire decreuerat. Iusserat etiam omnes Christianos generali sententia perdere, fœminasque publico distractu dispergere, præter eos qui spreta religione ad cultum suum diuerterent. Et nisi hoc edictum consultu satrapum quassaretur, qui pro eo quod nullus sapiens, nemo vrbanus, nullusque procerum Christianorum huiuscemodi rem perpetrasset, iccirco non debere vniuersos perimere asserebant, quos non præit personalis dux ad prælium. Et hinc credo iam funditus Christianismum nostrum partim gladio, partim præuaricatione extingueret. Fortissimum vero athletam gladio interficiens patibulo vltra amnem suspendi præcepit. VI.

Episcopus Cordubensis in carcerem duci iubetur.

Graue Christianorum periculum.

SANCTI

SANCTI PATRIS NOSTRI BASILII ARCHIEPISCOPI SELEVCIÆ LAVDATIO IN PROPHETAM ELISEVM ET MVLIEREM SVNAMITIDEM, ex Simeone Metaphraste.

I. EX prophetarum numero alij sermone Christum pronunciarunt, alij opere ac factis eius res indicarunt, alij diuinæ dispensationis figuram & rerum futurarum imaginem, tanquam adumbratione quadam præmonstrarunt. Sermone Christum prænunciarunt Esaias, Ieremias, Ezechiel, & vna cum illis duodecim alij prophetæ. Factis illum indicarunt Elias Thesbites & Eliseus eius discipulus. Figura ipsius sepulturæ fuit Ionas Propheta. Sicut enim, inquit ipse Dominus in Euangelio, fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & trihus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. IVNII 14. Christum prophetæ multis modis prænunciarunt. *Matth.* 12.

II. SED interea Ionæ & Eliæ, aliorumq; narrationem in aliud tempus differamus, Eliseum vero in medium proferentes, primum quæramus, quare Sunamitidis filium non oratione, vt Petrus Apostolus Dorcadem illam, à mortuis excitauit, sed supra mortuum illius pueri corpus seipsum expandit: pueri enim ori sui oris superficiem, nares naribus, fronti frontem, pedibus pedes accommodauit, pectus pectori, & oculis oculos adhibuit, &, vt summatim dicam, singula pueri membra suis membris Propheta contingens, vitam ipsi largitus est. Quę igitur fuit causa, vt mortuum puerum oratione non excitauerit, sed seipsum eius corpori adiunxerit? Hæc illis quidem in figura contigerunt, & ad nostram doctrinam scripta sunt, ad quos fines sæculorum deuenerunt. Narremus igitur, cuius rei figura fuit Eliseus, & cuius filius Sunamitidis mulieris, qui mortuus fuerat, imaginem præmonstrabat. *Acto.* 9. 1 *Cor.* 10.

III. ELISEVS Christi figuram præferebat, Sunamitidis vero filius gentium populum figurabat: hic enim à peccato ipso morti subiectus fuerat. Venit igitur spiritualis Eliseus, & eius membra omnia, os, oculos, manus ipsas, pedes, totum deniq; corpus mortuum deptehendit. Os videlicet mortuum erat, quod non ad Dei gloriam celebrandam linguam exercebat, sed ligno dicebat, Pater meus es tu: & lapidi, Tu me genuisti. Eiusdem oculi mortui erant, quippe qui non ad vniuersarum rerum opificem Dei Deum erigebantur, sed, relicto creatore, his rebus seruiebãt, quæ à Deo ipso creatæ fuerant. Mortuæ erant & manus, quæ dæmonibus ipsis sacrificia offerebant. Mortui & pedes, quippe qui ad diaboli adorationem flectebantur. Totum deniq; eius corpus putidum erat, & potente illo medico indigebat: nõ quouis, inquam, medico, sed eo, qui posset mortuis etiam hominibus vitam restituere. Venit igitur medicus ille, qui requirebatur, spiritalis Eliseus Dominus noster Iesus Christus, qui cum humanum corpus totum mortuum comperisset, seipsum totum toti mortuo corpori accommodauit. Eliseus, typus Christi. Filius Sunamitidis, paganorum. *Ierem.* 2.

IV. DICET aliquis: Quidnam hoc est, quod dicis? Tota, inquam, & plena diuinitatis perfectio totam nostram humanam naturam in se gestauit: hominem scilicet ipsum, in quo habitauit (vt inquit Apostolus) tota plenitudo diuinitatis corporaliter. Oculos habuit vt homines, similiter & manus & pedes, non specie aliqua, sed re vera. Non enim rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo: sed exinaniuit seipsum, formam serui accipiens. Itaq; vita ipsa mortis indumentum gestauit, vt mortalem illam conditionem ad propriam immortalitatem traduceret: cumq; diuinitas ad humanum corpus descendisset, omnia deinceps hominis membra sancta sunt effecta, & ad meliorem vsum conuersa. Ita igitur os ipsum didicit tandem illud dicere: Domine, labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Oculi vero ipsi ad Dei gloriam intenti esse didicerunt, vt de ipsis dici possit: Oculi omnium in te sperant Domine, & ru das illis escam in tempore opportuno. Manus ad Deum extensæ, Domino suo benedicunt, vt & de illis dicatur: In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Domino: item illud: Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Iam vero & pedes ipsi in Ecclesiis consistentes, & totum hoc Deo acceptum referentes: Stantes, inquiunt, iam sunt pedes nostri in sanctis locis. Item illud: Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem. Vidisti, quæ sit in membris exterioribus diuinæ gloriæ celebratio. Quid igitur? Num & interiora hominis membra, diuini ministerij sunt expertia? Minime, inquam, sed anima ipsa cum interioribus membris clamans & Deum inuocans, ait: Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius. *Coloss.* 2. *Philip.* 2. *Psal* 50. *Psal.* 144. 133. 140. 121. 102.

V. OMITTAMVS igitur Sunamitidem illam viduam cum miraculis ab Eliseo Propheta effectis, & Christi ad nos venientis vmbram quandam præ se ferentem, & ad nouæ gratiæ miracula orationem nostram conferentes, de hac ipsa re latius differamus, & primum consideremus, quemadmodum vnigenitus Dei filius à solo Patre ante omnia sæcula genitus, idem in extremis diebus, & ex Virgine matre sola sine semine aliquo natus, vnicum viduæ cuiusdam filium mortuum, misericordia motus, ab inferis excitauit. Sed recurramus ad viduæ illius lachrymas, quæ cum filium suum vnicum mortuum deploraret, Dominum ipsum, qui nostræ salutis causa in mundum venerat, ad misericordiã allexit. Illius enim viduæ lachrymæ vnigenitum Dei filium ad vnicum eius filium à mortuis excitandum adduxerũt. Cum enim ille valde misericors eam fœminam dolore nimio affligi vidisset, sponte viduam adiit, & mœroris flammam suæ benignitatis fonte totam extinxit: de ipso enim apud Prophetas scriptum legimus: Ros à te proficiscens, medicina ipsorum est. Fractum itaq; ramum, vt bonus agricola, iterum inseruit. Cuiusnam hominis cor dolor ille nõ vulnerasset? Quis viduæ illius lachrymas sine lachrymis præteriisset? Eius, inquam, fœminæ mœror toti ciuitati fletum excitauit. Viduæ ipsæ viduam illam, quæ filiorum matres erant, mulierem liberis orbatam commiserabantur. Qui filios habebant, adolescentem mortuum lamentabantur. Adolescentes adolescentem illum lachrymis prosequebantur. Alij vt filium, alij vt fratrem deplorabant. Omnes deniq; mœror ille tetigerat: & matris vulnus eo magis in corde renouabatur. Filij enim memoria in eius viscera tanquam telum aliquod recurrens, flammam accendebat, & doloris acerbitatem maiorem efficiebat. Nihil enim ita matrem affligit, vt mortui filij recordatio. *Psal.* 83. *Luc* 7. Viduæ Euangelicæ, vnici filij mortem deplorantis luctus describitur.

VI. CVM igitur crines sine intermissione laceraret, & vnguibus ipsis maxillas discerperet ac dedecoraret, lachrymarum fluuios effundebat, & miserabiles pro filio mortuo voces emittebat, quales scilicet par erat à mœrore ipso in eius mentem ac vocem suppeditari. Cuinam, inquiebat, fili, viduam matrem & orbam dereliquisti? Quem, te adempto, adiutorem inueniam? Cuinam ætas mea grandis, tanquam baculo, innitetur? Quem posthac patronum inueniã, cuius vir prius excessit, cui filius nunc adimitur? Quî potero orbitatis meæ angustias sufferre, & viduitatis tempestatem euadere? Hactenus onere illo, quod viduas consequitur, depressa fui, nunc & orbitatis caligo me oppressit. Duos illustres oculos possidebam, virum & filium, sed vtrunque mors ipsa effodit. Ecquis igitur, fili, matrem tuam iam mortuam sepulcro mandabit? Quis iusta persoluet? En illum, qui me lachrymis prosequi debebat, ipsa prius lachrymo: quem decebat sepulcrum mihi parare, eum ipsa nunc sepeliam. Non amplius tuis amplexibus fruar, non amplius tuis suauissimis osculis recreabor. Par erat matrem, priusquã filium, à morte rapi: hic enim est naturæ ordo, vt filij parentes præmittant. Sed quoniam ordinem peruertisti, saltem celeriter Deus hoc mihi largiatur, vt ad eos, qui mortui sunt, me quoque adiungat. satius enim mihi erit vno eodemque sepulcro condi, quam sine filio breui hac luce frui: nam nullæ vitæ iucunditas mihi amplius reliqua est, cum non amplius supersit ille, cuius causa viuere cupiebam. Quandiu filius supererat, sine dolore ærumnas meas ferebam: vterque enim alteri consolationem afferebamus: neque illum orbitas frangebat, neque viduitas ipsa, tantum illo viuo, me onerabat. Et viri quidem calamitatem

filij expectatio paulatim à memoria subtrahebat: sed consolationem meam hanc mors acerba statim conturbauit,& hilaritatem magnam in dolorem conuertit. Quam diuersa sunt euenta ipsa ab iis, quæ mihi proposueram. Quotidie eius nuptias expectabam, sed pro thalamo nuptiali sepulcrum construxi. Quo tempore de nuru cogitabam, tunc monumentum paraui. Cum de nuptiali conditione tractabam, tunc testamentum eius consignatum accepi:& filius matrem hæredem scripsit, quæ filium hæredem constituere debebam. Cum vestem nuptiis congruentem parare cœpissem, tunc funebribus vittis & indumentis eius cadauer adstrinxi. Quam diuersa sunt hæc ab iis, quæ mihi propositum fueram. Non est dolor aliquis cum doloris mei acerbitate conferendus: nulla calamitas meæ calamitati par est. Nemo vlcus meum sanare poterit: nemo vulnus curabit: nemo talis ac tantus medicus in vrbe hac est: non est, inquam, non est. Sed numaliquem apud vrbis portam inuenero?

Dominus Iesus excitat filium eius. *Luc. 7.*

CVM adhuc mulier loqueretur, Medicus, qui desiderabatur, præsto erat. Ille viduarum Patronus viduæ occurrit: Pater orphanorum adolescentulum vocauit: vitæ largitor mortuum in vitam restituit, & orbatæ matris lachrymas misericordiarum amator Deus repressit. Cum enim ad ciuitatis Naiin portam Dominus appropinquasset, (vt dicit Euangelista) ecce efferebatur mortuus filius vnicus matris suæ. Mortuus egrediens ingredienti vitæ occurrit. Cumque flentem matrem ipse Dominus vidisset, misericordia illius commotus est, eiq; dixit: Noli flere: mors enim, quæ te impugnauit, expugnata nunc est. Noli flere: nam inferna sedes coacta, filij tui animam à me repetitam restituet. Gaudebat quidem satanas, vt prædam deuoraturus: sed ingemiscet, voti compos non factus. Et vt discas verum esse, quod promitto, reuera filium tuum resurgentem adspicies. Tum dixit: Adolescens, tibi dico, surge. Et sedit, qui mortuus fuerat, & cœpit loqui. Adolescens, inquit, tibi dico, surge. Sed curnam addidit, Tibi dico? Simplicius enim dicere poterat: qui mortuus es, resurge. Eius rei causam hanc esse arbitror, quod Saluatoris vox summam vim habens, & alios mortuos in vitam excitatura erat: propterea illud addidit, Tibi dico, vt gratiam suam huius adolescentis resurrectione circunscriberet. *Ioan 11.* Hoc idem fecit & in Lazaro: non enim dixit: Qui mortuus es, veni foras: sed nomine mortuum vocans: Lazare, veni foras. Itaque id fecit, ne vox illius, qui vitæ author est, simpliciter pronunciata, multos mortuos excitaret. *Psal 93.* Sedit mortuus, & cœpit loqui, illud nimirum: Nisi Dominus adiuuisset me, paulominus habitasset in inferno anima mea. *Psal. 39.* Item illud: Dominus eduxit me de lacu miseriæ & de luto fæcis: & statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos. Hoc igitur & nos in tentationum fluctuationibus clamantes, canamus gloriam Patri, Filio & Spiritui sancto nunc & semper, & in æterna sæculorum sæcula, Amen. VII.

Huius S. Elisæi prophetæ reliquias Alexandriam translatas scribit Cedrenus in Compendio anno septimo Leonis magni Imperatoris.

An. 853.

GESTA SS. MARTYRVM ANASTASII PRESBYTERI, FELICIS MONACHI, DIGNÆ VIRGINIS, ET BENILDIS matronæ: Authore S. Eulogio lib. 3. memorialis Sanctorum cap. 8. & 9.

14. Ivnii Cap. 8. * *Locus depraua-tus.*

ANDILAM sequens alio die Anastasius presbyter, qui ab ineunte ætate apud basilicam sancti Aciscli Cordubensis disciplinis, & literis eruditus vsq; ad plenam iuuentutem ibidem in diaconatus officio degens, post monastica vita, qua dudum fuerat spreto ministerio oblectatus * incenibus egerat, demũ sacerdotio applicatur. Concito gressu palatium petens adstat consulibus, hostemq; fidei veridicis assertionum stimulis feriens gladio confestim abscissus suspenditur. Cum quo & Felix monachus ex oppido Complutensi progenitus natione Getulus, & quadam occasione in Asturias deuolutus, vbi & fidem Catholicam, & religionem monasticam didicit, eodem die hac professione decissus affigitur. I.

CVMQVE dies illa maximum cursus sui explens metabulum, iam pene in horam nonam diuergeret: virgo quædam adolescentula merito, & nomine Digna, ex collegio venerabilis Elisabeth, Deo reuelante & confortãte ad palmam processit. Paulo namq; ante martyrium suum assistere sibi per somnium videt puellam habitu & specie percõptam angelico, rosas ac lilia manu gestantem. Quam cum de nomine: causaq; sui exploraret aduentus. Ego sum (inquit) Agatha, olim propter Christum diris attrita suppliciis, & nunc veni partem tibi purpurei muneris huius conferre. Accipe libens donarium, & viriliter age in Domino, nam reliquias rosarum & liliorum, quas in manibus seruo, post te ex hoc loco datura sum migraturis. Tali deniq; virgo sacratissima visu ac munere illustrata, cum è dextera colloquentis rosam susciperet, auris admixta cœlestibus ab oculis intuentis eleuabatur. II.

Agathæ Digna apparuit.

HÆC autem puella cum pro summa humilitate, atq; obedientia inter conuirginales vltima se iudicaret, essetq; incomparabili apparatu obsecundatrix, nunquam tamen appellari se Dignam patiebatur, dicebatq; cum lachrymis: Nolite me Dignam vocare, sed magis indignam, quia cuius meriti sum etiam nomine debeo insigniri. Et cum à die reuelationis suæ amore compuncta martyrij tacito cogitamine, quibus ad id posset indiciis aspirare, sæpius ruminare cœpisset, fit affatim lætior horum instructa martyrio, quo quasi his præcedentibus hæc firmiori gressu succederet ad coronam. Ideoq; apertis silenter cœnobij claustris, cum iam beatos pendere comperisset martyres: concito gradu iudicem petens, cur fratres suos præcones iustitiæ trucidauerit, assertione intrepida percontatur. An quia (inquit) Dei cultores existimus, sanctamq; fideliter colimus Trinitatem Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum vnum, & verum Deum fatentes, & omne quod ab hac credulitate dissentit, non solum negamus, verumetiam detestamur, maledicimus, & confundimus, idcirco confodimur. III.

Dignæ humilitas.

HÆC & his similia sancto, & immaculato ore differente puella, nihil cunctatus arbiter lictoribus decollandam committit, qui mox delicatis inferunt iugulum collibus. Nec mora consternatis corruent membris equuleo deorsum versa suspenditur, cæterisq; transflumen adscisitur. Hoc namq; ordine hi tres vocati, Anastasius scilicet presbyter, Felix monachus, & Digna virgo beata eodem die dispariter ceciderunt, 18. Calendas Iulij, Era Dcccxci. IV.

Annus Domini Decc-liij. dies Iunij 14.

DENIQVE hos sequens Benildis, fæmina ætate iam prouecta, &, vt ferunt, non * medie timorata, sub professione cæterorum occubuit 17. Calendas Iulij, Era qua supra. Quorum cadauera post aliquot dies ingenti concremata incendio, ad vltimum fluuij proiectu dispersa sunt. In sancti Zoyli, apud Carrionem nobile oppidum, monasterio ordinis sancti Benedicti corpus sancti Martyris Felicis Complutensis in argentea theca seruatur, & magna religione colitur. Eo fuit cum Sancti etiam Zoyli corpore translatum, quod in vetustis cœnobij monumentis, traditur. Et tamen hic videmus eius cadauer per ignem & aquam fuisse dissipatum. Potuit tamen pia Christianorum diligentia ossa non penitus incendio consumpta, de flumine extrahere. Id vtique fuit facile cum igne dessicata supernatarent. Ambros. Morales in scholis ad Eulogium. V.

Iunij 15. cap 9 * *pro mediocriter.*

VITA

VITA ET MARTYRIVM SANCTÆ FEBRONIÆ VIRGINIS, PER THOMAIDEM SANCTIMONIALEM SCRIPTA. HABETVR IN *Symeone Metaphraste.*

AN. 296.

I. IN VO tempore Diocletianus Romanis imperabat, accidit vt Anthimus Præses morbo laboraret, & in lecto iaceret. Selenum igitur fratrem ad se accersitum, his verbis affatus est: Ego, mi frater, ex rebus humanis excedo. itaque Lysimachum filium meum in manus tuas trado: cui quoniam Prosphori Senatorij hominis filiam vxorem dandam constituimus, velim post meum obitum nuptias quamprimum studeas perficere, & sis illi patris loco. Hæc cùm Præses fratri mandâsset, post tres dies è viuis excessit. Imperator verò Diocletianus Lysimachum Anthimi filium, & Selenum eius patruum ad se accersiuit, & seorsum dixit Lysimacho: Ego, adolescens, patris tui amicitiam recordatus, in animo habui, post eius excessum te in eius locum Præsidem constituere: sed quoniam fama quadam aures meæ personant, te Christianorum religione delectari, intereà id facere distuli. Volo igitur te ad Orientis partes mittere, vt Christianorum religionem persequaris ac deleas: cumque ad nos reuersus fueris, tunc Præsidem ages. 15. IVNII.

II. HÆC cùm Lysimachus audiuisset, nihil Imperatori ausus est respondere: erat enim ætate admodùm iuuenili, annum agens ferè vigesimum. Selenus verò eius patruus cùm ad Imperatoris pedes procubuisset: Supplex, inquit, immortalem maiestatem tuam oro, vt paucos dies Lysimacho concedas, vt nuptias celebrare possit: posteà & ego vnà cum illo abibo, & omnia fient, quæ diuina maiestas tua præcepit. Tunc Imperator: Priùs ad Orientem profecti, Christianorum religionem extinguatis: cumque omnia rectè perfeceritis, huc reuersi, me quoque habebitis omne studium adhibentem ad conficiendas Lysimachi nuptias. Hæc cùm audiuissent, non ampliùs ausi sunt Imperatori respondere. Acceptis igitur mandatis, & militibus multis, ad Orientem iter fecerunt. Lysimachus verò secum duxit virum quendam Primum nomine, ex eorum numero, qui Comites vocantur. Erat autem ille ex matris eius sorore genitus, quem & exercitui præesse voluit. Cùm igitur veniissent ad Orientem, & ad Mesopotamiam accessissent, in ea regione, quæ Palmyra dicitur, Christianos homines partim in ignem coniecerunt, partim gladio percusserunt. Erat enim Selenus ille admodùm sæuus atque inhumanus, qui non solùm hæc, quæ diximus, faciebat, verumetiam illorum corpora canibus escam proijci iubebat. Multus igitur terror propter Seleni durioris viri sæuitiam atq; atrocitatem totum terrarum orbem continebat.

Selenus atrox Christianorum persecutor.

III. NOCTE verò quadam Lysimachus Comitem Primum ad se accersitum his verbis affatus est: Honestissime vir Prime, tu nôsti, quòd licet pater meus Græcorum superstitionem sequens, mortuus fuerit, tamẽ mater mea Christiano cultui dedita vitam egerit, & diem obierit: quæ quidem multum studium ac diligentiam adhibebat, vt Christianus fierem: sed ego propter Imperatoris & patris mei timorem, id facere adhuc non potui. Quinetiam matris meæ habeo mandata, ne quem Christianorum hominum interficerem, sed Christi amicus esse studerem. Nunc autem Christianos ipsos video sub hoc homine perditissimo Seleno patruo meo cruciatos impiè necari. Quamobrem animus meus illorum causa valdè affligitur. Volo igitur, vt Christianorum incolumitati clàm deinceps consulamus, priusquàm à Seleno ipso pessimè omnes interficiantur. Hæc cùm audîsset Primus ille, neminem Christianorum comprehendi iubebat: sed illis, quos nouerat, & monasteriis etiam significabat, vt vastatoris Seleni manus aufugerent.

Lysimachus fauet Christianis.

IV. CVM verò adhuc in illis locis versarentur, volebant Sibapolim peruenire, quæ sita erat in finibus Assyriorum, ac sub Romanorum ditione constituta. Erat autem in vrbe illa monasterium mulierum quinquaginta, quæ monasticæ vitæ studio seipsas exercebant. His præerat mulier quædam nomine Brienna, quæ magistram habuerat Platoniam, diaconatûs officio ante se functam, cuius traditionem & canonem ad finem vsque optimè seruauit. Platoniæ autem canon talis fuerat. In die Parasceues nulli ex sororum numero licere opus aliquod facere, sed in sacello omnes conuenire. Itaque modò psalmorum canendorum regulam exequebantur, modò Platonia librum tenens, literas diuino spiritu afflatas, sororibus legebat vsque ad horam tertiam. Post tertiam autem horam dabat librum in manus Briennæ, iubens ex eodem libro aliquid sororibus legere vsque ad vesperam. Ita igitur & Brienna faciebat, tale ministerium obeundo. Cui duæ virgines adolescentes aderant, benè apud illam educatæ, & exercitationis monasticæ palæstram obeuntes: quarum vna Procla, altera Febronia nominabatur. Eratque Procla annos nata viginti quinq;, Febronia verò viginti, quæ Briennæ erat neptis. Eadem pulchritudine & corporis statura erat valdè insignis, & adspectu valdè hilaris, ita vt venustas in ore ipsius efflorescens, humano artificio depingi non posset.

Monasteriũ fœminarũ Sibapoli.

V. PORRO erat Briennæ multa solicitudo, quo pacto Febroniam intactam seruaret, illam forma tam egregia præditam videns. Cùm verò omnes sorores illæ ab vnius diei vespera vsque ad sequentis vespertinam horam ieiunarent, iussit Febroniam post duorum dierum spatium comedere. Illa igitur cùm se tali corporis habitu præditam videret, tunc etiam neque panem, neque aquam ad satietatem vsque sumebat. Ad hæc iussit paruum quoddam scamnum sibi componi, tribus cubitis longum, & vno palmo ac dimidio latum, in quo requiescebat, quoties dormiendi tempus aduenerat. Interdum & in solo nudo carnes suas reclinabat. Quoties vero à diabolo nocturnis cogitationibus tentabatur, exurgebat, & multis cum lachrymis Deo supplicabat, vt diabolum tentantem à se fugaret: & statim librum aperiens, diuinas literas laboriosè legebat. Cùm enim adolescens esset discendi cupida, tam multa didicit, vt tantum Febroniæ scientiæ studium Brienna valdè admiraretur. In die igitur Parasceues omnibus sororibus illis ad ædem sacram conuenientibus, iubebat Brienna Febroniam diuina eloquia sororibus legere. Quoniam vero mulieres nobiles in die Parasceues ad sacellum veniebant, & spirituali doctrina fruebantur, iussit Brienna Febroniam velo contectam diuina eloquia recitare: hominis enim externi vel mulieris adspectum, cuiusmodi esset, nunquàm viderat.

Febroniæ virginis ieiunia.

Stratum.

Eruditio.

VI. FEBRONIÆ igitur doctrina vsquequaque per totam vrbem, & pulcherrima ipsius forma, & mansuetudo, atq; animi modestia celebrabatur. Quod cùm audiuisset Hieria senatorij generis mulier, miro quodam ardore inflammata, quærebat cum Febronia colloqui. Erat autem Hieria illa superstitionis Græcæ cultrix, & necdum ad baptismum venerat: quæ cùm vnà cum viro suo menses septem vixisset, vidua posteà facta, reuersa est in suam patriam ad proprios parentes, quietè viuens. Erant autem & ipsi Græcæ superstitionis cultores. Venit igitur in monasterium, & per ianuæ custodem, consilium suum Briennæ significauit. Exijt Brienna ad illam. Cumque Hieria ipsa ante Briennam sese prostrauisset, eam adorauit, & apprehendens eius pedes: Obtestor, inquit, te, per eum, qui fecit cœlum & terram, ne me abomineris, quæ Græcam superstitionem secuta sum, ob idque impurè me gessi, & ad hanc vsque diem idolorum fui ludibrium. Ne me priues sororis meæ Febroniæ doctrina atque congressu. Per vos liceat mihi discere salutis viam, vt per eam incedam. Liceat inuenire, quæ Christianis parata sunt. Liberate me ab huius sæculi & impuræ idolorum superstitionis vanitate, quoniam cogunt me parentes mei secundis nuptiis copulari: & sit mihi vita, Febroniæ consuetudo & doctrina: satis enim mihi est, præteriti temporis inscitia, tanquam pœna quadam, multatam fuisse.

Hieria gentilis cupit ad fidem accedere.

VII. HÆc cùm diceret Hieria, & lachrymis pedes Briennæ adſpergeret, ipſam in multam miſericordiam concitauit. Illi igitur Brienna: Quòd ad Febroniam, inquit, pertinet, nouit Deus, quemadmodum cùm duos annos ageret, ipſam in hoc monaſterio in manus meas acceperim: & hodiè decem & octo anni ſunt, ex quo in monaſterio viuit, neque viri alicuius, neque mulieris in mundo verſantis formam adſpexit: ſed nec mundi figuram aliquam hucuſque vidit: quinetiam neque eius nutrix hactenus ipſius adſpectum cernere potuit. Quamuis enim lachrymans ſæpè mihi ſupplicauerit, vt liceret cum ea colloqui, non tamen id aſſecuta eſt. nam ei hoc ego non conceſſi. Cùm verò te eius videndi deſiderio teneri intelligam, & Dei amantem eſſe cognoſcam, ad eam deinceps te intromittam, modò veſte monaſtica induta fueris. Duxit igitur Brienna Hieriam ipſam ad Febroniam. Quam cùm virgo Febronia monaſtica veſte indutam vidiſſet, ad Hieriæ pedes ſe deiecit: exiſtimabat enim peregrinam aliquam monacham à ſe videri. Viciſſim igitur ſe amplexæ ſunt, quas ambas iuſſit Brienna ſedere, & Febroniam diuinæ ſcripturæ libros legere. Eius autem lectione ac doctrina ita compuncta eſt Hieria, vt totam noctem inſomnem ſimul tranſegerint: neque enim Febronia dicendo, neque Hieria audiendo defatigabatur. Tantum verò lachrymarum in terram effudit Hieria, vt totum ſolum eius lachrymis irrigatum fuerit. Diluculo autem vix Brienna potuit perſuadere Hieriæ, vt illinc ad parentes ſuos rediret. Cùm igitur ſe viciſſim iterùm amplexæ, lachrymarum plenæ fuiſſent, deſcendit Heria in domum ſuam, & perſuaſit parentibus, vt ab inanibus paternæ traditionis moribus, & idolorum ſeruitute diſcederent, & Deum omnium Creatorem cognoſcerent.

Notà tot annis Febroniam nec viri nec fœminæ formam vidiſſe.

Hieria ei loquens mirè compungitur.

VIII. FEBRONIA verò interrogauit Thomaidem, quæ ſecundas partes diaconatûs gerebat: Quæſo, domina mea & mater: Quænam eſt illa hoſpes & ſoror, quæ ita lachrymis perfuſa erat, quaſi aliâs nunquam diuinas literas legi audierit. Tunc Thomais Febroniæ reſpondit: An ignoras, quæ illa ſit? Et vndenam, inquit illa, peregrinam mulierem, cognoſcere poteram? Tum Thomais: Hæc eſt Hieria, ſenatorij generis fœmina. Et quare, inquit Febronia, mihi non ſignificâſtis, ne ego tanquam cum ſorore loquerer? At illa: Ita fieri iuſſit Brienna Præſes. Illis diebus ægrotauit Febronia vſque ad mortem, & in ſcamno illo ſuo iacebat.

IX. INTERIM fama quædam ad vrbem illam peruenit, Lyſimachum & Selenum aduentare, vt Chriſtianos cruciatibus multis affligerent. Omnes igitur Chriſtiani, qui erant in ciuitate, clerici, laici & monachi, relictis rebus ſuis, aufugerunt, ita vt eius etiam vrbis Epiſcopus propter imminentem terrorem ſe occultauerit. Cùm hoc audiuiſſent eius monaſterij ſorores, adiêrunt Briennam, & hæc ei dixerunt: Quidnam faciemus, cùm feræ vrbem hanc occupauerint, & omnes propter imminentes minas aufugerint? Quidnam, inquit Brienna, vobis placet? Tum illæ: Iubeas, mater, nos latere pauliſper, vt animas noſtras, nos etiam ſeruemus. Ad hæc Brienna: Nondum, inquit, bellum vidiſtis, & de fuga cogitatis? Nondum palæſtra præſtò eſt, & ſtatim vos victas oſtenditis? Nolite, quæſo, filiæ, ita facere, nolite, quæſo, ſed reſiſtamus, & certemus, ac moriamur pro eo, qui pro nobis mortuus eſt, vt & cum illo viuamus. Hæc cùm ſorores audiuiſſent, conticuerunt.

Chriſtiani fugiunt timore impij Seleni.

X. DIE autem craſtino vna quædam è ſororibus, nomine Ætheria, dixit: Scio ego, quòd Febroniæ cauſa non permittit nos Brienna hinc ſecedere. Fortaſſe propter hanc Febroniam nos omnes perire vult. Sed ecce ego dico vobis, vt illam adeamus: ipſa enim pro omnibus dicam, quod docet. Cùm hæc audiuiſſent ſorores, aliæ paruerunt Ætheriæ, aliæ contradixerunt, eius conſilium condemnantes. Cumque multa diſſenſio inter eas per aliquot horas fuiſſet, poſtremò omnes concordes adiêrunt Briennam, vt ſcirent, quod conſilium illis daret. Poſteà verò quàm venerunt illæ, & Brienna conſilium Ætheriæ cognouit, intuens in illam: Quidnam, inquit, vis, ſoror Ætheria? Quæ reſpondit: Vt iubeas nos occultari, & imminentem furorem aufugere: non enim meliores ſumus clero & Epiſcopo. Oportet te illud cogitare, inter nos adoleſcentulas quaſdam eſſe, quibus cauendum eſt, ne aliquo modo comprehendantur à militibus, & corrupta corporis virginitate, exercitationis monaſticæ mercedem amittant. Illud etiam timendum, ne nos tormentorum anguſtias ſuſtinere non valentes, dæmonum cultrices effectæ, animarum noſtrarum iacturam faciamus. Si placet igitur, iubeas nos aufugere, & Febroniam nobiſcum ducere.

Briam adolescentulas virgines patres antiqui in monasteriis ponebant.

XI. HIS auditis, dixit Febronia: Viuit Chriſtus meus, cui deſponſata ſum, cui animam meam dedicaui, quod non egrediar è loco iſto: ſed hîc moriar, & hîc ſepeliar. Tum Brienna ad Ætheriam conuerſa: Tu, inquit, videto quid agas: ego innocens de hac re futura ſum. Deinceps dixit & aliis ſororibus: Vnaquæque veſtrûm nouit, quid ſibi expediat: quicquid igitur vult, illud eligat. Tunc omnes ſorores illæ metu impulſæ, ſalutem dixerunt Briennæ & Febroniæ, multisque lachrymis & gemitibus ſua pectora percutientes, è monaſterio egreſſæ ſunt. Procla vero Febroniæ condiſcipula, eius collum amplectens, ipſam deoſculabatur, clamans & orans vt pro illa Deum precaretur. At Febronia manu ipſam apprehendens, non permittebat è monaſterio egredi, dicens: Metuas Deum, Procla ſoror. Saltem tu nos non derelinquas, (An non vides me ægrotare?) ne forte moriar, & Brienna non poſſit me in ſepulchrum demittere. Maneas igitur hîc, vt funus meum cures. Tunc Procla reſpondit: Non derelinquam te, ſoror mea, vt iubes. En, inquit Febronia, coram Deo mihi pollicita es, quod me non derelinquas. Veſpere autem Procla illa, mutato conſilio, diſceſſit è monaſterio.

XII. BRIENNA igitur cùm monaſterium illud propter imminentes anguſtias ſororibus deſtitutum vidiſſet, ingreſſa eſt in ædem ſacram, & in ſolum ſe abiecit, vlulans & lamentis Deum implorans. Thomais vero, quæ ſecundas partes poſt Briennam gerebat, aſſidens illi, eamque rogans: Deſine, inquit, mater mea, flere: potens eſt enim Deus noſter cum anguſtiis & tentatione facere, vt felicem euentum habeamus, & tentationes ferre poſſimus. Quiſnam credidit Domino, & vnquàm confuſus eſt? Quis vnquam permanſit in timore illius, & ipſe eum contempſit? Ita profecto, inquit Brienna, res ſe habet: ſed quid faciam Febroniæ? Vbinam ipſam occultem, aut ſeruem? Quibus oculis adſpicere potero, illam à barbaris captiuam duci? Adhæc Thomais: Num oblita es eorum, quæ tibi dixi? Qui poteſt homines mortuos exuſcitare, ille idem & Febroniam corroborabit, & ſeruare poterit. Itaque mater mea, quæſo, animum confirmes, & ſententiam mutes: deſiſtensque à gemitibus & lamentis, veni, vt Febroniam confirmemus, eò quod ipſa morbo afflicta decumbit.

1 Cor. 10. Eccli. 2.

XIII. CVM igitur ad ſcamnum veniſſent, in quo Febronia decumbebat, ſtatim Brienna grauem vlulatum emiſit: & cùm faciem in ſua genua deieciſſet, lachrymis perfundebatur. Cùm vero in ipſam Febronia intueretur, ad Thomaidem orationem dirigens: Quæſo, inquit, mater, quiſnam vlulatus fuit Briennæ? Audiui enim ipſam & paulo ante, cum adhuc eſſet in æde ſacra, clamores magnos emittere. Tuî cauſa, inquit Thomais, gemitum & lamentationes emittit: ærumnas enim præuidet, quæ à Tyrannis nobis inferendæ ſunt, propterea quod tu adoleſcens, & pulchritudine valdè inſignis es. Tum Febronia: Rogo vos, vt pro me ancilla veſtra Deum oretis: potens eſt enim ipſe reſpicere humilitatem meam, & me infirmam corroborare, mihique patientiam concedere, vt omnibus ſeruis ſuis, qui verè ipſum dilexerunt. Ad hæc Thomais: Filia, inquit, mea Febronia, en tempus certaminis præſto. Igitur ſi à militibus comprehenſæ fuerimus, nos quidem vt ætate prouectæ, breui tempore à Tyrannis interficiemur: te vero, vt adoleſcentem & pulchritudine inſignem, detinebunt. Ergo ſi te blanditiis allicient, nequaquàm illis obtemperes. Quod ſi auro vel argento, veſte aut delicatis cibis te demulcere ſtudebunt, vide, filia, ne illis credas, ne præteritorum laborum mercedem perdas, néve dæmonibus & idolis ludibrio ſis. Nihil virginitate præſtantius. Multa enim eſt ipſius merces:

merces: & præmium virginitatis sponsus immortalis est, qui & immortalitatem his præbet, qui eum exoptant. Da operam, Febronia, vt illum videas, cui & animam tuam dedicâsti. Vide, filia mea, ne reprobes eius pignus, & conuenta frangas, quibus cum Christo ipso coniuncta es. Terribilis enim est dies ille, cùm sederit in solio gloriæ suæ Iudex ipse, à quo vnusquisq; recipiet secundùm opera sua. Virginitatis præstantia & præmium.

XIV. Hæc cùm audiuisset Febronia, confirmabatur, & fortiter ac generosè contra diaboli spiritus seipsam præparabat: & respondens Thomaidi: Benè, inquit, fecisti, domina mea, quòd seruam tuam confirmans, animam meam alacriorem effecisti. At si fugiendi certaminis propositum habuissem, & ego cum sororibus ipsis exire, & meipsam occultare poteram. Sed quoniam illum desidero, cui & animam meam dedicaui, studeo ad ipsum accedere, si quidem dignam me faciet, quæ pro nomine ipsius certem & moriar. Hæc cùm audîsset Brienna, cœpit & ipsa dicere: Filia mea Febronia, memoria repetas, quemadmodum doctrinã meam assecuta es. Recordare, quẽadmodum & aliorum magistra fueris. Recordare, quòd te secundum iam annum agentem in manus meas à nutrice tua acceperim, & ad hanc diem nemo faciem tuam vidit. Feci, vt cum mundi huius mulieribus non versareris. En, vt hactenus te custodiui immaculatam. Nunc autem quid faciam tibi, filia mea? Oro, ne senectutem Briennæ dehonestes, ne laborem spiritalis matris tuæ inanem efficias. Memoria repetas, certatores illos, qui ante te fortiter & gloriosè martyrium passi sunt, victoriæ coronam ab illo cælesti certaminum Præside percepisse. Non viros solùm, sed ét mulieres, recordare, Libiam & Leonidem sorores illas duas, q̃ martyrium gloriosè pertulerunt: è quibus Libia ipsa gladio percussa, capite priuata est, Leonis verò in ignem coniecta fuit. Recordare quemadmodum puella Eutropia, duodecim annos nata, martyrium sustinuerit. An non semper Eutropiæ obedientem animum, & eius tolerantiam ac patientiam admirabaris, cùm eam Iudex ipse vinculis exolutam, sagittis peti iussit, vt prę metu fugeret? Sed illa matrem ita sibi dicentem audiens: Filia mea Eutropia, vide ne fugias: manus sibi post terga deuinxit, & sagittis percussa in solum cecidit, & statim spiritum emisit, & matris præceptum non violauit. Nónne puellæ huius patientiam tu semper admirata es? Et illa quidem puella erat, omnium literarum rudis atq; ignara: tu verò & aliarum magistra existis. Febronia à teneris optimè instituta. Libia & Leonis martyres. Item Eutropia duodennis.

XV. Cvm hæc & his plura dicerentur, nox præterijt, & dies illuxit. Post ortum autem Solis, tumultus & clamor ab his, qui vrbem illam incolebant, emittebatur, cùm Lysimachus & Selenus eò veniissent. Vt igitur Christiani multi à militibus capti, & in carcerem coniecti fuerunt, quidam ex Græcorum numero ad Selenum de monasterio illo significârunt. Ille autem statim misit in monasterium milites. Qui cùm illud circumdedissent, & portas securibus perfregissent, facto impetu in monasterium irruerunt, & statim Briennam comprehensam gladio interficere voluerunt. Sed Febronia, cùm periculum imminere vidisset, se ad militum pedes abijciens, dixit: Obtestor vos per Deum cælestem, me me priùs de medio tollite, ne dominam meam morientem videam. Dum hæc Febronia diceret, Comes ille, qui Primus vocabatur, superuenit, indignatusq; aduersus milites, eos è monasterio expulit, & Briennam alloquens: Vbinam, inquit, sunt aliæ, quæ in monasterio isto erant? Illa verò respondit: Præ metu omnes secesserunt. Vtinam, inquit Primus, & vos secessissetis. & adiunxit, Liceat vobis saluas abire, quocunq; volueritis. Mox secum milites abducens, è monasterio discessit. Cumque ad prætorium veniisset, adijt Lysimachum. Cui Lysimachus dixit: Veráne audiuimus de monasterio illo? Vera, inquit Primus. Cumque illum seorsum duxisset, hæc addidit: Omnes, quæ erant in monasterio illo, fugæ se dederunt, neque inuenimus, nisi duas vetulas, & vnam adolescentem mulierem. Horum autem quiddam & peregrinum tibi significare possum, quod vidi in monasterio. Illam profectò adolescentem vidi eiusmodi formam habentem, qualem hactenùs nullam inter mulieres adspexi. Scit Deus verum esse, quod dico. Vidi insuper adolescentem illam iacentem in quodam scamno, & mente perculsus fui. Quod nisi paupercula & inops foret, dignam certè iudicarem, quam dominus meus vxorem duceret. Ad hæc Lysimachus: Si mandata, inquit, habeo matris meæ, ne Christianorum sanguinem effundam, sed illorum amicus potiùs sim, quomodo potero Christi sponsis insidiari? Minimè certè id faciam. Sed quæso, illas accipias, & è monasterio educas, earumq; sis conseruator, ne in patrui mei Seleni crudelis incidant manus. Milites irrumpunt in monasterium. Nota Lysimachi Christiano homine dignã vocem.

XVI. Tvnc vnus quidam è numero pessimorum militum, qui ex monasterio venerant, cùm nonnulla ex his verbis fortè audîsset, cucurrit ad Selenum, eique significauit, inuentam fuisse adolescentem quandam in illius vrbis monasterio forma valdè insignem, de cuius matrimonio Primum Comitem cum Lysimacho agere. Audiuit hæc Selenus, & furore concitatus, misit custodes in monasterium, qui eas mulieres seruarent, ne fugam arriperent: & statim iussit præcones per vrbem edicere, crastino die Febroniam productum iri. Cùm hæc audiuissent eius vrbis & finitimæ regionis homines, magna virorum & mulierum turba ad spectandum Febroniæ certamen confluxit. Posteà verò, quàm dies illuxit, venerunt milites ad monasterium, & ingressi, à scamno illo Febroniam abripuerunt, & ferreis vinculis collo adolescentis adstricto, è monasterio pertraxerunt. At Brienna & Thomais Febroniam complexæ, lamentabili voce clamantes, precabantur milites, vt paulisper concederent eas cum Febronia loqui. Tum illi multa misericordia Febroniam prosequentes, permiserunt facere quod petitum fuerat. Denique ambæ illæ mulieres eosdem milites rogabant, vt liceret & ipsis idem certamen subire, ne Febronia sola derelinqueretur, néve destituta aliquo modo formidaret. Milites verò dixerunt, se non fuisse iussos vt illas, sed Febroniam tantùm ad iudicium adducerent. Febronia vincta abducitur.

XVII. Cœperunt igitur Thomais & Brienna hortari Febroniam & confirmare: quarum prior Brienna his verbis vsa: En, inquit, filia mea Febronia, ad certamen nunc egrederis. Considera cælestem sponsum certaminis tui spectatorem esse, & victoriæ coronam ab Angelicis potentiis teneri tibi dandam, si constans fueris. Vide ne tormenta expauescens, diaboli fias ludibrium: ne corpus tuum plagis dilaniari videns, misericordia illud prosequaris. Hoc enim, velimus nolimus, paulò pòst sepulchrum excipiet, & in puluerem dissoluet. En ego in monasterio lamentans, nuncium aliquod de te, siue bonum, siue malum, expectabo. Sed da, quæso, operam, filia mea Febronia, vt faustum aliquid de te audiam. Vtinam mihi aliquis optatum nuncium afferat, Febroniam perfectè martyrio functam, & in Martyrum numero aggregatam fuisse. His auditis, Febronia respondit: Fidem & spem habeo in Deo meo, mater Brienna, fore, vt quemadmodum mandata tua nunquàm contempsi, sic neque hoc tempore admonitiones istas & præcepta tua neglectura sim: sed videbunt populi, & obstupescent, & Briennæ senectutem beatam prædicabunt & dicent: Verè hoc est Briennæ illius magnæ fœminæ germen & educatio. Ostendam enim in corpore muliebri virilem mentem. Sed benè mihi precemini, & me discedere patiamini. Ad hæc Thomais: Viuit, inquit, Deus, Febronia soror mea, & ego sæculari habitu induta, veniam & certamen tuum adspiciam. Constans Febroniæ animus.

XIIX. Cvm verò milites ipsi Febroniam vrgerent, illa: Precor, inquit, vos matres meæ, vt benedictionem pro viatico mihi impertiatis, & magis magisque pro me Deum oretis, meque ire permittatis. Tunc Brienna tendens in cœlum manus, & vocem magnam edens, ita precata est: Domine Iesu Christe, qui seruæ tuæ beatæ illi Teclæ certanti sub Apostoli Pauli habitu apparuisti, quæso, & huic humili seruæ tuæ in hora certaminum appareas. Hæc cùm dixisset Brienna, & Febroniam vltimo amplexa esset, illam salutatam dimisit. Quam milites comprehensam, ad Selenum

duxe-

duxerunt. Reuersa est autem Brienna in monasterium, dolens ac lamentans, & in solum eo in loco, vbi Deum orare consueuerant, prostrata vociferabatur, Deum precans pro Febronia. Thomais verò, quæ secundas partes post Briennam in monasterio habebat, illam dereliquit, & sæculari habitu induta, ad spectaculum Febroniæ se contulit. Omnes igitur sæculares mulieres, quæ ad monasterium in die parasceues conuenire, & eius doctrina frui consueuerant, pectora sua verberantes, cum lachrymis ad eius rei spectaculum currebant, & adolescentis doctrina se priuatas dolebant.

Hieria valdè affligitur Febroniæ causa.

XIX. CVM hæc audiuisset & Hieria, senatorij generis mulier, Febroniam scilicet monacham publicè produci, surrexit, & vocem ita magnam edidit, vt parentes ipsius, & qui in eius domo erant, obstupuerint, & ab Hieria ipsa quæsuerint, quidnam ei accidisset: Quibus illa respondit: Soror mea Febronia producitur, magistra mea ad pœnas ducitur, vt Christiana mulier. Cùm igitur à parentibus admoneretur, vt à luctu desisteret, eò illa magis dolens & vociferans, & parentes suos obsecrans: Sinite, inquit, me acerbè flere, & sororem ac magistram meam deplorare. Hæc cùm diceret, suis etiam parentibus luctum ita commouit, vt ipsi quoque Febroniam lamentarentur. Cùm igitur persuasissent parentibus suis, vt liceret etiam sibi spectaculum illud adire, pueros multos & ancillas secum habens, ad locum, in quem Febronia ducebatur, lugens properabat. Cumque mulierum concurrentium & lamentantium multitudinem consecuta esset, inuenit & Thomaidem. Quæ cùm mutuò se agnouissent, ambæ lugentes ad spectaculum certaminis illius conuenerunt. Multitudine igitur in eum locum congregata, vbi de Febronia quæstio habenda erat, venerunt & Iudices.

Febroniæ coram Iudice confessio.

Blanditiis allicitur, sed frustrà.

XX. PRÆSIDENTES igitur Selenus & Lysimachus, iusserunt Febroniam coràm sisti. Illa itaque intromissa, manibus vincta, catenis etiam collo illigata, ibi constitit. Qua visa, turbæ omnes lachrymârunt, atque ingemuerunt. Cumque in medium producta esset, iussit Selenus præsentes à tumultu desistere. Quod cùm omnes fecissent, dixit Selenus Lysimacho: Interroga mulierem istam, & eam respondentem audias. Tunc Lysimachus: Agè, adolescens, dic: Liberáne, an serua es? Tum Febronia respondit: Ego sum serua. Cuiusnam, inquit ille, serua es? At Febronia: Christi ancilla ego sum. Quodnam, inquit Lysimachus, nomen tibi est? Cui respondit Febronia: Christiana ego vocor, humilis quidem & abiecta. Tum Lysimachus: Nomen tuum cupio scire. Dixi, inquit illa, me Christianam esse: quòd si nomen meum scire vis, mater Febroniam me vocauit. Tunc Selenus iussit Lysimachum à quæstione desistere, & ipse cœpit Febroniam sic alloqui: Nôrunt dij, me ita affectum fuisse, vt tecum loqui nollem: sed quoniam mansuetudo & æquitas tua, cum pulchritudine & forma egregia coniuncta, furoris mei & indignationis, quam aduersus te conceperam, magnitudinem superârunt, non ampliùs te vt ream, sed vt filiam interrogabo. Audi ergo, filia: Testes habeo deos, quòd vera sunt, quæ dico. Multis pecuniis & facultatibus locupletem mulierem Lysimacho & ego & Anthimus frater copulauimus: sed tamen, si nobis eris obediens, hodiè coniugium cum filia Prosphori dissoluemus, & tecum de matrimonio conueniemus, & eris Lysimacho coniunx, sedens ad eius dexteram, cui ego nunc assideo. Ille, vt vides, perpulcher est, quemadmodum & tu. Audi igitur consilium meum, vt patris tui, & te gloriosam reddam, neque paupertas vnquàm ampliùs te affliget. Cùm enim mihi neque vxor, neque filij supersint, omnia mea tibi elargiar, & omnium mearum rerum dominam te constituam. Hæc omnia pro dote addam Lysimacho meo, & ero vobis patris loco, & gloriosam ac beatam dicent te omnes mulieres, cùm viderint quanto honore digna effecta sis. Largietur insuper multis victoriis ornatus Imperator noster tibi multa dona: qui etiam promisit se facturum, vt Lysimachus Præsidis magistratum gerat. En audîsti omnia. Respondeigitur mihi patri tuo ea, quibus significes te deos colere, & iis animum meum exhilara. Nam si non obedies admonitionibus meis, dij sciunt, ita futurum, vt in manibus meis ne tribus quidem horis viuas. Itaque nunc aperi nobis, quid sentias.

Febroniæ egregium responsum.

Afficitur ignominia.

XXI. AD hæc Febronia: Ego, inquit, ô Iudex, thalamum habeo in cœlis non manufactum, nuptias possidens indissolubiles: dotem habeo totum cæleste regnum. Sponsum igitur immortalem cùm habeam, non patior cum mortali & corrupto homine copulari: quinetiam ne audire quidem possum quod polliceris. Itaque Iudex noli laborare, neque enim adulando quicquam proficies, neque minis me perterrefacies. Audiuit hæc Iudex, & magnoperè indignatus, iussit milites illius vestes discindere, & lacero quodam panno eam cingi, vt omnibus spectantibus, ignominia & turpitudine confunderetur, vtque seipsam admodum turpem factam videret, & miseram iudicaret, quòd à magna gloria excidisset, & ad extremam ignominiam deuenisset. Milites igitur quamprimùm eius vestes discinderunt, & vili fascia eam cinctam, in omnium conspectu reliquo corpore nudam constituerunt. Tum Selenus: Quidnam agis Febronia? Vidésne à quantis bonis excideris, & qualem miseriam sortita sis? Audi Iudex, inquit Febronia: Licet omnibus pannis me exutam, & omninò nudam exhibeas, ego huiusmodi turpitudinem pro nihilo facio. Vnus enim creator est maris & fœminæ Deus. Itaque non hoc solùm æquo animo patior, vt vestibus exuar, sed ense obtruncari, & igne incendi cupio. Atque vtinam digna sim pati pro eo, qui pro me tot & tanta passus est.

Flagellat tyrannum verbis egregiis.

Atrocissimè cruciatur.

XXII. TVM Selenus: Impudentissima fœmina, & ignominia omni digna, scio te gloriantem de pulchritudine tua, propterea non existimare tibi hoc turpitudini esse, sed laudi potiùs tibi esse putas, quòd sic nuda constitis. Scit, inquit Febronia, Christus meus, ad hodiernam diem viri alicuius adspectum à me visum non fuisse, & vt in manus tuas inciderem, impudens videri vellem? Agè stulte & stolide Iudex, velim dicas: Quis vnquàm ex ahtletarum numero Olympiacum certamen certans, indutus veste in palæstra cum aduersario congreditur? An non certamen ipsum nudus exercet, donec aduersarium superet? Ego igitur tormentorum & ignis minas expectans, qui potero vestibus induta cum his rebus congredi? An nõ corpus ipsum nudum plagas excipiet, quoad expugnem patrem tuum satanam, cruciatus tuos contemnens? Quoniam, inquit Selenus, mulier ista pœnarum & cruciatuum conciliatrix, aduersus ignis minas audacem se præbet, per quatuor corporis partes illam extendite, & infrà ipsam ignem accensum supponite, simulque quatuor milites virgis eius terga verberent ac dilanient. Id cùm fieret, & diutius virgo illa verberaretur, copiosus sanguis ex vtraque humeri parte in terram defluebat: ignis verò infra eius corpus accensus, viscera etiam ipsa comburebat: ad hæc oleo magis excitatus, ac vehementiorem flammam erigens, Febroniam omninò consumebat. Cùm verò per multas horas virgo ipsa verberaretur & combureretur, tota multitudo illa pro Febronia summis clamoribus Iudici supplicabat, his vtens vocibus: Parce, benigne Iudex, parce virgini & adolescenti. Cæterùm ille nihilominùs ob id desæuiens, vehementiùs illam percuti ac torreri mandauit, quoad vidit eius carnes in terram defluere. Tunc iussit carnifices desistere: qui existimantes eam mortuam esse, extra rogum deiecerunt.

Iterùm tormenta imprecatur.

XXIII AT Thomais cùm vidisset cruciatus illos tam vehementes Febroniæ afferri, animo deficiens, in solum cecidit ad Hieriæ pedes. Quæ voce magna emissa: Væ mihi, inquit, Febronia soror, væ mihi, magistra mea, quoniam posthàc doctrina tua priuata fuero. Non solùm autem te amisi, sed etiam Thomaidem. En & ipsa tuî causa moritur. Cùm autem Hieriæ vocem Febronia iacens in solo audiuisset, rogauit milites, vt aquam in Thomaidis faciem adspergerent, quô animum colligere posset. Milites statim aquam attulerunt, quam cùm in eius faciem adsperssissent, illa ad se redijt. Tunc Iudex dixit Febroniæ: Qualisnam tibi visus est, Febronia, primus palæstræ congressus? Tum illa: Ex primo, inquit, congressu didicisti me inuictam esse, & tormenta tua contemnere. His auditis, Selenus dixit: In ligno illam suspendite, & ferreis pectinibus eius latera dilaniate: quinimò ignem rursus admouete, vt etiam ossa comburantur. Sta-

tur. Statim igitur carnifices ceperunt pectines, & ita eam laniârunt, vt carnes ipſæ vnà cum ſanguine in terram deciderent. Admouerunt etiam ignem, quo vel ipſa viſcera comburebantur. At Febronia, oculis in cœlum erectis: Veni, inquit, Domine in auxilium meum, & ne derelinquas me in hac hora: His dictis, conticuit, quamuis igne valdè vreretur. Multi verò ſpectatores, non ferentes Seleni crudelitatem, à ſpectaculo aufugerunt. Alij ſummis clamoribus à Iudice contendebant, vt ignis ille tolleretur. Et iuſſit Selenus ignem amoueri. Materiſſima ei adhibentur.

XXIV. CVM verò adhuc in ligno Martyr penderet, rurſus cœpit eam interrogare. Sed cùm ea reſpondere non poſſet, iuſſit illam è ligno deponi, & palo alligari, & carnificem illuc duci. Cui dixit: Cùm ſceleſtiſſima hæc & nefaria mulier nolit mihi reſpondere, abſcindatur eius lingua, & in ignem deijciatur Exemit linguam Febronia, & nutu ſignificabat carnifici, vt illam abſcinderet. Cùm verò is linguam tetigiſſet, & eam abſcindere aggrederetur, turbæ per deorum ſalutem Selenum obteſtantes, illi perſuaſerunt, ne id faceret. Cæterùm ſceleſtiſſimus iuſſit illius dentes eradicari. Statimque carnifex ferrum cepit, & ſanctæ puellæ dentes illos, quos eradicabat, in terram deijciebat. Cùm decem igitur & ſeptem dentes euulſi eſſent, & ſanguinis riui in terram defluerent, iuſſit Selenus nullum ampliùs euelli. At cùm Febronia tantam ſanguinis copiam vidiſſet, eam vires defecerunt. Medico autem ſtatim remedium afferente, ſanguis fluere deſtitit. Dentes illi extrahũtur.

XXV. CŒPIT igitur Selenus rurſus eam interrogare: Num, ô Febronia, ſaltem nunc iudicio parere, & deos ipſos confiteri vis? Cui illa: Peſſime & ſceleſtiſſime ſenex, tu viam meam impedire ſtudes, neque ſinis me ad ſponſum meum accedere? Feſtina quãmaximè potes ex huius mei corporis luto me eripere, quoniam amator meus Chriſtus me expectat. Tum Selenus: Omninò, inquit, enſe & igne corpus tuum delebo: video enim te etiam nunc propter adoleſcentiæ tuæ temeritatem impudentem eſſe. Sed non id tam citò erit, vt te cupere præ te fers: namque iſta tua arrogantia multo plura & grauiora mala tibi afferet. Febronia cùm propter tormentorum magnitudinem non multa reſpondere poſſet, eo maiorem indignationem Iudici commouebat. Tunc Selenus iuſſit carnificem mammas eius ſecare. Acceſſit ille, & aggrediebatur id facere. Turbæ verò clamoribus magnis contendebant à Iudice, vt tormentum illud adoleſcenti Febroniæ condonaretur. Cùm verò diù clamarent, & Iudicem precarentur, indignatus Selenus aduerſus carnificem: Quid ceſſas, inquit, ſceleſtiſſime, & deorum inimiciſſime? Cur mammas iſtas non ſecas? Accepit ille nouaculam, & dexteram puellæ mammam ſecare cœpit. At illa erectis in cœlum oculis, voce magna dixit: Domine Deus meus, adſpice violentiam, quæ mihi affertur. Veniat anima mea in manus tuas. Neque ampliùs locuta eſt. Abſciſſis igitur duabus mammis, & in ſolum deiectis, Iudex impius mandauit ignem afferri, & in mammarum, quæ abſciſſæ fuerant, locum admoueri. Cùm vero diutius combureretur, & ignis vſque ad eius viſcera penetraret, turbæ ipſæ tam crudele facinus ſpectantes, maxima ex parte à ſpectaculo illo diſceſſerunt, clara voce Diocletianum & eius deos execrabiles eſſe teſtantes. Execantur vbera eius. O crudelẽ tyrannum.

XXVI. THOMAIS vero & Hieria miſerunt ancillam quandam in monaſterium, vt Briennæ quæ facta fuerant, nunciaret. Cùm veniſſet igitur ancilla ad Briennam, magna voce: Thomais, inquit, & Hieria tibi ſignificant, ne ampliùs defatigentur manus tuæ in cœlum ad Deum extenſæ, neque cor tuum ſolicitum ſit aſſiduè precando: magna enim præmia Febronia iam aſſecuta eſt. Cùm hoc nuncium Brienna audiuiſſet, ad Deum vocem erigens dixit: Domine IESV Chriſte, veni & auxiliare ſeruæ tuæ Febroniæ. Et in ſolum proſtrata, clamabat: Vbinam es Febronia? Poſteà vero iterùm manus in cœlum erigens, Domine, inquit, reſpice humilitatem ancillæ tuæ Febroniæ. Veni, & illi auxiliare. Fac, vt videant oculi mei Febroniam martyrio functam, & in Martyrum numero collocatam.

XXVII. RVRSVS Selenus iuſſit Febroniam è palo diſſolui. Quæ cùm diſſoluta eſſet, in ſolum cecidit: non enim poterat conſiſtere. Tunc Comes ille, qui Primus vocabatur, dixit Lyſimacho: Quorſum adoleſcentis huius virginis tam ingentes & crudeles cruciatus? Sine, inquit, Lyſimachus: ad multorum enim ſalutem huius virginis tormenta ſpectant: fortaſſe autem & ad meam quoque. Namque talia multa olim à matre mea audiui. Nónne in mea poteſtate erat, illam diſſolui & ſeruari facere? Sed ſine illam certamen perficere. Tunc Hieria erecta, aduerſus Iudicem clamauit: O immanis, & humanæ naturæ expers, nondum contentus es malis præteritis, quæ huic virgini attuliſti? Immemórne es matris tuæ? Nónne & ipſa muliebri corpore induta erat? Nónne & tu mammas ſuxiſti, quas nunc ab iſta virgine abſcidiſti? Mammíſne ideo nutritus fuiſti, vt tantam crudelitatem in fœminam exerceres? Miror plurimùm ego, quod nihil eorum, quæ dico, immitem & inhumanam mentem tuam deflexerit. Verùm id perſuaſum habeas, quod, quemadmodum tu non pepercíſti huic puellæ, ita neque cæleſtis Rex tibi parcet. Cum hæc dixiſſet Hieria, iuſſit Selenus illam è tecto, in quo erat, deduci, & pœnas publicè luere. Id audiens Hieria, multo cum ſtudio & gaudio deſcendit, atque ait: Domine Deus Febroniæ, accipe & me humilem mulierem cum ipſa Febronia. Dum autem è tecto deſcenderet, Seleni Iudicis amici conſilium illi dabant, ne publicè Hieriam produceret: futurum enim dicebant, vt tota multitudo cum ipſa martyrium ſubiret, & vniuerſa ciuitas periclitaretur ac periret. Placuit Seleno conſilium. Itaque non amplius Hieriam produci iuſſit, ſed indignatus, & aduerſus eam tanquam furioſus, exclamans voce magna: Audi tu, inquit, Hieria: per deos multa mala & tormenta tuî cauſa Febroniæ adijcientur. Et ſtatim iuſſit duas manus Febroniæ & dexterum pedem abſcindi. Carnifex igitur ligno eius manibus ſuppoſito, ſecuri feriens dexteram pariter & ſiniſtram abſcidit, qui etiam in pedem dexterum, cum ei lignum ſuppoſuiſſet, ſecurim magna vi adhibita inuexit, ſed pedem ex talo abſcindere non potuit. Similiter & ſecundam plagam inflixit, neque tamen potuit. Id cum vidiſſent turbæ, ſummoperè acclamârunt. Tertiam deinceps plagam intulit, & vix pedem abſcindere potuit. Hieria palàm arguit tyrannum. Manus ambæ & pes vnus Febroniæ amputantur.

XXVIII. FEBRONIA igitur toto corpore contremiſcens, licet iamiam defectura eſſet, dabat operam, vt alterum etiam pedem ſuper lignum poneret, rogans vt & ille abſcinderetur. Cum id cerneret Iudex: Videtíſne, inquit, impudentis mulieris pertinaciam? Et multo furore accenſus, carnifici dixit: Seca & alterum. Abſciſſo igitur & altero pede, ſurrexit Lyſimachus, & ad Selenum conuerſus: Quidnam, inquit, reliquum eſt, quod facias huic puellæ? Eamus iam, quoniam prandij tempus eſt. Ad hæc iniquiſſimus Selenus: Per deorum vitam ego non dimittam mulierem hanc viuam, ſed hîc ero, quoad ſpiritum emiſerit. Cum igitur per multas horas animam ageret, Selenus ad ſatellites conuerſus dixit: Viuítne adhuc mulier ſceleſtiſſima? Maximè, inquiunt illi, eius anima adhuc in ipſa eſt. Tunc iuſſit Selenus caput Febroniæ abſcindi. Cum igitur miles gladium accepiſſet, & Febroniæ coma altera manu apprehenſa, ita illam enſe ſuppoſito iugulâſſet, vt ſi quis ouem aliquam immolaret, ſanctum abſcidit caput. Statimq; poſteà Iudices ad prandium acceſſerunt: Lyſimachus vero lachrymans reuertebatur. Mira martyris fortitudo. Caput eius abſcinditur.

XXIX. AT turba cõcurſu facto, volebat Febroniæ corpus abripere: ſed Lyſimachus iuſſit milites permanere, & corpus illud cuſtodire. Multis igitur anguſtiis & mœrorib. detentus Lyſimachus, neq; cibũ, neq; potũ ſumebat: ſed ſeipſum in cubiculo cõcluſit, & Febronię mortẽ lugebat. Selenus vero eius patruus cũ Lyſimachũ triſtẽ eſſe accepiſſet, neq; ipſe cibũ ſumpſit: ſed cũ ſurrexiſſet è loco, in quo erat, deambulare cœpit: cũq; multo mœrore & triſtitia detineretur, repentè caput in cælum erigens atq; intuens, diutius ſic mutus permaſit: deinde vero tanq̃ taurus aliquis mugiens, in vnam ex ijs columnis, quæ erant in prætorio, inſiliens, caput ſuum confregit, & in terram proſtratus, animã efflauit.

Multo

Diuina vltio perdit tyrannum.

Multo autem clamore & tumulto excitato, accurrit Lysimachus, & viso patrui cadauere, quæsiuit, quænam res illa esset. Cùm autem qui adstabant, id, quod factum fuerat, Lysimacho exposuissent, ille diù caput quassans: Magnus, inquit, est Deus Christianorum: benedictus est Deus Ebroniæ: vltus est Deus sanguinem iniuria effusum. His dictis, iussit Seleni cadauer efferri. Quo elato, Lysimachus, accersito Comite Primo, ita fari cœpit: Obtestor te per Deum Christianorum, ne mandatum meum violes, sed quamprimùm iubeas Febroniæ arcam componi ex lignis, quæ putrefieri non possint, & mittas præcones, qui vbique prædicent, vt quicunque Christiani ad Febroniæ martyris exequias accedere voluerint, liberè atque impunè accedere valeant, præsertim cùm patruus meus iam mortuus sit. Nôsti, Prime mihi optatissime, quod sit animi mei desiderium. Accipe igitur cohortem, ac Febroniæ corpus afferri iubeas ad monasterium Briennæ: neque quisquam è turba aliquod eius corporis membrum abscindat, vel abscissum à corpore auferat: neque permittatur cani, vel impuris aliis animalibus sanguinem ab ea effusum lingere: quinimò terram illam, in quam Febroniæ sanguis effusus est, effodi atq; in monasterium exportari præcipias.

Reliquiæ sanctę martyris honorificè tractantur.

Fecit Primus quicquid Lysimachus mandauerat, & Febroniæ corpus iussit milites baiulare: ipse verò, sumpto xxx. Febroniæ capite, pedibus & manibus, & omnibus iis membris, quæ fuerant ab eius corpore abscissa, chlamyde sua illa inuoluit, & in monasterium exportauit. Cùm autem magnus turbarum concursus factus esset, aggrediebantur illæ ipsæ turbæ aliquod membrum auferre, ita vt Comes Primus in magnum periculum venerit, ne à turbarum violentia aliquid pateretur. Porrò milites, strictis gladiis, vix turbas ipsas propulsare potuerunt. Posteà verò, quàm ad monasterium multo labore & vi se contulerunt, reliquias sanctæ virginis Febroniæ in monasterium immiserunt: neque quenquam, excepta Thomaide & Hieria, ingredi patiebantur. Brienna cùm Febroniæ corpus ita obmutilatum vidisset, in terram cecidit animo destituta. Primus autem Comes, militibus in monasterij custodia constitutis, redijt in prætorium ad Lysimachum.

Dein Brienna post multas horas surrexit, & Febroniæ corpus amplexa, clamans dicebat: Heu filia mea Febronia, hodiè ex oculis matris tuæ Briennæ ablata es. Quisnam literas diuino spiritu afflatas, sororibus posthàc interpretabitur? quænam manus tuos libros reuoluent? Hæc cùm Brienna clamaret, omnes sorores, quæ simul cum Æthetria discesserant, ad monasterium rediêrunt: & procidentes cũ lachrymis, martyris Febroniæ corpus veneratæ sunt. Similiter & Hieria clamabat: Venerabor sanctos illos pedes, quibus serpentis caput conculcatum est. Exosculabor vulnera sanctarum reliquiarum, quibus curata est anima mea. Coronabo floribus laudationum caput illud, quod certaminum pulchritudine genus nostrum coronauit. Hæc cùm dixisset Hieria, aderat nonæ horæ tempus. Posteà verò quàm orationem compleuerunt, iterùm planxerunt omnes, & earum eiulatus valdè confusus erat. Cùm autem vespera aduenisset, lauerunt sanctum illud corpus, & in scamno suo deposuerunt, singula membra suis locis accommodantes. Dein iussit Brienna monasterij fores turbis patefieri. Cùm igitur turbæ introiuissent, Dei gloriam celebrabant, & sæculares mulieres magistræ suæ Febroniæ orbitatem lamentabantur. Venerunt autem & quidam ex ijs patribus, qui sanctitate præstantes erant, & monachorum plurimi, qui totam noctem insomnem transegerunt.

Horæ nonę preces.

xxxi.

Lysimachꝰ & Primus se Christianos profitentur.

Caeterum Lysimachus cùm Primum Comitem ad se accersiri iussisset: Ego, inquit, omnibus patriis institutis, & vniuersa facultate derelicta, ad Christum me adiungo. Tum Primus: Et ego idem faciam. Valeat Diocletianus, & eius Imperium. Omnibus patriis rebus nuncium remitto, & ad Christum accedo. Itaque derelicto Prætorio, venerunt & ipsi cum tota multitudine in monasterium. Cum verò dies illuxisset, venerunt qui loculos portabant, & multis cum precibus ac lachrymis reliquias sanctæ Febroniæ collegerunt, & singula membra, quæ abscissa fuerant à martyre illa sancta, suo quæque loco accommodârunt, caput, pedes, manus & reliqua membra: dentes verò in pectore ipsius reposuerunt. Turbæ autem vnguento, & castoreo, atque suauissimis odoribus ita loculos repleuerunt, vt sanctæ Febroniæ corpus nequaquàm appareret. Cum vero seditio multa commota esset, turbis ipsis clamantibus, neque oculos claudi atque obturari permittentibus, contrà vero Episcopo vrbis illius, monachis & clericis valdè precantibus, vt reliquiæ reponerentur, turbæ ipsæ minimè assentiebant. Tunc ascendit Brienna in excelsum quendam locum, & hortabatur turbas his verbis: Precor vos, domini & fratres mei, vt sinatis illam in loco reponi. Hæc dixit Brienna, & tota multitudo ei obtemperauit: multisque cum precibus ac lachrymis sanctas illas reliquias exportârunt, & in insigni quodam monasterij loco reposuerunt: omnesque Dei gloriam celebrabant. Græcorum vero multitudo credidit Domino, & eius baptismo tincta est. Item Lysimachus & Primus baptismo purgati sunt, & rebus terrenis derelictis, abiêrunt cum Marcello Archimandrita, & exercitationis monasticæ palæstram ad finem vsque cum rectè transegissent, & humana vita excesserunt, & Christo aggregati sunt. Plerique etiam ex militibus, cùm Domino credidissent, & ipsi baptizati sunt. Eodem modo Hieria & eius parentes baptizati, crediderunt in Dominum Iesum Christum. Posthæc parentes suos Hieria dereliquit, & terrenis rebus renunciatis, in monasterium ingressa est, cui omnes facultates suas dedicauit, & Briennam precata est in hanc sententiam: Rogo te, mater mea Brienna, vt me in sanctæ Febroniæ locum seruam accipias. Seruiam ego tibi, vt & illa seruiebat. Cum igitur omni ornatu suo Hieria se exuisset, aureis pannis & margaritis loculos sanctæ Febroniæ vndiq; adornauit.

xxxii.

Multi credũt in Christum.

Hieria se dat monasterio.

Qvo autem tempore beatæ Febroniæ martyrium, eius scilicet certaminis memoria celebratur, conueniunt cœtus mulierum, & ingens virorum multitudo, præsertim propter quoddam signum, quod illic quotannis apparere solet. Nam memoriæ suæ die, mediæ noctis tempore, cum preces ad Deum funduntur, apparet sancta Febronia vsque ad tertiæ horæ preces in illo eodem, quo solita erat iacére, ita consistens, vt magnus tremor in hora illa id spectantibus exoriatur. Nemo tamen audet illam attingere, vel eam interrogare. Cum enim primo anno apparuisset, & omnes sorores timore magno perterrefactæ essent, Brienna voce magna: En, inquit, adest filia mea Febronia. Cumque ad illam amplexandam cucurrisset, statim euanuit. Non igitur amplius ad illam accedere, vel ipsam tangere audent: sed quo tempore apparet, lachrymarum copia effunditur, simulq; gaudium magnum in omnes ex huiusmodi visione proficiscitur.

Nota rem miram.

xxxiii

Templum insigne S. Febroniæ.

Eius vero vrbis Episcopus, cum templum valde insigne & pulchrum Febroniæ martyri erigere cœpisset, per totos sex annos opus compleuit. Quo perfecto, conuocatis finitimarum regionum Episcopis, celebritate magna adhibita, per totam noctem officium celebrauit mensis Iunij die xv. Quo tempore multitudo ingens concurrit, ita vt neque templum, neque monasterium eam capere possent. Vbiq; vero & psalmorum cantus frequentabatur. Manè autem, precibus matutinis completis, Episcopi conuenerunt in monasterium, vt eius diei, quo Febroniæ corpus depositum fuit, memoriam celebrarent. Sequebantur Episcopos turbæ cum facibus & thure ac vapore multo. Ingressi igitur Episcopi in monasterium, ac Deum precati, consederunt, & Brienna ad se accersita, hæc illi dixerunt: Institutionis & vitæ, multorumq; laborum, quos virtutis causa sustinuisti, laudem assecuta es, neq; quisquam pro dignitate te laudare poterit. Tales decet esse monasteriorum Præsides, & tales fructus Deo ipsi offerre. Quoniam vero fieri non potest, vt Martyris, quæ tot & tanta certamina perpessa est, laudes per nos explicentur: decet illas silentio præterire. Neque enim lingua nostra, quantum satis est, Martyrem hanc laudare potest. Itaq; cum neq; sermonibus, neque operibus aliquid assecuti simus, quod Martyre dignum sit, te ad hoc idoneam rogamus, vt de re proposita

xxxiv

differas.

disseras. Honora denique & ipsa nobiscum vna martyrem Febroniam, & concede nobis, vt in templo, quod sub eius nomine conditum est, Martyris corpus habitare possit.

Studium priscorum erga sacras reliquias.

XXXV. CVM hæc audissent sorores, omnes clamarunt vna voce & ad pedes Episcoporum prostratæ, dixerunt. Precamur vos per sanctos istos vestros pedes, vt nostri vos misereat, quæ humiles & abiectæ sumus, neque preciosa hac margarita nos priuetis. Cumque diù omnes lamentarentur, & Episcopos obsecrarent, eius vrbis Episcopus Briennam alloquens: Audi, inquit, soror: Nosti quantum studium adhibuerim ad martyris Febroniæ templum pro eius honore & gloria erigendum. En sex anni sunt, quos in eo templo construendo insumpsi. Ne igitur labores meos inutiles & sine fructu esse patiaris. Hæc cum audisset Brienna, respondit: Si ita vobis placet, & si placet Martyri, quod petitis accipiatis. Quis sum ego, vt hoc impediam? Ingressi ergo illam accipite, & abite. Ingressi sunt Episcopi, & preces ad Deum fuderunt. At Hieria clamabat: Væ nobis, quod hodierno die monasterium magna benedictione priuatur. Væ nobis, quod hodie angustiæ & orbitas in monasterium allata sunt. Væ nobis, quod hodie margaritam nostram tradimus. Et ad Briennam conuersa, clamabat: Quid facis mater? Cur me priuas domina mea, cuius causa omnia dereliqui, & ad vestras manus confugi? Brienna cum vidisset Hieriam ita lamentantem, ad eam conuersa: Cur, inquit, lamentaris filia mea Hieria? Si gratum est illi abire, abeat: sin minus, non abeat.

Nõ patitur martyr suũ corpus extra monasterium efferri.

XXXVI. CVM Episcopi preces compleuissent, omnes dixerunt, Amen. Cum primum autem loculos martyris tetigerunt, tonitru in aëre tam magnum erupit, vt vniuersa multitudo præ timore ceciderit. Rursus paulò post cum fuissent aggressi idem facere, terræmotus tam magnus factus est, vt tota vrbs ruere videretur. Ex ea re cognouerunt Episcopi & vniuersa multitudo, Martyri non placere, monasterium egredi. Itaque tristes facti, dixerunt Briennæ: Si Martyri non placet monasterium relinquere, vnum aliquod ex membris abscissis nobis largiare & discedemus. Brienna clauem sumpsit, & loculos aperuit, & vidit corpus Martyris, instar solis effulgens. Multo igitur cum terrore extendit manum suam, & alteram Sanctæ ipsius manum apprehensam Episcopo illi præbere voluit. Sed manus Briennæ detenta est, & velut mortua torpuit. Tunc Brienna lachrymans: Precor inquit, te filia mea Febronia, ne irascaris matri tuæ. Recordare laborum meorum, neque senectutem meam contemnas. Remissa autem sana manu illa, rursus eam Brienna extendit, & lachrymans rogauit: Præbe, inquit, nobis benedictionem, ne me tristem efficias. Cumque accepisset vnum ex dentibus, qui erant in eius pectore, Episcopo dedit, & statim loculos clausit. Episcopi verò omnes acceperunt reliquias illas sanctas, & in vase aureo portantes, læti abierunt: quibus præibat multitudo psalmos canens, cum cereis facibus & thure multo.

Ecce processionis modus, & quo honore Sanctorũ reliquiæ transferantur.

XXXVII. CVM verò ad templum peruenissent, ascenderunt Episcopi in sublimem quendam locum, & populo reliquias illas ostenderunt. Quicunque verò erant cæci, vel claudi, aut dæmone capti, sanati sunt: idque omnibus manifestum factum fuit. Currebant adolescentes vndique, & ægrotos homines, alios in grabbatis positos, alios iumentis vectos ferebant, & omnes sanabantur: & quocunque aliquis morbo detinebatur, sanus fiebat. Quandiù verò ægroti ferebantur, turbæ non permiserunt reliquias sanctæ Febroniæ reponi. Cæterum cũ omnes, qui male se habebant, sani facti essent, & Deo hymnos cecinissent, repositæ sunt Febroniæ martyris sanctæ reliquiæ quintodecimo die mẽsis Iunij. Cumque omnes magna dona assecuti essent in domos suas rediêrunt lęti, & Dei gloriam, ac Dominum Iesum Christum, & Sanctum spiritum celebrantes: Cui gloria & imperium in sæcula sæculorum, Amen. Brienna verò cum duos annos vixisset post consecratum sanctæ Febroniæ templum, & omnia bene disposuisset, in pace diem obiit. Ego verò Thomais, quæ post Briennæ obitum eius ministerio successi, cum Febronię vitam & certamina inde vsque à principio cognouissem, quæque præcesserant, à Lysimacho didicissem, in commentarios omnia collegi, ad laudem & gloriam Dei eiusdemque martyris Febroniæ, & vt eos, qui hæc audierint, excitarem & alacres redderem ad Domini Iesu Christi cultum, in gloriam Patris, & Filij, & S. Spiritûs, nunc, & semper, & in sæcula sæculorũ, Amen.

Miracula ad eius reliquias.

MARTYRIVM SANCTI DVLÆ EX SIMEONE METAPHRASTE. AN. 280.

IVNII 15.

I. QVO tempore satanas ab iis colebatur, qui eo digni erant, & idolorum superstitio atque error vigebat, cum Maximus Ciliciæ præsideret, delatus est Tatianus, cognomento Dulas, vir iustus & timens Deum, qui totius gentis testimonio pietatem, & in omni re iustitiam seruare probabatur. Hic inquam, delatus fuit apud Præsidem, quod Christi fidem profiteretur. Quamobrem in carcere detinebatur, scriba ipso ita Præsidi referente: Quemadmodum tu iussisti, satellitum principes regionem omnem vsque ad Zephyritarum vrbem perquestigantes, deprehenderunt quendam impiæ Christianorum religionis sectatorem, quem obtuli syncero & illustri tribunali tuo. Hæc ille dixit. Cui Præses Maximus: Quo tempore, inquit, vrbes ipsas circumiero omnes, qui sunt in carcere, ad me duci iubebo.

Tatianus Dulas defertur apud Præsidem.

II. CVM igitur in vrbem Prætoriadem ingressus esset, & sederet in tribunali, iussit primum adduci ad se Dulam, quem supra diximus. Qui cum ad Præsidem ingrederetur, ita Deum orauit: Christe fili Dei, qui misericors es, tu dixisti per os Dauid: Dilata os tuum, & implebo illud. Tu & in Euangeliis dixisti: Ne soliciti sitis, quomodo aut quid loquamini. Nunc igitur, Domine Iesu Christe, mitte Angelum tuum, & da mihi orationem os meum aperienti, vt ad scelestissimum Maximum ingrediens eius impietatem redarguam. Quod verò ad plagas pertinet, cum te præ oculis habeam, huius tormẽta non timeo, meumque corpus Præsidi libenter proponam; nisi enim corpus meum tradidero ita vt ardeam, qualium bonorum coronas accipere potero? quales Domino meo Iesu Christo cicatrices ostendam, quas ille videns, benignitate in me vtatur, & peccata mea remittat? Hæc cum ille dixisset, milites pallio eum exuerunt, & vinctum Præsidi obtulerunt.

Psal. 80.
Matt. 10.

Fortis animus Dulæ.

III. TVM Maximus Præses: Agè, inquit, dic paucis verbis, quo nomine appelleris. Tum Dulas: seruus Christi ego sum. Ad hæc maximus: Cum nihil, inquit, vtilitatis nomen istud tibi afferre possit, dicas naturale nomen tuum. Respondit Dulas: An non manifestum tibi nomen meum effeci? Vero quidem & certo nomine Christianus appellor: eo autem, quod mihi ab hominibus impositum fuit, Dulas: itaque sic appellatus, re vera seruus Christi sum. Nondum, inquit Maximus, iudicij terrorem expertus es. Nunc igitur dicas, cuius nationis homo tu sis, cuius loci, aut generis. Ad hæc Dulas ait: Ego sum natione Cilix, ex vrbe Prætoriade, genere claro, & à puero Christianus. Tum Maximus Præses dixit: Cum claro genere ortus sis, inuictis Imperatoribus cedere velis, & deos adiens, æquo animo illis sacrifices, vt & à nobis honoreris, & apud Augustos Imperatores magnus atque illustris habearis. Respondit Dulas: Honores tui & Augustorum gradus vobis sint, & omnibus iis, qui Deum ignorant. A me verò Deus hoc auertat, vt alia in re proficiam, quam in fide Domini nostri Iesu Christi.

Contemnit vana promissa.

IV. CVM ita eum sentientem Maximus Præses vidisset: Extensum, inquit, istum virgis percutite, & admonete hominem, vt desinat insanire. At Dulas, cum verberibus pulsaretur, dicebat: Gratias ago tibi, Christe, quod dignus habitus sim, qui propter nominis tui confessionem hæc paterer. Audiebat ista Maximus, & illi hæc exprobrabat:

Virgis cæditur.

Quidnam tibi prodest nunc Christus tuus, cum totus sis vulneratus? At non adhuc sentis, stulte homo? Cui Dulas:
2. Tim 2. Quid? Nonne beatus Apostolus Paulus dicit: Nemo coronatur, nisi legitimè certauerit? Tum Maximus: Ergo, inquit, verberatus tu coronam assequeris? Respondit Dulas: Ego hodie contra patrem tuum diabolum certamen sustineo. Si ergo satanæ prælium deuicero, te inquam, satanæ ministrum, in cælis coronam accipiam. Cur, inquit Maximus, sic erras, homini in Cruce suffixo fidem habens? Ad hæc Dulas: Velim dicas, præstetne homini Crucifixo, hoc est, Deo viuenti & vero, an lapidibus & lignis, operibus manuum hominum, credere Sceleſtissime, inquit Maximus, num tibi humanum opus videtur magnus deus Apollo? Dulas ait: Verè Apollinem isto homine appellâsti:
Apollo idem quod perdo. nam illi mentem adhibens, animam tuam perdidisti: non solùm autem tuam, sed illorum etiam, quibus persuades, vt eum adorent. Illud autem scito, quod Deus ipse requiret è manibus tuis animas, quas cogens perdidisti. Cæterum Apollo impius, dicam tibi, qualis fuit.

ERAT ille, vt tu nunces, incontinens: cumque Daphnes amore captus esset, & pecunias multas ei dedisset, V.
Apollinis incontinẽtia. promissa, quæ ab ipsa acceperat, assecutus non est. Quæso, qualisnam deus iste est, qui amore vulneratus, eam, quam adamabat, assequi non potuit? Quî potes igitur sperare, te aliquid per eum assecuturum? Verè quæ á vobis de illo canuntur, risu digna sunt, vel potius luctu. Quem enim mulier meretrix execrabilis, atque omnis impuritatis plena, pro nihilo habuit, Apollinem, inquam, tuum, in cuius faciem ipsa expuit, tune illum, vt Deum, adoras? Vides vt luctu digna sunt impia vestra facinora? Hæc audiens Maximus. Versate, inquit, istum in alteram partem, & ventrem percuti-
Cæditur in ventrem ſ. Dulas. te. Tum Athanasius Cornicularius dixit: Obtempera Præsidi: Nónne vides viscera tua exilire? Agè, inquit Dulas, tu, qui diaboli consiliarius es & minister, tibi & Præsidi tuo da consilium illud, quemadmodum Daphnæ persuadere possitis, & cum Deo vestro Apolline coire velit, ne amore consumptus pereat. Ego enim habeo consiliarium meum Dominum Iesum Christum. Tum Maximus: Afferte craticulam, & illam vehementer accendite, atque istum, vt dis maledicentem, in eam imponite. At Dulas: Gratias, inquit, tibi agit Apollo tuus in gehenna, quòd ignem nunquam
Vritur in craticula. extinguendum ei prouides: atque tibi gratiam referet, hanc scilicet, vt vna cum ipso ad tenebras exteriores detrudaris. Tunc & ego te ridere potero, impie Apollinis patrone.

CVM autem totum ferè Martyris corpus carnifices combussissent, nihil profecerunt: neque enim Dei seruo VI.
persuaserunt, vt à fide Christi deficeret. Tunc iussit Maximus Præses, vt milites ita combustum in carcere interiore hominem custodirent, neque cura aliqua illum prosequerentur, hæc addens: Ne quis ex impiis hominibus eum ob
Ducitur in carcerem. id beatum prædicet, quòd impiè in deos nostros se gerens, tormenta perpessus fuerit. Erat igitur sanctus ille in vinculis, & sine intermissione Dei gloriam celebrabat, eumque precabatur, vt martyrij cursum perficeret. Post quinque
Diuinitus totus sanatur. dies Maximus in tribunali sedens, quæsiuit an sceleſtus ille & impiæ Christianorum religionis sectator adhuc viueret: quem & ad tribunal duci iussit. Athanasius Cornicularius respondit Præfecto: Ita constans & ad defensionem paratus, & incolumis est homo ille, vt ne cicatricem quidem aliquam in corpore suo habeat. Iussitque illum introduci. Quem cum Præses totum sanum vidisset, & vultu admodum hilari: O sceleſtissima, inquit, cohors, nónne vobis præcepi, vt nulla cura istum prosequeremini? Ad hæc Pegasius Commentariorum præfectus: Per tuam amplitudinem in carcere interiore custoditus est, habens in collo Herculis effigiem trecentarum librarum pondere grauem. Quomodo verò sanus factus sit, nemo nostrûm cognouit.

TVM Dulas: O insipiens Præses, en Christus meus sanum me fecit, & ad plagas tuas excipiendas corpus meum VII.
idoneum reddidit, vt cognoscas Deum esse nostrum medicum, qui homines in eo spem suam collocantes, admirabili quodam modo curare solet: simul etiam, vt ego duplicem martyrij coronam accipiam, & tu sempiternas pœnas duplices patiare. At si tu tales plagas pro nomine Apollinis tui sustinuisses scilicet potuisset tibi sanitatem afferre A-
Vritur caput eius. pollo iste; quem Deum tuum dicis, quemadmodum mihi Christus meus sanitatem attulit. Tum Maximus: Quoniã homo iste non definit maledicta in deos nostros iniicere, vngite oleo eius caput & carbones ardentes imponite. Cui Dulas: Licèt, inquit cerebrum meum combusseris, quid tum, impie Præses? Excogita alia tormenta. At Præses di-
Immanes cruciatus. xit: Multa sinapis grana in eius nares immittite. Derideo, inquit Dulas, omnes cruciatus tuos. Præses autem: Lacerate constanter acuto ferro eius terga, & acerbissimo aceto plagas perfundite: tum acutis testis terga conterite.

HÆC cum fierent, sanctus martyr dicebat: Iesu Christe, adesto seruo tuo: ecce enim supra dorsum meum fa- VIII.
bricant peccatores, prolongantes iniquitatem suam. Tunc dixit Maximus: Saltem nunc persuasus sis, & deos esse cõ-
Item alij. fitearis. Ad hæc Dulas: Scilicet dij tui adiuuant te & malitiam tuam, præsertim Venus & Diana. Dicam, si placet, & alias deas tuas, & earũ scelera. Confringite, inquit Maximus, eius maxillas, ne diis maledicat: ipsius etiã crura infringite, & talem reddite, qui ne verbũ quidem vllum proferre possit. Tum Dulas: Mene, iniquissime Præses, verberas, qui vera dico, quod Venus ipsa & reliquæ deæ tuę membra sua in libidinibus & stupris exercuerunt, & Paridem pastorem illum Iudicem sibi constituerunt, cum periculum facere vellent, quænam ipsarum magis peccaret? Cur irasceris, cum de execrabilium dearum tuarum facinoribus redargueris? Meus Deus verus est, qui & homo fieri voluit, qui etiam cum in Cruce fixus fuisset, & postea sepultus, tertio die resurrexit, & sedet ad dexteram Patris, venturusq; est cũ igne ad deos tuos perdendos. Hæc audiens Maximus, dixit: Videsne, sceleste, vt & tu duos deos habes? Ad hæc Dulas: Ne pecces, inquit, & erres, dicens duos deos: Trinitas enim est, quam colimus. Ergo, inquit Maximus, tres deos habes. Trinitatem, inquit Dulas, confiteor & adoro. Credo in Patrem, confiteor filium, adoro Spiritum sanctum. Tum præses Maximus: Persuadeas, inquit, mihi, quomodo in vnum Deum credens, tres prædices.

AD hæc respondit Dulas: Animalis homo non percipit ea, quæ spiritus Dei sunt. Eorum tamen causa, qui ad- IX.
1. Cor 2. sunt, dicam. Quemadmodum tu, qui homo es, habes sermonem: ita & Deus pater omnipotens, habet Verbum eiusdem substantiæ, & Spiritum suum sanctissimum. Qui Deus noster cum primum hominem formauit, & imagine sua illum honorauit, insufflauit ipsi spiritum vitæ, quem & in paradiso constituit. Postea verò, quam satanas, qui nunc per te voluntatem suam exercet, studuit hominem ad diuini præcepti violationem impellere, quemadmodum nũc etiam per te facit, hominem ipsum à diuinis præceptis exterminauit. Quamobrem Deus cũ opus, quod fotmauerat, & lapsũ fuerat, erigere, idq;, ꝙ aberrauerat, in viã reducere vellet, misit filiũ suum, hoc est, Verbum: itaq; verbũ Dei
Psalm. 135. in sancta illa virgine habitauit, & ex ea genitum fuit, per quod pater ipse mundo salutem dedit. Tum Maximus dixit: Verbum igitur aliquod virum gignit? Minimè, inquit Dulas, Dei mysterium intelligis: verum si omnipotentis Dei virtutem cognosceres, scire posses, quod qui è puluere hominem fecit, qui firmauit terram super aquas, qui cælum
Cur Christꝰ homo factꝰ consolidauit, qui vniuersam naturam effecit, ille ipse Christus est. Cum enim hominis conditio diuinitatem videre
Rom. 5. non posset, ille humani generis amator propter suam in homines charitatem, homo factus est, & humanam humilitatem suscepit: vt sicut per vnum hominem primo formatum mors ipsa in mundum ingressa est, ita & per vnum hominem, Dominum nostrum Iesum Christum, resurrectio mortuorum induceretur.

TVM Præses: Quid ais? Est ne etiam resurrectio mortuorum? Maximè, inquit Dulas. Quomodo enim Deus X.
mundum iudicabit, nisi mortui resurrexerint? At ille: Nolim artificiosos istos sermones mihi afferas: sed sinas, si mortui fuerimus, nos mortuos iacere. Vera, inquit Dulas, dixisti vos mortuos esse: cum enim mortuis idolis fidem habea-
2. Cor 5. tis, nunquam ad resurrectionem vitæ peruenietis, sed ad dedecus & supplicium sempiternum. Oportet autem omnes

mnes homines assistere ante tribunal Christi & eorum, quæ fecerint, rationem reddere. Tunc dixit Maximus: Ligate hominem istum ferreis vinculis, & in carcere custodite. Postridiè verò mane Præses iussit Dei seruum Dulam introduci. Cui iam intromisso: Quænam, inquit, miserrime homo, tibi vtilitas fuit in deos nostros impietatem exercenti? Respondit Dulas. maximam vtilitatem percipio apud Deum, cum eos, qui dij non sunt, reprobo. Te verò adhuc viuentem Christus puniet: Tunc ait Maximus: Iniicite in eius os carnes victimarum, & vinum libaminum. Licet, inquit Dulas, totam execrabilem aram tuam abluas, & in os meum infundas, nihil tamen ea re lædes Christi seruum. En, inquit Maximus, vt è nostris altaribus carnes gustâsti, scelestissime homo. At Dulas: Nihil mihi hæc obsunt, execrabilis & stolide Præses. Quid enim mihi profuisset superiores cruciatus perferre, si res ita se haberet, vt tu dicis? Sed, Deo iuuante, ipse videris, quid facias. Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Tunc Maximus iussit in ligno eum virum suspendi, & eius carnes vsque ad intestina lacerari, maxillas etiam cum mento diuelli. Cui Dulas: An, inquit, stolide ignoras te à satana patre tuo iussum esse hæc facere.

Ferreis vinculis ligato, mittitur in carcerem.

Laceratur atrocissimè

XI. CVM eius viscera denudata essent, & maxillæ ab ossibus dissolutæ, Præses iussit Dulam in carcere seruari. Cũq; ad Tarsum vrbem Ciliciæ reuerteretur, iussit homines illos vinctos sequi. Cum vero ad vigesimum lapidem processissent, beatus Dulas Christi signo se muniens, animam Deo tradidit. Itaque cum essent satellites quatuordecim miliaribus longe à Tarso, Commentariorum magister nunciauit Præsidi, Dulam in deos impiè se gerentem, mortuum fuisse, & eius cadauer illucusque perlatum, quærebat autem, quid fieri vellet. Tunc Præses: Proiicite, inquit, illum in vallem aliquam, vt sepultura careat. Satellites igitur cadauer martyris in torrentem deiecerunt, qui ad Zephyrum vergebat. Pastorum verò canes cum sancti martyris reliquias odorati essent, vnus ex illis canibus venerandum illud corpus custodiebat, neq; volucrem aliquam sinebat reliquias martyris attingere: alius vero canis pastoris palliũ ore apprehensum, ad sanctum martyrem Dulam tegendum attulit. Hoc autem castello, quod illic erat, notum factum fuit. Venerunt igitur eius castelli habitatores, & sanctas reliquias collegerunt, Deum laudantes, quod reliquiis illis venerandis priuati non essent, sed vnde corpus illud viuum exierat, illuc & martyrio functum rediisset. Illud ergo acceptũ multa cũ veneratione reposuerunt, Domini nostri Iesu Christi gloriam collaudantes in æterna sæcula, Amen.

Cruce se munit & reddit spiritum.

Vide res miras.

ILLVSTRE CERTAMEN VITI SANCTISSIMI PVERI, MODESTI ET CRESCENTIAE. HABETVR IN MS. CODICE, ANTIQVISSIMA MANV EXARATO. STYLVM HINC inde modicè elimauit F. Laur. Surius.

AN. 290.

I. TEMPORE illo, quo Valerianus Præses sub Diocletiano Imperatore in Christianos persecutionem exercuit, peruenit ad eum, beatum Vitum, nobilissimi viri Hylæ filium, Christum Iesum Deum nostrum colere & adorare. Itaque vocauit ad se patrem venerabilis pueri, dixitque ei: Quid isthuc rei est, quod audio filium tuum colere Deum illum, quem Christiani adorant? Si ergo vis eum habere sanum & incolumem, da operam, vt ab hac stultitia reuocetur. His auditis, Hylas dixit Vito filio suo: Fili dulcissime, audi patris tui vtile & salutare consilium, & à cultus huius stultitia, quem tu, nescio quem mortuum hominem veneraudo, inani labore sectaris, discede, ne princeps iratus pro suæ potestatis furore sæuiat in te ad perniciem tui, & augmentum doloris mei. Beatus Vitus puer respondit: Vtinam mi pater cognoscere velles, qualis & quantus ille sit, quem tu contemptim mortuum hominem appellas, nempe Christus filius Dei viui, mihique in eius cultu & veneratione assensum præbere. Ipse est enim agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Hylas dixit: Ego vero scio Christũ hunc, quem tu Deum dicis, iussu Pilati in Iudæa flagellis cæsum & cruci adiudicatum, atque in ipsam Crucem à Iudæis & Pilati ministris suffixum. Sanctus Vitus ait: Vt âsseris, pater, ita est: sed huius rei magnum est & admirabile sacrumque mysterium. Hylas dixit: Quantum ad ipsam rem attinet, supplicium rectius dixeris, quam mysterium. S. Vitus ait: Patienter audi pater & veritatis suscipe rationẽ. Traditio & crucifixio Iesu Christi Domini nostri, redemptio & salus nostra est. A cuius charitate, quod te certissimum habere volo, nemo me vnquam quacunque afflictione poterit separare.

IVNII 15. Hylas nobilissimus, pater Viti.

Nititur Vitũ à Christo auertere

Iohan. 1.

II. MVLTI verò cæci per beatum Vitum diuina gratia illuminabantur, multi sanabantur ægroti: sed & multa dæmonia voce publica illius præclara merita fatebantur. Vbi hæc resciuit Valerianus Præses, sedens pro tribunali, patrem beati Viti his verbis coram omnibus compellat: Iam certis ad me nunciis adfertur. Hyla vir illustrissime, à filio tuo crucifixum illum, quem in Iudæa passum, Christum eius cultores nominant, tota animi deuotione coli & adorari, deosque nostros contemni. Itaque dignum ducimus illum nostris conspectibus exhiberi. Postquam ergo venerabilis puer Vitus ad Tribunal Præsidis adductus est, dixit ad eum Valerianus: Quare diis immortalibus non sacrificas? An nescis principes nostros iussisse, vt si quis repertus sit cultor illius Crucifixi, diuersis pœnis interficiatur? Beatus Vitus, repletus spiritu sancto, nec quicquam trepidans, neque, vt est illi ætati familiare, vlla de se timoris indicia præbens, cum Christi filij Dei signum expressisset, ita respondit: Ego dæmonibus non assentior, neque sculptilibus vllam venerationem impendo. Habeo enim Dei filium Deum viuum, cui fideliter seruit anima mea. Tunc Hylas pater eius eiulans, magna voce dixit ad amicos suos: Plangite quæso mecum, quia video perire vnicum filium meum. S. Vitus dixit. Non pereo sanè, si in congregationem iustorum liceat ingredi. Valerianus ait: Nobilitas generis tui & amicitia patris tui hactenus me retinuerunt, ne in te iussa principum, vti in sacrilegum, exequerer. At nunc quia te obstinata mente video in tua sententia velle permanere, periculum faciam, num castigatione possis à proposito deduci.

Miraculis coruscat sãctus puer.

Sistitur ad tribunal.

III. IVSSIT ergo fustibus mactari beatum puerum: cumque diutius id factum esset, dixit ei Præses: Acquiesce nunc, & sacrifica diis. Beatus Vitus respondit: Semel dixi tibi Præses: Christum adoro filium Dei. Tunc iratus Valerianus, præcepit puerum * catomo, (*sic enim habent multi codices MS.*) cædi ministri autem mox vt in eum manus inicere tentauerunt, brachia sua arefacta sensêre, & Præsidis quoque manus exaruit. Tum ille exclamauit: Heu manũ perdidi, & dolore torqueor. Aduocans autem Hylam patrem pueri, dixit ei: Vt video, filius tuus magus est. S. Vitus ait: Non sum ego magus, sed seruus Christi Domini mei, qui me docuit mandata sua: cuius doctrina & opere repletus sum, qui excitauit mortuos, & pedibus super mare ambulauit, imperauitque ei, & cessauit à furore suo: Eius, inquam, ego sum seruus, & eius virtute possum curare manum tuam. Valerianus dixit: Fac vt te non magum, sed veri Dei, vt asseris, famulum esse comprobem. S. Vitus eleuans ad cælum oculos, dixit; Propter eos, qui adstant, Domine, vt videant & credant in Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, verum & omnipotentem Deum, in vnitate spiritus sancti tecum regnantem, in ipsius Iesu Christi nomine sit nunc manus Præsidis sana. & statim restituta est manus illius.

Fustibus dirè verberatur.

* *Id est virgis vt pueri à ludimagistris solent super nates, vt cẽset Baron. in notis martyrol. hoc die.*

IV. TVM ille sanctum puerum tradidit Patri eius, dicens; Vade, & emenda hunc filium tuum, vt acquiescat & sacrificet diis, ne pereat. Itaque pater eius beatum Vitum suscipiens introduxit eum in domum suam, multisque adhibitis illecebris & blandimentis suadebat ei; nec aberant cymbala & organa, quibus demulceretur; ancillæ quoque coram illo saltare iubebantur, vt ea re delectaretur, & facilius persuaderetur recedere à cultu Dei sui. At beatus puer cælum

Curat manum aridã Præsidis.

Tentatur multis modis.

Psalm. 50. cælum inceſſanter ſuſpiciens, dicebat intra ſe: Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicis. Mandauit verò pater eius cubiculum omnibus, quibus poterat, deliciis inſtrui, tapetis inſterni & ornari gemmis, introduxitque in illud filium ſuum, & iuſſit occludi. Beatus autem puer flexis genibus precabatur Dominum, dicens: Deus Abraam, Deus Iſaac, & Deus Iacob, Deus pater dilecti pueri tui Ieſu Domini mei, reſpice in me & miſerere mei, & confirma me virtute tua, vt non poſſit draco iſte, malignitatis & iniquitatis ſuæ voto potiri in me ſeruo tuo, ne inſultent gentes fidelibus tuis, & dicant, Vbi eſt Deus eorum? Interim cubiculum illud inæſtimabili claritate fulgebat, & videbantur in eo quaſi duodecim lapides, nimio fulgore radiantes: adſperſuſque in eo eſt odor ſuauiſſimus, ita vt pater ſancti Viti omniſque familia cum ingenti admiratione clamarent: Papæ, nunquam nec in deorum templis tanta mirabilia vidimus. Attonituſque Hylas, dixit: Dij venerunt in domum meam ad filium meum, cœpitque curiosè attendere, per oſtium reſpiciens in cubiculum: viditque angelos duodecim alatos inſtar aquilarum, inæſtimabili pulchritudine & ſplendore radiantes, cantanteſque, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Eo autem ſplendore eius oculos perſtringente, excæcatus eſt, didicitque ſecreta cæleſtia non niſi puro mentis cerni poſſe intuitu. At beatus puer Vitus, pietatis ductus affectu, pro patre ſuo ita orabat. Deus cæli, & Domine Ieſu Chriſte, fili Dei viui, qui natus es ex Maria, perpetua virgine, operante ſpiritu ſancto, ne me ſepares à patre meo, ſed eum mecum aggregare digneris in aula ſancta tua. Veruntamen Domine non voluntas mea, ſed propoſitum fiat gratiæ tuæ. Pater autem eius præ nimio dolore clamitans: Heu, inquit, perdidi lumen oculorum, & ingenti dolore atque anguſtia torqueor. Plangebat pariter dominum ſuum ſeruorum & ancillarum plurima multitudo, quippe cruciatibus & vlulatibus miſerabiliter vexatum.

Hylas fit cæcus.

V. Ad eum autem clamorem adeò commota eſt ciuitas, vt etiam Valerianus Præſes ad voces commoti populi ad Hylæ domum properè accurreret: cumque eum vidiſſet inter manus ſeruulorum luminibus orbatum, & ingenti ſtridore clamantem, ſolicite perquiſiuit, quînam id illi accidiſſet. Reſpondit ei Hylas: In cubiculo manentem fi-lium meum curioſè contemplans, vidi deos, quorum oculi erant inſtar ſtellarum, & adſpectus ſimilis fulguri. Tantum autem ſplendorem ferre non valens, infelix nimis oculos amiſi. Valerianus ait: Potentes, vt aſſeris, dij fuêre. Duxit autem illum cum ſeruis eius ad templum Iouis, ante cuius aram votum nuncupauit Hylas, dicens: Iupiter inuictiſſime Deus, ſi mihi reddideris lumen oculorum, victimas innumeras offeram tibi: taurumque conflatilem cum cornibus aureis, & virgines ſacras, ô dea Veſta, tibi dicabo, cum veſtro ero ſolatio potitus. Sed cum nihil ſentiret remedij, immo verò etiam acrioribus dolorum ſtimulis vrgeretur, beatus puer Vitus genua flectens, Dominum ſic orabat: Qui Tobiam illuminâſti Domine, fac miſericordiam cum patre meo, ſi tibi conſenſerit. Denique ad aras dæmonum Hylas diutius inaniter clamans, tandem domum reducitur, vbi beatus Vitus ſacrificium laudis Domino ſedulus immolabat: prociditque ad genua beati pueri, & ait: Fili, ſaluum me fac. S. Vitus dixit: Viſne ſanus fieri pater? Reſpondit Hylas: Volo fili, & ſummoperè deſidero. Porro ipſo etiam dolore voluntatem cogente, dixit ei beatus Vitus: Si vis ſanus fieri, renuncia Ioui, Herculi, Iunoni, Mineruæ, Veſtæ & Apollini. Hylas dixit: Et quî tandem illis renunciabo? B. Vitus ait: Non deos illos, ſed dæmones eſſe dicas, & ſtatuas, quas hactenus coluiſti, nihil habere virtutis confitearis. Si id ex corde feceris, mox oculi tui pateſcent. Hylas dixit: Renuncio illis. B. Vitus dixit: Ex his verbis tuis colligo induratum cor tuum: ſed propter eos, qui adſtant, vt credant & glorificent nomen Domini mei Ieſu Chriſti, licet non merearis, declarabo in te miſericordiam. Imponenſque manum ſuper oculos eius, orauit, dicens: Domine Ieſu Chriſte, qui cæco nato lumen, quod natura negauerat, tua potentia tribuiſti, quanquam fides eius non mereatur, tamen propter gloriam nominis tui, illumina oculos huius patris mei, vt videant & confundantur inimici tui, lętenturque omnes, qui nouerunt te Domine. Et ecce ceciderunt quaſi ſquamæ ab oculis Hylæ, & curatus eſt: reſpicienſque vidit clare omnia: & exclamans voce magna dixit: Gratias ago diis meis, qui me ſaluum fecerunt, non autem Deo tuo, cœpitque miſer totus in eam cogitationem incumbere, quibus pœnis filium ſuum interficeret.

Tob. 11. S Vitus orat pro patre, fruſtrà falſos deos inuocante.

Iohan 9.

Recipit lumen Hylas, & manet animo cæcus.

VI. Angelvs autem Domini apparuit pappati eius, religioſo viro Modeſto nomine, dixitque ei: Tolle puerum, & deſcende ad mare, vbi nauiculam inuenies, qua vnà cum illo transfretabis in regionem, quam tibi oſtendero. Beatus Modeſtus dixit: Domine, viam quam dicis, neſcio, & quo ibo? Angelus reſpondit: Ego vos ducam. Erat autem beatus Vitus annos natus circiter duodecim. Itaque Angelus Domini deducebat eos, & cum ad mare ventum eſſet, inuenerunt nauiculam à Chriſto Domino ipſis præparatam. Dixit verò Angelus ad beatum puerum. Ad quam regionem tenditis? S. Vitus dixit: Quo nos Dominus duxerit, prompti & hilares ſequemur. Dixit Angelus: Et vbi eſt naulum tuum? Reſpondit S. Vitus: Ille cuius nos ſerui ſumus, mercedem tibi dependet. Et ita aſcendentes in nauiculam, appulerunt, ad locum quendam, quem Allectorium vocant, ſubitoque diſparuit is, qui eos è naui depoſuit. Venerunt autem ad Silerum fluuium, & illic ſub arbore quieuerunt, vbi Dominus per beatum Vitum multas virtutes effecit. Cibus autem eis per aquilam adferebatur: cumque fama Domini virtutem diuulgante, multus ad eos populi concurſus fieret, clamabant dæmonia: Quid nobis & tibi Vite: Veniſti ante tẽpus perdere nos? Porrò beatus Vitus inſtanter docebat populum præcepta Domini, & multi conuerſi baptizabantur. At ſanctus puer Domino gratias agebat, & cum prædicaret populo Dei clementiam & præpotentem virtutem, cum multa animi deuotione cantabat: Credidi propter quod locutus ſum: ego autem humiliatus ſum nimis. itemque: Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus

Actas S Viti.

Sic per coruũ afferebatur cibus Eliæ.

Psalm. 115. Psalm. 41.

VII. Interea filius Diocletiani vexabatur à ſpiritu immundo, qui clamabat per os eius; Ego hinc non exibo, niſi veniat Vitus Lucanus. Imperatore autem dicente, Et vbi poſſumus hunc hominem inuenire? dæmon ait; Apud fluuium Silerum. Miſit ergo armatos milites Imperator, vt celeriter adducerent illum. Qui cum veniſſent ad locum, quem dæmone indicante didicerant, inuenerunt Chriſti athletam iuxta fluuium Dominum exorantem, dixeruntque ei: Tune es Vitus? Reſpondit ille: Ego ſum. Milites dixerunt: Imperatori es neceſſarius? S. Vitus ait: Et ego tantillus homuncio qua in re poſſum Imperatori eſſe neceſſarius? Milites reſponderunt: Filius eius à dæmone arreptus eſt, & ea cauſa te voluit ad illum perduci. Sanctus Vitus ait: Eamus in nomine Domini. Vbi Romam venerunt, iuſſus eſt ad Diocletianum introduci. Erat verò forma vultus eius cum primis elegans, inſtar ignis ſplendens, & oculi tanquam ſolis radii: quippe qui plenus eſſet Chriſti gratia. Dixit autem ei: Diocletianus: Tune es Vitus? Ille verò tacuit. Cœpit ergo Imperator ex Modeſto de quibuſdam, quæ ipſi viſa ſunt, percontari. Sed cum Modeſtus & ſenex & natura ſimplex, congruum Imperatori reſponſum reddere non poſſet, Diocletianus eum exprobrando voluit exagitare. Dixit itaque ſanctus Vitus ad Imperatorem: Cur ita ſciſcitaris ex ſene perinde atque ex iuuene? Vel propter canitiem te oportebat illi habere honorem. Imperator reſpondit: Vnde tanta tibi loquendi confidentia, vt neglecta pietatis noſtræ authoritate, tam furioſe auſis reſpondere? Sanctus Vitus dixit: Nos iracundi non ſumus, quia ſimplicitatis ſpiritum, Chriſto largiente, accepimus, columbæque manſuetudinem imitamur. Magiſter enim noſter, qui nos docuit, natura eſt bonus, poteſtate magnus, ſimplicitate modeſtus: Atque idcirco qui eius diſcipuli volunt fieri, mites & humiles corde debent eſſe, non iracundi & furioſi, vt tu nos vocas.

Proficiſcitur ad Diocletianum Imperatorem, accitus ab illo.

Sapientiſſime reſpondet Tyranno.

Svb his repente dæmon per os obſeſſi filij Imperatoris horrendum in modum exclamat: O Vite, cur ante VIII.

tempus

tempus ita crudeliter me torques? Cum autem sanctus Vitus nihil illi responderet, Diocletianus dixit: Potes sanare filium meum? S. Vitus respondit: Potest illi reddi sanitas, sed ego reddere eam non possum: Christus autem Dei filius, cuius ego seruus sum, si vult, ab hoc hoste pessimo per me illum facilimè liberare potest. Cumque deprecante Diocletiano accessisset Vitus ad obsessum, manum imposuit capiti eius, & ait: Spiritus immunde, in nomine Domini nostri Iesu Christi, exi ab hac creatura Dei, moxque recessit dæmon, sed non sine strage multorum infidelium. Videns igitur Imperator filium suum sanum, & multos infideles, qui S. Vito illuserant à dæmone præfocatos, captus elegantia pueri, blandè & comiter hortabatur eum, dicens: Consenti mihi, Vite charissime, & diis sacrifica, daboque tibi maximam partem regni mei, cumulaboque te magnis opibus auri & argenti, & preciosarum vestium omnigenæque supellectilis, erisque mihi non immerito & charissimus, & cumprimis familiaris. Respondit beatus puer: Regnum tuum & vestes atque diuitiæ tuæ mihi necessariæ non sunt. Habeo enim Dominum Deum meum, qui, si illi fideliter perseuerauero, induet me stola immortalitatis, quam tenebræ obscurare non possunt. Diocletianus ait: Non sic agas, Vite, sed consule vitæ tuæ, & sacrifica diis, ne diuersis pœnis affectus intereas. Sanctus Vitus respondit: Ego verò hæc tormenta quæ minaris, suprà quàm credi possit, expeto, vt ad illam possim palmam pertingere, quam Dominus dignatus est promittere electis suis.

Expellit dæmonem à filio Imperatoris.

Blanditur ei tyrannus.

IX. TVNC Diocletianus iussit beatum Vitum cum Modesto in teterrimum carcerem retrudi, & singulos onerari ferro octoginta pondo, carceremque suo obsignari annulo, ne quis vel aquam illis posset porrigere. Sed cum inclusi essent, subito in carcere lux multa resplenduit, ita vt etiam custodes territi mirarentur. At S. Vitus voce magna clamans, dixit: In auxilium meum tu intende Domine: accelera, & libera nos ab hac pœna, sicut liberasti tres pueros de camino ignis ardentis, & Susannam à falsorum testium iniquitate. Ad eam vocem repente terræmotus factus est in carcere, & lux incomparabilis radiauit, odorque inæstimabilis illic diffusus est: apparuitque ei Dominus noster Iesus Christus & ait: Vite, exurge, confortare & esto robustus, ecce ego tecum sum omnibus diebus, moxque visio abscessit. Ferrum verò, quo vincti erant & pressi, instar cineris dissipatum est, & audita est vna vox multorum angelorum, cum eis in carcere psallentium & dicentiũ: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ &c. Audientes autem hoc custodes carceris, præ nimio timore pene exanimes effecti, cucurrerunt ad palatium, voce magna clamantes: Succurre piissime Imperator: ciuitas omnis perit, cunctusque populus interit. Ea voce commotus Diocletianus, dixit custodibus: Quod tantum facinus est, vt sic temere & præter rationem clamitetis? Custodes responderunt: Vitum, quem iussisti religari in carcere, immensum lumen cinxit, & ineffabilis odor totum carcerem compleuit: estque vir quidam cum illis, cuius conspectum nullus mortalium ferre potest eosque alloquitur. Multitudo quoque candidatorum laudes iucundissimas depromit.

Mittitur cum Modesto in carcerem. *Dan. 3.* *Dan. 13.* *Luc. 1.*

X. TVNC Diocletianus furore percitus, iussit arenarium præparari, dicens: Bestiis ferocissimis tradam illos, vt videam, num Christus eorum possit eos liberare de manibus meis. Cumque Vitus & Modestus adducti fuissent in amphitheatrum: sanctus Vitus admonuit pappatem suum (*vt habet textus historiæ*) ne expauesceret, ita dicẽs: Fortis esto, pater: ne timeas gladium diaboli. Iam enim appropinquat corona nostra. Aderant autem ad hoc spectaculum supra quinque millia virorum: puerorum verò & fœminarum multitudo inæstimabilis. Dixit autem ad sanctum Vitum Diocletianus: Vbi iam te cernis Vite? At beatus Vitus, sublatis ad cælum oculis, nihil illi respondit: Rursus autem dicenti Imperatori, Vbi te nunc conspicis Vite? puer sanctus respondit: Video me in amphitheatro. Verumenimuerò fac ocius, quod facturus es. Diocletianus dixit: Consule vitæ tuæ Vite, & sacrifica magnis diis. S. Vitus ait: Nunquam tibi bene sit diabole, rapax lupe, deceptor animarum Demiror frontem tuam, quod cum tantas cernas virtutes, non erubescis isthuc mihi velle persuadere. Ego verò Christum habeo, cui hactenus votum pectoris mei sacrificaui: nunc quod supereſt, meipsum sacrifico. Tunc præ nimio furore seipsum non capiens Imperator, iussit ministris parare clibanum, & in eo inflammari plumbum, resinam & picem. Fecerunt ita ministri & deposuerunt in eo beatum Christi athletam Vitum: aitque Diocletianus: Videbimus iam, si Deus tuus possit te eripere ex manibus meis. Porro beatus Vitus, consignans se signo viuificæ Crucis, iactatus est in medium clibani instar maris feruescentis. Mox autem adfuit Angelus Domini, & omnem clibani feruorem extinxit, sanctusque Vitus stans in medio clibani, hymnum dicebat Domino: Qui liberâsti inquiens, filios Israel per Moysen ab Aegypti iugo durissimo & fornace ferrea, fac nobiscum misericordiam propter gloriam sancti nominis tui, vocansque Diocletianum Imperatorem, dixit ei: Gratias tibi ago Diocletiane, & ministris tuis, quod tam commodum mihi lauacrum apparâstis. Tunc populus vniuersus voce sublata exclamauit. Tanta mirabilia nunquam vidimus. Reuera verus & magnus est Deus pueri huius. Exiliens autem beatus Vitus è clibano, nullam in corpore maculam habuit, immò verò caro eius niueo candore nitebat. Itaque psallens dicebat: Probâsti me Domine quasi aurum, igne me examinâsti, & non est inuenta in me iniquitas. Porrò Imperatorem obiurgans, Erubesce inquit, diabole cum patre tuo satana, dum adspicis, quantam virtutem declarat Dominus meus in me seruum suum.

Sanctus puer senẽ Modestum confirmat.

In clibanũ ardentem conijcitur S. Vitus.

Illæsus exit è clibano. *Psal. 16.*

XI. IMPERATOR igitur magis ac magis ira inflãmatus, iubet adduci leonẽ, cuius etiã rugitus hominib⁹ prope esset intolerabilis. Adducto illo, ait ad S. Vitum: Num etiam hîc præualebunt magicæ artes tuæ? Sanctus Vitus respondit: Insipiens, stulte, insulse, & sine sensu, cur tandem non aduertis adesse mihi Dominum meum Iesum Christum, cuius iussu me Angelus eius de pœnis omnibus & de tuis manibus potentissime liberabit? Cumque dimissus esset leo, S. Vitus signum sanctæ Crucis edidit in illum, corruitque leo ad pedes eius, porrectaque lingua lingebat plantas eius. Dixit autem beatus puer ad Imperatorem: En impiissime, bruta animalia reddunt honorem Deo, & tu non agnoces creatorem tuum? in quem si vel nunc credere volueris, polliceor tibi saluum te fore. Imperator dixit: Credas tu illi & omne genus tuum. S. Vitus subridens, ait: Benè dixisti Imperator. Ego enim & omne genus meum, quod ex Deo natum est per fidem, qua & ego renatus sum, coronam sempiternam in cęlis adipisci desideramus. Illa hora mille ferè homines crediderunt in Christum. Ait ergo ad beatum Vitum Diocletianus: Multi dum hæc tua Vite gesta conspiciunt, creduntartibus tuis, quibus ferrum & ignem domas. Sanctus Vitus respondit: Ego non artibus vllis ferro & igni impero, sed creaturæ cum sint, creatori suo Domino meo Iesu Christo honorem exhibent. Quod te multo etiam magis pudefacit, quando res insensibiles & feræ belluæ faciunt, quod tu, qui ratione præditus es, facere non vis, ipsis proinde brutis deterior. Tum Diocletianus iussit beatum Vitum cum sancto Modesto pappate eius & Crescentia, quæ prædicatione Viti in Christum crediderat, in catasta extendi. Dixit autem illi beatus puer: Ridiculam & imbecillem declaras virtutem tuam, quãdo fœminam torqueri iubes. Torquebantur verò sancti martyres in catasta valde atrociter, ita vt dissipatis ossibus, viscera apparerent. Clamauit igitur sanctus Vitus ad Dominum: Deus in nomine tuo saluos nos fac, & in virtute tua libera nos. Statimque ingens extitit terræmotus & coruscationes terribiles, corrueruntque templa idolorum, & multi è populo extincti sunt. Ipse quoque Impetator territus, propere aufugit, percutiens manu frontem suam, & cumingenti clamore dicens: Væ mihi, qui à tantillo puero turpiter superatus sum.

Signo Crucis edito Leonem domat.

Torquẽtur sancti martyres atrocissimè.

XII. DESCENDIT autem Angelus Domini, & à catasta eos absoluens, repente transtulit ad Silerum flumen: vbi sanctus Vitus cũ aliis sub arbore quiescens, has ad Dominum preces fudit: Domine Iesu Christe, fili Dei viui, perfice

desiderium cordis eorum, qui in tuo sancto nomine voluerint gloriari de passione martyrij mei. Custodi illos Domine ab omnibus periculis huius sæculi, & perduc eos ad gratiam & gloriam magnificentiæ tuæ. Et cum complêsset orationem, facta est de cælo vox, ad eum dicens: Vite, exaudit æ sunt preces tuæ. Tum sanctus Vitus dixit circunstantibus: Sepelite corpora nostra, & quidquid petieritis Dominum in vera salute vestra, percipietis per orationes nostras, & liberabit vos à nequitia diaboli. His dictis, beatæ sanctorum animæ cum gaudio cælum petierunt. Vicini verò corpora eorum cum aromatibus condientes, sepelierunt ea honorifice in loco, qui dicitur Marianus. Passus est sanctus Vitus cum SS. Modesto & Crescentia 17. Calend. Iulias regnante Domino nostro Iesu Christo: Cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

DE S. VITI TRANSLATIONE NARRATIO BREVIS EXCERPTA à QVODAM EX LIBELLO, QVEM SCRIPSIT IS, QVI PARTIM præsens interfuit sub Ludouico Pio Imperatore, cuius nomen insignis MS. Codex non habet. Stylum aliquot locis modicè emendauimus.

De hac Corbeia vide lector Ianuarij in vita S. Adalardi.

QVEMADMODVM verò & quo tempore pretiosissimi martyris Viti corpus in Saxoniam translatum sit, & in monasterio, quod Corbeia noua dicitur, collocatum, is qui de translatione eius inscribitur libellus, indicat: cuius Author quædam se præsente, cæterum omnia suis temporibus contigisse testatur. Anno Dominicæ incarnationis octingentesimo tricesimosexto, indictione 14. sacratissimi verò Imperatoris Ludouici anno Imperij vicesimotertio Vuarinus Abbas monasterij noui Corbeiensis, petiit à viro religioso Hildeuuino Abbate monasterii S. Dionysij Parisiensis (*Author habet, Quod est in pago Parisiaco*) vt de sanctorum martyrum corporibus, quæ apud ipsum illo loco asseruabantur, quippiam sibi impartiretur ad confirmandam fidem gentis suæ (*puta Saxonicæ*) quam nuper industria glorioſissimi Imperatoris Caroli sub iugum Christi redegisset. Quibus Vuarini precibus libenter annuit Hildeuuinus, permittente etiam piissimo Imperatore Ludouico, consentiente Parisiensi Episcopo & cæteris nobilibus viris, in ea diœcesi commorantibus: eique beati pueri & martyris Christi Viti Lucani corpus in ecclesia S. Dionysij coram innumera tam monachorum quam Canonicorum, diuersæque conditionis & ætatis virorum ac mulierum frequentia, post peracta die Dominico Missarum solennia decimoquarto Calendas Aprilis summo cum honore tradidit. I.

§ Vitus vt Roma fuerit translatus in Gallias.

A temporibus enim Pipini regis Francorum vsque ad illam diem, pretiosissimum martyris Viti corpus eo in loco multis semper insigne miraculis permanserat, postquam Folradus Abbas S. Dionysij consensu regis profectus Romam, ex eo loco, vbi conditum fuerat, in Franciam transtulit. Illud verò eo, quo dictum est, ordine acceptum, Vuarinus cum suis multa veneratione secum asportans, non paucis eum comitantibus, tandem Saxoniæ finibus inuexit, atque Idibus Iunij in Corbeam nouam perueniens, spem salutemque patriæ, totiusque Saxoniæ specialem patronum cum inæstimabili populorum tripudio illic deposuit. Quantas verò & quot morborum curationes per eius itineris stationes viginti clementia Saluatoris exhibuerit (quæ quidem quadragenarium numerum excedunt) qui vult potest in libello memorato legere, nobis verò iam non vacat commemorare: præsertim cum præsentia Christi miracula maiorem iis reliquiis venerationem conciliare queant, quam literæ. Ab eo verò tempore, vt in Gestis Saxonicis legitur, sub tanti defensione aduocati res Saxonum crescere cœperunt, donec dilatatæ iam ipsa sua magnitudine laborant. Vnde non solum in Saxoniæ, sed in cunctis penè Europæ finibus, eius nomini permultis constructis, & consecratis templis, illius fidele patrocinium imploratur ab omnibus, quantique apud Deum sit, miraculis declaratur. II.

§ Vitus totius Saxoniæ patronus.

QVI nos sui nominis indignos præcones vtinam non despiciat, verum suæ venerationis seruitiis inhærentes, placido à supernis vultu respiciat, par pari quodam modo referat, fautoribus suis fautor faueat, si tamen fas est magnis componere parua, cælestibus terrena, manentibus transeuntia. Super flumina Babylonis diutinam captiuitatẽ deflentium, si tamen nequaquam oblitorum delectetur cantionibus Sion, iam incola perpetuum Alleluia decantans in atriis domus Domini: sciatq; si vel ferrea nobis vox sit, quæ centuplices edat sonos, vel si membra omnia vertantur in linguas, haudquaquam tamen posse exprimere satis laudis studium, quo eius cupimus amantissimum venerari patrocinium. Quanquam vt vel parum aliquid dicamus, ipse nos amor & contemplatio impellit, quod quidem sacrificium laudis, si mundo corde offeratur, Domino Deo gratum esse, mens fidelis ambigere non debet. Itaque nullus pene à mundi exordio fuit sanctus, cuius spiritus aliquo modo non repleuerit sanctum hunc martyrem Vitum: ita vt iure credatur cunctorum consors in regno, qui cunctis propemodum meritis indissimilis visus est. Quod quidem nemo temeritate, & præsumptione dictum existimet, sed reuerenter: non audacter, sed pie: Quicquid enim vel dicere vel cogitare potest homo, minus est gratia præpotentis Dei, illi cooperantis. Nam nec Abelis ei deest martyrium, nec paternum, vt in Isaac, holocaustum, etsi non eadem deuotione, tamen consummatius immolatum. Est hic alter Samuel, diuino alloquio adhuc puer dignus inuentus. Est puer Dauid elegans, qui patri fratribusq; despectus, in Deo autem ipsum ex millibus eligente confidens, non de Gethæo, sed tartareo Goliath offensionis lapide triumphauit. Hic Daniel supra ætatem abstinentiæ deditus, seniores sapientia anteiuit. Hic Ieremias adolescentulus, ad genitorem incredulum paternamq; domum & familiam plus satis exasperantem mandata Dei imperterritus locutus est. Hic egregie fortis Iudas Machabæus, Angelicis inter prælia cinctus est præsidiis. III.

Loca ob. scura.

S. Viti præclara encomia.

Offensionis lapidem dicit Christũ, cuius ope fretus Vitus dæmonem profligauit

O clarissimum Christi puerum, ante sæcula cum electis omnibus prædestinatum, generali cunctorum sanctitate fulgentem, specialiter, vt diximus, pene singulorum virtute, specialissime vero Martyrii constantia coruscantẽ: qui rabidorum insaniam hostium interritus adiit, modestus sustinuit, securus irrisit. O glorioſsum, ô sanctissimum Dei martyrem Vitum, fornacis igne probatum, victorem tormentorum, inter flagella, bestias & cataſtam semper intrepidum, & semper inuictum, præpotentem precibus, Christi semper amore incredibili feruentem, Dei compellatione vocatum ad cælos, & cum triumpho Angelis comitantibus eo proficiscentem. Te nunc communiter laudamus, benedicimus & glorificamus Christe Deus, qui nos in odore vnguentorum tuorum corde saucio currentes, tam bellicoso voluisti duce corrigi, tam præpotente patrono fulciri, qui non solum contra potestates aereas victoriæ, semper vexilla præferat, verum omnes terrenæ altitudinis fasces nobis infestos, vt luce clarius constat, semper pudefaciat, quosdam quidem ad pœnitentiam, alios vero ad pœnam. Et quia in sanctis tuis perinde vt in teipso mirabilis appares bone Iesu, etiam in illis glorificeris oportet, qui nunc per puerulum manum suam intra foramen aspidis vel reguli mittentem sic per omnia triumphasti, sicut quando cum eodem per temetipsum ex matre tricenarius, cum patre vero consempiternus, in deserto conflixisti. Atque in te potissimum claudatur oratio, clauis Dauid, qui aperis, & nemo claudit: claudis, & nemo aperit: in te confidentium à sæculo virtus, in te sperantium salus, pro te certantium fortitudo, afflictorum consolatio, laborantium & oneratorum refectio, perseuerantium beatitudo, desperatorum spes, morte affectorum requies, Sanctus sanctorum, benedictus in sæcula sæculorum, Amen. IV.

Can 1.

Psal. 67.

Esa 11.

Matt 4.

Apoc 3.

VITA

VITA B. LANDELINI ABBATIS CRISPINIENSIS

NON QVIDEM CERTO AVTHORE, SED FIDE DIGNO, VT QVI EA SE scripsisse testetur, quæ veridicorum hominum narratione compererit. Stylum autem, vbi visum est, correxit Fr. Laurentius Surius.

Præfatio.

BENIGNITAS Saluatoris nostri semper adest parata ad promouendam salutem eorum, quos prædestinauit ad capessenda præmia futuræ vitæ, & sicut ipse dicit in Euangelio, quosdam prima, alios tertia, alios sexta & nona, plerosque etiam vndecima hora vocat ad colendam vineam suam: id est, alios in pueritia, alios in adolescentia & in iuentute, nonnullos etiam in senectute perducit ad spiritalis sationis laborem. Nec difficile est illi inueteratos scelerum mores corrigere, qui etiam Leuiathan illius ore absorptos, armilla suæ misericordiæ reuocare nouit ad vitam & ad concipiendam erga ipsius bonitatem fiduciam, eos ipsos, quos ab eius ore extraxit sublimiter in cælis coronauit. Ex iis fuêre prophetæ, & vel maxime ille iudex Apostolorum chorus, item triumphalis martyrum exercitus, confessorum insignis numerus & monachorum admirabilis decor. Constat vero ad horum collegium pertinere etiam S. Landelinum, de cuius vita ego ingenij inops non sine multo timore aliqua dicere tentabo. Potest autem Deus os meum aperire ad promendas serui sui res præclare gestas, qui os asinæ quondam docuit disertis verbis increpare prophetam. Dicam verò illa, quæ hominum veridicorum narratione comperi. IVNII 15. Iob. 40. Num. 22.

I. ITAQVE gloriosus & Deo cumprimis charus Landelinus, ex nobilissimo Francorum genere in villa, quam Vallem vocant, ciuitate Cameracensi, temporibus Dagoberti inclyti regis ortus est. Cumque bonæ indolis puer adolesceret, parentes eius beato Autberto antistiti, qui eum de sacro fonte susceperat, literis imbuendum illum commendarunt. Postquam vero ætate nonnihil progressus est. idem Episcopus voluit eum Clerici tonsuram accipere. Sed vbi id quibusdam cognatis eius innotuit, ab amore rerum cælestium conati sunt eum suis persuasionibus reuocare, dicebant enim: Eh quantus iuuentutis decor eo inuitatur, vt mundo nuncium remittat. Sed noli frater assentiri, si enim feceris, nec tibi nec parentibus vlli vsui eris. Præstat igitur, vt nobis obtemperans, relinquas monasterium, & fruaris mundi huius oblectamẽtis potius, quam hic instar mortui cuiusdam ociosus desideas. Si nobiscum abire volueris, suppeditabimus omnia, quæ libita erunt animo tuo, efficiemusque vt diuitiis & honoribus abundes. His & id genus aliis blandis sermonibus persuaserunt ei quod volebant, ita vt à sancto Autberto aufugiens, illisque se iungens deinceps rapinis & cædibus deditus esset, instar prædonum. Ea causa pius pater Autbertus multo mœrore affectus, haud secus atque mortuum eum lugebat: & erat reuera mortuus, qui iam diabolo seruiret. Orabat nihilo minus sanctus pontifex Deum continenter pro illo, vt libertatem restitueret captiuo & vitam mortuo, faceretque medicinam satanico vulnere sauciato. Quid plura? Malesana mens, quod improbe cœperat, prosequi constituit, nomenque suum mutans, Mauro sum se deinceps vult appellari, scilicet ne nomen quandoque proderet eum, qui se in perditionis latebras abdiderat.

Autbertus Cameracẽsis Episcopus.

Inimici hominis, domestici eius

Landelinus seductus vitam flagitiosè.

II. INTEREA dies multos in tam nefario opere perdurans, seruiebat diabolo, à Christo profugus: sed tandem diuina potentia non deseruit preces sancti pontificis, & pro solita clementia filium errabundum restituit sanctæ matri Ecclesiæ. Voleba is cum suis sociis diuitis cuiusdam domum deripere. Ea autem nocte, quæ huic flagitio destinata erat, quidam ex complicibus eius excessit è vita. Cuius morte ille vehementer afflictus, dedit membra sopori, viditque miseri illius animam in tartarum abduci. Cumque non sine ingenti tremore id aspiceret, adstitit Angelus Domini, & voce terribili dixit ei: Cerne iam Landeline præmia laboris tui: vide vt anima socij tui ad inferorum æterna supplicia pertrahatur: simulque considera, vtrum tibi præstabilius sit ita protrudi in barathrum æstuantis gehennæ, an nobiscum potius perfrui gaudiis sempiternis. Missa igitur facopera satanæ, & amplectere Christi militiam. Abiice obscurati pectoris cæcitatem, vt possis intueri clarissimam Christi lucem. Excute iamiam à ceruicibus tuis iugum diabolicæ seruitutis, vt post breuis huius vitæ curricula possis æternùm regnare cum Christo. Audi beatum Autbertum antistitem, & agnosce spiritualem patrem tuum. Suscipe libens ab ore eius monita cælestis doctrinæ. Hæc & alia multa cum Angelus ei dixisset, cælos petiit. Landelinus autem eo visu non mediocriter terrefactus, relictis sociis & rebus suis omnibus, pedes Cameracum festinat, & S. Autberti pedibus se aduoluens, orat pro admissis criminibus pœnitentiæ mulctam sibi irrogari. Ille verò pius pater, eius gratulans conuersione & desiderio, suscepit pœnitentem, quem diù fleuerat à se profugum, sinumque ei diuinæ misericordiæ aperiens, reddidit eum sanctæ matri Ecclesiæ.

Per visum ab Angelo acriter admonetur, vt se corrigat.

Redit ad sanitatem, & agit pœnitentiam.

III. ITAQVE sub sæculari habitu degens in monasterio, agabat pœnitentiam, macerans corpus ieiuniis, quod mundi illecebris contaminauerat. Atque tandem diuturna excoctus pœnitentia, statuit mundi à se negocia omnino reiicere, vt posset liberius cælestia cogitare. Rogat igitur beatum Autbertum, vt se tondeat, & militiæ cælestis clamydem induat. Lætatur sanctissimus præsul, comam capitis eius secat, à quo iampridem cordis maculas deterserat. Ille verò hanc dignitatem adeptus, constituit Romam proficisci, vt post mundi reiectam pompam, etiam peregrinationis labore se macerare. Accepta ergo beatissimi antistitis benedictione, difficile emensus iter, tandem Romam peruenit, vbi nouerat quiescere iudices mundi, atque illic prædulcia sanctorum Apostolorum liminibus oscula affigens, rogabat ad purum condonari sibi peccata & facinora sua. Deinde cum desiderio suo feciisset satis, celeriter in Gallias rediit, nolens diù abesse à patrono suo. Cernens autem beatus Autbertus virtute & sanctitate præditum Diaconum eum ordinauit: in quo ministerio ita præclare se gessit, vt nulli esset ambiguum. Dei gratia eum ad id muneris esse accitum. Erat enim animo benignus, simplex humilis, deuotus, pius omnibus promptam exhibens obedientiam, omnes syncero amore complectens. Præstitit verò illi Deus tantum ardorem & compunctionem cordis, vt bonorum cœnobitarum vita minime contentus, magis ac magis se extenderet in diuinum famulatum, & cum genitibus & lachrymis crebro se vigiliis, ieiuniis, orationibus affligens, vitam sanctorum æmularetur, nec vllam suo corpori requiem indulgeret, inedia, nuditate, frigore, siti, multisque rebus duris & molestis se afficiens.

Tondetur caput eius.

Romæ visitat limina Apostolorũ

Vitæ eius asperitas.

IV. NON multi interea dies intercesserant, cum ille secundo Romã petiit, expletisque pro voto, quæ illic facere constituerat, redit ad beatũ Autbertum, & ab eo presbyterij honore afficitur. Tum verò, ad eum euectus honoris gradum, quantũ sanctitate excreuerit, verbis explicari non potest. Volens autem sibiipsi cumulare labores, licet iam defesso esset corpore, tertio se Romano dat itineri cum discipulis duobus, Adelino & Domitiano, qui ei iamdudum in verbi Dei prædicatione adhæserant: adoratisque Apostolorum liminibus, feliciter redit ad sua: petitaque & impetrata copia & benedictione à beato Autberto, ad pagum Haynauum, locum adit, fluuio Sambræ adiacentem, qui à riuulo in hunc ipsum fluuium decurrente, Laubacus vocatur, atque illic sibi & discipulis monastica domicilia construxit. Quod verò ille tunc, Deo auxiliante, feliciter orsus est, à successoribus eius, quos ille eo in loco congre-

Fit presbyter.

Construit monasteria

congregauerat, præclare est consummatum. Aliud quoque monasterium ædificauit in pago, quem Alnam dicunt, qui à Laubaco tribus abest milliaribus, quod monasterium principis Apostolorum sacra ornant pignora, & præclaræ eius virtutes commuhiunt. Tertium quoque condidit monasterium in Templutensi pago, quem Guaslarim vocant, quique octo distat milliaribus à Laubaco; primo suo monasterio, idque, sicut & superiora, in S. Petri cęlestis clauigeri honorem consecrandum curauit. Et hæc quidem duo postrema monasteria egregiè ditauit: Laubias verò regiis auxit muneribus, & villarum atque seruorum magna copia extulit. Quidquid enim superiorum regum liberalitate & munificentia passim per Francorum regna obtinuerat, Laubiensi cœnobio contulit, vt veneranda fratrum illic Deo seruientium congregatio non egeret iis rebus, quæ monachis congruere feruntur. Constructum autem idem monasterium ab ipsis fundamentis sub iuniore Clodoueo, tanto florebat augustius, quanto erat regiis opibus & munificentia copiosius locupletatum.

Lobiense monasteriū

HIS ita gestis, locisque supradictis honorificè exructis, fratribusque illic Christo militantibus, rebus ad victū V.
necessariis affatim instructis, Dei omnipotētis, vt credimꝰ, instinctu & prouidētia ad aliū cōmigrauit locū, q̄ est iuxta
* Amblia- Hon fluuiū, cui adiacet sylua, * Ambdgis dicta: ibiq; cū supra memoratis duobus discipulis extirpare cœpit virgul-
gis ta, & parare locum construendo monasterio. Cum essent autem in hoc opus intenti, posuissentque cucullos suos ad truncum arboris, dominus illius loci superuenit. Qui vt vidit eos extirpare sylua suam, cucullos eorum tulit, & abscessit. Sed inuocata à seruis Christi clementia præpotentis Dei, mox adfuit, hominemque illum in membris omnibus cruciauit, ita vt mortuo similis videretur, discereturque ex pœnis suis, non recte se gessisse erga famulos Dei. Prouolutus ergo pedibus eorum, rogat sibi veniam dari, cucullosque suos vt recipiant, magnis vocibus postulat, simulque mediam sylua partem se per manus sancti viri Deo oblaturum pollicetur, si pius Dominus culpam temere admissam, ipsi condonaret. Orante autem B. Landelino, miro modo repente curatus est, & beati viri prędicatione institutus, cum pace ad sua reuersus est. Vir autem Domini gratias agens, quod vbique diuina ipsi adesset misericordia, oratorium illic construxit in honorem sacratissimæ Virginis Mariæ, vbi cum duobus disciplinis suis hymnis & orationibus vacans, diuinæ pietatis viscera quotidie implorabat.

Sanat hominem diuinitus punitum.

QVODAM autem die omnia circuncirca perlustrans, comperit ibi fontem non haberi, vnde fratres suis vsi- VI.
bus aquam necessariam haurirent. Fusis igitur ad Deum precibus, scipione suo semel percussit terram, statimq; fons mirè altus & dulcis erupit vndis crispantibus largiter manans. Quæ res nomen loco dedit, viro sancto illum Crispinium appellante. Iam verò à beato Martino Romano Pontifice ordinatus, diuinæ prædicationis vomere Crispiniū excolebat. Itaque nonnulli, eius audita sanctitate, è diuersis partibus ad eum confluxêre, adunatâque est hominum non parua multitudo in eodem loco. At vir Deo plenus multitudini admisceri nolens, solitudinemque omnibus mundi rebus anteponens, ne multorum ad ipsum accessus, mentis eius aciem hebetaret, & à statu rectitudinis detorqueret, haud ita procul ab eo loco recedens solitarium sibi delegit habitaculum. In illo itaque loco, vbi fons Crispinij in flumen influit, in honorem S. Petri Apostolorum principis condens ecclesiam, inter ipsos, vt ita dicam, supernos Angelorum choros, etsi necdum corpore, mentis tamen contemplatione versabatur, ita vt posset ipse quoque dicere cum Apostolo: Nostra autem conuersatio in cælis est.

Fontē precibus impetrat.
Crispiniū

Degit solitarius.

Philip. 3.

VISVM autem est operæprecium beato viro, & discipulos suos Adelinum & Domitianum à se ad separata à se VII.
inuicem loca ablegaret, vt ipsi quoque ministerio verbi Dei Domino animas lucrifacerent, & ad se inuitarent quotidiè: porro ipse diuinæ philosophiæ auidissimus, cælestium contemplationi liberius vacaret. Itaque S. Adelinum à suo monasterio ad vnum milliare prope fluuium Hon, Domitianum verò ad duo plus minus milliaria iuxta fluuiū Hagnaum manere voluit. His ita peractis, sancta & immaculata Christo hostia, multiplici cōtusione & ignis examinatione instar holocausti præparatus, Deo dignus sacerdos Landelinus, ipsi iā cælesti aræ propinquabat. Cum enim omnipotens Deus pro laboribus, quos pro nomine eius quotidie perferebat, iam remunerari illum vellet, membra senilia, diuturno labore confecta, lenis quædam febricula corripuit. Tum ille accersitis vndique fratribus, indicat se è corporis ergastulo abiturum. Mox fratres omnes lugubri voce dicunt: Quod domine pater erit nobis deinceps auxilium, si tu pastor oues Christo acquisitas, lupi tartarei dentibus lacerandas relinquis? His auditis, vir Dei lachrymabundus dicit: Ne, quæso vos charissimi fratres, decessus meus mœrore afficiat. Plane non deerit vobis pastor æternus, Dominus omnium Iesus Christus, si eius amori inhærere studueritis. Seruite ergo ei in timore, & exultate ei cum tremore. Nulla vobis nocere poterit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. His atque eius generis aliis sermonibus adhortatus fratres, in cinere & cilicio iacens, adstantibus, quos vndequaquē ad Christum adduxerat, charissimis filiis, animam bonorum operum floribus redimitam Christo reddidit, beatis angelorum spiritibus sociandam. Discipuli autem venerabile corpus eius honorifice in eodem monasterio condiderunt, vbi eius meritis & intercessione multa ac stupenda fiunt miracula: Præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & potestas in sæcula sęculorum, Amen.

Psal. 2.

In cinere & cilicio reddit animā.

AN. 460. VITA SANCTI ABRAHAE ABBATIS, AVTHORE S. GREGORIO TVRONENSI EPISCOPO, LIB. PATRVM, CAP. 3.

IVNII 15. Matt. 17.

NVLLI catholicorum esse occultum reor, quod Dominus ait in Euangelio: Amen dico vobis, si habueritis fidem integram, & non hæsitaueritis, si dixeritis huic monti, Transfer te: transferet se: & omnia quæcunq; petieritis in nomine meo, credite quia accipietis, & veniēt vobis. Ergo non est dubium, quin sancti obtinere possint à Domino, quod petierint: quia in eis fides, fundamine posito, nullis hæsitationum fluctibus vacillat. Pro qua fide non solum intra patriæ terminum propriæ, dum cælestem vitam agere cupiunt, exules facti sunt: sed etiam transmarina ac peregrina petiērunt loca, vt ei, cui se deuouerant, plus placerent: sicut nunc beatus Abraham Abbas, qui post multas tentationes sæculi, fines est territorij ingressus Aruerni: qui non immerito Abrahæ illi comparatur seni pro magnitudine fidei, cui quondam dixerat Deus: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & vade in terram, quam monstrauero tibi: Reliquit a. hic non solum terram propriam, sed etiam illam veteris hominis actionem, & induit nouum hominem, qui secundum Deum formatus est in iustitia, sanctitate & veritate. Ideoque cum se perfectum in Dei opere cerneret, non fuit dubius in fide petere, quod per vitam sanctam confisus est obtinere. Per quem opifex cæli, maris ac terræ, parua quidem numero, sed admiranda miracula operari dignatus est. I.

Gen 12.
Ephes 4.

IGITVR Abraham iste super Euphratis fluuij litus exortus est: vbi in Dei opere proficiens, ad visitandos eremitas adire Aegypti solitudines concupiuit. Eo a. dū tenderet, à paganis comprehensus, & multis pro Christi nomine affectus verberibus, in vincula coniicitur: in quibus per quinq; annos exultans, tandem Angelo soluente laxatur. Occidentalem quoque plagam visitare cupiens, Aruernos aduenit, ibique ad basilicam sancti *Cirici monasterium collocauit. Erat autem miræ virtutis, fugator dæmonum, illuminator que cæcorum, aliorum quoque morborum potentissimus curator. Igitur cum festiuitas supradictæ basilicæ aduenisset, Præpositum vocat, vt vasa vino plena ad refi- II.

Abrahæ patria.
Gentiles eū verberant.

* Cyrici

ad reficiendum populum, qui ſolennitati aderat, in atrio ex more componeret. Cauſatur monachus, dicens: Ecce Epiſcopũ cum duce & ciuibus inuitâſti, & vix nobis ſuperſunt quatuor vini amphoræ. Vnde omnia iſta complebis? At ille: Aperite inquit, mihi penum. Quo aperto, ingreſſus eſt, & fundens orationem, quaſi nouus Elias, eleuatis ad cælum manibus, ac infuſis fletu luminibus, ait: Ne deficiat, quæſo Domine, de hoc vaſculo vinum, donec cunctis miniſtretur in abundantia. Et irruente in ſe Spiritu ſancto, ait: Hæc dicit Dominus: Non deficiet vinum de vaſe, ſed omnibus petentibus affatim tribuetur, & abundabit. Quo dicto, vinum ad verbum & hilaritatem diſpenſationis illius cuncto populo in abundantia miniſtratum eſt, & ſuperfuit. Sed quia ſtrenuitas Prępoſiti prius menſurauerat vaſculum quinquagenarium, & repererat quatuor palmorum menſuram, cernens quæ acta fuerant, in craſtino iterum menſurans, tantum reperiit in vaſe, quantum in eo præcedente reliquerat die. Ex hoc ſancti virtus in populis declarata eſt. In ipſo verò monaſterio plenus dierum obiit, ibique cum honore ſepultus eſt. Erat autem eo tempore ſanctus Sidonius Epiſcopus, & Victorius dux, qui ſuper ſeptem ciuitates principatum, Eoricho Gotthorum Rege indulgente, ſuſceperat. Huius verò ſancti Epitaphium beatus Sidonius ſcripſit, in quo aliqua de his, quæ locutus ſum, eſt præfatus. Ad huius autẽ B. Abrahæ ſepulcrũ plerunq; frigoritici decubãtes medicinæ cæleſtis præſidio ſubleuãtur.

3. Reg. 17.

Vinũ precib9 obtinet.

Decedit è vita.

Epitaphium S. Abrahæ Abbatis à C. Sollio Sidonio conſcriptum, ex eiuſdem lib. 7. epiſtolarum, epiſtola 17.

ABrahã ſanctis merito ſociande patronis,
Quos tibi collegas dicere non trepidem?
Nam ſic præcedũt, vt mox tamẽ ipſe ſequarg:
Dat partem regni portio martyrij. (paſſus
Natus ad Euphratem, pro Chriſto ergaſtula
Et quinquennali vincula laxa fame,
Elapſus regi truculento *a* Suſidis oræ,
Occiduum properas ſolus aduſque ſolum.
Sed confeſſorem virtutum ſigna ſequuntur:
Spiritibuſque malis fers fugitiue fugam.
Quàq; venis, lemurũ ſe clamat cedere turba:
Dæmonas ire iubes exul in exilium.
Expeteris cunctis, nec te capit ambitus vllus,
Eſt tibi delatus plus oneroſus honor.
Romuleos refugis Byzantinoſque fragores,
Atque ſagittifero mœnia *b* fracta Tito
Murus Alexandri te non tenet, Antiochique:
Spernis Eliſſeæ *c* Byrſica tecta domus.
Rura paludicolæ temnis populoſa Rauennæ,
Et quæ *d* lanigero de ſue nomen habent.
Angulus iſte placet, paupertinuſque receſſus,
Et caſa cui culmõ culmina preſſa forent,
Ædificas hic ipſe Deo venerabile templum,
Ipſe Dei templum corpore fac tẽ prius.
Finiti curſus iſtic vitæque viæque.
Sudori ſupereſt dupla corona tuo.
Iam te circunſtant paradiſi millia ſacri,
Abraham iam te comperegrinus habet.
Iam patriã ingrederis, ſed de qua decidit Adam
Iam potes ad fontem fluminis ire tui.

a regem Perſarum intelligit.
b *Hieroſolymam.*
c *Carthaginem.*
d *Mediolanũ*

MARTYRIVM SANCTORVM, ET MAGNORVM MARTYRVM QVIRICI ET IVLITTAE, EX SIMEONE METAPHRASTE: NEC EST QVOD LECTOR SVSPICETVR HANC eam eſſe hiſtoriam, quam Gelaſius Pontifex inter apocryphas numerat.

AN. 300.

IVNII 16.

I. QVEMADMODVM non eſt neceſſe Domino ſalutẽ dare Iudæo aut Græco, ſeruo aut libero, (In his n. omnibus fides & mores animæ, non a genus proprietatem tribuit, vt ex ea re ſalutẽ quis vel interitum ferat) ſic neque maſculo aut fœminæ, neque ei, qui corporis ſtatura eſt perfectus, aut imperfectus, qui vocatus ſit ad perfectionem ſanctificationis. Rectum autem eſſe corde, & habere bonum animum, & ad imitationem Dei accommodatum, omnino neceſſe eſt eum, qui futurus eſt dignus vera ſalute. Non n. naturæ, aut generis, aut fortunę cõſequentia sãctis acquiritur sãctificatio, ſed cõciliatur Dei ſpiritûs operatione: neq; virtute corporis cõfirmatur, ſed in Dei virtute perficitur & ſtabilitur: nõ in quibuslibet, ſed in iis, q̃ sũt rectis morib9, & quos cõſtat eſſe bonos.

DIRIGAMVS ergo cor noſtrum ad eum, qui eſt rectus. Bonam reddamus mentem in eum, qui eſt bonus. Omnem obliquam & peruerſam cogitationem, omne vitium à noſtris animis auferamus & abiiciamus: vt ſanctus Dei ſpiritus, qui eſt bonus, rectus & principalis, in bono noſtro principali & recto, tanquã ſimile ſimili collocatus, & renouatus, eũ ſua ſanctitate & diuinitate repleat. Et licèt ſimus ſtatura corporis imbecilla, cor rectum & bonum adepti, nihilominus operabitur in nobis virtus ſpiritûs: vt nos quidem in ipſo beneficio afficiamur, dum perficimur & diuini reddimur: glorificetur autem & extollatur Chriſtus in nobis.

Sanctitas vnde naſcatur ac confirmetur.

II. SIC multi corpore infantes & imperfecti, maxima virtute reſtituerunt impiis, & cum eos mentis rectitudine euertiſſent per Chriſti potentiam, digni ſunt habiti, qui perfectiſſimo præconio renunciarentur victores. Sic etiam mulieres anima rectæ & honeſtæ, cum manus conſeruiſſent cũ ſæuis Tyrannis, & quorum tolerari non poterat potentia, aduerſus eos præclariſſimum in Chriſto erexêre trophæum. Sic Quiricus ſcitus Deo, ſacerque & pulcherrimus puer: ſic Iulitta quoque, quæ ipſum pulchrè concepit & peperit, & ablactauit, cum ſtatim domum quam pulcherrimum & gratiſſimũ Deo dedicaſſet, ille quidem in admodum humili & infantili corpore, hæc autem in fœmina & imbecilla natura, cum principe tenebrarum huius ſæculi, & cum eius validis congreſſi defenſoribus, per mentis rectitudinem & fidei ſuperarunt, & tandem euerterunt, & proſtrauerunt ſuum aduerſarium.

Pſal. 50.

III. SED quoniam Quirici & Iulittæ meminimus, pulchrum fuerit ab initio eorum repetita hiſtoria, diuinum amorem, & pro Chriſto martyrium & perfectionem illorum laudare pro viribus; & per ea gloriam, honorem & laudem ei ſacrificare, qui in horum vicit imbecillitate: & eorum, qui ſunt martyrum amatores, animos paſcere, & ad Chriſtum ædificare. Hi orti quidem eſſe dicuntur ex Lycaonia, ciuitate autem Iconio, genere verò non obſcuri, nec plebei, nec ignobiles: ſed nobiles & magni nominis: ſi quis velit vocare nobilitatem, ortum eſſe ex ſanguine regio, aut genus referre ad Reges: quæ quidem, qui parua intuentur, iudicant tanquam maxima: ſicut etiam terrenas facultates, felicitatem nominauerunt & diuitias: veriſſimam, quæ eſt ex virtute, nobilitatem, & veras diuitias, eas, quæ ſunt ex donis ſpiritûs, fortaſſe ignorantes, & rebus fluentibus tanquam ſtabilibus adhærentes.

Patria Quirici & Iulittæ, & gens.

IV. SED hi in terra quidem clari, vt dictum eſt, apud ſuperos a longè clariores, vt qui vitæ ſuum inſtitutum in cælis reponerent, vbi etiam eorũ nomina per magnam Dei præſcientiam omnia comprehendentem, & iuſtiſſimam dignorum prædeſtinationem, verè digito Dei prius ſcripta ſunt. Conſequenter autem terrenis facultatibus, atque adeò multo magis fide in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum & pietatis florebant commodis, quibus antecellebant. Oportebat enim fortaſſe eos, qui in Deo erant euaſuri poſtea clariſſimi, humanis quoque, & quę ad corpus pertinent, commoditatibus ſuperare vulgus ab initio, & ſpiritalem his, tanquam vmbris, prius deſcribere ſplendorem & claritatem.

S. Iulittæ vitæ integritas.

V. ATQVE Iulitta quidem beatiſ. & honeſtiſ. fœminarum, cum ei maritus matrimonio fuiſſet paruo tempore cõiunctus, oſtendit ſe firma ac ſtabili fide in Dñ. noſtrũ Ieſum Chriſtum, & in eũ dilectione. Totum n. animi amorem abducens à corporibus, & piè ac religioſè traducens ad ſpiritum, in vita, in quam non cadebat reprehenſio, puraque erat immaculata & moderata, Domino ſeruiebat. In vnigenito autem filio ſancto Quirico honeſtiſſima mulier ſpem collocans, cum eum quidem lacte ſecundum naturam ſuis aleret vberibus, ad ſacrum autem & diuinum baptiſmum produxiſſet, & eum patri luminum mirandum in modum conciliâſſet, & Chriſto per ſanctum ſpiritum conſecraſſet, ſic ipſa in intemerata, & quæ reprehendi non poterat, viduitate, pulcherrimè, vt leges iubent, filium alens, vitam tranſigebat, omnium quidem, & quæ ſtudio ſunt gentilibus, myſteriorum & morum actionem & participationem auerſans, tanquam rem execrandam: quæcunque ſunt autem apud Chriſtianos veneranda & Apoſtolica mandata & traditiones, vt æquum eſt, amplectens, & in ea re orationibus confirmata.

VI. POSTQVAM autem impium illud & dæmoniacum ab eo, qui tunc Tyrannidem exercebat, prodiit edictum, non oportere Chriſtum colere, aut mortis impendere ſupplicium (Præerat a. tunc Diocletianus imperio Romanorum)

rum (quo tempore qui decretum cum potestate ab eo acceperant, alij alibi per omnem regionem & ciuitatem excurrentes, & id in mediis foris proponentes, & eos qui Imperatorio non parebant edicto, suppliciis, quę dici nō possunt, subiicientes, ita acerbè præsenti vita priuabant: & quo Domitianus ille Comes Lycaoniæ propterea missus à Tyranno, vir crudelissimus & inhumanissimus, ipsum Iconium & omnem finitimam populans & obsidens regionem, omnes, qui ibi comprehendebantur, Christianos grauissimis afficiebat suppliciis: tunc hanc sacrā Dei fœminā, Matt. 10. simul quidem mandatum diuini Regis implentem, quod iubet non audacter insilire in tentationes, sed caute vitare: simul autem etiam humanam reuerentem infirmitatem, simul hunc quoque venerandum infantem, qui vbera adhuc fugebat, tenentem, & de eius salute, vt quæ filium valde amaret, admodum anxiam fugere oportuit.

IIX. Atque relinquis quidem, ô mulier sanctissima, Iconium, relinquis & omnes tuas possessiones & facultates:

S. Iulitta se confert Seleuciam. procul autem à tuis consanguineis & cognatis peregrè profecta, fugiens venis Seleuciam, omnibus opibus & carnis fomentis, omnique mundanæ felicitati & deliciis, propter Christum peregrinationem, mendicitatemque & afflictionem lubenter præferens. Sed neq; Seleuciæ diù erat habitatura. Nam cum Alexander, vir admodum improbus & malignus, sortitus esset administrationem illius prouinciæ, & recenter ad eam accessisset, omnes quidem viri, & omnes mulieres cum eorum liberis, quicunque assentiebantur Christi confessioni, post plurima genera suppliciorum, occidebantur immisericorditer.

IX. Hæc videns Iulitta, & illarum pestium verita crudelitatem, vlnis tollens dilectum filium, (Erat autem tunc

Inde abit Tarsum. triennis Quiricus) cum duabus ancillis fugiens Seleucia, Tarsum peruenit. Non licuit autem nec in ea quidem diù latere. Quomodo enim magnum vas aureum, aut etiam argenteum iacens in mediis silicibus, aut in aliqua alia vili materiā, non potest facile latere eos, qui adspiciunt cum visus dirigatur ad id, quod est splendidius: ita fidelissimi homines Iesu, versantes in medio impiorum, non possunt occultari, virtute & diuina viuendi ratione reddente eos euidentes & manifestos omnibus.

X. Est autem vtique Patris quoque voluntas, qui est in cælis, vt quomodo cognita vniuscuiusque mente, præ-

Rom. 8. destinauit profectionem: ita in tempore vocet scilicet, & iustificet, & glorificet. Quamobrem illi quidem id, quod est humanum, agentes aut patientes, studebant fugere persecutores. Quoniam verò non erat æquum, vt in terræ aggere foderentur cælestes margaritæ, neque vt similiter ac filij hominum subirent profundum obliuionis, propterea beatos illos fugitiuos sæuus ille Alexander pone sequitur. Tanquam enim diuino quodam iussu impulsus, relicta protinus Seleucia, venit Tarsum, quæ non longo ab ea distat interuallo.

XI. Ad eum autem ingredientem ciuitatem, statim defertur Iulitta, & eius filius Quiricus. Ille verò in delatos leo-

S. Iulitta cū filio sistitur Iudici. ninum quendam edens rugitum, & præsidens in alto tribunali, iubet eos quamprimum sisti. Ingreditur autem non sola: non enim occultauit vnigenitum, neque tradens ancillis curauit vt fugeret. Neque enim beata illa aut vitæ erat adeo cupida, aut filium suum tanto habebat odio, vt aut à ratione alienis mota misericordiæ motibus, non posset videre filium interfici pro veritate, aut ei absolutam inuideret consummationem, aut oblationem: sed vt quæ esset re vera filia Abrahæ, & illius imitaretur fidem & sacrificium, vnigenitum & dilectum contendebat sacrificare ei, qui ipsum dederat: aut quomodo Anna Samuelem ablactatum, cum diploide obtulit aræ: ita etiam veneranda mater venerandum filium propriis manibus tradidit ad holocaustum: & quod est maius iis, quæ dicta sunt, non filium solum,

Gen. 22. 1. Reg. 1. sed etiam se ipsam tradidit præclara mulier ad cædē, magna voce clamans se esse Christianam, & solum nosse Deum Christum Iesum, & eius patrem, à spiritu afflata, gloriosè confitebatur: deos autem & dæmones, vt qui neque essent,

Eximia virtus eius. neque vnquam fuissent, abdicabat, aspernans & nihili faciens. Et omnes quidem præsidis blanditias aut assentationes tanquam maligni escas repellebat & auersabatur: omnibus autem suppliciorum minis, & omnium tormentorum generibus se lætari affirmabat.

XII. Quamobrem crudelissimus ille Iudex, qui cum Deo bellum gerebat, iubet quidem infantem auferri ab e-

Cæditur boū neruis. ius vlnis, ipsam autem nudam flagellari boum neruis. Atque mater quidem, lictoribus in ea cædenda laborantibus, immaniter lacerabatur suppliciis: indignabatur verò, vt est consentaneum, & vociferabatur, & ęgrè ferebat filius. Quem quidem, vt qui esset elegans, & forma speciosus, venustate delectatus Tyrannus, vi quidem auellit ab vlnis maternis: eum autem suis accepit manibus, eum tentans imponere genibus, & sensim palmis eius caput demulcens, nec id solum, sed etiam impuris labris castissimum impurissimus exosculari aggrediens, verbis ad persuadendum accommodatis incantabat, vt putabat. Attende, dicens, fili mi suauissime, fili formosissime, attende mihi tuo patri. Audi, ô scite & chare fili, & intellige: hanc autem veneficam & impiam, vt quæ violenta sit morte peritura, & diis inimica, expellens, nobiscum suauissime viues & iucundissimè. Ego autem te adoptans in filium, omnibus bonis benignissimè prosequar, & omnium mearum possessionum te relinquam hæredem.

XIII. Quid verò Quiricus, qui corpore quidem erat imperfectus, perfectus autem spiritu: qui specie quidem erat infans, senex verò intelligentia? qui sermone quidem & lingua balbutiebat, mente autē & corde intelligebat? num cessit Tyranni violentiæ, aut puerili timore exhorruit, aut osculis & promissis est delinitus, aut victus à flagellis, quæ in matrem intentabantur, diriguit timore resolutus, aut fortiter quidem decertauit, sed non prudenter? aut imper-

Mira gratia in tantillo puero Quirico. fecte quidem, non autem vt martyrem decuit laudabiliter? Nequaquam. Immo verò profectione vtens fidei, perfectione prudentiæ. Erat enim spiritus Dei verè in eo perfectus: & ideo tota anima, totis viribus & omnibus membris corporis vnà cum matre decertans, bellum pro Christo gerebat, & simul sustinebat. Nam corde quidem credidit nihilo secius, quam infantes aut lactentes, qui Iesum prius susceperunt, quando sedens super pullum, Hierusalem est

Matt 21. ingressus, cum palmis & hymnis ab eis exceptus. Ore autem se esse Christianum præclarè est confessus, & diuinum Christi nomen verè Christianus clarissimus Quiricus, conuenienter suo nomini prædicabat: corde quidem ad iustitiam,

Rom. 10. confessione autem ad salutem vtens, vt diuinus ait Apostolus.

XIV. His velut ignitis telis diuisit ipsam mediam Tyranni animam. Verum nec ociosæ erant delicatæ manus noui

Infans tyrā num auersatur. athletæ, neque teneri pedes poterant cessare ab opere: sed & pedibus & manibus resistens, & renitens luctator admirabilis, & pro viribus repugnans, inimici auersabatur oscula: ad matrem autem toto animi studio contendebat & prosiliebat. Tanquam verò in retibus & crudiuoræ feræ manibus interceptus, aut potius vt canora auis laqueo implicatus, alas mouebat beatus puer, & omnibus modis machinans euadere è laqueis venatoris, manibus quidem e-

Lacerat vn guibus. ius vultum laniabat & lacerabat: pedibus autem execrando lateri insultans athleta breuissimus, sic amorem illum dæmoniacum statim conuertit ad iram cædem spirantem. Nam cùm delicatum eius pedem apprehendisset, vir ad

A tyranno interficitur cędem propensissimus, crudeli autem animo, & spirante parricidium, & quid aliud, nisi digno anima diaboli? eum sublime sustulisset, ex alto tribunali manu sua iaciens in subiectos gradus lapideos, vnà cum sacro capite totum quoque athletæ corpusculum aduersis petratum aculeis contriuit & confregit.

XV. Sic corporis confracta compage, victrix eius anima liberata est, tanquam passer à venatore: manibus autem sanctorum Angelorum statim ad magnum adducta Pontificem, tanquam sacrificium maxime odoriferum oblata est Domino. Sic paruus ille Quiricus cùm magnus euasisset decertatione, terram quidem sanctificauit per sanguinem, qui in ipsa est effusus: aerem verò per sanctum spiritum, qui ad ipsum peruasit: & cælum quidem impleuit exulta-

exultatione, quæ non potest verbis exprimi. Cum maioris autem & diuinioris Dei gloriæ fuisset occasio, omnibus Christi Ecclesiis fuit diei festi argumentum, & spiritalis laudationis gaudiique suppeditator vel conciliator. Sic insignis martyr mater Deo prius peregit sacrificiũ, & cũ tanquã turtur formosissima & castissima, quasi pulcherrimũ & speciosissimum pullum Christo ad sacrificium filium præmisisset, cum gaudio & voce exultationis orabat, vt ipsa quoque citius liberaretur à carne, & nuda à cœni vestibus, nuda & syncera mente, super cælesti sponso Christo & dilecto filio contendebat coniungi.

XVI. QVAMOBREM magnis quidem gratiarum actionibus & laudationibus magnificabat eum, qui eius susceperat oblationem, & vt ipsa quam celerrime solueretur à corpore, & ad desideratum Christum assumeretur, supplicabat: validis autem verborum insultibus Tyrannum sauciabat: Noli putare, dicens, me esse adeò timidi & pusilli animi, vt vincar à tuis suppliciis. Non enim me terrebit carnis laniatio, neque me membrorum conturbabit ruptura: sed neque qui deorsum fertur, torrens sanguinis, non neruorum sectiones, non ossium fractiones, non ignis minæ, nec mortis denique, quæ ea consequitur, me separabit à charitate Christi. Nullius tui (vt semel dicam) tormenti rationem duco, ô acerbe Tyranne. Sunt autem omnia mihi quam iucundissima, quæ vos ad me torquendum minitamini, & tanto magis, quanto videntur violentiora. His enim spero me citius esse peruenturam ad meum charissimum, & cum eo coronam iustitiæ à Christi dextera consecuturam. Fortissimus animus Iulittæ.

XVII. HIS verbis Iudex magis irritatus, & furore percitus, in ligno quidem iussit suspendi egregiam victricem, eius autem carnes valde laniari ac discerpi ferreis pectinibus: deinde picem ex lebete hauriri bullientem, & effundi in membra lacerata decertantis. Ea autem strenuè & fortiter resistente omnibus tormentis, & deos quidem ac dæmones auersante & aspernante, Christianam vero seipsam confitente, & solum Deum nôsse Christum, & eius patrem, & sanctum spiritum affirmante, condemnatur postremò, vt ense moriatur. Valde eius corpus laceratur. Gladio cæditur.

XIIX. HOC est certamen Quirici & Iulittæ. Hæc est verorum pietatis athletarum victoriæ publica declaratio. Sic salua fuit mater per sacram liberorum procreationem. Sic filius accepit vtilitatem ex materna educatione. Et talibus visceribus longe honestissima mulier suum infantem nutriit, & talibus alimentis remuneratus est parentum venerandus filius: adeò vt hic quidem fieret, & vocaretur Dei filius, illa autem filia cælestis Hierusalem: & ambo Dei filij, & insignes Christi martyres, & vasa sancta & electa, & preciosa diuini illius spiritus. Nuncque licet videre iis, quibus datum est contemplari, matrem propter filium in cælis exultantem conuenienter diuinis eloquiis, matrem longè beatissimam, valde beato mirandum in modum coniunctam, & simul exultantem: Cum prophetis quidem, vt qui sint similem assecuti gratiam spiritus & virtutis. Cum Apostolis autem, vt qui fuerunt socij parium pro pietate certaminum & laborum. Cum athletis verò & martyribus, vt qui æquè atque illi, aut etiam validius susceperint certamen confessionis, & cursum peregerint, & fidem seruauerint, & martyrij legis nihil omiserint. Quamobrem, quæ nunquam marcescent, iustitiæ coronis cum iis, qui sunt vniuersorum sanctorum perfectissimi, à dextera Christi sunt redimiti. Quorum intercessionibus nostrî quoque memento, ô Deus, qui in sanctis tuis glorificaris, & magnificas eos, qui te magnificant, & sanctificant sanctissimum nomen patris, & filij, & spiritûs sancti: Quem decet omnis gloria, honor & potentia in sæcula sæculorum, Amen. *1 Reg. 2.*

Translata fuisse horum Sanctorum martyrum corpora in Gallias per S. Amatorem Episcopum Antisiodorensem, prædecessorem S. Germani cum in Orientem peregrinatus esset, tradit ex Mombritio Baronius in Martyr. hoc die.

VITA LVTGARDIS SANCTISSIMÆ VIRGINIS, AVTHORE F. THOMA CANTIPRATENSI DOMINICANO STYLO SIMPLICIORE PASSIM NONNIHIL ELIMATO.

AN. 1200.

Prologus. DOMINÆ reuerendæ & in Christo plurimum diligendæ Hauuidi, diuina benignitate Abbatissæ Aquirianę, sanctoque eius Collegio, frater officio Supprior, fratrum Prædicatorum minimus, salutem dicit. IVNII 16.

VESTRA me duntaxat, immò erga monasteria omnia charitas, amorque erga personam, de qua dicturus sum, singularis, me incitauit, vt vitam piæ Lutgardis vtcunque describerem, in tres libros opus omne distinguens, conuenienter triplici illi statui secundum animam, quem dicere solemus incipientium, proficientium & perfectorum. Planè autem mihi persuadeo, multis retrò anis à nemine vitam alicuius conscriptam esse, quæ tot virtutum insignia complectatur, Oratos autem velim pios lectores, quibus Deus adspirauerit gratiam amoris sui, vt fidē adhibeant dictis meis. Quod si quædam minus literatè vel eruditè à me dicta erunt, ferāt quæso æquo animo, quādoquidem non nisi vera dicentur. Bonorum enim ingeniorum, vt ait beatus Augustinus, insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. Neque aurum minus preciosum est quod è terra tollatur: neque minus sapit vinum, quod è vili ligno nascatur. Cupio autem, vt non modo vestrum collegium, sed etiam omnes monasteriorum Brabantiæ virginei cœtus vitam piæ Lutgardis suscipiant, vt quam fama virtutum verissima apud omnes diuulgauit, ea breuis libelli insinuatione plenius omnibus innotescat. De Doctrina Christi li. 4. cap. 18.

LIB. I. I. LVTGARDIS pia virgo ex illa quondam Tungrorum celeberrima ciuitate, patre ciue, matre nobili, traxit originem. Pater autem tenerrimè illam diligens, & secundum sæculi fastum cupiens eam florere & prosperos habere successus, cuidam mercatori, dum adhuc iuuencula esset, viginti marcas argenti dedit, vt ex iis, donec ea adolesceret, multiplicatis copiis lucrisque paratis, dos nupturæ filiæ augeretur. Interim crescens puella, & quid eius causa fieret, animaduertens, quantum illa ætas patiebatur, ad nuptias inhiabat. Sed pius Dominus, futurorum præscius, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt: frustrato patris eius consilio, de Lutgarde sibi potius desponsanda, aliter disponebat. Ille enim qui Lutgardi destinatam pecuniam negociationibus augmentandam susceperat, crebro in Britanniam traiiciens, & per multos aduersos casus diffluens, ad vnam marcam redegit viginti, aliis planè dissipatis. Sed neque sic tamen aut patris propositum, aut effrontem filiæ impudentiam ea res retardâsset, nisi matris instantia mentem filiæ modo minis, modo blandimentis emolliisset, ita illi dicentis: Si Christo nubere volueris, monasteriū tibi, quodcunque voles, honestissimum conciliabo: Sin autem mortalem sponsum malueris, non nisi bubulcum habebis. His atque huiuscemodi verbis aliis & mariti votum, & filiæ voluntatem, ad salubrius propositum inclinauit. Etsi autem Lutgardis delectaretur ornatu vestium, at tamen fugiebat prorsus amatorias confabulationes & ineptias puellares: & licet necdū cognosceret Dñm, in corde tamen, cū sola esset, intus nescio quid diuinum sentiebat. Patria Lutgardis. *Rom. 4.*

II. VBI igitur annos duodecim excessit, in monasterio S. Catharinæ, quod est prope oppidum S. Trudonis in Hasbania, inter Deo sacratas virgines Ordinis S. Benedicti diuino seruitio mancipatur. Cumq, iuuenis quidam genere & opibus præstans illam procaret, animum illius interdum verbis nonnihil promouere cœpit: obseruansque tempus & locum, clàm nocte quadam domum, in qua virgo iacebat, adire tentauit: sed cum accessisset, repentino timore correptus aufugit. Institit verò miris modis diabolus, vt ad consensum animum puellæ inclinaret: sed non permittente Deo, eius conatus irriti fuêre. Sedente autem quandoque simplice puella, & cùm iuuene illo colloquente, apparuit ei Christus ea forma, qua olim inter homines versatus fuerat, pectorique vestem suam detrahens, qua tectus videbatur, vulnus lateris ei ostendit quasi recens cruentatum, dixitque ei: Blanditias inepti amoris post hac Traditur monasterio.

vide

Visione mirabili amor vanus ab ea prorsus excluditur.

vide ne requiras: hic iugiter contemplare, quid diligas, & quamobrem diligas, hîc ego totius puritatis delicias tibi polliceor obtinendas. Hac illa visione & oraculo pauefacta, statim oculis cordis inhæsit illi, quem viderat, & vt eum acciperet, meditabatur vt columba: moxque superno illustrata splendore, totius vanitatis à se sensit absterſam caliginem. Cumque eam vidisset die quodam matrona nobilis & deuota, spiritu prophetico dixit: Tu, vt video, bona es Agnes, & reuera altera Agnes eris. Subito verò adest iuuenis supradictus, & cœpit suos replicare sermones. Cui illa, vt quondam Agnes beatissima, hianti ore respondit: Discede à me pabulum mortis, nutrimentum facinoris: quia iam ab alio amatore præuenta sum.

Reſpuit militem ipſam procantem.

ALIVS quoque iuuenis, armis miles, eam iam Deo syncerius inhærentem, nihilo minus adamauit: & cũ multis annis renitentem animo procaret, illa primùm modestè, postea verò seueriter eum à se auertit. Cernens autem eum in stultitia pertinacem, etiam contumeliosis sermonibus eum à se repulit. Ille verò contemptum se dolens, cogitat quidnam faciendum sibi sit. Et ecce Lutgardis accita à sorore sua, iter arripit. Id vbi resciuit iuuenis, obuiam illi proficiscitur cum turba satellitum, rapere illam volens. Sed puella ab equo desiliens, ex illius manibus multa vi se extorsit, totaque nocte fugiens, per syluarum deuia, angelo ductore, ad domum nutricis suæ manè peruenit. Eam autem vt nutrix vidit, suspicata raptum, dixit ei: Num te hac nocte iuuenis ille vi oppressit? Respondit illa: Nequaquam. Cùm autem iuuenis ab equo descenderet eam rapturus, quidam eius satelles equum freno tenens, suam ei ad eam rem operam nauauit. Clamauit ergo virgo Lutgardis ad illum: Hac manu, qua nunc frenum tenes equi militis me infestantis, tale quippiam breui designabis, quod tibi ignominiæ perpetuam in hoc sæculo notam inuret. Et ecce vbi ille domum fuit reuersus, mox ea ipsa manu propriam suam vxorem interfecit. Ea causa expulsus è patria, rebus omnibus priuatus est.

III.

Prophetia eius.

POSTQVAM autem Lutgardis ad monasterium reuersa est, ab omni ferè hominum colloquio & consolatione se subducens, tota rebus cælestibus inhiabat. Quibusdam autem æmulis arctiorem eius vitam, quam imitari non possent, carpentibus, atque dicentibus: Sinite eam, dum feruor in motu est: vbi ille tepuerit, non absque rubore redibit ad ea, quæ nunc stulta contemnit: Lutgardis id audiens, cùm multa humilitate sibiipsi timere cœpit. & pauida formidare, ne forte quandoque acciderent, quæ ætate prouectiores de ipsa dicebant. Apparuit autem ei beatissima Christi mater vultu gratulabundo, & ait: Non sic erit, charissima filia, vt tu times. Non recides in peccata: sed mea te solicitudine protegente, firmaberis in salutem, nec minuetur in te gratia & virtus, sed cumulabitur. Fuit ea nimirum præclara & amplectenda promissio. Quando in oratione Domino suauiter iungebatur, & eam aliquod ingens negocium foras euocabat: quasi amico familiariter ei dicere solebat cum magna cordis simplicitate & puritate: Expecta me hic Domine Iesu: vbi me expediero, celeriter ad te reuertar. Mira profecto virginis simplicitas, mira Saluatoris humanitas erga illam. Paratum enim illũ in omni loco dominationis suæ, paratum in quouis negocio experta est.

IV.

Tota vacat Deo.

Familiaritas eius ad Christum.

EODEM ferè tempore beata Catharina virgo & martyr eius loci patrona, cũ ingenti gloria apparuit illi flenti pariter & oranti. Cumque multum pauida suppliciter eam rogaret Lutgardis, vt pro ipsa Dominum deprecaretur, illa respondit: Confide filia, semper enim gratiam suam Dominus augebit in te, donec per summum vitæ fastigiũ, præcipuum inter virgines meritum consequaris. Quodam etiam tempore eadem sanctissima virgo Catharina quidam deuotæ fœminæ apparens, dixit: Lutgardem tibi interuentricem & matrem adsciscas, quæ ab omnipotente Deo parem mihi in cælis locum obtinebit. In sacratissima Pentecoste monialibus in Choro cantantibus, Veni creator spiritus, ij, qui in Choro erant, perspicue viderunt Lutgardem ad duos cubitos in aëre sublatam. Felicem illam, quæ tali miraculo meruit declarari: & corpore subleuari à terra, quæ iam anima exultans in Domino in cælum sustolebatur. Obtulit sanè seipsam quotidie Domino holocaustum gratuitum, corpus afficiens inedia & ieiuniis, & spiritum ab oratione non relaxans.

Ieiunia & preces eius.

Ne autem in cordibus sororum, quæ eam non nihil æmulari videbantur, suspicionis alicuius scrupulus hæreret, Christus sponsam suam eiuscemodi miraculo cohonestauit. Cum illa crebrò vigilias continuaret, quadam nocte super eam viderunt moniales non breui spatio quoddam luminis iubar, quod ipsum quoque Solis splendorem vinceret. Quod quidem lumen intro diffusum, non solum in illa, sed in aliis quoque, quę illud viderunt, vitæ gratiam augmentauit.

MOVEBATVR verò commiserationis affectu & pietatis spiritu mirum in modum erga ægrotos & debiles, adeò vt ipsis afflictis condolens, plus ipsa spiritu affligeretur. Contulit ergo illi Deus ita generatim gratiam curationum, vt si quid esset vitij in oculo, vel in manu, aut pede, vel cæteris corporis membris, ad contactum saliuæ vel manus eius protinus curaret. Cumque ea causa hominum multitudine & frequentia obrueretur, sæpiusque in oratione impediretur. dixit ad Dominum: Quorsum mihi isthæc gratia, Domine, cuius causa toties distineor, ne possim vacare tibi? Auferam à me, sed ita vt meliori munere commutetur. Respondit Dominus: Quid vis igitur eius loco accipere? Tum illa: Volo, inquit, vt pro maiori deuotione possim intelligere Psalterium. Præstitit hoc illi Deus. Vt enim illo tempore probatum est, Psalterium tanto perspicacius intellexit, quanto erat radiantiori luce illustrata. Sed cùm postea necdum tantum ex hac percepta gratia se proficere comperiret, quãtum sperârat, (Reuerentia enim velati mysterij, mater est deuotionis: & res celata, auidius quæritur, & maiori veneratione concupiscitur) dixit Domino: Quorsum vero attinet me idiotam & rusticam monialem scripturæ arcana nôsse? At illi Dominus: Quid vis igitur? & illa: Volo, inquit cor tuum. Et Dominus. Quin ego potius. ait: & cor tuum. Respondit illa: Sit ita Domine, at sic tamen, vt cordis tui amorem cordi meo attemperes. & in te cor meum possideam, omni tempore tua protectione securum. Facta est igitur ab eo die quædam permutatio cordium, vel potius vnio spiritus creati & increati per gratiæ excellentiam. Deinceps enim ita Christus cordi virginis inhæsit. eam communiens & protegens, vt nec tentatio carnis, immo ne turpis quidem cogitatio mentem eius vel temporis puncto infestarit.

V.

Contactu saliuæ vel manũ morbos pellit

Mira eam Christus gratia afficit.

PER idem ferè tempus, cum adhuc & corpore & ætate esset tenerrima, nocte quadam circa tempus nocturnarum precum, quas Matutinas vocant, sudor eam vehemens & naturalis inuasit. Cum ergo à precibus nocturnis abesse vellet, vt postea ad seruiendum Deo fortior esset, credens illum sudorem corpori suo salutarem esse, subito ad eam vox facta est: Quid ita iaces? surge ocius: oportet vt pœnitentiam nunc agas pro peccatoribus, qui in suis sordibus iacent, non sudori indulgeas. Tum illa exterrita surrexit, & inchoatis iam Matutinis, ad ecclesiam festinauit. In ipso autem ecclesiæ ostio Christum obuium habuit, cruci affixum & cruentatum, qui brachium de cruce deponens, eamque amplexans, os eius vulneri lateris sui applicuit: vnde tantam hausit suauitatem, vt ex eo tempore in Dei seruitio semper & robustior & alacrior fuerit. Retulerunt autem, qui ipsa reuelante eo in tempore diù postea probauerunt, saliuam oris eius, mellis dulcedinem superasse, neque id mirum, quando cor illius & diuinitatis Christi mel, & humanitatis lac intus ruminabat.

VI.

Ab effectu colligitur visionis veritas.

SI quo cordis aut corporis incommodo esset grauata, stabat coram imagine Crucifixi, eamque diù contemplata, clausis oculis & dissolutis membris, non potuit pedibus consistere: sed prorsus langueſcens, rapiebatur in spiritu, videbatque Christum & lateris eius cruentum vulnus: cui os suum admouens, tantam inde sugebat dulcedinem, vt nulla re posset affligi. Accidit quandoque, vt acutissima febre laborans, criticis diebus è lecto surgens, absq;

VII.

In aduersis vnde confirmata sit.

vlla

vlla difficultate in ecclesiam cum alijs canitura intraret. Ad recordationem illius acutissimi obtutûs Aquilæ, nempe Iohannis Euangelistæ, qui fluenta Euangelij de ipso sacro Dominici pectoris fonte potauit, apparuit ei in spiritu aquila, tanto pennarum nitore refulgens, vt totus potuerit orbis claritatis illius radijs illustrari. Nimia igitur admiratione stupefacta, expectabat vt Dominus pro captu infirmæ aciei, tantã visionis eius gloriam temperaret. Quod cùm factum esset, visionis illius modum pressiùs contemplans, vidit Aquilam illam ori suo rostrum apponere, animamq; suam tam ineffabilis lucis splendoribus complere, vt quatenus mortales capere possunt, nullam ipsam diuinitatis secreta laterent. Tanto autem de torrente voluptatis illius hausit vberiùs, quãto in donis munificentior Aquila vas cordis eius maiori desiderio distentum reperit. Et certè testimonium ego perhibeo, licèt in familiari sermone simplicissima videretur, nunquàm tamen me ex cuiusquam in ore in secreto spiritali colloquio tam syncera, tam ignita & ardentia secundùm veritatis spiritum verba hausisse, idq; adeò, vt ad intelligenda dicta illius planè rudem & hebetem sæpissimè me existmarim. Memini etiamnum & loci & temporis, quando ad verborum eius subtilitatem vsque adeò obstupui, vt si suauis illa & ineffabilis admiratio diù me tenuisset, aut amentem me fieri oportuerit, aut è vita excedere. Præclarum de ea authoris testimonium.

IX. EST Hasbaniæ oppidum, quod Lossum vocant: ad cuius ecclesiam quædam inclusa Domino seruiebat, pro vitæ merito Lutgardi cumprimis familiaris. Apud eam mansit quandoq; Lutgardis ad dies quindecim. Accidit autem, vt in orationis contemplatione tanta dulcedine afficeretur, vt accersita inclusa, manûs suæ digitos illi ostenderet, eosq; exprimens diceret: En soror mea, vt mecum agit omnipotens. Ex interiori abundantia etiam digiti mei exteriùs ceu oleo distillant. Atq; hæc dicens, quasi ebria, & verè ebria cum gestu & tripudio mirabili per inclusæ domicilium ferebatur. Inde summoperè eò adspirauit, vt ministerio consecrationis per manus Episcopi vni viro Christo perfectiùs iungeretur. Obtulit autem sese opportunitas, domino Huardo Leodiensi Episcopo complures sanctimoniales consecrare volente, quibus adiuncta est etiam Lutgardis. Vt autem earum capitibus in signum coronæ aureolæ pontifex sertum ex zonis confectum imposuit, atque ad Lutgardem ordine peruenit, quidam vir sanctus & simplex, qui illic adstabat, perspicuè vidit Episcopum grandem coronam auream Lutgardis capiti imponere, eamque præ alijs singulari quodam honore afficere. Cumque putaret ab omnbus id videri, quæsiuit ex vicino presbytero, cur soli Lutgardi Episcopus coronam auream admoueret. Irrisit autem illum presbyter, & ait: Vbi sunt oculi tui, vt auream coronam dicas, quam omnes lineam esse vident? Siluit vir beatus & risit, atque in Lutgarde singulare meritum animaduertit. Ab eo die sponso suo perfectiùs adhærens Lutgardis, sequebatur Agnum, quocunque iret. Si Christi enim via humilitas est, Lutgardem videas ita eum sequentem per hanc viam, vt superbia nunquàm intumuerit Si de paupertatis agitur via, adeò fuit paupertatis studiosa Lutgardis, vt nec de quotidiani panis alimonia cogitare voluerit. Si Christi via est misericordia & humanitas, fateor equidem in hac via neminem me vidisse illa magis misericordem. Si via Christi crux est & tribulatio, adeò se ieiunijs & multis modis afflixit Lutgardis per omnem vitam suam, vt nulli nostræ ætatis neque viri, neque fœminæ ei hac in parte possint æquiparari. Denique per viam incorruptionis & virgineæ integritatis secuta est agnum ad gloriam, qua ille via præcessit, virgineas cohortes sui habens imitatrices. Vide autem, quid Agnus ei rependerit. Æquum est enim sponsum sponsæ vicem reddere. In monasterio S. Catharinæ qualibet sexta feria in Vespertinis precibus, quas Vesperas vocant, in beatissimæ virginis Mariæ honorem certo numero deputatæ responsorium cum versu cantabant. Eum autem versum deuotionis causa Lutgardis sola cantare solebat: videbaturque ei interim dum cantaret, Christum in agni forma vnum pedem suum dextro, alterum sinistro ipsius humero imponere, atque os ori applicare: sicque cantando cùm ex Christi pectore sugeret, mirabilem melodiæ suauitatem resonare. Nec dubitare quisquam potuit diuinum in hoc cantu adesse miraculum, cùm in solo versu illo vox eius suprà quàm dici queat, solito gratior audiretur, & corda audientium ad deuotionem & pietatem interim mirabiliter permouerentur. De ebrietate ipsius dicit, quam Ambrosius sobriam vocat. Christum agnum vt præclarè secuta sit.

X. ET quia talem lucernam sub modo latere par non erat, posita est super candelabrum, vt fulgor gratiæ omnibus appareret, factaque est Priorissa in eodem beatissimæ Catharinæ monasterio, vno omnium consensu electa. Non enim habebat eius loci consuetudo, vt Abbatissam sibi crearent. Sed cùm hac in re grauissima se affectam iniuria arbitraretur, decreuit & locum & institutum mutare. Interea accidit, vt Abbas S. Trudonis, pater scilicet spiritualis eius monasterij, à generali Lateranensi Concilio veniens cum processione à monialibus exciperetur. Fusa autem oratione in Ecclesia, moniales omnes ad domum capitularem euocauit, & vt parùm cauta inter simplices consuetudo obtinuit, singulas osculo excepit. Sed cùm Lutgardis Priorissa oscularj eum deberet, prorsus renuit: attamẽ periocum ab omnibus retenta, passa est illud vi sibi extorqueri: sed benignissimus Iesus ita manum suam interposuit, vt ne primi quidem motûs contagionem ex eo osculo persenserit. Fuit ea in illo monasterio annis circiter duodecim monialis: eratque eodem tempore magister Iohanues Lyrannus, Leodiensis diœcesis, vir eximia sanctitate, qui non ignorans perfectissimum animi eius propositum, admonuit eam, vt abdicato Priorissæ officio, ad Aquirianum Cistertiensis ordinis monasterium se transferret. Opponente illa diuersum Gallicarum monialium idioma, eiusdemq; Ordinis monasterium in Herkenrode, vbi sermone Teutonico vtebantur, potiùs deligente, Dominus ait ad eam: Volo, vt Aquiriam petas: nisi feceris, ego te deseram. Quædam etiam sanctissima virgo Christina, cuius meminit Iacobus ille venerabilis in vita beatæ Mariæ de Oegnies, cuius etiam vitam nos scripsimus, diuinitùs compulsa eam adijt, dixitque ei: Quid cunctaris facere, quod diuino instinctu iuberis? Obijciente illa eadem, quæ diximus, quæque secundùm hominem satis rationabiliter obijcere videbatur: Christina, Deo inspirante, mox respondit: Ego verò vel apud inferos mâllem esse cum Deo, quàm in cœlo cum angelis sine Deo. Rectè nimirum & congruenter illi respondit. Christi enim præsentia quemuis locum, quantumuis inuisum, summè efficit delectabilem, atque ideò meritò appetendum. Igitur Christinæ verbis confirmata Lutgardis, ad omnia paratam se offert, parensque supradicti magistri Iohannis admonitioni, Aquiriam se contulit summa animi tranquillitate. Est verò monasterium illud in Ducis Brabantiæ regione. Vbi autem id resciuerunt moniales S. Catharinæ, summo dolore affectæ sunt. Quod cùm Lutgardis comperisset, condoluit eis, Dominoq; pro illis supplices preces obtulit. Oranti autem apparuit beatissima mater Dei, congratulabaturque ei, quòd monasterium & Ordinem ipsi speciali-ter addictum complexa esset, promittebatque se monasterium S. Catharinæ, propter ipsius preces, & temporaliter & spiritaliter promoturam. Quod quidem in illo monasterio vsq; in hodiernum diem sic contingere videmus, quando illius Ordinis vbique repescente disciplina, isthoc monasterium magis, quàm vnquàm anteà, virtutibus floret, & rebus temporalibus copiosiùs auctum est. Sed hîc primi libri finis esto, qui ea continet, quæ Lutgardis in S. Benedicti ordine gessit, vt ad librum secundum expeditiori ordine procedamus. Præficitur virginum monasterio Iohannes Lyrannus vir sanctissimus. Christina mirabilis. Confert se Lutgardis ab Aquiriæ cœnobium.

I. CVM autem fama virtutum Lutgardis vndique incresceret, noua monasteria in Gallijs construebantur, quæ, si vel parum aliquid Gallicè didicisset, mirum in modum eam sibi præfici cupiebant. Vbi ea id cognouit, multùm exhorruit, rogauitq; cum lachrymis matrem Domini, vt id auerteret. Apparuit autem ei mater Christi, dicens, ne quicquam formidaret: se enim scutum protectionis suæ oppositurum. Vide autem, oro te, Lector, quo pacto isthuc LIB. II.

Non potest Gallicè discere loqui, non sine miraculo.

impeditum fuerit, & videbis visionis huius puriſſimam veritatem. Vix annum ætatis quartum & vigesimum attigerat, quando venit in Aquiriam, & tamen licèt posteà annis quadraginta inter sodales Gallicas vixerit, vix tantum potuit eius idiomatis perdiscere, vt esuriens commodè posset Gallicè panem petere. Quod vbi ad omnium notitiam peruenit, permissa est sponsa Christi in somno contemplationis quiescere.

Hæresis Albigensium.

II. Imminente peste sæuissima Albigensium hæreticorum, beatissima virgo Maria apparuit ei vultu lugubri & obscurato. Compatiens autem ei in visione Lutgardis, cum magno cordis & oris rugitu quæsiuit ab ea, quidnam haberet, & vnde tantus esset faciei pallor & squalor, quæ alioqui plena esset omnis gratiæ. Cui beatissima Virgo respondit: Ecce ab hæreticis & pseudochristianis rursus crucifigitur filius meus. Tu ergò assume tibi lamentum, & per-

Septennè ieiunium sibi indicit.

petuis septem annis ieiunato, vt sopiatur ira filij mei, quæ generatim vniuerso imminet orbi. Itaque toto septennio tale illa sibi indixit ieiunium, vt pane & cereuisia contenta esset. Vide autem ingens miraculum. Sæpè superiorum voluntate coacta, tentabat aliquid pulmenti ore haurire, sed nihil inde vel ad fabæ vnius quantitatem potuit deglutire. Etsi autem ipsa mira quadam & incredibili abstinentia sese afficeret, at tamen lætabatur cæteras sorores commodum habere victum, dicebatque totum mensem rectiùs se valere, si vel semel paulò largior cibus illis appositus esset. Sciebat enim & fatebatur non posse omnes id præstare, quod ipsa singulari beneficio pro multorum remedio diuinitùs accepisset. Quanto autem magis sua continuabat ieiunia, tanto fuit & corpore & animo robustior.

III. Cvm Iacobus de Vitriaco, vt ipse refert in vita beatæ Mariæ de Oegnies, eius venerabilis fœminæ precibus concionandi gratiam esset adeptus, religiosam quandam mulierem, eamque ægrotam, non quidem turpi, sed tamen plùs satis humano amore prosequebatur, eratque illi consolandæ ita assiduè intentus, vt prædicationis munus segniter negligeret. At pia Lutgardis vinculum cordis eius & machinas diaboli in spiritu sentiens, cum multis lachrymis Dominum pro illo deprecata est. Sed cùm orando nihil proficeret, & Dominum quasi crudelem ea causa argueret, Dominus ei respondit: Homo iste, pro quo oras, ea conatur, quæ sunt contraria precibus tuis. Quod vt audiuit Lutgardis, impatientiùs se gerens, magnis vocibus clamauit ad Dominum: Quid est hoc, quod agis benignissime & iustissime Domine? Aut separa me à te, aut hominem, pro quo te rogo, libera etiam non volentem. Mira res. Nulla mora inter preces & effectum earum intercessit: sed penitùs & protinùs liberatus ille, liberatori suo & famulæ eius gratias egit. Tumque apertis oculis iam liberatus, sensit periculum, quod anteà, humano cœcatus amore, videre non potuit. Nec grande posteà tempus euolutum est, cùm ille venerabilis Iacobus in transmarinis locis Achonensis Episcopus creatus est.

Nota eximiam charitatem.

Abbatis animam è pœnis purgatorijs multa vi precum liberat.

IV. Per idem ferè tempus Simon quidam, vir nobilis, Teuto natione, literis egregiè institutus, Cistertiensem Ordinem complexus, Abbas Foniacensis factus est. Etsi autem ille ferueret desiderio, tamen acerbiori zelo in subditos inuehebatur, morteq; immatura decessit. Habuit is, cùm viueret, Lutgardē pro vitæ sanctimonia charissimam, multumque ei sua morte mœrorem attulit. Sed vbi defunctum cognouit, mox ieiunia & afflictiones pro eo suscepit, rogans Dominum, vt animam eius liberaret. Cumque multis precibus id à Domino contenderet, respondit ei Dominus: Bono animo esto: tua causa benignè faciam ei, pro quo oras. At illa vehementiùs instans, secundò audiuit eum propediem liberatum iri. Dixit verò ad Dominum: Quicquid mihi vis impertiri solatij, id illi animæ in Purgatorio largiaris: neque ego vllo pacto cessabo à lachrymis, nec tuis consolationibus vnquàm me patiar recreari, nisi illum videam liberatum. Tum verò non est passus Dominus eam diutiùs affligi, sed apparens illi, adduxit secum animam è pœnis ereptam, dixitque ei: Æquo animo esto dilecta: ecce hæc est anima, pro qua postulas. Illa mox humi prostrata in faciem, pro eius liberatione Dominum benedixit. Anima autem exultabunda & laudans, Lutgardi gratias egit, & ad potiora transiens cum magna gloria cœlos penetrauit. Isidem Simon posteà Lutgardi crebro apparuit, & inter cætera dixit ei, vndecim annos se in Purgatorio pœnas fuisse luiturum, nisi ipsa suis precibus sibi opem tulisset.

Sancti trepidant, & impij securi sunt. *Iob 31.*

V. Spiritv timoris adeò fuit insignita hæc virgo, vt cùm beato Iob quasi tumentes super se fluctus Dominum timeret & omnia opera sua, tanquam in dubio facta, vereretur. Diù itaque eiulans, quotidiè Dominum precabatur, vt ipsam etiam in hac vita certam efficeret. Hoc desiderio cum multo tempore æstuaret, die quodam vocem audiuit apertissimè ad se dicentem: Secura iam esto charissima: placet Deo vita tua. Ad horam igitur exultans, deinde nihilo minùs, vt anteà, formidolosa fuit. Dixit ergo secundò vox ad eam: Visnè dominam Mariam de Roma, securitatis tuæ testem tibi dari? At illa: Non, inquit: nimis religiosa est, diuq; mihi iam anxiæ differret reuelare, quæ nòsset. Et vox diuina: Interim ergo, inquit, tranquillo animo esto charissima: propediem reddéris & manifestè & omninò secura. Vix quatuor lapsi erant dies, cùm ecce vir quidam spectabilis, sed omnibus ignotus, in locum illum, vbi inter se colloquebantur sorores, ingreditur, salutatisque omnibus, Lutgardem, vt citiùs accersiant, rogat. Eam venientem salutat, cunctisque audientibus dicit: Hæc tibi mandat omnipotens: Deinceps secura esto, quia Domino in te benè complacuit. His dictis, repentè disparuit: nec necesse erat quærere, vnde veniſſet, vel quisnam fuerit. Non diù pòst homo quidam sanctissimæ vitæ, diuina reuelatione edoctus, in Aquiriam veniens, eam in supradictis consolationibus confirmauit.

Christus ei apparet.

VI. Iam igitur animo feruentiori cupiens exire è corpore, & migrare in cœlos, quotidiè lachrymas fundebat. Dominus autem clamoribus eius modum ponere volens, celeriter apparuit ei, vulneribusque manuum ac pedum & lateris detectis, dixit: En contemplare charissima, vt vulnera mea clament ad te, ne frustrà sanguinem fuderim, néve sine causa mortem perpessus sim. His & visis & auditis Lutgardis admodùm exterrita, cum timore & tremore quæsiuit, quis ille esset vulnerum Christi clamor? & responsum est ei: Labore tuo & lachrymis iram Patris iam accensam mitigabis, ne perdat peccatores, sed vt ipsius misericordia conuertantur & viuant.

Innocentius 3 post obitum apparet ei.

VII. Hoc ferè tempore Dominus Innocentius Papa tertius, post celebratum Lateranense Concilium ab hac vita migrauit, moxq; apparuit visibiliter Lutgardi. Illa autem vt vidit eum ingenti flamma cinctum, quisnam sit percōtatur. Respondit se esse Innocentium Papam. Et illa cum gemitu. Quid hoc est, inquit, communem omnium nostrum patrem tam dirè cruciari? Respondit ille: Tres ob causas ita crucior, quæ etiam æternis supplicijs me iustissimè addixissent, nisi per intercessionem pijssimæ matris Dei, cui monasterium condidi, in extremis me pœnituisset. Et æternam quidem mortem euasi, sed pœnis atrocissimis vsque ad iudicij diem cruciabor. Quod autem ad te suffragia petiturus venire potui, mihi à suo filio mater misericordiæ impetrauit. His dictis, confestim disparuit. Lutgardis verò eius necessitatem sororibus, vt ei succurrerent, indicauit: porrò admodùm dolens vicem eius, mirabili se cruciatu illius causa affecit. Nouerit Lector nos, reuelante nobis Lutgarde, tres illas causas non ignorare, sed pro tanti Pontificis reuerentia referre noluisse.

Item Ioannes Lytanus

VIII. Alia visio per idem propè tēpus oblata est Lutgardi. Venerabilis Iohannes Lyranus, cuius suprà meminimus, cum ea pactum inierat, vt qui prior è vita migrâsset, superstiti post obitum appareret. Itaque Iohannes hic Romanam curiam ob quædam negocia religiosarum fœminarum, quas in Brabantia æmuli vexabant, adiens, Alpes cùm attigisset, vita functus est. Eodem autem temporis puncto apparuit visibiliter Lutgardi, in monasterij ambitu stanti.

Illa

Illa viuere eum existimans, manu innuit, vt peteret locum, vbi solebant inter se sorores conferre sermones. At ille dixit: Ego è corpore decessi: sed vt veritati, quæ ex pacto inter nos intercessit, satisfacerem, tibi apparui. Tum illa humi prostrata, sciscitabatur ex eo, quid sibi vellet triplex indumentum, quo mirificè erat ornatus. Respondit: Vestimentum candidum virginitatem significat, quam ab vtero impollutam seruaui Rubicundum, labores & perpessiones, quæ mihi mortem attulerunt, quæque multo tempore pro iustitia & veritate sustinui. Cæruleum idemq; extimum, vitæ spiritualis perfectionem. His absolutis, ab oculis admirantis ablatus est. Illa autem & visionem & obitū eius sorori illius & cæteris monialibus indicauit. Cùm autem posteà venerabilem virum, licet in cœlis beatum, tamen sibi ablatum fleret, sub ipso luctu Dominus ei dixit: Cur fles Lutgardis, & quamobrem affligitur cor tuum? Nunquid non melior sum tibi quàm decem filij? Illa non intelligens, quippe illiterata monialis, vbi ab alijs explanata didicit, non planxit amplius, sed in eius morte Dominum benedixit.

IX. EXPLETIS septem illis annis, quibus non nisi pane & ceruisia vsa fuit, rursus ei per reuelationem mandatum est, vt pro cunctis peccatoribus aliud ieiunium susciperet. Quod illa libens fecit, iterumque alios septem annos solo pane & olere transegit. Rapta autem in spiritu, vidit salutis nostræ principem Iesum cum vulneribus tanquam recèns inflictis atque rubentibus vultui paterno adstare, & pro peccatoribus deprecari patrem: deinde autem vertere se ad ipsam atque dicere: Cernis, vt me totum offeram patri tuo pro peccatoribus meis? Ita ergo volo, vt tu quoq; te mihi totam offeras pro meis peccatoribus, & zelū in illorum animaduersionem accensum auertas. Hoc idē Dominus Iesus in Missæ sacrificio quotidiè ferè illi dicebat. Præclarum autem de illa est testimonium beatæ Mariæ de Oegnies. Sub cœlo, inquit illa, non habet mundus dominā Lutgarde fideliorem efficaciorem que tum pro animabus, quæ in locis Purgatorijs sunt, tum pro peccatoribus precatricem. Spiritalia miracula facit modò viuens, corporalia faciet post obitum.

Iterùm septennē ieiunium suscipit.

Mariæ Oegniacen testimonium de ea.

X. QVÆDAM valdè religiosa sanctimonialis in reuelationibus quibusdam, quas ipsa diuinas putabat, à satanâ fallebatur. Id vbi didicit Lutgardis, rogauit Dominum pro ea. Cui ille respondit: Illuminare ijs, qui in tenebris & in vmbra mortis sedent. Ea verba cùm ipsa non intelligeret, à quadam moniali quæsiuit, quid significarent. Postquàm ea interpretante cognouit, instantiùs rogauit Dominum. Apparuit autem ei satan, & dixit: Ego sum spiritus mendax, qui illam monialem decipio. Cui illa, Abi, inquit, ad fratrem Simonem, qui est in Alnensi monasterio, & idem ei quoque referas, vt habeam testem veritatis. Obtemperat diabolus, & frater Simon venit in Aquiriam. Erat autem Simon ille plenus spiritu Dei, &, vt liber vitæ eius testatur, permulta ei Dominus reuelauit. Ambo ergo illi ex diuina reuelatione inter se consentientes, moniali illi protinùs mandauerunt. Illa mox membris omnibus obriguit & contracta est, adeoq; os eius obstruebatur, vt nec cultello posset aliquatenùs aperiri. Quod vt viderūt aliæ multo horrore correptæ, flexis genibus pro illa Dominum deprecabantur. Vbi ab oratione surrexerunt, confestim illa curata est, sumensq; cibum, confortata est: atq; ab illo die ab illo impostore spiritu liberata est. Tantis autem posteà meritorum prærogatiuis, vt ego ipse vidi, excelluit, vt non solùm ipsa illuminata in tenebris dici posset, sed etiam multos alios in tenebris degentes, morum exemplis illuminârit. Vidi ego monialem quandam Cistertiensis Ordinis, multis annis à dæmone vexatam, quam ad se adductam, multa precum suarum instantia liberauit. Vidi etiam aliam à nequissimo dæmone permultis annis incredibili libidine pollutam, atque eius precibus ereptam.

Eius monialis mira mutatio.

XI. MONIALIS quædam Benedictini instituti, Iolendis nomine, in monasterio, quod Sambræ adiacet, degens, mundi illecebris dedita fuit: hortatu autem piæ fœminæ, ad Aquirianum monasterium conuolauit. Erat genere nobilis & delicatissimo corpore. Pro ea Lutgardis Dominum instantissimè orauit, vt & peccata ei remitteret, & gratiam deuotionis infunderet. Non potuit Christus negare deprecanti, quod petijt. Perducta est Iolendis illa ad sanctæ conuersationis statum: cumque illic annis plurimis Domino seruijsset, ipso reuelante præsciuit obitum suum. Accedens itaque ad Lutgardem matrem in Christo & dominam suam: Pro me, inquit, Dominum multa instantia deprecaris: iam enim aduentat finis vitæ meæ. Respondit Lutgardis: Intrepida expecta Dominum, certa sum enim clemēter eum acturum tecum, & à pœnis, quas reformidas, breui te extracturum. Tu verò post obitum reuertaris ad me, sed primùm dicito, Benedicite: deinde orationem Dominicam cum angelica salutatione recites, ne suo more diabolus aliquod figmentum adducat. Mortua est ergo, vt prædixerat, Iolendis cum ingenti spiritūs feruore, & necdum triginta dies abierant, cùm illa oranti Lutgardi apparuit, & primò, Benedicite: deinde cætera dixit. Lutgardis ergo respondens, Amen, mox subiunxit: Quomodò habes? At illa. Dominus, ait, non est me abominatus propter enormitatem peccatorum meorum, sed tua causa magnam mihi præstitit misericordiam. Quod vbi dixit, repentè abscessit: Lutgardis verò cum multis lachrymis diuinam erga peccatores clementiam laudauit. Eius quoque soror secundùm carnem, post mortem ad Purgatorium migrans, priusquàm Lutgardis quicquam de eius decessu cognouisset, lamentabili voce in aëre clamauit: Miserere charissima soror, miserere meî, nec mihi neges misericordiam, quam alijs animabus impendis. Intellexit illa in precibus prostrata sororis animam precum suffragia expetere, moxq; à cunctis sororibus exegit, vt multis, quas vocant, disciplinis vel flagellorum ictibus & orationibus eam adiuuarent.

Lutgardis suis precibus magnā gratiam impetrat moniali dissolutæ.

XII. EODEM ferè tempore, singulis Dominicis diebus, quemadmodùm hortatur beatus Augustinus, Christi corpus percipiebat: sed Agnes Abbatissa, parùm cauto vsa consilio, id ei interdixit. At pia Lutgardis: Ego quidem, inquit, mater charissima, libenter obediam tibi: sed certissimè præuideo Christum hanc iniuriam in tuo corpore vlturum. Confestim Abbatissa intolerabili morbo afficitur, vt in ecclesiam ingredi non posset: nec cessauit dolor per momenta increscens, donec indiscretionis suæ culpam agnosceret, & Lutgardem sineret pristino more vti. Aliæ quoque, quæ in hac re contra illam erant aduersatæ, aut notabiliter ex hac luce subtractæ sunt, aut humilitatis ductæ spiritu, se ad illam conuerterunt. Nimirùm dignus zelus sponsi in improbos sponsæ suæ perturbatores.

Abbatissa negans ei Eucharistiam punitur.

XIII. CVM quædam soror in extremis cum morte dirissimè luctaretur, apparuit Lutgardi dæmon insultans & dicens: En exagitaui sororem illam: sed cùm veniisset populus, nihil ampliùs in eam potui. Populum dixit, conuentum sororum, quæ ob commendandam Deo illius animam eò venientes, vites dæmonis precibus eneruârunt. Sanctum ergo & pium est assistere morientibus, & eos aduersùs dæmones, qui finis nostri calcaneo insidiantur, orationibus adiuuare. Crebrò solebant ad Lutgardem venire dæmones, & funestum aut triste aliquid nunciare. Illa verò conspuebat eos, & verbis importunos, Crucis signo depellebat. Adeò autem dæmones illam formidabant, vt ipsum etiam locum orationis eius, haud secùs atque candens ferrum, attingere non auderent. Et ipsa quidem cùm nec psalmos intelligeret, nec quicquam de scripturis, dum tamen ruminaret versum illum, Deus in adiutorium meum intende, & alios quosdam Psalmorum versus, videbat dæmones cum multo horrore diffugere, & à malis suggerendis cessare. Vnde intelligebat, virtute verborum etiam à se non intellectorum, dæmones profligari, & eorum intentationibus vires debilitari.

Morientes debent precibus iuuari.

Dæmones eam reformidant.

XIV. MIRVM in modum ad omnem animi perfectionem adspirabat. Itaque dicendis precibus Canonicis siue horarijs summoperè in id incumbebat, vt non solùm malas, sed etiam bonas cogitationes à se excluderet, &, quod in mortali corpore impossibile est ijs solis, quæ diceret, animum occuparet. Sed cùm id efficere non posset, grandes inde in

Scrupulis vexatur di-

cendis precibus. de in eius pectore existebant scrupuli, & tanquam nihil dixisset, cœpit singulas horarias preces bis terque repetere. Adeò verò hæc res animam eius afflixit, vt nullus amicorum eam posset consolari. Fiebant autem ab amicis ad Deum preces pro illa, vt eam Dominus his scrupulis liberaret. Et ecce præter omnium expectationem, instar Amos prophetæ induit Dominus opilionem ouiculas sequentem, & posuit verbum in ore eius. Ille mox relictis ouibus, homo planè rudis, ad tredecim milliaria conficiens, venit in Aquiriam: accersitaque Lutgarde, cæteris audientibus dixit. Hæc dicit Dominus: Nullo deinceps in dicendis precibus dolore aut scrupulo angaris. Placent Deo preces tuæ, & gratæ sunt in conspectu meo. His dictis, ille repentè aufugit, nec dabatur opportunitas, quisnam esset, inquirendi, aut aliquid præterea cognoscendi. At posteà tamen, quis esset, rescitum est. Dominus quoq; per seipsum dixit Lutgardi: Nihil posthàc formides: ego hunc in te supplebo defectum. Tum illa vtrobique Dominum locutum esse sentiens, tranquillitati se dedit, nec vllum posteà ea in re inordinatum scrupulum passa est.

Amos 7.

Per opilionem liberatur.

NEMO facilè crediturus sit, quanta spiritûs alacritate in decantandis precibus illis Domino seruierit. Die quodam sub Vesperarum precibus cum cæteris cantante illa in Choro, monialis quædam stans è regione, oculis suis perspicuè vidit corporeæ lucis flammam ab eius ore profectam, sursum ferri & aëra penetrare. Qua inusitata visione monialis consternata, ferè exanimata est. Finitis autem Vespertinis precibus, Lutgardis eam blandè consolans, tandem adhuc trepidanti dixit: Nolo te filia charissima hac visione terreri. Noueris itaque reuerà diuinitùs eam contigisse. Mirabantur plerique spiritales homines, quomodò in tot rebus præclaris & admirandis humanam gloriam calcare posset: sed quemadmodùm ego ab eius ore accepi, adeò intus plena fuit spiritali & solida gloria, vt nulla eam extrinsecùs, vana gloria infestare posset. XV.

Visio cuiusdam sanctimonialis.

FVIT verò etiam discretione præcipua, quod res sequens docebit: Quodam Dominico die cùm sacram Eucharistiam accepisset, & reliquiæ cogitationis diem festum in ea agerent Saluatori, ita vt molestum ei esset ad mensam pro corporeo alimento capiendo accedere, ita ait ad Dominum: Domine Iesu, non est mihi iam opportunum tuis delicijs occupari, sed vade ad sororem Elizabeth, quæ nec vna hora à cibo abstinere potest, illiusque interim animum occupa, me autem patiaris cibum corpori sustentando necessarium accipere. Elizabeth eiusmodi laborabat morbo, vt crebrò & interdiù & noctibus eam cibo refici oporteret. Et ecce piissimus Dominus illi obediens, mox ad Elizabeth se contulit, eiusque pectus tanta suauitate compleuit, vt ab esca, præter suam consuetudinem, longo temporis spacio sine vlla molestia abstineret. Potest hinc facilè eius magna discretio animaduerti, quòd etiam spirituali occupatione corpus suum debilitare noluit, consultius existimans, seruare illud multis alijs perferendis laboribus, qui animarum saluti prodessent, quàm tempore non suo, cùm omnia tempus habeant, in sui destructionem inutiliter fatigari. Elizabeth autem, quæ, vt diximus, non solùm crebrò admodùm edere cogebatur, sed ea etiam erat virium imbecillitate, vt nullo modo pedibus subsistere posset, sed perpetuò decumberet: experta Lutgardis virtutem, cùm multa instantia rogauit eam, vt à Domino ipsi impetraret vires surgendi è lecto, & cum alijs faciendi quæ facienda essent, quò sic ante vitæ suæ finem Domino Iesu Christo pleniùs seruire posset. Rogauit ergo illa Dominum, qui ei in hæc verba respondit: Eleuare, eleuare filia Hierusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ eius. Et ita factum est, vt Dominus ait: Eleuata enim illa est è lecto ægritudinis suæ, in quo iacuerat iam multis annis, surrexit indefessa ad ferenda onera Ordinis sui, & perfectissima sanitate diù posteà Christo Domino seruiuit. XVI.

Eccles. 3.

Precibus suis obtinet sanitatem ægrotæ.

COGITABAT quandoque de eo, qui talem à peccatoribus sustinuerat afflictionem, miroque inflammata est desiderio Christo vicem reddendi, & pro illo martyrium obeundi. Sed quia tempus martyrij velut hyems iam transierat, imber abierat & recesserat, Christus aliud genus etiam corporalis martyrij ei præparauit. Accidit igitur nocte quadam, vt absoluto Completorio, ante lectum suum staret in dormitorio precibus occupata. Ibi tum miro quodam & ineffabili modo cœpit desiderare, vt instar Agnetis virginis posset pro Christo sanguinem suum fundere. Cumque eo desiderio vsque adeò arderet, vt iam se morituram præ eius ardore existimaret, rupta est vena, quæ extrinsecùs cordi opposita est. Indè verò tam multus dimanauit sanguis, vt tunicæ eius & cucullus eo abundè maderent. Itaque debilitata, paululùm resedit, moxque Christus illi apparuit vultu gratulabundo, & ait: Pro feruentissimo martyrij desiderio, quod in sanguinis huius effusione habuisti, idem cum beatissima Agnete martyre in cœlis præmium consequéris. Eius enim martyrium tuo desiderio in sanguine compensâsti. O verè beatissimam fœminam, quam Christus ipse pacis tempore corona martyrij dignam prædicauit. Eius rei testes fuêre, quæ eius lauerunt vestes. Testis fuit cicatrix ruptæ venæ, quæ in ea permansit ad eum vsque diem, quo felix eius anima ab hac luce migrauit. Annos tunc habuit octo supra viginti, quando hæc ei contigerunt. XVII.

Præ martyrij desiderio rumpitur vena eius.

MACHTILDIS matrona nobilis, ex territorio Leodiensi orta, filios milites hæredes relinquens, in Aquiriæ monasterio Domino seruiebat. Ea iam & senio & virium infirmitate confecta, surda prorsus erat. Cùm autem die quodam solenni moniales alta voce canerent, idque signo quodam vna ex monialibus huic surdæ indicaret atque illa signum intelligens, suam ploraret surditatem, pia Lutgardis ad eam accedit, rogat cur ploret. Et illa, Ego, inquit miserrima lugere non debeo, quæ adeò obsurdui, vt etiam solemnem cantum, quo Deus colitur, audire non possim? Mox Lutgardis eius miserta, ad preces parumper se inclinat: inde surgens, & duos digitos suos saliua imbuens, auribus surdæ admouet. Mira res. Confestim illa cum fragore quodam aurium obstructionem perrumpi audit, & ex tanto miraculo virtutem Lutgardis colligens, Dominum magnificè benedixit. XIIX.

Surdam precibus & saliua sua sanat.

QVOTIES rapta in spiritu Lutgardis, Dominicæ passionis recordabatur, videbatur sibi re ipsa toto corpore sanguine perfusa. Id vbi quidam religiosus presbyter secretiùs audiuit, obseruans tempus opportunum, quo dubium non erat eam Christi passionem commemoraturam, accessit ad illam sub diuinarum rerum contemplatione ad parietem incumbentem: viditque faciem eius & manus, quæ solæ videri poterant, tanquàm recenti sanguine tinctas rubere. Porrò vt etiam cincinnos quasi guttis noctium infusos sanguine vidit, clàm forfice aliquid præcidit, & ad lucem adducens, supra modum attonitus admirabatur. Interim Lutgarde ab illo mentis excessu ad se reuertente, cincinni quoque in manu stupentis presbyteri ad naturalem colorem ilicò reducuntur. Ea re suprà, quàm credi possit, presbyter obstupefactus, parùm abfuit, quin supinus corrueret. XIX.

Res mira.

MILES quidam & opibus & nobilitate conspicuus, filiam monialem in Aquiria habuit. Quæ cùm non ignoraret illum multis flagitijs coopertum, eò adduxit, vt Lutgardem rogaret, vt pro ipso Dominum deprecaretur, ipsumque, vt in eiusmodi moris est, in spiritualem filium reciperet. Fecit ille, quod filia monuit, & Lutgardis eius preces admisit, contulitque se ad deprecandum pro illo Dominum. Apparuit autem satan cuidam moniali eius monasterij, dixitque ei. En domina Lutgardis nititur ex vinculis meis Reinerum militem, qui mihi tot annis seruiuit, eripere. Nitatur sanè: sentiet se non parui temporis laborem suscepisse. Ego verò etiamsi nihil aliud, vel hoc vnum efficiam, vt in camino paupertatis vratur cor eius, & tabescat anima illius perinde vt solet caro in patella torreri. Et ecce tibi vera dicentem mendacij patrem. Quamuis enim per id tempus esset mirè opulentus vir ille, adeò tamen breui opes omnes dilapsæ sunt, vt absumptis primò mille quingentis promptæ pecuniæ libris, ac deinde distractis possessionibus, ad eam egestatem redactus sit, vt in summa necessitate vix panis ei suppeteret. XX.

Nobilem opulẽtum, sed valdè flagitiosum conuertit precibus suis.

Arin-

Atinterim tamen ea animi moderatione & patientia eam tulit inopiam, vt nullus ambigeret Lutgardis preces ei adesse. Hunc nos in Affliginiensi cœnobio, quo illius instituti nullum est rectius, & religiosius constitutum, monachum vidimus, quem pro admiranda conuersatione in tali ætate & patientia omnes venerarentur. Hoc verò & id genus alijs modis Lutgardis precibus suis permultos è satanæ laqueis extraxit, & ad emendatioris vitæ statum perduxit.

XXI. PVELLA quædam Ordinis Cistertiensis grauissima tentatione laborans, ante multos annos vidit in somnis apparere sibi Lutgardem, dictumque illi est, eius precibus se liberatum iri. Posteà multo euoluto tempore venit in Aquiriam, agnouitque Lutgardis faciem, quam tamen non nisi in somnis viderat. Multa autem precum instantia eam Lutgardis ab omni tentatione liberauit. Tum illa in hac suî liberatione eius experta virtutem, rogauit eam, vt ab omnipotente Domino impetraret ipsi vires, quibus posset Ordinis labores ferre, & esu carnium carere. Ab infantia enim languerat, ita vt etiam ieiunij diebus ægrè posset carnibus carere. At Lutgarde eius nimis teneram ætatem, quæ talem abstinentiam ferre non posset, prætexente, ac nihilo minùs puella instantissimè in prece perseuerante, tandem eius lachrymis victa Lutgardis: Abi, inquit, & deinceps habeto vires, quibus & Ordinem ferre, & carere carnibus, atque insuper quod visum fuerit, superaddere possis. Mirum verò & stupendum miraculum. Reuersæ puellæ ad monasterium suum in valetudinario pro more carnes apponebantur. Quas illa intuens, vidit abominabilem quandam speciem præ se ferre, ita vt auersa facie, prorsus eas comedere non posset. Cumque id sæpius accidisset, tantus carnium horror eius mentem obtinuit, vt post Lutgardis verba nunquàm carnibus vesci voluerit: nec modò labores Ordinis perferre potuit, sed etiam quicquid pro corporis castigatione tolerare voluit, citra molestiam facillimè id fecit. Hæc mihi eadem puella, sed iam vetula, & cuiusdam monasterij creata Abbatissa, verecundè narrauit, compulsa hauddubiè Lutgardis virtute, cuius meritas laudes tacere non potuit.

Puellam à grauissima tentatione liberat.

Nota vim precũ eius.

XXII. ALIA quædam religiosa puella, Hersplendis nomine, immodica tentatione ad desperationem propemodùm præ animi mœrore adducta, Lutgardem rogauit, vt pro ipsa Domino preces offerret. Illa cum multo lachrymarum imbre Dominum pro illa precata, ex diuina reuelatione sic ei locuta est: Æquo animo te esse oportet charissima. In parasceue enim, vbi post adoratam Crucem sacerdos illam exaltando dixerit, Ecce lignum Crucis, tu ab omni tentatione liberaberis, & consolationis fiduciam obtinebis. Quod ita posteà euenit. Venerabilis Abbas Affliginiensis Ioannes virum quendam ad Lutgardem secum adduxit, qui vt Lutgardem adspexit, anxio vultu reuerberatus est. Miratus Abbas, cùm iam procùl abijssent, ait ad illum: Vidistine sanctam illam fœminam? Et ille, abimo pectore suspiria trahens: Vidi, inquit, & ad conspectum eius, tanquam ad ipsius diuinæ maiestatis intuitum tantus me peccati horror inuasit, vt eius adiutus precibus, iam liberatus sim, & Deo benè propitio, non recidam in peccata. Id verò ita contigisse, ille, quem diximus Abbas memorabilis testatur.

Puellam à desperatione liberat.

Notã.

XXIII CVIVSDAM mulieris filius Iohannes nomine, epilepsia laborans, magno eam dolore affecit longo tempore. Audiuit autem illa in somnis: Accede dominam Lutgardem in Aquiria monialem, & per eam filius tuus curabitur. Manè venit illa cum filio in Aquitiam, eumque Lutgardi obtulit, Lutgardis orat Dominum, mittit digitum in os pueri, crucemq; pollice pingit in pectore eius: nec fuit ausus posteà morbus ille infestare puerum. In quodã omnium sanctorum festo die ingens beatorum multitudo Lutgardi in visu apparuit, reuelauitque ei spiritus sanctus, quòd omni gratia plena esset. Et quid hoc mirum? Si enim, secundùm Augustinum, virtutes dona sunt, quo vel dono vel gratia carere potuit, quæ omni virtute fuit conspicua? Quodam tempore aduersa laborabat valetudine, & domina Sybilla de Gagis, quæ à primo Ordinis ingressu deuotissimè ei seruierat, instigante nequitiæ spiritu, præ diuturno labore penè deficiens, corde & corpore defessa fuit, dixitque apud se: Cur ego in dominæ Lutgardis ministerio adeò me fatigo, cùm mater mea toto vitæ suæ spacio nulli vnquàm ita seruierit, nec me deceat tali addictam esse seruituti? Ea ipsa nocte audiuit vocem quandam dicentem sibi: Non veni ministrari; sed ministrare. Ea voce audita, seipsam reprehendit, atque Lutgardi deinceps cum multa iucunditate & delectatione inseruiuit.

Epilepsiam pellit à puero.

XXIV. HOMO quidam, iam propter sua facinora salutem suam planè desperans, ad eam adductus est, vt vel ex colloquijs eius aliquid consolationis acciperet. Vbi ergo iuxta illam assedit, & verba eius audire cœpit, vidit in effabilem supra illam splendorem, quæ lucem omnem excelleret. Ea visione sic est exhilaratus, vt spe veniæ concepta ab ea recesserit. Sæpè illi psalmos ruminanti, spiritus sanctus vim & sensum verborum aperuit. Quidam igitur noctè, cùm in Cantico, Te Deum laudamus, versum illum, Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti virginis vterũ, diceret, ei beatissima virgo Maria gratulabunda apparuit, intellexitque Lutgardis versum hunc illi gratissimum esse, quo commemoratur, ipsam Dei filium concepisse. Atque hoc illa mihi tanquam filio dilecto reuelans, admonuit, vt quoties versum illum dicerem, toto me corpore ad laudem sacratissimæ Virginis inclinarem. Quod etiam diù feci, hodieque facio, & vt idem faciant, lectores meos omnes adhortor.

Desperatus spem concipit.

XXV. PAVPERCVLAM quandam multa inopia pressam conspiciens, ad opitulandum ei miro commiserationis spiritu permouebatur, audiuitq; statim in spiritu dicẽtem sibi Dominum: In Psalmo legis, & dicis mihi: Portio mea Domine, dixi, custodire legem tuam. Quod si intelligas, portio tua ego sum, nec quicquam habes aliud. Itaq; illi indigenti dicas: Aurum & argentum non est mecum: quod autem habeo, hoc tibi do: oresq; pro illa, & dedisti quod tuum est. Hoc faciens, custodîsti legem meam. His Dei sermonibus illa mirabiliter intus illustrata, dominæ Sybillæ de Gagis, quid à Domino audiuisset, indicauit.

Psalm. 118.

XXVI. CONSTAT multis, idq; per multa argumenta, Lutgardem etiam spiritu prophetiæ claruisse. Presbyter quidam in Gallias ad Iotrense monasterium veniens, cùm in crypta quadam, vbi sanctorum corpora quiescebant, nocte oraret, & sanctæ cuiusdam tumulum ex alabastro cõfectum præter suam opinionem aperiret, nec tamen eius nomen & meritum scire posset, piam posteà Lutgardem rogauit, vt à Domino eius nomen sibi peteret reuelari. Illa se totam confert ad rogandum Dominum, & citò, quod voluit impetrat. Apparuit enim ei prædicta sancta, & ait: Ego vocor * Osmanna virgo, filia quondam regis Scotiæ, & per miraculum Domini in Gallias adducta, sanctè vixi, defunctaq; ibidem sum ac sepulta solenniter: sed mei tandem per incuriam incolæ obliti sunt. Hæc cùm Lutgardis presbytero referret, subiunxit: Vellem hæc eadem tibi quoque Dominus in veritatis confirmationem reuelaret. At ille: Non sum, inquit, dignus, vt mihi talia reuelentur. Et Lutgardis: Etsi, ait, fortassis minùs dignus es, attamen illa digna est, cuius præconia innotescant. Oranteigitur Lutgarde, eadem nocte prædicta virgo presbytero illi dormienti ter apparuit, & Osmannam se dici indicauit. Qui vidit, testimonium perhibuit, & scimus quia verum est testimonium eius.

** Osmanna* Sanctæ virginis nomẽ per reuelationem discit.

XXVII. ERAT quædam in Parco prope Louanium pijssima monialis, quæ fratrem suum, qui professione Franciscanus fuerat, sed iam annis duodecim apostata manebat, acerbissimè deplorabat. Rogata autem Lutgardis, vt pro illo Dominum oraret, quòd soror eius præ dolore non multùm ab amentia abesse videretur, illa vtriq; condolens, rogauit Dominum. Surgens ab oratione, ait: Dicatur illi bonæ puellæ, vt tranquillo prorsus animo sit, certa, fratrem suum hoc anno ad sanctum ordinem suum reuersurum. Quod ita præter omnium expectationem factum didicimus, cùm ille multis modis esset mundi huius rebus & studijs implicatus & irretitus. Eodem ferè tempore illustris Ducissa Brabantiæ,

Apostata resipiscit.

bantiæ, filia Philippi regis Franciæ, graui erat affecta morbo. Ea verò ex multo iam tempore amabat Lutgardem, mandauitque ei, vt pro se Dominum rogaret. Fecit id Lutgardis, & quamprimùm remandat ei, vt tanquam è lecto ægritudinis suæ minimè surrectura, per confessionem præparet se, & cum multa cordis fiducia Dominum expectet.

Ducissæ obitum prædicit.

Non diù pòst Ducissa defungitur, ac deinde apparet Lutgardi, indicans ei certissimè, præter spem ab omnibus pœnis purgatorij beatissimæ matris Dei, quam viuens mirè dilexerat, intercessione se liberatam. Idem contigit viro nobili Domino Godefrido, domini Godefridi Castellani Bruxellensis filio, cuius obitum, antequàm aliunde cognitus esset, Lutgardis sororibus reuelauit.

XXVIII. INCLVSA quædam ad ædem S. Stephani, in ætate puellari molestissima tentatione vexata, orabat Lutgardem, vt ad Dominum preces pro ipsa funderet. Cùm autem genus tentationis ex ipsa scire vellet Lutgardis, & illa dicere vereretur, dixit ei: Quod tu erubescis aperire, Dominus mihi indicauit: exposuitque puellæ rem totam, quam ea nec in confessione quidem presbyteris explicare voluerat. Deinde adhortans eam ad peccatorum confessionem, & morum correctionem, adeò perfectè sanatam & multa consolatione affectam à se dimisit, vt posteà cum ingenti spiritus alacritate & gaudio Domino seruierit. Idem ferè contigit fratri Vuerico Conuerso Aquiriæ. Neq; id mirum.

Nouit secreta conscientiæ.

Eccl. 23. Habebat illa secum Dominum, cuius oculi lucidiores sunt super Solem, quod res sequens etiam magis testatum efficiet. Admiserat quidam peccatum loco abditissimo, atque id sacerdoti reuelare verebatur. Non diù pòst quidam sub peregrini specie rogabat illum, vt pro obtinenda venia peccati illius, quod præcipuè ipsum angeret, sibi caput lauaret. Fecit ille, vt erat rogatus, & ecce in vertice illius oculum cernit lucidissimum, exclamatq;: O hominem, contra naturæ morem in vertice oculatum. Dixit autem peregrinus: Hic oculus te in abscondito peccantem vidit, quem nulla possunt secreta latere. His dictis, ab oculis admirantis euanuit.

Nota.

XXIX. ERAT mirum in modum solicita Lutgardis, vt ipsi notos sacerdotes admoneret, quod etiam cum multa oris gratia crebrò faciebat, vt gregem ipsis creditum sedulò curarent, & animas Christi sanguine redemptas, à dæmonum seruitute liberarent. Ego autem, licèt indignus, cùm ad sacerdotium ætate iuuenis accessissem, & necdum sancti Dominici Ordinem complexus essem, in recipiendis confessionibus cogebar indebitè & supra vires, Episcopi vices agere. Cumq; non sine magna cordis formidine id facere cœpissem, aures auditione vexabãtur, intus verò tentationum stimuli existebant. Immodico igitur timore & horrore correptus, Lutgardem tanquã matrem vnicè charam accessi, eique molestiam meam dolore compulsus explicaui. Illa verò mihi condolens, ad orandum Dominum secessit, rediensq; cum magna fiducia dixit: Reuertere fili in locum tuum, & laborem debitum curandis animabus impende. Aderit tibi Christus protector & doctor, & in auscultandis confessionibus à iaculis inimici magna vi te seruabit, & in defectu scientiæ, quem formidas, addet ampliorem gratiam. Etsi autem ego de meipso hæc non sine rubore referro, tamen rem gestam in Christi & ancillæ eius laudem commemorabo. Ab illo die, quandiù eo officio functus sum, vsq; in præsens, quando iam decimus sextus agitur annus beatæ Lutgardis prophetiam in me veracissimam expertus sum. Et licèt ijs temporibus, quibus non eram occupatus audiendis confessionibus, crebrò & quidem intolerabiliter vexatus sim, sub ipsis tamen confessionibus quanto sunt turpiora, quæ audio, tanto minùs ea curo, minusque me afficiunt.

Nota quod author hoc loco refert de seipso.

XXX. VT autem quibusdam Aquiriæ monialibus, quæ fortassis minùs dignè de illa sentiebant, Lutgardis meritum innotesceret, insigne hoc miraculum accidit, quod nunc commemoro. Consueuerat illa singulis diebus Dominicis corpus Christi percipere. Cumq; euntem ad altare nemo licèt debilem sustentaret, quidam, quibus id videre concessum est, perspicuè viderunt duos angelos mediam eam tenere, & deducere ad altare. Aliâs etiam manifestissimè visa est beatissima Dei genetrix & S. Iohannes Baptista eam officiosè comitari. Afflictos & tentatos mira solicitudine consolari & confirmare nitebatur: & reuerà miram hac in parte gratiam Deus ei largitus erat, vt nullus ab ea vel afflictus, vel tentatione pulsatus, absque leuamento discederet. Venit quandoque ad monasterium eius mulier, quæ omnem salutis & veniæ spem prorsus abiecerat. Ingressam in colloquij locum, rogabant moniales, vt consolationem admitteret, & spem suam in Deo collocaret. Illa verò nihil mota earum verbis, fugere nitebatur. Sed vi retentam orabant, vt Lutgardem expectaret: quæ etsi nihil ad consolationem dicere ei posset, quippe cuius sermonem ipsa non intelligeret, at oraret saltem Dominum pro ipsa. Erat enim fœmina illa prorsus Gallicana, Teutonici idiomatis ignara. Adducta celeriter Lutgardis, ad remotiorem locum cum ea secessit. Sensit enim in spiritu, fœminam vltra modum afflictam. Mirari verò omnes & ridere cœperunt, quo pacto se inuicèm intellecturæ essent, cùm altera alterius linguam nesciret. Cùm ergo illic diù pariter consedissent, surrexit mulier ad plenissimam spei fiduciam reuocata: & reuersa ad communis Colloquij locum, dixit monialibus: Cur dixistis hanc sanctissimam fœminam esse Teutonicam, quam ego prorsus Gallicam cognoui? Neque est sub cœlo vlla alia, quæ me verbis suis ad spem veniæ reducere potuisset. Refert frater Bernhardus, se vidisse Lutgardem & virum venerabilem ac Deo dignum magistrum Guiardum Cameracensem Episcopum, qui non minùs Teutonici quàm illa Gallici sermonis imperitus erat, inter se colloquentes, se inuicèm intelligentes. Nec mirum, si ad horam diuersæ linguæ inter colloquendum mutuam intelligentiam nihil impediuêre, quando Lutgardis plena fuit illo spiritu, qui discipulis præstitit, vt omnium gentium linguis loquerentur. Vidi ego quandam, in die Pentecostes ab hora tertia vsque ad vesperam omnium linguarum notitiam habentem: sed eam necdum prodere volo, cùm sit hodieque superstes.

Desperata mulier intelligit eius idioma, alioqui ignotum sibi, & prorsus sanatur.

Actor 2.

Ierem. 9. Beati qui lugent.

XXXI. LAMENTIS diuturnis propter peccatores adeò se afflixit Lutgardis, vt facie eius, quotidiè rigata lachrymis, oculi eius, secùndum Ieremiam, fontem lacrymarum deducere viderentur. Tandem autem apparuit ei misericordiæ Dominus in fletibus rugienti, congratulansque ei, quòd miserorum causam diù fideliter egisset, illa manu, quam pro peccatoribus in cruce extenderat, à facie eius lachrymas detersit, dicens: Volo te ab his lamentis, pro meis peccatoribus susceptis, iam absolutam, nec patiar te deinceps luctu & lachrymis affligi. Placido autem cordis feruore posthàc in oratione persistes, atque hac perinde, vt hactenùs lachrymis, iram patris auertes. Et hic status vitæ eius ad mortem vsque durauit.

Sancti eam sæpissimè inuisunt.

XXXII. QVINQVE inde sequentibus annis, sicut ipsa mihi cum multis lachrymis dixit, quotidiè ferè venerunt ad eam vel ipsa Christi sanctissima mater, vel angeli, vel alij speciales sancti, demptis continuis angelorum visitationibus. Et tamen in his omnibus perfectam spiritus eius requiem non inuénit, donec ipse sanctus sanctorum, omnibus ineffabiliter dulcior, vtpotè sanctificator omnium, adueniret. Tum enim inuenisse se sensit, quem dilexit anima eius: tenuitq; eum, nec dimisit. Tenuit fide, non dimisit imitatione. Sed quoniam librum hunc secundum, rebus, vt putamus, vtilibus commemorandis longiorem fecimus: vt ad precioſæ mortis eius historiam alacriores veniamus, interim paululùm respiremus.

LIB. III.

Amittit visum.

I. LIBRO secundo bona fide absoluto, tertium de eius ex has vita migratione iam aggredimur. Anno ferè vndecimo ante obitum suum quoddam vitæ quietissimæ & felicis mortis præludium accepit. Nam instar patriarcharũ Isaac & Iacob, ambobus orbata luminibus, luminis cœlestis splendoribus solito est excellẽtius perfusa. Dignũ enim erat, vt mẽs radiantissima intus luce ornata, foris quodã modò luminis huius caligine obscuraretur. Quis n. dubiret, rerũ corporalium formis & imaginibus, quæ per oculos foriusecùs in animũ influunt, spiritalẽ mentis aciem retũdi?

Cœca-

Cæcata ergo exteriùs, tota mente interiùs in luce versabatur, hoc vnum duntaxat in hac cæcitate plorans, quod spiritales amicos suos in hac vita ampliùs cernere non posset: at eo rursus se consolans, quòd in cælesti patria eos se visuram speraret. Refert frater Bernardus ab eius ore se accepisse, Dominum ita ipsi dixisse: Cæcitatem, quam tibi accidere volui, patienter feras: polliceor enim tibi, sine Purgatorij pœnis te ad me peruenturam. amicos verò, quos ais te in hac vita vlteriùs videre non posse, in æterna patria conspecturam.

II. Non diù pòst beatæ memoriæ Iordanus Magister Ordinis Prædicatorum, cùm diù magno flagrâsset desiderio inuisendi terram sanctam, inde rediens per mare, occulto Dei iudicio cum magna hominum multitudine & duobus fratribus Dominicanis submersus est: moxq; à summo cæli fastigio vsque ad nauem illam, in qua extinctus iacebat, maxima ignis columna quinque horarum spatio diuitiùs accensa de nocte apparuit: cumque sacrum corpus littus attigisset, cæli lampas tertiò super illud, & quartò super socium eius Geraldum resplenduit: atque ita lampas recedens, nube excepta est. Huius rei testes fuêre Christiani catholici, Græci schismatici, & gentiles. Corpus autem eius mirificè fragrans, à fidelibus curatum est. Eodem anno in vigilia natiuitatis Christi, à prima diei hora vsque ad sextam orans Lutgardis, cùm in spiritu quasi tenebras quasdam sentiret, adeò cœpit tædio affici, vt in hæc verba prorumperet: Domine, quid est, quod sentio? quid est, quod patior? Certè si quispiam amicus vel in cælo, vel in terra pro me oraret, talem ego duritiam minimè sentirem. Hæc illa cum lachrymis dicente, subitò mentis eius oculis spiritus quidam adeò luculentus & gloriosus apparuit, vt præsplendoris magnitudine eum non cognosceret. Dixit autem illi: Quis es Domine? Et ille: Ego sum, inquit, frater Iordanus, quondam dictus Magister Ordinis Prædicatorum. Ego iam migraui ad beatam vitam, & inter Apostolorum & Prophetarum choros splendeo sublimatus. Missus autem sum ad te, vt in hac iucundissima solennitate te consoler. Tu verò de præmio secura esto: propediem à Domino coronaberis. Porrò psalmum, Deus misereatur nostrî, cum oratione de spiritu sancto, quæ, me viuente & rogante, pro nostro Ordine te dicturam recepisti, vsque ad finem vitæ dicere ne omittas. His dictis, disparuit, tantamque in eius pectore consolationem reliquit, quantam nunquam persenserat in vita sua. Dilexerat ille adhuc viuus Lutgardem haud vulgariter, & inter fœminas omnes illi vel maximè fidere consueuerat, ita vt totius Dominicani instituti siue ordinis eam matrem & nutricem constituerit.

Nota hæc de Iordano Dominicano Magistro.

Iordanus Dominicanus ei apparet

Psalm. 66.

Nota lector tanti viri de Lutgarde sententiam.

III. Cvm iam alterum septennium Lutgardis pane tantùm & olere transegisset, rursus per reuelationem dictum est ei, vt tertiò ieiunia votiua susciperet, quò placatus Deus malum illud auerteret, quod ipsa quendam Ecclesiæ Christi hostem certissimè illaturum verebatur. Ab illo ergo tempore vsque ad supremum vitæ diem ita perpetuò ieiunauit, vt nullum omninò, ne ipsum quidem Paschatis celeberrimum diem absque ieiunio transmiserit. Mortua est autem, vt pòst dicemus, anno septimo huius salutaris ieiunij, nec sine fructu, vt nos iam certissimè speramus. Dixit enim mihi illud, quod iam memorauimus, periculum non mediocriter formidanti, anno scilicet proximo ante obitum suum: Potes charissime æquo esse animo, quantùm attinet ad illum, quem aiunt clàm Ecclesiæ insidias comparare. Nam aut humiliabitur precibus fidelium, aut breui excedens è vita, pacem Ecclesiæ relinquet, quam perturbare videbatur. Nec dum vidimus, quod prædixit: sed indubitatò confidimus fore iam vt compleatur. Neque enim quicquam omninò ex ijs, quæ futura prædixit, non euenisse vidimus, quippe quam de spiritu Dei sua verba hausisse grauissimè doceri potest.

Nota etiã hoc authoris testimonium

IV. Per idem ferè tempus venerabilis ille & Deo dignus Iacobus, Anchonensis quondam Episcopus, tum verò Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, pridiè Calendas Maij Romæ vita functus est. Quarto in die, id est, in festo sanctæ Crucis, cùm Lutgardis in Brabantia esset, triginta dierum itinere procùl ab eo loco, in quo ille defunctus est, rapta spiritu in cælum, vidit eadem hora animam eius adduci in paradisum: eique spiritu gratulans, dixit: Nesciebam reuerendissime pater te è corpore decessisse. Sed quando, oro, defunctus es? Respondit ille: Quarto ab hinc die. Interim tres noctes & duos dies exegi in Purgatorio. Tum illa admirans: Et quare, inquit, non statim ab obitu mihi indicâsti, vt sororum nostrarum precibus pœnæ tuæ soluerentur? Dominus, ait ille, noluit te contristari pœnis meis, sed mea potiùs liberatione & beatitudine exhilarari: Tu autem paulò pòst me sequeris. His dictis, Lutgardis redit ad se, & diem mortis, itemque Purgatorij eius cruciatus, & in cælos migrationem, sororibus cum ingenti exultatione exponit.

Iacobi de Vitriaco animam videt in Paradiso.

V. Anno quinto ante obitum suum Dominica tertia à Pentecoste, cùm in ecclesia legeretur Euangelium, Homo quidam fecit cœnam magnam, &c illa prophetico spiritu dixit dominæ Sibyllæ à Gagis, cui tanquam magistlitteratæ, eius in omnibus cura demandata erat: Noueris charissima, die illo Dominico, quo hoc recitabitur Euangelium, me ad cœnam nuptiarum Agni migraturam. Audiens hoc Sibylla, diem illum, tanquam supremum vitæ Lutgardis, cum summa exspectatione præstolabatur. Sed cùm videret Lutgardem eo die manere superstitem, putabat phantasmate illusam sicque aliquandiù eius visionis mansit immemor. At vbi quinto anno dies ille redit, & posito Lutgardis iam defunctæ corpore in feretro, Euangelium, quod diximus, ad Missam matutinam in ecclesia legeretur, Sibylla in memoriam rediens eorum, quæ à Lutgarde audierat, obstupuit, vtque Lutgardis ante quinquennium ea dixisset, cum admiratione omnibus indicauit.

Luc. 14.

Prædicit diem obitus sui.

VI. Qvarto anno ante eius è vita decessum crudelissima gens Tartarorũ, è suis sedibus erumpens, vastata Hungaria, Bulgaria, Russia, Poloniæ quoque Duce potentissimo interfecto, & regione populoque vexato, cùm iam Boëmiæ immineret, timor ingens per omnem Germaniam & Galliam peruasit, ne à Barbaris idem paterentur. Itaque F. Bernardus Dominicanus, Pontificis Maximi pœnitentiarius, valdè anxius rogauit Lutgardem, vt precibus instanter pulsaret Dominum, vt à Germaniæ finibus illud Tartarorum flagellum depelleret. At illa: Ego verò, inquit, non iam demum pro hac re cœpi rogare Dominum. Certa sum autem ad has regiones non venturos modò Tartaros. Quod ille haud aliter accepit, ac si de cælo sonuisset.

Tartari vastant multas regiones.

VII. Eodem ferè tempore venerabilis Baldeuuinus Barbeuchonius, Prior de Oegnies, quondam verò in Aquiria multis annis Capellanus, verbi Dei concionator celeberrimus, inuitis spiritalibus amicis suis, parùm dignè se admiscuit rebus temporalibus. Graui autem morbo correptus, pridiè quàm excessit è vita, digitum beatæ Mariæ de Oegnies sibi iussit adferri. Eo allato, dixit: O veneranda domina, cùm adhuc esses in humanis, pollicita es te in mortis hora mihi opitulaturam. Succurre ergo nunc domina, succurre: quia tempus est. Mortuus autem est Baldeuuinus, & in Oegnies honorificè tumulatus. Eius exequijs interfuit etiam Bernardus frater noster: cumq; à sepultura mox in Aquiriam venissent, salutato eo, dixit Lutgardis: Obijt ne dominus Baldeuuinus? Ille tam repentinam miratus percontationem, Mortuus est, inquit, & sepultus. Sed quid tum posteà? Respondit illa: Iam iam mihi apparuit domina Maria de Oegnies, & dixit: Surge, surge charissima, festina rogare Dominum: quia hac hora anima amici nostri domini Baldeuuini ad Christi tribunal sistitur, de commissis & omissis illi rationem redditura. Ecce quàm verax in testimonio, quàm fidelis in promisso, Maria venerabilis, extitisti: quæ Lutgardem præ cunctis mortalibus pro precum suffragio adire voluisti, vt quam viuens adhuc in corpore, testata eras ad orandum pro animabus à Purgatorio liberandis esse efficacissimam, eius iam in cælis sublimata pro amico defuncto preces expeteres.

Ecce quid præstent homini veri amici Dei.

VIII. Interroganti cuidam amico spiritali, cuiusmodi Christi faciem in contemplatione videret, respondit: In

momento apparet mihi splendor inæstimabilis, & instar fulguris video ineffabilem eius glorificationis pulchritudinem. Quæ nisi raptim subduceretur adspectu contemplationis meæ, mortalis vitæ huius imbecillitas eam ferre nullo modo posset. Post eum autem fulgorem manet splendor intellectualis, & cum illo quæro eum, quem raptim videram, sed non inuenio. Itaque dicebat oculos Christi tam ineffabili coruscare splendore, vt si splendor ille Solis lumini infunderetur, in infinitum ampliùs ille Solem obscuraret, quàm solis radij stellarum lumen obtegant. Religiosus quidam sacerdos scire cupiebat, quid sibi vellent ea verba, Pulchriores sunt oculi eius vino. Vidit ergo in sancto calice diuina mysteria celebrans, Christi faciem, eiusque oculos tanto lumine radiantes, vt mundum vniuersum etiam in medijs tenebris longè vberiùs, quàm vel mille Soles possent illustrare. Nec facilè credi posset, quantoperè arserit Lutgardis Christum videndi desiderio. Quodam die audiente moniali alia, eiusmodi vox super illam insonuit: Deliciæ meæ esse cum filijs hominum.

Oculi Christi radiantissimi. *Gen. 49.*

Prouerb. 8.

PAVLO amplius anno vno ante mortem eius apparuit ei Dominus, gratulabundo vultu blandiens, & dicens: IX.
Instat iam finis laboris tui. nolo te diutiùs à me separari. Tria dumtaxat hoc anno à te expeto: Primò, vt agas gratias pro beneficijs iam acceptis: & ad hoc petas suffragia beatorum. Deinde, vt pro peccatoribus meis totam te effundas in precibus ad patrem. Postremò, vt peruenire ad me absque vlla alia solicitudine, ardendi desiderio concupiscas. Proximo ante obitum eius Paschate apparuit ei Christus cum sanctissima matre sua, in admirabili claritate. Cumq; Lutgardis, vt ferè semper de vitæ præsentis exilio & æternæ patriæ desiderio illis proponeret, non sine pia querimonia dixerunt ei: Non oportet te charissima, diutiùs huius vitæ laboribus fatigari: paratur iam tibi sempiternæ pacis refrigerium ad coronam, nec volumus tua præsentia vlteriùs carere. Decimoquinto ante mortem eius die apparuerunt ei beatissima Christi mater & sanctissimus Iohannes Baptista, quem impensè & singulariter diligebat, dixerunt-que ei: Imminet iam finis vitæ tuæ: supersest tibi corona iustitiæ: nolumus te hîc esse diutiùs: omnes cæli ciues te expectant. Alij quoque sancti illi anno apparuerunt ei crebrò in magna multitudine, prædixeruntq; ei obitum ipsius. Apparebant ei etiam quidam speciales amici eius, qui iam è corpore exierant, magnificè se lætari asserentes, quòd breui ad ipsos peruentura esset. Hæc cùm illa dixisset quibusdam amicis suis, quæsitum est ab ea, quomodò posset sanctos internoscere. Respondit illa: Ex ipso Christo, qui est sanctus sanctorum, quidam animam meam illustrans splendor egreditur, in quo singulos quosque sanctos mihi apparentes perfectè cognosco. Porrò sanctos ipsam inuisentes obnixè rogabat, vt gratias agerent Deo pro ipsa & beneficijs ei collatis.

Crebro Lutgardi prædicitur obitus eius à Christo, &c.

Corona iustitiæ.

Sæpè reprehenderat moniales in valetudinario manentes, quòd parùm attentè persoluerent preces Canonicas, diuinitùs institutas. Cùm autem dimidio ante obitum suum anno, non videret diuina maiestate & reuerentia dignam in sororibus emendationem, ait: Scio equidem, quòd post decessum meum culpam hanc manus Domini in sororibus vindicabit: & tunc memores verborum meorum, castigatæ cum multa humilitate se corrigent, & Dominus mox retrahet manum suam, quam iam extenderat ad vltionem. Quàm autem veraci spiritu hæc illa prædixerit, res ipsa neminem sinit ambigere. Nam vbi illa excessit è vita, confestim dira pestis inuasit in illud monasterium, & breuissimo temporis interuallo quatuordecim probatissimæ sorores extinctæ sunt. Ego verò eodem tempore illuc veni, & duas carne ac spiritu sorores, vno eodemque momento animam reddentes, oblato pro eis sacrificio, in vno tumulo sepeliui. Cùm se autem infirmæ sorores in valetudinario in dicendis Canonicis precibus correxissent, Domino manum suam retrahente, pestis illa protinùs sopita est. X.

Pestis castigat monasterium propter preces horarias negligenter solutas.

Ex specialibus Lutgardis amicis, quidam vir sæcularis graui se scelere obstrinxerat. Confessus est autem illud XI.
peccatum suum, & egit pœnitentiam, sed in precibus suis nullam indulgentiæ consolationem sentire potuit. Itaque parùm abfuit, quin in desperationis voraginem præceps corrueret. Venit ergo ad Lutgardem, tanquam ad matrem suam, & ei tum facinus suum, tum quid pateretur eius causa, cum multo animi mœrore explicauit. Illa verò semel atque iterum & tertiò etiam pro illo Dominum rogans, nullum, vti consueuerat, à Domino responsum obtinuit: nec miser homo meliùs sentiebat. Tum verò Lutgardis cum Domino in precibus mira spiritûs instantia luctabatur. At vbi sensit, Dominum non ira misericordias continentem, se vincere non posse, ait: Aut dele me de libro vitæ, aut dimitte illi noxam hanc. Mox ad misericordiam flexus Dominus, Ecce, inquit, remisi illi, quia confidit tibi: nec illi duntaxat, sed etiam omnibus illis, qui tibi fidunt & diliguntur abs te, propter te benignè faciam. Sub his verbis homo ille confestim perfectam veniæ spem concipiens, ad tranquilliorem animi statum, quàm fuerat ante lapsum, Domino miserante peruenit.

Exemplum perfectissimæ charitatis.

IAM verò, quantùm quidem ad illam attinet, dies sequitur exultationis & laudis: quantùm autem ad nos, & XII.
omnes illos, qui illius patrocinijs & consolatione fouebamur, dies luctus & mœroris. dies, quem ego infelicissimus omnium, nec morte, vt sæpè rogâram, anteuertere potui, nec subsequi possum, quouis orphano calamitosior. Venit ergo dies, qui antecedit sacrosanctę Trinitatis solennitatem, & illa graui quidem, sed iucunda febre decubuit, trini Dei perpetua cultrix & veneratrix. Ingraueſcente autem morbo exercebatur. Altero post illam solennitatem die venit Wilhelmus conuersus Affligmensis (cuius monasterij fratres propter religionis obseruantiam præcipuè charos habebat) illam inuisere volens, dixitque inter cætera: Vtinam sciret Dominus Abbas noster te tam malè valere. Et illa: Cras, inquit, veniet ille meus amicus præcipuus, meque videbit. Quod cùm ille incredibile putaret, admirans conticuit. Manè alterius diei Abbas illum locũ ad duo milliaria prætergredi volens, nec quicquam de aduersa Lutgardis valetudine sciens, mutata sententia dixit socijs suis: Eamus visum dominam Lutgardem: iamdiu enim illam non vidi. venit ergo in Aquiriam, & cùm ad eam accessisset, illa multùm gratulans, atque è lecto deportata residens, manum Abbatis tenuit, dixitque ei: Iam recedo charissime, & nihil te charius sub sole relinquo. Noueris autẽ, quòd ad te attinet, diuinitùs me consolationem accepisse. His dictis, Abbas in alia distractus abscessit, & illa vsque ad quintam feriam in multa spiritûs alacritate permansit. Ipsa autem quinta feria cùm vocem Sibyllæ à Gagis audiuisset, ait: Sedeas hîc iuxtà cor meum: en plenum est monasterium militia cælestis exercitûs: animæ beatorum præsentes sunt, & multæ è sororibus nostris, quæ hinc emigrârunt. Quod cùm dixisset, siluit, & deinceps tota sexta feria vultu gratissimo diuinæ contemplationi intenta, in ecstasi fuit. Sabbato autem, cùm iam mortis hora adesset, oculos in cœlum sustulit, & munita viuificis sacramentis, in medio iuuenculaurum tympanistriarum, admixtis cælestis exercitûs principibus psallentibus, felix anima ad liberas auras supernæ Hierusalem exultans & lætabunda euolauit sub vesperam, Anno à Christi incarnatione 1246. decimosexto Calendas Iulij, ndictione 4. ætatis suæ anno 64. regnante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto est honor & gloria per infinita sæcula sæculorum, Amen.

Toto die manet in ecstasi.

Abit è corpore.

CVM autem redderet spiritum, quædam è sororibus, tanta spiritûs suauitate & alacritate perfusæ sunt, vt præ XIII.
admiratione sese non caperent. Nec mirum, cùm in seipsis planè experirentur, cum immenso supernorum ciuium tripudio ipsum salutis nostræ principem Iesum, animam illius in paradisi delicias euocâsse. In signum autem virginalis integritatis, in ipso obitu candor cum lilij nitore coniunctus faciem eius obtinuit. Oculos, vt diximus, sub ipsam mortem ad cælum sustulit, cùm iam anteà diù clausos habuisset, nec eos posteà vel in morte, vel post mortem clausos habere potuit, quando ipse oculorum habitus iter, per q̃ spiritus excessisset, indicauit. Totius verò corporis cutis

Facies morientis. Oculi. Cutis corporis.

cutis tanta fuit lenitate, vt contrectantium manus candidam eamque mollem byssum sibi tangere viderentur.

XIV. Porrò cùm sacrum corpus lauaretur, quædam soror multis annis vnius manûs vsu planè destituta, non de industria, sed casu manu illa arida inter lauandum illud attigit, & derepentè curatam se sensit. Per multis annis ante obitum eius complures moniales & conuersos fratres instanter rogaueram, vt si accideret, sicut proh dolor accidit, me ad eius è vita decessum non adesse, manum eius abscinderent, mihique pro sacra illius memoria reseruarent: quam ad rem consensum obtinueram venerabilis eius loci Abbatissæ Hauuigis. Vt autem est fœminarum ingenium, celanda prorsus celare non posse, moniales Lutgardi, quid de præcidenda ipsius manu rogâssem, indicârunt: cumque paulò pòst in Aquiriam venissem, & cum ea colloquerer, illa me serio vultu intuens: Audiui, inquit, fili charissime, te post mortem velle mihi amputare manum. Ego verò demiror, quid ea manu facturus sis. Tum ego rubore suffusus, Credo, inquam, & corpori & animæ meæ profuturum, si, vt spero, manum tuam obtinuero. Mox illa sereno, vt erat, vultu subridens, & digitum auricularem dexteræ manûs in fenestra, ad quam loquebamur, deponens: Satis, inquit, tibi sufficiet, si hunc digitum post decessum meum obtinere licuerit. Tum ego maiori fiducia in eam inuectus: Nihil, inquam, mihi de tuo corpore satis erit, nisi vel manum, vel caput habeam, quod mihi sit orbato te leuamentum. His dictis ad alios sermones descendimus: nec tamen quicquam illa alicui ea de re dixit, nec aduertit quidem aut alicuius pensi habuit. Postquàm autem illa defuncta, & corpore in ecclesiam deportato, tempus opportunum se obtulit, Guido quidam valdè religiosus iuuenis & alius conuersus socius eius, digitum illum, quem mihi Lutgardis suffecturum dixerat, amputârunt & dentes sedecim ex eius ore extraxerunt. Ego verò cognita eius morte, cum parirer didicissem ex eius manu digitum excisum, nec scirem tamen, quisnam esset: Iam nunc, inquam, perspicuè licebit intelligi, num verè prophetissa fuerit Lutgardis quæ ante annos plurimos auricularem dextræ manûs suæ digitum mihi sufficere posse prædixit. Itaq; veni in Aquiriam, & illum ipsum, quem prædixerat, digitum præcisum comperi, sensique illo planè me contentum fore, si eum liceat obtinere. Accessi ergo Abbatissam, & pro ea re preces supplices cum lachrymis obtuli, sed cum magno dolore meo solam Abbatissam inexorabilem inueni: sed, vt arbitror, non absque superni dispensatione consilij. Voluit enim probare omnipotens, illum me Lutgardis digitum habiturum, quem ipsa promisisset, licèt eum nescia simplicitas petenti negaret. Rursus autem in Aquiriam venienti mihi, & promittenti, scripturum me piæ Lutgardis vitam, cùm ingenti cordis mei gaudio donatum est omni auro & argento optatius munus. Nec me hac in re liuidus quispiam putet argendum, quòd Lutgardis necdum in sanctos relatæ digitum tanto amore complector: Legimus beatissimam Nataliam Adriani martyris brachium, eo interfecto, mox amputasse: venerabilis quoque Mariæ de Oegnies, necdum sanctorum catalogo adscriptæ, digitum in eius obitu præcisum Iacobus, piæ memoriæ quondam Achonensis Episcopus, & posteà Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, annis multis ad collum suspensum, pro maximo munere Gregorio IX Pontifici Maximo contra blasphemiæ spiritum, quo atrociter infestabatur, ferendum dedit. Beatæ quoque Elizabeth Lantgrauiæ Thuringiæ, nostra tempestate defunctæ, pollex cum indice mox præcisus fuit. Quod ergò S. Natalia, & vir memorabilis Iacobus Cardinalis, & Pontifex Maximus Gregorius, & multi alij fide digni, tanta authoritate ante me fecêre, nemo in me ceu stultum & impium carpendum suscipiet, nisi qui planè stultus & impius sit.

Miraculum

Ecce graues viri quanti faciant reliquias piorum.

XV. Porro autem cùm sacrum Lutgardis corpus humandum adhuc in feretro iaceret, quæstio incidit, vbi tam præclaras reliquias condi oporteret. Contigit autem diuina ordinatione, vt venerabilis Abbas Alnensis monasterij, ex Ordine illius cœnobij Visitator, triduo ante sepulturam Lutgardis decessum exspectaret. Is ergo illic tum præsens, dixit: Vbi verò tumulari eam par est, nisi in ecclesia, vbi pro dignitate omnes ad eam adire possint? Ea autem Abbatis vox consensum omnium obtinuit, & ad dextrum Chori latus iuxta parietem, vbi orare consueuerat, celebri & honorato loco condita est. Porrò Sibylla à Gagis, hoc ei Epitaphium posuit:

Epitaphiũ Lutgardis.

Lutgardis vixit, vitam sine crimine duxit:
Cum Christo degit, quam lapis iste tegit.
Esuriens hæc & sitiens cælestia, luxit.
*Mera dies sponsi facies illi modò luxit.
Hæc speculum vitæ, flos claustri, gemma sororum:
Fulsit in hac pietas, compassio, gloria morum.

*Mira dies.

Statim autem ab ipsa sepultura apparuit Elizabethæ de Vuans moniali Aquirien si in magna gloria, sciscitantique illi, num aliquo temporis spatio fuisset in locis Purgatorijs, respondit: Non solùm nullum ego Purgatorium perpessa sum, sed etiam loca Purgatorij præteriens, afflictisq; animabus condolens, illis benè precabar, complureque ex illis Dei benignitate è pœnis ereptas, ad paradisi amœnissima loca mecum abduxi. Hæc vbi dixit, Elizabetha videbatur sibi audire, tanquam iuuenculæ cuidam moniali, Machtildi nomine, illam dicentem: Sequere me: intelligensque ijs verbis Machtildem ad excedendum è vita inuitari, se quoq; vltrò obtulit ad ita sequendum illam, dixitque: Liceat etiam mihi sequi te mater dulcissima. Respondit autem Lutgardis: Non potes me sequi modò, sed posteà me matrem sequeris filia. Habuit verò visio illa mox effectum suum. Iuuencula enim à Lutgarde inuitata, intra nouem dies defuncta est: Elizabetha verò etiamnum supersest.

Apparet defuncta in multa gloria.

XVI. Cvm autem iuxta Lutgardis propheticam prædictionem dira pestis moniales Aquirienses infestaret, quædam soror per visum multos conspexit in monasterij ecclesiam insolenter irruere: cumq; nullus eos compescere posset, vidit Lutgardem surgere è tumulo, & omnes illos summa vi è templo exturbare. Habuit verò etiam illa visio celerem effectum, sæua illa peste à monasterio Aquiriæ profligata. Porrò moniales quicquid è zonis, peplis, velis, ac aliis rebus Lutgardis habere poterant, certatim quasi pro reliquiis, & reuerà præclaris reliquiis, ad se rapuêre. Nobilissima autem puella Beatrix de Roauia monialis, quæ facultatibus suis Aquiriæ monasterium ab inopia copiosissimè vindicauit, anthracem, siue, vt Medici vocant, carbunculum, in collo patiens, velum capitis Lutgardis ad collum apposuit, pernicioseque turgens malum illud repentè abscessit. Dominus Alardus, qui in eo monasterio permultis annis Capellanum egerat, pollice inflato multum anxiè cruciabatur. Is Lutgardis reliquias postquàm ad pollicem alligauit pro doloris & tumoris remedio, vox remedium præsentissimum expertus est.

Velo capitis eius carbunculus curatur.

Miracula ex reliquiis eius.

XVII. Oda Aquiriæ Supprioriſſa grauiter manum dolens, ex circumligatis ei Lutgardis reliquiis continuo perfectissimè curata est. Eiusdem nominis consanguinea monialis, nata ex Brauiæ oppido, præ capitis debilitate, qua diù vexata fuit, nullum prorsus lilij, odorem ferre potuit. Et vt vidit ad tumulum Lutgardis lilia posita, horruit quidem ipso adspectu: sed cùm caput solum ad tentandum, num posset ingredi, in ostium intulisset, nihilq; molestiæ sentiret, mox fidentiùs introgressa, tumulum adijt, lilia naribus admouit, nec vllum penitùs dolorem persensit. Eadem monialis nocte in tenebris ad sepulcrum eius orandi gratia se prosternens, oculo impegit in candelabri ferrum acuminatum, moxq; apposuit oculo manum, vt iam è suo loco quasi excidentem, ne penitùs decideret, retineret. Itaque dolore intolerabili affecta, dixit: Quid est, sancta mater Lutgardis, quod mihi accidit? En pro tuî veneratione procidens, oculum perdidi, quem seruare te oportebat: atque inde molestiam refero, vnde remedium sperabam.

Ocusus restituitur.

Hæc vt

Hæc vt dixit, surrexit, & momento temporis plenissimè restituta, nihil neque angoris, neque doloris sensit.

Nota de velo eius.

MARIA de Andeua Aquiriæ monialis, grauissimo dolore capitis afflicta, ita vt ne puncto quidem temporis XIX. vllo corporis membro posset quiescere, seque humi impatientiùs volutaret, cunctis mirantibus, quippe qui eam quam primùm mentis inopem fore putabant, velo Lutgardis adhibito vsque adeò mox reualuit, vt nullus omninò dolor in illa relictus videretur.

Item cingulo.

Matrona quædam nobilis in partu diutissimè & periculosissimè laborans, allatum cingulum, ex equorum setis confectum, quo Lutgardis carnem suam affligere & macerare consueuerat, vtero impositum, cunctisque stupentibus, sine dolore in suam & prolis salutem liberata est. Quod idem diuersis in locis & personis efficaciter est probatum.

AN. 1060 VITA SANCTI GEBEHARDI SALISBVRGENSIS ARCHIEPISCOPI, FVNDATORIS ECCLESIÆ ADMVNTENSIS: QVAM

edidit tomo 6. antiquæ lectionis I.V.D. Henricus Canisius.

IVNII 16 S Gebehardi parentes

GLORIOSVS igitur Gebehardus, alto Sueuorum stemmate, patre Chadoldo, matre Azala progenitus, in primæua ætate sua liberalibus studiis traditur imbuendus. Vbi cum docilis puer, non tam ætatis incremento, quam litteralis scientiæ * succrescere fastigio, emensa † demum pueritia, partimque adolescentia, ingenuitatem generis, morum nobilitate, ac sapientiæ iubare transcendit. Euacuatis enim quæ erant paruuli, diuinis se mancipabat obsequiis & lectionibus, quamuis in sæculari pomposo schemate forinsecus splenderet ornatus. I.

* *succresceret.*
† *igitur.*

Fit sacerdos * Saltvvino

PER singulos itaque gradus sacris ordinibus insignitus, ad Sacerdotij deinde gradum, quia dignus est inuentus, II. quarto Nonas Martij, anno incarnationis Domini M.LV. à venerabilibus * Baldwino, sanctæ Salisburgensis Ecclesiæ Archiepiscopo, sub sancto Leone Papa, est promotus: prædicti Deo digni Archiepiscopi, futurus Episcopus successor, ac Christi & Ecclesiæ indefessus propugnator.

Imperatoris item Capellanus.

HVIVS ergo celebri fama illectus Imperator Heinricus III. cognomento Pius, Heinrici Babinbergensis successor, eum ad se adscitum, regiæ aulæ summum præfecit Capellanum. Quo post paucos annos rebus humanis exempto, & Heinrici IV. filio prioris in sceptra regni succedente, Gebehardus item primus inter primos palatij habebatur. Et quàmuis in terreno conuersaretur palatio, cœlestis tamen regis famulatui summopere inhærebat. III.

ANNO deinde incarnationis Domini M. LX. qui sextus sacerdotij ipsius Gebehardi fuerat annus, post dor- IV. mitionem præscripti venerabilis [a] Baldwini Archiepiscopi, concordi & alacri totius Cleri, ac [b] ministerialium electione in Salzburgensem Metropolitanum diuino nutu est sublimatus, vtpote virtutum omnium [c] gratia adornatus.

[a] *Badvvini.*
Fit Archiepiscopus Salisburgensis.
[b] *ministrarium.*
[c] *genere.*

Fit Archiepiscopus Salisburgensis.

IGITVR Deo dignus Metropolita Gebhardus, tertio Idus Iunij, in loco Eschinwanch dicto, accepto à Rege V. Heinrico, & castæ desponsationis sacrosanctæ matris Ecclesiæ annulo, & reuerendæ pastoralitatis baculo, sanctæ Iuuanensis Ecclesiæ sedi, ab Adalberone Wirzburgẽsi Episcopo, XII. Cal. Augusti, [d] iuxta sancita Canonum inthronizatur. Nec longo post conuenientibus Ratisponæ Gebehardo eiusdem vrbis Episcopo. Engelberto Patauiensi Præsule. Ellinhardo Frisingensi [e] Pontifice. Altwino Sabionensi Antistite. Adalberone Wirzburgensi Præside. Gunzone * Ehihstetensi Episcopo, in gradu Episcopalis honoris per læta popularium suffragia III. Cal. Augusti, fœliciter est prouectus. Ab † hinc vno & semis anno, pallij insignibus & priuilegio singularis prę cęteris Coëpiscopis principatus ab Alexandro Romanæ sedis Episcopo, per Wezilinum Præpositum octauo Calend. Martij, glorioßissime perßplenduit. Sed hic tripliciter honoratus.

[d] *intra.*
[e] *Episcopo.*
* Consecratur.
† Accipit pallium

HIS ille honoribus nesciebat superbire, sed magis humilia de se ipso nouerat sentire. Diuitiis etiam affluenti- VI. bus cor non apposuit. [f] sed his tripliciter vsus, aut in augmentum & proficuum Ecclesiæ suæ expendit, aut Monasteria & Basilicas ex eis construxit, vel pauperibus erogauit.

[f] *sed, deest.*

PRÆTEREA tam regno quam Romanæ sedi accommodatissimus existens, dilatauit gloriam populo suo & Ec- VII. clesiæ, quousq; inimicus superueniens zizania discordię, inter regnum & sacerdotium, proh dolor, seminauit. Pręsul ergo egregius, cum instar lucernæ candelabro superpositæ, omnibus qui in domo Dei erant, scientiæ & vitæ merito luceret, eum sancta Romana Ecclesia, quasi specialem filium suũ, quasi verum Catholicum, iudicauit esse dignum, cui legationem suam super omnes Teutonici regni Ecclesias committeret. Sic itaq; ex Archicapellano regni, Archiepiscopus Iuuauensis & Legatus Apostolicæ sedis prouectus est, & immobilis Ecclesiæ columna enituit.

Fit legatus sedis Apostolicæ.

ANNO igitur incarnationis Domini M.LXXIV. ordinationis suæ XV. in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, IIX.

Construit monasteriũ Admuntense.

sanctique Blasij Episcopi & Martyris, Monasterium in valle Admuntensi construxit, quod & ipso anno, tertio Calend. Octob. Indictione XIII. tempore Gregorij Papæ VII. anno secundo ordinationis suæ, Imperij vero Heinrici Imperatoris quarti huius nominis anno XVII. In quo nimirum Monasterio duodecim Monachos Sacerdotes ad seruiendum Deo ordinauit, ad quorum stipendia & vestes, necnon & hospitum & pauperum sustentationes prædia tradidit, inprimis quæ matrona quædam nobilis Hemma Comitissa de Friesaco & de Truchsen, post mortem mariti sui Wilhalmi Comitis & filiorum suorum Hartwici & Wilhalmi, tempore Baldwini Archiepiscopi, sancto Rudberto dedit in valle Admuntina cum aliis prædiis, ad cœnobium ibidem fundandum. Et præterea maxime illa, quæ ipse sui Episcopatus tempore, in ius Ecclesiæ Iuuauensis, cui, auctore Deo, præfuit, ex diuersis commutationibus & complacitationibus conquisiuit. Dominicalia namque Episcopij attingere noluit, sed vt diximus, prædiis quæ fidelium donatione, vel pro banni absolutione, emptionis comparatione conquirere potuit, Monasterium ipsum dotauit.

FIDELES quoque suos, tam nobiles quam ministeriales rogauit, vt prædia sua, vel beneficia ipsi Monasterio IX. contraderent. E quibus specialiter tres nobiles, Leupoldus, Maganus & Anzo, plurima quæ possederant beneficia resignantes, Monasterio tradi impetrarunt. Otaherus quoque Marchio proauus Marchionis O. de Styre, intuitu dilectionis ipsius Deo digni Archiepiscopi, & pro salute animæ suæ, tradit villam Eychdorff/ eidem Admuntensi Monasterio. Adilbero etiam germanus eius Marchionis, qui diutinam cum fratre guerram habuit pro absolutione banni, & multimodis iniuriis cœnobio in persequutione Heinrici IV. Imperatoris illatis, tradidit per manus itidem Archipræsulis super Altare S. Blasij, villas duas ab Arnich/ cum omnibus suis pertinentiis, & prædium Hvzenpuhele. Ad hæc complures decimas, suis exactionibus conquisitas dedit, quia gens Sclauonica in eius Episcopij terminis posita, ante ipsius tempora, aut nullas, aut pauciſſimas reddere consueuit. Dedit etiam ornamenta complura, auro, argento, & serico valde pretiosa, vestimenta scilicet sacerdotalia, libros, calices, & quæque diuinis ministeriis necessaria. Inter cætera denique bona, sanctorum, egregiis pignoribus locum nobilitauit, inter quæ brachium sancti Confessoris Paterniani, cum cohærente sibi manu. Sed & sancti Chrisanti Martyris caluariam, & commilitonis eius sanctæ Dariæ virginis, necnon & sancti Vincentij, cum multis aliis sanctorum reliquiis, eidem donauit Ecclesiæ.

Locvs

X. Locvs hic inter montana Bauariæ, iuxta Anasum fluuium in valle situs est. Aditum difficilẽ viantibus præbet, adeo ipsa natura munitus per gyrum, vt altissimorum montium ambitu cœlo proxime dicas circummuratum. Profectus nisi in montes aut sursum, non est. Hoc monasticæ conclusioni præstruente natura idoneum, hoc vnum de cæteris, quare locus à strenuis, longe lateq; amatus expetitur, ab aliis horretur, fugitur. Necesse est, fortia diuersas mentes, aut prouocare aut reuocare. In hocigitur loco Monasterium beatus Præsul, fundare desiderans, dum esset ibi constitutus, quia fiscus Episcopalis erat, triduum continuum perstitit, non manducans neque bibens, adeo æstuans discerpebatur cogitationibus suis, dum quid definiret eligere poterat. Mulcebat partim facies loci, quod inuius conuictui hominum, tamen nullius idoneæ rei materiam in venis montium negaret. Angebat è contra non carpento neque trahea, verum solis Saumariis necessaria posse inferri. His animum distrahentibus, postridie etiam tum cunctanti, subito surdus & mutus quidam in medio exurgens diuino nutu coram omnibus hæc verba in teutonico eleganter concinnauit, Episcopo inquiens: Tu debes inchoare, Deus debet consummare. Qui homo nec postea nec ante vllas edidit voces, donec post multos annos in depositione ipsius Episcopi ad sepulchrum eius pleniter aurium & linguæ est restitutus officio. Mirantur itaque vniuersi, stupor & gaudium replent Episcopum. Mox quasi diuinitus accepto oraculo, intrepida mente, promptissimo studio, Monasterium cœpit construere, sacris vestibus, & marmore copiose ornare, redditibus ditare. Arnoldo Monacho de Monasterio sancti Petri, ad prouisionem ipsius loci ascito, fauente Domino Reginwardo venerabili Abbate sancti Petri. Sed prædicto Arnoldo propter paupertatem loci, non diu hic durante Isingrinus ab eodem est Archiepiscopo substitutus.

Surdus & mutus loquitur.

XI. Opere pretium est hic inserere, qualiter præfatus & sæpe nominandus Pater & Dominus * noster Gebehardus Archiepiscopus, ab ineunte ætate in proposito habuerit, vt si ex voluntate Dei facultas sibi posthac supperetet, Monasterium aliquod, vbi diuinæ laudes iugiter hymnizarentur construere, quod ex subsequenti relatione potest perpendi. Dum enim aliquando in pueritiæ flore constitutus cum collegis suis Altmanno postea Patauiensi Episcopo, & Adalberone postea Wirzburgensi Episcopo, studiis liberalibus imbueretur, contigit vt cum his, quos prędiximus fidissimis sodalibus, timore puerili fugam iniret. In via igitur ad quendam fontem diuerterunt, & ibi de cistarciolis suis panem quantulumcunq; proferentes corpuscula recreabant. Et licet puerili affectione, Dei tamen magis, vt post paruit, inspiratione præsagio virtutis suæ spiritu, inter cætera quæ confabulabantur Episcopos se futuros prædixerunt, & Monasteria se ad Dei seruitium fundatũros vouerunt, quod postea efficaciter compleuerunt.

* noster deest.

Vota.

XII. Primvs igitur Altmannus subintulit, se Patauiensis Ecclesiæ præsulatum velle conscendere, quo adepto, Monasterium se constructurum, ibique nouissimam tubam ad resurgendum exspectaturum. Dum Adalbero: Ego vero Wirzburgensis Ecclesiæ Pontificatum suscipiam, & cœnobium Christi seruorum instituam, vbi & ego recondar, communem omnium præstolaturus resurrectionem. Tunc Gebehardus: Ego amborum vestrum magister futurus ero, quia volente Deo Salzburgensis Ecclesiæ metropolatu sublimabor. At Monasterio, quod regulari institutioni ordinauero, vltimum examinis diem præstolabor.

XIII. Hæc ideo hic inserere dignum diximus, vt ostenderemus, quam grata Deo simplicitas istorum fuerit, & cordis mundicia, quorum * dicta puerili quodammodo ioco prolata, tam mirabiliter ad effectum perduxit. Nam Gebehardus in Salzburgensi metropoli postea sublimatus. Admuntense cœnobium, vt prædiximus, fundauit. Altmannus Patauiensis Episcopus factus * Chotwisense Monasterium instituit. Adalbero similiter ante ambos Wirzburgensem sedem adeptus, Lambacense cœnobium construxit.

* dicta deest.

* Tothvvisense.

XIV. Præfatvs quoq; Archiepiscopus, priusquam Admuntense fundaret Monasterium, anno incarnationis Domini M.LXXII. instituit sedem Episcopalem intra Carinthiam, in loco Gurca dicto, vbi prius fuerat cœnobium sanctimonialium, cui præfecit & consecrauit Episcopum Guntherum, II. Nonas Martij, præsentibus & benedicentibus Episcopis, Altwino Brihssinensi, Ellenhardo Frisingensi, Candiano de Hystria, cæteris comprouincialibus Episcopis, Ottone scil. Ratisponensi, Altmanno Patauiensi, per epistolas suum in hanc ipsam ordinationem præbentibus assensum. Prolata est ibi tunc & epistola Domini Alexandri Papæ, & ad confirmationem huius constitutionis in auribus populi lecta & interpretata. Sed & litteræ Regis Heinrici, suum in hanc consensum pronunciantes, similiter sunt recitatæ, quarum tenorem infra posuimus.

Instituit sedem Episcopalem in Carinthia.

XV. Alexander Episcopus, seruus seruorum Dei, Gebehardo Salzburgensi Archiepiscopo, suisq; successoribus in perpetuum. Quotiens ea à nobis petuntur quæ religioni conueniunt, prompta debemus concessione annuere, & fauoris nostri grataner præbere assensum, quoniam ex consideratione nostri officij cogimur Ecclesiarum vtilitatibus, etiamsi minimè exigantur solicite inuigilare, & animarum saluti solerti studio prouidere. Quapropter dilectissime frater, quia postulasti à nobis, quatenus Apostolica auctoritate concederemus, tibi vnum Episcopatum in tua Parochia constituere, quia Ecclesia tua tam amplè diffusa est, quod per te solum non possis eam in chrismate, aliisq; pluribus, quibus Episcopali officio indiget, decenter ac rationabiliter regere: Piis precibus tuis inclinati, libenter annuimus, & vt etiam impleatur, satagimus. Apostolica igitur auctoritate, venerande frater, religioni tuæ concedimus, volumus, & firmamus, atq; auctoritate beati Petri, Apostolorum principis, in quocunq; loco tibi melius visum fuerit, Episcopatum in tua Parochia, construe, & ad procurandum salutem animarum, adiutorem tibi tua consideratione ibi præpone. Ita tamen, vt Episcopatus ille Ecclesiæ tuæ, tibiq; vel tuis successoribus nunquam subtrahatur, & nullus ibi Episcopus quandoq; siue per inuestituram, vt dici assolet, vel quocunq; pacto inibi constituatur, nisi quem tu, vel tui successores prompta voluntate elegerint, ordinauerint, & consecrauerint. Indignum enim atq; detestabile est, vt hoc quod studio pietatis à nobis quæsitum, Apostolica auctoritate firmatum, ad detrimentum Ecclesiæ tuæ quolibet modo vertatur. Si quis autem temerario ausu huius nostræ sanctionis priuilegium infregerit, nouerit se Apostolicæ excommunicationis atq; anathematis vinculo innodatum. At vero, qui pio intuitu custos & obseruator extiterit, perpetuæ benedictionis abundantia repleatur. Data Lateranis XII. Cal. April. per manus Petri Clerici, fungentis vice Petri sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis ac Bibliothecarij, Anno ab incarnatione Domini M.LXX. Pontificatus vero Domini Alexandri Papæ II. nono, Indictione VIII.

XVI. In nomine sanctæ & individuo Trinitatis. Heinricus diuina fauẽte clementia Rex. Quotiens ea à nobis petuntur, quę religioni conueniunt, prompta debemus concessione annuere, & fauoris nostri grataner prębere assensum. Ergo fidelis noster Gebehardus Iuuauensis Archiepiscopus, de commissarum sibi animarum periculis dolens conquestus est, quod Episcopatum suum in Montanis situm, præ nimia Parochiæ amplitudine, & viarũ difficultate, per se solũ regere non sufficeret, consultu fidelium nostrorum, pro necessitate Ecclesię, decreuimus & annuimus, vt infra Parochiam suam, adiutorem sui operis Episcopum & sedem Episcopalẽ constitueret. Igitur in loco qui dicitur Gurca, apud Ecclesiam sanctæ Mariæ, vbi prius erat congregatio sanctimonialium, placuit nobis vt Cathedram Episcopalẽ faceret, & eidem nouæ sedi, partem Parochiæ suæ, & de prædiis & decimis, quantum sibi conueniens videretur attribueret, & ad eandem sedem, Episcopũ ex sua consideratione ordinaret, ea videl. ratione, vt Episcopatus ille Ecclesiæ Iuuauensi, & prædicto Archiepiscopo suisq; successoribus, nunquam subtrahatur, & nullus ibi Episcopus quandoq; siue per inuestituram, siue quocunque modo constituatur, nisi quem prædictus Archiepiscopus, suique successores elege-

elegerint, ordinauerint, consecrauerint. Et vt hoc nostrum regale præceptum stabile & inconuulsum omni permaneat æuo, hanc chartam inde conscribi, manuque propria corroborantes sigilli nostri impressione insigniri. Ego Albero Cancellarius, vice Sigefridi Archicancellarij recognoui. Data II. Nonas Februarij, Anno Dominicæ incarnationis M.LXXII. Anno ordinationis Domini Heinrici Regis XVIII. regni vero XVI. Indictione X. Actum est Ratisponæ, in Dei nomine, Amen.

XVII. HÆ igitur vtræque Epistolæ destinatæ sunt seruari in Ecclesia Iuuanensi. Iuuit ad hanc nouam constitutionem & quidam veterum notitiarum codex. Repertus enim erat talis in camera librorum Salzburgensi, & in eo reperti tum, qui Episcopi, sub quibus Archiepiscopis Salzburgensibus Ecclesiæ vices & ante gessissent in prænominata regione. Beatus enim Virgilius Episcopus octauus à beato Rudberto, gentem Karentanam tempore Thassilonis Ducis Bauariæ, quibusdam occasionibus, ad fidem Christi conuertit, & Episcopum illic Modestum dictum, in loco Liburnia dicto constituit, per quem & per cuius successorum instantiam, eadem gens Sclauonica à ritibus idololatriæ reuocaretur. Item ab Arnone primo Archiepiscopo Theodoricus Episcopus. Ab Adalramo secundo Archiepiscopo, Otto Episcopus. A Liupramo tertio Archiepiscopo Oswaldus Episcopus, prælati sunt Karentanis. Repertæ sunt in eodem libello crebræ discordiarum causæ inter ipsos Archiepiscopos, & subepiscopos illos, propter quas coniicitur vicem illam tunc cessauisse, & morientibus aliis; alios non fuisse substitutos. Et quia huiuscemodi stabilitatis anchoras non habebant, sedem videlicet Episcopalem & Clerum ac plebem, in separatis sibi Parochiæ terminis, cum qualibet supradicta restauratio renouata est & stabilita.

XIIX. Henricus Imperator excommunicatur. DEINDE post aliquot annos excommunicatur Rex Heinricus, in synodo Romana, & Episcopi singuli, missis à Papa Gregorio Epistolis, prænoniti sunt etiam obsecrati pro obseruanda sancto Petro & eius Vicario obedientia, inbanniti quoque & sub obtentu sui officij sunt astricti, ne Regi anathematizato & eius consiliariis nominatis communicarent. Hoc nouum siue rarũ in Regem anathema, vtrum ex venditione Episcopiorum & Abbatiarum, an ex alia infamia, causas sumpserit, penes earum conscios sit & iudices, nobis sententia pastoris timenda est, siue iusta siue iniusta. Prædictus enim piæ memoriæ Papa Gregorius, velut alter Helias Spiritu Dei plenus, & zelo iustitiæ & veritatis accensus, Sacerdotes Baal, non quadringentos, sed infinita millia trucidauerat, quia vel eos qui per simoniam Episcopatus, Abbatias, Præposituras, Præbendas, vel Ecclesias obtinuerãt, vel qui in sacerdotio aut diaconatu vxores habuerant, vel qui à simoniacis vel schismaticis ordinati fuerant, gladio Petri omnes simul truncauerat. Proinde istorũ instinctu Heinricus Imperator Wichpertum Rauennatem hæresiarcham, expulso præfato Papa Gregorio, Romæ inthronizauit, quem vna cum Rege & suis cõplicibus & fautoribus iam dictus Papa anathematizauit. Videres nunc nauiculam beati Petri, quasi dormiente interim Iesu propemodum mergi, & tempestatũ procella vexari, dum omnes veritatem & fidem beato Petro & eius Vicario seruantes, aut in vndas mortis dirum fremens ac feruens salum trahebat, aut in longum exilium, patria, honoribus, rebus ex sortes iactabat. Tempora nimirum tunc valde periculosa instabant, cum præter Christi athletam nostrum Dominum Gebehardum Archiepiscopum Salzburgensem, Altmannum Patauiensem, Adilberonem Wirzburgensem, Hermannum Metensem, Meginwardum Frisingensem, præter hos solos quinque, in toto regno Teutonico Episcopus Catholicus inueniri non poterat.

XIX. S. Gebehardus adhęret Papæ contra Imperatorem. EA igitur tempestate iste noster Dominus sæpefatus Archiepiscopus fidelis Romanæ Ecclesiæ & veritatis Catholicæ propugnator eminebat, qui velut alter Machabæus lorica fidei se succinxerat, & gladio verbi sui castra Ecclesiæ in toto regno Teutonico protegebat. Proinde aure cordis, audiens illam Domini vocem in Euangelio clamantis: Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit. Quia Christum pro redemptione Ecclesiæ, ad crucis brachia pendentem sincera fide sequi studuit, multa tunc personæ & ordini indigna nimis, à fautoribus Regis excepit. Qui mox & Ecclesiæ suæ bona diripiebant, vnusquisq; vicina sibi quasi ex permissione Regis vendicans, & bannos Domini Papæ, ipsiusque nostri ob hanc direptionem illi factos paruipendens. Tunc etiam magna pars Vngaricæ terræ, quondam Ecclesiæ sancti Rudberti traditæ ab Episcopo defecisse dicitur. Hac etiam necessitate ob munimen Ecclesiæ suæ in posterum, castella duo munitissima Christi archimandrita ædificauit, scilicet in monte Salzburg & Werfen, sed & vnum castellum apud Frisacum.

Luc 11. Ideo multa patitur.

SVB publica tandem fide etiam dato à Rege ducatu Ratisponam veniens expurgare se, in quibus à Rege culpabatur, recusauit, nisi prius omnia quæ ei ablata fuerant, iuxta statuta emendarentur. Inde prolixa inter eum & inter prolocutores Regis, coram Rege agitata est quæstio. Postremo infecta re vtrinq; & indefinita, exiuit ab vrbe Rispona ad vrbem suæ sedis eo comitatu quo venerat reducens. Sed à media via diuertit, & ad partes secum facientes secessit. Quia deniq; inimicis Christi & Ecclesiæ resistere non potuit, relicta syndone nudus ab eis profugit, quia relicta sede sua in exilium secundo Idus Octobris recessit: Anno incarnationis Domini millesimo septuagesimo octauo, & nouem annos, nunc in Sueuiam, nunc in Saxoniam transmigrando cum suis similibus Catholicæ veritatis confessoribus in exilio transegit.

Abit in exilium.

XX. Alius ab Imperatore in eius locũ substituitur. REX Heinricus Perchtoldum quemdam sui erroris cõsentaneum in cubile Salzburgensis Ecclesiæ ingessit, qui & eiusdem Ecclesiæ thesaurum ditissimum dissipauit, & multa nostræ Admuntensis Ecclesiæ ornamenta cum nonnullis sanctorum pignoribus diripuit, ipsum vero locum nostrum ad solitudinem fere redegit. Inter cætera pretiosa quæ tunc temporis idem intrusus seu Exepiscopus nobis abstulit, Rationale vnum ex auro & gemmis pretiosissimis intextum, aureis catenulis dependens, pene mille marcarum pretio æstimatum, quod Imperator Græciæ fundatori nostro Gebehardo Archiepiscopo, dum legatione Cæsaris illò functus, filium eius baptizasset, pro munere donauerat, iussit præfatus Perchtoldus exponi militibus suis hæc largiturus. Duodecim igitur milites cæteris præstantiores; auaritiæ siti furentes, pro rapiendo illo in litem versi, ante atriũ basilicæ certamen ineunt, & mutuis se concidentes vulneribus, octo ex his ibi ceciderunt. Quidam vero ex fratribus Nordwinus Presbyter, Sacristæ seu Custodis functus officio, ad tantum facinus perhorrescens, & aliorum quatuor, qui adhuc supererant, simili cæde iam perituris, vitæ consulens, arreptum Rationale, in quatuor frusta confregit, cuiq; illorum suam partem tribuens. Qui Monachus eodem anno diem clausit extremum. Prædictus quoque Perchtoldus duas patellas salis, ad Paierhalle, nobis abstulit, & Comiti Gebehardo de Purchusen has in beneficio tradidit.

Nota.

XXI. S. Gebehardus restituitur suę sedi. TANDEM miseratione diuina inardescente zelo fidelium, anno exulationis suæ nono, præfatus Dominus noster Gebehardus, ab Engelberto Comite, & ab aliis quibusdã Ecclesiæ ministerialibus, & compluribus militibus reductus est in Episcopium suum comitantibus se suffraganeis suis Episcopis, Altmanno scilicet Patauiensi, & Meginwardo Frisingensi, & à Clero, & toto pene populo in sedem suam est receptus. Vbi confestim tam eum qui suam sedem inuaserat, quam & eos qui loca prædictorum suorum suffraganeorum occũpauerant, anathematizauit, ipse & Coëpiscopi sui. Sicque duobus fere annis curam exercens Episcopalem superuixit.

XXII. Moritur. ANNO igitur incarnationis Domini M.LXXXVIII. transactis ab ordinatione sua annis XXVII. mensibus X. hebdomadibus duabus, diebus duobus, exacto fœlicis agonis cursu, ad palmam supernã vocatus XVI. Cal. Iunij, in castro suo, quod Weruen dicitur, huius vitæ terminum, beato fine sortitur, & deinde translatus in nostro Monasterio,

debita

debita veneratione sepelitur, ipso die depositionis, surdum & mutum, quem prædiximus, ad sepulchrum proprium curauit. Quo primo, aliisque deinceps miraculis viuere se in cœlestibus regnis testatur. Surdus & mutus sanatur.

XXIII. Hic à S. Rudberto primo Iuuauensis sedis Episcopo, vicesimus sextus fuit. Ab Arnone primo eiusdem sedis Archiepiscopo, sextus decimus. Vir hic erat ingeniosus satis & litteratus, orationibus studens & lectionibus, canonum maxime scrutator, eleemosynarum largus, in contemptores & contumaces vltor irreuocabilis erat, siue banno, siue alterius potestatis exercitiis vti in illis voluit. Dictauit idem de illa dissensione, quæ suo tempore in Ecclesia fuit libellum ad Hermannum Metensem Episcopum, quo & semet excusaret, & quantos ex contraria parte posset huic, cui ille fauebat, parti sociaret.

XXIV. Erat eidem Domino & Patri nostro Gebehardo germana vterina nomine Diepurch, quæ cuidam nobili & libero Baroni Bauariæ Werenhero in matrimonio erat sociata. Qui ambo post mortem filij sui Gebehardi pari deuotione Monasterium Canonicorum Richerspergæ fundauerunt, & Christum sibi inibi hæredem instituerunt. Fundatio monasterij Richerspergensis. An. 1050.

VITA SANCTI BENNONIS MISNENSIS ECCLESIÆ DECIMI EPISCOPI, ET CONFESSORIS,

vitæ sanctitate & miraculorum gloria præclari, conscripta per Hieronymum Emser, sacrorum Canonum Licentiatum.

Beatissimi patris Bennonis Bennopolitani, insignis Ecclesiæ Misnensis decimi quondam Episcopi vitam descripturus, operæ precium duxi ante omnia vrbis ipsius Misnæ situm, originem ac veteris ecclesiasticæ disciplinæ, in hæc vsque tempora seruata vestigia, literis demandare: tum quòd id à nemine priùs attentatum: tum quòd indignum sit, eam vrbem apud exteros esse incognitam, quæ caput & mater est populi Misnensis, Germanorum omnium (quod cum pace tamen aliorum dixerim) facilè principis: nedum soli vbertate & bonorum omnium abundantia, verumetiam vrbanitate, ac moribus nitidissimis. Est enim idem populus Misnensis peculiariter in superos pius, in hospites liberalis: domi splendidus, foris compositus: ager verò non solum Cerere & Baccho, sed & auro & argento luxuriat. Ex gemmis adamanta, beryllum, iaspida, amethysthum, topazion, ac vniones parturit. Stanno, ferro & vniuerso ferè metalli genere scaturit: marmor præterea gignit, & omnium nouissimè repertum electrum ac succinum. Flumina colligit ratibus ac nauibus peruia, Albim Germaniæ olim terminum, Muldam, Tschoppen, Ellestram, & alia quàm plurima: torrentes vero ac riuulos penè innumeros. Nec desunt illi syluæ cæduæ, & nemora stabula alta ferarum: nec læta pecoribus pascua, & florida prata. Aëris quoque tanta fruitur temperie, vt & crocum & nonnullos alios peregrinos frutices, non inuitè etiam nutriat. Huc ego tam mites ac placidos Misnensis populi mores, tamque formosa corpora referenda censeo. Siquidem Aristotele etiam teste, haud parùm refert, hac vel illa cæli facie homines procreari. Domos hic ædificant, vel sectili lapide excisas, vel coctili compactas. Vrbes quoque singulæ priuum quid habent venerabile, & in quo cæteras antecellant. E quibus Misna caput, sede pontificali, & arce in summum vsque verticem mirè testudinata insignis est. Lips studio sapientiæ clara, trinundinali etiam mercatorum conuentu longè lateque celebratur. Dresda principum sedes, pontem trans Albim habet saxeum XXIV. arcubus fornicatum: opus haud minoris precij, quàm veterum quascunque siue Pyramides siue Colossos. Ciuitates præterea montanæ quatuor, haud obscuri nominis, ex solis argentarijs, siue argenti fodinis (vt vocant) non ita multo antè tempore conditæ, & à singulis montibus cognominatæ sunt. E quibus omnium amplissima Sanctæ Annæ vix duodecim antè annis, quàm ista scriberemus, sylua fuit. Mirum est, (vt domos taceam) tantum murorum ambitum, tot turres ac mœnia, tam exiguo tempore potuisse erigi. Verum de felicitate atque affluentia terræ populique Misnensis, hactenus: nunc verò ad ipsam vrbem reuertamur. Ivnii 16. Præfatio. Populi Misnensis præstantia. Agri Misnensis fertilitas. Vrbiũ quarundã prærogatiua. Lips. Dresda. Mons Sanctæ Annæ.

Cvivs prima fundamenta posuit Henricus cognomento Auceps, primus & ipse apud Germanos (Blondo, Flauio, Æneaque authoribus) Imperator augustus: vir insignis pietate ac modestia. Cui aucupis nomen id circò fuit inditum, quod ij, quicum, principum delectu, ad imperium capessendum accersirent, offenderint simpliciter auibus tendentem insidias. Nec facto tam humili diuinæ prouidentiæ mysterium defuit. siquidem is paulò post auium omnium cepit Reginam, Romanam puto Aquilam: ipsumque Romanum Imperium magna tum sui ipsius, tum filij Ottonis primi virtute, ad perpetuam Germanorum gloriam vendicauit. Licet autem Italici quidam scriptores egregium hunc aucupem nostrum inter Imperatores non recenseant: (eò quòd Italiam non fuerit ingressus, coronamque Pontificijs manibus de more imponendam non suscepetit) si tamen qui causas secum pensitauerit, quibus ille motus vtrunque post habuit, facilè patebit, iniustè nimis eas ob res, virum omni imperatoria virtute præditum, solo Imperatoris priuari nomine. Nam quòd in Italiam non fuerit profectus, his eum verbis Francorum excusat historia dicens, quòd intantùm Dei cultum, defensionem inopum ac viduarum, necnon seruandæ pacis disciplinam, omni sæculari dignitati prætulerit, vt nullam circa Tyrannos ab Italia fugandos (qui quasi mercenarij, conductitijque, alter alteri succedentes laniabant Imperium) operam dare posset. Coronam autem etiam vltro oblatam capiti suo imponere abiurauit, indignum ratus indè gloriam aucupari, vnde Christus Rex suus fuisset illusus. Quod si in Germano damnant Itali: cur non itidem in suo Tito? quem cùm gentes finitimæ ob victoriam Iudaicam coronare vellent, tali honore (vt scribit Philostratus) indignum se esse respondit. Non enim seipsum talium operum fuisse authorem: sed Deo, iracundiam suam contra Iudæos demonstranti, suas præbuisse manus. Quem Apollonius ille Tyaneus vehementer indè commendans, virum ingenio & modestia abundantem esse, testatus est. Sicut igitur nec Tito obfuit hoc eius modestiæ exemplum, quo minùs Imperator haberetur: ita nec Henrico nostro obstare poterit, quin Imperatorum albo dignissimè veniat adscisendus. Henricus Auceps fundator ciuitatis Misnæ. Causæ propter quas Italiã non accessit. Coronam cur abnuerit. Titi modestia.

Eivs igitur imperij anno decimo, humanæ salutis D.CCCC.XXX. dum Albis ripam contra barbarorum insultus communiendo, oberraret: captus saltibus & amœnitate montis istius, quem adhuc Misna occupat, vrbem ibidem felicibus ædificare cœpit auspicijs. Cui à riuulo Missin, quiad pedem montis ab aquilone profluit, nomen imponens, tutum eam deinceps habuit contra hostes præsidium, eò quòd mons ille ex altera parte Albim fluuium haberet permaximum: ex altera verò duobus alijs montibus totidemq; conuallibus, veluti fossis quibusdam, natura esset munitus. Est autẽ vrbis Misnæ idem ferè, qui & totius patriæ situs. Orientem enim Albis fluuius excipit: Meridiem Bohemia, Septentrionem Saxonia vendicat: Occidens verò Thuringos respicit. Hæc igitur vrbis Misnæ origo, hic situs est. Conditor ipsius, anno dehinc tertio cum Hungaris, tunc paganis Saxoniã populantibus, bello congressus apud Merseburg Thuringorum memorabili eos clade fudit: & tributum, quod illis hucusque pendi solitum erat, in pauperes, ac pios ecclesiarum vsus elargitus est. Centum millia Hungarorum eo bello desiderati sunt, plures ducti captiui, plurimi fuga elapsi. Imperator post tam insignem victoriam, secum animo conceperat, in vrbe Misnensi, cuius tempore Hungarici belli, oportunè vsus fuerat, pontificalem statuere sedem: verùm post multa virtutis documenta immatura morte peremptus est, negotium filio suo Ottoni cognomento Magno perficiundum reliquit. Initium ciuitatis Misnæ. Misnæ situs. Victoria Henrici cõtra Hungaros. Mors Henrici. Otto I.

Ecclesiæ Cathedralis fũdatio. Terminus Misnensis Ecclesiæ.

HIC, vt vir erat omni pietate conspicuus, diuiniq́ue cultus obseruantissimus, patris mandata haud segniter implens, Cathedralem quæ adhuc extat, ponere cœpit Ecclesiam: Deo Opt. Max. D. Iohanni Apostolo, & Donato Episcopo ac Christi martyri dicandam. Cui terminos posuit fontem Oderæ fluminis: ab eoque recta via vsque ad caput Albis, & dehinc ad occidentalem plagam, vbi confinium est duarum regionum, Bohemiæ videl. ac Nisiscensis: indeq́ue per syluam occidentem versus vsque ad os Muldæ, & sic deorsum per vtramque Muldæ ripam, donec is rursus se in Albim exonerat. Horumq́ue locorum homines & eorum fortunas, cum omni emolumento terræ, frugum, pecudum, omnibusq́ue diuitijs ac bonis, tam præsentibus quàm futuris, authoritate & sub diplomate

Priuilegiũ & exemptio Misnensis Ecclesiæ.

Iohannis XIII. summi Pontificis dictæ Ecclesiæ Misnensi donauit ac consecrauit. Qua tanta Imperatoris liberalitate motus idem Pontifex, vt liberaliter & ipse erga eum ageret, pulcherrimum nouæ Ecclesiæ Misnensi priuilegium tradidit: vt videlicet à primæua sui origine libera, nulli in perpetuum subesset, siue Patriarchæ, siue Metropolitano, aut cuiquam quouis titulo vel honore prædito, nisi ipsi & successoribus suis Romanis Pontificibus. Ec-

Burckhardus primus episcopus.

clesiæ hoc modo constitutæ Imperator Burckhardum quendam, primum destinauit Episcopum, virum venerabilem & multa religione insignem. Qui statim à Iohanne prædicto simul cum episcopio ipso confirmatus, Collegium instituit Canonicorum & sacerdotum Christi: qui instar temporum suorum, primò omnia habere communia, simulq́ue vna vesci mensa, & in vno condormire loco. Canonicas horas & diuina omnia pariter, & cum multa celebrare dignitate ac reuerentia: Neque in choro, neque extra chorum aliud agere, quàm vel orare, vel supinis in cælum rapi oculis ac manibus, nulla data in eodem loco (quæ multorum consuetudo est) confabulandi licentia.

Cleri Misnensi laudabilis consuetudo.

Qui mos in hodiernum vsque diem in Ecclesia Misnensi piè sancteq́ue adseruatur. Vbi enim sacerdotes nulla ad Chorum necessitate adstringuntur, in abditissimos angulos sese penetrans, & secretiora quæque templi loca pententes, aut genu flexo, aut toto prostrati corpore proni adorant. Idem etiam Burckhardus vehementer desiderans, Clerum Ecclesiæ suæ, sicuti morum vitæq́ue honestate, ita habitu quoque à cæteris discerni, primus pallio nigro,

Heico, Gerũdus, Bruno 2. Witigõ & Benno episcopi Misnenses.

linea veste superiniecto illos vti docuit. Quo quidem amictu hodie etiam incedunt, non tamen nisi statis anni temporibus, & præcipuè esurialibus Quadragesimæ ferijs. Pari cura & solicitudine subsecuti Burckhardum Antistites, inprimis tamen Heico, Gerundus, Bruno secundus, Witigo, & is à quo cœpimus Benno: omnes equidem sanctitate vitæ spectabiles, omnem ecclesiasticam disciplinam ac honestatem ibidem plantauerunt, & ad posteros transmiserunt.

LICET autem interiecto tempore, communis Cleri Misnensis vita, in propriam ac priuatam sensim abierit: ex pristina tamen illa diuini cultus æmulatione & obseruantia non solùm nihil remissum est, verumetiam semper magis ac magis creuit in eo loco religio. Argumento cuius est, quod sicut veteris Cleri Misnensis deuotione ac vitæ sanctimonia capti olim Imperatores Henrici, secundus, tertius, ac item quartus, Ecclesiæ Misnensi vltra Ottonum munificentiam, castella donarunt Wutrze, Buche, Bock, Gedau, Breszitz, & alia non parùm multa: ita etiam in-

Henricorũ donatio.

clyti Misnæ principes, non cessante antiqua Cleri consuetudine, non cessarunt & ipsi antiquorum Imperatorum vestigia sectando Ecclesiam Misnensem in hodiernam vsque diem semper magis ac magis ornare, varijs structuris, altaribus, sacellis, ac eorum ministris, & donarijs ex auro & argento, gemmis & alijs preciosis rebus ac muneribus.

Principum Misnæ erga Ecclesiam Misnensem liberalitas.

Templum enim duplo quàm olim fuerat augustius eorum opera & impensa ædificatum est, iunctumq́ue in fine sacellum, vbi Mausoleum, & communis eorum sepultura: in quo etiam veteres pendent exuuiæ, & rapta ex hoste trophæa. Nec omittendum hoc in loco, quandò de incremento agimus religionis & diuini cultus ecclesiæ nostræ Misnensis, quòd cum olim certis ac statis solummodò horis diuina in ea legerentur officia, hodiè nulla hora, nullum tempus siue diurnum siue nocturnum, neque aliquod diei aut noctis spatium à cantu & Deorum vacat hymnis ac laudibus. In quo quidem ecclesia Misnensis omnibus non solùm Germaniæ, verumetiam vrbis Romæ basilicis & sacris ædibus magnificè prælata est: solaq́ue ex omnibus terrenis phanis ac delubris cælestem illum ac supramundanum Angelorum concentum æmulatur ac repræsentat, vbi pariter sine intermissione dulces resonare sonos, sacra nostra Theologia testante didicimus.

Capella Principum.

Nota de cultu diuino, qui fit in ecclesia Misnensi die ac nocte.

NE verò cui mirum videatur quonam tenore id fieri queat, omnem tam tenacis cultus ordinem hîc opportunè subijciendum duximus, modò facessant nasuruli illi critici & Latinæ linguæ pensiculatores ac Momi: quoniam res ista non Tullianis Gellianisve verborum lenocinijs, sed ecclesiasticis nominibus nobis agenda erit, nè dum figuris circumloquutionibusq́ue laboremus, obscurior interim fiat intentio nostra. Principio igitur, vt diem Athenienſium more à meridie exordiamur, vbi iam duodecima meridiantis diei hora insonuit, Scholastici quidem pueri minores præcinunt Vigilias: (sic enim hodiè vocantur preces ac hymni isti, quas pro defunctis manibus Deo offerimus) quibus exactis, ilicò adsunt constituti ad hoc Flamines octo, quos principũ Capellanos vocant: quia in eorum sacello primò etiam Vigilias, indè Vesperas ac Completorium canunt Deæ matris. His in secundam vsque ferè horam (minoris enim solarij computum hîc sequimur) protractis, Canonici & vniuersus clerus, suas etiam sine mora Vigilias (vbi dies postulat) mox pensum legitimum, Vespertinam videlicet synaxim ac completorium pro tempore absoluunt. Succedit his eueſtigio alia quædam psallentium secta, (Grabatos vulgò nuncupant eò quod iuxta grabatum siue sepulcrum principum consideant) qui & ipsi Vigilias primò, dehinc Vesperas etiam ac Completorium alternis diebus, modò de passione Christi, modò de Compassione Virginis matris, tertio quoque die historiam Transfigurationis decantant. Et hi quidem eorum pensum vsque in secundam aut tertiam noctis vigiliam produ-

Perpetui cantus ordo ac tenor

Schotti.

Grabati.

Octauiani. Alius Grabatorum ordo.

cunt. Illis abeuntibus superueniunt Octauiani, sic dicti, quia ab octaua noctis hora inchoantes, reliquum tempus ad intempestam vsque noctem psallendo continuant. Horum laborum maior item chorus excipiens, matutinale obsequium, medio noctis silentio, canore peragit. Interim alius paratur Grabatorum ordo: qui horas suas, secundùm quod vesperi orsus est, persequitur. His rursum subeunt principum Capellani, (vt eorum vtar vocabulis) Matutinas, ac reliquas Magnæ deæ horas, tum primam de ea Missam, (est id summum Christiani sacrificij genus) & item alteram pro mortuis ordine suo quotidiè celebrantes. Quibus expeditis, pueri illi Scholastici in choro maiori, sicuti serò Vigilias, ita manè etiam mortuorum sacra facientem cantillando adiuuant. Vbi dies illuxit, Primæ ac reliquæ diuinorum horæ, vt tempus exigit, concinnè etiam aguntur. Et antè summum sacrificium, vt in plurimum duæ trésve Missæ solenniter antecedunt, glorioso Christi Corpori, aut victrici ipsius Cruci, seu dijs tutelaribus (quos patronos vocant) destinatæ. Sacris omnibus litatis, reliquum tempus vsque in duodecimam denuò meridiantis diei horam psalmorum carmine sine cessatione perficitur. Eodem momento, negotium eadem serie assiduis iteratur vicibus, damnato in perpetuum silentio.

Missa summum Christiani sacrificij genus.

Fundatores huius perpetuæ decantationis.

OPVS hoc tam præclarum Ernesti & Alberti fuit principum Saxoniæ Ducum & Misnæ Marchionum & cæt. Hi duo fratres clarissimi germana deuotione ac pietate, tam gratum cælo obsequium meditati, communi ære & impensa ministris horatim variantibus perpetua fundauerunt stipendia: digni ob hoc, vt qui sua tam hilariter Deo contulerunt, mercedem ab eo recipiant æternæ retributionis. Siquidem in hoc veterum Germanorum principum, antiquum erga superos zelum, quasi iam abolitum reuocantes, filijs etiam suis ac nepotibus exempla reliquerunt diuini cultus semper magis ac magis propagandi: Fuit eorum alter Ernestus scilicet Romani Imperij Elector,

Elector, cui Romæ olim à Sixto quarto aurea donata rosa est: quam ille Ecclesiæ Misnensi rediens pro munere dedit: vbi inter sacras templi reliquias, quæ ibidem plurimæ habentur, & quidem preciosissimæ, dignè custoditur. Alter verò Albertus eiusdem Imperij in Frederico III. tunc ferè collapsi restaurator ac propugnator fidelissimus, nil habuit antiquius, quàm idem Imperium Romanum, veterum Germanorum virtute nobis partum, totis tueri viribus, ac ab omni externa vendicare iniuria. Pro quo neq; rebus suis, neq; proprio pepercit sanguini. Primus hic Frisios & sibi & Romano subiugauit Imperio: cui etiam Innocentius VIII. in partibus inferioris Germaniæ tunc belligeranti rosam ex solido auro conflatam vltro transmisit, in testimonium virtutis & rerum benè gestarum. Misit & Epistolam, in qua eum dexteram Imperij manum appellitans, laudibus in cælum vsque extulit. Principis istius tam in pace quàm in bello virtutem ac gloriam hic enarrare, neque facultatis nostræ est, neque præsentis instituti.

Laus Ernesti. Præconiũ Alberti. Is Frisios Romano subdit Imperio.

Ad Ecclesiam igitur Misnensem nobis redeundum est: in cuius meditullio corpus eius, de quo agitur, venerandi scilicet patris Bennonis, omni auro ac gemmis preciosius honorificè depositum supra CCCC. modò annos crebris in Christo virtutibus ac miraculis coruscat. Id quod pensiles illic tabellę votiuaq; munera affatim ostentant. Cuius nos vitam, & exantlatos pro Christo labores, conuersamq; ab eo magna ex parte Sclauorum gentem, & miracula tot retrò sæculis in hunc vsque diem continuata, ad honorem summi Dei conscripturi, feliciter aggrediamur,

I. Inter claras Saxoniæ ciuitates ea, quæ nunc vulgo Hyldesheym, olim Bennopolis dicta est, à Bennone quodam (vt aiunt) conditore Phrisio: hinc diuo Bennoni nostro nomen, hinc Bennopolitano cognomen est. In ea enim vrbe à teneris annis educatus, & sacra veste indutus, in eum creuit virum qualem Deo propitio perscripturi sumus. Pater ipsius Comes fuit Saxoniæ, non longè à Goslaria habitans: mater verò Bezela, quasi benè zelans seu bonus zelus dicta est. Hi ambo cum voluntatem facerent altissimi, & in lege Dei sui fideles persisterent, duos illis Dominus dedit filios: Christophorum, qui patri in Comitatu posteà successit: & Bennonem hunc nostrum, qui abdicato (vt dicemus) sæculo, Christi quàm mundi huius Comes esse maluit. Horum autem duorum fratrum mentionem faciunt literæ Henrici IV. (quæ habentur Goslariæ in monte S. Petri, confirmatæ posteà per Adolphum Regem) his verbis. Henricus diuina fauente clementia Rex: Omnibus Christi nostriq; fidelibus, tam futuris, quàm præsentibus notum esse volumus, qualiter nos, ob interuentum & petitionem dilectæ genitricis nostræ Agnetis Imperatricis Augustæ, quoddam prædium, quod fuerat Christophori Comitis, suiq; fratris Bennonis nostri Capellani, in villa Partimles, sita in pago Northdoringen, ad altare sancti Petri, quod est in orientali plaga villæ Goslariensis, in monte qui dicitur Mons S. Petri, &c. in proprium tradidimus, condonamus &c. Data tertio die Martij, Anno Dominicæ incarnationis M.LXII. Anno verò ordinationis nostræ octauo, Regni sexto, vitæ duodecimo. Hæc ibidem fideliter excerpta sunt. Quòd autem Benno noster in eisdem literis Capellanus dicitur regius, causa est, quia eo tempore Canonicus fuit Goslariensis Ecclesiæ: quæ & ipsa Capella tunc regia, & Canonici ipsius omnes pro regijs Capellanis (vt eorum vtar vocabulis) habiti & nominati sunt. Id quòd infra suo loco planiùs enarrabimus. Hæc autem ideircò hic prælibanda duxi, vt nullum lectori scrupulum in ipso præsertim historiæ vestibulo relinquerem, simulque tam claros diui Bennonis natales, multis hactenus ob vetustatem temporum incognitos, in lucem aliquando ederem. Cæterum priusquàm vlteriùs progrediar, haud absurdum erit nominis ipsius rationem exponere: & quot eo nomine viri fuerint illustres, paucis saltem attingere.

Benno nunc Hydesheym.

S. Bennonis parentes & patria.

Literę Henrici IV.

S Benno Capellanus regius.

II. Benno veteri Sclauorum lingua idem esse dicitur quod latinè Benedictus. Floruerunt autem hoc nomine viri non celebres: vnus quidem Episcopus Osnaburgensis, ob vitæ meritum in Sanctorum numerum relatus: alter Oldenburgensis antistes, vir opere & sermone potens, qui à Sclauis infidelibus sede pulsus, ad beatum Bernwardum Episcopum tunc Bennopolitanum exul & profugus diuertit: à quo benignè susceptus & hospitio dignatus, tandem in consecratione Monasterij sancti Michaëlis, quod idem beatus Bernwardus sua pecunia in parte Septentrionali ciuitatis Hyldesheymensis à fundo extruxerat, pressura populi exanimatus, in eodem loco sepultus est, non sine opinione etiam sanctitatis. Episcopium eius tractu temporis ad Lubecam ciuitatem maritimam translatum est. Tertius † Traiectensis Ecclesiæ præsul extitit, publicis principum conuentibus & grauioribus regni negotijs ab Henrico IV. propter singularem eius industriam frequenter adhibitus. Quartus * Dux fuit Saxoniæ tempore Ottonis II. optimus quidem princeps, & Ecclesiarum strenuus defensor, præcipuè contra Sclauos fidem nostram tunc passim oppugnantes. Alios item fuisse Bennones præter eos quos memorauimus, satis constat. Nostri tamen incœpti non singulorum nomenclaturam hîc ponere, quibus tot fuisse insignes abundè sufficit.

S Benno Osnaburgensis Episcopus. Benno Oldenburgensis Episcopus. De monasterio S. Michaelis in Hyldesheim. † Bẽno Traiectensis Episcopus. * Bẽno Dux Saxoniæ.

III. Quia [a] in Sclauorum mentionem incidimus, scitu dignum est eam gentem (siue ex Scythia olim, vt sentire videtur Sabellicus, siue aliundè digressam) non solùm Illyrium, Histriam & Dalmatiam, verumetiam Septentrionem versus, magnam Saxoniæ partem, & omnem ferè citeriorem Aquilonaris Oceani oram, ab Albi flumine vsque ad mare Balthicum armis sibi vendicâsse. Quorum [b] qui Nardauingi dicti sunt, Thetmarciam, Sturmariam, Ducatum Holsatiensem, & Hamburgam ciuitatem maritimam quondàm occupârunt: Rani, [c] qui & Rugiani, Lubecam, Sunden, Wismariam & finitimas vrbes: post quos Pomerani & Obotriti, qui tunc Magnopolenses: Brizani & Stoderani, nunc Hauelburgenses & Brandenburgenses: suas singuli posuerunt sedes. Qui deindè trans Albim Nisici ac Luitici, (quos Lusatios hodie vocamus) citra Albim verò vsque ad Salam Thuringorum fluuium, Sorabi appellati sunt. Omnia enim ea loca Sclaui olim sibi vsurpauerant. Sed & Bohemos ipsos & Polonos aduentitios ac origine fuisse Sclauos, Æneas [d] Syluius, non contemnendæ inter historicos fidei author est. Quæ idcircò huic operi nostri inserenda putauimus, quoniam cùm in omnibus his Christo conuentendis non pauci olim sanctissimi viri Episcopi, presbyteri ac monachi, alij alijs in locis desudauerint, donec gelidum hoc Aquilonis frigus calore verbi Dei fuerit resolutum: præcipuè tamen noster hic Benno pro eis, qui vtranque Albis ripam in diœcesi sua circumsederant, ab errore suo reuocandis sedulam nauauit operam, eorumque plurimos crebris suis sermonibus ac signis ad fidem conuertit, quemadmodum suo loco dilucidè cõprobabimus. Nec [e] fugit me, ob hanc ipsam fortè causam diuum Bennonem à multis hucusque Sclauum fuisse creditum: verùm falsam hanc vulgi opinionem infrà etiam diluam. Modò cœptam prosequamur historiam.

[a] Sclaui vndè primum digressi. [b] Narduingi. [c] Rani seu Rugiani. Obotriti. Brizani. Stoderani. [d] Iste Æneas Syluius postea factus est Põtifex, Pius II. vocatus. [e] S Benno non fuit Sclauus.

IV. Editvs in hanc lucem Benno noster humanæ salutis anno M.X. cùm annum ætatis ageret quintum, puerulus adhuc, traditus est in obsequium præfati sancti Bernwardi Bennopolitani Episcopi: qui etiam ipse ex illustri Comitum sanguine procreatus, Bennonis nostri consanguineus fuit & affinis. Quamobrem memor illius quod scriptum est, Initium * sapientiæ timor Domini: puerum ei traditum primùm omnium timere fecit Deum: eique literario mox studio eruderando, præceptorem dedit Wigerum † Præpositum Monasterij sui S. Michaëlis, virum moribus ac literis apprimè decoratum. Sub cuius disciplina breui tantum profecit, vt optima puer indole ingentem de se spem polliceretur. Nam vt ætas illa erudita fuit, & humana colebat studia: id quod ex pluribus eius temporis viris disertissimis & eorum monumentis videre licet: ità Wigerus noster puerum sibi commissum non passus est à politioribus abhorrere studijs: primoque in ducendis formandisque literarum apicibus antiquis, & his quæ hodiè per Venetos impressores in vsum reuocatæ sunt, eum luculenter instituit: quemadmodum literæ

Bernvvardus Episcopus Bennopolitanus. * *Psalm* 110. † Wigerus præceptor Bennonis.

manu sua conscriptæ, & apud ecclesiam suam Misnensem in hodiernum vsque diem seruatæ facilè arguunt: deindè carminibus etiam eum exercuit, nõ tamen nisi diuinis & omni verborum obscœnitate carentibus. Nec difficili puer Minerua versu iam ludere & hymnos componere didicerat. Quare cùm omnes, tum maxime patronum suum sanctum Bernwardum sibi plurimùm deuinxerat, eratque tam cælo, quàm hominibus gratissimus.

Literæ poeticæ. S. Benno versificaturam didicit.

V. SANCTVS verò Episcopus Bernwardus extrema iam vitæ senecta febribus correptus, adeò pertinaciter ægrotare cœpit, vt toto decubaret quinquennio. Quo tempore vnico illi solatio erat puer Benno, modò poëtando, modò legendo, modò disputando. Inprimis autem pergratum illi erat diligentissimum pueri obsequium, qui nec momento quidem à sene abijt. Cùm verò iam finis instaret beatissimi patris Bernwardi, vocato puero vnà cùm Wigero pædagogo suo, oratione ad eum vsus est huiusce modi: Vides, mi fili, assidua me febre confectum, & sinistram hanc corporis valetudinem & quicquid aduersi fuit ad finem vsq; constanter pertulisse. Neque enim ad Deum redire possumus, nisi tribulationum & aduersitatis camino decocti. Quòd si eos etiam qui rectè vixerint conturbationes & dolores circumueniunt: quanto magis iusto Dei iudicio istos qui absque vllo Dei timore veluti pecora degunt, & hîc infelicitas occupat, & in futurum miseria. Quarè si sapis, aut si per ætatem sapere ipse nondùm potes, saltem nostris acquiesce monitis, atque hunc mundum ærumnis & anxietatibus repletum, dolo, fraude, mendacijs, insidijs ac laqueis offertum, sanguine, scelere & iniquitatibus pollutum, ceu pestem aliquam contagiosam ac virulentam fuge, execrare, ac despice: Deoque soli adhære. Quod vt faciliùs possis consequi, & ætas tua, adhuc cerea in vitium flecti, nulla malorum hominum tabe deprauetur, ab huius præceptoris tui latere posthac nusquam discede, eique, si me amas, in omnibus patris loco obtemperes. His dictis manum pueri deosculatus Wigero Præposito eum iterùm atq; iterum commendauit. Ipse verò rebus suis omnibus dispositis plenus dierum, diues bonorum operum, & securus paratæ sibi æthereæ mansionis, clausis subitò oculis migrauit ad Dominum, sepultus in Monasterio suo S. Michaëlis, vbi & miraculis claret.

Oratio Bernwardi Episcopi ad S. Bennonem.

Beati Bernwardi felix obitus.

VI. VIX dici queat, quanto beati huius viri transitus cùm ciuium suorum omnium, tum diui Bennonis nostri animum mœrore ac luctu confecerit. Non quia gloriam illi inuiderent, ad quam inuitatus abierat: sed quia præ nimio ipsius amore, aut ipsum adhuc viuere, aut cum eo diem obijsse mallent extremum. Cùm autem Wigerus (cui tutela pueri commissa fuerat) animaduerteret eum ob immodicum animi dolorem, quem frequentes prodebant gemitus ac lachrymæ, nimiùm macerari & contabescere, cœpit blandis ipsum verbis modò consolari, modò castigare, & effrenes iuuenilis animi impetus senili grauitatis freno cohibere, asserens communem hanc omnibus esse fati necessitatem, quam neque Christus (cùm solus posset) euitare voluerit: nec flendam esse muliebriter consanguinei sui mortem, quam ipse tam constanter atque æquanimitèr tulerit: præcipuè cùm tot in Christo virtutibus ac miraculis clarus, euidens suæ beatitudinis signum post se reliquerit. Addebat homo admodùm disertus, nil aliud esse mortem quàm finem malorum huius sæculi, & initium vitæ melioris. Cuius rei gratia Gaditanos olim templum Morti & aram consecrâsse, diuinosque exhibuisse honores, tanquàm communi quieti & miseriarum omnium portui. Quibus verbis placatus Benno, & dolori suo aliquantisper moderatus est, & ex eo tempore vanam mortalium sortem perosus, apud se firmiter decreuit, vbi primùm per parentes sibi liceret, sacrum suscipere habitum: & in eodem monasterio quantulumcunque vitæ spatium fata concederent, Deo seruiendo traducere: saluberrimo profectò vitæ instituto.

Gaditani Morti diuinos exhibent honores.

VII. EPITAPHION quoquè tractu temporis condidit idem Benno beato viro Bernwardo, vt habetur adhuc hodiè in eodem monasterio, & fratres ipsius contestantur, hoc tenore:

S Bernvvardi Epitaphium.

Hac tumuli fossa clauduntur Præsulis ossa,
Bernwardi miri magnificique viri.
Qui patriæ stemma, radians velut inclyta gemma,
Acceptus Domino, complacuit populo.
Nam fuit Ecclesiæ condignus Episcopus ille,
Quem Deus Emmanuel diligat & Michaël.
Tandèm bissenis vndeno mense Kalendis
Felix hanc vitam, mutat in Angelicam.

Ex quibus quidem versiculis satis apparet, nec artis metricæ eum fuisse ignarum, nec tamen fucati carminis affectatorem, sed tenui ac simplici stylo contentum. Quòd si delicatis auribus & Rhinocerotis nasum habentibus ridendus fortè videbitur versiculus ille. Quem Deus Emmanuel diligat & Michaël (cæteri enim satis bellè habent) meminerint velim, beatum virum Bernwardum diuo Michaëli singulariter fuisse deuotum, & ob hoc monasterium, sua impensa constructum, eius dicâsse nomini, & ibidem voluisse quiescere. Quo benè ponderato constat, prædictum versiculum diuo Bennoni nostro non ita temere excidisse, vt prima fortassis fronte videri poterat. Sed hæc missa faciamus, quoniam qui intus diuino aguntur spiritu, exteriorem verborum corticem floccifaciunt: & concinnam magis diligunt vitam quàm orationem. Obijt autem sanctus Bernwardus anno salutis M. XXII. Quo tempore rigidissima fuit Bennopoli scholastica puerorum disciplina, quibus (vt in annalibus eorum legitur) non solùm choro, mensæ, aut dormitorio deesse, verumetiam tardiùs adesse, piaculum erat. Scripturam quoquè quotidiè Decano præsentare, & ipsos Psalmos reddere cogebantur. Nec timidiùs in claustro, quàm in scholis manum ferulæ subducere videbantur. Talibus igitur frenis Benno noster cohibitus, adolescentiæ etiam lubricum, quibus ferè omnes labimur, fortiter calcauit.

Antiquę disciplinæ scholasticæ rigor.

Quàm fuerit docilis S Benno puer, & quibus dotibus ornatus.

MAGNÆ spei adolescens Benno, & tam corporis quàm animi dotibus amabilis, præceptoris sui monita, contra VIII. eius ætatis morem ac consuetudinem, tum libenter audiebat, tum alacriter amplexabatur. Cumq; iam sub eius iugo ac disciplina ad pubescentes peruenisset annos, nulla vnquàm leuitate notatus, nec alio quàm communi fratrum cibo vsus, nec minori quàm illi inedia ac labore fatigatus, ad omnem Christi militiam diligenter à magistro suo exercebatur. Nec grauis iuueni hæc virtutis palæstra: quin lætabatur magis, vbi intelligeret senioribus etiam abstinentiæ ac tolerantiæ se esse exemplo. Sed nec amicorum dehortantium & multis eum præclarisque conditionibus ad sæculum inuitantium verbis blandiloquis, aut vlla suadendi arte eius animus immutari poterat. Solidatus iam erat supra firmam. Neq; animo exciderat sana beati Bernwardi doctrina & vltimum vale. Accidit autem vt eodem tempore genitor ipsius, qui eum propagandæ sturpis gratia vehementiùs ad sæculum inuitauerat, ex humanis decederet: & ipse patria potestate solutus facilè se speraret apud matrem, quam deuotam ac religiosam nouerat, intrandæ religionis veniam consecuturum. Nec votis ipsius obstitit pia genitrix: quin eum vehementer indè collaudans pollicita est, tenuem adhuc Monasterij statum, suis etiam opibus haud illiberaliter foturam. Erat enim spectatæ religionis ac honestatis fœmina, & vt vno absoluam verbo, tali digna filio.

Pater S. Bēnonis moritur.

Laus Bezelæ.

S. Benno fit monachus. Eius studia.

EXHILARATVS Benno tam benigno piæ matris assensu, cùm iam virili togæ esset proximus, doctus à Spiritu S. IX. reprobare malum & eligere bonum, duodeuigesimo ætatis suæ anno sacrum suscepit habitum, & cum eo sanctarum incrementa virtutum: moxque professus in eo quòd supra diximus monasterio Hyldesheymensi, puerilia studia

& poë-

& poëticas nugas postponens, sacrosancta Prophetarum volumina & vtrunque Testamentum, ac Patrum desupèr commentaria diu noctuque ruminabat. Orationibus vigilijs ac ieiunijs impensiùs multò, quàm antea vacabat. Abstrusa quoque ac recondita Theologiæ sensa, quæ cæteris altiùs meditata exploratáque habebat, non inuitus referabat. Qui (vt annales eorum docent) sacratissimo illius eloquio, in tristitia cuiuslibet anxietatis consolati, & à laqueis antiqui hostis liberati, perpetuæ vitæ vias ingrediebantur. Ferunt etiam nonnulli, priusquàm religionem ingressus sit, in Francia Theologiæ studio dedisse operam, atq; in ea facultate doctoralibus insignijs fuisse decoratum. Qui honos tunc omnium fuit excellentissimus. Cui quidem opinioni non parum præstat fidei, tum titulus Magistri, quem inter monimenta Goslarienſis ecclesiæ (vt prædiximus) adhuc hodiè obtinet: tum quòd plures eiusdem sæculi nobiles viri ad idem Franciæ regnum sacrarum literarum gratia se contulerunt: quas Caroli Magni opera & impensa, Parisiensi olim Gymnasio esse inuectas satis constat. Quarè nihil prohibet diuum Bennonem etiam post professionem ab Abbate suo istuc studij gratia fuisse transmissum. nè tamen incerta pro certis asserere videamur, nos ista in medio relinquimus.

Eius studia.

S. Benno doctor fuit sacræ Theologiæ.

Carolus Magnus Theologiæ studium Parisijs instituit.

X. A tempore susceptæ religionis Benno vsq; in quintum & vicesimum ætatis suæ annum, in quo sacrum accepit Diaconatus ordinem, in oculis omniũ sanctissimè innocentissimeq; conuersatus est. Atq; ab eo tempore vsq; ad tricesimum vitæ annum semper magis ac magis in religione proficiens, humilitate & patientia omnibus prælucens, volente & iubente Abbate suo Adelberto, sacerdotio tandem initiatus est. Quod ille tanta cum reuerentia ac dignitate adiit, tanta munditia & puritate gessit, vt fratribus etiam stupori ac admirationi fuerit. Abstinentia autem tanta se indè macerabat, vt rarò cœnam cum eis sumeret. In altari totus ardebat: nec vnquàm siccis rem diuinam oculis perficere potuit. Accidit igitur, vt anno de hinc quarto defuncto Adelberto prædicto, pars fratrum Bennonem hunc nostrum, pars verò Sigebertum quendam, & ipsum quidem virum bonum, mitioris tamen vitæ, & sæcularibus negotijs magis deditum, eligerent. Cumq; pluribus Benno suffragijs quam Sigebertus ipse niteretur, nihilominùs illi libenter ac vltrò cessit: supplicans electoribus suis, nè contemplatiuam ipsius vitam exterioribus curis ac actionibus impedirent: tribus tamen mensibus in officio stare coactus est, donec flentibus sæpè oculis vacationem muneris obtinuit. Hinc est quod in catalogo Abbatum eiusdem Monasterij suo ordine ac loco ita scribitur: Benno frater ac pater noster, Abbas eligitur: sed paruo tempore stetit in regimine, tribus scilicet mensibus: posteà Misnensis Episcopus factus, miraculis claret. Illic * sepultus, vbi & in præsulem est vnctus. Hæc ibi:

S. Benno Diaconus creatur. Item sacerdos.

S. Bennonis electio in Abbatẽ.

Multis lachrymis rogat eius dignitatis absolutionẽ.

* Nota.

XI. Deposita Ecclesiastica hac præfectura, Benno noster reliquam vitam in priuato, & vel in oratione, vel lectione diuina tantummodò transigendam decreuerat: verùm omnipotens & gloriosus in sanctis suis Deus, qui humiles corde sublimat, & superbos de sede deturbat: non passus est candelabrum hoc lucidissimum semper sub modio delitescere. Vndè breui posteà contigit, vt pijssimus, Imperator Henricus rex III. ecclesiam Goslarienſem (cuius fundamenta iam anteà iecerat Conradus decessor ipsius siue pater, siue socer) magnifico ac regio cultu absolutam dedicari faceret per manus beatissimi Pontificis Leonis IX. præsentibus ibidem Cardinalibus, Episcopis, & Abbatibus, numero LXXIII. Quam quidem ecclesiam cùm idem Imperator dignissimus specialem deinceps (vt suis vtar verbis) Imperij Capellam, & Canonicos ipsius Capellanos regios (vt suprà prælibauimus) passim haberi & nominari vellet: exactam dedit operam, vt viros tanto honore dignos, & tam literis quàm sanctæ conuersationis moribus probatos eidem ecclesiæ præficeret. siquidem illic etiam Regni sedem constituerat. Lecti sunt igitur ex omni fere Germania viri cùm doctissimi, tum religionis obseruantissimi: inter quos & venerabilis noster Benno maximus Imperatoris precibus, annuente & iubente præfato summo Pontifice, vix tandem monasterio suo extractus, ac dictæ Goslarienſi ecclesiæ (quatenus nouæ congregationi spiritalis armaturæ dux esset, & ecclesiasticæ eam disciplinæ tyrocinijs erudiret) in Magistrum ac Canonicum præfectus est. Quam laudabilem verò ac sanctam olim vitam duxerit prima ea Goslarienſium Canonicorum congregatio, documento esse potest, non solùm id, quòd plures ex eis diuorum numero adscripti, plurimi beatorum appellatione (dum adhuc viuerent) dignati sunt: verùm illud etiam memoratu dignissimum, quòd cùm in potestate Imperatorum adhuc esset Episcoporum designatio, pauci alibi quàm ex eadem regia (vt dicebatur) Capella, tam sub prædicto Henrico III. quàm filio ipsius IV. & nepote V. æquinoci nominis regibus, ad quæcunque etiam Episcopia conscenderint, quod vt exemplo res agatur, nomina eorum, tum sedium etiam, ad quas quisq; sublimatus est, sequenti capite non indignè nobis recensenda veniunt.

Luc. 1.

Henricus III. Nota. Leo IX.

Goslaria Regum Capella.

S. Benno fit Goslariensis ecclesiæ Magister & Canonicus. Nota.

XII. Rvmoldus I. Præpositus, postea
Engelhardus II. Præpositus.
Guntherus III.
Wernherus IV.
Anno V.
Bibo VI.
Bruno VII. Præpositus.
Otto VIII.
Suiderus IX.
Hartuicus X.
Wilhelmus XI.
Bertoldus XII.
Arnoldus XIII.
Bruno XIV.
Geroldus XV.
Crafft XVI.
Benno Magister
Robertus XVII. Præpositus
Matro XVIII.
Herebertus XIX.
Eckhardus XX.
Gotfridus XXI.
Eppo XXI.
Vdalricus XXIII.
Cono XXIV.
Cunradus XXV.
Landolfus XXVI.
Ricolfus XXVII.

Constantiensis Episcopus.
Magdeburgensis Archiepiscopus.
Bambergensis Episcopus.
Merseborgensis Episcopus.
Coloniensis Archiepiscopus.
Tullonensis Episcopus.
Herbipolensis Episcopus.
Rauennatensis Episcopus.
Bambergensis Episcopus, posteà Papa Clemens II.
Magdeburgensis Archiepiscopus.
Veronensis Episcopus.
Interamnensis Episcopus.
Patauiensis Episcopus.
Wercellensis Episcopus.
Rauennatensis Episcopus.
Misnensis Designatus.
Misnensis Episcopus.
Bambergensis Episcopus.
Verdensis Episcopus.
Leodiensis Episcopus.
Polonensis Episcopus.
Ratisponensis Episcopus.
Wormatiensis Episcopus.
Argentinensis Episcopus.
Frisingensis Episcopus.
Traiectensis Episcopus.
Treuerensis Archiepiscopus.
Moguntinus Archiepiscopus.

Nomina diuersorum Canonicorum Goslariensium ad diuersas dignitates promotorum.

Erpho XXVIII.
Henricus XXIX.
Hetzelinus XXX.
Henricus XXXI.
Eylbertus XXXII.
Litmarus Magister.
Hildolfus Magister.
Adelhogus XXXIII. Præpositus
Eckhardus XXXIV.
Cunradus Canonicus
Lutolfus Canonicus
Iohannes Magister
Rudolphus Vicedominus
Cunradus Canonicus
Valentinus XXXV. Præpositus
Guntherus Canonicus
Sigifridus XXXVI.
Arnoldus XXXVII.
Iohannes Canonicus.
Henricus Canonicus.

Monasterienſis Epiſcopus.
Auguſtenſis Epiſcopus.
Hyldesheymenſis Epiſcopus.
Paderbornenſis Epiſcopus.
Numenſis Epiſcopus.
Hamborgenſis Archiepiſcopus.
Colonienſis Archiepiſcopus.
Hyldesheymenſis Epiſcopus.
Spirenſis Epiſcopus.
Hyldesheymenſis Epiſcopus.
Halberſtatenſis Epiſcopus.
Halberſtatenſis Maior Præpoſitus.
Suerinenſis Epiſcopus.
Magdeburgenſis Archiepiſcopus.
Mindenſis Epiſcopus.
Magdeburgenſis Deſignatus.
Hyldesheymenſis Epiſcopus.
Bambergenſis Epiſcopus.
Hauelbergenſis Epiſcopus.
Hauelbergenſis Epiſcopus.

Hos & alios antiquæ Goslarienſis eccleſiæ Præpoſitos & Canonicos ad tam diuerſas Italiæ, Germaniæ & Galliarum ſedes, Imperatorum olim nutu deſtinatos Epiſcopos, qui latiùs videre cupit, apud eandem eccleſiam inueniet ſimul cum alijs vetuſtatis monumentis digniſſimis. Ad Bennonem noſtra feſtinat oratio.

XIII. S. Bennonis liberalitas circa eccleſias Conuerſatio eius inter Canonicos. Anno Præpoſitus, pòſt Colonienſis Archiepiſcopus

DECEM & ſeptem annos venerabilis Benno noſter Goslariæ conuerſatus eſt: quibus ſe in omni genere virtutum ſpectabilem præbuit, egitque Canonicum ac Magiſtrum omnibus numeris abſolutum, crebris vigiliis, frequenti inedia, aſſiduis orationibus, tum largis patrimonij ſui eleemoſynis. Dedit enim ex bonis ſuis hæreditarijs prædictæ eccleſiæ Goslarienſi, non pauca prædia, molendinas domos & cenſus etiam perpetuos. Quibus omnibus Canonici eiuſdem eccleſiæ in hodiernum vſque diem vtuntur, & quorum deſupèr literas, monumenta ac diplomata penès ſe habent repoſita. Quamquàm autem vir beatiſſimus Benno omnium eorum qui ſuo tempore ſecum in eccleſia Goslarienſi Deo militauerant, non vulgarem meruit gratiam eò quòd eſſet rectus ac integer, fraternæque pacis ac domeſticæ concordiæ vehemens amator: præcipuè tamen illi cum beato Annone Goslarienſi tunc Præpoſito, poſteà verò Colonienſi Archiepiſcopo arctiſſima fuit conſuetudo & mutuus in Chriſto amor. Siquidem vnum erat illis velle ac nolle: velle ſcilicet bonum, & recedere à malo. Quapropter mirabile dictu eſt, quantùm breui ſimul apud Deum profecerint, & quàm iucundam ac firmam amicitiam ſimiles illis mores & idem cæli ſtudium pepererit. Etenim verè tunc in eis completum fuit illud Pſalmographi: Eccè[a] quàm bonum & quàm iocundum habitare fratres in vnum. O legitimos Chriſti Sacerdotes! Vtinàm atque vtinàm is nodus atque hoc vinculum, Chriſti ſcilicet charitas, & diuinarum rerum ſtudium, noſtros quoquè iungeret Sacerdotes & eccleſiarum Prælatos. Sic enim ſublatis è medio occultis eorum ſimultatibus ac odijs, per fraternæ concordiæ nexum tam ſuis eſſent honorabiliores, quàm aduerſarijs etiam formidabiliores: nec ità læderentur eccleſiæ, diriperentur earum bona, & omnis fere eccleſiaſtica deperiret authoritas. Sed quorsùm abij? Ad Oreſtem & Pyladem noſtros Annonem & Bennonem ſcilicet reuocandus eſt calamus. Quorum tantam inter ſe benevolentiam, nulla res adeò fouit, ac ea de qua modò dixeram fraterna Chriſti Charitas, quod, vt inquit Apoſtolus, perfectionis eſt vinculum. Hac igitur duce de virtute in virtutem ambulantes, qualiter vterque à Deo exaltatus, & in modico fidelis ſupra multa conſtitutus ſit, quàm breuiſſimè potero, hinc ſubnectam.

[a] Pſal. 132.

Coloſ. 3.

XIV. S. Annonis laus. Cuius Vita habetur 4. Decembris.

ANNO ſalutis M.LV. beatiſſimus Anno per Henricum III. prædictum, magno bonorum omnium aſſenſu, Agrippinæ vrbis ſedem adeptus eſt, vir qui tot Rerump. turbationes & incendia, quot ſuo tempore in Imperio paſſim extitere, ſolus vel æquanimiter ferre, vel ab vrbe ſua ſingulari prudentia nouerit arcere. Valedicens igitur chariſſimo amico ſuo Bennoni, Macte virtute eſto, inquit, frater, nec putes velim, me tui fore immemorem, quin cœptam inter nos neceſſitudinem, vbi præſentia nequimus, ſaltem literis fouebimus. Annonem igitur, vbicunque fuerit, tuum eſſe puta. Nec id tam humaniter pollicitus eſt, quàm euentu poſteà explanauit. Mortuo enim paulò pòſt Imperatore præfato, regnum filio ſuo Henrico IV. Aquiſgrani, non ità multò priùs inuncto, conceſſit. Qui cùm adhuc puer eſſet, apud matrem Agnetem Imperatricem aliquamdiù educatus eſt: breuique poſt tempore in tutelam venit præfati Annonis Colonienſis Antiſtitis, quibus ex cauſis, ſcriptores variant: neque huc pertinet. Certum tamen eſt, donec Rex pueriles abſolueret annos, ſummam rerum conſenſu omnium apud Annonem reſediſſe.

Henricus IV.

Crafft anteceſſor Bennonis.

Qui vacante ſub id tempus Eccleſia Miſnenſi per obitum Crafft Goslarienſis paulò antè Præpoſiti, facilè effecit, vt etiam Eccleſia Miſnenſis veteri amico ſuo Bennoni, cuius vitæ innocentiam & dignitatem dudum exploratam habebat, etiam nihil tale cogitanti committeretur: Renitentemque (amore fortaſsis contemplatiuæ vitæ) literis vt puſillanimum vehementer increpauit, & ad ſuſcipiendum epiſcopium adhortatus eſt: aſſerens, ſatis ſpectatam eſſe Goslariæ virtutem ſuam. Neque ſanctiſſimos Apoſtolos olim vno ſemper in loco conſenuiſſe: ſed modò huc, modò illuc per mare, per terras, diuinæ plantationis ſurculos circumtuliſſe. Caueret igitur, nè talentum ſibi traditum, quum Miſnæ modò propter vicinam & incredulam Sclauorum gentem duplicare poſſet, abſcondere potiùs, & labores pro Chriſto fugere videretur. id quod magis ignaui animi quàm religioſi eſſet indicium. Sic enim contemplationi vacandum eſſe, vt ab actione, in qua virtutis laus omnis conſiſteret, animus torpore non abhorreſceret.

Actiuæ & contemplatiuæ vitæ neceſſaria cõiunctio.

Sicque amandam eſſe Rachelis pulchritudinem, nè Liæ interim fœcunditas haberetur deſpectui. Quemadmodùm enim ſtellæ à ſtellis differentes vnam cæli faciem decentiſſimè pingerent: ita Eccleſiæ Chriſti vni & ſoli vtranq; tam actiuam, quàm ſpeculatiuam vitam, non ſolùm ornamento ac decori, verumetiam quam maximè eſſe neceſſariam. Quibus verbis non tam perſuaſus quàm veluti compulſus Benno, oblatam tandèm ſuſcepit prouinciam. Non ignarus tamen (diuino reuelante ſpiritu) quibus exagitandus fluctibus, quantaſque in epiſcopatu tribulationes & aduerſitates toleraturus eſſet. Ad quæ omnia voluntariam ſe Deo hoſtiam obtulit.

S. Benno Miſnenſis eligitur Epiſcopus

[b] Ab Epiſcopo Magdeburgenſi conſecratur

XV. Pſal. 113.

HVMANÆ[b] igitur reparationis anno M.LXVI. venerabilis Benno noſter à Wernhero Magdeburgẽſi Archiepiſcopo pontificali veſte induitur, olei ſacri liquore perfunditur, & inclytæ noſtræ Miſnenſis Eccleſiæ præſul decimus à Burckhardo primo eiuſdem paſtore præficitur. Benedictione igitur de more percepta, mox Miſnam acceleranti totius vrbis clerus ac populus gratulabundus venerabunduſq; occurrit: & in eccleſiam maiorem feſtiuiter adductum, in ſede eum pontificali collocant magno omnium plauſu & ingenti totius ciuitatis gaudio. Ipſe verò intra ſe habitans, præſentique honore nihil elatus, illud ſemper in ore habuit, tacitoque ſub pectore voluit: Non nobis

Domine

Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Memor prætereà illius quod scriptum est, Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona ac sacrificia pro peccatis: Primò omnium in conspectu totius populi sacra solenni more celebrauit tanta deuotione, tantoq; lachrymarum fonte, vt siccis eum oculis hi quibus etiam saxea erant corda videre non possent. Sacris verò in medium deductis, ad plebem conuersus, populari primò lingua de Christianæ fidei præstantia ac dignitate, de colendo summo ac vero Deo, beatorumque spirituum gaudijs, & malorum tormentis graphicè, magnaque admiratione omnium elocutus est. Deindè ad Canonicos Clerumque sermonem dirigens, tali eos oratione affatus est: Quandò à Deo factum est, viri fratres, ac domini, vt neque cogitanti mihi neque ambienti hic locus (quod nobis felix vtrinquè faustumq; maneat) destinatus sit. ego deinceps Ecclesiæ huic vestræ dignissimæ, eiusque commodis ac honori hanc animam, & quidquid in me est (quod noui quàm sit exiguum totum polliceor ac deuoueo. Neque vllus mihi labor grauis erit, nec amara pericula, quæ nobis tamen charissimi fratres (nisi ex alto Deus auerterit) & multa & magna imminent: dummodò vestram, huiusque mihi commissæ Ecclesiæ salutem, honorem accommodum (ità vt bonum decet pastorem) omnibus modis, & pro virili promoueam. Pro quo neque potentium timebo minas, neque rerum admittẽdarum, aut huius etiam corpusculi iacturam magnifaciam. Vos autem orationibus ac precibus vestris me adiuuabitis. Summoperè enim mihi placet deuotio vestra, & benè instituta religio: quæ à decessoribus meis sanctissimis proculdubiò viris tam decenter ordinata (Deum Opt. Max. oro ac obsecro) meo etiam tempore in peius non labatur, sed pro laude ac gloria ipsius semper magis ac magis crescat in hoc loco: vt pro communi tandèm labore & vita benè acta communem mereamur simul ingredi lætitiam, & optatæ beatitudinis consequi mercedulam. Sic fatus, & adstantibus lacrymas excussit, & ipse etiam flentibus oculis ad perficienda sacra cœpta reuersus est.

Heb 5:

Deuotio & lachrymæ eius.

Oratio eius ad populũ & Clerum.

Eccè verum pastorem.

XVI. VETVS prouerbium est: Magistratus virum ostendit. Et profectò quanta fuerit prudentia beatissimus noster Benno, quàm prouidus in consilio, quàm iustus in iudicio, non antè apparuit, quàm in tanto fastigio constitutus est. Neq; enim à dextris, neque à sinistris recedens, omnia quæcunque verbo monuit, factis ipse adimpleuit. Non pomposus, non elatus: sed opera sua multa erga pauperes pietate ornabat. Suum hoc solum esse ratus, quod nudus inopsque in hunc mundùm venisset. Inprimis cum ecclesiasticarum rerum & diuini cultus solicita illi cura fuit. Vndè cùm antiquorum more irregulatus adhuc esset in ecclesia Misnensi cantus, (id quod alijs etiam in locis videre licet ex antiquissimis quibusdam Gradalibus & Antiphonarijs (vt vocant) in quibus vnica, aut etiam nulla interdum linea, paucisq; ac indiscretis notulis contenta fuit antiquitas) Benno noster data opera regularem ac legitimum canendi vsum iuxta Hyldesheymensis ecclesiæ ritum ac consuetudinem, ad Misnam primus traduxit: fecitq; vt concinnè atque eleganter in hodiernum vsque diem cantetur, quicquid ipse instituit. Quas enim nouas & exoticas quasdam hodie canunt historias, neotericorum inuentum est, musicæ artis lege modoque carẽs. Hanc Hyldesheymensis & Minensis cantus analogiam & conuenientiam (siue festiuo, siue simplici more diuina peraguntur officia) primus omnium deprehendit venerabilis & egregius vir, Dominus Ioannes Hennig sacræ Theologiæ Professor, & dictæ ecclesiæ Misnensis Decanus dignissimus: cui nuper Saxones perlustranti harum rerum gratia comes destinatus sum: vbi & Saxonibus viris dignissimis per benignè excepti sumus, & ea pleraque omnia quæ hic inserta partim oculis vidimus, partim ex literarum hausimus monumentis. Sed hæc & alia dignissimus pastor Benno circa cultum diuinum in ecclesia sua Misnensi prudenter ordinauit & constituit. Erat enim cæremoniarum omnium doctissimus, & circa rem diuinam ab infantia versatus. Nec quicquam eum latebat quod ecclesiasticæ interesset disciplinæ.

Pietas eius erga pauperes.

Hyldesheymenses & Misnenses in cantu concordat.

Cultus diuinus ab eo mirè augmentatus.

XVII. DIVINIS rectè se habentibus, mox animum adiecit beatissimus Pontifex ad visitandos singulos diœceseos suæ pagos & oppida, omnesque ecclesias & earum Rectores, id quod etiam quotannis in propria persona vicatim ostiatimque sedulò factitabat. Proinde circumspiciens vtrinque animarum saluti modò in Presbyteris, vt & verbo docerent, & opere doctrinam suam comprobarent: (ne fortè alijs prædicantes, ipsi reprobi facti, auditoribus vilescerent) modò in subditis, vt dicto sacerdotum suorum obtemperantes, verbum salutis, & quicquid ad fidem attinet, diligenter ab eis discerent & obseruarent. Quòd si quos eo modo se habere comperit, vehementer laudauit: Sin secus, leniter corripiendo in melius immutauit. Tanta autem gratia præditus erat, tantoque inter pauperes ac diuites æqui librio se partiebatur, vt passim eum omnes amarent: eiusque monitis obtemperantes, pacificè inter se viuerent, & fraterno se inuicem amore diligerent. Verbum Dei quoque ita luculenter, ita suauiter tractabat ac prædicabat, vt per multa etiam milliaria, eius audiendi gratia, confluerent. Habuit autem vir Dei in singulis diœceseos suæ plagis castellum vnum, in quo visitationis suæ tempore diuerteret. In Oriente videlicet & superiore Lusatia, Gedau, in Meridie Bresnitz, in Occidente Neoburgum vulgò Naumburg, ad Aquilonem verò non longè ab vrbe Misnensi Zscheylau, vbi hodie etiam Collegiata habetur Ecclesia. Propter frequentes enim barbarorum incursus & hostiles vastitates, raræ tunc erant vrbes in terra ista. Nam & Stolpen & Wurtzen ac Mœgeln oppida multo post tempore in potestatem venerunt Misnensis Ecclesiæ. Prædicta verò castella, Bresnitz, Gedau, & alia non parum multa Henricus Imperator secundus, is qui diuorum numero posteà adscriptus est, & ab Italis primus habetur, Ecclesiæ Misnensi olim dono dederat, ob preces Eiconis tertij Misnensis Episcopi. Qui & ipse excellentis meriti præsul vitæ suæ sanctimoniam certis indicauit miraculis, quæ post obitum suum comperta & literis mandata sunt, cuius gloriosam vitam Dietmarus Merseborgensis olim Episcopus tam deuotè quàm eleganter scriptitauit. Quare non est quod diutius hic immoremur. Bennonis enim non Eiconis res aguntur. Quod si vacaret, memorari possem vtique complures Misnensis Ecclesiæ Antistites, tantæ olim fuisse religionis & munditiæ, vt beatorum appellationem (dum etiam viuerent) haud dubiè meruerint. Verùm habenda nobis ratio est, nè longiùs euagantes, & cœpti operis seriem interrumpamus, & lectorem simul tædio conficiamus.

Gedau. Bresnitz. Naumburg Zscheylau.

Henricus II. Sanctus.

Eico Misnensis Episcopus

Dietmarus Merseborgensis Episcopus Eiconis vitam conscripsit.

Visitat omnes suæ diœceseos ecclesias.

XIIX COMPOSITIS his quæ ad diuinum cultum & animarum attinent salutem, sanctissimus præsul Benno, animaduertens ecclesiastica stipendia propter vicinorum, modo Sclauorum, modo Boëmorum improbitatem & prædandi consuetudinem, non parum esse extenuata: sedulam etiam adhibuit curam, ne ecclesiæ suæ, vel ad diuinum cultum, vel ad alendos pauperes quippiam deficeret: vndè apud eos quibus ipse cœlestia seminabat, temporalia ecclesiæ subsidia suo quodam iure confidenter postulabat. E quibus Borr quidam equestris ordinis vir magnæ deuotionis, non pauca illi de bonis suis donauit, & Ecclesiæ Misnensi perpetuo iure appropriauit. Similiter & Henricus IV. eius nominis Rex, dum adhuc sub iugo esset beati Annonis Colonienſis Antistitis Ecclesiæ Misnensi, nonnulla prædia ac bona, iuxta regiam munificentiam liberaliter concessit. Sed & Bezela mater diui Bennonis, distractis omnibus bonis suis, filium post adeptum episcopatum huc etiam secuta erat. Cui ille castellum Gedau habitandum indulsit, & quoties ibidem visitationis suæ munere fungeretur, anili & decrepitæ mulierculæ multo erat solatio. Quæ etiam adhuc viuens, & deinde post obitum suum (breui enim post defuncta est) Ecclesiæ Misnensi, quicquid ex dotalitijs, paraphernalibus aut alijs quibuscunq; bonis relinqueret, testamẽto legauit. Ex quibus eidem pientissimus natus perpetuam apud ecclesiam suam memoriam, & Dominicale illud officium, q̃ Dominico quoq; die ibidẽ peragunt, comparatis ad hoc cẽsibus, instituit. Inualuit indè rumor apud posteros, (vt supra innuimus) diuũ

Item Henricus IV.

Item Bezela mater Bennonis

S Benno quare à

quibusda n creditus fuerit Sclauus.

Bennonem nostrum in Gedau fuisse natum: quoniam memoria proditum foret, & incolis in hodiernum vsq; diem etiam constat, matrem suam in Gedau aliquando habitâsse. Verùm falsam hanc imperitæ plebis opinionem facilè explodit, tum nomen ipsius Benno à Bennopoli patria ei inditum, tum antiquissima Hyldesheymensis & Goslariensis monasteriorum monimenta supra per nos exhibita. Non solùm autem his & alijs incrementis ac bonis, beatissimus pontifex Benno Ecclesiam suam Misnensem locupletauit & auxit: verùm etiam ea quæ tempore suo eidem vi & iniuria sunt ablata, sub anathematis ac diris diuinæ vindictæ imprecationibus restituere ac resarcire cœpit: de quo etiam infra suo loco singillatim commentabimur.

Henricus III. Sclauos tributarios facit

SVPRA memoratum est, Sclauorum ingentem multitudinem gentili errore vagantem in diœcesi olim Misnensi tam vltra quàm citra Albim fluuium desedisse. Quos & si Henricus Rex III. pijssimus epitheto perpetuo Imperator, non ità multò priùs, quàm episcopatum Benno susceperat, tributarios Imperio fecerat, & ad suscipiendam Christi fidem magna ex parte compulerat: plurimi tamen ex eis retrospicientes, pagano ritu, honorem quem Christo debebant, idolis reponentes, relicta pietate fidei, antiquis se erroribus denuo inuoluerant. Ex quibus Radigast in magna apud eos veneratione erat. Inter omnia autem numina primatum tenebat Suantheuuitz: quem Deum deorum esse profitentes, ex ipsius oraculis & responsis res cunctas gerebant. Est autem Suanthe Sclauica lingua idem quod sanctum: Witz verò lumen interpretatur. Cumque magorum constans sit sententia, dæmonia omnia sanguine inuitari: Sacerdos tamen Svvantheviz suis persuadebat, hunc nisi Christiano cruore placari non posse. Vndè quod abominabile etiam dictu est, illi quotannis hominem Christianum, quemcunque sors obiecit, litare cõsueuerant. Atrum enim dæmonem, cui nomen Zeernebock, in cuius potestate mala esse credebant, deuotiùs honorabant, noxia deprecantes. Zeerne enim nigrum, Bock verò siue Bohu Deum apud eos significat. His singulis singuli dicati erant Flamines, & varia sacrificiorum libamenta, tum multiplex religionis cultus. Quæ tanquam superstitiosa & relatu indigna consultò præterimus. Ingemiscens igitur pientissimus pater Benno miserum populum dæmonum præstigijs ità rapi præcipitem, officij ac debiti pastoralis esse ratus est, cæcis lumen, ægris salutem, & errantibus viam ostendere. Cui quidem tam sancti operi cùm se totum deuouisset, & sapienter quidem primò lenia vulneribus fomenta adhibens, plures indies comitate sermonis sui ad Christum reduceret: insidiator diabolus molestè ferens inauthoratam sibi plebem, mystica adspergi vnda, & à castris suis fieri transfugam, (permittẽte Domino, quò virtus serui Dei humanæ vitæ fluctibus agitata magis inclaresceret) aliud illi negotium fecit, tantisque eum impulit tempestatibus & procellis, vt relicta Sclauorum cura coactus sit vela ventis committere. Et quia summa ipsius virtus & constantia tunc potissimum spectata fuit, (quandoquidem explorant aduersa viros) idcirco non iniucundum fore puto, si statum eorundem temporum explicauero. Non enim parum refert (vt dici solet) in quæ quisque tempora inciderit. XIX.

Zeerne bock idolum.

S. Benno sua prædicatione eos ad Christũ conuertit

Inuidia diaboli nititur impedire homini salutem suam

OMNIVM primùm tempestuosa ea reddidit tempora, famosissimum illud Saxonicum bellum, quod cum Henrico IIII. magna vtrinque animi pertinacia gestum est. A quo licet Benno noster innoxias habuerit manus, vicini tamen incendij flammas euadere non potuit: vel ob hoc vnum, quòd & ipse ex primario Saxonum sanguine, qui Regi penitus inuisus erat: siue (quod magis credam) quia Deus vas suum ita voluit tribulationum camino excoquere, & velut aurum in igne probare. Permilit enim vt à prædicto Rege innocentissimus præsul nullo suo delicto, caperetur, & in exilium mitteretur: vbi & cæteri seruabantur principes, videlicet Magnus & Hermanus Saxoniæ Duces, Wetzilo (qui & Wernherus) Magdeburgensis Archiepiscopus, Burchardus Halberstatensis, & Wernherus Merseburgensis Episcopi, Fridericus Comes Palatinus, Saxoniæ & plerique alij primores viri, quorum omnium propter implacabilem Regis iram, nulla erat salutis spes, nec alia quàm vel citæ mortis vel perpetui carceris expectatio. Benno verò neque de vita sua, neque de captiuitate solicitus, solius Ecclesiæ suæ casum inconsolabiliter, & causas tantorum malorum tam verissimè quàm breuissimè paululum hic deflebat: eo quod iratus Rex eam ipsam etiam per Burckhardum quendam ferocem & militaris audaciæ hominem miserè vastauerat. Paulò enim ante id tempus diem obierat Dedo Marchio, relicto Henrico filio adhuc puero: quem Rex obsidem secum abduxit, & in aula regia educari fecit. Dictum verò Burckhardum præfectum Misniæ constituit, vt Marchiam interim in fide sua contineret, donec infans adolesceret. Huius autem vastationis meminit Lampertus Herueldensis monachus nobilis historiarum scriptor, vbi de expeditione loquitur Regis prædicti. Qui simulato in Hungariam itinere, exercitum per Boëmiam & Marchiam Misnensem Saxonibus improuisis superinduxit, volens eos inter oscitantes (vt dici solet) opprimere. Sunt autem hæc Lamperti verba: Peruenit igitur Rex vsque Missenen, vrbem sitam in confinio Boëmiæ & Saxoniæ: vbi à ciuibus pacificè in ciuitatem susceptus, Episcopum ciuitatis ipsius comprehendit: omnia quæ eius erant diripuit: hoc solo reum Maiestatis adiudicans, quòd toto tempore belli Saxonici nullus ad eum seruatæ erga Remp. fidei indices nuncios vel literas destinasset. Cæterùm homo ecclesiasticæ paupertatis & nihil aut parum habens pompæ militaris, vora forsitan contra Remp. facere, aut arma ferre non poterat. Nec magnum vel his vel illis partibus momentum, amicus & inimicus exstitisset. Hæc Lampertus noster ad verbum. Quibus amplum satis testimonium diuo nostro Bennoni perhibet, virum eum fuisse ecclesiasticæ paupertatis: neque diuitijs inhiâsse, neque gloriæ: nec belli sed pacis fuisse amicum. XX.

S. Benno de primario Saxonum sanguine progenitus.

Principes Saxoniæ captiui.

Vastatio Ecclesiæ Misnensis.

Dedo Marchio.

Henricus Marchio.

S. Benno innocentissimè comprehenditur.

S. Benno verè pauper Euangelicus.

ALTERVM eius tempestatis exitium fuit eiusdem Henrici IV. cum Gregorio VII. calamitosa seditio. Ex qua etiam sancto viro Bennoni non parum succreuit laboris & periculi. Discordantibus enim inter se summis orbis cardinibus, facta est confusio elementorum, hoc est, Prælatorum inferiorum: & percusso pastore, dispersæ sunt oues gregis. Nam ex omnibus Germaniæ Episcopis perpauci inuenti sunt, qui Romano Pontifici tunc integram seruarent fidem. E quibus fuêre Anno Colonienſis, VVecilo Magdenburgensis, Bucco & Burchardus Halberstatensis, VVernherus Merseburgensis, & Benno noster Misnensis: cæteri ferè omnes regias partes secuti sunt. Omisso igitur paulisper Bennone, huius etiam tam perniciosæ dissensionis causas breuiter reponam. Defuncto Alexandro II. suffectus est ei Gregorius prædictus, cui Hildebrando anteà nomen fuit: & quia inconsulto Cæsare, solis scilicet Romanis fauentibus, ad Apostolatus apicem conscenderat, hinc primum contra eum accusationis caput sumptum est. Mos enim tunc erat: nè quis pro Romano Pontifice salutaretur, nisi quem Imperatoria destinâsset probasset ve authoritas. Secundo inuidiam etiam Pontifici peperit maximam, id, quòd duobus maximis Sacerdotum vitijs extirpandis, Simoniacæ videlicet prauitati & lasciuiæ, tam constantem nauabat operam, Concubinarios & Simoniacos omnes passim anathemate feriens. Sed & Cæsarem ipsum ob easdem causas, ad synodalia responsa sæpè frustrà vocatum, tandem cùm purgare se nollet, ab Ecclesia primùm, Petri amputauit gladio: deinde regno etiam exauthorauit, adempta omni regia administratione, & absolutis fidelitatis sacramento subditis. Quare confusus Imperator, habito apud VVormatiam concilio secum sentientium Episcoporum, Pontificem vice versa deposuit. Datæque sunt ad eum literæ conuicijs plenæ: quibus vt seipsum Pontificatu, quem vi fraudeque rapuisset, vltrò abdicaret, proteruè mandatum est. Eò vesaniæ Imperatorem induxerat cœca sacerdotum (qui tunc frequentes apud eum erant) libido. Timebant enim, si cum Pontificè in gratiam rediret, actum esse de concubinis suis, quas illi pluris quàm vel propriam salutem, vel publicam pendebant honestatem. Cæterùm quam indignè Gregorium sugillauerint, documento XXI.

§§ Annonis, Bennonis & quorundam Episcoporũ fidelitas erga Christi vicarium.

Malus mos regali potentia in ecclesiam introductus.

Cœca libido omnem subuertit iustitiam, & propriam negligit salutem.

Electio Gregorij septimi.

mento esse potest electionis suæ formula, quam Platina & Blondus Flauius Apostolici scriptores adnotauerunt his verbis: Nos sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, clerici, acolythi, subdiaconi, presbyteri, præsentibus episcopis, abbatibus, multisque tum ecclesiastici, tum laici ordinis, eligimus hodie X. Kalend. Maij in basilica sancti Petri ad Vincula, anno salutis M.LXXII. in verum Christi vicarium Hildebrandum Archidiaconum, virum multæ doctrinæ, magnæ pietatis, prudentiæ, iustitiæ, constantiæ, religionis: modestum, sobrium, continentem, domum suam honestè gubernantem, pauperibus hospitalem, in gremio sanctæ matris Ecclesiæ liberè à teneris annis educatum. Quem quidem cum ea potestate Ecclesiæ Dei præesse volumus, qua Petrus mandato Dei quondam præfuit. Hæc illi. Quam quidem optimam de se existimationem pius Pontifex nequaquam fefellit, sed ad finem vsque legitimè certando perduxit. Vndè addit Platina in calce rerum ab eo gestarum, quòd demùm in Salerno moritur, vir certè Deo gratus, prudens, iustus, clemens, pauperum, pupillorum & viduarum patronus: atque vnicus Ecclesiæ Romanæ & acerrimus defensor, contra hæreticorum improbitatem, & malorum principum potentiam, res ecclesiasticas per vim occupare conantium.

XXII. His igitur temporum ardoribus (cùm Pontifex omnes tam ecclesiasticos, quàm seculares principes, quibus cum Rege commercium erat vllum, diriſſimis Ecclesiæ vinculis colligasset, contraque Imperator aqua & igni interdiceret ijs, qui Pontificis dicto parerent: adeò scissa est Ecclesia Dei, & regnum in se diuisum, vt grauioribus inter Sacerdotium & Imperium odijs nullo vnquam tempore laboratum sit. Vterque enim, tam Pontifex quàm Imperator, hic pro terreno, ille pro Dei regno causam suam constantissimè agens litem non nisi cum morte diremit. At verò Imperator, vbi intellexit principium animos sub religionis prætextu sensim ab eo deficere: dissimulato ad præsens odio, quod contra Saxones alebat, captiuos eius gentis (inter quos & Benno erat) deditione absoluit, & ad sua impunè redire permisit: nihil aliud imperans, quam vt tanti beneficij memores integram sibi deinceps seruarent fidem, & communis regni causam secum contra Pontificem defenderent. Illi abeuntes polliciti sunt, quoad iustè Imperium administraret, & Ecclesiam Dei persequi desineret, se eius commodo & honori nusquam defuturos. Qualem se verò deinde idem Rex, tam erga Sacrosanctam Apostolicam Sedem, quam passim in Imperio exhibuerit, apud alios videre licet. Ad nos enim nihil attinet, nisi quantum diui nostri Bennonis interest. Rediens igitur beatissimus pastor Benno ad Ecclesiam suam Misnensem, desolatam vastatamque inuenit, quam tanto prius studio ac decore ornauerat. Quæ quidem calamitas quamuis amariori illi esset, quàm vel carceris vel exilij pœna fuisset: spem tamen vultu simulans, premensque alto corde dolorem, fratres suos Canonicos flentibus illi oculis obuiam factos, & fortunas suas querulantes, benignè amplexus atque consolatus est, iterum atque iterum illud ore repetens: Dominus dedit, Dominus abstulit: Sicut Domino placuit, ità factum est: sit nomen Domini benedictum. Nec mora, quin ilicò infracto sese animo ad restaurandam ecclesiæ suæ ruinam totis viribus conuertit. Et nisi illi improbitas obstitisset Buckhardi præfecti Misnensis, (cuius supra etiam meminimus) facilè ablata omnia recuperâsset. Erat idem Buckhardus ingenio malo, prauaque natura præditus, lingua præterea ac manu promptus. Cumque magis Cæsaris, quàm Dei sui mandata obseruaret, beato viro Bennoni multas intulit molestias, piosque eius conatus, quibus potuit artibus, fefellit. Non tamen impunè. Nam scelerum suorum mox iustas dedit pœnas, à subditis suis propter crudelitatem & sæuitiam miserè necatus. Equus enim in quo fugam sperabat, alioqui celerrimus, tunc cùm inuaderetur, calcaribus vtcunque admotis, pedem mouere nequiuit, donec sessor frequenti vulnere confossus miseram exhalauit animam. Atque hunc in modum liberatus est diuus Benno noster à tyrannide Buckhardi præfecti.

S Benno à captiuitate, suæ Ecclesiæ restituitur.

A suis Canonicis benignè suscipitur. *Iob.* 1.

Buckhardi præfecti interitus.

XXIII. Anno à natali Christiano M.LXXVI. Papa Hildebrandus, frequentibus motus querimonijs concilium Romæ indixit, Regemque per legatos suos ad hoc legitimè vocauit, vt adesset, de criminibus quæ illi ob venditas ecclesiasticas dignitates (quæ tunc erant Imperatorum) obijcerentur, causam dicturus: alioqui sciret se absq; omni procrastinatione, eodem die de corpore sanctæ matris Ecclesiæ, Apostolico resecandum gladio. Quod audientes Episcopi Germaniæ & Galliæ, quibus nota erat Pontificis seueritas, & vehemens erga domum Dei zelus, timentes ne fortè simul cum Rege ipso durius aliquid pro factis suis paterentur: communibus consilijs Regem adeunt, turbatumque super his, quæ à Pontifice nunciata fuerant, palpando consolandoque, bono esse animo iubent, irritum enim fore Concilium. Neque parendum ei, qui iniussu suo & præter maiorum consuetudinem seipsum vltrò ecclesiastico ingesserit culmini. (vnicam scilicet salutem & honorem suorum stabilitatem in hoc verti cardine rati, si efficere possent, vt is non esset Apostolicus) Rex igitur suggestione eorum seductus, paulò antè statutum concilij diem omnes, qui in suo regno essent, episcopos, abbates & ecclesiarum prælatos Wormatiæ (vt supra dictum est) conuenire præcepit, tractare cum eis volens ad deponendum Pontificem, si qua via, si qua ratio pateret. Cùm igitur beatissimus Benno nostertam Pontificis, quàm Cæsaris edicto vrgeretur, & ab vtroque sub diris comminationibus vocaretur, inter saxum & sacrum (vt est in prouerbio) positus, in illud tandem Susannæ incidit: Angustiæ sunt mihi vndique, & quid eligam ignoro. Si enim Apostolicæ Sedis mandata contempsero, anathema sum, & extra Ecclesiam factus. Sin verò Imperatoris iussa neglexerim, tanquam perduellionis reus, notum anteà carcerem & exilium non euadam. Demum excusso omni pauore, secum statuit relicta synagoga Sathanæ, Apostolicæ Sedis obedientiam ad mortem vsque confiteri, maximè cùm non ignoraret celebrandi Concilij ius sacrorum Canonum sanctionibus soli Romano Pontifici esse concessum. Itaque iter arripiens Romam versus, ad indictum Concilium non sine multo labore & difficultate peruenit. Siquidem Imperator illuc tendentibus passim posuerat insidias, quas ille tamen diuino fretus auxilio incolumis transiuit. Veniens autem [a] ad Pontificem, ab eo, quòd vnus ex omnibus ferè Germaniæ Episcopis ausus fuisset, plus Deo quàm hominibus obedire, vehementer collaudatus, & in amicitiam non vulgarem receptus est. Ferunt constante adhuc fama, abeuntem claues ecclesiæ Misnensis duobus commisisse fratribus suis Canonicis, vt si Rege excommunicato, hi qui suarum partium essent ab ecclesiæ ingressu non temperarent, obseratis ianuis, eas [b] in Albim fluuium deijcerent. Quod & factum est. Nam in dicto Concilio Rex propter contumaciam suam [c] cum omnibus complicibus grauianathemate percussus est: & synodaliter decretum, ne deinceps vlli hominum liceret vendere vel emere quascunque ecclesiasticas dignitates: qui morbus tunc plurimum irrepserat, non tam Regis ipsius magnanimi alioqui, & omni imperatoria virtute præditi viri, quàm aulicorum suorum auaritia, & candidatorum ambitione. Id quod ex sequenti capite satis superque ostenditur.

Hildebrandus ille Gregorius septimus.

Imperator concilium Sathanicũ indicit.

Dan 13.

Concilij indicendi ius ad solũ Pontificem spectat.

[a] S. Benno Romæ humaniter à Pontifice excipitur.

[b] Claues ecclesiæ eius in Albim conijciuntur.

[c] Imperator cum sibi adhærentibus excommunicatur.

XXIV. Execrabilem Simoniacæ prauitatis hæresim, propter quam tunc non solùm Regis ipsius, sed etiam multorum episcoporum, abbatum, & prælatorum fama periclitabatur, quæ etiam potissima causa fuit, propter quã Pontifex ecclesiasticum contra eos gladium stringere coactus est: Lampertus nobilis Heruelden sis monachus in Chronica sua graphicè taxat, sic inquiens: Eodem tempore Meginvvardus Abbas Augiensis dignitate sua vltrò se abdicauit: in locum eius, non per electionis ostium, sed per Simoniacæ hæreseos cuniculum protinùs irrupit Rupertus Abbas Bambergensis, cognomento Nummularius, annumeratis in ærarium Regis mille pondo argenti purissimi. Hic sordidissimis quæstibus & vsuris, quas etiam priuatus adhuc in monasterio exercuerat, infinitam sibi pecuniam conflauerat. Et propterea à mortes episcoporum & Abbatum anxia expectatione iam dudùm suspirauerat. Cumque

Hæresis Simoniaca, causa excõmunicationis.

Meginvvardus Abbas Augiensis.

Rupertus Ab. Bamb.

Simoniac.

Cumque eos diutius viuendo, propter effrenatæ ambitionis impetum (quo præceps rapiebatur) morari grauiter & impatientissimè ferret, eò vesaniæ euasit, vt præter occulta munera, quibus * auricularioru fauor redimendus erat, Regi etiam centum pondo auri promitteret, vt eiecto eximiæ sanctitatis viro Abbate VViderado, sibi abbatia Fuldensis traderetur. Et profectò quod nefariè concupierat, flagitiosissimè obtinuisset, nisi pauci, quibus ecclesiasticæ leges pecunia chariores erant, in faciem Regi, nè id faceret, obstitissent. Huius igitur infausto nouoque aucupij genere hæc in ecclesiam introducta est consuetudo, vt dignitates publicè venales prostituantur: & ecclesiastici viri non innocentia æstimentur & integritate vitæ, sed quantitate pecuniæ: nec quæratur in promouendis quis dignius præesse, sed quis carius possit emere. Hæc ille. Rectè igitur optimus Pontifex Gregorius huic morbo forte parauit antidotum. Nam si hæc pestis illorum etiam animos venenauit, qui mundo huic mortui, & omnem ornatum huius sæculi despondisse videntur: quanto potiùs eos etiam, qui summam felicitatem & vltimum beatitudinis finem, in honoribus ac dignitatibus collocant, ad internecionem vsque exulcerasset, corrupisset, vitiasset, nisi eam sapientissimus medicus excommunicationis cauterio inustam vix tandem foras & extra ecclesiam eliminasset? Quare non immerito diuus noster Benno tam sancto viro paruit, subscripsit, adhæsit.

*for. aulicorum.

VViderados Fuldensis Abbas sanctiss.

S. Benno Concilij Romani decretis subscribit.

IMMORANTE apud Pontificem Diuo nostro Bennone, Romam venit quidam venerabilis pater, nomine Theodoricus Suffraganeus episcoporum vnus, qui causam regis defendentes simul cum ipso execrati fuerant. Quamobrem dictus Theodoricus, ne tanti se criminis participem faceret, Pontificem adijt, & cùm pauper esset, vitæ ab eo petijt subsidium. Ille autem quo diutius diuum Bennonem (cuius cõsuetudine plurimum delectabatur) secum detinere posset, eundem Suffraganeum diuo Bennoni nostro suffecit, & Misnam destinauit: quatenus absente vero pastore, pontificalis interim officij ministerium adimpleret: cui tam Apostolicis quàm diui Bennonis admoniti literis Canonici præbendam vnam in ecclesia Misnensi assignârunt. Inter quos aliquandiu laudabiliter vixit plenus virtutibus & honestæ cõuersationis moribus. Quadam verò die cùm episcopalis munetis gratia Colditz eiusdem diœceseos oppidum simul cum Capellano suo peteret, multo senio grauatus, subitò in via cœpit deficere: delatusq; ad proximum molendinum (cui Komlitz adhuc hodie nomen est) magna deuotione diem clausit extremum. Commiserat autem Capellano suo, vt appositis feretro asellis, quos molitor ad manus habebat, in quemcunq; locum ecclesiasticum casu duceretur, ibidem eum tumularet. Aselli itaq; recta via versus Ecclesiam in pago Hartdelati, causam dederunt eius ibidem sepeliendi. Cuius quidem pagani adhuc memores, nonnullis eum miraculis & signis illustrem perhibent. Et hic quidem Theodorici fuit exitus. Interim verò Principes religione tacti, paulatim colla cœperunt ab Imperatoris iugo retrahere, iamq; non solum clandestinis congressibus, verùm publicis etiam conuẽtibus, de surrogando alio Rege inter se tractare. Quamobrem fractis Imperatoris viribus, cùm nil ampliùs timoris esset, diuus Benno, qui multo iam tempore Pontificis lateri adhæserat, reditum tandèm ad ouile suum, vix magnis impetrauit precibus. Cui abeunti Papa in signum veræ dilectionis non vulgares donauit Sanctorum reliquias: quas ille toto tẽpore vitæ suæ religiosè coluit, & tanquàm cœlestem quendam thesaurum veneratus est. Extat ex eisdem reliquijs circa tũbam ipsius in hodiernum vsq; diem, mirabile quoddam dictu: vt scilicet in clusæ argento, seu pacificali (vt vocant) peciũculæ, alijs quidem osculantibus appareant, alijs verò minimè. Quin his etiam quibus videre eas contingit, non semper se ostentant: sed modò præsentes adsunt, modò veluti præstigio quodam cernentium oculos eludunt. Ferũt quidam diuum Bennonem nostrum alijs etiam vicibus & sub alijs etiam Pontificibus, Victore scilicet & Vrbano Gregorij successoribus, Romam itâsse: verùm nobis præteream, quam modò descripsimus peregrinationem, certi nihil constat. Quamobrèm ad ipsius ex eadem profectione reditum sequens festinat oratio.

Theodericus Suffraganeus.

Theoderici Suffraganei obitus

Claret miraculis.

Mirabile Lipsanis circa tumbam diui Bennonis.

XXV.

BEATISSIMVS pater Benno noster, expeditis apud Pontificem Ecclesiæ suæ negotijs, relicta tandèm Româ per decliuia Apennini iuga, per amœna Flaminiæ rura, per angustas Rhæticarum Alpium fauces, Vindelicos Noricosq; transiens, ad ciuitatem suam Misnensem preciosissimis reliquijs & indulgentijs onustus feliciter peruenit. Ne autem sub primum ipsius aduentum ciuitas commoueretur, nève illi Clerus cum solita ferculorum pompa in occursum procederet, sub peregrini specie ad hospitium publicum omnibus ignotis diuertit. Memorant incolæ in hodiernum vsq; diem, hospitem, dum ingentem quendam piscem ex Albi flumine, eadem fortè hora allatum exenterare cœpisset, sub brancis siue pennis ipsius, clauem reperisse ecclesiæ, quam diuus Benno post abitum suum in eundẽ fluuium proijci mandauerat. Cuius rei fama cùm mox totam replesset vrbem Canonici præfatum hospitium repẽtè irruunt, & agnitum pastorem suum, maximo totius vrbis plausu, ad ecclesiam suam cõducunt. Qui populo de more benedicens, à turba vsque in alterum diem vix demùm se potuit auellere. Manè verò nulla tantæ viæ lassitudine obstante, ilicò pastorale fecit officium, & inter sacrificandum pro concione populo Apostolicam nunciauit benedictionem & gratiam: eosq; qui ob vitãdam Regis indignationem, vel sola participatione colloquij ecclesiasticis subiacebant censuris, simul omnes concessa sibi potestate absoluit & Ecclesiæ reconciliauit. Quare vix dici queat, quantus breui factus sit ad eum cõcursus è vicinis oppidis ac populis, qui omnes vno ore clamabant: Aduenisti desiderabilis, quem expectabamus in tenebris, vt reduceres vinculatos de claustris. Erat enim eorũ pars multò maxima excõmunicationis vinculo irretita, quos pius pater festino ad ecclesiam suam gaudio reducens suscepit: & tanquàm filio olim perdito vitulum saginatum, hoc est pinguem Christi panem (iniuncta prius pœnitentia) sacramentaliter exhibuit: sicque perditionis filios in electionis vasa feliciter conuertit. Dedit autem illi Dominus gratiam & malorum requiem, vt deinceps reliquos vitæ annos vsque ad decrepitam senectam in pace agens, restaurandæ Ecclesiæ suæ & extirpandæ zizaniæ, quæ longo iam tempore in Dominico agro suppullulauerat, tranquillam posset operam impendere: quod & sedulò perfecit. Et quia præcipuè eius animo hærebat antiqua Sclauorum cura: idcircò quo studio, qua doctrina, quibusve miraculorum signis illos ab antiquis eorum erroribus ad infallibilem Christi veritatem tandèm reuocauerit, quàm breuissimè potero sequentibus complectar.

Topographia Redit ad suam Ecclesiam S. Benno.

Claues ecclesiæ sub pennis cuiusdam piscis reperiuntur.

Excommunicatos misericorditer absoluit.

XXVI.

MEMINISSE hic oportet eorum, quæ suprà de Sclauis disseruimus: Qui scilicet vtranque ripam Albis circunsidentes, gentili superstitioso; ritu, honorem quem Creatori debebant, rebus exhibebant creatis, lignum quod dolabant, & lapidem quem cædebant irrationabilem adorantes. De quorum moribus cùm diuus Bẽno Gregorium Pontificem certiorem reddidisset, mandatum & Apostolicæ legationis munus ab eo recepit, cum potestate prædicandi eis verbum Dei, & absoluendi à certis casibus etiam Sedi Apostolicæ reseruatis. Quarè factus est indiès maior ad eum concursus populorum, præcipuè Sclauorum, quorum aliqui memores adhuc pristinæ doctrinæ, quam illis pius pater priusquàm à Rege in exilium missus esset, tradiderat, præ desiderio & amore sacri ipsius eloquij vltrò se illi prostratos offerebant, & commissi sceleris cum mœrore ac luctu veniam petebant. Ille autem, vt mitis erat corde, & pronus ad ignoscendum, obuijs eos manibus, & veluti postliminij iure ad Christum redeuntes excepit: Scripturasq; illis tum veteris, tum noui testamenti proponens, quantũ cœlo esset gaudium super vno etiam peccatore conuerso, non solùm ad lachrymas, sed & quodcunque satisfactionis genus facilè inducebat. Cùm autem multitudinem confluentium ciuitas non caperet, locum concioni aptum delegit, vallem scilicet vnam apricis saltibus amœnam, mille ab vrbe passibus, inter Orientem & Aquilonem exposita. Huc igitur cateruatim aduolantia multa millia hominum

Studium eius proconuertendis Sclauis

XXVII

Prædicat eis pœnitentiam.

Vallis sancta.

num sacratissimos illius sermones, de summo ac vero Deo, de prima hominum origine & eorum lapsu, de incarnatione Verbi, & humani generis restauratione, cæteraque id genus sacramenta arrectis hauriebant auribus. Pleriq; ĕt spiritu ità compuncti sunt, vt idola, quæ domi habebant, sub conspectu viri sancti proferentes frustatim comminuerent, sicq; ductu & auspicijs diui Bennonis animas suas saluas facerent. Quadam verò die, cùm populus feruentissimo Solis æstu laborans, sitibũda ampliùs ora vix ferre posset: beatissimus pater Benno oculis sursùm leuatis & oratione facta ad eum, qui conuertit petram in stagna, & rupem in fontes aquarum, baculo pastorali terram ferijsse dicitur: ex qua mox fons aquæ salientis scaturiens, arida hominum labra cœlesti liquore proluit ac refocillauit. Testimonio eius rei est, quòd idem fons sacer, & vallis ipsa sancta in hodiernum vsq; diem ab incolis nũcupatur. Fecit itèm vir Dei alia etiam in eodem loco miracula, quibus rudem ab initio Sclauorum gentem non solùm verbo, verumetiam facto doceret, quanta esset fidei Christianæ virtus ac potentia. Verùm nos more nostro solidiora tantùm amplectimur.

Conuertũtur, & idola sua confringunt. Psal 113.

Fons ad locum b. culi viri Dei, dulces eijcit aquas.

XXIIX. QVANQVAM, vt dixi, multi diui Bennonis miracula quæ vulgi celebrantur sermonibus, & maiorum traditione ad posteros peruenerunt, hîc præterire consilium est, eo maximè quòd breuitate gaudemus omnes: illud tamen de aqua vino facta, & Albis transitu, quoniam præter communis famæ adstipulationem literis etiam mandata sunt, in antiquissimo illo vitæ suæ libello, qui nupèr in prædicto Hyldesheymensi monasterio (vbi prima olim fecit spiritalis armaturæ stipendia) miraculosè inuentus est, tacere non ausim. Scribitur enim in eodem libro, quòd cùm diuus Benno die quadam ad operarios in prato exijsset, illis siti ac labore fatigatis, signo Crucis edito aquam in vinum commutârit. Quòd cùm puer suus animaduertisset, allata sibi vnda, En, dixit, faciam sicut dominus meus. Qui interrogatus Quidnam fecisset: Crucem, respondit, desuper edidit. Cumque idem faceret, meritis beati viri & simplicitate pueri aqua mox vini saporem induit. Cùm autem iam dies ad occasum tenderet, & diuus Benno recta via per pontem ad ciuitatem peruenire non posset, iter ad proxima Albis fluenta deflexit, & Cruce se muniens, fluuium sicco pede pertransiuit. Quod videns rusticus quidam, qui eum cum plaustro fœni sequebatur, protinùs per aquam insecutus est, & incolumis transuexit: Benno autem audaciam hominis vehementer increpans, prohibuit tum nè id ampliùs faceret, tum nè cuiquam quod factum erat eo viuente detegeret. Solebat autem vir Dei nonnunquàm orando meditandoq; agros circuire: ibi cùm aliquandò iuxta paludem quandam Garrula limosis rana coaxat aquis: nè contemplantem interturbaret, Seriphiam esse iubet, sunt enim in Seripho ranæ omnes quidem mutæ. Paululùm indè transgresso venit in mentem Danielis illud: Benedicite cete & omnia quæ mouentur in aquis Domino: benedicite omnes bestiæ & pecora Domino. Timens igitur nè forte gratior esset Deo illarum cantus quàm sua oratio, eis iterùm mandauit, quatenus consueta voce Deum laudarent: quæ mox campos & aëra stridore suo garrulo repleuerunt.

Aquam virtute b. Crucis mutat in vinum.

Ambulat super aquas

Rustici cuiusdam simplicitas.

Ranarum silentium. *Dan. 3.*

XXIX. PRODITVS tum his tum alijs Benno miraculis, vehementer apud se erubuit, timens, nè fortè vndè celebrior fieri inciperet apud homines eius nominis fama, indè apud Deum magis ipse vilesceret, dicente Apostolo: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Nè igitur popularis auræ affectator haberetur, tacito secum egit consilio quonam potissimùm modo frequentiam hominum euitare, & in solitario aliquo loco delitescendo, soli Deo seruire posset: atque idcircò rebus apud ecclesiam suam accuratè compositis, ipse Occidentem versus, ad extremos diœceseos suæ fines, villam scilicet Naumborg, paucis admodùm viæ suæ conscijs secessit: ibique ædiculam in honore diuæ Parthenices & omnium cœli indigetum consecrans, precioſissimis eam donauit reliquijs ac indulgentijs, quas nupèr Roma secum asportauerat. Iuxta ædem verò, cellam vnam humilem pro se & sacerdote quem secum habebat, eo ædificauit animo, vt deincèps, nisi episcopalis curæ munere exigente, ab ea nusquàm discederet. Verùm quanto magis latere voluit humilis Christi seruus, tanto eum magnificare dignata est propitia diuinitas, in hodiernum vsque diem testans, quàm gratum cœlo fuerit huius dilecti serui sui obsequium. In certis enim agrorum semitis, quas ille ibidèm more suo post diuini officij pensum deambulando meditandoque pedibus suis sanctissimis calcauit, frumentum adhuc hodiè citiùs flauescit matureſcitque, quin fertilior etiam longè seges in eodem loco quem per vicina circumquaquè rura nascitur. Id quod ego non solùm ex aliorum scriptis, verùm etiam oculis meis compertum habeo: & vidi quia verè Deus mirabilis in sanctis suis. Eadem autem præcox agri cuiusdam fertilitas in Gedau, vbi pariter aliquandò contemplabundus deambulauit, à Plebano eiusdem loci medio nupèr iuramento in examine testium quorundam, deposita est. Quid igitur? taceam necne? quæ de agilitatis dote diuo nostro Bennoni omnipotens Deus contulit insignia? minimè gentium, Memoriæ enim hominum proditum est communi voce ac fama: quòd cùm beatissimus Benno frequenter post sacramentorum tractationem ex oculis Capellani sui euanescere, & agilitatis munere in ecclesia sua Misnensi subitò constitui, indeq; sacris omnibus confectis ad consuetam prandij horam cum Capellano suo iterùm in dicta villa præsens adesse soleret: captum aliquandò vehementi Capellanum admiratione, abeuntem manè herum diligentissimè obseruâsse, moxque insecutum præter pauca in recenti pruina vestigia nihil reperisse indicij. Sed statim veluti turbine arreptum, in dicta Misnensi ecclesia post tergum domini sui geniculantis in pedes constitisse. Quem cùm diuus pater in spiritu adesse sentiret, ipseque consummatis sacris more suo mox iterùm in cellam suam, Capellanus verò vix altero die reuerteretur: (est enim distantia locorum XXIV. millium passuum) grauiter eum increpitâsse, & sub anathematis nexu vetuisse, nè eo viuente cuiquam hominum quod factum erat proderet, adeò abfuit à beato viro, quòd gloriam suam quæreret. Cæterùm nos neq; ista temerè asserimus, neq; proteruè abnuimus. Cùm similia multa de tutelarib. genitalis soli nostri, (Sueuiam puto) diuo Cunrado videlicet ac Vdalrico, necnon alijs quibusdam sanctis patribus scripta sint, & pro confesso habeantur. Prætereà in memoriam Diui Bennonis adhuc hodiè quotannis celebratur ingens populi concursus in dicta villa Naumborg tribus diebus præcedentibus & sequentibus festum omnium Sanctorum, quorũ nomini (vt prædiximus) pius pontifex ecclesiam suis olim manibus dicauit. Sunt etiam ibidem ruinæ cellæ ipsius & alia quædam monimenta, tum imago sua depicta in pariete parietis interioris ecclesiæ, cum diademate & insula põtificali & cum titulo desupèr perscripto: Sanctus Bẽno Episcopus. Quæ omnia spectatoribus deuotionẽ augent & gratiam.

Gal. 1.

Ingreditur solitudinẽ vt liberiùs Deo vacet.

Frumentũ præcox, vbi Benno ambulauit. *Psal. 67.*

Rapitur diuina virtute in momento ad ecclesiam suam Misnẽsem.

Ratum miraculum.

Ecclesia S. Bennonis in honorẽ omnium Sanctorum dedicata.

XXX. DVM beatus Benno tumultum ciuitatis declinaret, cellæ suæ solitudine se oblectans, & diuinarum rerum meditationi liberiùs quàm anteà vacans, multas habuit reuelationes, quibus futuræ quietis dulcedinem perfunctoriè saltim & quantum viatori licet degustâsse creditur. Eisdem etiam reuelationibus illuminatus, multa futura priusquàm euenissent prædixisse fertur, è quibus duo saltim minimè contemnenda hîc recitâsse sufficiat. Quorum alterũ in veteri Cella insigni Misnensis diœceseos monasterio completum ac literis mandatum est. Cùm enim vir Dei lõgè olim ante cellam conditam, trãsitum fortè eo loci faceret, videretq; columbarum illic turmam gregatim considentium, ad comites conuersus: En, ait, hic locus est, ad quem paruo pòst tempore noua quædam connolabit religio, cuius precibus mortalium turba magna saluabitur. Nec cassum fuit oraculum. Orto enim deindè diuo Cistercien- sium ordine, Otto Misnensis Marchio Cellense cœnobium dicto ordini primus ipsius fundator sacrum fecit, & suprà quàm credipotest mirificè dotauit. Alterum diui Bennonis vaticinium fuit, quòd Marchioni (quem Henricum Dedonis filium esse perhibent) in maxillam eum ferienti prædixisse fertur, quòd eodem die anno reuoluto alapam sibi datam vindicaturus esset. Erat idem Marchio Regi Henrico admodùm deuotus, eò quòd apud eum

Multis gaudet reuelationibus.

Quæ de ordine Cistercien. & monasterio extruendo prædixerit.

(vt

(vt suprà narrauimus) à puero educatus esset. Cùmque idem rex capularis iam senex noüos iterùm in Imperio motus susciteans, decidua iamdudùm cornua rursùs in cœlum erigeret: à proprio filio carceri mãcipatus, pollutam multo sanguine animam contra Poëtæ sententiam, sicca tandèm morte ad inferos destinauit. Marchio autem præfatus, quoniam Apostolicam Sedem & Ecclesiasticas censuras contemnendo Regi plùs iusto complacere vellet: nec etiam ab ecclesiæ Misnensis bonis iam olim à Rege ablatis abstineret, aut ea dictæ ecclesiæ vtcunquè admonitus restituere intenderet: Cumque quadam vice à diuo Bennone, ob hoc grauiùs argueretur, nec ratione obiecta posset diluere: ira tandèm percitus, nihil cano capiti, nihil sacro ordini deferens, venerabilem senem dura percussit alapa: cui pius pontifex, non suæ quidem iniuriæ mẽmor, sed cœlestis sententiæ spiritu reuelante edoctus futurum prædixit, vt anno sequente eodem die admissi sceleris pœnas daturus esset. Nec dicto fides abfuit. Circumacto enim anno cùm dies vltioni dicta ad vesperum iam inclinâsset, Marchio qui duro corde facinoris tanti nedùm vllam egerat pœnitentiam, verùm etiam ludibrio habens sancti viri præsagium, ad Consiliarios suos conuersus, (& veluti Dictator Cæsar Spurinam olim auruspicem irridens) En, inquit, dies quem atrum nobis Benno futurum interminatus fuerat sine noxa adest, (non considerans veniisse quidem diem, sed nondùm præterijsse) Itaque adhuc loquens, subitò ineuitabili Dei iudicio non placido, vt anteà, sed toruo terribiliqúe vultu eum adorientem, pœnasque poscentem, videre visus est: (erat enim paulò anteà vita functus) suos igitur, vt suppetias illi ferrent, quoniam diuus Benno eum impeteret, frustrà precatus, in genua concidens, subitanea morte perijsse dicitur, non tam ob illatas manus violentas in sanctum Domini, quàm quòd, vt quidam tradiderunt, non ingrederetur ad eum causa pupilli & viduæ, sed magis, oppressor esset pauperum, & ecclesiasticarum rerum æruscator. Extant in eodem loco diuersa signa in lapide incisa & in memoriam ac monumentum eius rei posteris relicta.

Henrici IV. interitus.

Prædicit Marchioni Misnensi suum interitum.

Apparet postmortẽ Marchioni, terribiliter eum intuens.

Marchionis interitus.

POSTQVAM beatissimus pater Benno, laborioso huius vitæ cursu ad extremam ætatem vsque impigrè constanterque emenso, fessæ iam post plurima pericula puppi tutum adesse portum, & æternam instare sibi requiem spiritu reuelante cognouit: festinus præ gaudio fratribus suis Canonicis in vnum conuocatis talibus eos oratione alloquitur: Hora est, iucundissimi fratres, quam ego multis retrò annis, nescio an maiore solicitudine, an desiderio semper expectaui: Desiderabam quidem sæpè, nè mala viderem, quibus diebus meis iactata est sancti Petri nauicula, néve post huius mihi commissæ ecclesiæ profanata sanctuaria & diuisa inter hostes spolia ampliùs superessem, miseram claudere vitam. Metuebam ex altera parte, ne fortè vel hocipso quòd diuinæ tentationis iacula parùm constanter, aut nimis molliter ferre viderer, omnipotentis Dei iustam inciderem indignationem. Deniquè implorata Dei gratia antiquorum patrum zelum imitatus, regis Henrici carcerem & exilium, Buckhardi graues & insignes contumelias, Marchionis postremò ipsius minas & verba, & quicquid sacrilegis in me manibus patrâsse libuit, forti animo pertuli, donèc impleta perfidorum hominum malitia diuinæ prouidentiæ arcana sequerentur iudicia. Nullam autem in me causam inuenerent, nisi quòd sacrosanctæ Apostolicæ Sedis obedientiam confessus, sanctissimi viri Gregorij septimi & successorum suorum causam intrepidè tutatus, resque Ecclesiæ meæ nequiter ablatas quibuscunque potui ecclesiasticis censuris ac pœnis vendicare nisus sum. Hæc accusatoris in me summa fuit. Verùm id iure ne fecerim an iniuria, æterni iudicis tribunal appello, quò præsens hæc hora me vocat: veniet autem citò post me Henricus Rex ac cæteri ecclesiasticæ potestatis temeratores: quos inter & me Deus iudicabit. Sed quoniam vos propter discessum meum tristiores factos esse conspicio: hanc interim à me consolationem accipite. Successorem in locum meum habebitis virum bonum & timentem Deum, qui ecclesiasticam rem vestram magna ex parte augmentabit. Idque eo ampliùs, quòd post obitum meum his, qui rem diuinam hactenùs impedire solebant, plus inijcietur terroris & formidinis. Ego enim si, quam spero, apud Deum gratiam inuenero susceptum semèl huius Ecclesiæ patrocinium per omnem tuebor ætatem & sæcula: causamque ipsius ac successorum assumens, accusare non cessabo eos qui ausu temerario, siue in hanc Ecclesiam, siue in ipsius ministros ac bona committere præsumpserint, nè id impunè tulerint. Quòd si paululùm in accusando visus fuero negligentior, sic sibi persuadeant successores mei, probari partim à Deo eorum patientiam, partim iniuriantium expectari pœnitentiam. Qui si indurati ab incœpto desistere noluerint, sentient non longè abfore ab eis perditionem. Contrà verò benefactoribus Ecclesiæ meæ omnia fausta ac prospera apud Deum exoraturus sum. Vos autem charissimi fratres, si procul omni simultate & odio mutuam inter vos charitatem amplexi, non summis tantùm labris, sed corde bono inuicèm salutantes: si diuinum cultum haud segniter æmulati, si Remp. denique ecclesiasticam potiùs quàm propria commoda & priuatas inter vos causas tutati fueritis: quanto in his omnibus fideliores syncerioresque vos Deus inueniet, tanto faciliùs me pro vobis interpellantem exaudiet. Quemadmodùm igitur hîc in terris fui, ità & apud Deum paratum me habebitis, prout singulorum merita vel demerita postulauerint, patronum vel vindicem. His seuero admodùm vultu & senili grauitate elocutis, singulorumq; manibus pro more deosculatis, illis hymnis ac psalmis iussit insistere: ipse verò deota ad Deum oratione habita, accepto priùs ecclesiastico commeatu, fessi tandèm corporis sarcinam deposuit. Ferunt ilicò dulci locum odore afflatum, cœleste quid omnium naribus inspirâsse, donèc ipsum iuxta pontificalis muneris dignitatem in ecclesia sua Misnensi honorificè sepelierint. Obijt autem decimosexto Kalend. Iulij, Anno salutis M. CVI. ætatis XCVI. Episcopatûs verò XL.

XXXI.

Oratio eius ante mortem ad suos Canonicos.

Moritur S. Benno.

DEFVNCTO Bennone, sedem ipsius accepit venerabilis Herwicus Wurtzensis ecclesiæ collegiatæ fundator, quem consecrauit Henricus X. Magdeborgen. ecclesiæ Archiepiscopus. Cæterùm, sicut prædixerat pius pater, breui post obitum suum, VII. videlicet Idus Augusti eodem anno prædictus Henricus Rex IV. quasi repetundarum ab eo postulatus, miserè obijt. Cuius cadauer quinquennio (vt aiunt) ecclesiastica caruit sepultura. Obijt & Marchio diui Bennonis percussor, eo quo suprà diximus modo. Quorum casu admoniti successores, Ecclesiæ Misnensi non solùm ablata restituerunt, verùm de suis etiam bonis semper magis ac magis abdiderunt. Propter quod in hunc vsq; diem semper magis ac magis etiam à Deo exaltati ac prosperati sunt. Beatissimus verò post mortem suam nonnoribus apud Deum claruit meritis ac miraculis, quàm olim in vita, confugientibus ad sepulcrum ipsius plurima impetrans beneficia. Quorum quidam à varijs languoribus curati, pleriq; à grauibus periculis & anxietatibus liberati, nonnulli etiam à morte suscitati sunt. Quorum omnium fides apud ecclesiam Misnensem literis, sigillis, testibus, & vel tabellione publico, vel Prælatorum authoritate amplissima fulta est. Translatio autem ipsius ex loco humili, vbi olim se tumulari iusserat, ad medium ecclesiæ, vbi nunc tumba ipsius honorificè instructa cernitur, facta est circa annum Domini M.CC.LXX. quo tempore venerabilis Episcopus Witigo, huius nominis II. vehemens diui Bennonis amator & prædicator, certas etiam indulgentias ad eandem translationem contulit, quo plenius esset deuoti populi gaudium. Idem etiam Episcopus Witigo vino illo, quo diui Bennonis ossa lota, & à terreno puluere mundata fuerant, tanquàm saluberrimo quodam olei riuo ægros quamplurimos sanauit. Quorum omnium nomina & morborum species propria manu adnotauit, & apud ecclesiam Misnensem pariter in perpetuam rei memoriam recondidit. Casula verò qua indutus fuerat diuus pater Benno, & baculus pastoralis, tanquàm recèns deposita, secum in sepulcro inuenta sunt absque omni cinefactione, quæ etiam non paruam à sanctissimo corpore virtutẽ attraxêre. Nam vt vetera taceam, matrona quædam Misnensis diœceseos ex villa Prentzindorff, prope

Hervvicus Episcopus Misnensis, S Bennonis successor.

XXXII.

Miracula ad sepulcrũ eius

VVitigo Episcopus Misnensis.

Casula diui Bennonis incorrupta

Friber-

Fribergam noſtra hac tempeſtate dæmonio arrepta, ad ſepulcrum diui Bennonis adducta: cum nullis dæmon exorciſmis ab ea fugari poſſet, induta eſt tandem diui Bennonis caſula, & datus in manu baculus paſtoralis, quo facto exclamauit dæmon: Nunc tempus eſt vt egrediar: relinquam tamen hoſpitæ meæ ſignum, quo mei perpetuo meminerit. Moxq; aperto altero mulieris crure, terribiliter eliſus eſt. Foramen autem quod ille fecerat, nulla medicorum arte ſanabile, mulier adhuc hodie geſtat, & vt timendum eſt donec vixerit non abolebitur. Præterea vt pius erga ſupplices, ita ſeuerus in obſtinatos diuus pater iuxta promiſſa ſua ſæpius inuentus eſt. Marchionem enim VVilhelmum, eum qui Grymnis mortuus eſt, cum Præpoſitus olim Miſnenſis Brutenus nomine ſæpe adhortatus eſſet, vt ab exactionibus, & ſeruitijs, quibus colonos ac ſubditos Eccleſiæ Miſnenſis præter ius ac conſuetudinem prægrauabat, deſiſteret: nec eum ab incœpto poſſet deflectere, ad auxilium tandem diui Bennonis confugit, qui (exoratus tandem aſſiduis Præpoſiti precibus) Marchioni in ſomnis apparuit, arguens & commonefaciens ad remittenda iniuſta grauamina. Cumque is conſiliariorũ ſuorum ſuaſu, dicentium non eſſe curanda ſomniorum deliramenta, in nullo ſe emendaret: alia vice per quietem, iterum viſus eſt ſibi Benno irruere, & face quam manu geſtabat alterum ocellum inurere. Qui mane ſurgens & eluſcatum ſe ſentiens, tandem compunctus corde, Eccleſiæ Miſnenſi non ſolum data reſarciuit damna: verum inſuper multa contulit donaria, quibus, vt ſperandum eſt, benedictionem pro maledictione à Deo promeruit. Legitur tamen tam hunc quam diui Bennonis percuſſorem, ſpe prolis à Deo fruſtratos abſque legitimo deceſſiſſe hærede, in pœnam læſæ eccleſiaſticæ libertatis. Poſtremo quanuis beatiſſimus Benno Eccleſiam ſuam Miſnenſem & Canonicos ipſius à variis periculis & inimicorum inſidiis clementer ſuis ſemper meritis eripuerit: nihilo ſecius tamen eis ipſis etiam, vbi quid delirarunt, non pepercit: ſed durus duris pater filiis graui ac manifeſto quidem ſupplicio eorum delicta expiare ſolitus eſt: mortes quoque ipſorum præcedentibus paucis ſemper diebus valido & vehementi quodam ictu prænunciare fertur: monens nimirum eos quatenus venturam iram celeri pœnitentiæ remedio declinent. Sunt præter hæc alia quoque multa numero præclara facta, digniſſima ſcripto, & lectu iucunda, quæ de beatiſſimo patre noſtro Bennone referuntur Dei magnalia ac miracula: ſed canendum nobis aliquando receptui, & linquendus etiam poſteris ſcribendi locus eſt. Neque enim omnia omnes poſſumus aſſequi. Nec ipſe parum Miſnenſibus decoris ac ornamenti peperiſſe videbor, qui primus eorum diuitias & cæleſtem hanc margaritam tot retro ſæculis abſconditam in lucem protulerim: ſatisque nobis id erit demonſtraſſe, diuum Bennonem noſtrum ab incunabilis, vſque ad extremum vitæ ſpiritum virtutibus ac vitæ ſanctimonia fuiſſe clarum: neque prophetiam illi defuiſſe, & cæleſtium ſecretorum reuelationem: neque gratiam ſanitatum, & impiorum hominum vltionem: neque mortuorum denique ſuſcitationem: quibus omnibus magnificauit eum Dominus in conſpectu regum ac principum & in medio populi ſui, illiq; coronam gloriæ perpetuam dedit.

Miraculũ de dæmoniaca S. Bennonis meritis curata.

Brutenus Præpoſitus Miſnenſis.

Marchio exoculatus.

S. Benno Canonicorũ mortes prænunciat

Epilogus.

S. Benno prophetico clarebat ſpiritu.

XXXIII

QVIA nonnulli mirari ſolent, cur tanto tempore Canonizatio diui Bennonis (quanuis ſedulo quæſita) ſuos non habuerit ſucceſſus: idcirco ne admiratio iſta ſcrupulum tandem, vt fieri ſolet, cuiquam parturiat, hoc vltimo tandem capite palam agendum eſſe duxi, quibus de cauſis opus hoc tam cælo gratum, quam hominibus proficuum & ſalutare, hucuſque de die in diem procraſtinatum ſit. Principio igitur conſtans omnium totius mundi ſapientum aſſenſus & in confeſſo eſt, mortalium cuncta à diuina pendere gubernarique prouidentia, quæ & velit & poſſit ſuo quæque tempore ac loco, prout magis opportuna nouerit, hominibus adhiberi miniſtrarique. Quod ſi ita eſt, quis non crediderit opus hoc tam pium & ſanctum, occulta etiam quadam Dei prouidentia, tum ad maiorem ipſius gloriam, tum ad ampliorem hominum profectum hucuſque tardatum iri & in meliora ſeruari tempora? Atqui in agricolis videre hoc licet: quibus ſi per triduum octiduumve cælum ad vota non influxerit, ilico animum deſpondent, ſpemque deponunt, ſuſpicantur male, timent deterius, conqueruntur actum eſſe de frugibus anni, ac ſi oblitus eſſet Deus ſolitæ mortalium curæ. At vbi mox contra ſpem omnium ſerenauerit, & diſcuſſis Phœbus nubibus vitali terras calore refouerit: tunc demum diuinæ prouidentiæ opera collaudant, & erroris ſui conſcij fateri coguntur, optimum & temporum & rerum omnium moderatorem eſſe Deum: Solemque longe affuiſſe tempeſtiuius, quam ſi ipſi Phaethontis inſtar quadrigas ipſius ſuis aurigaſſent manibus. Haud ſecus nimirum optimo Deus tempori diui Bennoni apotheoſim tacito ſecum conſilio reſeruat. Faceſſat igitur mortalium ſolicitudo: quoniam vt ſcriptum eſt, Dei perfecta ſunt opera. Sed hæc ratio pijs fortaſſe mentibus ſatisfecerit: verum pertinacibus & humanitus ſapientibus, alias inſuper huius moræ cauſas edemus. Defuncto ſiquidem mox Bennone, cum recens adhuc eſſet eius cum hominibus conuerſatio, nemo fuit, qui tunc ad hanc rem adſpirare auderet. Non enim peti ſolet vel etiam concedi Canonizationis beneficium, niſi longo tempore grauiq; maturitate probatis miraculis ac vitæ ſanctimonia. Nec item niſi ingenti pecuniarũ profuſione & impenſa. Sed quia ſequentibus annorum curriculis Eccleſia Miſnenſis multoties propter incurſiones barbarorum & bella finitima vaſtata atque depauperata eſt, idcirco ad faciendas tantas impenſas facultas tunc nulla adfuit. Nouiſſime vero cum ad Alexandrum VI. prima eſſet huius rei facta relatio, idem Pontifex Commiſſarios deſtinauit certos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, qui cauſam examinarent, verum priuſquam negotium conficeretur, Pontifex diem clauſit extremum, deinde etiam Commiſſarij (quibus res iam nota erat) demortui ſunt. Itaque diuo Iulio moderno vrbis Romanæ Epiſcopo denuo ſupplicatum eſt, qui & ipſe huic operi Commiſſarios dedit Reuerendiſſimos olim Cardinales Raymundum Gurcen, Melchiorem Brixenen, & dominum Alexandrinum, quorum omnium authoritate & beneuolentia (cum duo præcipue ex eis ſepulcrum Bennonis, & quædam miracula propriis vidiſſent oculis) optatum iam finem haberemus procul dubio, niſi intempeſtiua eorum morte Deus nobis manifeſte oſtendere voluiſſet, nondum veniſſe tempus huic operi ſua prouidentia deſtinatum. Quæ etiam cauſa eſt, vt Domini Canonici, & hi, quorum intereſt (quanuis operam ſuam haud ſegniter adhibeant) præter modum tamen Pontificem non minus vrgeant, tum propter arduas ſuæ ſanctitatis tam domeſticas quam publicas occupationes, & temporum iſtorum diſcrimina: tum quia de ſanctitate diui paſtoris ſui, quem penes ſe quotidie nouis fulgere ſignis ac miraculis ſuis conſpicantur oculis, nihil hæſitantes præfinitum à Deo tempus æquiore præſtolantur animo. His igitur ex cauſis in hunc vſque diem tardata eſt diui Bennonis apotheoſis ſiue Canonizatio (vt vocant) cum ipſe tamen in priuato nihilo ſecius, vt pius Chriſti confeſſor, à pleriſque veneretur ac inuocetur. Siquidem ad confeſſorum ſanctimoniam probandam, non ſanguinis quæritur effuſio, aut vllum ſupplicij genus, ſed miraculorum duntaxat fides ac magnitudo, quibus ille multis iam millibus ſpectatus eſt, largiente altiſſimo Domino Deo noſtro, cui ſit laus, honor, claritas, & gratiarum actio per infinita ſæcula ſæculorum.

Cur canonizatio Bẽnonis ſuos nõ habuerit ſucceſſus.

Nota, Vixit author huius vitæ circa annũ Domini 1510.

Poſtea anno 1523. die dominico, in feſto SS. Trinitatis, qui fuit 31. Maij ab Hadriano VI. Canonizatus eſt S. Benno vnà cum S. Antonino Archiepiſcopo Florentino, ſolemnitas q; S. Bennonis relata eſt ad XVI. diem menſis Iunij. & conceſſa indulgentia plenaria Eccleſiam S. Mariæ de Anima nationis Teutonicorum Romæ viſitantibus. vbi extat canonizationis diploma. Vide Baron. 12. Martyr. hoc die.

EIVSDEM HIERONYMI EMSER CARMEN IN APOTHEOSIM DIVI BENNONIS.

VRbs antiqua iacet vastis vicina Bohemis,
Monte racemifero nobilis, atque solo:
Nobilis argento, gemmis, omnisque mineræ
Diuitijs: Misnam Theutona lingua vocat.
Illius ad calcem frendens Aquiloneus Albis,
Suspenso trabibus ponte superbus abit.
Ast in supremo sociata est vertice, pulchræ
Pulchrior ecclesiæ regia, digna Ioue.
Regia quæ Parijs totum formosa columnis,
Dardanias arces posthabuisse queat.
Hæc etenim secto lapide, & testudine mira,
Vincit, quas omnes vidimus ante domos.
Misna ciuitas libera. Sed tamen Ecclesiæ iunctæ non vltima laus est:
Libera quod nulli, ni tibi Papa, subest.
Condita quod magnis quondam est Ottonibus, & quod
Misniaco semper principe tuta fuit.
Quodque eius clerus tota cultissimus vrbe,
Diuinus cultus quãtum in ecclesia Misnẽsi vigeat. Plenus honestatis, relligione, fide.
A quibus assiduo laudantur carmine diui:
Hic cantant hymnos, nocte diuque sacros.
Hic ducibus, vel præsidibus commune sepulcrum:
Hic sunt Sanctorum corpora multa patrum.
Hic iacet Albertus fama super æthera notus,
Saxonicæ nuper gloria magna domus.
Hic trucibus pendent Frisijs ablata trophæa,
Quos docuit Dux hic Saxona frena pati.
Hic hic, inprimis, nostri farrago libelli,
S. Benno Episcopus fuit X. ecclesiæ Misnensis. Benno iacet media conditus æde sacra.
Benno, qui hic quondam meritis dignissimus altis
Præsul erat decimus, Pastor vbique bonus.
Nam si vel vitam, vel si miracula spectes:
Ostendunt sanctum singula facta virum.
Ostendunt siccis vel flumina peruia plantis,
Casula & vestes eius post longa tempora inueniuntur illæsa. Aut in fluminibus squamea turba latens.
Illæsæ vestes, ossa inconsumpta fatentur,
Plus sexaginta condita lustra solo.
Et quam perrexit vnam via longa per horam,
Fertilior sacro pressaque terra pede.
Lipsana porrendunt occulto transfuga saltu,
Cernere quæ tantum lumina casta queunt.
Addunt hinc veteres mira & memoranda coloni,
Cum quibus hic vixit non sine laude pater.
Liberalitas eius in pauperes. Vixit enim viduis, pupillis, vixit egenis,
His quoque distribuit, non cumulauit opes.
Nec tulit in molli corpus torpescere pluma,
Aut in purpurea luxuriare toga.
Quin indefessus iustiz elator & æqui,
Quid pro suis ouibus pertulerit. Pro grege deuouit remque animamque suo.
Pro grege porrecta, crudelia verba palma
Pertulit & pugnos exilium que suo.
Hinc viuente illo pascenteque nemo Tyrannus
Lædere Bennonias tunc fuit ausus oues.
Aut si tentauit quisquam, nec mortuus illos
Sustulit impunes, sed grauis vltor erat.
Pars pede succenso, tumido pars gutture sensit,
Quid valeant sancti numina læsa viri.
Sunt qui luminibus capti, qui morte piati,
Sacrilegum luerint eluerintque scelus.
Multa tamen maiorque suæ pars conscia culpæ,
Dum fleuit cœpti facta nefanda sui,
Nulla tam vehemens Dei ira, quę vera pœnitẽtia non flectatur mitigeturque. Cumque dolens alto traxit suspiria corde,
Promeruit veniam, restituitque duplum:
Nulla est tam vehemens pœna aut grauis ira Deorum,
Quin vbi pœniteat, flectere possit homo.
Quis petijt veniam non exauditus ab illis?
Quis frustra ingemuit? quas renuêre preces?
Præcipue Benno nullis mortalibus vnquam
Difficilis, nullis iusta petita negans,
Ad cuius tumulum glomerantur pendula vota,
Multus vt accepta contulit æger ope.
Cernitur hic lacero confossus pectore ferro:
Hic alius fracto crure perire timet. Miracula ad sepulcrũ eius.
Hic cecidit summa quondam resupinus ab arce:
Ille fuit rapidas obrutus inter aquas.
Hic trahit in mediis positus suspiria flammis:
Hic cinctus valido corripit hoste fugam.
Hic queritur febres, alius fera tormina ventris:
Hic misero neruos vellet abesse pede.
Ille elephantiasim deplorat, hic enterocelas:
Aut hæmorrhoides, lithiasimve dolet.
Denique quisquis adest placida redit inde salute,
Nec patitur cassas Benno fuisse preces.
Aeger princeps ab infirmitate curatur. Sensit opem princeps: sensit quoque regia Coniunx,
Quæ prius ægroto fleuerat vsque viro:
Nunc formosa suo ridet coniuncta marito,
Et pendit diuo cærea vota patri.
Inde frequens alijs etiam de gentibus illuc
Accelerat variis turba grauata malis.
Huc veniunt Thurii, Pruteni, Sarmata, Sclauus:
Huc vicinus agit sæpe Bohemus iter.
Sæpe etiam admonitus media per somnia nocte,
Huc tulit arctoo Cymber ab axe pedem.
Mille licet veniant, referunt quoque mille salutem:
Arguit hoc sanctum scilicet esse virum.
Nam licet hoc nulli sacro sine numine Diuum:
Nemo malus tanta & talia signa fecit.
Et tamen (indignum) quatuor modo sæcula & vltra
Dum pollet meritis his magis atque magis,
Nemo hunc Pontificum merito dignatus honore est,
Nemo inter sanctos rettulit, ante sacrũ.
Hoc ego dum mecum nuper stomachatus acerbe,
Nunc hos nunc alios insimulando rei:
Ingemui tantam tanto latuisse tenebris
Tempore virtutem, tot benefacta viri.
Scilicet inuidia fieri potuisse putabam:
Quæ (nisi non valeat) supprimit omne bonum.
Accusabam omnes, quibus hic benefecerat olim:
Sed plus Canonicos Misniacosque viros.
Nec deerat multum quin tunc hominesque Deosque
Dixissem ingratos immemoresque boni.
S. Benno apparet in somnis Hieronymo Emsero huius historiæ authori. Donec in infuso, quo nescio numine somno
Benno mihi visus talia verba loqui:
Insimulas falso sanctos Hieronyme patres,
Frustra indignaris fratribus inde meis.
Non est Pontificum, non est incuria fratrum,
Quod mihi nondum aras constituere sacras.
Nec minus ambrosia vescor, vel nectare potor:
Nil facit ad sanctos hic popularis honor.
Nec tantum gelidi superis libamina saxi
Quam pudor & probitas sanctaque vita placet:
Qui vitam innocue vixit, hic esto beatus,
Siue etiam rodant membra relicta feræ.
Sed tu quando pio nostri succensus amore
Tam petis in nostris thura adolere focis:
Ne dubita ventura suo stata tempora fato,
Quæ Deus occulta nunc ratione tegit,
Interea nostros sine quæso quiescere manes:
Et quem thure nequis, fac pietate colas.
His dictis, Benno subitis euanuit alis:
His dictis, somno sum resolutus ego.

Is fuit postea in diuos relatus ab Adriano VI. rẽpore Lutheri ad confũdẽdũ forte eius impium dogma.

BARTHO-

BARTHOLOMÆI STENI BRIGENSIS PHILOSOPHI ET ORATORIS CARMEN LYRICVM AD DIVVM BENNONEM.

QVum multorum opera, Benno pater, tibi
Desudare frequens ingenium paret,
Et laudare sacras quisque canorius
Virtutes cupiat tuas.
Quum sint verba quibus liberius fluant,
Et sublimia qui carmina concinant,
Quorum te celebrant ora, lyræ, fides,
Cuique vt copia suppetit.
Sed non alter erat, cuius ab intimo
Emanat tua laus pectore gratior.
A cuius modulo suauior increpat
Vox, aut aure sonet tua.
Quam deuota tui mens Hieronymi,
Vitæ facta tuæ qui canit inclyta,
Qua mores memorat sanctaque stemmata,
Et miracula plenius.
Ergo sic meritum diue pater iuua,
Scis illi quid opus: quo neque dignior
Te præco vllus erat, cui tua debeat
Plus pro munere sanctitas.

Miracula ad sepulcrũ eius.

Aeger princeps ab infirmitate curatur.

ITEM HIERONYMI EMSERI CARMEN AD DIVVM BENNONEM, QVOD HABEBATVR IN FRONTE HVIVS HISTORIÆ ANTE Epistolam dedicatoriam.

DIue pater Benno pro vita suscipe vitam,
Hoc hostimento nil tibi maius erit.
Tu mihi mortalem precibus producere vitam
Visus, vbi media destituebar ope.
Immortale tibi nomen vitamque repono.
Nam viues scriptis notior inde mei.

S. Benno apparet in somnis Hieronymo Emsero huius historiæ authori.

MARTYRIVM SS. FERREOLI PRESBYTERI ET FERRVCIONIS DIACONI AC SOCIORVM EORVM, VT HABETVR IN ANTIQVISSIMO MS. CODICE, cui adstipulantur antiquissima martyrologia.

AN. 190.

I. EODEM tempore quo summus sacerdos & martyr Ecclesiæ Lugdunensis sanctus Irenæus Episcopus Christi, lumen æternum, & splendor iustitiæ publice suam prædicationem in Gallijs dederat, & assidue verbum Domini nostri Iesu Christi gentibus declarat: sanctum Ferreolum presbyterum & Ferrucionem diaconũ ad Vesuncensem ciuitatem vere vt fundamentum fortissimum ad fundandam supra petram Christi Ecclesiam misit, & sicut angularis lapis sponsi cælestis, & vt margaritæ resplendentes fulgebant, per quos nomen æternum & splendor gloriæ gentibus quæ in tenebris iacebant coruscaret, vt eorum prædicatione ad baptismatis gratiam conuolarent, in quibus erat mira virtus Christi. In verbo enim & sapientia strenui, vultum angelicum & Domini seruitutibus aptum manifeste populis demonstrabant, Augebatur Catholica fides, lætabantur de confuso & victo diabolo quotidie Christiani: qui derelinquentes idola, sequebantur Christi vestigia. Similiter sanctus Irenæus Felicem Presbyterum, Fortunatum & Achilleum diaconos, ex suo latere ante glorioſum martyrium suum Valentiam dirigit in vrbem. Quibus ingressis, talem Dominus athletis suis contulit gratiam, vt illa paganorum multitudo, quæ in tenebris iacebat, eos plenissimo affectu diligeret. Erat itaque in eis mirabilis Christi gratia: quia vultu placidi, profusi in verbo, vt Dominum corporali consortio sequerentur homines docebant in terris. Sursum quoque corda suspensa angelico habitu sociati terris, splendebant in cælis. Dum ergo essent Spiritu sancto repleti, spiritus immundos verbo purgabant, ægros, oppressos sanitati reddebant: nec narrare lingua sufficit, quantas virtutes, quantaque signa & prodigia per eos Dominus noster Iesus Christus gentibus demonstrauerit. Tunc hi tres beatissimi martyres & confessores Christi extra ciuitatem Valentiam ad Orientem versum sibi tuguriunculum de lignis contextum, locum oratorij dedicauerunt, vbi die noctuque indesinenter Domino Iesu Christi gratias agentes, non cessabant sacrificijs diuinis cælum pulsare, eorumque prædicationibus multitudo gentium ad baptismatis gratiam conuolabat. Dum hæc aguntur, quodam tempore cum se sanctus Felix sopori dedisset, expergefactus fratribus narrauit, dicens: Fratres charissimi, vidi locum terribilem splendore munitum, diuersis floribus adornatum, florum & aromatum suauitate miri odoris collocatum, tabernaculum auro gemmisque insignibus constructum: vbi quinque agni sine macula mundi candore splendidi, in eorum atriis lilia depascebant. Dum hanc mirabilem virtutem intuitus essem, audiui vocem terribilem mihi dicentem, Euge euge serui boni & fideles, quia super pauca fuistis fideles, supra multa vos constituam, intrate in gaudium Domini vestri.

Matth. 26.

Ivnii 16.

Irenæus Lugdunen. episcopus. Christus lapis angularis.

Sanctus Irenæus suos discipulos ad prædicãdum gentibus misit.

Visio Felicis presbyteri.

II. DVM hanc præclaram narrationem Felicis inuicem sermocinarentur, repleti Spiritu sancto Fortunatus & Achilleus dixerunt: Gloria tibi Domine Iesu Christe lumen æternum, splendor gratiæ angelorum, totius cæli & terræ Dominus, quod nos per seruum tuum Felicem beatificare dignatus es, & nobis indignis manifestare vis vt promissionem tuam possimus dignoscere. Nos ergo esse iubeas tui muneris gratia dignos, quos tui verbi annunciatores præcipuos esse fecisti. Nihil enim in nobis aliquid posse dignoscitur, nisi Domine tua benedictione & virtute muniti, contra hostis

Fortunatus & Achilleus

Is fuit postea in diuos relatus ab Adriano VI. tẽpore Lutheri ad confũdẽdũ forte eius impium dogma.

insidias & inimici iacula possimus resistere. Ea completa oratione, ecce quidam è fratribus Ferreolo & Ferrucioni beatissimis viris huiusmodi protulit scripta legenda. Viris piissimis & in Christo fratribus Felici, Fortunato, Achilleo, Ferreolo & Ferrucioni in Domino salutem. Qui moderatur sæcula & disponit totius mũdi climata, ipse seruis suis ad inuitationem bonæ confessionis arcana sui pectoris non negauit. Cum vigilata nocte me sopori dedissem, vidi reuolutam cæli paginam, & quinque coronas nimio splendore auro gemmisque insignibus adornatas, sydereo fulgere nitore, & singulæ angelorum manibus deportabantur, & signum crucis in medio portabatur. Quod cum admirarer, audiui vocem terribilem mihi dicentem. Venite Irenæi discipuli, percipite promissum vobis patris regnum, vt quia feciſtis voluntatem Domini in terris, pariter percipiatis promissum patris in cælo. Viri sanctissimi fratres, quoniam nos Dominus ad martyrij coronam inuitat, confortemur & oremus, vigilemus spiritu feruentes, vt non diabolus veniens furetur thesaurum nostrum. Ad hæc Felix, Ferreolo & Ferrucioni quæ viderat adscripta narrauit. Sicque factum est, vt diebus ac noctibus psalmis & hymnis indesinenter Dominum Iesum Christum æternum laudarent. Nunc ergò ad eorum venerandam passionem veniamus.

Ferreolus & Ferrucio discipuli S. Irenæi episcopi.

III.

Eodem tempore quidam vir Glaudius nomine ex ciuitate Vesuncensi ad Cornelium ducem exercitus Aureliani Imperatoris Valentiam veniens, cum audisset quod in sanctos Dei, id est, Felicem presbyterum, Fortunatum & Achilleum rabiem suam taliter exercuerat, de Ferreolo & Ferrucione narrare cœpit, dicens: Sunt huiusmodi duæ personæ in ciuitate vestra, per quos iam medius populus nostræ religionis cultus auersus est, & colunt Deum qui ab hominibus crucifixus est, etiam & ancillam vestram coniugem meam, huiusmodi seducentes Christianam fecerunt, virginibusque suadent ne nubant. Deorum nostrorum despectio tam grauiter subleuata est, vt nullus eos deos esse iam dicat, nec sacrificium quod est placabile dijs nostris propter eos nullus offerre præsumat. Nec solum eos placari prohibent, sed & malleis eos confringere præsumunt. Quo audito, Cornelius ait: O inuictissimi dij, vt quid virtutes vestræ ad nihilum rediguntur, vt iam nullus locus sit, vbi despectio vestra per huius Christianitatis titulum non subleuetur? Quid frater Claudi agemus? Si patrum nostrorum dijs non succurrimus, pene omnis terra se ad Christum tradere habet. Vt quid tam terribile est signum Christi crucifixi, vt ante eum dij nostri pauescant & nobis metum inferant? Sed nec lex Christianorum aliquando commisceri potest legibus deorum nostrorum. Sed accipe literas, & accede ad locum, & huius legis doctores diuersis pœnis interfice, vt cæteri metum habeant. Claudius respondens ait. Quæ dictis iubes, factis probabo, Et acceptis literis nequissimi Cornelij, Vesuncensem vrbem ingreditur, ac sanctum Ferreolum presbyterum & Ferrucionem diaconum corripi præcepit, qui in cripta paruula se fouebant. sed Christum publice populis prædicabant. Quibus comprehensis, ait: Sacratissimorum principum præcepta sanxerunt, vt aut sacrificetis dijs, aut diuersis vos interficiam pœnis, vt cæteri metum habeant. Quod si sacrificare dijs nostris volueritis, ex ærario publico remuneratos vos largissime incolumes abire dimittam. Tunc Ferreolus & Ferrucio adspicientes in cælum, vexillo crucis in fronte affixo, dixerunt: Eijce nos, parati sumus, ideoq; quod tibi diabolus pater tuus dictauerit fac, nos enim in nomine Domini nostri Iesu Christi semper speramus Et licet nos diutinis pœnis & cruciatibus afflixeris, ipsum Christum redemptorem & reparatorem vitæ æternæ confitentes, & in illo credentes, cum ipso semper erimus. Nam pecunia tua tecum sit in perditionem, nobis sufficit vnum Deum colere.

Passi sunt hi martyres sub Aureliano Imperatore in ciuitate Vesuncensi.

SS Ferreolus & Ferrucio comprehenduntur.

Vide martyrum constantiam.

III.

IV.

Tvnc Claudius eos ad trochleas extendi & flagellis cædi iussit. Qui cum flagellarentur, nihil doloris sentiebant, sed qui semper protegit suos Deos hoc illis præstitit, vt angelico habitu & virtute terribili in vultibus resplenderent, dum carnali pœna pati viderentur. Quod videntes populi mirabantur. Deinde reclusis eis in carcere, in crastino eos sibi præsentari iussit, & ait: Sacrificatis diis, an non? Ferreolus & Ferrucio dixerunt. Non sacrificamus, sed neq; à bona Christi confessione recedere optamus. Tunc carnifex ira & furore magno repletus, linguas eis amputari iussit. Illi ergo magis accipiebant organum spiritale ad confortandos fratres, & ad prædicandum verbum veritatis & vitæ. Dicebant enim: Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Et ad Claudium conuersi dicebant: Sic dii tui possunt facere sine linguis homines loqui, cum ipsi nec loqui possint nec audire? Sed respice in nos & conuertere, & baptismi ablutione perfundere, & ex toto corde crede Christo, quia indulgentiam peccatorum tuorum mereberis. Tunc Claudius ira & magno furore repletus, acutissimas subulas, triginta vni, & triginta alteri, tam in manibus quam in pedibus, siue in pectore, vel inter omnia internodia malleis ferreis in eos transfigi iussit, & in omnibus sicut ros de cælo descendens, magis eis refrigerium, quam dolorem præstabat, sed cum de dolore nihil sentirent, tunc Claudius eos gladio percuti iussit. Quibus percussis, tantus odor suauitatis & miri timoris locum illum exterruit, vt existimaret populus se diuinitatis ira obumbrari. Tunc Christiani nocte sublata corpora eorum in eadem crypta sepelierunt, vbi semper orationibus, psalmis & hymnis quotidie Domino gratias agebant.

Amputatis linguis loquuntur. *Matth. 5.*

Plectuntur capitali supplicio.

IV.

VI

An. 340 VITA ET MARTYRIVM SANCTORVM ET INCLYTORVM MARTYRVM MANVEL, SABEL, ET ISMAEL, QVI *fuerunt Martyres tempore Iuliani, ex Simeone Metaphraste.*

I.

17. Ivnii. Persecvtores quidem alii & Tyranni, etiamsi idolorum cultui erant dediti, in errore tamen ab initio educati, non externum aliquem & alienum cultum, sed proprium & patrium habere videbantur: quem quidem iam tenentes, male quidem, sed tamen iam tenentes, fidem nostram esse plane absurdam existimabant, & eos puniebant, qui ad eam accedebant. Quorum quidem, cum ea facerent, quæ suæ conueniebant consuetudini, non magis quis mores vituperauerit, quam erroris, in quo fuerant educati, fuerit motus miseratione. Præsens autem hic Tyrannus, cum in rebus diuinis pulchrè à principio fuisset eruditus, & in Christianorum legibus & moribus educatus, nec id solum, sed sacris quoque & arcanis scripturis fuisset dignus habitus, nescio quanam de causa à fallacibus dæmonibus postea persuasus, illa quidem omnia postea habuit pro ludibrio, iis contumelioſe insultans, quæ sunt venerabilia: gentilium autem solummodo res magnifecit, & in summo honore habuit. Quocirca eorum, qui vnquam fuere, persecutorum fuit & iniquissimus, & impudentissimus: vt qui neque fidem, quam acceperat, seruauerit, & factis visus fuerit maleuolentissimus. Iulianum transgressorem scio vos omnes nosse, quem vel solum cognomen facit omnibus exosum & inuisum, nedum mores ipsi: quo quidem nemo fuit ad vitium promptior & procliuior.

Iuliani Apostatæ impietas.

II.

Is ergo cum, quod nemo putasset, in Deum, & eum, qui illo tempore imperabat, (is autem erat Constantius) amentiam, & in ipsos Christianos, cum quibus erat ei nomen commune, defectionem parturiisset, Romanorum nescio quomodo arripit Imperium. Propter quod valde elatus, & in summam euectus superbiam, omnibus erat iutolerabilis,

Iuliani insolẽs superbia

se continere poterat, nisi Christianos omnes caperet & expugnaret: alios quidem minis & tormentis terrefaciens, alijs autem turpiter & illiberaliter blandiens, alios verborum strophis ac technis aggrediens & illaqueans, vt quomodo liceret, eos, qui non persuadebantur, subiugaret. Cæterum eius improbitatem &, quæ sub blanda verborum specie latebat, fraudem & imposturam perspexerunt quidem multi & deprehenderunt, qui etiam cito vitarunt: multi autem tormenta quoque quibus sunt cruciati, forti animo & excelso sunt perpessi, adeo vt ne turpe quidem verbum emitterent: complures autem etiam vsque ad mortem decertarunt, vitij callidum artificem in omnibus pudore afficientes, & nihil aliud, quam id, quod est esse malum, ostendentes.

III. QVONIAM autem præter omnes reliquos, hi tres quoque viri egregij & plane interriti, qui sunt etiam dicendi argumentum propositi, Tyranni crudelitatem, non secus atque desipientis pueri, deriserunt, eius minas perinde atque laruas reputantes: res eorum sunt in præsentia narrandæ, & ijs qui non norunt, quoad eius fieri poterit, explicandæ, vt eorum appareat fortitudo & inuictum animi robur. Præclarorum horum virorum, Persis quidem erat patria, genus autem ex parte matris pium & religiosum: Pater verò (est enim amica veritas) permansit quidem in errore: vita autem erat honesta, & grauitate plena, & quæ pietati conuenirer: omnes fratres, & animis, & corporibus. Nomen primo erat Manuel, secundo autem Sabel, rursus autem tertio Ismael, quibus quidem ante alia hoc curæ erat maxime, vt à patriis ritibus longissime abessent, eosque, tanquam rem execrandam & auersandam fugerent. Est enim Persis ritus patrius, lucernas & ignem suffumigare sacrificiis, & aliis adhuc magis execrandis pollui. Quæ quidem nec vnquam obseruare in animum induxerunt, & vel solo adspectu se iudicarunt inquinari. Erant enim ab ineunte ætate pulchre instituti in diuinis, vtpote quod quidam Eunoicus vir clarissimus in eos pietatis semina deiecisset, & eos aluisset pietatis dogmatibus.

Patria sanctorũ martyrum & genus.

IV. ILLOS cum huc mitti oportuisset ab eo, qui tunc in regione dominatum obtinebat, (vocabatur autem Alamundarus) vt Imperatorem conuenirent, certisque pactis ac conditionibus cum eo pacem inirent (hoc enim iam prius & literis petierat, & missis legatis contenderat) neque virorum virtutem homo insolens reueritus, quæ erat adeo magna & admirabilis: neque id, propter quod accersiti venerant: neque de futuro, si de nullo alio, dubitans, eos, qui aduenerant, intolerandis excipit suppliciis, & tandem morte acerbissima, pulchre vero eos accipiens, & vt amentem eius decebat animum. Vndenam autem ad hoc sit incitatus, iam dicet oratio. Postquam ergo hi tres, vt dictum est, venerunt ex Perside, & ea scripta, quæ acceperant attulerunt, fœderaque certis conditionibus inita. Romanorum Imperatori & Principibus obtuleruut, eis quidem aliquantisper permissum est, vt de more benigne tractarentur, & consueto honore fruerentur, vt qui de tanta re, quam afferebant, Legati accessissent. Cum Imperatore itaque versabantur assidue, erantque eis cum eo omnia communia, domus, victus, & quæcunque est alia in aula regia benignitas. Quidni enim ea participarent, qui tales erant, & morum bonitate excellebant, cum vel hoc solum, quod tantum iter feciissent, sufficere deberet ad hoc, vt benignissime acciperentur? Sed hæc quidem nequaquã verè ac syncere fiebant à Tyranno, neque eius erat hæc facere: sed mox deprehẽsus est id ficte ac simulate iuueniisse, vt qui factis ipsis effecerit, quo facile argueretur.

Male Alamandurus, cum cõstet Saporem eo tempore Persis præfuisse. Vide Baronium ann 362 §. *Porrò hos ignominia.*

Simulatio Apostatæ.

V. NAM cum ei aliquando visum esset ire in quendam locum Bithynnorum, & fretum transmisisset Chalcedonicum, & omnes iam, qui ei parebant, accerseret, & non permitteret, vt aliquis ab hoc cœpto desisteret itinere: & præter cæteros hos quoque pios viros adduceret: Tunc enim ei publicum festum & celebre aduenerat, sanguine & nidore, & cæteris piaculis suos colenti dæmones: (Erat autem nomen loci, in quo hæc execranda peragebantur Orgia, Trygon) Alii quidem omnes, vt qui densis tenerentur tenebris, festum celebrant cum Imperatore, & vna sacrificabant, & ei parebant in omnibus, vt qui corpore & animo essent imbuti impietate. Soli autem ij, ne apertis quidem oculis ea, quæ fiebant, videre sustinentes, tolerabant soli procul stare in angulo mœsti & lachrymantes, & Deum Saluatorem placantes, & rogantes, vt eis concederet integram & illæsam seruare religionem, & non pollui impiorum communione, quorum vel solam leuiter attigisse superficiem, putabant impietatem. Potius autem obsecrabant eum, qui est optimus, vt eos, qui iam morbo laborabant, conuerteret, & efficeret, vt animaduerterent in quanto essent errore, & eis significaret, quisnam sit, qui eos ad hoc, vt essent, produxerit & formarit: & rursus, cum cecidissent, melius reformarit. Ne sic enim, dicebant, ô Domine, siueris eos iacere in profundo malorum, nec cum sint participes rationis, impleri tanta egestate rationis, vt ijs, quæ ab ipsis coluntur, videantur à ratione alieniores, & minus sensu prædiri. Siquidem illa, cum sint lapides & ligna, sunt plane nullo sensu prædita: isti autem cum sint ratione præditi, & acceperint, vt fierent ad tuam imaginem, & te, qui illos tanto honore affecisti, ignorarunt, & naturam affecerunt dedecore, & sibiipsis, quod est malum pessimum, fecerunt iniuriam. Sed hi quidem, sicut diximus, cum se ab aliis separassent, soli & inter se inuicem steterunt, hæc petentes à Domino, & à superis diuinum inuocantes auxilium.

Nólũt cum Iuliano sacrificare dæmonibus.

VI. POSTQVAM autem venit quidam ab Imperatore, (is erat cubicularius dignitate) eos trahens & producens ad sacrificium, (existimabat enim stultus, illos quoque non minus quam se esse deceptos) bona verba, ei exclamarunt vna voce: Abscede à nobis: fidem enim, in qua sumus educati, nunquam abiurabimus, neque Deum nostrum relinquemus, neque colemus eos, qui sunt apud vos, dæmones. Absit enim, vt eo vnquam animo simus, vt ijs qui non sunt, nos adiungamus, & tam aperto errori mentem adhibeamus. Non sumus adeo insipientes, & mentis adeo emotæ, neque adeo procliues, & ad ducendum faciles. Non enim hac de causa venimus, aut propterea tam longum iter ingressi sumus, vt nos quoque prodamus, religionemque nostram abiuremus. Venimus tantum ad ineunda fœdera, & ad ea confirmanda, quæ nobis visa sunt: alia autem habeamus, vt habemus. Hæc audiat & tuus Imperator, & quisquis eum colit, & est ei proximus. Nos quidem non vincetis, nec ab ea, quæ est ex Deo, sententia dimouebitis, etiamsi incitati fueritis, vt omnia dicatis & faciatis: etiamsi igni & ferro, & aliis instrumentis ad puniendum institutis tradideritis: etiamsi ipsas nobis animas obstuleritis.

Constantia animi.

VII. HÆC vbi audiuit iniqui minister iniquior, omnia quamprimum aperit Imperatori, fortiumq; virorum renunciat constantiam & animos, qui perterreri nequeunt. Hic autem mihi considera inuersam parricidæ scenam, illamq; quæ erat paulò ante, simulationem & summam malitiam detectam: quæ apud eos quidem, qui sunt ignari fraudis, benignitas esse videbatur, & humanitas, re vera autẽ maleuolentia, & dissimulatio, & malignitas erat ad vniuersum. Postquam enim de sanctis audiuisset vir pernicioissimus, interim quidem nihil aliud imperat, quam vt includantur in carcere, vt festum sibi quoque perageret expers omnis molestiæ, & quæ dæmonibus fiebant, sacrificia non interrumperet propter aliud negocium. Hoc enim tunc sibi visum est expedire, & deinde considerare, quemadmodum eos aggrederetur. Cæterum beati illi, dum ducerentur in carcerem, in via canebant: Venite exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro: præoccupemus faciem eius in confessione, & in psalmis iubilemus ei. Et illud: Quis Deus magnus, sicut Deus noster, qui semper facit nobiscum in gloria & potestate? Nos enim populus eius, & opera manuum eius, & eum perpetuo inuocabimus.

Coiiciũtur in carcerem

Psalm. 94.

Psalm. 76.

VIII. CVM autem die sequenti mane præsedisset Tyrannus, iubet sisti martyres: qui eos primum blandis verbis conatur inducere, sic callide existimans, se posse soluere robur animi etiamsi propter eam, quæ illi coaluerat, immanitatem, asperitatem minime remiserat Tanquam nobis, inquit, beneuolos & eiusdem nobiscum in omnibus sententiæ, vos vester Rex ad me misit, vt hac in re fidelem vestrum & gratum animum magis ostenderetis, quod dies festos nobiscum celebraretis,

Sistũtur coram Iuliano.

retis, & simul lætaremini, & quod eosdem deos nobiscum coleretis, & in nulla re à nobis dissideretis. Sic enim & fœderatiora sumus habituri stabiliora, & in ijs, quæ aguntur, confidemus, si eadem mente & cultu inter nos colligemur. Quod si vos quædam alia & sentitis & creditis, sciatis vos non tam venire legatos & reconciliatores, quam hostes & aduersarios. Nam si id non estis, omnino, si nihil aliud, oporteret vos vestra reuereri. Persæ enim vna nobiscum & Solem, & Lunam, & reliqua astra colunt, & præterea lucidissimam quoque ignis potentiam, ne alios quoque deos enumerem, quos ab altero principio venerantur principio, à quibus nobis quoque donantur, quæcunque sunt optima, & à quibus pendet vniuersorum prouidentia. Cui sancti simul & fortiter responderunt.

Constans eorum responsum.

IX. Nos, ô Imperator, qui ab initio Christiani & sumus, & vocati sumus (hanc enim rem, & hoc nomen maxime venerabile, nos noster docuit prædagogus, vir ille in rebus diuinis insignis, & virtute incomparabilis, qui etiam propter eam dignus est habitus sacerdotio: ijs autem, qui cum eo versabantur, tantam sui excitabat beneuolentiam, quanta nec dici quidē potest: nam eius quoq; nomen erat Eunoicus) hoc, inquam, viro virtutis studioso, duce & magistro vsi in omnibus maxime cum sciamus matrem quoq; fuisse ab eo in pietate initiatam, & summe ab eo captā, nunquā, quæ sunt ab eo nobis tradita, tam preciosa & tanti facienda, aut præterierimus, aut obliuioni mandauerimus: rebus autem vestris inconsiderate animum adhibuerimus, quæ habent fraudes innumerabiles, suntque plane viles & abiectæ, quoniā nec hæ quidem fuerint aliquid aliud, quam error & meræ nugæ. Quidnam autem hoc fecerimus vnquam insipientius, si cæli quidem factorem reliquerimus, malis vero dæmonibus diuinum cultum tribuerimus? Hoc esset insanæ & plane emotæ mentis. Si autem nostri maiores manserunt in veteri errore, ne dicam quod ipse quoque pater eadem, quæ illi, errante animo est sectatus, non ideo à nobis fides abiurabitur, quam professi sumus coram Deo & Angelis. Nam multi quidem ex ijs, qui sunt apud nos, Persis, hoc quidem tentauerunt, non potuerunt tamen nostram mutare sententiam. Er si, propter quæ venimus, non fuerint inita fœdera, tibi quidem id erit omnino imputandum, qui mittens ea considerare & componere, de quibus missi sumus, sedes de ijs disceptans, quæ ad te nihil attinent: nempe quis tuos quidem deos colat, & sit eis beneuolus: quis autem eos despiciat, & ab eis dissideat.

Iratus Apostata prodit suam arrogantiam & malam mētem.

X. Propter hæc amens ille, ira plenus, quæ minime cohiberi poterat, iracunde dixit eis: Quomodo vos, qui rudes & indocti semper vixistis, & linguæ Græcæ plane ignari, tam impudentes estis, vt vestra mala & reproba oratione nobis velitis persuadere, qui ad summam peruenimus eruditionem, idq; cum nec simus quidem vestrarum ignari scripturarum? Sciatis enim, quod ego quoque, cum essem in eis aliquando versatus, & nouissem quam eæ essent corruptæ & plane ad dissoluendum faciles, eas quamprimum à lingua mea absterси, ne ex illorum inscitia & ineptijs aliquid erroris

O impudēs mendacium

contraxisse videret. Nemo enim vestris fretus libris, quos eleganter quispiam vocauerit Christianos, aut se vnquam euasit melior, aut præclarum aliquid fecit, & dignū quod commemoretur. Quos refellere, & nihil esse ostendere, nec longi est temporis, nec viri vel mediocriter cordati. Quamobrem his dimissis, & hac puerili & inconsiderata cogitatione, credite mihi vobis consulenti ea, quæ sunt meliora. Sin autem audire & parere nolueritis, vos docebit tormentorū experientia, pro qualibus qualia elegeritis, & quanto vestro malo sit hæc arrogantia, & contentio, & absurdissima religio.

XI. Matth. 10.

Ex quibus sancti magis confirmati, cum graues audissent labores & dolores, Tyranno dixerunt audacius: A Deo nostro & Domino didicimus, non timere eos, qui corpora occidunt, neq; propter metum prodere veritatē, neque quando deducimur, meditari quid respondeamus, cum ipse spiritus sanctus & paret ad certamina, & animum impleat audacia, & det sermonem in apertione oris. Quam autem rationis egestatem nobis obiicis & inscitiam tu, qui tibi esse videris omnium eruditissimus? Nescio vter sit à ratione & omni sapientia alienior, is ne, qui Deum agnouit, & huius vniuersi creatorem, & omnem ei honorem tribuit, à quo vel solo possunt omnia manu comprehendi, & ipsa quoq; astra numerari, vt dicunt diuinitus inspirata eloquia: an is, qui eum quidem reliquit, adorat autem res ab ipso creatas, & diuinum eis nomen tribuit insipienter: nec dicam honores dæmonum, & turpissimorum aliorum simulacrorum, quibus vos exultatis, qui magnifice vestram iactatis eloquentiam? Nam si vobis vel tantillum inesset rationis, neque vos ijs adiungeretis, neq; teneremini tantis inscitiæ tenebris. Nam homo, qui est rationis particeps, & in cuius potestate sita est ratiocinatio, nunquam tam aperto errore inducetur: siquidem hoc pertinet ad rationem, ratione vti cum ratione, & eligere per rationem ea, quæ sunt præstantissima. Rerum autem omnium præstantissima est Dei cognitio, quod quidem est extremum omnium expetendorum, & ascensus mentis diuinioris. Quæ sunt verò apud vos orationes, linguæq; nimis redundans, & inanis copia, non solum sunt plenæ nugis & vanis ineptijs, sed etiam vestri vobis vanam conciliant persuasionem, & ab omni, quod bonum est, prolapsionem, & à Deo, quod est pessimum, alienationem. Quod quidem tibi quoque accidit qui aures patefecisti, & vniuersis eis es delinitus, vt mutaris etiam appellationem, nempe qui pro Christiano Græcos, & pro pio impius, & Deo plane carens esse & dici volueris.

Egregie perstringunt tyrannum. Psalm 140.

Nota officium hominis ratione præditi.

XII. Hæc cum audiisset crassa & terrena anima, & idolorum vere plena caligine, impletur ira, quæ non potest cohiberi: iubetq; statim humi extendi martyres, & crudis loris & induratis per quatuor homines ita cædi, vt totum corpus sanguine circunfluat. Deinde cum parum intermisisset, eorum manibus & pedibus clauis perforatis, eisque ligno ad puniendum instituto alligatis, sublimes suspendit, iubens eorum carnes ferreis vngulis laniari. Quæ cum vehementer lacerarentur, & multa membra illis vngulis auellerentur, & grauibus doloribus omni ex parte peterentur, ne sic quidem flectebatur robur eorum animi, aut euadebat mollius: sed ad solum Deum fixis adspicientes oculis, & lingua & mente hoc loquebantur: O Domine, qui ipse quoque ab impijs fuisti in ligno suspensus, qui de peccato non triumphasses, & id traduxisses, nisi per Crucem mortem sustinuisses, in ligno nos quoque pendemus, qui te dileximus, vt omnino eradatur nobis carnis crassitudo, & ictu ferri curentur sauciatæ animæ. Sed quoniam naturæ nostri imbecillitatem, da ex alto auxilium, & alleua laborem, & seda doloris acerbitatem. Te enim freti, ausi sumus subire hæc grauia & laboriosa, quæ quam sint acerba, vides Domine, & quam nos valde crucient. Sed ô Iesu dulcissime, qui es velox ad defendendum, non eras dilaturus vel dare seruis tuis petitionem, vel etiam dare eis plura, quam petierant. Cum enim preces adhuc lingua versarent, apparuit tuus diuinus Angelus, & leuauit eis dolores, & effecit, vt corpora melius se haberent: nec id solum, sed etiam ad reliqua confirmauit certamina, magnam dans eis gratiam, & spe maiorem.

Cæduntur loris immanissime &c

Preces fundunt ad Dominum.

Diuinitus cōfortātur.

XIII. Interea autem dum hæc fierent, Tyrannus quoque iussit eos relaxari à supplicijs. Quos ludificans & veluti irridens: Videtis, inquit, quomodo adhuc vobis parço, à grauioribus abstinens, quod sperem fore, vt mutemini? Quod ægre ferentes sancti, & maiori repleti fiducia. Noli putare, ô Dei inimice, responderunt, fore, vt nos aliter simus affecti, quam iam affectos videris. Fac decætero, si quid aliud volueris: nos autem parati sumus omnia perpeti, siue torqueamur, siue flagris cædamur, atque adeo ipso igne comburamur, voluptatem potius, quam pœnam, tormenta existimantes. Est enim reuera iucundum propter Christum pati ijs, qui sunt recto sensu præditi. Sed ille insipiens, ne post tantam quidem præclarorum virorum experientiam intelligens, sed adhuc surdus & corde & auribus, inuictos illos conatur alio modo aggredi. Et cum vnum ex his primum procul à cæteris remouisset, cum duobus solis, nempe Sabel & Ismael, sibi loquendum ducens, putauit fore, vt verborum fucis eos induceret, vtique consulens, & quæ sunt optima suadens, vt putabat.

Nota versutiam Apostatæ.

Qui, inquit, infeliciter ex præclaro vestro patre est natus, (neque enim eum vtiq; vestrum fratrem dixerim, qui est malignus & improbus) cum sit impudens & contentiosus, ea facit & sentit, quæ eius arguunt amentiam, vobis quoque persuadens illius via ingredi, & nec in religione nobiscum conuenire, nec in honore deorum, nec in vlla re alia. Sed vos cū tandem

tandem id, quod oportet, didiceritis, illum quidem sinite nugari & hiare inaniter, ipsi autem state nobiscum, & nostros deos colite, vt eos quoque vobis habeatis propitios, & innumerabiles remunerationes ab eis consequamini.

XIV. Hæc verba præclari victores cum ne arrectis quidem auribus audire sustinuissent, hæc libere & confidenter exclamauerunt: Cur teipsum decipis, attonite & moribus versutissime, vias versans innumerabiles, & instar vestri Protei te mutans & varians? Si nostri nondum feceris periculum, nec quæ præcesserunt, adhuc tibi sufficiunt, vtere rebus tuis, nec abstineas ab aliquo, quod sit in tua potestate. Est autem tibi omnino magna malorum copia, cum habeas animam adeo malam & iniquam. Sin autem & feceris periculum, & animaduertisti rationem & considerationem, quæ non possit cedere, & vidisti iam immutabilem fidem in Dominum nostrum & Deum, quidnam tibi venit in mentem, vt existimes nos futuros tam faciles, vt momento temporis nos capias? Non enim, ne si nos quidem contingat esse emotæ mentis, vestra simulacra coluerimus, quæ & ex luto facta sunt, & non plus quam lutum sapiunt: quæ oculos quidem habent, sed non possunt videre: & aures, sed priuatæ sunt sensu auditus: & nares, sed odorum minime suscipiunt odoratum: rursus manus & pedes, neque ad aliquid videri potuerunt vtiles, neque vnquam amiserunt id, quod habent lapideum. Quomodo enim, cum sint reuera lapis? Pulchre enim ante nos quoque diuinus Dauid vestros deos est ludificatus: non eos autem solum sed eos quoque, qui in eos confidunt, quos etiam vocauit magis amentes, & nec ipsum quidem intelligentes, ad quantam rationis egestatem sint conuersi.

Egregia eius nequitia retunditur.

Psalm. 134.

XV. His amens iste totus perturbatus, cum se non posset amplius continere, eorum protinus lateribus ignis faces admouet, vt sicut ille ira, ita ipsi igne arderent. Qui etiam cum toti omnino comburerentur, gratiarum quoque actionem in hoc intolerabili tormento Deo emittebant, non ad præsentes intuentes dolores, sed ad æternam lætitiam, neque molestum pati, sed non pati, esse grauissimum existimantes: Ita eos affecit amor in Christum, vt ipsius quoque, quam habebant, naturæ obliuiscerentur. Sed iste graui corde & furore percitus, perinde ac si nihil vidisset eorum, quæ facta fuerant: Non sentitis, rursus dixit viris illis egregiis, vos nondum à dijs omnino haberi odio, qui vestram expectant conuersionem, qui etiam propterea vos efficiunt malorum tolerantes, quæ sunt in doloribus laboriosa & difficilia, mutantes? Sed hoc plane esse ridiculum & stultissimum beati illi arbitrantes: Nihil nobis rei cum tuis dijs, magna rursus voce clamauerunt, ô infeliciſſime: habemus nostrum seruatorem & Dominum, quem in omnibus adiutorem fatemur, & scimus. Is & à præsentibus nos liberat doloribus, & in rebus asperis præbet audaciam, & efficit, vt ignem & ferrum, & quoduis aliud despiciamus. Quomodo enim aliter caro & sanguis suffecerit aduersus tantum examen tormentorum, cum vel lapidis natura, quæ nihil est aliud, quam dura, his consumpta & plane esset confecta? & nisi nubes ignorationis impediens, rationi tuæ tenebras offunderet, & tibi sensum adimeret, cognouisses omninò nostra esse omnia diuina & admirabilia, & vero Deo digna. Nunc autem nihil scis eorum, nec vis intelligere. Quomodo enim, qui rebus solis inhies turpissimis? quoniam ad ea sola quæ sunt pessima, te mali in errorem abduxerunt dæmones.

Igni vrũ tur atrociter, & laudat Deũ.

Nugatur Apostata.

Nota vim gratiæ Dei.

XVI. Veritvs ergo transgressor, ne, dum eos magis examinaret, maiores acciperet contumelias, illos quidem, vt quos desperasset se omnino persuasurum, omnino reliquit: conuertitur autem rursus ad Manuelem, deceptus stultus, vt qui crederet fore vt is ad ipsum declinaret, ei minas & rursus maiora proponens supplicia prioribus. Sed nec ille vir egregius est omnino conuersus ad ea, quæ iamdiu ante contempserat, & maiorem ostendit constantiam, libera & confidenti voce clamans: Cur vane laboras? Cur te frustra impudenter geris, ô Tyranne? Quid non ex nostris nôsti sæpenumero? Nescis quænam sit nobis & sententia, cum simus vnus vni colligati, & vnum omnes sentiamus? Aut ergo tres supera, aut à tribus recede. Est venerandus numerus ternarius, quo nos sumus honorati. Sancta Trinitate nos tres sumus muniti, à qua nobis quoque adest, vt simus vniti, & vt maneamus infractis, & nihil reformidemus ex ijs, quæ sunt terribilia: iam enim rursus dicemus ea, quæ sæpe diximus. Quæ enim sunt vnius, trium esse existima. Fidem, in qua sumus simul educati, minime abiurabimus, tuos dæmones non colemus, Dominum nostrum & Deum minime relinquemus, præsentia futuris non mutabimus, neque vitam breuem & fluentem, æterna & quæ stat, & semper eodem modo se habet.

Manuelis præclara vox.

XVII. Cvm post hæc perplexo esset animo ille infelix, & plane spem omnem abiecisset, valde timens, ne insigni sanctorum constantia, ex ijs quoque, qui cum eo erant, conuerterentur aliqui, & illis adderentur, tunc fert in ipsos sententiam, iubens, vt clauis prius infixis eorum capitibus, & acutis arundinibus in vngues eorum immissis, abducerentur & vitam finirent gladio. Deinde vt statim rogus quoque accenderetur, & eorum abijcerentur corpora, vt ne puluerem quidem liceret efferre Christianis, si hoc facere voluerint. Sancti ergo, qui ducebantur à militibus, peruenerunt ad locum, in quo erant consummandi, qui vocabatur Constantini: Erat autem præceps, & accessu admodum difficilis: in quo etiam constituti, has vltimas preces fuderunt Domino: Deus, qui es ante sæcula, & expers principij, qui ex eo, quod non est, ad hoc quod essent, produxisti vniuersa, qui in vltimo dierum propter nostram salutem teipsum exinaniisti, & in forma serui nobiscum es versatus, & mortem per crucem subijsti, vt nos solueres à peccati vinculis, & regni tui faceres participes, suscipe in pace tuos famulos, & coopta nos in numerum eorum, qui tibi placuerunt à sæculo: quoniam propter sanctum tuum nomen hanc mortem gladio afferendam nostra sponte suscipimus, & à vita præsenti excedimus. Quinetiam eam, quæ nos circunsistit, multitudinem, & maligni fraude redacta est in seruitutem, conuerte, ô misericors, ad tuam agnitionem, & da eis mentem sanam & prudentem, vt te solum verum Deum agnoscant, & tibi soli se dedicent.

Crudelis sententia tyranni in inuictos martyres.

XIIX. Hæc cum precati essent Martyres, vox est ab eis audita desuper. Venite, dicens, gloriæ coronas accepturi, & beatæ vitæ fructum percepturi. Pulchre enim à vobis peractus est cursus certaminum. Et statim fuerunt eis amputata capita, decimo septimo Iunij. Protinus autem locus, in quo stabant, scissus in duas partes, eorum comprehendit corpora, vt salua conseruarentur & illæsa, & iussus Tyranni appareret inanis, qui re vera erat huiusmodi, vt igni eos mandari iusserit. Lictores vero cum hoc vidissent miraculum, se in fugam coniecerunt. Multi autem ex ijs, qui illic aderant, cum Domino credidissent, & errori renunciarunt, & cooptati sunt in numerum Christianorum. Qui cum duos dies in loco mansissent, & Deo multas preces fudissent, sanctorum corpora repente terra reddidit admirabiliter, longo optimo odore plena. Quæ cum sustulissent, & honorabilia honorifice deposuissent, eis iusta splendide & magnifice fecerunt. Ex eis autem horis singulis scaturiunt curationes, & gratiam donant ijs, qui veniunt.

Capite plectuntur. Insigne miraculum.

Multi credunt.

XIX. Cætervm punire ea, quæ fecit transgressor, non diu distulit iustitia: sed celerem & grauem de eo pœnam sumpsit, quæ in Persarum fines deduxit, & effecit, vt illic eius misera erumperet anima. Nam cum Rex Persarum magna in eum ira æstuaret propter suos interfectos, vt qui esset iniustus & fœdifragus, & pacis inimicus, & iste cum magna arrogantia & exultatione appropinquasset Persidi, & bellum inter eos erupisset, & impius turpiter esset victus, iuste plagam illam accepit in visceribus: risus quidem à dæmonibus, qui ipsum deceperant: risus autem à Christianis quoque, quibus se esse facturum pessima erat minatus vir pernicioſissimus. Quocirca par est, vt nos quoque Deum glorificemus, qui non longo tempore emittit virgam super sortem iustorum, sed celerem dat salutem & spe maiorem ijs, qui eum diligunt. Quoniam eum decet omnis honor, & gratiarum actio, cum patre principio carente, & viuifico spiritu, nunc & in sæcula sæculorum. Amen.

Iuliani interitus.

(***)

AN. 490. VITA S. AVITI PRESBYTERI, EX EGREGIIS MS. CODICIBVS, PER F. LAVRENT. SVRIVM MVTATO FERE STYLO DESCRIPTA.

Est enim valde obscuro sermone, sed tamen ante annos plus minus mille grauiter contexta à quodam sancti viri prope æquali.

IVNII 17. Patria S. Auiti. * vulg. labourcus en Beausse.

AVITVS apud Aurelianos plebeio ex sanguine ortus, parentes habuit humili loco natos. Matri eius patria fuit Virdunum, cui ingenuitatem virtus & meritum conciliauit. Vt autem Aureliam proficiscerentur, inopia & egestas eam compulit. Nupsit vero illic cuidam *Belsicolæ, cui peperit Auitum egregium filium, qui quandoque populo magnam esset salutem allaturus. Eo nascente, ingens lumen in cubiculo apparuisse, certa relatione compertum est, ita vt eo splendore obstetrices ab officio sint deterritæ, tantique miraculi perculsæ stupore, non fuerint ausæ lumen illud cæleste intueri. Sed Dominus præscius futurorum, non ignorans futurum illum fidelem seruum suum, in ipso ortu eum sanctificauit. I.

* Miciacẽse vocat Sausseyus in Annal. Aurel. l. 3. §. 9 & seqq.

CREVIT inde puer, & cum infantiæ rudimenta excessisset, ad *Mictianense monasteriũ deuotus aduolauit, depositaque coma, a monachum professus est. Cum autem nedum Abbati, sed etiam omnibus pura animi simplicitate obediret, monachi quidam inuidia correpti, fatuum eum vel brutum appellabant, crebro illi obtrectantes. Habebat verò pro more, partem ciborum suorum clam egenis impartiri, sæpe etiam sibi detractis vestibus illorum tegere nuditatem. Abbas itaque cæleste in illo lumen considerans, tacitus illum amare cœpit, construxitque ei cellulam intra vestibulum monasterij procul ab aliis, ne eius ieiunandi & vigilandi assiduitas à fratribus ostentationi & arrogantiæ tribueretur. Vt vero omnes manifestis indiciis Dei hominem eum esse perspicue cognouerunt, inuito Cellarij munus demandarunt. Non potuit ille recusare Abbatis imperium: sed cum eam ministerii sarcinam in suos humeros recepisset, ab immiti familia, crebris insidijs honesta eius simplicitas appetita & exagitata est. II.

a Fit monachus.

Sausseyus vocat Secaloniã vulgo Solongne. Secedit in locum desertum.

QVADAM autem nocte, cum ex amore Abbati incumbere volenti inseruiisset, cingulum cum clauibus colligatis caute ad eius caput deposuit, relictoque illo onere ad Calauniæ loca abditissima secessit: vbi cellulam è vilibus texens virgultis, multis diebus delituit, decem plus minus milliaribus procul à monasterio. Cumque Abbas ad nocturnas laudes canendas pro consnetudine surgeret, labente cingulo, clauium cellarij strepitum audit. Obstupefactus igitur, nihil dubitat aufugisse Auitum, citusque ad cellulam eius se conferens, omneque cœnobium & cellulæ nemorosa septa perlustrans, nulla ratione inuenire potuit, quem noctis tenebræ facile occultabant. Non multum autem interceptis temporis, cum vir sanctissimus Maximinus, qui per id tempus Abbatis ministerio perfunctus erat, migrauit ad cælos: cuius sacro humato corpore, monachi ad inquirendum Auitum simul omnes profecti sunt, tandemque repertum, ad monasterium precibus flexum adducunt, sibique Abbatem, pontifice iubente, constituunt. III.

Fit Abbas sui monasterij

Leontio Episcopo Aurelianensi existimat Sausseyus.

TVM vero ingrato sub fasce humilitas sublimata gemiscit: rursumque fugam meditans vir Dei, terrena fastigia respuens, vno tantum puero comite contentus, vastas solitudines latitaturus expetit. Erat quidam eremi locus, nemorosa fronde contectus, planeque abditissimus in Pictiacæ syluæ fundo, quem olim prisca manus construxerat, hederæque complexu horrebant culmina sensim diruta. Ibi ille vltro sese in illud protrudit desertum, exiguamque ex corticum fragmentis domum prouidus Christicola sibi construens, longe à villarum culminibus clandestinum amplectitur exilium: & diu multumque ruricolis ignotus, pomiferis dapibus, quas sylua ministrabat, sese sustentat. IV.

Rursus fugit in eremum.

PER id tempus, vberrimos glandium prouentus nemus omne suppeditauit: cumque duo subulci immensam illam vastitatem lustrarent, vnus iam olim mutus longo silentio, fratrem per auia comitabatur. Itaque pastorali ritu inter cæruleæ noctis spatia accensis tedis vagantem pecudem illis sequentibus, subito extinctis tedis ab immenso imbre, pecus ab oculis euanuit, & omnia rapuere tenebræ: nec iam spem vllam luminis recuperandi eremi vastitas offerebat. Interim formidantes gregi, oculis maiori cura inuigilant. Tandem velut stellam radiantis Olympi procul ignem conspiciunt, atque eo mutus ille, non tam vocibus, quam nutibus vsurus, properat. Vbi ad tugurium beati viri peruenit, fixus in limine, balbutiensque, protensa teda nutibus rogat ignem sibi commodari. At vir Dei in medijs densæ noctis tenebris cernens hominem tetra facie, deformi capillo, vilibus pannorum fragmentis semitectum, nonnihil perterritus, quod putaret se aliquod immanis eremi monstrum videre, aut inter nocturnas tempestates dæmonem sibi apparere, mox ad orationis præsidia suo more confugiens, humi se prosternit, & diu multumque Dominum deprecans cum lachrymis, orat indicari sibi, vtrum à bono vel malo sit is, qui se ipsi repræsentaret, & vt nullis artibus illum celari patiatur, quin & genus & conatus suos exponat. Post preces à terra surgens, Crucis signum manu pingit contra hominem, sicque affatur ignotum: Quisnam sis, tam subito meo illatus tugurio, prorsus ignoro: sed per Christum omnipotentis Dei filium, cruci suffixum, te adiuro, vt cuius generis monstrum sis, vel quid in desertis his locis agas, mihi edicas. Mox ad imperantis vocem insontis lingua laxatur, voxque intra fauces renascitur: indicat homo, quid necessario petiturus venerit: fatetur maiora se accepisse, quam petierit, quippe qui lumen solum expetens, etiam vocem sine precio referat. Deinde sentiens viri Dei virtutem, ad eius pedes se abijcit, immensas agit gratias pro collata sibi medicina. At vir Dei intelligens hominem non tam à pastoribus, quam ab ipso Deo ad se missum, multum lætatur Dei beneficio, eique gratias agit: hominem quoque complexus, Crucis signo munit, redditoque lumine incolumem à se dimittit, qui querulus ad ipsum venerat. V.

Mutus loquitur, à sancto viro interrogatus.

PORRO autem effrenis porcorum grex cum custode longius abscesserat, nec iam scire potuit homo, vbi illum inter opaca syluarum & noctis vmbras quæreret. Mox nouo iubilo complet nemus, & fratris nomen crebra voce compellat: Ille vt nomen suum audit iactari per auras, obstupescit, turbatusque animo, miratur quis vel muto reformarit vocem, vel importunis clamoribus ipsum ausit appellare, vel prius incognitus eo aduenerit. Hæc autem illo inter arborum vmbras cogitante, lumen obuium conspicitur, aduentantisque vultus exploratur. Postquam ergo prodente lumine fratrem incolumem vidit, irruit in collum eius, eumque complexans, gaudia lachrymis permiscet, sciscitatur de medico, virtutis vim illo narrante cognoscit. VI.

Vir Dei perpetuo abstinet carniũ esu.

SOLE orto, ambo pariter properant ad hominem Dei: prostrati, ingentes agunt gratias, grandem pro impetrata sanitate porcum offerunt sacerdoti. Sed cum ille omnem sibi carnis esum penitus interdixisset, noluit accipere, iubet suo gregi porcum restitui, obsecrat, ne vel ipsum, vel locum, aut rem gestam vlli reuelent. Sed celari diu non potuit, quod cælestis virtus ipso Domino iubente prodebat. Digrediuntur inde à viro Dei, mutusque ad paternas ædes iam bene vocalis remittitur: qui vbi festinus paternæ domus limen excessit, in medio stans, in has prorumpit voces: En genitor optime, natus tuus multos dudum damnatus per annos, hodie te noua salutis voce compellat, & cælesti virtute soluta lingua te pronunciat. Surgite ergo læti & alacres, & vna mecum simul omnes abite ad syluas, diuinum medicum veneraturi, & sancto Auito pro reddita mihi voce gratias acturi in deserto. Pater ergo vt audiuit filium rem gestam ordine explicantem, paululum substitit: inde in collum filij incumbens, membra complectitur, VII.

plectitur, & multis inter gaudia lachrymis caput eius rigat. Occurrit etiam mater non minus hilaris, cupiens filium audire loquentem. Mox in vicinos rei gestæ fama diffunditur, & Auitus vbiq́ue celebratur. Vndique deuoti confluunt populi, arctaque destructos ad sanctum semita ducit tugurium sacerdotis: languentium eum turba cupit attingere, immensa miseris stipatur sylua cateruis. Versari videtur in foro, qui prius abditus delitescebat in solitudine. Morbus omnis depellitur, languores omnes curantur, tolluntur in cælum voces Deum laudantium, & gratias agentium atq́ue dicentiũ. Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus & illuxit nobis per sanctum Auitum. Sed cum vir Dei immensa populi multitudine premeretur, voluit nocturnis horis clam ad loca occultiora se transferre: sed tam populi precibus, quam præsulum authoritate, vix tandem potuit retineri. Construxit autem eo in loco insigne monasterium, in quo in hunc vsq́; diem priscorum patrum Pauli & Antonij instituta inconuulsa seruantur.

Multi ad eũ morbidi cõfluunt, & sanantur.

Psalm. 117.

Monasteriũ cõstruit.

VIII. Per id tempus vir Dei Aureliam proficiscebatur, liberaturus miseros, qui in ergastulis vincti tenebantur. Venit autem ei obuiam immensa turba languentium: è quibus vnus paruulum filium à natiuitate cæcum ad eius pedes deposuit, orans vt ei lumen restituat. Iungunt cum illo preces suas simul vniuersi, ne possit pater pueri voto frustrari suo. Itaq́ue sanctus Auitus tam illorum precibus, quam paterna pietate permotus, in oculis cæci pueri signum salutis impressit, & eu estigio ille præsentem potuit cernere mundum. Quod quidem nos ab eius ipsius cæci, sed nunc clare videntis, ore accepimus. Nimis vero prolixi operis est cuncta annotare, quæ tum Aureliæ, tum alijs diuersis in locis vir Dei effecit. Certe eius vrbis iudicum superba potestas, visis eius miraculis, adeo ei addicta fuit, vt ante omnia vincti, eo rogante, relaxati sint.

Signo Crucis cæco reddit lumen.

IX. Non est autem illud quoq́; silentio prætereundum miraculum, quod quidam Mictiacensis monachus, quem sanctus Auitus peculiariter charum habuit, qui etiam in solitudinem cum illo profectus fuerat, cum iam supremum duceret spiritum, fratres rogauit, ne ipsius corpus prius tumularent, quam beatissimus Auitus super corpus eius precatus esset. Porrò beatus Auitus more suo absq́ue vllo vehiculo iam procul secesserat in desertum itinere longo, & ad solis occasum vsq; illiç constiterat: cum ecce vnus è fratribus derepente ei nunciat obitum illius, quem diximus. Ille verò eo nuncio non mediocriter afflictus, qua potuit celeritate ad monasterium properauit. Iam noctis mediæ spatia abierant, & ingressus vir Dei in oratorium, circa defunctum ipse quoq́ue instar aliorum in medio templi se prostrauit. Iam verò vigilijs defessos monachos somnus obtinuerat. Tacuit vir Dei, lætusq́ue illo silentio, ad feretrum se adiunxit, conuersusq́ue ad solita precum arma, more suo humi se abiicit, multo lachrymarum imbre sanctorum metuenda pauimenta perfundit, ad omnipotentem Dominum indesinenter preces supplices transmittit. Absolutis precibus, surgit à solo, sentit diuina benignitate vitam monachi sui sibi donatam, defunctumque inter ipsa noctis silentia ita compellat: In nomine Dei patris omnipotentis surge frater, & tam repentini decessus tui rationem nobis expone. Ilico surgit, qui fuerat mortuus, sedensq́ue in feretro, omnia, quæ ipsi euenissent, & quemadmodum eius oratione à tetræ mortis vinculis ad lucem esset reuocatus, ordine explicauit. Monachi eorum mutuis colloquijs excitati, obstupescunt cælesti miraculo, quod vita functum cum S. Auito sermones conferre viderent. Itaq́ue omnes humi prostrati, sacerdotis vestigia lambunt, Deo in excelsis gratias sublimiter agunt, quod tanta per Auitum virtutis suæ miracula in eo monasterio declararit. Porro is, qui excitatus fuit à morte, beati viri complexus dexteram, incolumis à feretro surrexit, & cum hymnis & canticis spiritalibus ad amicam cellulam abscessit, multisq́ue postea annis superuixit. Fuit hoc miraculum à sancto Leobino Carnotensi Episcopo diuulgatum, qui se ab ipso ad vitam reuocato fratre id didicisse testabatur. Sumus autem in commemorandis beatissimi Auiti miraculis, quorum iam olim probata testimonia collegimus, succincti, ne mysteriorum solennia in vesperam vsque protrahamus.

Nota, Sanctorum metuenda pauimenta.

Excitat vita functum.

Is S. Leobinus floruit Anno Christi 525.

X. Quidam ex* Dunensi castello, pro eius plebeculæ salute deprecaturus, ablegatus est ad S. Auitum. Accedit deuotus ad virum Dei, obsecrat, vt corpus suum pro castelli eius munimine, apud ipsos patiatur post obitum suum humari: pollicetur eorum verbis, egregiam fabricam ipsius nomini se dedicaturos. At vir sanctus: Indignum est, inquit, hominem peccatorem & multis criminibus inuolutum, intra templum tumulari: campis patentibus ad futuram examinationem, ossa humiliata in fossa humo decet recondi. Sed tamen vt vestro satisfiat desiderio, si in proposito permanetis, templum in Dei nomine vt construatur, non recuso. Meum vero corpus ad Aurelianorum vrbem ex Dei voluntate condetur. Si quid tamen opportunum vestro loco existimatis, inter futura mox iurgia, ex abeunte indignas meas, si poscitis, reliquias capietis. Quod ita quoq́ue factum est. Illo enim in loco hodie magna degit congregatio hominum, Deo sacra officia sine intermissione reddentium.

Nota quid prisca ætas tribuerit sanctorum reliquiis.

* vulg. Chasteaudun.

XI. Nec multo post vir beatus certaminis sui finem obtinuit, sanctumq́ue cælis spiritum reddidit. Vbi vero Aurelianenses & Dunenses de eius obitu certiores facti sunt, propter sacrum corpus sibi vendicandum vtrinq; arma capessunt. Dunenses Abbatis sui corpus tanquam quodam suo priuilegio reposcebant: Aurelianenses monachum Miccianensis monasterii sibi deberi contendebant. Cum autem monasterium, in quo vir Dei decesserat, Dunensibus esset propinquius, celeriter omnes eo aduolant, defuncti corpus tanquam instructa acie rapiunt, sublatumq́; ad extructam basilicam asportare nituntur. Sed non segnes Aureliani, licet aliquanto posterius, armis instructi occurrunt, fores basilicæ occupant: clypeis tecti, parant se ad confligendum cum Dunensibus sacrum corpus absportantibus. Id vbi è sylua progressi hactenus securi Dunenses conspiciunt, animis perturbati, desperant se posse voto potiri suo. Itaq́; submotis illis, in media æde onus sacrum inuiti deponunt, castris castra opponunt, inter media vtrorumq́; tela thesaurus constituitur: sed cælitus adest præsidium, ne eius causa, qui multis sæpe vitam attulerat, in mutuæ cædis discrimen illi conijcerentur. Adest, Deo volente, Leusus, vir insignis ac summa potestate præditus: iurgantium lites dirimit, armatorum sæua consilia dissipat, corpusq́; salutiferum per publicum aggerem Aurelias deportari iubet.

Eius obitus

Nota lector antiquam deuotionem, & caue nouos Vigilantianos.

XII. Tvm verò Dunenses magno dolore correpti, lamentabiles dant voces in cælum, & quia non possent sacros artus, vt impediti, apud se retinere, orant beati viri aliquas reliquias sibi permitti. Non potuit hoc negari petentibus, maxime quod æquissimis precibus etiam lachrymas adiungerent. Accedunt ad funus summi sacerdotes, & cum tremore corpus sacrum attrectantes, magnum reliquiarum munus conferunt postulantibus. Deinde proficiscentes, corpus in sublime tollunt sacerdotes, & vrbana manus feretro protinus nobilia colla supponit: gaudent, qui possunt sacrum cõtingere lignum. Sanctissimum funus hostilis turba cominus antecedit, vrbemq́ue petentes populi, condenso pede feruntur. Cerneres illic cereis ardentibus ruralia arua quasi candere flammis, & millibus multis stipata caterua. iam prima populi pars arcem attingebat, cum multi necdum è Dunensi castello pedem extulissent. Quis vero ingentem illum Clericorum psallentium chorum, qui ex vicinis vrbibus studio religionis ad Auito persoluenda officia alacres conuenerãt, explicare queat? quorum ardens & ignitus clamor, instar cælestis tonitrui sidereum pulsabat Olympum. Vox erat vna omnium clamantium & dicentium: Gloria in excelsis Deo, & in terra Aurelianorum perpetua sub Auito pax. Atque ij vix tandem densa populorum agmina perrumpentes, sacrum corpus perferunt ad sepulcrum: atque in loco sancto centum ab vrbe passibus religiose & cum summa reuerentia magni pontifices tumulant defensorem. Titulus quidem ex viliissimi ligni materia illi positus est, sed membra interim totus venerabatur orbis.

Cũ tremore Episcopi sacrum eius corpus attrectant.

Cerei ardẽtes plurimi

Nota:

XIII. Ea tempestate rex Childebertus, inclytus Francorum princeps, comparato exercitu Hispanias suo addere imperio

imperio volebat. Audita vero tanti viri fama, & quod sepulcrum eius exigui parietes vallarent, cælesti regi votum integra deuotione nuncupauit, si incolumis in regnum suum sancti Auiti intercessione reuerteretur, amplissimam se super eius monumentum basilicam conditurum. Itaque in itinere multa quidem ab hostibus perpessus est, sed quoties ei structæ essent insidiæ, toties sancti Auiti intercessione ab impendentibus periculis liberatus est: atque ita sospes & triumphans redijt in regnum suum. Tum vero insignem ædem, vt erat pollicitus, in loco supra dicto extruendam curauit, vsus ad eam exornandam solertia Vvaddonis, vnius ex proceribus suis. Cuius operis mercede eum credimus minime frustratum. Illic enim assiduis miraculis virtutum gesta clarescunt. Clausi patescunt oculi, debilium membra subito conualescunt, mutus vocem recipit, surdus auditum. Datur regioni salus integra, & per omnium infirmitates velox medicina percurrit. Vir sanctus coniungitur Aniano, & vrbs Aurelianorum illorum circunsepta virtutibus, seruatur in medio: Quorum patrocinio nos diuina Trinitas custodire & conseruare dignetur: cui est honor & virtus & potestas in sæcula sæculorum, Amen.

Childebertus rex insignem ei extruit ædem.

DE EODEM S. AVITO, EX GREGORIO TVRONENS.

DE GLORIA CONFESSORVM, CAP. 99

Vltio diuina in eum, qui noluit feriari in festo sancti Auiti.

AVITVS Abbas Carnoteni pagi, quem Pectensem vocant, sæpius imminere dissolutionem sui corporis Spiritu sancto reuelante prædixit: qui recedens à corpore, honorifice apud Aurelianensem vrbem humatus est, super quem fideles Christiani ecclesiam construxerunt. Post cuius obitum cum anniuersarius assumptionis eius dies cum summo coleretur honore, vnus è ciuibus, alijs ad Missarum spectanda solennia euntibus, accepto rastro, vineam pastinare direxit. Increpitusque à multis, cur huic festiuitati deesset, redire noluit, dicens: Et hic, quem colitis, operarius fuit. Verum vbi ingressus vineam, primo ictu terram aperuit, protinus retorta ceruice, facies ad rergum conuersa est. Tunc tremens, spectantibus populis, cum fletu magno basilicam sancti ingreditur. Post paucos vero dies, orans in eodem loco assidue, directa ceruice conualuit.

DE SS. MARTYRIBVS MARCO ET MARCELLIANO OFFENDET LECTOR multa lectu dignissima in Historia S. Sebastiani quæ est I. Tomo die 20. Ianuarij. Passi sunt autem 18. Iunij.

VITA S. HYMERII EPISCOPI CONSCRIPTA AB ANTONIO MARIA GRATIANO à BVRGO S SEP. EPISCOPO AMERINO.

17. IVNII. S. Hymerius fit Eremita.

HYMERIVS, natione Brutius, cum adolescentiam summo pudore, castissimisq; moribus transegisset, atq; I.
ijs litterarum disciplinis, quas capere illa ætas potest, imbuisset, & in eo cum ipsa ætate studia quoque pietatis, ac cælestium rerum coaluissent, ne, quod fieri intelligebat, ab earum fructu, ac meditatione humanis curis, atq; hominum consuetudine distraheretur: patria, parentibusque relictis, abditam, ac desertam in Insulam secessit. Vbi Anachoritarum instituto diuinis laud bus, precibusque intento, & ieiuniis, atque abstinentiæ magnopere dedito, diu cibum agrestia poma, & quas terra sponte sua fundit, herbæ, radicesque ptæbuerunt, sitim fontanæ aquæ extinxere, tectum siluestres arbores, stratum ipsa humus fuere; donec prodente eum ipsa sanctitatis admiratione, recipere se coactus est in Monachorum cænobia: inter quos adeo omnibus religionis laudibus excelluit, vt nemo continentia cum illo, nemo præcandi assiduitate, nemo contemptu sui, nemo alijs Christianis virtutibus conferretur; quibus cum diuinarum quoque litterarum doctrinam haud mediocrem adiunxisset, earumque studio, quicquid sacris precandi, & psallendi officiis supererat temporis, impenderet, sibi inter homines cœlestem quandam vitæ rationem instituisse videbatur:

Fit monachus.

SED tantam hominis virtutem, tam insignia sapientiæ, religionis, sanctitatis ornamenta in solitudine, atque intra II.
cœnobiorũ septa dilitescere, & vni pene sibi fructui esse, non fuit diuina prouidentia: eaque ipsa ornamenta prodire in apertum, & quam plurimis vsu, atq; exemplo prodesse, tum voluit, cum ille maxime in solitariæ vitæ rationem intensus, nihil tale poterat cogitare. Nam cum forte Amerina Ecclesia, Episcopi sui morte, viduata pastore esset, & felicibus illis exurgentis, atq; efflorescentis Ecclesiæ sæculis, Episcopi non tam hominũ studiis, suffragiisque crearentur, quam pijs Cleri populiq; precibus à Deo exposcerentur, iique demum acciperentur, quos vi sua cœleste monstrasset numen, & Amerini de nouo Episcopo deligendo cum suo Clero consultarent, crebrisque supplicationibus, ac sacrificiis insistentes, Deũ orarent, vt sibi Rectorẽ, moderatoremq; sacrorũ, & animarũ custodem, daret, repente diuinitus indicatũ, omnes magno consensu Hymeriũ longe inde absentem, nec vlli visum, aut aliter quã fama sanctitatis cognitũ, Episcopũ conclamarũt. Quæres miraculo inde ipsis, qui patrarant, fuit; reputãtibus ignoti hominis nomen tanta omniũ voluntate, atq; approbatione acceptũ fuisse. Delato igitur ad eum Episcopatu, legatos Romã mittunt, qui rem ad Pontificẽ Maximum referãt; ex cuius aauctoritate profecti inde, in Insulam, vbi vir sanctus agebat, traiecere, eique è cœnobii latebris educto, quid venissent, exposuere. Qui vt erat vir grauis, & prudens re mature perpensa, demum nec diuinæ voluntati obsistere, nec Pontificis Maximi iussa detrectare est ausus: ac ne Amerini quidem Cleri, populiq; flagrantissimas preces, ac tanta in se studia deserere sustinuit. Itaq; cũ Pastoralis officii onus, vt à Deo ipso impositũ sibi, demisse, atq; obediẽter subiisset, Ameriam venit, exceptusque est tanta omnium lætitia, quanto nuper consensu expetitus, delectusque Episcopus fuerat.

Episcopi quomodo antiquitus creabãtur. S. Hymerius fit Episcopus Amerinus.

HIC sancti viri eximia virtus, eo magis exsplẽduit statim, quo illustriori, ac celsiori iã è loco conspiciebatur. Non e- III.
nim solũ vitæ innocentiã eandẽ præstitit, qua in solitudine, atque inter cœnobitas suos nituerat, sed ita omnia Pastoralis officii munera impleuit, vt non minorẽ prudentiæ, diligentiæ, assiduitatis, quam religionis, & sanctimoniæ gloriam promeruerit. Disciplinã sacrorũ, totamq; diuinorũ officiorũ rationẽ ita rexit, vt nihil sua Ecclesia esset ornatius, nihil cultius, nihil descriptius. In moderandis autẽ moribus, illud in primis tenuit, vt nihil præciperet aliis, quod ante nõ imperasset sibi, nihil in aliorũ exigeret vita, quod nõ eluceret in sua. At populũ frequentibus statim concionibus aggressus, nõ quidẽ facultate, atq; arte dicẽdi (quãquã ne hoc quidẽ illi defuit ingenii decus) sed simplicitate, & cõmoditate orationis, & rerũ ac sententiarũ grauitate, & in quo sita omnis persuadẽdi vis est, innocẽtiæ, atq; sanctitatis opinione, breui omniũ animos ita deuinxit sibi, vt quo vellet facile impelleret, sæpe de æternis suppliciis, quæ sontes, damnatosq; apud inferos manent differens, ingẽti terrore audientium pectora concutiebat: sæpe ad cœlestium illorum bonorum spem, quæ humana despicientibus, & pie, caste, iuste, & ex Iesu Christi disciplina viuentibus parata sunt, erigens animos, mirum dictu est, quantos pietatis, & religionis amores excitaret. At officia charitatis non facile discerneres mansuetudine, an largitate maiori susciperet. Egentibus omnibus certum in eo subsidium, afflictis solatium erat. Et quos re nequisset, opera, aut consilio iuuabat. Ægros cum viseret, subueniendo, consolando, monendo, non vt ab eorum corporibus morbi depellerentur, quam vt in animis lues peccatorum sanaretur, studiosius curabat. Domus eius hospitibus, & maxime religionis causa peregrinantibus, semper patuit. Ipse ieiunii, atque abstinentiæ obseruantissimus semper fuit,

vt

vt pane, & aqua, & cum lautius exciperet se se, ficubus, aut vuis, pomisue, corpus sustentaret, magis quam aleret. Tam insignes virtutes, tantam viri sanctitatem Deo longe acceptissimam esse, admiranda prodigia, miraculaque, quæ identidem edidit, testata sunt. Nam sæpe loca, sæpe humana corpora aduersis spiritibus insessa infestataque, fusis ad Deum precibus, liberauit: sæpe ægros, sæpe varie membris captos in summa valetudinis desperatione, ijsdem precibus, saluti restituit.

IV. POSTREMO cum valens atque integer diem, quo mortem obiturus ipse erat, diuino instinctu prædixisset, qua pietate vitam egerat, eadem vltimum quoque spiritum edidit. Nec inde è corpore eius asseruatisque per multa sæcula, & magna Amerinorum circuniectorumque populorum religione cultis reliquijs minora, aut minus crebra miracula prodierunt: vt quam Ecclesiam præsens maximarum virtutum gloria exemplisque illustrauerat, eam è cælo quoque nouis subinde beneficiis ornaret, celebriorem q; redderet. Donec magna Vrbis huius infelicitate circa annum DCCCCLXV Sanctæ Reliquiæ Cremonam ablatæ sunt à Loyza Cremonensium Episcopo, cui quod apud Othonem primum Imperatorem facile principem gratiæ, atque auctoritatis locum obtineret, Amerinus Episcopus aduersari ausus non est, eo quidem minus quod per Loyzam ipsum irati infensique sibi Imperatoris animum recuperare, ac placare cupiebat: Cremonæque vsque ad hanc diem Hymerij reliquiæ in Cathedrali Ecclesia custodiuntur, pieque coluntur. Corpus quidem marmorea in arca clausum habetur, in quam à Siuardo Episcopo conditum fuisse Arcæ ipsius inscriptio docet. Caput integrum in pellucido vitreo vase, laternæ forma asseruatur. Et Cremonensis Ecclesia sanctum ipsum patronum sibi adoptatum in magno honore, ac veneratione habet.

Prædicit diem obitus sui.

Trãsfertur Cremonã.

MARTYRIVM SANCTI LEONTII ET SOCIORVM, PER CYRVM SCRIBAM. HABETVR IN SIMEONE METAPHRASTE.

ANNO 70

I. VO tempore Vespasianus Romanorum Imperium tenebat, vir quidam ordinis Senatorij, Adrianus nomine, crudelis, & animo valde immanis, omniumq; pessimarum artium inuentor, cum audiuisset quosdã Christianos esse ab omnibus illis abhorrentes, qui dijs ipsis sacrificia offerrent, deosq; ipsos despicientes, & alios homines magicis artibus ac disciplinis & adulationibus à deorum familiaritate remouentes, quippe qui dicerent, non esse deos, sed vnum tantum Deum: furore percitus, Imperatorem adijt, & ab eo petijt, vt sibi contra homines Christianos potestatem daret. Imperator vero statim omnem potestatem Adriano contulit, eiq; mandauit, vt quicunque eius edicto parere, & dijs sacra facere vellent, honore magno donati, ad eum mitterentur: qui vero nollent, cruciatibus grauissimis subiecti, morti addicerentur.

18. IVNII. Adrianus Senator sæuissimus.

CVM igitur Adrianus ex magna Roma discessisset, significatum ei fuit à quibusdam in vrbe Tripoli esse militem quendam, Leontium nomine, qui deos ipsos reprobaret, & eos qui sacra illis facerent, ab eorum cultu auerteret, & patrias leges dissolueret. Cum hæc Adrianus de Leontio audiuisset, hilaritate non mediocri affectus est, & militum cohortes præmisit, vt Leontius, qui talia faceret, comprehenderetur. Cum vero prope vrbem veniissent, eorum tribunus, qui & ipse dæmonum superstitioni & idolis addictus erat, repente febre totus correptus est, & militibus suis dicebat: Ita mihi dij propitij sint, vt ego scio, vndenam hoc malum in me profectum sit. Dij aduersus me indignati sunt: cum enim huc profecturus essem, congruentem victimam illis non obtuli. Milites igitur cum Tribunum suum ita febri æstuantem per tres dies, neque cibum aliquem sumentem, sed magis magisque febri laborantem viderent, multis angustijs premebantur. Nocte autem illa Angelus Domini apparuit ei, dicens: Tribune, si vis sanus fieri, vna cum militibus, qui tecum sunt, ter clames: Tu, qui sancti Leontij Deus es, mihi, quæso, auxilium feras. Si hoc dices, statim sanus fies.

Angelus apparet Tribuno idolatræ.

II. CVM Tribunus in talem mentis excessum veniisset, & sobrius esset, vidit Angelum, vt adolescentem aliquem, candida veste indutum, & adspectus speciem quandam terribilem præ se ferentem. Tum ille? Ego, inquit, missus sum vna cum his militibus, vt Leontium comprehendam, & seruem vsque ad reditum Adriani Ducis: & tu mihi dicis, vt clamem: Deus sancti Leontij, auxilium mihi afferas, vt saluus sim? Cum hæc Angelo diceret, ille ab ipso euanuit, & stupor Tribunum corripuit: qui cum adhuc iaceret in lectulo, & febre vehementi teneretur, militibus ad se accersitis sic ait: Audite, fratres. Cum primum somnum cepissem, vir quidam illustris ad me venit, & dixit: *Si vis sanus fieri, ter clames: Deus sancti Leontii, opem mihi afferas.* Et his dictis euanuit. Cum hæc Tribunus dixisset, Theodulus quidam miles plus cæteris obstupit, & quæsiuit à Tribuno, an eius, quem dicebat, vestis alba, & adspectus terribilis fuisset: idq; ita se habere didicit. Postridie verò mane Theodulus ipse assidebat Tribuno, quæ audierat, in mente habens. Cum autem & compotationis tempus veniisset, Theodulum milites vocarunt, vt vna cum ipsis, quemadmodum semper consueuerat, se oblectaret: Erat enim Theodulus ipse inter Græcos homines maxime illustris. Ille ad compotationem inuitatus, omnes cibos reiecit, neque quicquam gustare voluit: sed humi iacens, diutius ieiunus permansit, ac tandem somnum cepit. Experrectus autem, commilitonibus suis: Adrianus, inquit, Præses crastino die veniet, & Leontius captus non est? Sed si placet omnibus vobis, mecum habens Tribunum, ad vrbem proficiscar, & quæram, quisnam sit iste Leontius: quem postquam comprehenderimus, cautè seruari iubebimus, quoad Adrianus Præses venerit. Erat autem Tribunus sanus iam factus, & à febre liberatus, cum visioni illi obedisset.

Tribunus miro modo fit sanus.

III. POSTQVAM igitur illi ad summum vrbis verticem venerunt, ecce Leontius ipse illis occurrit, quibus ait: Saluete in Domino, fratres. Id cum audissent duo illi milites Tribunus & Theodulus: Salue, inquiunt, & tu amice. Tum Leontius dixit: Quidnam, fratres, quærentes huc venistis? Tunc milites: Virum, inquiunt, quendam, Leontium nomine, doctum & probatum, Imperatori Vespasiano hoc loco habitare significatum fuit. Hunc igitur nos conuenire cupimus, vt iussi sumus. His enim diebus Adrianus præses huc venturus est, vt & ipse Leontium videat, eumque vt deorum amantem, honore maximo prosequatur, atque ad Imperatorem ducat: totus enim Romanorum Senatus illum videre cupit, cum eius præclara facta, & in deos obseruantiam audiuerit, præsertim cum sit vnus è principibus vitis, qui sunt in vrbe Tripoli. Cum hæc audisset Leontius, Vt video, inquit, peregrini estis, & huius regionis ignari. venite igitur, & mecum vnà requiescit: ego vobis Leontium illum monstrabo, quem vos deorum amicum esse dicitis: ille vero non est iis diis amicus, quos vos colitis, sed scio ego Christianum illum esse, & Domini Iesu Christi fidem tenere. His auditis, illi secum dicebant: Quisnam iste est, qui dicit, Leontium Christianum esse? Num aliquis ex eius cognatione est? Itaque Theodulus: Quodnam, inquit, est nomen tuum? Tum Leontius. De nominis mei significatione in literis diuinis scriptum est his verbis: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Oportet igitur à me conculcari leonem & draconem: leonem, inquam, hostem illum, qui corporeis oculis non cernitur: & draconem, hoc est, Præsidem ipsum, & eius consiliarium. Tum Tribunus ad Theodolum conuersus: Et quisnam, inquit, iste est, qui dicit: Oportet à me conculcari leonem & draconem, & Præsidis consiliarios? Dubitatione igitur detenti, ambigebant quidnam facturi essent. Eo enim, quod tam benigne inuitati erant, remorabantur, ne prauũ consiliũ suum viro illi aperirẽt: verũtamẽ cũ Adriani sæuitiã perspectam haberẽt, & eã formidarẽt, neq; vellẽt re infecta reuerti, iter ad Leõtii domũ, amicitiã simulãtes, vnà fecerũt. Deinde, En, inquiũt, vir optime, domũ tuã peruenimus, & rebus tuis omnibus

Psalm. 90

Nota quòd Leontius idem valet, ac si quis dicat, leonẽ puniẽs, vel cõculcans,

bus fruimur. Festina igitur Leontium ostendere, vt cum venerit Adrianus Præses, honore maximo dignus habeatis, & Imperatorum amicissimus in eorum palatio versetis.

V. Leontius prodit sese.

HÆc cum illi dixissent, tum Christi martyr: Ego, inquit, sum Leontius ille, quem vos quæritis: ego sum ille Christi miles: ego sum, quem Adrianus per vos insequitur. Illi cum audiuissent quod dixit, Ego sum, in faciem prostrati, clamare cœperunt: Serue Dei altissimi, remitte nobis hoc peccatum: festina Deum tuum placare, vt nos ab idolorum fœditate, & ab illa immani fera Adriano eripiat: & nos enim Christiani sumus. Hæc cum illi dixissent, sanctus Dei seruus Leontius in terram se deiecit flens, & dicens: Domine Deus, qui vis omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire: qui dedisti nobis salutis pignora, respice nos, quæso, in hac hora: qui fecisti, vt qui contra me venerant, pro me essent: me ouem illam perditam seruos, oro, & istos mecum vna illumines misericordiæ tuæ luminibus, quibus & sancti Spiritus tui gratiam effundas, & cor purum crees, tuoque signo notatos, inuictos milites contra hostē diabolum efficias, potentiam & arma illis præbens propter viscera misericordiæ tuæ. Pro scuto & hasta sit illis sapientia tua. Tu, qui tribus diebus in sepulcro esse voluisti, qui malefici draconis caput conculcasti, da, quæso, vt Tribunus hic & Theodulus conterant caput malitiosi draconis Præsidis Adriani, tuique roboris gratia illos confirmes. Tu enim desperatos ad cognitionem & spem inuitas: tu errantes misericordia tua in viam reuocas: quippe qui cordis arcana cognoscis, & vniuersæ humanæ naturæ creator es. Accipe, quæso, preces peccatoris Leontij. Ostende & his, præter te non alium Deum esse. Fac, vt qui dijs inanimitatis & mutis fidem habent, illos vanos & inanes esse cognoscant: & tuæ cognitionis lumine illustra eos, qui veritatem non cognoscunt. Ita, quæso, facias, Deus Saluator noster, quoniam tuum est regnum, potentia & gloria Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

1. *Tim. 2.* Precatio Leontij.

VI.

CVM dixisset, Amen, descendit nubes aquæ in Theodulum & Tribunum, eosque illuminauit. Quod cum sanctus Leontius factum vidisset, voce magna clamans: Gloria, inquit, tibi sit, Deus meus, qui voluntatem quærentium te non aspernaris. Tum illos albis vestibus induit, & cereos accensos ante ipsos ferri iussit. Cum vero, quidam ex Græcorum numero tantum miraculum per Leontium factum vidissent, cœperunt per vrbem tumultuari, & ita clamare: Pernicioso igne comburantur illi, qui deos nostros reprobant. Itaque non medioçri tumultu ciuitas illa perturbata erat. Biduo autem postea venit Adrianus Præses, & omnes, qui cum illo erant: cumque ante vrbis portas constitisset, quæsiuit, quænam voces & tumultuatio illa, quinam populorum clamores essent. Tum eius ciuitatis optimates: Vir, inquiunt, quidam Leontius nomine, qui Christianus appellatur, omnes à deorum nostrorum cultu dehortatur, ac remouet, magicis quibusdam artibus homines ipsos circunueniens, dum prædicat & nugaci oratione celebrat, extollitque virum quendam ab hominibus in Cruce suffixum, quem Pilatus ipse inquisitum flagellis, & Iudæi alapis verberarunt: Quinetiam Imperatoris nostri milites veneficijs suis decepit, & ad Galilæi hominis illius religionem attraxit, eosque albis vestibus indutos, tertium iam diem apud se habet. & maximos deos nostros reprobat.

Leontius atrociter defertur apud Adrianum.

VII.

TVNC Adrianus Præses furore accensus, iussit militibus, quos secum habebat, vt tres illos comprehensos, caute in carcere custodirent, quoad ante Tribunal sisterentur. Fecerunt milites quod iussi fuerant, & homines comprehensos, in carcerem coniecerunt. Leontius verò per totum diem non desistens magni Dei fidem & doctrinam illis tradere. Agite, inquit, fratres, estote fortes, & cogitate, præsentes cruciatus paruos esse, & ad breue tempus: gaudium verò illud & iucunditatem sempiternam futuram. Itaque si nos hic nefariorum hominum iniurias sustinemus, illic requiem perpetuam inueniemus. Nocte vero cœpit psalmi versus illos canere, Deus noster in cælo & in terra, omnia quæcunque voluit, fecit. Deus, qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam. Cum vero dies illuxisset, Adrianus Præses in tribunali sedens, iussit ad se duci Leontium, Tribunumq; & Theodolum. Qui cum præsto essent, Tune, inquit Præses, Leontius es? Ego, inquit ille, ipse sum. Tum Præses, Cuius fortunæ & conditionis homo es? Quomodo prauis & maleficis veneficijs tuis milites ab Imperatore nostro subripuisti? Eos, inquam, qui semper cum Imperatore nostro erant, subripiens, fecisti, vt ei, quem tu Deum dicis, crederent. Respondit Leontius, Ego Christi mei sum miles: ego sum illius veræ lucis filius, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Omnis qui venit ad hanc lucem, non offendit. Scit Tribunus & Theodulus, quæ sit huius luminis origo & perfectio, Christus videliçet. Itaque dereliquerunt deos tuos, è lignis, lapidibus & animalium ossibus confectos, quippe qui fragiles sunt, & commitunt facile possunt. Cum Præses audisset Leontium tam libera oratione vtentem, furore inflammatus, præcepit seruis, vt verberibus Leontium ipsum contunderent. At ille cum verberaretur, erectis in cælum oculis, Tune, inquit, Adriane, putas cruciatum mihi afferre, qui teipsum crucias?

Sancti martyres seruantur in custodia.

Psal. 113. & 134.

Psal. 17.

Iohan. 1.

Leontius verberatur.

VIII.

Ducitur in carcerem.

CVM vero illum Adrianus vidisset cruciari quidem, sed in Christi confessione constanter permanere, illum iussit in carcerem duci, & ad Tribunum ac Theodolum conuersus: Quare, inquit, vos patrios vestros mores abiecistis, in quibus educati estis, & derelicto militari stipendio, Imperatori nostro mœrorem paratis? Tum illi responderunt: Nobis datus est panis, qui consumi non potest, quique è cælo descendit, & vini poculum è latere altissimi Dei acceptum: pro illis autem carnibus, quæ corruptioni subiectæ sunt, corpus puri & omni macula carentis agni nobis datum est. Tū Adrianus: Ista, inquit, vobis suggessit improbus Leontius. Facite igitur, quæ Imperatori grata sunt. An ignoratis, ita Imperatorem iussisse, vt qui dijs sacra fecerint, maximis honoribus & militiæ gradibus honestentur: qui vero iussis parere noluerint, illi pessimis modis vita priuentur? Ad hæc Tribunus & Theodulus responderunt: Nostra militia in cælis est: fac quicquid vis. Tu quidem, cum turpissimorum idolorum vltor sis, contra nosipsos te armas: sed tota vita tua deserta erit, & tempus dierum tuorum minuetur. Hæc cum Adrianus audiuisset, iussit Tribunum in ligno suspendi, atque constanter vnco lacerari: Theodulum verò in terram prostratum verberibus cædi. Qui cum acerbe cruciarentur, nullam aliam vocem emittebant, nisi hanc: Salua nos, Domine, quoniam defecit sanctus. Adrianus vero cum illorum sententiam stabilem atque immobilem vidisset, iussit eos securi percuti. Qui dum ad supplicium ducerentur, canebant versus illos: Tu es protector noster, Domine: In manus tuas commendamus spiritus nostros. Cum orationem compleuissent, à carnifice percussi sunt, & animas suas in confessione illa sancta Deo tradiderunt.

Tribunus laceratur, & Theodulus cæditur.

Capite plectuntur.

IX.

POSTHÆC iussit Adrianus duci sanctum Leontium. Qui cum præsto esset: Age, inquit, Leonti, misereat te fortunæ tuæ, ne graues cruciatus experiâre, quales experti sunt Tribunus & Theodulus, homines à te circunuenti: iamque audi me, & dijs sacrifica, sic enim honores maximos à me & Imperatore, totoque Senatu consequeris: nam Imperator valde cupit adspectum tuum videre. Auertat Deus, inquit Leontius, vt ego Imperatoris adspectum videam, qui execrabilis hostis Dei est: sed si placet, tu, Adriane, Christi amicus sis: id enim si feceris, ostendam tibi, quantam salutem, quantam opem, & quam perennes diuitias ab ipso percipies. Tum Adrianus præbili subridens. Tantam, inquit, & me salutem consequi vis, quantam Tribunus & Theodulus consecuti sunt? An nescis, sceleratissimum caput, quali supplicio illi consumpti sunt? Ad hæc Leontius. Minime supplicium appelles, quod ipsis intulisti: sed vitam potius, pacem & gaudium: nunc enim gaudent & exultant, & vna cum Angelorum choris versantur. Tum Adrianus: Adhibe, inquit, Leonti mentem ijs, quæ à me dicentur. Quisnam mentis compos, hanc Solis lucem & maximos illos deos, Iouem, Apollinem, Neptunum, Venerem, & reliquos vnquam relinquere voluit, vt morte pessima vitam finiret? Nemo certe, nisi qui à te circunuenti sunt. Ad hæc Leontius: Minime tu audisti, quod scriptum est: Dij gentium dæmonia: &, Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Quis igitur est, modò sanæ mentis ille sit, qui mutis lapidi-

Sancti sunt in cælis.

Psalm. 113. & 134.

lapidibus & talibus rebus anima & sensu carentibus, cuiusmodi sunt isti vestri dii, similem se esse velit, nedum ipsis sacra facere.

X. Cvm hæc Iudex audiret, Martyris sententiam firmam esse videns, iussit in terram prostratum, à quatuor carnificibus verberari, & præconem ipsum clamare: Qui deos nostros pro nihilo faciunt, & Imperatoris edictum non obseruant, ita peribunt: Cum diutius Leontius verberaretur, & carnifices defessi essent, ad Præsidem loquens: Quamuis, inquit, corpus meum, pessime homo dilaniaueris, nunquam tamen animæ meæ dominus fueris. Iussit deinde Adrianus illum in ligno suspendi, & eius latera atque crura lacerari. Qui cum diutius laceraretur, neque quicquam aliud diceret, nisi hoc tantum: Deus in te speraui, salua me Domine: cumque cœlum Martyr suspiceret, tunc ad ministros suos Adrianus conuersus: Deponite, inquit, illum de ligno: scio enim, quod cum in cœlum intueatur, deos ipsos orat, vt requiem illi afferant. Ad hæc S. Leontius dixit: Pereas tu cum diis tuis, Adriane infelicissime & execrande, ego enim Deum meum precor, vt robur ac vires mihi suggerat, quo tormenta tua sustinere possim. Cum igitur Adrianus Leontii mentem constantem & firmam vidisset, rursus iussit in ligno eum suspendi, capite in terram deuoluto, & magnum saxum ex eius collo pendere, vt ita cruciaretur. At sanctus martyr generoso & forti animo cruciatus illos perferens, ac cœlum intuens, sic Deum orauit: Domine Iesu Christe, qui corroborasti seruos tuos Tribunum & Theodulum ad præstandam tui nominis confessionem, & me seruum tuum supplicem & peccatorem confirmes, vt tormenta hæc sustinere possim, neque expectationi meæ deesse velis.

S. Leontius diré verberatur. Eius latera & crura lacerantur. Vide supplicii genus immane.

XI. Tvm Adrianus: Scio, inquit, Leonti, diis nostris te amicum futurum. At ille: Ego seruus sum Dei altissimi: tu vero deorum tuorum seruus es. Cum illis igitur & tu, & exercitus tuus peribit. Porrò Adrianus cum Leontii mentem stabilem vidisset, illum iussit in carcere seruari vsq; ad diem posterum. Ille vero in carcerem ingressus, per totam noctem psalmum canebat: Dominus illuminatio mea, & salus mea: quem timebo? Cum vero psalmum caneret, Angelus illi apparuit, & dixit: Esto fortis Leonti, ego enim tecum sum. Me Dominus Deus tuus misit, quem tu quæris. Cum vero dies illuxisset, iussit Adrianus ad se Leontium adduci, quem sic affatus est: Nunquid, Leonti, cogitasti quid tibi expediat? Tum sanctus martyr: Cum semper, inquit, cognouerim, quid mihi expediat, vanis tuis sermonibus restitit: quare semel, bis & ter tibi affirmo, me nunquam commissurum, vt derelinquam eum, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia, quę in eis sunt, Dominum Iesum Christum Dei filium, qui propter nos homines Crucem pati voluit: illum, inquam, minime deseram, in eo enim solo, & in eius nomine spem collocans, misericordiam consequar. Tum iussit eum Adrianus in aëre à quatuor carnificibus suspendi, & vehementer verberari. Cum vero ille verberaretur, clamauit Adrianus: Fac, Leonti, quod dico, & diis sacrifica: id enim si feceris, per deorum nostrorum salutem ac benignitatem faciam, vt dignitatis gradum, & longe plura consequaris. Ad hæc sanctus martyr Leontius: Et quænam, inquit, dignitas tanti erit, vt ego Deum meum negem, & tibi obediam? Mene hortaris, vt dæmonibus tuis sacrificem, cum ne totus quidem mundus tanti sit, vt cum Christi mei charitate conferri possit? Cum igitur Adrianus eius mentem ita firmam vidisset, vt mutari non posset, hanc sententiam contra illum tulit: Leontium, qui diis libare, & Imperatoris edicto parere noluit, nostrosque nobis propitios deos contempsit, iubemus è quatuor vectibus suspensum, tam diu verberari, donec animam emittat.

Psalm. 26.

XII. Cvm igitur sanctus martyr Leontius diutius verberaretur, & vulneribus ac plagis laceraretur, spiritum suum Domino tradidit, & in ipsius Tripolis portu sepultus est decimooctauo die mensis Iunii, cum mundo ipsi bonum virtutis monumentum dereliquerit: martyr, inquam, Leontius, per quem Deus sui regni partem nobis concedat. Hæc commentaria beati martyris Leontii Cyrus quidam scriba in tabulis plumbeis conscripsit, & apud sancti martyris monumentum ea deposuit, vt iis, qui postea futuri sunt, optimum exemplum relinqueret in Christo Iesu Domino nostro. Quisquis igitur ea legit, & bonam ac sanctam Martyris confessionem audit, manus in cœlum erigat, & Deo ipsi gloriam reddat, qui martyri patientiam suggessit. Martyrium autem compleuit Christi martyr Leontius decimooctauo die mensis Iunii, vt iam diximus, sub Imperatore Vespasiano, in nobis autem regnante Domino nostro Iesu Christo: Cui sit gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Inter verbera reddit spiritum.

MARTYRIVM SANCTI SOSIMI, EX SIMEONE METAPHRASTE.

An. 100.

I. Vibvs temporibus Traianus Imperator Romanorum Imperium tenebat, multa idolorum insania & error, multaque cæcitas Græcos homines detinebat. Quamobrem magna persecutio contra Ecclesiam Dei commouebatur. Erat autem Domitianus quidam Antiochiæ Pisidiæ Præses: qui cum Imperatorem Traianum adisset, petiit sibi dari potestatem aduersus Christianos homines, vt quicunque diis ipsis immolare noluisset, graui supplicio afficeretur. Hic cum huiusmodi potestatem accepisset, & armatura diaboli indutus esset, tanquam leo quidam fremebat aduersus eos, qui ad mortem vsque Dei confessionem seruabant. Venit autem in vrbem Apolloniam, per Soropolitarum regionem. Cumque persecutio immineret, Sosimus quidam miles fidem Christi cupiens sequi, arma bellica tunc abiecit, & ad sanctissimam Ecclesiam confugit, & Christi fide instructus, immortalitatis lauacrum accepit, in fidei operibus & castitate, multisque ieiuniis & orationibus seipsum diligenter exercens.

19. Ivnii.

Domitiani Præsidis crudelitas.

Hæc sunt boni Christiani exercitia.

II. Cvm dies multi præteriissent, & Domitianus esset in ea vrbe, quam supra diximus, vir quidam illum adiit, & Sosimum deferens: Est, inquit, quidam Sosimus miles, qui & Imperatorem, & vestram potestatem contemnit: cumque arma deiecerit, & militiam abnegauerit, in quam ab Imperatore Traiano adscriptus fuerat, dicit se Christianorum religionem sectari, pro nihilo faciens deos nostros: quinetiam Imperatoris constitutiones execratur, & eius potestatem despicit. Tum Præses dixit: ducatur huc Sosimus ad tribunal. Abit igitur cohors, vt iussa fuerat, & Sosimum comprehensum, ad tribunal duxit. Quem Præses interrogans: Túne, inquit, es qui Sosimus appellaris? Respondit: Ego ipse sum Sosimus, seruus Domini mei Iesu Christi. Ad hæc Præses: Fatere prius, cuius conditionis homo sis, & postea dices, cuius seruus sis. Tum ille: Miles ego sum, quod ad humanam conditionem pertinet, qui vestros illos deos perditissimos dereliqui, & Christianus factus sum. At Domitianus: Sceleratissime, inquit, Sosime, nihil tibi proderit nomen istud. I nunc, & diis sacrifica, vt peccatum istud tibi condonetur, quod Imperatorem Dominum nostrum Traianum despexisti, qui militarem ornatum tibi concessit. Ad hæc Sosimus: Minime diis vestris ego sacrifico. Adducatur, inquit Domitianus, in carcerem.

S. Martyr in carcerem ducitur.

III. Crastino autem die iussit eum duci ad tribunal, quem, manibus post terga colligatis, ante Præsidem statuerunt. Tum Præses iussit eum in ligno suspendi: cui suspenso dicebat: Sacrifica, sceleste Sosime, priusquã membra tua destruãtur. Ad hæc Sosimus: Non solum, inquit, non verbis, sed neque factis poteris mihi persuadere, vt sacrificem. Tum Domitianus: Verberetur vehementer à robustis militibus. Cumque diutius beatus Sosimus verberaretur, dixit Præsidi: Frustra ministri tui laborant, Dei enim me corroborantis voluntate verbera tua non sentio. Cum igitur tam diu verberatus fuisset, quoad solum ipsum sanguine repletum esset, voce magna clamans dixit: Domine Deus omnipotens, qui sedes in throno firmissimo, qui extendisti cœlum, & fundasti terram, qui aquas omnes in vnum locum congregasti, tu, nostra

Verberatur durissime.

seruorum tuorum spes, exaudi me, qui te precor: neque permittas huius Domitiani minis me superari, vt omnes qui nomen tuum non cognoscunt, per me discant, te solum esse Deum. Has preces cum habuisset, venit vox è cœlo, dicens: Sosime, esto fortis & robustus, ego enim tecum sum, neque quisquam tibi obesse poterit. Cum hanc vocem Domitianus, & quidam alii, qui cum illo erant, audiuissent: Certe, inquiunt, magus hic est. Alii dicebant: Minime magus est, sed magnus est Deus Christianorum, & ab illo vox ista ad hominem hunc missa est.

Cœlesti voce confirmatur.

Valde distenditur.

IVSSIT rursus eum Præses colligatum à quatuor militibus extendi. Qui cum valde distenderentur, oculos in cœ- IV.
lum erexit, ac dixit: Domine Deus, qui hominum mentes cognouisti, tu Christianorum spes, refugium & requies illorum, qui sunt in angustiis, libera me à fraude pestilentis & diaboli Domitiani, vt cognoscant omnes, qui præsentes sunt, te Deum viuentem esse, qui semper fuisti, & eris in sæcula. Cum multi ex iis, qui præsentes erant, egregiam martyris patientiam cognouissent, ad Christi fidem conuersi sunt. Præses vero cum id factum vidisset, & metueret, ne omnes ad eandem fidem conuerterentur, erubescens ac dentibus frendens, cogitabat, quo mortis genere hominem interficeret. Iussit igitur grabatum æreum ferri, & ignem multum subiici. Cumque multæ flammæ in grabatum ascenderent, iussit beatum Sosimum nudum illuc coniici. Cum vero sanctus martyr Crucis figura se muniuisset, & in grabatum coniectus esset, statim Dominus ignem in rorem conuertit: etenim per Angelos suos Deus Martyri opem attulit. Omnes vero, qui præsentes erant, opinabantur ob nimium illum ignem Sosimum animam efflauisse. At Angeli à Deo missi, sanctum martyrem à grabato sublatum, omnibus spectantibus, extra grabatum constituerunt. Turba vero cum admirabilia Dei facta vidisset, eius gloriam collaudauit, qui misit Angelos suos, & à tali flamma virum illum eripuit. Itaq; plurimi ad Christi fidem conuersi sunt.

Multi credunt.

Angeli eum liberant.

TVM Præses cum sanctum martyrem ad se vocasset: Obtempera, inquit, mihi Sosime, & diis sacrifica. Ad hæc So- V.
simus: Fœdissime omnium hominum, quibus diis iubes me sacrificare? Ioui, inquit ille, & Iunoni. Tunc Sosimus: Ego multos istos deos non colo: vnum enim cognosco viuentem Deum, huicq; soli pie seruio. Hæc cum audisset Præses: Sosime, inquit, tibi dixi, vt ad deorum aram accedas, & ipsis sacrifices: sin minus, te igne consumam. Ad hæc Sosimus: Stolide, semel dixi tibi, quod Deo meo seruio, qui in cœlis est. Cum vero Præses à tribunali surrexisset, & ad Cononensium vrbem iter facturus esset, iussit martyrem ligatum illuc sequi, vt ibi ad ignem coniceretur. Cumque ad eam vrbem Domitianus venisset, & sederet pro tribunali, iussit in crepidis quibusdam clauos aprari, & Martyris pedes crepidis illis configi, catenisque constrictum ad equos ligari, & cogi celeriter ambulare. Ille ad equos ferocissimos alligatus, non lentus erat ad iter faciendum, sed equos ipsos anteuertens præcurrebat. Deus enim erat cum illo, qui se ipsi adiutorem præbebat. Itaque has voces protulit: Domine Deus, qui perfecisti pedes meos tanquam ceruorum, perfectam patientiam mihi suggeras. At Præses, cum martyris patientiam vidisset, iussit ipsum in carcere clausum custodiri, neq; cibum aliquem omnino illi dari.

Præclara sententia.

S. Sosimus laniatur.

Vide cruciatum & præsentem Dei virtutem.

CVM vero tres dies præteriissent, & Sosimus cibum non gustasset, duo pueri venerunt in carcerem, quorum vnus panem, alter vas aquæ portabat, & Martyri dixerunt: Accipe pretiosum munus à Domino Deo tuo ad te missum. Hæc cum ille accepisset, cibum gustauit, ac dixit: Benedico tibi, Domine, quoniam misertus es mei, & non neglexisti me, sed satiasti cœlesti tuo cibo. Laudo & celebro gloriam & magnificentiam tuam in sæcula, Amen. Cum vero dies illuxisset, Præses in tribunali sedens, iussit sanctum martyrem ad se duci. Præsto autem fuit sanctus Sosimus hilari vultu, & mente ad Deum erecta. Præses vero stupore magno affectus erat, quod tantos pedum cruciatus sustinuisset, neque vultum mutasset. Tum ille: Sosime, inquit, sacrifica tandem diis ipsis, ne vulneribus multis laniatus, pessime moriaris. Ad hæc Sosimus: Si tu vis sacrificare tui similibus, sacrifica: ego, vt supra dixi, Deo meo seruio. Tunc furore accensus Domitianus: Suspendatur, inquit, in ligno. Cum vero suspensus fuisset, ei Præses dixit: Videsne, miser, quam multa tormentorum genera tibi proposita sint? An non obediens mihi, diis immolabis? Ad hæc Sosimus: Qui viuentem Deum amant, ista vestra tormenta nihil curant. Tum Præses: Ferreo, inquit, pectine nefarius iste homo dilanietur. Cum vero Martyr laniaretur, alta voce Deum orans dixit: Equidem magis nunc agnosco misericordiæ tuæ viscera, Christe author luminis, quoniam tu es, qui docuisti me non blasphemiam aliquam pronunciare, vt per hæc tormenta diuinitatem tuam magis cognoscerem.

HÆC cum dixisset, neque Præses tormentorum satietate affectus esset, iussit hominem ante tribunal duci, cui hæc VII.
dixit: Multis cruciatibus propter nomen Christi afflictus, nullam vtilitatem assecutus es: saltem nunc accede, & diis sacrifica. Tum Sosimus: Domitiane, inquit, sæuissime, atque inhumane, & impietate omni refertissime, Deum illum cœlestem metuas, & erroris, quo detentus es, obliuiscaris, neque simulacra ista deos nomines, sunt enim dæmones, non dii. Tum Præses: Tune, ô scelestissime, audes deos nostros dæmones appellare, per quos mundus ipse dies festos celebrat? Tunc Sosimus: Qualem, inquit, diem festum agunt isti dii, quos dicis, talem Imperator tuus, & qui eis credunt, agunt. Præses vero: Videsne Sosime, quemadmodum diis ipsis repugnas, & illos in iram prouocas? Desine ista dicere, ne propter blasphemiam tuam & ipsi pessime pereamus. Pietatis, inquit ille, & diuinæ confessionis causa tibi repugno & adhortor. Tum Præses dixit: Afferte faces accensas, & ventrem ipsius incendite. Non solum, inquit ille, faces ventri admoueri iubeas, sed etiam, si placet, totum corpus meum comburas: nunquam enim me vinces: præsto est Christus, qui me corroborat. En ego à te interfici valde cupio: hæc enim est mea iactatio in Christo Iesu.

Egregia martyris constantia.

PRÆSES cum non amplius sciret quid ageret, & à verbis illis sancti Sosimi se nihil profecturum esse intelligeret, IIX.
iussit securi hominem percuti. Cum vero martyr ad obeundum martyrium duceretur, cœpit dicere: Domine Deus meus, respice me peccatorem, & accipe animam meam cum his, qui ab omnibus sæculis tibi placuerunt: quoniam tu es gloria mea ex hoc tempore, & in æterna sæcula, Amen. Martyrium compleuit sanctus Sosimus decimonono die mensis Iunii in vrbe Cononensium, Imperatore Traiano, in nobis autem regnante Domino nostro Iesu Christo: Cui gloria & imperium in sæcula sæculorum, Amen.

Cæditur securi.

ALOYSIVS EPISCOPVS VERONENSIS, PIO LECTORI.

DVo in hac vita, quæ sequitur, videbis, quæ primo statim occursu animum tuum facile percellere poterunt. Primum, quod sancti martyres Nazarius, Gerualius Protasius & Celsus, siue Celsius puer, simul gladio consummati sint in ciuitate Mediolanensi. Secundum, quod sub Anulino, siue Anolino præside, ad Neronis Cæsaris iussionem. Nam in primo Tomo vitarum Sanctorum, quem edidimus, vitam Sanctorum Gerualii & Protasii per diuum patrem Ambrosium scripram proposuimus, in qua de sanctis Nazario & Celso nulla fit mentio: quod vtique subticendum non videbatur, si hi in martyrio illis consortes fuissent. Sed & ibi priores sub Astasio Comite ad bellum contra Marcomannos (quos hodie vulgari sermone Morauos vocant) proficiscente, non autem ab Anolino Præside, peremptos fuisse legimus.

Hanc nos huic historiæ subiungimus.

VERVM hæc tanti esse non videntur, vt à legenda hac Sanctorum vita te deterrere debeant, cum diaboli ministri in Sanctorum martyriis satellites plurimos habere consueuerint, quorum aliqui dum aliis forsan occuparentur negociis, aut in sanctorum laniandis corporibus iam fessi essent, aut forte, quod alium magis idoneum esse ad sanctos torquẽdos arbitrarentur, sibi inuicem successores & vicarios dabant, vel assessores suis tribunalibus adhibebant. Cuius rei sexcenta

per tei-

per teipſum exempla inuenire poteris. Potuit ergo Anulinus Præſes author eſſe Sanctorum agonis, deinde Aſtaſius Comes ad finem illum deducere, aut aliquid occurrere, quod ſub vtroque illorum ſancti hi omnes gladio feriri iuſſi ſint. Quod autem diuus Ambroſius non ſolum in vita ſanctorum Geruaſii & Protaſii non meminerit beatorum Nazarii & Celſi, ſed neque in vita horum in ſecundo noſtro Tomo poſita, quam idem ſcripſit Dei ſacerdos Ambroſius, de prioribus illis vllam prorſus mentionem faciat, non te contriſtet: nam in huiuſmodi rebus locus ab authoritate negatiue ſumptus, infimam partem habet. Potuerunt namque ſocii ſimul eſſe in paſſionis certamine, licet ſanctus vir hoc non dixerit. Nam & diuus Cyprianus Carthaginenſis, & ſanctus Petrus Alexandrinus Epiſcopus, plures coronæ ſocios habuiſſe leguntur, & tamen eorum duntaxat ſingulorum martyrium celebratur, aliorum nominibus ſuppreſſis. Quod ſi adhuc te taciturnitas iſta ſolicitat, lege Adonem Treuirenſem Epiſcopum in vita ſanctorum Nazarii & Celſi, in Tomo noſtro quarto poſita, vbi in fine hæc verba habentur: Inuenti autem ſunt, (nempe Nazarius & Celſus, de quibus loquitur) pridie Idus Iunii. Feſtiuitas vero agitur de martyrio quinto Calendas Auguſti. Commemoratio autem eorum publica & celebris, in die ſanctorum martyrum Geruaſii & Protaſii à fidelibus frequentatur, & venerabiliter excolitur. Quod profecto non fieret, ſi aliqua inter ſanctos ipſos non interceſſiſſet communio. Vale, & Dei gratia ſit ſemper tecum.

CAES. BARONIVS CARDINALIS IN NOTIS AD MARTYROlogium Romanum hoc die.

FERVNTVR S. Geruaſii & Protaſii res geſtæ ſcriptæ à S. Ambroſio ex libello Philippi. Deſcripſit autem & alia horum acta Metaphraſtes, quæ Lipomanus ſuper diuerſitate narrationum vtcumque concordare conatus eſt. At non tantum me reddit ancipitem, quod in prædictis actis nomine S. Ambroſii editis, nulla de Nazario & Celſo habeatur mentio, vel quod ſub diuerſo Præſide paſſi habeantur, quæ & Lipomanus excuſat: ſed quod me maiori difficultate inuoluit, eſt illud inprimis, quod non tantum in prædictis nulla habeatur de Nerone mentio, vel alterius cuiuſpiam Imperatoris, ſed Auguſtorum plurium tunc ſimul regnantium idem author meminerit, adeo vt ad alia tempora potius, quam Neronis illorum martyrium referre videatur. Huc accedit, quod dum de bello Marcomannico ibi mentio fit, nihil ſane eſt, vt ea ad Neronis tempora poſſint accommodari: ſiquidem nullum tale bellum tunc geſtum eſſe, perſpicuum eſt. Cum itaque ex illis Actis exploratum habeatur, plures Auguſtos tunc ſimul imperaſſe, inſuper & Marcomannicum bellum excitatum eſſe: cogimur vel inuiti in eam ire ſententiam (ſi tamen ea Acta certa firmaque, & Ambroſii eſſe dixerimus) vt credamus hos paſſos eſſe temporibus M. Aurelii Antonini & L. Veri Auguſtorum, quorum Imperii anno nono Marcomannicum Bellum exortum eſt. Sane quidem nec Beda, nec Vſuardus, vel Ado, aut antiquorum aliquis, vel vetera manuſcripta, cum de his martyribus agunt, vel de eorum parente Vitale ad 4. Cal. Maii, vllam de Nerone faciunt mentionem. Hæc tamen aliis expendenda relinquimus.

VITA ET DECERTATIO SANCTORVM ET GLORIOSORVM CHRISTI MARTYRVM, NAZARII, GERVASII, PROTASII, & Celſii: ex Simeone Metaphraſte. AN. 60.

I. NERONE tenente ſceptra imperii Romanorum, Nazarius admirabilis, tanquam ſtella quædam lucida fulgebat in ſua patria. Eum enim habebat Roma veluti imaginem virtutis aliquam, illius glorians moribus. Nam hæc quidem erat Patria Nazario. Parentes autem, alter quidem Lybicus, altera vero ipſa quoque erat Romana genere, ambo quidem diuites & facultatibus & virtute: Petro autem inſtitutore, chori diſcipulorum principe, Deo redditi magis familiares, aquaque & ſpiritu conſummati. Eorum pietatem Deus veluti remunerans, quomodo olim Abrahæ hoſpitalitatem, eis dedit filium hæredem ſimul virtutis & bonorum, Nazarium. Ille autem, tanquam à Deo datus, ſe rurſus totum tradit Deo. Et ipſe quidem in diuino adoptatur baptiſmate à Lino, qui erat ipſius Petri ſedis & virtutis ſucceſſor. Cum autem ad perfectiorem peruenſſet ætatem, perfectiorem quoque gratiam conſequitur. Ipſe enim ſimul augebatur, & ſui accipiebat incrementum, & magnus eius amor in Chriſtum reddebatur maior & feruentior. 19. IVNII. Nazarii patria. Parentes. Baptizatur à Lino.

II. CVM vero pietatis, quæ erat in ipſo, fax valde eſſet in altum ſublata, & multos ad eum vocaret, & tumultus & continuum eorum, qui ad ipſum accedebant, aduentum declinans, ſtatuit patriam & ſuos relinquere neceſſarios, & verſari in aliena, vt & cum eo, quem deſiderabat, ſeorſum colloqueretur, & multis prædicaret pietatem. Cum ergo hæreditatem, quæ ad eum pertinebat, accepiſſet à parentibus, egreditur è patria: & ex vna ciuitate tranſiens in aliam, ad quoſcunque acceſſiſſet, iis opem ferebat ex ſuis facultatibus. Deinde etiam eis maiora ſuppeditabat, vt qui eos deduceret ad veram Trinitatis cognitionem. Et cum veniſſet Placentiam, & acceſſiſſet Mediolanum, conuenit Geruaſium & Protaſium viros admirabiles, qui ab Italiæ quidem Præſide Anulino iam fuerant in carcerem incluſi propter ſuam in Chriſtum confeſſionem: is autem, quæ fiebant præter omnium opinionem, & miraculis extendebantur fama ad finitimas etiam regiones. Venit Mediolanum.

III. CVM eos ergo diuinus conueniſſet Nazarius, fidei & virtutis communione eis effectus familiaris, (Ingeneratur enim quidam amor in iis, qui earundem rerum amore tenentur, non minus quam in conſanguineis) eos incitat, & eis animum addit ad martyrium, & reddit acriorem eorum in Chriſtum amorem. Hinc Nazarii fama in omnem partem diſperſa, peruenit etiam vſque ad Præſidem Anulinum. Ille autem cum ſiſti curaſſet Nazarium, fit ei tanquam conſiliarius, & ſuadet ne ſit impius, & illius deos probris inſectetur & contumeliis. Deinde poſtquam cognouit ſanctum ne dignum quidem, quod audiretur, putare conſilium, (Quid enim eſt ad probris appetendum aptius, quam multa quæ coluntur ſimulacra) eius maxillis multos impingit colaphos, & tanquam aliquod piaculum vir execrandus eum cum probro & dedecore expellit è ciuitate. Hoc autem quantum iudici videbatur magnum ad ſupplicium, tantum Nazario exiſtimatum eſt maius ad beneficium: quod dignus habitus ſit plagas accipere propter Chriſtum, qui pro ipſo paſſus eſt. Egreſſus eſt ergo non ſilens, neque elinguis ac mutus, & metu vinctus, ſed pergens docere vt conſueuerat, & multos infideles inducens intra Chriſti ſagenam. Porro autem illa nocte viſa eſt mater Nazario adeſſe, & eum hortari, vt obiret Galliæ ciuitates, & in eis deiiceret ſemina veritatis. Ille autem, vt ei à matre dictum fuerat, venit Meliam, (eſt autem ea vna Galliæ ciuitas) & omnes, quos conueniſſet, deducit ad Dei cognitionem, & aperte prædicat pietatem. Siſtitur coram Præſide. Cæſus ab vrbe pellitur. Venit in Gallias.

IV. INTERIM autem ad eum accedit fœmina quædam illuſtris & exprimis ciuitatis, adducens quem habebat filium nomine Celſum, iam tres annos natum, & deponit ipſum in eius manibus: Sequetur te hic puer, dicens, in omni via, donec ipſe quoque dignus euaſerit, qui ſiſtatur ante thronum Domini Chriſti. Et illa quidem diſcedit: Nazarius autem infantem lubenter accipit, quem propemodum in vlnis circumferebat. Cumque preces dixiſſet conſuetas, eum per baptiſmum efficit Deo familiarem: quoniam necalium nouerat verum honorem, niſi cum Deo coniunctionem & familiaritatem. Sic ergo ſe habens Nazarius, & Galliarum ciuitates ſic doctrina complectens, ne illarum quidem Præſidem latuit Dinobaum. Itaque accerſitus ad eum, venit cum puero Celſio: & è quo quidem genere eſſet natus, quibuſnam Celſius puer baptizatur.

autem parentibus, & cuiusnam sit religionis, percontanti Dinobao: Ego quidem, inquit, genere sum Romanus: Christianam autem sequor religionem: & Deum confiteor eum, qui fuit crucifixus. Tunc fertur Dinobaus, ad iram motus, dixisse: Habes dæmonium. Quid enim aliud sibi volunt hæ tantæ nugæ? Non est tibi pater? non est tibi mater? Ille vero: Si dæmonium haberem, inquit, non quos tu colis, dæmones insectarer probris & contumeliis. Dinobaus autem furore non valens continere, cum puerum quidem Celsium abstraxisset ex illius manibus, intolerandis eum plagis afficit, ingenio puer eum, qui erat canus prudentia. Deinde eum coniicit in carcerem, in sequentem diem eum reseruans. Magna enim crudelitas & inhumanitas ne tantulæ quidem ætatis mouebatur misericordia. Quod quidem etiam in bruta animantia & nouas plantas clementi & benignæ euenerit animæ: ea namque digna, quibus precatur, censuerit. Atq; intolerabiles quidem plagas propter Christum puer lubenter accipiebat Celsius, balbutiente lingua hoc solum dicens: Deus, cui ego seruio, ipse te iudicabit, O Iudex: irritans ipse quoq; Dinobaum propter suum in Christum desiderium, sicut diu ante Iudæos æqualium puerorum chorus, meum Iesum hymnis celebrantes & laudem ei perficientes.

Dire cæditur à Præside insano

Matth 21.

QVÆDAM autem insignis fœmina, nomine Dinomeda, consulit coniugi Dinobai, vt suadeat marito, vt moueatur misericordia pueri ætatis, & simul etiam absoluat Nazarium. Illa autem hæc marito communicat, quomodo olim vxor Pilato. Postridie itaque cum sedem iudiciariam ascendisset Dinobaus, & adduxisset Nazarium, suadebat pro viribus, vt assentiretur impietati. Ne eum enim tunc puniret, prohibebant vxoris suasiones. Postquam autem non potuit persuadere, eum expellit è ciuitate, sic eum placide allocutus: Vxoris meæ consilia te liberum dimittunt ab omni cruciatu. Illinc ergo abit Nazarius in vicinam Temerum cum puero Celsio. Est autem hæc vrbs Temerus propinqua Meliæ. In ea ergo vitam agebat, diuinis suis doctrinis augens gregem Christi, & multos inducens ad agnitionem. Non ferebat autem omnino, qui inuidiam parturiebat, diabolus res ita se habentes. Quomodo enim, si ille erat diabolus, & qui ab initio bonis aduersabatur? Blandis itaque verbis aggrediens Præsidem ciuitatis, persuadet, vt Neroni Imperatori significet de Nazario. Cum ergo de Nazario ei esset significatum, missæ sunt literæ per vniuersam illam regionem, iubentes summo studio quæri Nazarium, & eum, qui inuenisset, ad ipsum ducere.

Matth 27.

Nazarius expellitur.

Sistitur coram Nerone.

CVM autem is latere non posset, vt qui in illustri staret loco virtutis, & magno ore ab ipsa prædicaretur, cito inuenitur ab iis, qui scrutabantur. Illi autem, cum is iam eis euasisset manifestus, læti lætum sistunt ante Neronem. Quid ergo ille? Propositis ei tormentis, assentationibus aggressus est Nazarium, vt cum illis quidem ei terrorem attulisset, his autem eum emolliisset, persuaderet ei, vt transiret ad suam voluntatem. Nazarius vero erat omnino immobilis, vt qui ab his ad martyrium magis acueretur, non autē emolliretur. Et ideo maiori vtebatur constantia. Cum nesciret ergo Nero quid ageret, tunc eum cum puero tradit in custodiam. Parum interceſſit temporis, & Neronem quidem rursus sedes habuit iudiciaria. Introductus autem fuit Nazarius cum puero. Et rursus similiter, nunc quidem minis vehemens erat Nero, nunc autem suauis blanditiis & promissis. Postquam autem vidit eum tanta esse constantia, desperans sic posse induci Nazarium, iubet eum initici in profundum maris cum puero Celsio, vt nec eos quidem posset videre, quos nolebat quidem viuere sic affectos. Sed erant omnino vera, quæ dixit diuinus Esaias, tanquam de eis prænunciata: Si transieris per aquam, tecum sum: & non te concludent fluuii. Et si transieris per ignem, non combureris. Nam cum iam essent in profundo, & qui eos iecerant, crederent fore, vt à multis piscibus deuorarentur: magna contentione, Angelica quædam virtus desuper aduolauit, & è profundo seruauit, & illæsos eos terræ reddidit, puero Celsio propter ætatem adhuc imperfectam, nausea & fastidio pleno, vt est consentaneum. Sed precibus & signo Crucis, & diuino osculo eum saluum reddidit Nazarius.

VI.

Traditur in custodiam.

Esa 43.

E mari educitur cum Celsio.

CAPIT, tanquam pisces, hoc miraculo Neronis quoque seruos, qui ipsos in mare demiserant. Sanctum enim deinceps sunt secuti, & ita se ei adiunxerunt, vt prioris vitæ magna ducerentur pœnitentia, & ægre ferrent quod non diu ante, relicto Nerone, animum illi adhibuissent. Terræ ergo cum puero redditus Nazarius, transit cum eo ad ciuitatem, quæ dicitur Tenusa: & illinc profectus, venit Mediolanum: rursus quoque priorem pergens dare doctrinam, & dulci potare nectare eos, qui erant vere filii regni. Sed ciues rursus ei non permittebant libere prædicare veram religionem: sed eum comprehenderunt, & eum Præsidi Anulino, qui ei prius multas impegerat alapas, tradiderunt, vel per illos, vt verius dicam, is qui fuit ab initio inuidus, & odio habuit homines. Ille autem iubet eum rursus includi in priori custodia. Nazario autem ipsa custodia erat multis regiis pretiosior, pratum floridum, nouus paradisus. In eam enim ingressus, versabatur cum Geruasio & Protasio sociis certaminis: à quibus assidue ille, tanquam ab aliquibus fluminibus, irrigatus, carpebat suauissimos flores illorum consuetudinis, vt propemodum gratias haberet Anulino, quod eum rursus coniunxisset cum iis, quos desiderabat. Cum eis ergo congressus, & magnam accepit vtilitatem, vt ipse etiam vicissim intulit ea, quæ erant vtilia: & eos satis ad certamina, & puerū incitauit Celsium: quem puerum quidem sermo, perfectū autem ostendit actio.

VII.

Mediolani includitur in custodia.

ANVLINVS autem cum de Nazario singula exacte didicisset, mirabatur quemadmodum potuisset effugere Neronem (sciebat enim, quam esset furiosus & quam ferus Nero) lupum agnus, vt aiunt. Hinc etiam de sancto Nazario, & eius sociis eum facit literis certiorem, rogans quidnam iuberet, vt faceret sanctis. Ille autem cum audiuisset Nazarium adhuc esse superstitem, cædem spirabat aduersus lictores, quibus iusserat, vt eum in maris profundum iniicerent: & præ ira è sede exiliens, cum vociferatione currebat per regiam, clamans insidiatores, ingratos, aduersus deos impios: & cupiebat eos inuenire, vt ipsos etiam interimeret simul cum Martyribus, ignorans stolidus, quod Deus potest non solum à mari seruare eum, qui in ipso habuerit fiduciam, sed etiam ipsum mare exiccare. Testatur autem diuus Dauid dicens, eum posuisse fluuios in desertum, contra autem, deserta in lacus aquarum. Cum eos ergo multum quęsiuisset, & non inuenisset, sic literis exponit suam aduersus sanctos sententiam: Quoniam ii, qui ante nos ascenderunt in hanc excelsam imperii sedem, non solum eos, qui in maximos deos erant impii, morte sua damnabant sententia: sed etiam, si inuenirentur aliqui, qui maleficiis & præstigiis multos corrumpetent, par quoq; in eos statuebant supplicium: nostra quoq; decernit potentia, quod isti quamprimum vita priuentur, gladio capitibus eorum amputatis: deinde eorum corpora obiiciantur feris ad deuorandum, vt ne omnium quidem communem consequantur sepulturam. Sit ergo tibi curæ id, quod in præsentia iussi, exequi. Est enim mihi maiori curæ honorare deos, quam curam gerere reipublicæ.

VIII.

Neronis furor.

Psalm. 106

POSTQVAM hæ literæ venerunt ad Anulinum, iubet statim ad mortem duci Martyres. Illi autem muniti figura Crucis, admodum læti exiêrunt, vt qui non ad mortem, sed ad vitam potius (quod verum erat) æternam vocarentur: & contendebant alius alium præuenire, & pulchro decertabant certamine, timentes ne Neronem suæ pœniteret sententiæ, & beatum finem non assequerentur. Postquam autem Domino confitentes, peruenerunt ad locum consummationis, inuidens Christianis malignus beneficium, persuadet lictoribus, vt prius abigerent pios, qui illic aderant, ne omnino fruerentur sanctificatione sanguinis sanctorum, qui effundebatur: & sic Martyrum capita amputarent. Sed sic quoque à spe decidit execrandus, & parum commodi accepit ex improbitate. Preciosæ enim sanctorum reliquiæ, Nazarii, inquam, & Geruasii cum sociis, à Christianis quibusdam, non sine Dei numine motis, clam ablatæ, depositæ sunt honorifice apud portam ciuitatis, quæ etiam vocatur Romana, quartodecimo mensis Octobris. Paulo post autem diuini Martyres in somnis apparent cuidam ex iis, qui erant amici Martyrum, iubentes, vt eorum corpora assumeret. Proprium est hoc sanctarum & benignarum animarum, non vt ipsi glorificentur (quomodo enim, qui propter eam, quæ illic est, beatitudinem, contempserunt omnem, quæ est hîc, gloriam?) sed vt piis ac religiosis prodessent inuentione. Ille autē visione

IX.

Nota quā antiquum apud Christianos Crucē se signare.

valde

valde lætatus, statim surgens, & cum veneratione illinc sanctas assumit reliquias, & domi suæ deponit. Nouit quod factum fuerat eius filia, quæ erat paralytica: nam aduentu Martyrum priorem recuperauit valetudinem. Atque latuit quidem Martyricarum reliquiarum thesaurus absconsus in eius ædibus, donec ad Magnum Theodosium, qui ex Iberia, quæ nunc Hispania dicitur, duxit genus, peruenerunt sceptra Romani imperii. Paralytica sanatur. Thesaurus reliquiarũ.

IV. CVM autem is post Dei hostem Valentem, à barbaris in Thracia interfectum, esset constitutus Imperator, & in Deum erat pius, si vllus alius, & Martyrum lætabatur honoribus: tunc quoque sacræ eorum reliquiæ, tanquam thesaurus, reconduntur in Ecclesia Mediolanensi, Nazarii, inquam, & Geruasii, Protasii & Celsii, inclytorum Christi Martyrum. Quinam autem fuerunt administri in transferendis & deponendis his reliquiis? Ambrosius ille virtute clarus, & qui tunc decorabat sedem Ecclesiæ Mediolanensis. Is primus est executus ministerium translationis, vt cui non illotis (quod dicitur) manibus, sed valde mundis munda fuerint credita. Præterea autem vniuersus Clerus, & omnes magistratus, linguis hymnos canentes, & quas manibus gestabant, lampadibus ea illustrantes, quæ tamen magis miraculis resplendebant, quam lampadibus. Nam cæci quidem manu deducti ad eas vsque reliquias, lucem statim adspexerunt, nec opus amplius habebant aliquo, qui eos manu deduceret: sed suos habebant duces oculos. Claudi, qui vix fuerant portati ab aliis, propriis suis reuertebantur pedibus, pernicibus ad currendum, & aptis ad saltandum. Leprosos, qui in templũ venerant, domus adspexit mundos, & quicunque à malignis detinebantur spiritibus, eos quoque licebat videre liberatos ab iis, qui ipsos vexabant: furiosaq; & amentia eorum verba, conuersa in gratiarum actionem: & communiter Christi Martyres laudibus celebrari & glorificari ab omnibus. In eos cum Magnus incidisset Theodosius, (tunc enim agebat Mediolani aduersus Tyrannum, Maximum, inquam, decertans) cum accepisset partes sacratum harum reliquiarum, pro quibuslibet spoliis aut manubiis, aut potius pro quibuslibet armis & munimentis, in vrbem detulit regiam, iis, quæ ipse vidit, miraculis confirmatus, & aduersus Scythas, socios inexpugnabiles assecutus Martyres. S. Ambrosius sacras martyrum reliquias transfert, &c. Miracula. Nota de Theodosio Imperatore

V. ANTE hanc magnam itaque ciuitatem eis excitat pulchrum & elegans templum, & in eo sacras Martyrum reliquias deponit, tanquam thesaurum super millia (diuinus dicit Dauid) auri & argenti. Eæ præter alia, vnguentorum quoque fontes emittunt abundantes, non solum corporibus salutares, sed eorum etiam, qui hauriunt, animas expurgantes: vt non solum habeant apud se Martyres ea, quæ acceperunt, sed aliis quoque sua bona communicent. Sic Christus hîc quoque eos glorificat, qui illum amauerunt. Talium certaminum tales dat remunerationes, quædam omnino proœmia illius supernæ beatitudinis. Cuius nobis quoque liceat esse particpes gratia sanctissimi & viuifici spiritus, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen. *Psalm.* 118.

ITEM DE SS. GERVASIO ET PROTASIO MARTYRIBVS, AVTHORE SS. AMBROSIO EPISCOPO, VT TESTANTVR VETVSTI MS. Codices, & viri doctissimi approbant.

AN. 170. Iuxta Baronium.

I. AMBROSIVS seruus Christi, fratribus per omnem Italiam, æternam in Domino salutem. In diuinis voluminibus reus scribitur, qui non studierit dare gratis, quod ipse gratis acceperit. Quicquid enim Domini Ecclesiæ profuturum erat, subtraxisse arguitur, cum noluerit tradere omnibus, quod ipse non celandum accepit. Vnde & Psalmographus vates canit: Iustitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam & salutare tuum dixi. Non celaui misericordiam tuam & veritatem tuam à concilio multo. Et pro hoc opere quasi vicissitudinem à Deo postulans, adiecit: Tu autem Domine ne elonges misericordiam tuam à me, quasi Deo diceret: Sicut ego feci alios misericordiam inuenire, ita & ipse non patiaris longe fieri misericordias tuas à me. Aperiamus ergo, cur ista præmiserimus, & vestros animos, qui pie de Deo sentitis & creditis, de inuentione sanctorum corporum ad lætitiam inuitemus. 19. IVNII. *Psalm.* 39.

II. IN diebus transactæ nuper Quadragesimæ, cum Dominus mihi donasset, vt ieiunantium & orantium me faceret participem, in oratione posito ita mihi somnus obrepsit, vt nec vigilans aperte, nec dormiens integre, viderem apertis oculis mecum duos iuuenes, ephebos, vestibus candidissimis, id est, collobio & pallio indutos, caligulis calceatos, manibus entensis orantes. Nullam quidem grauedinem patiens, loqui cum eis non poteram: sed vt dixi, pars in me somni incumbebat, qui me ad eorum interrogationem verbum proferre non sineret: plene autem euigilanti visio eorum ab oculis elapsa est. Vnde factum est, vt rogarem Domini misericordiam, vt si ludificatio dæmonum esset, abscederet: si vero veritas esset, plenius appareret. Ad impetrandum vero, quod poscebam à Domino, augmentaui ieiunium: similiq; modo, canente gallo, orantes mecum iuuenes apparuerunt. Tertia vero nocte, defecto ieiuniis corpore, non dormienti sed stupenti cum quadam mihi tertia apparuêre persona, quæ similis esset Beato Paulo, cuius vultum me pictura docuerat, vt tantum ipse mecum illis tacentibus loqueretur, dicens: Isti sunt, qui propter monita mea respuentes prædia & diuitias, secuti sunt Domini nostri Iesu Christi vestigia, nihil terrenum, nihilque carnale concupiscentes, in media hac Mediolanensi vrbe per decem annos in Dei seruitio perdurantes, ad hoc pertingere meruerunt, vt Christi martyres fierent: quorum corpora in eo loco inuenies, in quo stas & oras. Duodecim pedum altitudine terra coopertam arcam inuenies: quam arcam superius exaltabis, & in nomine eorũ ecclesiam fabricabis. Cumque eorum nomina ab eo requirerem, dixit mihi: Ad caput eorum libellum scriptum inuenies, in quo ortus eorum & finis scriptus est. Conuocans itaque omnes per circuitum fratres & coëpiscopos vrbium vicinarum, referens vniuersa, quæ videram & audieram, ipsis coram positis, primus ego terræ fossor accessi: cæteri Episcopi prosecuti sunt. Fodientes, peruenimus ad arcam, quam sanctus promiserat Paulus. Quam aperientes, inuenimus quasi ipsa hora positos sanctos, miro odore fragrantes. Ad quorum caput illum libellum inuenimus, in quo erant hæc per ordinem vniuersa conscripta. Visio S. Ambrosio oblata. Vsus imaginum tempore S. Ambrosii.

III. EGO seruus Christi Philippus, intra domum meam sanctorum corpora cum filio meo rapui & sepeliui: quorum mater Valeria, & pater Vitalis dicti sunt, quos vno ortu geminos genuerunt, & vnum Protasium, alium Geruasium vocauerunt. Quorum pater Vitalis erat militans consularis. Hic cum fuisset cum Paulino iudice suo Rauennam ingressus, & videret in conspectu iudicis sui Christianum, nomine Vrsicinum, arte medicum, natione Ligurem, post nimia tormenta capitalem accepisse sententiam: locus autem, vbi decollabantur Christiani, hoc habebat vocabulum, vt diceretur, Ad palmam, eo quod arbores antiquæ palmæ illic essent. Igitur cum, vt diximus, post nimia tormenta decollandus veniret ad palmam, expauit: & dum vellet male euadere, exclamauit Vitalis, dicens: Noli, noli Vrsicine medice. Qui alios curare consueuisti, teipsum æternæ mortis iaculo vulnerare vis? Qui per passiones nimias veniisti ad palmam, coronam perdere noli, tibi à Domino præparatã. Audiens hæc Vrsicinus, genu posuit, & spiculatorem, vt feriret, hortatus est: & agens pœnitentiam quod expauisset, Christi martyrem se fecit. Statimque ipse Vitalis corpus martyris rapiens, intra Rauennatium vrbem sepeliuit: & cum omni honore martyri debita explens obsequia, ad iudicem vltra venire contempsit. Quem Paulinus consularis iudex ideo teneri maxime mandauit, non tantum quia contempsit ad eum redire, quantum quod ita Christianus esse detectus est, vt etiam volentem Vrsicinum sacrificare, ne periret, ita instituit, vt rediret ad coronam martyrii, & Deo redderet margaritam preciosam, quam diabolus rapere studebat. Libellus de martyrio SS. Geruasii & Protasii. Vrsicini medici martyrium.

Martyrium S. Vitalis.

PAVLINVS igitur, iussit eum leuari in eculeo, vt per tormenta posset eius sensum ad sacrificandum idolis conuer- IV.
tere. Cui Vitalis ait: Infinita tibi dominatur stultitia, vt putes meipsum decipere, qui alios à periculo deceptionis liberare
studui. Tunc Paulinus consularis dixit ad officium suum: Ducite eum ad palmam, & si sacrificare contempserit, nolite
eum decollare: sed facite foueam in terra, quoadusque perueniatis ad aquam: & ibi eum supinum deponite, & terra at-
que lapidibus obruentes dimittite. Quod cum factum fuisset, Deus sibi Vitalem ita martyrem consecrauit. Sacerdos au-
tem Apollinis, qui hoc consilium Paulino dederat, à diabolo repletus est, ita vt per septem dies energumenus ibi clama-
rer, vbi obrutus erat sanctus Vitalis, dicens: Incendis me, sancte Vitalis martyr Christi, & crucias me. Post septem au-
tem dies præcipitatus à diabolo, in flumine expirauit. Sanctus autem Vitalis gloriosus martyr Christi, sepultus est iuxta
ciuitatem Rauennatium, præstans orationibus suis multa beneficia omnibus hominibus credentibus in Dominum, vs-
que in hodiernum diem.

Item S. Valeriæ.

VALERIA autem coniunx eius, cum vellet corpus S. Vitalis auferre, à Christianis prohibita est, & ab ipso in visio- V.
nibus sæpe admonita, ne sanctum corpus à malo homine bene positum violaret. Ipsa autem cum reuerteretur ad vrbem
Mediolanensium, idololatras Syluano sacrificantes incurrit: qui eam deponentes de saumario, hortabantur secum epu-
lari. At illa dicebat: Christiana sum: non licet mihi de Syluani vestri sacrificiis manducare. Illi vero hæc audientes, tanta
eam cæde mactauerunt, vt vix seminecem eam sui homines ad Mediolanensem vrbem perduxerent, ita vt intra triduum
migraret ad Christum.

Geruasius & Protasius dant sua pauperibus, &c.

CVMQVE ab intestato Geruasius & Protasius parentibus successissent, domum propriam & res parentum & casel- VI.
las venundantes, dederunt precium omne pauperibus & familiolæ suæ, quam etiam ingenuam fecerunt. Ipsi vero in
vno cœnaculo se concluserunt, & per decem annos lectioni & orationi & ieiuniis vacantes, hoc ordine in anno conuer-
sionis suæ vndecimo ad palmam martyrii peruenerunt. Eodem tempore superueniente Comite Astasio, qui proficisce-
batur ad bellum, quod à Marcomannis fuerat excitatum, occurrerunt illi templorum cultores cum sacerdotibus suis,
dicentes: Si vis lætus ad Augustos nostros reuerti & victor, Geruasium & Protasium sacrificare compelle. Vehementer
enim dii nostri de eorum contemptu commoti, dare nobis responsa contemnunt. Audiens hæc Astasius Comes, iussit
eos teneri & ad se adduci, quibus & dixit: Hortor vos & moneo, vt à deorum nostrorum iniuriis temperantes, ad immo-
landum eis deuoti studeatis insistere, vt expeditio mea vnanimiter celebretur. Geruasius dixit: Victoriam de cœlo debes
à Deo omnipotente requirere, non de simulachris mutis & vanis, quæ oculos habent sine lumine, aures sine auditu, na-
res sine odoratu, os sine sermone, manus sine tactu, pedes sine gressu: & ventrē sine interioribus probantur habere, & sine
flatu esse noscūtur. Tunc indignatus Astasius Comes, iussit eum tamdiu plumbatis contundi, quādiu exhalaret spiritum.

Geruasius necatur.

Quo amoto, iussit adstare Protasium, cui & dixit: Miser, vel tu viuere studе, & noli biothanatus fieri, sicut & frater tuus.

Biothanatus violenta morte occumbens.

Cui Protasius respondens, ait: Quis est miser, ego qui te non timeo: an tu, qui me timere probaris? Astasius Comes dixit:
Ego te, miser homo, quomodo timeo? Beatus Protasius dixit: In eo, quod times lędi à me, si nō sacrificauero diis tuis. Si e-
nim non timeres lædi à me, ad sacrificandū me non cōpelleres. Ego autem te non timens, cōtemno minas tuas, & omnia
idola tua velut stercora reputans, Deum solum qui regnat in cœlis, adoro. Audiens hæc Astasius Comes, iussit eum fusti-

Protasius fustibus cęditur.

bus cædi. Postea vero erecto eo, dixit ad eum: Miser homo, vt quid tā superbus & tam rebellis existis? Vis perire, sicut tuū
probasti germanum periisse? Protasius dixit: Non tibi irascor Astasi, nec ego, nec ipsa iustitia: quoniam cæcos oculos tui
cordis attendo. Incredulitas enim, quæ in tuis sensibus regnat, non te permittit videre, quod Dei est. Nam & Dominus
meus Iesus Christus crucifigentibus eum non maledixit: sed potius, vt eis indulgeretur, orauit, addens hoc, quia nesci-
rent quid facerent. Vnde & ego tui misereor, quia nescis quid facias. Nunc ergo age, quod cœpisti, vt mihi possit cum

Decollatur Protasius.

meo fratre hodie benignitas Saluatoris nostri occurrere. Tunc impiissimus Comes Astasius iussit eum capite cædi. Quod
cum factum fuisset, ego seruus Christi Philippus abstuli cum filio meo furtim nocte corpora sancta, & in domo mea, Deo
solo teste, & in ista arca marmorea sepeliui, credens me orationibus eorum consequi misericordiam Domini nostri Iesu

Nota de intercessione Sanctorum

Christi, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

AN. 387. *De eorundem sanctissimorum Martyrum inuentione Epistola S. Ambrosij ad Marcellinam sororem suam.*

Est Epist. 85.

DOMINÆ sorori, vitæ atque oculis præferendæ, frater. Quia nihil sanctitatem tuam soleo eorum præterire, quæ hîc I.
te gerantur absente, scias etiam sanctos martyres Geruasium & Protasium à nobis repertos. Nam cum basilicam
dedicassem, multi tanquam vno ore interpellare cœperunt, dicentes: Sic in Romana basilicam dedices. Respondi: Fa-
ciam, si martyrum reliquias inuenero. Statimque subiit veluti cuiusdam ardor præsagii.

QVID multa? Dominus gratiam dedit, formidantibus etiam clericis iussi eruderari terram eo loci, qui est ante II.
cancellos sanctorum Felicis atque Naboris. Inueni signa conuenientia, adhibitis etiam, quibus per nos manus imponen-
da foret: sic sancti martyres imminere cœperunt, vt adhuc nobis silentibus arriperetur vrna, & sterneretur prona ad lo-

Nota antiquam deuotionem.

cum sancti sepulchri. Inuenimus miræ magnitudinis viros duos, vt prisca ætas ferebat. Ossa omnia integra, sanguinis plu-
rimum, ingens concursus populi per totum illud biduum. Quid multa? Condiuimus integra ac ordine, transtulimus ve-
spere iam incumbente, ad basilicam Faustæ: ibi vigiliæ tota nocte, manus impositio. Sequenti die transtulimus ea in basi-
licam, quam appellant Ambrosianam. Dum transferimus, cæcus sanatus est. Talis mihi ad populum fuit sermo:

CVM tam effusam, tamque inauditam considerarem conuentus vestri celebritatem, & diuinæ gratiæ munera, quæ III.
in sanctis martyribus refulserunt, imparem me, fateor, huic muneri iudicabam, nec fieri posse, vt sermone absoluerem,
vix possimus animo intendere, oculis comprehendere. Sed vbi sanctorum legi cœpit series scripturarum, largitus est Spi-
ritus sanctus, qui locutus est in prophetis, quo dignum aliquid tanto cœru & expectatione vestra, martyrumque sancto-
rum meritis, proferamus: Cœli enarrant (inquit) gloriam Dei. Cum legitur sic psalmus, occurrit quod non tam elemen-

Psalm 18.

ta materialia, quam cœlestia merita, dignum Deo præconium deferre videantur. Hodierna tamen fortuita lectione pa-

Nota reliquias sacrosanctas.

tuit, qui cœli enarrant gloriam Dei. Adspicite ad dexteram meam, adspicite ad sinistram reliquias sacrosanctas, videtis
cœlestis conuersationis viros, spectantes animi sublimis trophæa. Isti sunt cœli, qui enarrant gloriam Dei. Hæc opera ma-
nuum eius annūciat firmamentum. Non enim eos sæcularis illecebra, sed diuini gratia operis ad firmamentum sacratis-
simæ passionis euexit. Multoque ante morum virtutumque documentis annunciauit in his martyrium, quod aduersus
lubricum sæculi huius stabiles permanere.

Philip. 3.
Marc. 3.
Iohan. 1.
Iob 26.

CÆLVM erat Paulus, qui ait: Nostra conuersatio in cœlis est. Cœli erant Iacobus & Iohannes, denique filii toni- IV.
trui nuncupantur: & ideo quasi cœlum Iohannes verbum apud Deum vidit. Ipse Dominus Iesus perpetui luminis erat
cœlum, cum enarraret Dei gloriam, sed eam, quā nemo ante conspexerat. Et ideo dixit: Deum nemo vidit vnquam, nisi
vnigenitus filius, qui est in sinu patris, enarrauit. Opera quoque manuum Dei si quæris, audi Iob dicentem: Spiritus diui-

Martyres veri dies.

nus, qui fecit. Et ideo aduersus diaboli tentamenta firmatus, inoffensæ vestigium constantiæ reseruauit. Sed veniamus
ad reliqua: Dies (inquit) diei eructat verbum. Ecce veri dies, quos nulla caligo noctis interpolat. Ecce veri dies, pleni lu-

minis

minis & fulgoris æterni. Qui non perfunctorio sermone verbum Dei, sed intimo corde eructarunt, in confessione constantes, in martyrio perseuerantes.

V. ALIVS psalmus lectus dicit: Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra? Respexit sane humilia Dominus, qui latentes sub ignobili cespite reliquias sanctorum, suæ Ecclesiæ reuelauit, quorum anima in cœlo, corpus in terra. Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem: Quos videtis, vt eos cum principibus populi sui collocarit. Principes populi, quos alios nisi sanctos martyres æstimare debemus, quorum iam in numerum, diu ignorati, Protasius Gerualiusque proferuntur, qui sterilem martyribus ecclesiam Mediolanensem, iam plurimorum matrem filiorum, lætari passionis propriæ fecerint & titulis & exemplis? Nec hoc abhorreat à vera fide. Dies diei eructat verbum, anima animæ, vita vitæ, resurrectio resurrectioni. Et nox nocti indicat scientiam, hoc est, caro carni, quorum passio veram fidei scientiam omnibus indicauit. Bonæ noctes, noctes lucidæ, quæ habent stellas. Sicut enim stella à stella differt in claritate, ita & resurrectio mortuorum. *Psalm* 112. *1. Cor.* 15.

VI. NON immerito autem plerique hanc martyrum resurrectionem appellant. Videro tamen, vtrum sibi, an nobis certe martyres resurrexerunt. Cognouistis, immo vidistis ipsi multos à dæmoniis purgatos: Plurimos etiam, vbi vestem sanctorum manibus contigerunt, his quibus laborabant, debilitatibus absolutos, reparata vetusti temporis miracula, quo se per aduentum Domini Iesu gratia ceteris maior infuderat, vmbra quadam sanctorum corporum plerosq; sanatos cernitis. Quanta oraria iactitantur? Quanta indumenta super reliquias sacratissimas, vt tactu ipso medicabilia reposcantur? Gaudent omnes extrema linea contingere, & qui contigerit, saluus erit. Gratia tibi Domine Iesu, quod hoc tempore tales nobis sanctorum martyrum spiritus excitasti, quo Ecclesia tua præsidia maiora desiderat. Cognoscant omnes, quales ego propugnatores requiram, qui propugnare possint, impugnare non soleant. Miracula ad sanctorũ reliquias.

VII. Hos ergo acquisiui tibi plebs sancta, qui prosint omnibus, nemini noceant. Tales ergo ambio defensores, tales milites habeo: Quorum quo maiora, eo tutiora patrocinia sunt. Horum etiam illis ipsis, qui mihi inuident opto præsidia. Veniant ergo & videant spectatores meos: talibus me armis ambiri non nego. Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri magnificabimur. Eliseum, scripturæ diuinæ series refert, cum ab exercitu Syrorum esset obsessus, dixisse timenti seruulo, ne timeret: quia plures (inquit) pro nobis sunt, quam contra nos. Et vt hoc probaret, petisse vt oculi Giezi aperirentur, quibus innumeros adesse vidit prophetæ exercitus angelorum. Nos etsi eos videre non possumus, sentimus tamen. Erant clausi isti oculi, quandiu obruta Sanctorum corpora delitescebant. Aperuit oculos nostros Dominus, videmus auxilia, quibus sumus sæpe defensi. Non videbamus hæc, sed habebamus tamen. Itaque trepidantibus nobis, quasi dixerit Dominus: Adspicite, quantos vobis martyres dederim: ita reseratis oculis gloriam Domini speculamur, quæ est martyrum passione præterita, & operatione præsens. Nota lector. Sancti sunt nostri propugnatores *Psalm* 19. *4. Reg.* 6.

VIII. EVASIMVS fratres non mediocrem pudoris sarcinam: patronos habebamus, & nesciebamus. Inuenimus vnum hoc, quo videamur præstare maioribus. Sanctorum martyrum cognitionem, quam illi amiserunt, nos adepti sumus. Eruuntur nobiles reliquiæ sepulchro ignobili, ostenduntur cœlo trophæa. Sanguine tumulus madet, apparent cruores triumphales, notæ inuiolatæ, reliquiæ loco suo & ordine repertæ, aurulsum humeris caput. Nunc senes repetunt, audisse se aliquando horum martyrum nomina, titulumq; legisse: perdiderat ciuitas suos martyres, quæ rapuit alienos. Etsi hoc Dei munus est, tamen gratiam, quam temporibus sacerdotii mei Dominus Iesus tribuit, negare non possum: quia ipse martyr esse nequeo, hos vobis martyres acquisiui. Succedant victimæ triumphales in locum, vbi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est: isti sub altari, qui illius redempti sunt passione. Hunc ego locum prædestinaueram mihi. Dignum est enim, vt ibi requiescat sacerdos vbi offerre consueuit. Sed cedo sacris victimis dexteram portionem: locus iste martyribus debebatur. Condamus ergo reliquias sacrosanctas, & dignis ædibus inuehamus, totumque diem fida deuotione celebremus. Acclamauit populus, vt in dominicum differretur diem martyrum depositio: sed tamen obtentum, vt sequenti fieret die. Sequenti die talis mihi ad populum iterum sermo fuit. Christus in altari hostia. Est ser. 91.

IX. HESTERNO die tractaui versiculum, Dies diei eructat verbum, prout nostri captus tulit ingenii: hodie mihi non solum superiore tempore, sed præsenti quoque prophetasse videtur scriptura diuina. Nam cum diebus ac noctibus continuatam videam sanctitatis vestræ celebritatem, istos esse dies prophetici carminis, oracula declararunt hesternum atque hodiernum, de quibus opportunissime dicitur: Dies diei eructat verbum: & istas nocte, de quibus aptissime disputatur, quia nox nocti indicat scientiam. Quid enim[a] aliud hoc biduo, nisi verbum Dei intimo eructastis affectu, & scientiam vos habere fidei probauistis? Cui tamen celebritati vestræ, qui solent, inuident. Et quia celebritatem vestram inuidis animis ferre non possunt, causam celebritatis odêre, atque intantum amentiæ prodeunt, vt negent martyrum merita, quorum opera etiam dæmones confitentur. *Psalm* 18. Et hic habes priscam Christianorum deuotionem. [a] Nota hæretice, & erubesce.

X. SED hoc non mirum. Siquidem tanta est incredulorum perfidia, vt tolerabilior sit diaboli plerunque confessio. Dicebat enim diabolus: Iesu fili Dei viui, quid venisti ante tempus torquere nos? Et cum hoc audirent Iudæi, ipsi tamen Dei filium denegabant. Et nunc audistis clamantes dæmones, & confitentes martyribus, quod pœnas ferre non possint, & dicentes: Quid venistis, vt ante tempus nos tam grauiter torqueatis? Et Arriani dicunt: Non sunt isti martyres, nec torquere diabolum possunt, nec aliquem liberare, cum tormenta dęmonum ipsorum voce probentur, & beneficia martyrum, remediis cæcorum, & absolutorum indiciis declarentur. Negat cæcum illuminatum, sed ille non negat se sanatum. Ille dicit: Video, qui non videbam. Ille dicit: Cæcus esse desiui, & probat facto. Isti beneficium negant, qui factum negare non possunt. Notus homo est, publicis cum valeret mancipatus obsequiis, Seuerus nomine, lanius ministerio. Deposuerat officium, postquam inciderat impedimentum. Vocat ad testimonium homines, quorum ante sustentabatur obsequiis. Eos iudices suæ visionis accersit, quos habebat testes & arbitros cæcitatis clamat, quia vt contigit fimbriam de veste martyrum, qua sacræ reliquiæ vestiuntur, redditum sibi lumen sit. *Matth* 8. Insigne miraculum ad tactum fimbriæ.

XI. NONNE simile illud est, atque illud, quod in Euangelio legimus? Vnius enim potentiam laudamus authoris, nec interest vtrum opus sit, an munus, cum & muneret in opere, & operetur in munere. Quod enim aliis faciendum donauerit, hoc in aliorum opere nomen eis operatur. Legimus ergo in Euangelio, Iudæos cum viderent in illo cæco sanitatis remedium, requisisse parentum testimonium. Interrogabant, Quomodo videt filius vester? cum ille diceret: Cæcus cum essem, modo video. Hoc & iste dicit: Cæcus fui, & modo video. Interrogate alios, si mihi non creditis: interrogate extraneos, & adstipulari mihi parentes putetis. Detestabilior istorum, quam Iudæorum pertinacia. Illi cum dubitarent, vel parentes interrogabant, isti occultè interrogant, palam negant, iam non operi increduli, sed authori. *Iohan* 3. Quod sanctis donat Deus vt faciant, hoc in eorum opere nomen eius operatur.

XII. SED quæro quid non credant, vtrum à martyribus possint aliqui visitari? hoc est Christo non credere. Ipse enim dixit: Et maiora his facietis: an ab istis martyribus, quorum merita iamdudum vigent, corpora dudum reperta sunt? Quæro hîc, vtrum mihi, an sanctis martyribus inuideant? Si mihi, nunquid à me aliquæ virtutes fiunt? Nunquid meo opere, meo nomine? Cur igitur mihi inuident, quod meum non est? Si martyribus (restat enim, vt, si mihi non inuidêt, martyribus inuidere videantur) ostendunt alterius fidei fuisse martyres, quam ipsi credunt. Neque enim aliter eorum operibus inuiderent, nisi fidem in his fuisse eam, quam isti non habent, iudicarent fidem illam Maiorum traditione firmatam, quam dæmones ipsi negare non possunt, sed Arriani negant. *Iohan* 14. Hîc plane iugulantur hæretici, dũ martyrum miraculis derogant.

AVDIVIMVS hodie dicentes eos, quibus manus imponebatur, neminem posse esse saluum, qui patrem & filium XIII.
& Spiritum sanctum negaret, qui Trinitatis omnipotentem virtutem non crederet. Confitetur hoc diabolus, sed Arriani nolunt fateri. Dicit enim diabolus: Sic torqueatur, quemadmodum ipse à martyribus torquebatur, qui Spiritus sancti deitatem negârit. Non accipio à diabolo testimonium, sed confessionem. Inuitus dixit diabolus, sed exactus & tortus. Quod nequitia supprimit, extorquet iniuria. Cedit diabolus plagis, & adhuc cedere nesciunt Arriani. Quanta perpessi sunt? &, quemadmodum Pharao, malis suis indurantur. Dicebat diabolus, vt scriptum legimus: Scio te, quis sis. Tu es filius Dei viui. Dicebant Iudæi: Nescimus, quis sit. Dicebant hodie & superiore die vel nocte dæmones: Scimus, quia martyres estis: & Arriani dicunt: Nescimus. Nolumus intelligere, nolumus credere. Dicunt dæmones martyribus: Venistis perdere nos: Arriani dicunt, Non sunt dæmonum vera tormenta, sed ficta & composita ludibria. Audiui multa componi: hoc nemo vnquam fingere potuit, vt dæmoniacum se esse simulet. (aliâs, dæmonem se esse simularet.) Quid illud, quod ita exagitari eos videmus, quibus manus imponitur? vbi hîc locus fraudi est, vbi suspicio simulandi? sed non ego ad suffragium martyrum vsurpo vocem dæmoniorum. Beneficiis sacra passio suis comprobetur. Habet iudices, sed purgatos: habet testes, sed absolutos. Melior vox est, quam sanitas loquitur eorum, qui debiles aduenerunt. Melior vox est, quam sanguis emittit. Habet enim sanguis vocem coronam, quæ de terris ad cœlum peruenit. Legistis, dicente Domino: Sanguis fratris tui clamat ad me. Et hic sanguis clamor coloris indicio sanguis clamat operationis præconio: sanguis clamat passionis triumpho. Satisfactum est petitioni vestræ, vt condendas hesterno, in hodiernum diem differremus reliquias.

Luc 4. Iohan 9. Hæretici dæmonibus peiores.

Genes 4.

CÆS. Baronius annal. tom. 4. anno 387. & in Martyrol. hoc die. Hac absoluta concione Ambrosius, sacra pignora, vt dicebat, suo loco recondidit; ita tamen, vt ex eis partem aliquam sibi seruaret, erogandam in diuersas Ecclesias, quę XIV.
ardentissimo studio eorundem sanctorum martyrum reliquias ex diuersis locis expeterent, vt in eorum honorem basilicas vel erigerent, vel in iam ædificatis reponerent. Allatæ sunt ipsæ quidem Romam, vbi nomine eorundem Sanctorum à Vestina nobili ac prædiuiti Fœmina erectus est Titulus, qui postea ab Innocentio Papa fuit dedicatus, id enim habet liber de Romanis Pontificibus in Innocentio. Accepit easdem quoque reliquias martyrum S. Paulinus, quas collocauit in nuper à se erecta Fundana basilica: testatur id ipse ad Seuerum scribens. Iusuper S. Gaudentius Brixianus Episcopus acceptas ab eodem Ambrosio ipsas reliquias condidit in basilica dicta, Concilium sanctorum: tradit id ipse in sermone quem habuit in eiusdem dedicatione. In Gallias quoque easdem perlatas fuisse reliquias, atque in honorem eorundem martyrum erectas esse memorias, affirmat Gregorius Turonensis. Fuerunt quoque eorundem martyrum reliquiæ perlatæ in Africam, ibique in Victoriana villa triginta millibus ab Hippone collocatæ, vbi ipsorum nomine erectam fuisse Ecclesiam S. Augustinus enarrat. Sed & Eugippius in actis S. Seueriniaffirmat, ad Noricos etiam peruenisse eorundem martyrum veneranda pignora.

Paulin. epist 12.

Greg. Tur. de gloria mart c 47. & histor. Franc. libr. 10. cap. 31. item Atm. l 2. c. 20. August. de ciuitate Dei libr 22. cap. 8

AN. 70. MARTYRIVM SS. VRSICINI ET VITALIS MARTYRVM RAVENNATVM, VT HABETVR PRIMO LIBRO HIERONYMI Rubei historiographi doctissimi de gestis Rauennatum.

19. IVNII. PRÆDICANTE Euangelium Dei apud Rauennates sancto Apollinare, multi Christianam religionem am- I.
plexi sunt, in quibus Vrsicinus maxime fuit, natione Ligur, medicus egregius, qui medicinam Rauennæ faciebat, Hîc ad Suetonium Paulinum virum consularem, multis Taciti & Plinii laudibus celebrem, Neronis, qui Claudio in imperium successerat, Vicarium, quod Christianus esset, delatus, cum inter pœnas & tormenta Christianum nomen integrum seruasset, pœna tandem capitali damnatus, cum ad mortem duceretur, nonnihil commoueri, animumque demittere, visus est. Quapropter Vitalis Mediolanensis, qui erat ex Paulini familia, eiusque prætorianus miles, Christi tamen assecla, & apud Paulinum pro Vrsicino dixerat, conspicatus metum hominis, cœpit hortari, ne qui in sanandis aliorum corporibus tam strenue insudasset, propriæ animæ salutem, quæ longe antecelleret corpori, parui duceret: mente recurreret ad cogitationem iucundissimam numinis diuini: sic futurum, vt ea calamitas, in sanctissima suauissimaque illius memoria conquiesceret.

S. Vitalis pusillanimum Vrsicinum confortat.

HVIVSMODI verbis magis animatus Vrsicinus, ad Palmam (qui locus, seu quod ibi palma arbor olim fuisset, seu II.
quod à victoriæ palma, ex religionis Christianæ hostibus adepta, ita dicebatur) prompte alacriterque accedit, ac intrepide mortem subiens, ad decimum tertium Calendas Quintiles obtruncatus, euolauit in cœlum. Statim autem perinde ac viueret, cadauer sanctum sese ex humo erexisse, caputq; ambabus manibus apprehensum, ad locum vbi ad sepulturam dandum erat, attulisse, à plerisque memoriæ proditum est: aliqui etiam addunt ex eius collo tres palmæ ramos enatos: cuius admirabilis rei memoria cum plene interiisset, diuo Vrsicino Rauennatum Archiepiscopo, ad eius martyris sepulchrum oranti, Vrsicinum hunc martyrem, caput manibus gestantem, tribus ex collo palmæ ramis prodeuntibus sese ostendisse: quamobrem ab eo die iussisse Archiepiscopum sanctum, quo perpetuo memoria seruaretur, eius imaginem hoc modo pingi: quod ad hanc diem cernitur.

S. Vrsicinus obtruncatur.

Miracula ad eius sepulchrum.

ALIQVORVM est etiam sententia, Vrsicinum hunc quinto Calendarum Maii capite abscissum, diemque ter- III.
tiumdecimum Calendarum Quintilis eum esse, quo è diui Vitalis templo, vbi diu iacuerat, ad D. Iohannis Baptistæ ecclesiam, multos post annos translatum est. Nam postridie eius diei Vitalis, sanctum cadauer, summa veneratione, ipsa in vrbe sepulturæ tradidit: maioremque deinceps Dei amorem animo concipiens, mortalia & caduca, ipsumque Paulinum Dominum, deserit, nulli rei, extra cœlestem patriam, inhians. Quapropter cum à Paulino accitus, accedere recusasset, iratus Paulinus, præsertim cum illum & Christianum iam esse, & quo minus Vrsicinus diis sacrificasset, feciisse cognouisset, in carceres Vitalem iubet contrudi, tormentis exquisitis subiici, & in eculeo poni: quæ cum omnia patienter fortiterque tulisset, ad Palmam ductus, cum sacrificare diis renuisset, ipsumque Martis simulacrum contumelia affecisset, Paulini iussu, & sacerdote Apollinis consulente, in fossam coniectus, in cuius fundo erat aqua, terra & lapidibus obrutus 4. Calend. Maii ad cœlestis vitæ præmia migrauit.

S. Vitalis carceri intruditur.

In fossam coniectus obruitur.

):o:(

An. 1000. *De S. Bonifacio Martyre, lege sequentem vitam S. Romualdi à §. XXIIX.*

VITA

VITA S. ROMVALDI ABBATIS, AVTHORE B. PETRO DAMIANO.

AN. 980.

Prologus.

ADVERSVM te, immunde munde, conquerimur, quia habes intolerabilem stultorum sapientium turbam, tibi facundam, Deo mutam. Habes qui per vanam eloquentiam, & inanem philosophiam se sciunt in superbiæ cornibus arroganter extollere: non habes, qui profuturum aliquid ædificationi proximorum, ad posterorum velit memoriam schedulis adnotare. Habes, inquam, qui in prætoriis iudicum, negotiorum secularium lites, & causarum iurgia continuis valeant declamationibus perorare: non autem habes, qui possit in sancta Ecclesia vel vnius sanctorum virtutem, & clara gesta describere. Sapientes siquidem sunt, vt faciant mala: bona autem facere nesciunt. Ecce enim tria iam fere lustra transacta sunt, ex quo beatus Romualdus, deposito carnis onere, ad æthérea regna migrauit, & nemo adhuc ex huius mundi sapientibus extitit, qui de tot mirabilis vitæ præconiis pauca saltem historico stylo digereret, & auidissimæ deuotioni fidelium satisfaciens, ad communem vtilitatem recitanda sanctæ Ecclesiæ traderet. Nobis autem in angusto cellulæ angulo residentibus, vtilius erat, sicut proposuimus, propria peccata ad mentis oculos assidue reuocare, quam alienæ virtutis historiam texere: magis expediret commissi reatus tenebras plangere, quã splendida sanctitatis insignia imperitis sermonibus offuscare. Veruntamen cum ad sepulchrum eius ex longinquis terrarum partibus toto anno, maximeque in eius festiuitate fidelium multitudo conueniat, miracula per eum diuinitus facta conspiciat, audire vitæ eius historiam desiderabiliter quærat, sed, vtpote quæ non sit, audire non valeat, non irrationabiliter pertimescimus, ne celeberrima eius fama, quæ adhuc populi totius ore depromitur, labente curriculo temporum, de memoria hominum penitus deleatur. Quapropter hoc timore compulsus, multorumque fratrum precibus, & germana charitate deuinctus, quod de prædicto mirabili viro ab egregiis eius discipulis didici, aggrediar, Deo authore, describere, vitæque eius initium, cursum & finem, nimirum imperitus homo, non historiam texens, sed quoddam quasi breue commemoratorium faciens, quibuscunque tentabo literarum apicibus exarare. Hoc autem vnum inprimis lectorem meum nosse desidero, quia non multa per eum facta miracula in hac ego descriptiuncula colligam, sed potius (quod ad ædificationem omnimodis attinet) conuersationis eius ordinem referre contendam. Beatus siquidem vir intantum se humilitatis tegmine à vento vanæ gloriæ custodiuit, quod vndecunque humanis oculis videri mirabilis potuit, studiosissima occultatione suppressit. Quæ tamen miracula etiamsi minime feciisset, mirabilem vitam ducens, minori veneratione dignus non esset. Neque enim præcursor Domini feciisse miracula legitur, quo maiorem nullum inter natos mulierum surrexisse Veritas ipsa testatur. Nonnulli enim Deo se deferre existimant, si in extollendis sanctorum virtutibus mendacium fingant. Hi nimirum ignorantes Deum nostro non egere mendacio, relicta veritate, quæ ipse est, de falsitatis ei putant se placere posse commento. Quos bene Hieremias redarguit, dicens: Docuêre linguas suas loqui mendacium: vt inique agerent, laborauerunt. Qui enim vltro oblatam simplicem veritatem referre facile poterant, in componendis quæ nesciunt, casso labore desudant. Et quo se pro Deo stare quasi adiutores autumant, eo reuera, vt falsi testes, contra Deum pertinaciter pugnant, Apostolo Corinthiis attestante, qui ait: Si Christus non surrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est fides vestra. Deinde subiungit: Inuenimur falsi testes Dei, quoniam diximus testimonium aduersus Deum, qui suscitauerit Christum, quem non suscitauit. Sed quia necessitate ad scribendum coacti, velut commoti, ista præmisimus, iam precibus eius, quo de loquimur, Deo opitulante, ad narrationis ordinem veniamus.

19. IVNII.

Ierem. 4.

Ex longinquis regionibus veniunt ad sancti viri sepulchrum.

Matth. 11.

Ierem. 9.

1. Cor. 15.

I. ROMVALDVS igitur Rauennæ ciuitatis oriundus, ex illustrissima Ducum fuit stirpe progenitus. Qui cum iam in adolescentiam peruenisset, cœpit in peccato carnis procliuis existere, quo videlicet vitio illa ætas impugnare homines, præsertim diuites, vehementius solet. Mente tamen Deo deuotus, frequenter se tentabat erigere, factutumq; se magnum aliquid proponebat. Nam si quando se ad studium venationis accingeret, vbicunque per syluas amœnum locum reperire poterat, mox se ad eremi desiderium eius animus accendebat, dicens intra se: O quam bene poterant eremitæ in his nemorum recessibus habitare: quam congrue possent hîc ab omni sæcularis strepitus perturbatione quiescere. Et ita mens cœlitus inspirata, iam diuinabat in amore, quod impleturus erat postmodum opere.

S. Romualdi patria & genus.

II. HVIC erat pater, nomine Sergius, mundo vehementer intentus, & omnino sæcularibus negociis implicatus: qui dum aduersus quendam propinquum suum exortis simultatibus pro possessione partis inimicitias exerceret, videns filium Romualdum in contentione mollescere, crimenque fratricidii medullitus formidare, minari cœpit exhæredem facere, si in eadem diutius sententia permaneret. Quid plura? Tandem vtræque inimicantium partes ex vrbe ad litis materiam proruunt, arma corripiunt, bellum sociale committunt: & dum cominus hincinde pugnatur, repente manu Sergii inimicus & affinis occiditur. Romualdus autem, licet nullum perempto vulnus inflixerit, quia tamen interfuit, pœnitentiam tanti reatus accepit: moxque ad Classense monasterium beati Apollinaris, more homicidarum, diebus quadraginta permansurus in luctibus, properauit. Illic autem districta se pœnitentia iugiter macerans, cœpit cum quodam conuerso quotidianum habere colloquium, à quo etiam iuxta mediocritatem sensus, bonæ exhortationis audiebat sæpe consilium. Quem cum conuersus frequenter admoneret, sæcularem vitam omnino postponere, & ad sanctæ conuersationis ordinem festinare, sed ad hoc mentem eius humiliare nullatenus posset, aliquando inter cætera velut gratulabundus intulit, dicens: Si tibi ego beatum Apollinarem corporali specie, ita vt eum manifeste videre possis, ostendero, quid à te præmii reportabo? Ad hæc Romualdus: Firma, inquit, & inuiolabili me obligatione constringo, quia mox, vt beatum martyrem videro, apud sæculum vlterius non manebo. Hortatur ergo conuersus, vt ipsa nocte Romualdus dormire postponeret, & vna secum intra ecclesiam in orationibus vigilaret. Cumque nocturno silentio longanimiter ambo in oratione persisterent, ecce circa gallicinium noctis beatus Apollinaris, his duobus manifeste videntibus, exiit de sub altari, quod in medio ecclesiæ ad honorem beatæ virginis Mariæ cernitur esse constructum. Visus est autem exire ab orientali parte, illinc videlicet, vbi marmor porphyreticum iacet. Confestim vero tantus splendor totam repleuit ecclesiam, ac si sol fulgoris sui radios intra ipsos parietes cohiberet. Tunc beatissimus martyr sacerdotalibus insulis mirabiliter exornatus, aureum in manu portans thuribulum, cuncta ecclesiæ incensauit altaria: & hoc facto, statim vnde exierat rediit, moxque omnis ille splendor prosequens apparere cessauit.

Pater eius.

Romualdi pœnitentia ob admissum à patre homicidium.

Visio eius.

Nota antiquum vsum altaria thurificandi.

III. CÆPIT itaque conuersus Romualdo, durus nimirum exactor, vehementer insistere, & vt adimpleret quod vltro promiserat, anxiè postulare. Cumque Romualdus adhuc resisteret, & eandem visionem denuo cernere flagitaret, alia nocte similiter in oratione persistunt, & beatum martyrem per omnia, sicut prius, adspiciunt. Vnde etiam postmodum si de corpore prædicti martyris aliquando quæstio oriretur, Romualdus penitus affirmabat, in ipsa ecclesia esse reconditum: & quandiu vir sanctus vixit, hoc proferre testimonium non cessauit. Habebat quoque Romualdus consuetudinem, ante præcipuum altare ecclesiæ orationi frequenter incumbere, ibique postquam fratres abscesserant, multis Deum satagebat gemitibus exorare. Dumque hoc quadam die post visionem attentius faceret, tanto mox diuini amoris igne mentem illius Spiritus sanctus accendit, vt in fletum repente prorumperet, vberes lachrymarum riuos restringere

stringere non valeret, monachorum se pedibus prostratus aduolueret, tradique sibi monachicum habitum inenarrabili desiderio flagitaret. Monachi vero dum patris eius duritiam metuunt, conuersioni illius aditum pandere non præsumunt. Honestus autem, qui tunc Rauennæ Archiepiscopalem cathedram obtinebat, olim Classensis cœnobii Abbas extiterat. Huncergo Romualdus impiger adiit, eique sui cordis desiderium patefecit. Qui alacer factus, castæ concupiscentiæ exhortationis stimulos addidit, fratribusq; vt eum suo collegio incunctanter ascisceren, imperauit. Huius itaq; patrocinio cœnobitæ suffulti Romualdum intrepida securitate suscipiunt, eiq; sanctæ conuersationis habitum tradunt.

Induit Romualdus habitum monasticum, An. 974.

IN eo igitur monasterio triennium fere transegit. Sed cum ibi cerneret nonnullos per lata gradientes, remissius vi- IV.
uere, sibi autem arduam perfectionis semitam, quam mens dictabat, arripere non licere, quid sibi agendum esset, solicite in semetipso cœpit inquirere, multisque cogebatur cogitationum fluctibus æstuare. Præsumebat autem leuiter conuersantium vitam dure corripere & sæpe ad eorum confusionem præcepta regulæ in testimonium conuocare. Cumque redarguendis eorum vitiis vehementer insisteret, illi autem iuuioris & nouitii verba pro nihilo deputarent, tandem hoc opprobrium non ferentes, dum propriam emendare vitam despiciunt, de corripientis morte tractare cœperunt. Solebat porro Romualdus per noctem cæteris fratribus maturius surgere, & si oratorii adhuc ianua clausa esset, intra ipsum dormitorium in orationibus excubare. Erat autem prædictum ædificium more solarii alte ædificatum. Hoc itaque inuenerunt filii Cain, diabolo dictante, consilium, vt dum Romualdus ante alios solito more consurgeret, ipsi eum per solarii speculam, verso deorsum capite, in terram præcipitarent. Quæ res postquam Romualdo per conscium conspirationis innotuit, ille iam de cætero intra cordis cubiculum, clauso oris ostio, orans Patrem suum, imminens periculum deuitauit. Quo quidem modo dum sibi cauit præcipitium corporis, fratribus, ne in animarum mortem corruerent, barathrum clausit iniquitatis.

Improbi monachi ei necem moliuntur.

CVMQVE in eiusdem animo perfectionis amor magis ac magis in dies cresceret, nullamque mens eius requiem V.
inueniret, audiuit quia in Venetiarum partibus quidam spiritalis vir esset, Marinus nomine, qui eremiticam duceret vitam. Consensu itaq; ab Abbate & fratribus nimirum facilime impetrato, ad præfatum venerabilem virum nauigio discurrente peruenit, & sub illius regimine degere humillima deuotione mentis instituit. Erat autem Marinus inter cæteras virtutes, vir simplicis animi, & syncerissimæ admodum puritatis, qui nullo quidem magisterio eremiticæ conuersationis edoctus, sed ad hanc solummodo bonæ voluntatis impulsu fuerat incitatus. Porrò autem hunc viuendi morem habebat, vt per continuum anni circulum tribus hebdomadæ feriis mediam panis buccellam, & pugillum fabæ gustaret: tribus vero vinum & pulmentum discreta sobrietate perciperet. Psalterium quidem per tres dies singulos totum canebat.

Degit apud Marinum eremitam, An. 977.

Marini abstinentia & preces.

Sed nimium rudis, & nullatenus vitæ singularis instructus, sicut ipse postmodum beatus Romualdus hilariter referebat, plerunque de cella exiens, vna cum discipulo passim per latitudinem eremi psallendo spatiabatur, nunc sub ista arbore vicenos, nunc sub illa tricenos, vel quadragenos concinens psalmos. Romualdus autem, qui sæculum idiota reliquerat, aperto psalterio, vix suorum versuum notas syllabatim explicare valebat, & hæc oculorum in ima deflexio, intolerabilem sibi importunitatem acediæ generabat. Marinus vero virgam in dextera gerens, Romualdo è diuerso sedenti, sinistram capitis partem sæpissime verberabat. Post multa autem Romualdus graui admodum necessitate compulsus, humiliter ait: Magister, si placet, à dextro me deinceps tempore percute, quia iam læuæ auris auditum funditus perdo. Tunc ille tantam eius patientiam admiratus, indiscretæ seueritatis temperat disciplinam.

EODEM vero tempore Petrus, cognomine Vrseolus, Dalmatici ducatus gubernabat habenas. Qui videlicet ad hu- VI.
ius fastigium dignitatis idcirco peruenerat, quia decessoris sui, Vitalis scilicet Candiani peremptoribus fautor extiterat. Cur autem ille à suis extinctus sit, non ab re esse arbitror, si seruatæ compendio breuitatis exponam. In coniugium germanam Hugonis magni illius Marchionis acceperat, & æmulatione leuiri suadente, multos ex Longobardiæ & Tusciæ rum partibus milites, profligatis pecuniarum stipendiis, acquirebat. Hoc autem Venetiarum incolæ non ferentes clam inière consilium, vt repentino impetu Ducis palatium armati violenter irrumperent, eumque cum omni domo sua in ore gladii absque vlla retractatione necarent. Huius vero conuenticuli coniuratione comperta, Vitalis Dux nocturnis diurnisq; vallatus excubiis, hostiles insidias ad nihilum redigebat. Illis autem hæc & illa tentantibus, sed ad inceptæ factionis effectum attingere non valentibus, tandem visum est, vt domum Petri, quæ Ducis palatio adiacebat contigua, prius incenderent, istoque modo & Ducem caperent, & vniuersa eius domestica concremarent. Istius vero rei experiendæ consensum à Petro, qui eorum consilii particeps fuerat, flagitantes, ita inter se pacti sunt, vt pro vna eius domo, quam igne consumerent, totam illius ditioni Venetiam subderent, & deiecto illo, quem exosum habebant, Ducem hunc loco eius protinus subrogarent. Hoc igitur modo Petrus Dalmatici regni adeptus est principatum, qui postmodum ambitionis suæ voluptate potitus, respectu diuinæ gratiæ demum corde compunctus est.

Petrus Vrseolus Dux vel rex Dalmatiæ.

Aliter hæc narrat Sabellicus. Vide Baron. anno 977. in initio.

Corde cõpungitur.

QVIDAM venerabilis Abbas Guarinus nomine, ex vlterioris Galliæ finibus orationis gratia per diuersas mundi re- VII.
giones peregrinari solitus erat. Hic igitur ad Ducem veniens, ab eo protinus, vt sibi ad euadendum tanti reatus periculũ consilium præberet, rogatus est. Itaq; accersitis Marino & Romualdo, hoc sibi communi iubetur sententia, vt sæpe dictum simul cum ipso, quem per nefas inuaserat, Ducatu relinqueret: quia alienæ potestatis dominium subiugauerat. Ille homo nimirum in potestate positus, quia conuersionem suam manifeste facere ausus non est, tutum putauit hoc vtendum esse consilio. Imminente igitur festiuitate sancti cuiusdam martyris, & cuius vocabulo basilicam in propria possessione adhuc priuatus habuerat, illuc pridie vxorem suam præmisit, ipse quasi mox secuturus, hoc ei præcipiens, vt & ornatum ecclesiæ accuratissimum prouideret, & secum venientibus sumptuosas epularum delicias in crastinum præpararet. Ipse autem post coniugem remanens, iis de suis thesauris, quæ sibi videbantur, ablatis, cum quodam suo familiari, Iohanne scilicet Gradenico, qui prædictæ coniurationis conscius fuerat, & cum tribus illis beatis viris, quos præmisimus, nauem ascendit, deinde in Galliam ad monasterium Abbatis Guarini magnus conuersus aufugit.

Petrus Dux fit monachus.

PETRO igitur & Iohanne monachis in sancti Michaëlis cœnobio factis, Marinus & Romualdus non longe à mo- VIII.
nasterio degentes, ad singularem vitam, cui assueti fuerant, reuertuntur. Quibus etiam ipsi iam dicti fratres, peracto vix annuo spatio, ad perferendam eiusdem solitudinis districtionem aggregati sunt. Interea Romualdus accenso mentis desiderio, cœpit de virtutibus in virtutes mirabiliter crescere, & reliquos fratres sanctæ conuersationis gressibus longius anteire, vt iam quicquid inter fratres siue de spiritualibus, siue etiam de corporalibus ipse decerneret, cunctis volentibus, eius omnino sententia præualeret. Ipse quoque Marinus gaudebat Romualdo esse deuotus, cui fuerat paulo ante prælatus. Per continuum itaq; annum Romualdus nihil aliud in cibum habuit, nisi tantum per singulos dies vnum pugillum elixi ciceris. Tribus vero annis ipse & Iohannes Gradenicus, sarculis terram frangentes, & triticum seminantes, ex manuum suarum labore vixerunt. Qui nimirum dum agriculturam exercebant, pondus ieiunii duplicabant. Impugnabat tamen diabolus Romualdum multis & variis tentationum immissionibus, maxime initio conuersionis, mentemq; eius per multa vitiorum incentiua raptabat, modo illi in memoriam reuocans, quæ & quanta, vtputa, vir strenuus, in sæculo acquirere potuit, modo quæ ingratis propinquis necdum post se concupiscibiliter hæreditanda reliquit, modo parua nimis & nullius meriti esse, quæ faceret, accusabat: modo tanti laboris horrorem incutiens, longæ vitæ spatium promittebat. O quam sæpe cellulam eius percutiens, eum, cum adhuc vix obdormisceret, excitauit, & quasi iamiam imminente crepusculo, per totam noctem vigilando perduxit. Per continuum ferme quinquennium super pedes eius & crura diabolus

Mox eremita.

Magna Romualdi abstinentia

Tentatur à dæmone.

Vide dęmo-

bolus nocturno tempore iacuit, & ne huc illucque se facile verteret, typo phantastici ponderis aggrauauit. Quis explicare valeat, quantum frementes vitiorum bestias pertulit? quam sæpe præsentes iniquos spiritus durissimis increpationibus effugauit? Vnde etiam si fratrum aliquis silentii tempore eius quauis necessitate compulsus adiret, statim miles Christi paratus ad prælium, solito more, ipsum esse existimans diabolum, claris vocibus increpabat, dicens: Quo tendis mosdo turpissime? quid tibi in eremo de cœlo deiecte? Recede, canis immunde: euanesce, coluber veternose. His igitur & huiusmodi verbis declarabat se cum malignis spiritibus in acie semper assistere, & fidei se armis accinctum, prouocantibus hostibus in campum protinus obuiare. nis improbitatem.

IX. Contigit autem, vt aliquando librum de vita patrum legens, in illum locum incideret, vbi continetur, quod quidam fratres per continuam hebdomadam singulariter ieiunantes, sabbatorum die pariter conuenirent, ipsoque & Dominico die ieiunii rigorem interponerent, & remissius victitarent. Quem viuendi ordinem statim Romualdus arripuit, & in eo quindecim fere annis vel eo amplius continua austeritate permansit. Petrus autem Dux, quia multis educari deliciis solitus fuerat, iamiam sub tam districti ieiunii pondere succumbebat. Vnde se ad pedes beati Romualdi humiliter strauit. Iussus vero vt surgeret, necessitatem suam cum verecundia coactus aperuit. Pater, inquit, quia magnum corpus habeo pro peccatis meis ex hac paximatii me edetare sustentare me non possum. Romualdus igitur fragilitati piè compatiens, consuetæ mensuræ quadram paximatii superaddidit, & sic labenti iam fratri, ne omnino deficeret, misericordiæ manum tetendit, & ad peragendum bene viuendi iter, quod cœperat, confirmauit. Hunc filius eius sibi æquiuocus, vir valde secundum sæculum prudens, aliquando visitauit. Cui pater, nescio vtrum Prophetiæ spiritu, seu reuelatione aliqua, quæcunque sibi essent euentura, prædixit. Noui, inquit, fili mi, proculdubio, quia Ducem te constituent, & prosperaberis. Tu tantummodo satage, vt & Ecclesiis Christi sua iura conserues, & erga subditos alicuius amore vel odio à iustitia non declines. Auget abstinentiam, sed Petrus Dux eam non potest imitari. Petri Ducis Prophetia.

X. Post hæc autem Romualdus legens, quia sanctus Syluester vrbis Romæ Episcopus, sabbatorum diem ieiunandum esse, vt reuera sancti Paschatis vigilias, instituerit, mox remissionem sabbati in quintam feriam commutauit, & sic infirmorum imbecillitati consulens, longum ieiunium discretione habita facilius reddidit, hanc nimirum viuendi regulam cunctis sectatoribus singularis vitæ præfigens, vt tunc se vnusquisque eremiticæ vitæ ieiunium tenere cognoscat, si per hebdomadã triduanas, aut biduanas ieiunando, quinta feria & Dominicis diebus olera, vel quodcunq; liquamen cum gratiarum actione percipiat, exceptis videlicet duabus anni Quadragesimis, in quibus non solum ipse, sed & pleriq; eius discipuli, totius hebdomadæ soliti erant continuare ieiunium. Et certe satis congruũ erat, vt qui Deum in choro laudare semper studebat & tympano, præcipuas modulationis harmonicę cõsonantias, diapason videlicet, & diapente; atq; diatesseron, iugiter in aures incircumscripti luminis personaret. Ieiunare autem omnino, hoc est, diem sine vllo cibo transigere, licet ipse sæpissime fecerit, aliis omnino prohibebat. Itaque semper esuriit, quatenus hoc modo carnem consuetudinem lenigaretur, quod graue nouitiis initio conuersionis apparet. Paruipendebat autem, si quis ad tempus magnum quid inciperet, si non etiam in eo longanimiter perseueraret. Canon ieiuniorum, à S. Romualdo præfixus.

XI. Vigilias vero temperate & cum magna discretione faciendas maxime suadebat, ne cui fortasse contingeret, vt sopori, paratis nocturnis officiis, consentiret. Sane huiusmodi somnum vir sanctus in tantum habebat exosum, vt si quis ei confiteretur, post duodecim psalmorum vigilias, vel maxime circa diluculum obdormisse, nequaquam posset eo die cum eius licentia sacra Missarum solennia celebrare. Dicebat enim melius esse, si possibile sit, vnum psalmum ex corde & cum compunctione cantare, quam centum cum mentis fabulatione percurrere. Cui autem hæc gratia perfecte data non esset, hortabatur tamen, nequaquam vel ab ipsa corporali exercitatione tepescere, donec ipse qui voluntatem dederat, tribueret etiam aliquando facultatem. Tantummodo orationis incessum mentis intentio in Deum semel fixa custodiat, quem exterius veniens cogitationum aura perturbat. Vbi enim est intentio recta, contra voluntatem cogitatio veniens non est nimium formidanda. Vigiliæ nocturnæ.

XII. Quodam vero tempore dum adhuc in Galliæ finibus moraretur, familiarem sibi quendam habebat agricolam, qui sibi & vtensilia, quibus in cella opus est, aliquando faciebat, & si quid ei opportunum esset, ditior charitate, quam rebus de suæ paupertatis inopia hilariter ministrabat. Huius vaccam Comes quidam superbus & tumidus, missis parasitis, impetu barbarico rapuit, eiusque carnes sibi ad prandium cum magna gulæ auiditate præparari præcepit. Ecce autem rusticus cellam Romualdi festinus aggreditur, iacturæ suæ casum clamosis vlulatibus vociferatur, spem suam & suæ domus ablatam esse conqueritur. Sanctus itaque Romualdus ad eundem Comitem concito gradu nuncium dirigit, & vt pauperi animal suum reddat, humillima supplicatione deposcit. Cuius preces lubricus Comes proteruo spiritu respuit, & quem saporem crassi vaccæ lumbi potuissent habere se ipso die gustaturum esse asseruit. Aduentiente autem hora prãdii, apposita mensa, vaccæ carnes allatæ sunt. Sed & diuinæ vltionis iam imminente sententia, in ipso edendi initio Comes frustum bouini lumbi abscindens, sibi in os misit. Quod repente in ipsius gutture tam immobiliter hæsit, vt nec ad interiora descendere, nec foras eiici vllis conatibus posset. Sicque inter suorum manibus intercluso spiraminis aditu, terribili morte necatus est: & vnde contra Dei seruum concupiscentiam carnis explere ad saturitatem voluit, inde iusto Dei iudicio carnalem vitam adhuc ieiunus amisit. Horrenda mors crudelis Comitis.

XIII. Alius quidam Comes, Olibanus nomine, in eisdem Galliarum partibus erat, sub cuius iure monasterium prædicti Guarini Abbatis fuerat positum. Qui sublimi quidem culmine terrenæ potestatis erectus, sed multis erat peccatorum molibus aggrauatus. Hic aliquando Romualdum gratia visitationis adiit, & cæteris extra cellulam manentibus, solus cum solo gestorum suorum seriem narrare quasi per confessionem cœpit. Cui vir venerabilis, his quæ ab eo referebantur auditis, respondit, aliter eum saluari minime posse, nisi mundum relinquens, ad monasterium conuolaret. Comes autem mox mente turbatus, ait, quia sui spirituales viri, qui etus acta cognoscerent, nequaquam itaque sentirent, neque tam intolerabilem rem sibi aliquando suaderent. Assciti itaque Episcopis & Abbatibus, qui secum venerant, cœpit in commune perquirere, si ita res, sicut Dei seruus testebatur, se haberet. Illi autem beati Romualdi sententiam omnes vna voce confirmant, se vero id Comiti eatenus non dixisse, terrore constrictos excusant. Tunc Comes semotis omnibus, hoc cum beato Romualdo secreto valde consilio pepigit, vt ad Cassinum montem sub prætextu orationis pergeret, & in monasterio S. Benedicti diuino se seruitio irreuocabiliter manciparet.

XIV. Interea Sergius pater Romualdi monachus efficitur, sed aliquanto post suadente diabolo, factæ conuersionis pœnitens, in Ægyptum redire conatur. Quod protinus monachi cœnobii sancti Seueri, quod non longe ab vrbe Rauenna est positum, vbi corpore, non corde Sergius habitabat, beato Romualdo indicare per nuncium studuêre. Hac ille sinistra relatione perculsus, necessarium esse decreuit, vt Guarinus Abbas & Iohannes Gradenicus vna cum Comite ad eius conuersionem pergerent, ipse vero pereunti patri quantocius subueniret. Petrus autem Dux extremum iam diem feliciter clauserat. His itaque duobus Comitem in eorum fidem commisit, vtrique quidem, sed Iohanni præcipue, qui ei subditus erat, per obedientiam specialiter mandans, vt etiamsi Guarinus abscederet, ipse se nunquam à Comite separaret. Audientes autem illius regionis incolæ, quia Romualdus abire disponeret, nimio mœrore turbati sunt. Et tractantes intra se, qualiter ab hac illum intentione reprimerent, hoc illis tandem potissimum visum est, vt eum missis interfectoribus impia pietate perimerent, quatenus quia ipsum non poterant retinere viuentem, haberent pro patrocinio terræ. Sergius pater S. Romualdi fit monachus. Præposterapietas quorundam.

terræ vel cadauer exanime. His vero cognitis, Romualdus caput suum vndique decaluauit, & huius rei executoribus ad cellam eius iam appropinquantibus, primo fere diluculo comedere quasi per auiditatem cœpit. Illi autem hoc videntes dementiam credidêre, & arbitrantes mentem delæsam esse, corpus lædere dedignati sunt. Sic videlicet, sic prudens spiritualis Dauid insania stultam carnaliter sapientium superauit astutiam. Nam & volentes peccare cohibuit, & ad meritorum suorum cumulum sine mortis formidine mortis periculum declinauit.

1 Reg 21.

XV. DEINDE iam libera vti facultate permissus, non equo fultus, non vehiculo deportatus, sed solum in manu ferens baculum, nudis plantis ex intimis Galliarum finibus Rauennam vsque peruenit, ibique patrem ad sæculum reuerti volentem reperiens, in ligno pedes eius fortiter strixit, clauibus duris affixit, & tamdiu corpus eius pia seueritate perdomuit, donec eius mentem ad salutis statum, Deo medente, reduxit. Sergius igitur tandem sanæ mentis recepto consilio, quicquid prius retrograda voluntate deliquit, multipliciter postmodum rectis sanctæ conuersationis gressibus emendauit. Habebat denique inter cætera consuetudinem, ante quandam Saluatoris imaginem frequenter assistere, ibiq; peculiarius orans, vberibus lachrymis & multa se cordis contritione macerare. Quadam igitur die dum ibi attentius in oratione persisteret, (noua res & nostris temporibus inaudita) repente sibi nescio qua specie Spiritus sanctus apparuit. Qui protinus à Sergio interrogatus, manifeste, quia ipse esset Spiritus sanctus, asseruit: & subito quasi pertransiens, ab oculis se adspicientis euasit. Statim ille in ecstasim raptus, atque eius, quem viderat, igne succensus, cœpit per claustrum monasterii post eum velociter currere, fratresque, qui illic aderant, magno feruoris impetu, quo Spiritus sanctus abisset, interrogare. Illis autem in insaniam eum cecidisse putantibus, atq; illum dure corripientibus, asserebat Sergius se Spiritum sanctum absque vlla dubietate vidisse, & ante suum conspectum visibiliter transisse. Qui statim languore correptus, lecto decubuit, & intra paucos dies felici consummatione vitam finiuit. Hinc sane probatur, quod diuina voce ad Moysem dicitur: Non enim videbit me homo, & viuet. Hinc Daniel cum non Deum, sed visionem Dei se conspexisse diceret, addidit: Et langui, & ægrotaui per dies plurimos. Recte igitur Sergius, postquam æternam vitam, quæ Deus est, cernere meruit, à temporali mox vita defecit.

Patrem suũ retinet seueritate in monasterio

Sergio apparet Spiritus sanctus.

Exod 33.

Dan. 8.

XVI. OLIBANVS autem Comes sua relinquens filio, cum multa diuitiarum copia, quindecim scilicet onustis thesauro sagmarus, comitantibus eum Guarino & Iohanne, atque etiam Marino, ad beati Benedicti se monasterium contulit, & valedicens his, qui secum venerant, nil tale de eo vsque tunc suspicantes, multis gemitibus & amaris se fletibus affligentes, ad propria remeare coëgit. Marinus autem paulo post Apuliam versus abiit, ibique postmodum in solitudine habitans, ab Agarenis est latrunculis interfectus. Breui post tempore Guarinus, orationis causa discurrere solitus, Iohannes vero fratris exemplo ad idem religionis officium prouocatus, Hierosolymam commeare pari consilio decreuêre. Hoc igitur Olybanus cognito, tristis & flens obsecrare deuotissime cœpit, ne se violata fide desererent, sed sicut beatus Romualdus præceperat, in Dei illum seruitio custodirent, addens etiam: Memento tu saltem Iohannes, quia magister tuus in tua me propensius fide commisit, & titulum tibi inobedientiæ, si discedis, opposuit. Illi autem obstinata intentione in proposito persistentes, relicto tandem Olibano, peregrinationis iter arripiunt. Cum autem descendentes de monte, iam in campestria declinassent, figentes se loco, necessarium aliquid inter se tractare cœperunt. Inter agendum vero, subito Guarini equus furioso rotatus impetu, in aliam partem inuito sessore diuertit, & Iohannis tibiam ferrato calce percutiens fregit. Qui illico ad terram nimio dolore prostratus, iam sero memor, magistri præcepta ad mentem reuocat, & se perfidum, se inobedientiæ reum, verbis publicæ confessionis accusat. In fracto namque crure didicit, quia fidem frangere, peccatum fuit. Et quia ipse rationis capax, magistro inobediens extitit, ad incolumitatis suæ custodiam irrationale animal sessori obedire nesciuit. Deinde illuc, vnde venire cœperat, rediens, cellam sibi ædificari prope monasterium petiit, ibique per triginta fere annos, quandiu vixit, in sancta conuersatione permansit. Multa in eo charitas, mira humilitas, abstinentia vero districta nimis & cauta, ita vt nec infra claustrum monasterii quisquam sciret, qualiter vir sanctus ieiunaret. Inter reliqua autem virtutum dona ita exosum habebat detractionis vitium, vt mox, cum quis ad detrahendum os aperiret, velut sagitta rigore lapidis repercussa, in dirigentem protinus redundat, ita ab eo illius obtrectatio reprimeretur. Post vero eius obitum nonnulla per eum miracula diuinitus facta sunt.

Olibanus Comes fit monachus.

Pœna inobedientiæ.

Iohannis Gradenici virtutes.

XVII. ROMVALDVS autem post patris correctionem, in palude Classensi cellulam figens in loco, qui Pons Petri dicitur, habitauit. Postmodum vero non corporis ægritudinem metuens, non fœtoris nauseam perhorrescens, sed ne imbecillitatis occasione vel parum quid ab abstinentiæ rigore remitteret, ad Classem prædium, vbi est ecclesia beati Martini, quæ dicitur in Sylua, migrauit. Ibi vero quadam die dum completorium caneret, quia antiquum illic cœmeterium fuerat, subito illi (vt sæpe fit) ex improuiso quædam cogitatio incidit, moxque eius animum magnus phantasticæ illusionis horror inuasit. Cumque hoc crebrius in mente reuolueret, ecce maligni spiritus repentino impetu cellam eius ingressi, protinus illum in terram sternunt, immani eum cæde conficiunt, & exhaustis longo ieiunio membris durissimos ictus illidunt. Tandem Romualdus inter ipsa percussionum verbera respectu diuinæ gratiæ visitatus, in hanc vocem erupit: Chare Iesu, dilecte Iesu, quare me dereliquisti? Nunquid omnino me inimicorum manibus tradidisti? Ad hæc omnes iniqui spiritus diuina virtute fugati sunt, & continuo tanta diuini amoris compunctio Romualdi pectus accendit, vt totum cor eius in lachrymas quasi cera liquesceret, & de tot allisionibus sancti corporis nil sentiret. Mox sanus & validus de terra surrexit, & licet impediente adhuc sanguine, ad eundem psalmi versum, quem reliquerat, rediit. In ingressu quippe dæmonum fenestra cellulæ in frontem illius impegit, in qua manifesta postmodum cicatrix occalluit, quæ eiusdem vulneris indicium, quamdiu vir sanctus vixit, ostendit.

Dæmones cædunt Romualdum.

Diuinitus sanatur.

XIX. IAM igitur miles Christi assuetus bello, robustiorque effectus, studebat quotidie ad maiora proficere, de viribus in vires crescere, & semper semetipso fortior, nullam iam poterat eneruati hostis insidias formidare. Sæpe enim sibi in cella residenti velut teterrimi corui & vultures, iniqui spiritus videbantur assistere, & quasi ad custoditum animalis cadauer, quia non audebant accedere, cogebantur eminus adspectare. Sæpe se in figuris Æthiopum, sæpe per diuersorum animalium species ostendebant. Quibus clarus Christi triumphator insultabat, dicens: Ecce paratus sum: venite, & si qua in vobis est virtus, ostendite. Nunquid iam omnino deficitis? Nunquid iam victi estis, & aliquas contra Dei seruulum certandi machinas non habetis? His denique & huiusmodi verbis confundens iniquos spiritus, confestim eos velut missis totidem iaculis effugabat. Videns ergo diabolus, quia per semetipsum contra Dei famulum præualere non posset, ad callida argumenta conuersus, quocunque vir sanctus ibat, discipulorum eius animos aduersus eum in malitiam excitabat: vt quia retentari eum ab accenso sui feruoris impetu impossibile fuerat, saltem alienæ salutis cura compesceret: & quia ipse ab hoste superari minime posset, vel ex aliis victoriam non negaret.

Dæmones eum terrere nituntur.

XX. ALIQVANDO namque ad locum, qui Balneum dicitur, in Saxenati videlicet territorio constitutum transiuit. Vbi etiam non pauco tempore commorans, monasterium ad beati Archangeli Michaëlis honorem construxit, à quo non longe cellam, in ea habitaturus, ædificauit. Illuc autem Hugo Marchio septem sibi pro necessitate misit nummismatum libras. Quas ille, vt bene prodigus misericorditer dispensaret, accepit. Audito itaque, quod monasterium Palatioli fuisset igne consumptum sexaginta solidos de prædicta pecunia fratribus in adiutorium direxit: reliqua autem, vt in simile opus expenderet, reseruauit. Cognito hoc, monachi sancti Michaëlis, beluino contra eum furore commoti sunt: tum, quia

Construit monasterium.

Monachi eũ expellunt.

quia prauis eorum moribus contrarius iam ex multis annis extiterat: tum, quia, quæ illi deferebantur, non eis omnia, sed quædam aliis impendebat. Facta igitur conspiratione, vnanimiter cellam eius cum fudibus & phalangis irrumpunt, verberibus eum multis afficiunt, & direptis omnibus, turpiter dehonestatum, de finibus suis expellunt. Cùm itaq; sic eliminatus abiret, & nimia tristitiæ vis in mentis eius iam interiora descenderet, hoc apud semetipsum deliberat, vt iam decæterò suæ contentus, alienæ salutis curam omninò postponat. Post hanc verò cognitionem tantus animum eius terror inuasit, vt si in eo, quòd mente conceperat, obstinatè persisteret, periturum se, damnandumque diuino iudicio nullatenus dubitaret. Monachi eum expellunt.

XX. MONACHI autem compotes diù desideratæ vltionis effecti, & quasi proiecto grauiore leuigati, hoc quod in Dei famulum egerant, multis inter se laudibus efferunt, & immoderatum ludum atq; cachinnum se, lætitia lenocinante, resoluunt: deindè etiam, vt tanti gaudij solennitatem quodammodo iucundissimam faciant, sumptuosas deliciarum copias sibi ad conuiuium parant. Erat verò tunc hyems, quæ non solùm vicissitudini temporum, sed frigidis quoq; eorum mentibus aptissimè congruebat. Vnus autem ex eis, qui in beatissimum Christi famulum sæuior fuerat, mel acquirere, vndè mulsum epulantibus faceret, satagebat. Cumq; Sapin fluuium hoc studio transmearet, offendentibus in plancas pedibus, subitò de ponte deijcitur, & fluuiali foragine funditus absorbente raptatus extinguitur, iusto videlicet Dei iudicio, vt turbida illum aqua satiaret ad mortem, qui in eo, quod flere debuerat, mellis dulcedinem ad vitæ concupierat voluptatem. Nocte verò, dum omnes ex more quiescerent, descendente crebra niuium multitudine, repentè tota communis ædificij super eos fabrica corruit, & alteri caput, alij brachia, alij crura, vel quælibet alia membra contriuit. Vni etiam eorum oculus euulsus est, & meritò diuisionem corporeæ lucis pertulit, qui diuisus à proximo, etiamsi alterum haberet, geminæ charitatis vnum lumen amisit. Diuinitùs puniuntur monachi illi.

XXI. ALIQVANDO autem vir sanctus non longè mansit à Caria. Cumq; ibi aliquamdiù moraretur, manifestè sibi beatus Apollinaris apparuit, & quatenus ad suum monasterium pergeret, ibiq; potiùs habitaret, ex magna authoritate præcepit. Quod vir sanctus nequaquam negligendum ducens, locum, in quo morabatur, sine cunctatione deseruit, & quo missus fuerat, impiger festinauit. Inclusus est etiam quodam tempore vir venerabilis in palude Commiaclensi, quæ dicitur Origarium: vndè postmodùm præ nimio palustris cœni fœtore & corrupto aëre, ita totus tumefactus & depilatus exijt, vt nequaquam eadem, quæ inclusa fuerat, species videretur. Nam & caro eius tota eatenùs erat viridis, vt tanquam stellio discolor appareret. Alio quoq; tempore in insula, quæ Peretum dicitur, habitauit, quæ videlicet insula à Rauenna vrbe duodecim ferè millibus distat. Ibi vero dum in cella cum quodam venerabili viro, suo nimirùm discipulo, Guillelmo nomine, moraretur, angusti parietes habitaculi repentè flamma corripuit, deindè ad alta conscendens, dominari per tecta liberis iam viribus cœpit. Protinùs vir sanctus ad solitæ defensionis argumenta confugiens, non quæ ibi erant reposita, foras extrahere, non vt mos est, tecti scindulas dissipare, non aquarum abundantiam spargere, non vllis impulsus est ad extinguendos ignes nisibus anhelare, sed solummodo orationem fudit, & confestim stridentes ignium globos diuina virtus extinxit. Ex palustri loco valdè affligitur. Precibus domat flamas.

XXII. EODEM vero tempore iunior Ottho Imperator Classensem Abbatiam ordinare desiderans, optionem fratribus dedit, vt quem sibi vellent, indubitanter deligerent. At illi continuo vnanimiter expetunt Romualdum. Imperator autem diffidens beatum virum ad regiam aulam euocari posse per nuncium, ire ad eum per semetipsum voluit, & ad cellam eius sole iam occidente peruenit. Cui Romualdus, quia magnum hospitem in parua domo susceperat, lectulum suum ad quiescendum dare dignatus est. Coopertorium tamen Rex noluit, quia asperrimum iudicauit. Manè autem facto, Rex eum secum ad palatium duxit, tandemq; ei instare, vt Abbatiam susciperet, multis precibus cœpit. Qui cùm reluctaretur, & regiæ petitioni assensum penitùs denegaret, Rex autem è contrario excommunicationem & anathema ab omnibus Episcopis, Archiepiscopis & toto synodali concilio minaretur, tandem imminente necessitate succubuit, & animarum regimen coactus accepit. Referebat tamen hoc sibi nequaquam videri nouum, sed antè quinquennium sibi fuisse diuinitùs reuelatum. Regebat itaq; monachos sub districta regulæ disciplina, neq; alicui ab ea declinare licebat: non deniq; nobilis, non literis eruditus per actus illicitos in dextram, læuamq; partem deflectere, vel à rectæ conuersationis audebat rectitudine deuiare. Vir namq; sanctus cordis oculos in cœlum figens, vt Deo in omnibus obtemperaret, non timebat hominibus displicere. Ottho Imperat. eum inuisit. Classensi Abbatiæ inuitus præficitur. A 996

XXIII. HOC autem fratres sero considerantes, semetipsos priùs accusant, quia hunc sibi præesse popposcerant: deindè multis eum detractionum susurrationibus lacerant, & duris scandalorum aculeis vexant. Romualdus itaq; videns, & suam perfectionem aliquatenùs minui, & illorum mores procliuiùs in deteriora conuerti, Regem impiger adijt, & non leuiter reluctante vnà cum Archiepiscopo Rauennate, in vtriusq; conspectu virgam proiecit, & monasterium dimisit. Porro autem Rex Tiburtinam tunc ciuitatem obsidebat. Ciues enim inclytum eius Ducem, Matholinum nomine, interfecerant, ipsum quoq; regem correptis armis, à suis exturbauerant. Vndè non dubium est, beatum Romualdum illuc ex diuina prouidentia missum, qui imminens tot animarum periculum, sequestra pace deleuit. Hoc etenim inter eos pactus est, vt Tyburtes ad honorem Regis murorum partem diruerent, ac obsidem darent: Ducis vero interfectorem ad eius matrem catenatum dirigerent. Quæ sancti viri fusis ad eam precibus mitigata, crudeli homicidæ crimen indulsit, & incolumem ad propria redire permisit. Ea cura se abdicat.

XXIV. FECIT quoq; venerabilis vir apud Tyburalium boni operis fructum, quem silentio prætereundum esse non arbitror. Quidam namq; beatus, Venerius nomine, habitare primitùs in monasterio cœpit cum tanta humilitate & simplicitate, vt omnes illum fratres subsannando despicerent, & delirum eum atq; dementum esse putarent. Alij enim illum sæpè colaphizare, alij sordida, qua lebetes lauabantur, aqua perfundere, alij diuersis eum solebant conuiciorum iurgijs lacerare. Cumq; ille se perpenderet inter tot aduersa tranquillum suæ mentis statum seruare non posse, consortium deserens, in solitudinem properauit. Vbi per sex annos absq; vino omniq; pulmento sub nimiæ districtionis ariditate permansit. Qui Romualdo interroganti, sub cuius regimine obedientiam exhiberet, respondit se alieno solutum imperio, hoc sequi, quod sibi vtilius videretur. Cui Romualdus ait: Si Crucem Christi portas, superest vt Christi obedientiam non relinquas. Vade igitur, & consensu à proprio Abbate suscepto, reuertere, ac sub eius dominio humiliter viue: quatenùs sancti operis ædificium, quod bona voluntas ædificat, humilitas erigat, atq; obedientiæ virtus extollat. Hæc & multa alia ædificationis monita proferens docuit eum qualiter cogitationibus suis resistere, qualiter posset iniquorum spirituum infestationibus repugnare: & ita confirmatum & instructum, in multa eum alacritate reliquit. Ille igitur sancti viri documenta gratanter amplectens, Abbatem suum protinùs adijt, consensum accepit, & ad dilectam solitudinem quantocyùs remeauit. Volens autem in possessione sui monasterij habitare, ascendit in quoddam saxum, nullis hominum vestigiis peruium, & ab humana penitus conuersatione remotum, ibiq; per quatuor annos, omni humano solatio destitutus, singulariter habitans, exceptis tribus buccellis, quas de monasterio secum detulerat, non panem comedit, non vinum bibit, non coctum aliquid omnino gustauit, sed solis arborum pomis & herbarum radicibus vixit. Erat autem in eodem saxo quædam concauitas, vbi colligebatur aqua in hyeme, ex qua vir sanctus tota bibebat æstate. Tandem cognito, quod ibi seruus Dei moraretur, cœpêre ad eum multi confluere, ciborum alimenta deferre, & quæcunq; sibi quasi necessaria ministrare. Quorum ille nul- Nota de obedientia. Venerij eremitæ mira abstinentia.

Felix obitus eius.

lius indigens, cuncta pastoribus pecorum & aliis indigentibus exhibebat. Exhortante autem loci Episcopo, basili-
cam ibi fieri & consecrari permisit. In qua ipse aliquanto pòst tempore defunctus est, & à quibusdam se quærentibus
est inuentus accliuis ante altare quasi causa orationis in cubitis & genibus iacens. Vbi nonnulla per eum Dominus
miraculorum signa operari dignatus est. Sic deniq;, sic bona terra vberes fructus reddedit, quæ verbi semen ex ore
Romualdi multiplicandum suscepit.

APVD prædictam quoq; ciuitatem conuertit beatissimus vir Thammum quendam Theutonicum, qui, sicut di- XXV.
citur, intantùm Regi familiaris & charus extiterat, vt vtriusq; vestes vtrunq; contegerent, & amborum manus vna
paropsis communi sæpè conuiuio sociaret. Crescentius namq; senator Romanus, indignationem Regis incurrens,
in montem, qui dicitur, sancti Angeli, confugium petijt, & quia munitio inexpugnabilis est, obsidente Rege, ad de-
Crescentius Senator capite plectitur. fendendum se fiducialiter præparauit. Ei vero Thammus ex præcepto Regis iusiurandum securitatis præstitit: & ita
ille deceptus, adnitente Papa, qui sibi inimicus erat, quasi reus maiestatis, capitalem sententiam subijt. Cuius vxorem
postea Imperator in concubinam accepit. Quia igitur Thammus & fraudis conscius, & periurio tenebatur obnoxi-
us, idcircò à beato Romualdo iussus est relinquere sæculum. Qui mox à Rege licentiam expetens, non modò facilem
reperit, sed nimis etiam alacrem fecit. Erat autem prædictus Imperator monastico ordini valdè beneuolus, & nimia
circa Dei famulos affectione deuotus.

Nota de Imperatoris pœnitẽtia.

IPSE quoq; ex eodem crimine beato viro confessus, pœnitentiæ causa nudis pedibus de Romana vrbe egredi- XXVI.
ens, sic vsq; in Garganum montem ad sancti Michaëlis perrexit Ecclesiam. Per totam etiam Quadragesimam in Clas-
sensi monasterio beati Apollinaris, paucis sibi adhærentibus, mansit. Vbi ieiunio & Psalmodiæ, prout valebat, in-
tentus, cilicio ad carnem indutus, aurata desuper purpura tegebatur. Lecto insuper fulgentibus palliis strato, ipse in
storea, de papyris confecta, tenera delicati corporis membra terebat. Promisit deniq; beato Romualdo, quòd Impe-
rium relinquens, monachicum susciperet habitum: & cui innumeri mortales erant obnoxij, iam ipse pauperculo XXXI.
fratri cœpit esse subiectus.

ROMVALDVS autem cum eo, de quo iam diximus, Thammo, & cum Bonifacio viro clarissimo, quem nunc fe- XXVII.
licissimum martyrem se habere Russiana gloriatur Ecclesia, & cum aliis conuersis Theutonibus, à Tyburis oppido
ad monasterium sancti Benedicti, quod in Cassino constitutum est monte, deuenit. Ibi verò grauiter infirmatus est,
Busclauinꝰ rex fit monachus. sed citò ex diuina misericordia conualuit. Habebat autem equum satis egregium, quem sibi Busclauinus, Sclauonici
regis filius, dono dederat, factus ab eo Monachus. Hunc vir sanctus humilitatis studio permutauit, & pro eo asinum
laudabilis negociator accepit. Nimio quippe Redemptoris nostri desiderio, qui asellæ tergo consederat, vir venera-
Matth. 21 bilis hoc ipsum animal libentiùs equitabat. Cum his igitur omnibus superiùs nominatis Romualdus ad * Pereum,
* *al.* Piretũ. *al.* Porcuã. vbi dudùm habitauerat, redijt, ibiq; his & aliis multis fratribus aggregatis, & per cellas singulas constitutis, tanto fer-
uore eremiticæ conuersationis rigorem & in se, & in aliis tenuit, vt illorum vita omnibus, ad quos fama eorundem
Nota de sociis sancti viri. peruenire poterat, mirabilis haberetur. Quis enim non obstupesceret? Quis non immutationem diuinæ dexteræ XXXII
prædicaret, cùm vidisset priùs homines sericis, imò deauratis vestibus indutos, crebris obsequentium cuneis consti-
patos, omnium deliciarum affluentijs affluetos, nunc vno birro contentos, inclusos, discalceatos, incultos, & tanta
abstinentiæ ariditate contusos? Faciebant autem omnes opera manuum, alij scilicet cocleria, alij nebant, alij retia
nectebant. Quorum tamen omnium vitam beati Bonifacij conuersatio longiùs transcendebat.

S. Bonifacij Russiæ martyris historia.

HIC regis fuerat consanguineus, & ita charus, vt rex illum non alio vocaret nomine, nisi anima mea. Erat au- XXVIII.
tem apprimè liberalium artium doctrinis instructus, maximeque in modulationis musicæ studiis approbatus. Is ita-
que cùm in capella regia moraretur, videns ecclesiam antiqui martyris Bonifacij, mox exemplo sui æquiuoci ad mar-
tyrij desiderium prouocatus, ait: Et ego Bonifacius vocor. Cur ergo etiam ipse martyr esse non debeo? Posthæc igi-
Mira eius abstinentia tur monachus factus, tanta se abstinentiæ frugalitate constrinxit, vt sæpè Dominicis diebus tantùm, & quinta feria
per hebdomadam manducaret. Nonnunquàm vero si vrticarum, vel etiam veprium cerneret densitatem, illuc se
proijciens volutabat. Ex quo cùm quidam frater aliquando eum corriperet, dicens. Hypocryta, quare hoc ad ca-
ptandos popularis auræ rumores coram omnibus facis? nihil aliud respondit, quàm, Tui sunt confessores, mei sint
martyres. Cùm vero post diuturnam eremiticæ conuersationis vitam ad prædicandum iam ire disponeret, Romam
primùm pergere studuit, & ab Apostolica sede consecrationem Archiepiscopatûs accepit. Retulit autem mihi qui-
dam senex monachus, qui eum illuc de Rauennæ finibus comitatus fuerat, quia in toto illo itinere vir venerabilis
Magna eius vitæ austeritas. cũ omnibus quidem, qui eum sequebantur, pedester ibat, sed ipse iugiter psallens, & cæteros longè præcedens, nudis
semper pedib. incedebat. Pro labore quidẽ itineris quotidiè comedebat, sed per singulos dies de medio pane & aqua
viuens, in diebus festis, ignoto videl. omni liquamine, quotidiano victui poma q̃libet, vel herbarũ radices addebat.

POSTQVAM autem consecratus est, quotidiè obseruabat & monasticum pariter & Canonicum in celebrandis XXIX.
Horarum officiis ordinem. Cùm vero iam vltramontanos peteret fines, equo quidem vehebatur, sed venerabilis XXXII
pontifex (sicuti dicitur) nudis cruribus semper & plantis adeo intolerabilem frigiditissimæ regionis sufferebat algo-
rem, vt volens descendere, non pedem ab subhærente ferro disiungeret, nisi aqua calida subueniret. Ad gentiles au-
tem postremo perueniens, cum tanta cœpit feruidi pectoris constantia prædicare, vt iam nullus ambigeret, quia vir
sanctus martyrium flagitaret. Illi vero timentes, ne sicut post martyrium beati Adelberti, coruscantibus miraculo-
rum signis, Sclauoniæ gentis pleriq; conuersi sunt, ipsis quoq; similiter eueniret, longo tempore à beato viro manus
Apud Russos concionatur. artificiosa malitia reprimunt, & cupidissimo mori, nolentes occidere, crudeliter parcunt. Cumq; ad Regem Russo-
rum vir venerabilis peruenisset, & constanti animo prædicationi vehementer insisteret, videns eum Rex squalidis XXXI
vestimentis indutum, ac nudis pedibus incedentem, opinatus est quia vir sanctus talia non religionis causa perfer-
ret, sed idcirco potius, vt pecunias congregaret. Promisit igitur ei, quia si ab huiusmodi vanitate recederet, ipse pau-
pertatem eius largissima diuitiarum liberalitate ditaret. Verùm Bonifacius mox ad hospitium sine mora reuertitur,
precioſissimis pontificalibus ornamentis decenter induitur, & sic ad Regis palatium denuo præsentatur. Rex autem
videns eum tam decoris vestibus adornatum, ait: Nunc scimus, quia te ad vanam doctrinam, non paupertatis ino-
pia, sed veritatis impulit ignorantia. Veruntamẽ si vis vera credi, quæ asseris, erigantur duæ excelsæ lignorum catastæ,
breuissimo à se interstitio separatæ, & igne suppositò cũ vaporatæ fuerint, ita vt vtriusq; struis vnus ignis esse videa-
tur, tu transi per medium. Quo si læsus ex aliqua parte fueris, ipsis te penitùs consumendum ignibus trademus. Sin
Ecce sanctificatæ aquæ virtutem & thuris incensi. autem (quod credi non potest) sanus euaseris, omnes nos Deo tuo absq; difficultate credemus. Cumq; hoc fœdus
non solùm Bonifacio, sed & cunctis, quæ aderant, gentibus placuisset, Bonifacius ita vestitus vt Missarum solennia
celebraturus, priùs cum sacrificata aqua & incenso thure vndiq; perlustrans ignem, dein stridentes flammarum glo-
bos ingressus, ita exiuit illæsus, vt nec minimus capitis eius capillus videretur exustus. Tunc Rex & cæteri, qui huic
spectaculo interfuerant, cateruatim ad pedes se beati viri proijciunt, indulgentiam lachrymabiliter petunt, & bapti-
zari se instantissima supplicatione deposcunt.

Russi credunt in Christum. CŒPIT itaq; tanta gentium multitudo ad baptisma confluere, vt vir sanctus ad spatiosum locum quendam perge- XXX.
ret, & in ipsa aquarum abundantia populum baptizaret. Decreuit autem Rex, vt regnum relinquens filio', ipse

quandiù

quandiù viueret, à Bonifacio nullatenùs separaretur. Frater autem Regis cum ipso pariter habitans, dum nollet credere, absente Bonifacio, ab ipso Rege peremptus est. Alius verò frater, qui iam à Regis erat cohabitatione diuisus, cùm ad eum vir venerabilis venit, audire verbum eius noluit, sed de conuersione fratris nimia aduersus eum ira succensus, continuò comprehendit: deinde timens, ne si viuum teneret, Rex eum de manibus eius eriperet, in sua præsentia, circumstante non parua hominum multitudine, decollari præcepit. Statim verò & ipse cæcatus est, & tantus eum cum omnibus, qui adstabant, stupor oppressit, vt nec loqui, nec audire, nec aliquod humanitatis officium agere aliquatenus possent, sed cuncti velut lapides rigidi & immobiles permanerent. Rex autem hoc audiens, nimio dolore perculsus, omninò deliberat non solùm fratrem occidere, sed & cunctos, qui sibi tanti reatûs fautores extiterant, gladiis trucidare. Sed cùm illuc protinus aduenisset, & corpore martyris adhuc in medio posito, fratrem simul cum reliquis hominibus sine sensu & motu stupefactus adstare conspiceret, hoc sibi cum suis omnibus placuit, vt priùs pro eis oratio fieret, si forsitan illis diuina misericordia sensum, quem amiserant, reformaret: deinde si acquiescerent credere, indulto crimine, viuerent: sin autem, omnes vltoribus gladiis interirent. Cùm igitur & ab ipso Rege, & à cæteris Christianis diutiùs fuisset oratum, non solùm prior sensus stupefactis hominibus redditur, sed insuper consilium flagitandæ veræ salutis immittitur. Nam continuò pœnitentiam sui criminis flebiliter expetunt, baptismi sacramenta cum magna alacritate suscipiunt, super corpus quoq; beatissimi martyris Ecclesiam construunt. Veruntamen ego, si de huius mirabilis viri cuncta, quæ dici veraciter possunt, virtutum dona referre tentarem, deficeret forsitan lingua, non deficiente materia. Dum igitur Bonifacij virtus proprio indigeat stylo, idcircò tamen illum cum aliis Romualdi discipulis per transcursum hic memorare curamus, vt ex eorum laude, quàm magnus & gloriosus magister eorum fuerit, demonstremus: quatenus dum celsitudo clientium auribus fidelium insonat, quàm excelsus doctor eorum fuerit, ex schola, quam tenuit, innotescat.

S. Bonifacius decollatur circa ann. 1008.

Eius interfectores cæcidunt.

XXXI. INTEREA Romualdo in Pereo habitante, Busclauus Rex preces Imperatori direxit, vt sibi supirituales viros mitteret, qui regni sui gentem ad fidem vocarent. Mox Romualdum Imperator aggreditur, & concedi sibi de suis monachis, qui illuc destinari vtiliter valeant, deprecatur. Ille verò nulli suorum hoc præcipere velut ex prælationis authoritate voluit, sed in eorum voto ponens, siue manendi, siue abeundi eis optionem dedit. Ignorabat enim ex tam metuendo negocio voluntatem Dei: & ideò non illud suo, sed fratrum potiùs arbitrio committebat. Instante igitur Imperatore & humiliter obsecrante, tandem duo solummodò inuenti sunt ex omnibus, qui se vltrò ad eundum promptos obtulerunt. Quorum vnus Ioannes, Benedictus alter vocabatur. Hi itaq; ad Busclauum euntes, in eremo priùs, eo sustentante, manere cœperunt, & vt prædicare postmodùm possent, Sclauonicam linguam laboriosè discere studuerunt. Septimo verò anno, cùm iam loquelam terræ plenè cognoscerent, vnum ad Romanam vrbem monachum mittunt, & per eum à summæ sedis Antistite prædicandi licentiam petunt. Iniungunt etiam, vt nuncius aliquos secum de B. Romualdi fratribus duceret, qui eremiticæ conuersationis edocti, cum eis simul in Sclauorum partibus habitarent.

XXXII. BVSCLAVVS autem, volens coronam sui Regni ex Romana authoritate suscipere, prædictos venerabiles fratres obnixa cœpit supplicatione deposcere, vt ipsi plurima eius dona Papæ deferrent, & coronam sibi à sede Apostolica reportarent. Qui regiæ petitioni assensum penitùs denegantes, dixerunt: Nos in sacro ordine positi sumus, tractare nobis sæcularia negocia minimè licet: & ita relinquentes Regem, ad cellam reuersi sunt. Quidam verò Regis familiares, agnoscentes ipsius desiderium, sed quid sancti viri respondissent, ignorãtes, copiosum auri pondus, quod mittendum Papæ fuerat, secum eos detulisse ad cellulam falso opinati sunt. Deinde intra se conditione pacta condicunt, vt noctù eremum latenter ingressi, & monachos interficerent, & pecuniam absportarent. Quos cùm beati viri tentantes irrumpere persensissent, aduentûs eorum causam protinus agnoscentes, confessionem inter se facere, & sanctæ Crucis se cœpêre vexillo communire. Erant autem ibi duo pueri, eorum obsequio ex aula regia deputati, qui, prout vires dabant, stare pro sanctis, & furibus resistere nixi sunt. Fures vero reperto tandem aditu irruentes, extractis gladiis omnes pariter occidêre. Tunc thesaurum anxiè perquirentes, sed euersis omnibus nihil inuenientes, vt tanti reatûs crimen obtegerent, & humana suspicio non armis, sed flammis potius, quod fuerat deputaret, cellam incendere, & ipsa martyrum conati sunt cadauera conflagrare. Sed admoti ignes, amissis naturæ viribus, nil omnino consumere vllis hominum studiis potuêre. Ita enim eos ipsa etiam parietum materies repellebat, ac si pro lignis durissimi silices essent. Frustrati itaq; fures, in fugam se conferre nituntur: sed & hoc illis ex diuina prouidentia denegatur. Tota siquidem nocte per fruteta nemorum, per latitudinem saltuum, per opaca syluarum, viam anxiati sunt quærere, quam nullatenus valuêre errabundis vestigiis inuenire. Sed neq; pugiones in vaginas recondere, arefactis brachiis, potuerunt. Vbi vero sanctorum iacebant corpora, copiosum lumen vsq; in diem splendescere, & dulcissima Angelicæ cantilenæ non desijt suauitas resonare.

Sancti viri ab impiis iugulantur.

Vide miracula & diuinam in impios illos vltionem.

XXXIII ADVENIENTE autem die, quod factum fuerat, Regem latére non potuit. Qui ilico ad eremum cum numerosa populi multudine festinauit, & ne fures euaderent, facta corona hominum, totam syluam vndiq; circuncinxit. Qui tandem reperti sunt manifesti criminis rei, & ad gladios suos adhuc vltione diuina ligati. Rex autem quid de eis faceret, habita consideratione deliberans, hoc postremo decreuit, vt nequaquam eos sicut merebantur, occidi præciperet, sed ferreis catenis vinctos ad sepulcra martyrum destinaret, quatenus aut ibi vsq; ad obitum in vinculis miserabiliter viuerent, aut si sanctis martyribus aliter videretur, ipsi eos sua misericordia liberarent. Qui cum ad sanctorum tumulum fuissent ex præcepto Regis attracti, mox ineffabili diuinitatis omnipotentia fractis sunt nexibus absoluti. Deinde facta super corpora sanctorum basilica, innumerabilia non solum tunc, sed & nunc ibi fiunt ex diuina virtute prodigia.

Miracula ad corpora Sãctorum.

XXXIV IMPERATOR autem Henricus Busclaui consilium non ignorans, vndiq; vias custodiri præceperat, vt si Busclauus Romam nuncios mitteret, in eius ilico manibus deuenirent. Monachus igitur, qui nuper missus à sanctis martyribus fuerat, demum captus est & mox carcerali custodiæ mancipatus. Nocte vero illum Angelus Domini in carcere visitauit, & consummatos esse eos, quorum legatione fungebatur, admonuit, statimq; aperto diuinitus carcere, præparatum sibi esse nauigium in fluuio, quem transiturus erat, asseruit. Quo festinans monachus, Angelicæ promissionis fidem veram esse probauit. Dum moraretur autem Romualdus adhuc in Pereo, Imperator Ottho monasterium ibi ad honorem sancti Adelberti, eo suggerente, construxit, cui contigua Classensis cœnobij prædia contulit, & ea sibi ex fiscali professione in Firmensis monarchiæ partibus recompensauit. Abbate quoq; illic ex Romualdi discipulis constituto, & fratribus congregatis, cœpit eos sub magna Romualdus tenere custodia, & docebat eos sub regulari viuere disciplina. Præcepit etiam Abbati, vt in eremum secedens, per totam hebdomadam in cella consisteret: diebus vero Dominicis fratres, ad monasterium conueniens, visitaret. Qui sancti viri iussa contemnens, cœpit sæculariter viuere, & pede operis semel exorbitante, à rectitudinis tramite iam longius declinare. Videns ergo Romualdus, quod secundum suæ voluntatis ardorem ibi laborare non posset, Regem protinus adijt, & acceptæ promissionis exactor, vt Rex monachus fieret, insistere vehementius cœpit. At ille facturum se quidem quod exigebatur asseruit, si tamen prius Romam, quæ sibi rebellabat, impeteret, & ea deuicta, Rauennam cum victoria remearet. Cui Romual-

S. Romualdus prædicit Otthoni Imper. mortem A. 1001. qui moritur An. 1002

dus: Si Romam, inquit, ieris, Rauennam vlteriùs non videbis: & apertissimè illi mortem propinquam esse denuncians, quia eum reuocare non potuit, proculdubiò de eius certus interitu, ab eo recessit. Dum verò Rex Romam properat, Romualdus nauim ascendens, ad ciuitatem Parentium transfretat. Rex itaq; secundùm beati viri prophetiam vix à Roma reuerti incipiens, mox languore correptus, apud Paternum defunctus est.

ROMVALDVS autem tribus annis in Parentinæ ciuitatis finibus habitans, in vno monasterium construxit, in XXXV. duobus verò incluſus mansit. Ibi nempè ad tam magnæ perfectionis cumulum pietas illum diuina prouexit, vt à sancto afflatus Spiritu & nonnulla ventura prospiceret, & multa veteris ac noui testamenti occulta mysteria radiis intelligentiæ penetraret. Anxiabatur autem ibi aliquando in lachrymas erumpere, sed nullo valebat conamine ad contriti cordis compunctionem venire. Factum est ergo quodam die, dum in cellula psalleret, vt in hunc psalmi versiculum incideret: Intellectum tibi dabo, & instruam te: in via hac, qua gradiéris, firmabo super te oculos meos. Repentè igitur tanta sibi lachrymarum effusio orta est, & ita mens eius ad intelligendas diuinæ scripturæ sententias illustrata, vt ex eodem die, quamdiù vixit, vberes sibi lachrymæ, quandocunq; voluissent, facilimè fluerent, & plurima illa scripturarum mystica non laterent. Frequenter enim tanta illum diuinitatis contemplatio rapiebat, vt quasi totus in lachrymas resolutus, æstuante inenarrabili diuini amoris ardore clamaret: Chare Iesu, chare, mel meum dulce, desiderium ineffabile, dulcedo sanctorum, suauitas Angelorum: & cætera huiusmodi, quæ ille sancto Spiritu dictante, in iubilum proferebat: nos humano sensu exprimere talia non valemus. Sicut enim Apostolus dicit: Nos, sicut oportet, orare nescimus: sed ipse Spiritus orat pro nobis gemitib. inenarrabilibus. Et ideò Romuald⁹ Missam celebrare coram pluribus nunquam volebat, quia se à lachrymarum inundantia continere non poterat. Vnde etiam postmodùm præ nimia iam consuetudine vir simplicis animi putans gratiam sibi diuinitùs prærogatam, omnibus esse cessam, dicebat plerumq; discipulis: Cauete, ne multas lachrymas effundatis: quia & visum minuunt, & verticem lædunt. Vbicunq; autem vir sanctus habitare disponeret, oratorium cum altari primitùs intra cellulam faciens, deindè se recludens, aditum damnabat.

Psal 31. Gratia lachrymarum in S Romualdo.

Rom. 8.

XXXVI. MISERVNT aliquando ad illum fratres, qui morabantur in solitudine, quæ Bifurcum dicitur, consilium flagitantes, qualiter conuersari in eremo deberent, qualiter diabolicis impugnationibus resistere possent. Quorum nuncij cùm ad monasterium, à quo Romualdi cella longiùs aberat, peruenissent, ilicò venerabilis vir per spiritum eorum cognouit aduentum, præcepitq; Abbati Ansoni, qui sibi tunc assistebat, dicens: Vade, & pulmentum fratribus præpara, qui de longinquis partibus aduenêre. Qui continuò cœpit eum deridere, & dicere, quia verè falsus propheta esset. Postremò tamen velut coactus ad monasterium veniens, eos, quos vir sanctus prædixerat, orantes iam in Ecclesia reperit. Quos videlicet Romualdus multo salutaris doctrinæ sale condiuit, multis deniq; contra antiqui hostis insidias virtutum armis instruxit: & postquàm eos de omnibus subtiliter vtiliterq; docuit, cum multa eos ad eremum alacritate remisit.

Per spiritũ cognoscit fratrum aduentum.

XXXVII. ALIO quoq; tempore rursus prædicti fratres ad eum nuncios dirigunt, & de eadem re consilium maiori adhuc anxietate requirunt. Quibus vir venerabilis ait: Ego nunc libellum de pugna dæmonum scribo, quem vobis, cùm redieritis, dabo, vel certè vobiscum fortassè veniam. Hoc illi audientes, protinus in faciem se prosternunt, vt cum illis ire dignaretur, importuna admodùm supplicatione deposcunt. Altera verò die iturum secum incunctanter asseruit, & vt nauim requirerent iussit. Audiens hoc Parentinus Episcopus, nimio mœrore perculsus est. Inueniens quoq; monachos propter nauigium discurrentes, multis contumeliarũ eos dehonestauit iniuriis. Hoc etiam cunctis iuxta portum manentibus promulgauit edictum, vt quicunq; Romualdo nauim dare præsumeret, ipse quoq; vnà cum ipso irreuocabili profectione demigrans, Parentium vlteriùs non rediret. Festinè igitur nuncius ad Polensem Episcopum mittitur, vt beato viro nauigium mittere non moretur. Sæpè namq; præfatus Episcopus adhortatus illum fuerat, vt nequaquam de cæterò in tam obscuro recessu incluſus lateret, sed illuc potiùs se conferret, vbi animarum lucrum copiosiùs facere potuisset, ne videlicet sicut carbo soli sibimet arderet, sed magis, vt re vera lucerna super candelabrum posita, omnibus, qui in domo Dei sunt, radios suæ lucis infunderet.

XXXVIII. DVM igitur nuncius, qui missus est, expectatur, Romualdus his, qui secum erant, fratribus ait: Noueritis proculdubiò, quia frater ille tardiùs veniet: vndè in alia naui nos ire priùs, quàm ille reuertatur oportet. Aduenientе autem sancto die Dominico, in ipso primæ lucis crepusculo dixit assistenti sibi cuidam fratri, nomine Ingelberto, qui posteà Archiepiscopus factus est: Respice, inquiens, procùl in pelagus, & vide duas naues longinquis adhuc spatiis pari aduersum nos velocitate tendentes: earum nos definitè debet vna suscipere. Qui curiosiùs intendens, & expansis oculorum radiis solicitè cuncta perlustrans, aliquod nauigij signum omnino videre non potuit. At cum dies iamiamq; clarescеret, eccè extremo videt intuitu duas naues eminus aduentantes, & præ nimia adhuc longinquitate quasi totidem volucres apparentes. Quibus tandem subeuntibus portum, interrogati regimes, vtrum Romualdum cum suis in propria vellent naue suscipere, noua mox repleti lætitia, se & sua omnia in eius potestate constituunt, & beatos se fore tam preciosæ margaritæ pondere profitentur. Verum illo die minas aëris formidantes, ire nolebant. Romualdus autem exhortatus est eos, vt statim in spe diuinæ gratiæ iter caperent, spondens eis, quia nullum omninò periculum sustinerent. Illi tamen tota die ibidem commorantes, nocte nauigare cœperunt.

En quanti fit sanctus vir.

XXXIX. CIRCA diluculum autem subitò venti sæuiunt, tempestas oritur, mare ab imo fundo versatur. Iamq; furentes vndiq; procellæ, ipsos quoq; regimes prosternunt, & nauim hincindè concutientes, totas penè tabulas laxant. Videres itaq; homines, alios quidem se ad natandum exuere, alios vero diuersis se funibus religare, quosdam autem, vt supernatare fluctibus possent, remos, aut lignum aliquod strictum tenere. Cumq; in tanto discrimine nõ iam dubium desperatis omnibus naufragium immineret, ilico Romualdus ad solita orationis armamenta cucurrit, & reclinato paululum capitio, capite deuexo in gremium, preces in silentio ad Dominum fudit: deindè Ansoni Abbati, qui cominus assistebat, securè præcepit, dicens: Denuncia nautis, vt nequaquam timeant, sed omnes se incolumes euasuros absq; vlla penitus ambiguitate cognoscant. Vix modicum post hęc tempus transierat, & ecce vltra omnium spem absq; vllo humano studio ipsa se nauis dirigit, & mox in portum Capreolæ ciuitatis delapsa, celeriter subintrauit. Tunc omnes liberatori Deo dignas referre gratias, & manifeste se de faucibus mortis ereptos Romualdi meritis profitentur.

Oratione maris tẽpestatẽ sedat. Prophetia eius.

XL. VENIENS itaq; Romualdus Bifurcum, visis omnium fratrum cellis, quia superstitione quadam ambitiosæ videbantur, in nulla earum habere hospitium voluit, nisi in illa solummodo, in qua Petrus venerabilis eius discipulus habitabat. Vir siquidem erat admirabilis abstinentiæ, multæq; admodum extremitatis, qui cellulam sibi ad sancti Hilarionis exemplum vix vnquam largiorem fieri quatuor cubitis permittebat. Referebat autem pòst idem venerabilis vir, quia dum beatus Romualdus cum ipso maneret, & psalmos vterq; se in vicariis versibus alternaret, tricies in nocte, vel eo amplius se Romualdus ad requisita naturæ ire simulabat, quoniam affluentium lachrymarum inundantiam atq; singultus cohibere non poterat. Cumq; ibi Romualdus aliquandiu moraretur, & fratres non solum de spirituali certamine, verum vt sibi Abbatem præferrent, admoneret, illi quia suum habebat vnusquisq; sustentatorem, & prout cuiq; libuerat, proprij sequebatur arbitrij libertatem, Romualdi præcepta suscipere non magnopere curârunt.

Affluentia lachrymarum.

ROMVAL-

XLI. ROMVALDVS ergo sterilitatis impatiens, anxia cœpit auiditate perquirere, vbi terram posset ad proferendos animarũ fructus idoneam inuenire. Misit itaq; nũcios ad Camerinę prouincię Comites. Qui audito nomine Romualdi, nimio repleti gaudio, cuncta suæ ditionis obtulêre prædia, non modò syluarum & montium, sed si sibi etiam placeret, agrorum. Postremò repertus est in eorum possessione locus, eremiticæ conuersationi satis congruus, montibus vndique vallatus & syluis. In medio verò ampla quædam planities non solùm proferendis frugibus apta, sed perspicuis etiam fontibus irrigua. Hic itaque locus, Vallis de castro, antiquitùs vocabatur, vbi iam parua erat Ecclesia, in qua quarundam conuersarum mulierum videbatur esse conuentus. His itaque loco cedentibus, constructis cellulis, illic habitare cum suis discipulis vir venerabilis cœpit. Ibi autem quantos animarum fructus per illum Dominus acquisiuerit, quis valeat vel atramento describere, vel lingua proferre? Cœpere namq; homines ad pœnitentiam hinc inde confluere, & sua pauperibus misericorditer erogare : alij sæculum omninò relinquere, & ad sanctæ conuersationis ordinem spiritu feruido festinare. Erat enim vir beatissimus, quasi vnus de Seraphin, quia & ipse flamma diuini amoris incomparabiliter æstuabat, & alios quocunque pergeret, sanctæ prædicationis facibus accendebat. Sæpè namque dum prædicationis verba proferret, tanta illum compunctio in lachrymas excitabat, vt subitò interruptum sermonem relinquens, aliquorsum repentino impetu velut amens aufugeret. Et si quando cum fratribus equitabat, longè post alios veniens, semperque psallens, nihilo minùs ac si in cella resideret, iugiter lachrymas effundere non cessabat.

Ingens animarum fructus.

XLII. INTER cæteros autem præcipuè sæculares clericos, qui per pecuniam ordinati fuerant, durissima seueritate corripiebat, & eos, nisi ordinem spontè desererent, omninò damnabiles & hæreticos asserebat. Qui nouam rem audientes, occidere illum moliti sunt. Per totam namque illam monarchiam vsque ad Romualdi tempora, vulgata consuetudine vix quisquam nouerat, Simoniacam hæresim esse peccatum. Qui dixit eis : Canonum mihi libros afferte, & vtrùm vera sint, quæ dico, vestris attestantibus paginis comprobate. Illis igitur diligenter inspectis, & crimen agnoscunt, & errata deplangunt. Constituit autem vir sanctus plures Canonicos & clericos, qui laicorum more sæculariter habitabant, præpositis obedire, & communiter in congregatione viuere docens. Nonnulli quoque Episcopi, qui per Simoniacam hæresim sacras sedes inuaserant, ad eum causa pœnitentiæ concurrebant. Qui etiam venerabili viro se committentes, & Episcopatum termino statuto deserere, & ad sanctæ conuersationis se promittebant ordinem festinare. Ex quibus tamen vir sanctus quamdiù vixit, nescio si vel vnum conuertere potuit. Est enim venenata illa hæresis, præsertim in Episcopali ordine, tam pura & ad conuertendum rigida, semper promittens, semper de die in diem producens, atque in futurum procrastinans, vt faciliùs possit Iudæus ad fidem conuerti, quàm hæreticus plenè ad pœnitentiam prouocari.

Simoniacos seuerè castigat.

XLIII. IN eisdem quoque partibus sanctus vir monasterium condidit puellarum. Solenni autem quadam die, dum vir venerabilis illic cum fratribus in capitulo resideret, & eos salutaris doctrinæ dapibus satiaret, repentè ipsum interrumpens sermonem, anxia quadam voce exclamare cœpit & dicere : Agitè, agitè, quantocyùs properate, quia iam fratris Gregorij cellam fur frangit, (hic autem Gregorius Archiepiscopus in gentibus postmodùm consecratus est) Qui protinus exilientes, ad cellam perniciter currunt, & furem iam parietes infringentem inueniunt. Quem corripientes, ad magistrum pertrahunt, & quid de tam sacrilego raptore faciendum esset, inquirunt. quibus vir sanctus cœpit hilariter dicere : Et ego fratres ignoro, quid de tam malo homine possimus facere. Eruimus illi oculos ? Sed posteà non videbit. Incidimus ei manus ? Sed ampliùs non laborabit, & per hoc forsitan fame peribit. Quòd si pedem truncamus, ambulare non poterit. Sed intrò eum ducite, & cibum illi priùs apponite, vt quid de eo faciendum sit, interim pertractemus. Ita vir sanctus exultans in Domino postquàm cibari latronem fecit, illum modestè correptum, & dulcibus verbis admonitum, redire ad propria in pace permisit.

Furẽ absens prodit.

Eius iucũda in furem humanitas.

XLIV. POSTREMO dimissis in Valle de castro nonnullis de suis discipulis, ad regionem se vrbis veteris contulit, & in possessione Pharulphi Comitis monasterium, multis quidem suffragantibus, sed eo maximè expensas præbente, construxit. Tantus namque in sancti viri pectore faciendi fructus ardor incanduerat, vt effectis nunquam contentus, dum alia faceret, ad facienda mox alia properaret, adeò vt putaretur totum mundum in eremum velle conuertere, & monachico ordini omnem populi multitudinem sociare. Multos denique illic de sæculo abstulit, quos per plura sacra loca diuisit. Nonnulli quoque nobilium filij, contemptis parentibus, ad virum beatissimum fugiebant. Ex quibus etiam filius Guidonis Comitis fuit, qui in ipsa pueritia non longo tempore, postquàm monachus factus est, ad mortem veniens, vidit duos iniquos spiritus, quasi nigerrimos vultures, terribiles in se oculos figentes. Cumque hoc assistenti sibi beato Romualdo puer ediceret, protinùs addidit : Ecce, inquiens, magister, tanti nunc Æthiopes intrant, vt iam totum ædificium repleant. Exhortatus autem, vt confiteretur quid deliquisset, hoc solummodò crimen fælix ille peccator cum magno terrore confessus est, quia iussus fuerat à Priore nescio quot scopas accipere, & illas nondum acceperat. Romualdo igitur ei tanti facinoris veniam indulgente, in pace defunctus est. Postero vero die cæcus quidam, præbendarius videlicet patris eius, ad sepulchrum illius venit, & altiori voce clamans : Heus domine mi, inquit, si cum Deo es, sicut credo, preces pro me ad eum funde, & oculorum mihi lumen restitue. Quo dicto, statim illuminatus est. Nonnulli quoque ægroti ad eius tumulum venientes, redditi sunt sanitati. Cuius sepulchrum velut multis plenum aromatibus redolebat. Ita ille à Deo meruit honorari post mortem, qui pro eius amore, dum viueret, carnalium spreuit hæreditatem.

Valdè propagat monachismũ.

Cęcus videt ad sepulchrum filij Guidonis Comitis & monachi.

XLV. INTEREA Romualdus audiens, quia beatissimus vir Bonifacius martyrium suscepisset, nimio desiderij igne succensus, vt pro Christo sanguinem funderet, Hungariam mox ire disposuit. Interim tamen dum in ipsa intentione persisteret, breui tempore tria constituit monasteria, vnum videlicet in Valle de Castro, vbi nunc sanctissimum corpus eius reconditum est : aliud prope Isinum fluuium, tertium iuxta oppidum condidit Esculanum. Deinde licentia ab Apostolica sede suscepta, & duobus è suis discipulis in Archiepiscopos consecratis, cum vigintiquatuor fratribus iter arripuit. Tantus enim ardor moriendi pro proximo in omnibus æstuabat, quod vir sanctus ad tale negocium cum paucis ire difficilè poterat. Euntes ergo cùm iam ipsis Pannoniarum finibus interessent, repentè Romualdus languore correptus, vlteriùs ire non potuit. Cumque diutiùs pateretur, si quando redire disponeret, protinus ex ægritudine conualescebat. Sin autem ire vltrà tentaret, tota eius facies protinùs intumescebat, cibos quoque iam retinere stomacho languescente non poterat. Aduocatis itaque fratribus ait : Perpendo nequaquam diuinæ voluntatis esse iudicium, vt vltrà progrediar. Veruntamen quia intentionis vestræ desiderium non ignoro, neminem vestrûm redire compello. Multi nempè etiam antè nos totis nisibus studuerunt ad martyrij culmen pertingere, sed quia diuina prouidentia aliter sensit, in suo gradu coacti sunt remanere. Licet ergo vobis omnibus martyrium defuturum esse non ambigam, qui tamen ire, qui mecum redire voluerit, vniuscuiusque relinquatur arbitrio. Quindecim igitur Hungariam prodeuntibus, duobus alio iam dimissis, vix septem cum magistro discipuli remanserunt. Euntium autem quidam flagellantur, venduntur plures, ac seruitutem pro Domino subeunt, ad martyrium tamen, sicut vir sanctus prædixerat, non pertingunt.

Romuald⁹ vult Hungaris prædicare Christũ, sed diuinitùs retardatur. A. 1088.

XLVI. ROMVALDVS autem, conuerso quodam nobilissimo viro, Adelberani Ducis consanguineo, qui posteà monachus

chus factus, in sancta vsq; ad mortem conuersatione permansit, alijsq; Theutonicis, ad monasterium, quod in vrbis veteris regione cõstruxerat, redijt. Notandum itaq; est, quia sanctus vir nequaquam velut leuitate vsus falli inaniter potuit, qui secundum intentionem quidem suam martyrium subijt, iuxta diuinum verò consilium pro salute eorum missus est, quos cõuertit. In prædicto igitur monasterio multa persecutionis scandala passus est. Volebat enim Abbatem vt reuerà monachum, extremitatem diligere, sæcularia ex desiderio non tractare, res monasterij pro vana gloria non expendere, fratrum vsibus necessaria ministrare. Quæ oĩa dum ille surda aure contemnit, Romualdus locum cum suis discipulis deferens, nõ longè à castro prædij ditionis Raynerij, qui postmodùm Tusciæ Marchio factus est, habitauit. Hic aũt Raynerius coniugem suam occasione propinquitatis abiecerat, & consanguinei sui vxorem, quem ipse insequentem quodammodo inuitus occiderat, in coniugem copulârat. Ob hoc itaq; Romualdus, ne criminis eius particeps fieret, gratis manere in eius possessione noluit, sed vnum ei aureum pro aqua, alterũ verò pro lignis appendit. Quos cùm ille omninò respueret, malẽs videlicet sua dare, quàm à sancto viro quicquam recipere, postremò tamen victus assensit potiùs, quàm Romualdus abiret. Dicebat autem idem Raynerius, cùm monarchiam obtineret: Quia non Imperator, non aliquis omninò mortalium tantũ mihi metum valet incutere, quantum me Romualdi terret adspectus. Ante eius quippe vultum neq; quid dicam scio, neq; quibus me defendere valeam, vllas excusationes inuenio. Habebat reuerà vir sanctus hanc ex diuino munere gratiam, vt quicunq; peccatores, præsertim potentes sæculi, in eius præsentiam deuenissent, mox velut ante maiestatem Dei tremefactis visceribus formidarent. Sanctus nimirùm Spiritus, qui pectori eius habitor inerat, hunc terrorem iniustis diuinitùs intendebat.

Infestas patitur persecutiones.

Raynerius Marchio virum sanctũ admodum veretur.

Nota.

ILLIS verò temporibus vir venerabilis monasterium non longè à Massiliano castro construxit. Audiens autem XLVII. aliquando, quia Venetus quidam Classensem Abbatiam per coëmptionem Simoniacæ hæreseos inuaserat, insuper quoq; in corpus suum iniquè peccabat, illuc protinus ire miles Christi impiger studuit, diuersisq; modis ipsum monasterium purgare tentauit. Vir autem reprobus dum Abbatiam metuit perdere, non timet homicidium perpetrare. Intempesta siquidem nocte, dum Romualdus in lecto securè quiesceret, ille eum latenter aggressus, impijs cœpit digitis guttur eius adstringere, nitens eum crudeliter suffocare. Sed dum vir sanctus necdum prorsus intercepto spiramine, anhelitu vix eluctante, rauciret, Ingelbertus ilicò magistri singultibus excitatus, torrem mox ex sopito igne corripuit, & ministrum diaboli ab incepto nefandissimo crimine exturbauit.

Quidã improbus virũ Dei præfocare nititur.

POST hæc Romualdus denuò Parentium nauigauit, sed Apostolicæ sedis Antistes & Romani ciues, vt Romam XLVIII. rediret, legationem dirigunt. Quò si reuerteretur, facturos se omnia eius præcepta promittunt: sin autem, excommunicationis sententiam comminantur. Hoc itaq; modo suum Romualdum Italia recuperare promeruit. Eo tempore in faucibus Callensium montium aliquamdiù mansit, deinde in Petranum montem, non longè videlicet à monasterio sancti Vincentij, quod iuxta Candilianum constitutum est fluuium, commigrauit. Quocunq; autem vir sanctus ibat, semper fructificans, semper animarum lucrum magis ac magis accumulans, & homines de sæculo abstrahens, velut totus in ignem conuersus, ad cæleste desiderium animos hominum accendebat.

Multos cõuertit.

VOLENS autem tunc locum ad eremum faciendam idoneum inuenire, præcepit cuidam presbytero, vt ad do- XLIX. mum propriam rediens, sibi & his, qui eum comitabantur, alimenta deferret. Deinde montem indagine studiosa perlustrans, postremò quendam monachum iuxta paruam basilicam habitantem reperit, à quo mox vt secum pergeret, & locum ostenderet, vbi aqua inueniretur, exegit. Qui nimirùm denegauit se domum sine custode posse relinquere, quia latronum insidiantium impetum formidaret. Ad hæc Romualdus recompensaturum se, si tale quid accidisset, cuncta spopondit. Sicq; iam alienæ iniuriæ debitor factus, monachum secum duxit. Illis itaq; locum quærentibus, ecce presbyter vt iussus fuerat, prandium deferens, furem iam domum infringentem reperit, repertum cepit, captum vsq; ad Romualdi reditum custodiuit. Quem Romualdus intuens, priùs illum pia studuit verborum austeritate corripere, deinde dulciter admonens, incolumem permisit ad propria remeare. Sic nimirùm, sic diuina prouidentia seruauit illæsum, quod in absentis Romualdi custodia fuerat derelictum.

RVRSVS dum in eisdem partibus cellas construeret, (erat autem sarcina procùl ab eis sub quodam saxo reposi- L. ta) tunc vir venerabilis quendam fratrem illuc quasi cum quodam impetu propulit, præcipiens ei, vt nimis anxiè festinaret. Qui mox foribus superueniens, illos quidem iam eam rapere tentantes reperit, sed nihil adhuc ex his, quæ reposita fuerant, deesse cognouit. Qua ex re rectè colligitur, beatum virum non sine diuinæ reuelationis instinctu fratrem cum tanta solicitudine destinâsse, ipso videlicet puncto, quo fures ad rem non custoditam contigit peruenisse. Post hæc Romualdus ad monasterium Vallis de castro reuertitur, moxq; Abbatem sic alios regere, vt semetipsum tamen nequaquam negligeret, exhortatur. Volebat insuper, vt cellam, qua vsus fuerat, occasione reginiinis non omnino desereret, sed in ea sibimet spiritaliter viuens, præcipuis tantùm festiuitatibus fratres admonitionis gratia visitaret. Erat enim beato viro tam odiosa ista quam cernimus, Abbatum conuersatio, vt non minùs gauderet, si de manu cuiusquam Abbatiam potuisset euellere, quàm si ei datum fuisset potentissimum quemlibet sæcularium ad sanctæ conuersationis ordinem conuocare. Sed sicut per Salomonem dicitur: Velut acetum in nitro, ita qui cantat carmina cordi peruerso: ille prædicatione venerabilis viri de malo deterior factus, Comitissas loci dominas protinus adijt, & vt signa, quibus Romualdi cellæ debebant construi, minutatim incidi præciperent, sacrilega machinatione suggessit. Eo itaq; modo alta paradisi cedrus de terrenorum hominum syluis eiecta est.

Fures per spiritum discit & impedit.

Prouerb. 25.

INDE vero progrediens, non longè ab Apennino monte in loco, qui dicitur Aqua bella, manere constituit. Il- LI. lic igitur dum sæculares quidam cum discipulis eius habitationum tecta construerent, Romualdus autem, quia iam præ senectute laborare non poterat, solus opificium custodiret, Presbyter quidam intolerabilem dolorem in dentibus sentiens, opus ædificij inuitus reliquit, & postulata à fratribus licentia, redire domum miserabiliter eiulans cœpit. Cùm vero Romualdus transitum reuersionis haberet, interrogatus ab eo Presbyter cur abscederet, mox casum suæ passionis aperuit. Tunc Romualdus hianti locum vbi patiebatur, digito tetigit, dicens: Ignitam subulam, ne labrum lædat, in calamum mitte, & hîc pone: sicq; dolor aufugiet. Vix Presbyter vnius iugeris spatio vltrà progressus est, & confestim omni dolore deposito, ad opus, quod reliquerat, sanus & incolumis repedauit, claris nimirum vocibus exclamans & dicens: Gratias tibi agimus omnipotens Deus, qui regionem nostram splendore tanti sideris illustrare dignatus es. Verè Angelus Dei, verè Propheta sanctus, & lux magna occulta mundo, in finibus nostris apparuit Hæc & alia multa in Dei laudem vociferans, vix à beati viri discipulis tacere compulsus est. Nam si talia verba ad beati viri Romualdi aures qualibet occasione peruenissent, grauissima cor eius indignatione commouissent.

Pellit dolores dentiũ digiti sui contactu.

ALIO vero tempore magnam quandam fagum, quæ prope cellam eius adstabat, incidi præcepit. Erat autem LII. fagus ita cellæ acclinis & imminens, vt iuxta humanam opinionem, si cecidisset, totum mox ædificium indubitanter obrueret. Cumque operarij vellent iussa perficere, sed ruinam arboris formidarent, ille vt nequaquam timeretur instabat. Itaq; cum impactis circumquaq; securibus, in ipsa iam arboris viscera veniretur, arbor autem super beatum virum non iam dubiè impetum minaretur, cœpêre omnes rogare, & vocibus clamosis vehementer insistere, vt si cellam postponeret, semetipsum exiens conseruaret. Ille autem nequaquam eorum clamoribus acquiescens, vt cœptũ cito perficerent, diffinitè præcepit. Postremo fagus grauissimo sonitu corruens, ita aliorsum est ex diuina virtute proiecta,

Ruentem arborem aliò auertit.

proiecta, vt cunctis mirantibus, cella omnino manserit illæsa. Omnes igitur tanto obstupefacti miraculo, ad cælum voces tollunt, & immensas Dei gratias referunt. Sed quid nos de diuina circa venerabilem virum custodia dicimus, cum & alios sæpe per eius præsentiam ex magnis ereptos fuisse periculis non ignoremus? Ex quibus vnum hic memorare sufficit, vt plures fuisse prudens lector agnoscat.

LIII. ALIQVANDO namq; ipse cum operariis manens, nimiæ magnitudinis ilicem in monte Petrano faciebat incidi. Quæ videlicet arbor in prærupto montis decliuo pendens, in ima vergebat. Rusticus autem quidam paulo inferius stabat. Cum igitur præcisa arbor grauiter corruens, per deuexum montis volueretur in præceps, mox repertum rusticum repentino impetu cœpit ad inferiora rotare. Cuncti protinus dolentes exclamant, & non solum esse hominem mortuum, sed totum quoq; dilaceratum eius corpus existimant. Sed ô diuinam virtutem, ita mox sanus & incolumis repertus est, ac si super eum non arbor, sed arboris folium cecidisset. Hinc iure perpenditur, sancti viri meritum quantum apud Deum pondus habuerit, in cuius conspectu grauissima arboris moles pondus habere nesciuit.

LIV. POSTMODVM vero Romualdus cum Apenninum deseruit, montem Sytriæ habitaturus ascendit. Cauendum autem summopere est, ne quis cum audierit, quia vir sanctus tot loca mutauerit, pij operis pondus vitio leuitatis adscribat. Hæc namq; mutationum eius causa proculdubio fuit, quia ad venerabilem virum, vbicunq; degeret, turba hominum pene innumerabilis concurrebat. Ratio ergo poscebat, vt cum vnius loci spatium plenum habitatoribus cerneret, illic Priore constituto, ad replendum mox aliud festinaret. In Sytria vero quot contumelias, quot scandala à suis discipulis passus sit, non est nostræ facultatis euoluere. Ex quibus videlicet vnum hic ponentes, cætera breuitatis studio præterimus. *Cur sæpe loca mutarit.*

LV. HABEBAT quendam discipulum, Romanum nomine, qui nobilis quidem fuerat genere, sed omnino degener actione. Hunc itaq; vir sanctus cum pro suæ carnis immunditia non modo verbis argueret, sed sæpe etiam verberibus grauissimis coërceret, ausus est diabolicus vir titulum illi eiusdem reatus opponere, & impudenter contra sancti Spiritus templum sacrilego ore latrare, dicens videlicet, sanctum virum vna secum ex eadem contagione peccasse. Mox itaq; discipuli omnes aduersus eum irati, omnes infesti, alij clamant senem impium laqueo debere suspendi, alij dignum iudicant, vt cum ipsa cella ignibus concremetur. Quod vtiq; valde fuit mirabile, præsertim spirituales viros ex decrepito sene, & vltra quam centenario, tam nefarium scelus credere potuisse, cui etiam si voluntas adesset, natura tamen & frigidus sanguis, ariditasq; attenuati corporis hoc penitus denegaret. Sed credendum est proculdubio, ad augendum sancti viri meritum, hoc sibi tam grauis aduersitatis cælitus accidisse flagellum. Nam & ipse asserebat, hoc in eremo, vnde nuper abscesserat, veraciter agnouisse, & ad hoc dehonestatis improperium subeundum alacriter aduenisse. Ille autem Sarabaita reprobus, qui sancto viro crimen intenderat, Episcopatum postmodum Nucerinum per Simoniacam hæresim acquisiuit, & per biennium illum occupans, in primo anno ædem incensam cum libris & tintinnabulis, ac cæteris sacris ornamentis, exigentibus suis meritis, vidit: in secundo autem dignitatem cum vita, diuina illum feriente sententia, perdidit. *Calumniatur eum discipulus eius.*

LVI. IMPOSVERE itaque discipuli sancto viro quasi de commisso crimine pœnitentiam, & celebrandi sacra mysteria penitus abstulêre licentiam. Quod ille præiudicium libenter amplectens, & pœnitentiam velut reuera obnoxius crimini obseruauit, & ad sacrosanctum altare per sex fere menses accedere non præsumpsit. Tandem vero, sicut ipse postmodum eisdem suis discipulis retulit, diuinitus sibi iussum est, vt si diuinam timeret gratiam perdere, iam indiscretam simplicitatem postponeret, & sacra Missarum solennia fiducialiter celebraret. Postera igitur die sacrificare incipiens, cum ad secuuda Missæ secreta peruentum esset, in ecstasim raptus, tam longo temporis spatio siluit, vt omnes, qui aderant, mirarentur. Interrogatus autem postmodum, cur in offerendo sacrificium tantas moras præter solitum habuisset: Raptus, inquit, in cælum, oblatus sum ante Deum, & continuo mihi diuina voce præceptum est, vt secundum hunc intellectum, quem mihi Deus immisit, psalmos exponerem, & pro modulo mei sensus chartulis per ordinem commendarem. Ego autem nimio & inenarrabili terrore constrictus, respondere nihil aliud potui, nisi tãtummodo, Fiat, fiat. Vnde postea vir sanctus totum psalterium, & nonnulla Prophetarum cantica luculenter exposuit, & licet corrupta Grammaticæ regula, sanum tamen sensum vbique seruauit. *Agit pœnitentiam non admissi criminis.*

LVII. INTERROGAVERE eum aliquando discipuli dicentes: Magister cuius esse ætatis anima cernitur, vel in qua figura ad iudicium præsentatur? Respondit: Scio hominem in Christo, cuius anima delata estante Deum splendida velut nix, humana quidem effigie, statura vero perfectæ ætatis. Inquisitus iterum, quis ille esset, indignans & confundens eos, dicere noluit. Mox discipuli rem, vt veraciter erat, inter se inuicem retulêre, & ipsum fuisse hominem certa manifestatione cognoscunt. In Sytria deniq; vir venerabilis per septem annos inclusus mansit, & silentium continuum inuiolabiliter tenuit. Veruntamen tacente lingua, & prædicante vita, vix vsquam tantum laborare aliquando potuit, vel in conuertendis hominibus, siue ad pœnitentiam concludendis. Viuebat autem, vergente iam senectute, nimis districte, videlicet cum iam & ipsi perfecti viri solent remissius viuere, & aliquid sibi de sui propositi rigore laxare. Nam per vnius Quadragesimæ spatium nihil aliud neque in cibo, neq; in potu penitus habuit, nisi de modica farina & paucis herbis sorbitiunculam, ex qua ad imitationem Hilarionis vixit. Quinque vero hebdomadibus nihil aliud comedens, ad modicum se infusi ciceris adstrinxit. Et ita Romualdus per multa alia viuendi genera quid sua virtus posset, per hæc & illa se iugiter exercendo tentabat. Studebat quippe discretus Christi miles ad nouum se certamen semper accingere, & cum iamiam cadere videretur, adhibita mox misericordia, vacillans corpusculum releuare. Duo autem, vel etiam tria quandoq; habebat cilicia propter nascentem corporis importunitatem, quæ lauari nullatenus permittebat, sed ea potius ad imbrem proiiciens, post triginta dies mutare consueuerat. Nouaculam autem nunquam in suum caput patiebatur ascendere, sed ipse sibi perraro solebat excrementa capillorum & barbę forpicibus attondere. Si quando vero eum ex aliquo esculentiori cibo gulæ vitium titillaret, mox accurate illum præparari præcipiens, ori & naribus apponebat, & solum captans odorem, dicebat: O gula, gula, quam dulcis, quam suauis modo tibi saperet iste cibus: sed væ tibi, ex eo nunquam gustabis: & sic intactum ad cellarium remittebat. *7. annis degit solus in silentio.* *Ieiunium sancti senis in Quadragesima.* *Gulam vt castigaret.*

LIIX. SED quanquam vir sanctus tantam erga se seruaret austeritatem, semper tamen hilarem vultum, semper serenam faciem ostendebat. Nam frater quidam, Gregorius nomine, grauissimum capitis dolorem se perpeti aliquando conquestus est. Qui cum ad beati viri cellulam, vbi alij fratres tunc erant, cum nimia lamentatione veniisset, mox vt eum vir venerabilis vidit, hunc dolorem nequaquam humorum inæqualitati, sed insidiis antiqui hostis indubitanter adscripsit: & mox quasi deridens eum, vt erat semper peralacri vultu, per fenestram cellulæ insufflauit in eius frontem, & vt cæteri omnes, qui aderant, similiter facerent, innuit. Hoc autem facto, ita sanatus est, vt nullum penitus sentiret in suo capite doloris remansisse vestigium. Arbitror quod idcirco vir sanctus hoc facere voluit, quia per Spiritum sanctum, qui in eius pectore præsidebat, effugandum esse iniquum hostem, doloris immissorem, credidit. Ad euitandam vero propriam laudem, & lutum finxit, & socios quæsiuit. Nam & redemptor noster insufflasse legitur, cum Spiritum sanctum dedisse Apostolis perhibetur. *Pellit dolorem capitis à fratre.* *Ioan. 20.*

LIX. VIR quidam capitis patiebatur insaniam, ita vt sensu rationis amisso, vel quid ageret, vel quid diceret, funditus ignoraret. Huic Romualdus nihil aliud fecit, nisi quod solũmodo osculum præbuit, & protinus illũ ad incolumitatem pri- *Osculo sanat amentem.*

tem priſtinam reuocauit. Sicq; cum in quieto homine dum pacem fecit, ad mentis eum ſuæ pacem reduxit. Referebat autem poſtmodum ille, qui ſanatus fuerat, dicens: Quia cum ſacra beati viri labia tangere merui, ſtatim prodire ex eius ore quaſi vehementis auræ ſpiritum ſenſi, qui totam faciem meam, & ipſum deniq; ſinciput perflans, omnem cerebri æſtuantis ardorem protinus effugauit.

ALIO quoq; tempore idem, qui ſupra, Gregorius tam viroſam & marcidam tolerabat in cruribus ſcabiem, vt LX.
iam ex elephantiæ morbo crederet tam grauem prodire tumorem. Huic Romualdus hoc præcipuæ medicinæ genus indixit, vt crura per tres dies frigida aqua perfunderet, promittens quia hoc modo ſanitatem priſtinam recuperaret. Quod ille quidem adimplere ſtuduit, magis tamen neceſſitate iuſſionis, quam recipiendæ fiducia ſoſpitatis. Mirum ſatis, & ſoli diuinæ potentiæ referendum. Confeſtim tibiarum tumor deponitur, virus omne ſiccatur, & penitus omni languore depoſito, frater ſanus per omnia redditur. Credi quoq; rationabiliter poteſt, quia eodem ſpiritu Romualdo diſcipulo, vt ter aquis tumentia crura perfunderet, iuſſit, quo Eliſeus Naaman leproſum lauari ſepties in Iordane mandauit. Nonnulli tamen, carnales videlicet homines, eum malitioſe reprehendere, & eius dicta vel facta
4 Reg. 5. non timebant leuitatis vitio deputare.

QVIDAM namque eius diſcipulus in alio procul eremo morabatur. Qui propinquorum neceſſitati aliquando LXI.
condeſcendens, pro eorum vtilitate tandem velut inuitus Romam ire Quadrageſimali tempore acquieuit. Quod mox vir ſanctus per Spiritum recognoſcens, velut indignans, dixit adſtanti cuidam fratri, quod videlicet ille bonus vir pro huiuſmodi negocio Romam ire præſumpſit. Ille autem admirans, vnde hoc magiſter cognoſceret, cum quo videlicet nemo aliunde veniens colloquium habuiſſet, rem ſolicite perquiſiuit, & ita eſſe, ſicut vir venerabilis dixerat, comprobauit. Pergit ille ad alium ſuum condiſcipulum, videlicet Ingelbertum, qui incluſus manebat, & magiſtrum hæc dixiſſe, & ſine dubio prophetiæ ſpiritum habere, prorſus affirmat. Ille autem hoc deteſtans, & penitus denegans, fratrem corripuit, & quia hoc falſum eſſet, imprecationis ſe vinculis obligauit, dicens: Si Romualdus hoc per prophetiæ ſpiritum, & non magis per diabolum dixit, non me omnipotens Deus in hoc recluſorio perſeuerare permittat. Dictum factum q; eſt. Nam vix paucis diebus tranſactis, Ingelbertus, fracto recluſorio, ſine magiſtri licentia
Pœna temerarij diſcipuli. abiit, & eum in hac vita (ſicut dicitur) amplius non vidit.

ALIVS frater, Gaudentius nomine, Abbatis videlicet huius monaſterij ſancti Vincentij pater, cum magno fer- LXII.
uore conuerſus, ardentiori poſtmodum ſpiritu in Dei eſt ſeruitio conuerſatus. Hic aliquando à beato Romualdo licentiam petiit, quia vellet cuncta iam pulmenta relinquere, & pane cum aqua contentus, pomis quoq; ſiue crudis oleribus victitare. Hoc igitur impetrato, cum in eodem propoſito infatigabiliter permaneret, Tedaldus quidam alius frater infirmitati illius indiſcrete compatiens, adire magiſtrum ſtuduit, & quaſi frater ille tam graue pondus portare non poſſet, hanc eius obſtinationem frangi omnino debere ſuggeſſit. Romualdus autem, vtputa vir ſimplicis animi, Tedaldi verbis aſſenſum dedit, & Gaudentio talis vitæ licentiam abſtulit. Ille vero indigne ferens, nequaquam amplius cum Tedaldo in eremo, in qua eos Romualdus poſuerat, paſſus eſt habitare, ſed Ingelberto, qui à Romualdo diſiunctus fuerat, ſe ſubdidit, & ab eo conſenſum præfatæ conuerſationis obtinuit. Hic itaq; Gaudentius non
Romualdus non vult orari pro fratre inobediente. multo poſt tempore defunctus eſt, & in cœmeterio beati Vincentij iuxta corpus Berardi venerabilis viri, qui æque Romualdi diſcipulus fuerat, eſt ſepultus. Romualdus autem, quia ille in præuaricatione inobedientiæ vitam finierat, orationem pro eo penitus fieri interdixit.

ALIQVANTO autem poſt tempore monachus quidam prædicti cœnobij, dum matutinam ſynaxim cum reli- LXIII.
quis fratribus celebraret, repente tam acrem dolorem ſentire in dentibus cœpit, vt iam in choro ad pſallendum ſtare omnino non poſſet. Qui protinus exiens, ſuper ſepulcrum ſe Berardi atq; Gaudentij lamentando iactauit: dumq; ibi aliquandiu iacens oraret, mox eum ſomnus oppreſſit. Illico ſane videt Berardum ſacerdotalibus ornamentis ſplendidiſſime ornatum, & tenentem in manibus librum aureis literis ſcriptum, ante altare ſcilicet ſtare, & Miſſarum ſolennia celebrare. At cernit Gaudentium mœrentem, demiſſo vultu poſt tergum Berardi procul manere, & velut excommunicatum, ſacris appropinquare myſteriis non audere. Qui mox locutus eſt ei, dicens: Vides, frater, illum Berardi librum mirabiliter deauratum? Ego quoq; talem per omnia nunc haberem, niſi illum mihi, heu, heu, Tedaldus monachus abſtuliſſet. Statim q; frater euigilans ſanus & incolumis, fugato omni dolore, ſurrexit. Deinde lętus viſionem
Iubet vt orent fratres pro anima illius. ſuam fratribus per ordinem retulit. Quod Romualdus audiens, ilico præcepit fratribus, vt iam Gaudentio fraternam charitatem impenderent, atque pro eo enixius orarent. Vnde non ſine ratione colligitur, quod ille, qui priuatus ſocietate Romualdi librum, quem meruerat, perdidit, iam eius gratiæ reſtitutus, & orationibus ſubleuatus, eundem librum recuperare meruit: & quem Tedaldus non niſi per Romualdum abſtulerat, iam Romualdus orando pro illo cum omnibus ſimul fratribus reddit,

ALIQVANDO vir venerabilis cuiusdam cauſa neceſſitatis in viam ire diſponens, vni diſcipulorum cellam com- LXIV
miſit, & vſque in ſuum reditum in ea illum manere præcepit. Ille vero temerarius, dum debiti honoris reuerentiam magiſtro non ſeruat, audacter in eius ſtrato iacere non dubitat. Ecce autem in illa nocte maligni ſpiritus ſuper eum immaniter irruunt, grauiſſimis eum verberibus atterunt, & proiectum de lecto, pene ſeminecem derelinquunt. Merito ſane tam ſuperbos ſuæ offenſionis vltores pertulit, qui in talem virum, poſtpoſita humilitate, peccauit: & dum pio magiſtro non exhibuit reuerentiam, ex duris & impiis ſenſit manibus diſciplinam. Similiter poſtmodum venerabilis vir iter acturus, alium in eadem cella diſcipulum dereliquit. Cui cum diſcipulus diceret: Magiſter, ego in lecto tuo non iacebo, quia quod alij contigit, mihi etiam conſequenter euenire formido: ille reſpõdit: Fili mi, iace & dormi ſecurus: Ille enim in eo recubans, idcirco in manus inimicorum incidit, quia paruitatis meæ licentiam non accepit. Tu autem accepto conſenſu, in Deo ſpem pone, & ſine pauore quieſce. Qui videlicet in eo ſicut iuſſus fuerat iacuit, & nullum omnino caſum aduerſitatis incurrit.

SÆCVLARIS quidam vir, Arduinus nomine, Romualdo ſe ad ſuſcipiendum ſanctæ conuerſationis habitum LXV.
tradidit: deinde domum, vt ſua quæque diſponeret, remeauit. Cumque eum vxor ſua venientem vidiſſet, fœmineo nimirum furore ſuccenſa, exclamauit aduerſus eum, dicens: Sic bone vir ab hæretico illo & antiquo ſeductore nunc venis, & me miſeram & deſtitutam omni humano ſolatio derelinquis? Quæ, hoc dicto, protinus in amentiam vertitur, & ita furere & conquaſſari cœpit, ac ſi patenter à dæmonio vexaretur. Habebat autem vir ſanctus huiuſmodi conſuetudinem, vt ſi quando fratres in viam dirigeret, benedictum illis ſiue panem, ſiue pomum, ſeu quodcunque aliud daret. Vnde diſcipuli, vt experti multoties fuerant, certum tenebant, quod ſi ex benedictione magiſtri cuilibet ægroto porrigerent ad ſalutem, illum incolumem redderent. Nam & ex aqua, vnde manus eius abluebantur, plures languidi ſæpe reſtituti ſunt ſanitati. Quod tamen cautiſſime oportebat fieri, ne ſi vir ſanctus hoc aliquatenus com-
Vltio diuina in fœminam ſanctum virum criminantem. prehenderet, in grauiſſimam triſtitiam deueniret. Cum igitur diu fœmina miſerabiliter vexaretur, quidam fratres, qui aderant de benedictione panis, quam à magiſtro ſuſceperant, ei particulam tradiderunt. Quam cum mulier co-
Nota vim benedicti panis. mediſſet, mox mente ſedata, ab omni redditur inſaniæ furore liberrima. Itaque protinus omnipotenti Deo, & Romualdo famulo eius recuperatæ ſanitatis gratias retulit, & viro ſuo conuerſionis licentiam vlterius non negauit.

ALIO

LXVI. ALIO quoq; tempore puer quidam dæmoniacus ad beatum virum delatus est, cui ille nihil aliud fecit, nisi quod pro benedictione illi panis particulam tradidit. Qua mox puer ille refectus, confestim à dæmonio liberatus est. Iure quippe postquam benedictio Romualdi male possessum corpus intrauit, inde confestim maledictus spiritus cauteriatus exiuit. Nunquam tamen diabolus à sancti viri poterat impugnatione quiescere. Et quia occulta iam aduersus eum fraude nil poterat, non cessabat virus suæ malitiæ visibiliter demonstrare. Aliquando namq;, dum vir venerabilis in cella consisteret, ecce malignus spiritus, vt est re vera teterrimus, hispidus, horribilis, immensum cœpit sancto viro terrorem incutere, & cum nimio furore ac impetu, mortem ei minitans intentare. Cumq; Romualdus auxilium de cælo imperterritus quæreret, & vt sibi Christus succurreret, fiducialiter exclamaret, mox antiquus hostis aufugiens, ipsum cellæ parietem tanto iracundiæ felle percussit, vt grauem fagi tabulam vnius cubiti spatio, vel eo amplius fiderit. In habitaculo igitur patenter ostendit, quãta aduersus habitatorem flamma crudelitatis exarsit, & quodammodo scriptum reliquit in pariete, quod occultum gerebat in mente.

Malignum dæmonem ipsi mortem intentantem profligat.

LXVII. ALIQVANDO etiam dum venerabilis vir cum suis discipulis equitaret, ecce malignus spiritus rubei canis effigiẽ simulans, cum magno impetu obuiam irruit, & equum cui insidebat, vt pene vir sanctus, excuteretur, exterruit. Interrogantibus discipulis, si eum vidisset, exhorrescentem quidem equum conspexisse se asseruit, sed nil tale ei apparuisse testatus est, dicens: Miser ille, qui olim præclarus Angelus fuisse cognoscitur, nunc se immũdi specie canis ostẽdere non veretur. Rursus alio tempore cum monasterium ancillarum Dei, quod est in Valle bona, construere decreuisset, discordia mox inter sancti viri discipulos oritur: quia videlicet alij nolunt, alij vero vt fieret, vehementer insistunt. Cumq; ante venerabilem virum vtræq; dissidentium partes, diuersa vtentes allegatione, contenderent, cœpit diabolus ante portellam cellæ quasi malleo sine cessatione percutere, & per reboantem syluam crebris audiebatur tunsionum ictibus insonare. Deinde cum iam omnes monasterium fieri vnanimiter concordassent, ecce malignus spiritus cunctis audientibus vlulare, plorare, & flebiles non cessabat voces emittere. Postremo autem cum iam diuisi ad suum quisq; reuerteretur hospitium, prosequebatur eos antiquus hostis cum tanta tempestate & turbine, vt quasi omnia ventorum genera commouens, totam syluam radicitus euellere putaretur. Quidam vero fratrum increpans eum, dixit: Præcipio tibi in nomine Trinitatis, immunde spiritus, vt desinas venire post nos. Et ita fugatus est. Iure quippe author discordiæ, composita pace, compulsus est in fletum prorumpere, qui prius audiebatur crescente rixa gaudere: & quia tunc circulum vacui vasis abstrahere, & partes, quibus compactum fuerat, dissipare tentauit, constrictis iam in vinculo Pacis & Charitatis compage discipulis, tristis abscessit.

Indigniſſime fert diabolus fœminarum cœnobium construi.

LXVIII. TALITER autem tunc in Sytria viuebatur, ac si ex similitudine non solum nominis, sed etiam operis altera denuo Nitria videretur. Omnes siquidem nudis pedibus incedentes, omnes inculti, pallidi, & nimia omnium rerum extremitate contenti erant. Nonnulli vero obseratis ianuis clausi, ita mortui videbantur mundo, velut in sepulcro iam positi. Vinum ibi nemo nouerat, nec si etiam grauissimam quis ægritudinem pateretur. Sed cur ego de monachis loquor, cum & ipsi monachorum famuli, ipsi quoq; custodes pecorum ieiunarent, silentium tenerent, disciplinas inter se inuicem facerent, & de quibuslibet ociosis verbis pœnitentiam flagitarent? O aureum Romualdi sæculum, quod etsi tormenta persecutorum non nouerat, spontaneo tamen martyrio nõ carebat. Aureum, inquam, sæculum, quod inter montium & syluarum feras tot cælestis Hierusalem ciues alebat. Cum vero ibi fratres iam tanti essent, vt illic in vnum habitare vix possent, tunc Romualdus monasterio ibi constructo, & Abbate præposito, inuiolatum seruans silentium, Bifurcum secessit ad habitandum. Illic etiam volens Abbatem spiritualiter viuere, & rectitudinis iter tenere, multam ab eo passus est persecutionis iniuriam.

Vita asperrima S. Romualdi & discipulorum eius.

LXIX. INTEREA Imperator Henricus de Vltramontanis partibus in Italiam veniens, misit beato viro deprecatoriam legationem, vt ad eum venire dignaretur, promittens se facturum quæcunq; præciperet, si suum ei colloquium non negaret. Cumq; vir venerabilis prorsus abnueret silentium frangere, cœpẽre vnanimiter discipuli eius omnes eum obsecrare, dicentes: Magister, vide quia nos, qui te sequimur, tanti iam sumus, quod hic congruenter habitare non possumus: quapropter si placet, ab Imperatore magnum aliquod monasterium quære, & multitudinem te sequentiũ ibi constitue. Quibus vir sanctus, nescio si accepta reuelatione, aut subita Dei inspiratione, fidenter scripsit: Scitote quia montis Amiati monasterium ex dono Regis habebitis: considerate tantum modo, quem illic Abbatem constituere debeatis. Igitur inuiolato silentio perrexit ad Regem. Cui rex protinus assurgens, ex magno cordis affectu in hanc vocem erupit, dicens: O vtinam anima mea esset in corpore tuo. Quem mox, vt loqueretur, suppliciter obsecrans, ipso die hoc impetrare non potuit.

An. 1022.

Venit ad Henricum Imperatorem.

LXX. POSTERA autem die Romualdo ad palatium veniente, ecce Theutonicorum multitudo certatim hincinde concurrunt, capita salutantes humiliter flectunt, villos quoque pelliceæ vestis, qua erat indutus, anxie decerpentes, pro sacris reliquiis in patriam portaturi, studiose recondunt. Quæ videlicet res venerabilem virum tanto mœrore affecit, vt nisi discipulis obstantibus acquieuisset, ad cellam protinus repedasset. Ingressus igitur ad Regem, non pauca ei locutus est de restituendo iure ecclesiarum, de violentia potentum, de oppressione pauperum. Et post multa vnum sibi pro suis discipulis monasterium petiit. Cui postmodum Rex montis Amiati monasterium tradidit, & Abbatem, quia multis erat malis obnoxius, foras eiecit. Vbi vir sanctus quanta aduersa perpessus sit non solum ab eo, qui eiectus fuerat, sed etiam ab illo, quem ipse ex suis discipulis Abbatem constituerat, ille quidem perferre patientissime potuit, nos referre, etiamsi adesset facundia, non valemus. Sed qualiter illum Deus in cunctis adiuuerit, vno exemplo monstrare sufficiat, vt prudenti cuilibet, quid etiam in reliquis euenerit, innotescat.

Ecce tibi priscorum Germanorum deuotionem.

LXXI. MONACHVS quidam vesano aduersus eum furore succensus, pilum latenter exacuit, & id reponens, vt beatum virum interficeret, expectare congrui occasionem temporis cœpit. Nocte vero dum depressus sopore quiesceret, ecce videt malignum spiritum in se immaniter irruentem, qui retortam in collum eius mittens, tanta ferocitate conabatur guttur eius adstringere, vt iam ille cogeretur funditus expirare. Tunc monachus in extremo iam spiritu positus, Romualdum, vt sibi succurreret, obsecrauit. Qui (vt monacho videbatur) protinus aduolans, de manibus eum iniqui hostis eripuit. Hic igitur mox experrectus, ad pedes venerabilis viri prostratus, aduoluitur: vt allisionem cerui-cis adspiciat, deprecatur. Confiteri etiam crimen suæ malitiæ non veretur. Postremo conseruatæ vitæ sibi gratias retulit, & pœnitentiam tanti reatus accepit. Et ita qui Romualdo vitam insidiabatur eripere, iam per eundem sanctissimum virum & suam meruit conseruare: & cui inferre mortem studuit, per eum suæ periculum mortis euasit.

Liberat monachum, ipsum occidere volentem.

LXXII. HABEBAT autem vir sanctus consuetudinem, cum monasterium teneret, vt nisi cum ieiunaret, ad communem mensam cum fratribus quotidie veniens, vnum quidem pulmentum comederet, postmodum vero lectioni, vel quid etiam apud vnumquemque ageretur intentus, de reliquis non gustaret. Quadragesimali autem tempore, nisi necessitate ineuitabili cogeretur, in cellula iugiter morabatur. Dum igitur prædictum cœnobium vir beatissimus regeret, Quadragesimali iam appropinquante ieiunio, quærebat cum discipulis per vicina montium loca, vbi eremum facere potuisset. Dumque longas in quærendo moras protraheret, repente aquis vndique circunfluentibus ita concluſi sunt, vt nec ipsi iam redire, nec de monasterio quisquam ad eos posset aliquatenus transuadare. Viuebant autem ex aliquantis castaneis, quas secum detulerant. Cumq; dies Dominicus aduenisset, & alia cibi spes nulla iã super esset,

esset, cœpêre fratres pauculas, quæ remanserant, castaneas deglubere, iam quodammodo credentes vltimum ex eis conuiuium præparare. Romualdus autem, vt erat semper alacri vultu, fidenter ait, quia nisi Deus sibi panem per aliquem mitteret, ipso die nullatenus manducaret. Discipuli vero mirantes inter se, in qua spe hoc ille præsumeret, certi tamen quia magister incaute aliquid vouere non posset, cibum iam tantæ solennitati congruum cœpêre fiducialiter expectare. Sexta igitur diei hora iam appropinquante, ecce tres viri onusti pane & vino & aliis cibis, aduenium, qui se de longinquis partibus cum multo labore ad eos peruenisse dicunt. Tunc itaque spiritali omnes repleti gaudio, benedicentes Deum, pariter cibum sumunt, & beatum virum per reuelationem hoc penitus agnouisse indubitanter agnoscunt.

Eius in Deum fiducia.

Res admiratione digna.

LXXII. QVODAM tempore venit vir venerabilis Sytriam. Qui cum adhuc ieiunus esset, & fratres, vtpote in arduis montibus, piscem quem ei ad comedendum apponerent, non haberent, cœpere inter se quodammodo confusi erubescere, & quid pro tam venerabili hospite parare potuissent, anxie cogitare. Tunc frater quidam puto diuinitus inspiratus, ad siccum pene riuum, qui iuxta præterfluebat, cum festinatione cucurrit, vbi nimirum & aquæ exiguum erat, & piscis illic visus nunquam penitus fuerat. Cœpit itaque frater Deum deuote deposcere, vt qui Israelitico populo aquam potuit ex arida petra producere, ipse sibi dignaretur piscem in arenti riuulo demonstrare. Confestim igitur missa manu, in exigua aqua piscem reperit, qui beato viro ad refectionem abundanter sufficere potuit, Deo scilicet seruo suo prouidente conuiuium. Inuentum quippe est in saxeo & arido monte, velut in piscosa valle, viuarium. Sed quia de vita beati viri hæc, quæ nimirum pauca de multis dicta sunt, sufficere credimus, iam ad transitum veniamus.

Exod 17. Num. 20.

Piscis capitur per miraculum.

LXXIV. VIR denique sanctus per multa alia habitauit loca, & multa alia, præcipue à suis discipulis perpessus est mala, plura quoque per eum sunt facta miracula, quæ nos describere ideo prætermittimus, quia longioris styli prolixitatem vitamus. Post cuncta igitur habitationum suarum loca, cum iam finem suum imminere conspiceret, tandem ad monasterium, quod in Valle de castro construxerat, rediit, ibique appropinquantem obitum indubitanter expectans, cellam sibi cum oratorio ædificari, in qua recluderetur, & silentium vsque ad mortem seruaret, mandauit. Sane viginti annis, antequam vitam finiret, discipulis suis manifeste prædixerat, quia in præfato monasterio oporteret eum quiescere, nulloque adstante, vel funeris exequias procurante, expediret eum spiritum exhalare. Facto itaque recluso rio, cum mens eius in eo esset, vt mox includi deberet, cœpit corpus eius magis magisque molestiis ingrauescere, & deorsum iam velut non tam languore quam decrepiti longæuitate senij declinare. Nam à medio fere anno, nimia sibi phlegmatis abundantia cum ipso læsi pulmonis marcore defluxerat, & graui eum tussis anhelatione vexabat. Non tamen propter hoc vir sanctus vel lecto decumbere, vel inquantum possibile erat, soliti rigorem ieiunij acquieuerat relaxare.

Ingens nimi eius feruor.

LXXV. QVADAM igitur die cœpit paulatim corporis virtute destitui, & ingruente molestia grauius fatigari. Sole itaque iam ad occasum vergente, præcepit duobus fratribus, qui adstabant, vt foras exirent, & cellulæ post se ianuam clauderent: celebraturi vero sibi matutinos hymnos, ad eum diluculo remearent. Cumque illi de eius fine soliciti velut inuiti exirent, non statim ad quiescendum properant, sed magistrum ne obire contingeret, anxij, precioſi thesauri talentum prope cellulam latentes obseruant. Aliquandiu igitur commorantes, cum deinceps curiosis auribus attentius auscultarent, & neque motum corporis, neque sonum vocis audirent, iam quod euenerat, veraciter opinantes, impulsa ianua velociter irruunt, lumen accendunt, & beata anima in cælum rapta, supinum iacere sanctum cadauer inueniunt. Iacebat itaq; velut neglecta cælestis margarita, in summi postmodum Regis ærarium honorifice reponenda. Nimirum qui sic obit, vt prædixit, illuc transiuit, quo sperauit.

Feliciſſime obdormit in Domino.

LXXVI. VIXIT autem vir beatissimus centum viginti annis, ex quibus viginti expendit in sæculo, tres duxit in monasterio, nonagintaseptem in eremitico transegit proposito. Nunc igitur inter viuos cælestis Hierusalem lapides ineffabiliter rutilat, cum ignitis beatorum spirituum turmis exultat, candidissima stola immortalitatis induitur, & ab ipso Rege regum vibrante in perpetuum diademate coronatur. Post sacratissimum autem viri venerabilis obitum quanta miraculorum signa per eum Deus ostenderit, quis quærat transacta legere, cum frequenter valeat & noua videre? Quia igitur [a] ea, quæ apud sepulcrum eius fiunt, miracula tanta sunt, vt melius putemus cuncta silentio præterire, quam pauca narrare, duo solummodo, quæ per eundem beatissimum confessorem alibi facta sunt, sufficiat vobis exponere.

Hic necesse est errorem irrepsisse. Nam si viginti años natus, factus est Monachus, idque cõtigit annũ 1071. pulcrum

sub Honesto Archiepiscopo Rauennate, vt supra cap. 3. dictum est, qui sedit ab anno 971. vsq; ad annum 983. sequeretur eum vixisse vsq; ad Quo tempore iam ipse Petrus Damiani huius vitæ author, mortuus fuit. Vide Baron anno 1027. §. *Hoc anno ponitur.* [a] Miracula ad eius sepulcrum innumera.

LXXVII. FRATER quidam, qui sancti viri discipulus fuerat, paruam basilicam pro anima sua monasterio dederat, ad quam videlicet basilicam extremitatem manicæ præscissam ex beati viri cilicio misit, & sub altari honorifice recondi præcepit. Quam tamen gerulus sub altari, sicut iussus fuerat, collocare neglexit, sed missam in rima parietis incaute dereliquit. Factum est postea, vt dæmoniacus quidam ad prædictam duceretur ecclesiam. Cumq; adstans in medio, huc illucq; rotans caput, cuncta vndique circunspiceret, tandem toruos oculos in ipsum parietem terribiliter cœpit infigere, & intentus illuc, vbi sancti cilicij iacebat particula, crebris non cessabat vocibus exclamare: Ille me eiicit, ille me eiicit: & ita clamans, protinus ab eo expulsus est. Hinc ergo iure perpenditur, quid per semetipsum apud diuinam clementiam impetrare non possit, ante cuius breuissimam vestimenti particulam dæmon stare non potuit: & qui talia absens exhibet, quid per corporis præsentiam non exercet?

Nota miraculum ex sancti viri cilicio.

LXXVIII. ALIO quoque tempore Castaldius quidam pauperculæ mulieri vaccam violenter abstulit, & eam vociferantem, multisq; precibus obsecrantem audire contempsit. Illa protinus accurrens, duos gallinarum pullos ad ecclesiã, quam supra memorauimus, detulit, & eos ante altare proiiciens, huiusmodi verbis clamare flebiliter cœpit: Eho, sancte Romualde, exaudi miseram, ne despicias desolatam, & redde mihi gubernatricem meam iniuste sublatam. Mira res. Vix adhuc villicus cum ipsa rapina, per emissæ sagittæ spatium à domo mulieris abierat, quod continuo percussus, vaccam in eodem loco dimisit: deinde domum perueniens, protinus expirauit.

En quid possint sancti inuocati.

LXXIX. POST quinquennium vero à sancti viri obitu, data monachis ab Apostolica sede licentia, vt supra venerabile corpus eius altare construerent, Atho quidam frater syluam petiit, quatenus modicam capsam faceret, quæ sancti Confessoris ossa & puluerem tantummodo capere potuisset. Nocte igitur insecuta, dormienti cuidam fratri venerabilis quidam senex apparuit, quem protinus interrogans, ait: Vbi est huius monasterij Prior? Quod cum ille se scire negaret, ilico senex addidit: Pro fabricanda capsa ire in syluam studuit, sed beati viri corpus in tam exiguum vasculum non intrabit. Postera igitur die Prior, composita capsa reuertitur, & mox à fratre, qui visionem viderat, quæ illum causa ad syluam inuitasset, inquiritur. Quod cum ille velut labore defessus dicere noluisset, ilico frater & sui causam itineris retulit, & quod ipse viderat, exponendo per ordinem non celauit. Defosso igitur tumulo, ita propemodum totum sancti viri corpus sanum illibatumque reperierunt, velut tunc fuerat, cum sepulturæ illud primitus tradiderunt, excepto quod tenuis quædam mucoris lanugo in quibusdam eius membris excreuisse videbatur. Reiecta igitur modica capsa, quæ facta fuerat, ilico vas aptum ad mensuram beati corporis præparant, & in eo sanctarum reliquiarum

Corpus sancti viri integrũ post quinquennium ab eius obitu.

quiarum patrocinia recondentes, desuper altare solenniter consecrant. Obiit autem vir beatissimus decimotertio calendarum Iuliarum, regnante Domino nostro IESV Christo cum Patre & Spiritu sancto, in sæcula sæculorum, Amen.

Corpus eius translatum est Fabrianum oppidum in Piceno, ibiq; in Ecclesia S. Blasij ordinis Camaldulensis honorifice conditum 7. Februarij, quo die festum eius duplicis officij ritu celebrari Clemens VIII. Pontifex Max. præcepit. Vide Bar. in mart. 7. Feb. 1. & 19. Iunij nunc autem est semiduplex.

VITA S. DEODATI EPISCOPI ET CONFESSORIS PER QVENDAM MONACHVM VALLIS GALILÆÆ CONSCRIPTA. SED STYLUM nonnihil, vbi visum fuit, emendauimus, & numerum capitum ad marginem adiecimus. AN. 650.

I. PIISSIMVS pater noster Deodatus, præcipuo nobis hodie encomio celebrandus venit, qui nobili Occidentalium Francorum sanguine procreatus, morum & operum præstantia inter suæ familiæ vel prosapiæ homines vel maxime emicuit, tametsi ætate corporis postremus haberetur. Porro de virtute in virtutem per ætatis incrementa gradatim procedens, studio geminæ charitatis & Deo & hominibus se gratum præbuit, diuitias salutis sapientiam & scientiam, & cum iis timorem Domini ceu incorruptibilem thesaurum infatigabiliter complectens. IVNII 19.

II. ITA ergo factum est, vt idoneus tandem videretur, qui pari consensu Cleri & plebis, diuinitus Niuernensi pontificatu donaretur, ne sanctitas eius diutius sub modio lateret, sed tanquam lucerna splendidissima, congruo imposita candelabro, tam verbis quam factis in Dei sanctuario luceret. Factus igitur Episcopus, non quæ sua sunt quæsiuit, sed quæ IESV Christi, nec tam pro honore ab hominibus debitam reuerentiam, quam à Deo sempiternam remunerationem expetiit. Cuius rei hoc potest esse certissimum argumentum, quod illo se pontificatu vltro abdicauit. Diuini enim amoris sagitta salubriter vulneratus, cupiebat totus currere post IESVM, dicens ei cum sponsa: Trahe me post te: curremus simul in odorem vnguentorum tuorum. Videbat mundum totum in maligno positum, & se in medio scandalorum versari. Sicut autem solent superbi homines, etiam cum parum aut nihil potius faciunt boni, se perfectos & multa virtute præditos arbitrari: ita humiles etiam tum, cum omnia quæ præcepta sunt, faciunt, se seruos inutiles, & omnibus viliores atque inferiores non solum voce pronunciant, sed etiam intimo cordis affectu sentiunt. Conuersi enim à peccatis, & in suis oculis iam humiles effecti, Domino paruulos custodienti mente supplici non sine lachrymis dicunt: Imperfectum meum viderunt oculi tui. Hoc itaque pacto vir summæ sanctitatis Deodatus, in charitate Dei perfecta humilitate fundatus & radicatus, districti Iudicis & æquissimi tribunalis eius consideratione perterritus, sciens cui plus commissum sit, ab eo quoque plus requisitum iri, totum se accinxit ad perfectam Christi imitationem suscipiendam. Deliberatione ergo tantæ rei plane expedita, nuncium remittit tam suis quam alienis negociis, & ne nauis Ecclesiæ Christi tam idoneo destituta gubernatore veniret in discrimen, frequenti gregi suo, piis eius retinendi causa lachrymis armato, valedicit, & cum aliquot eiusdem propositi sociis è Niuernensi oppido egrediens, voluntarium sibiipsi à natali solo exilium indicit, ciuis Angelorum & Christi cohæres futurus, quem expectare volebat in solitudine saluus factus à pusillanimitate spiritus & tempestate tumultus popularis.

S. Deodatus fit Episcopus Niuernensis.

Abdicat se pontificatu. *Cant. 1.*

Ingreditur solitudinem.

III. HIC iam non pigeat nos facere, quod solent metallorum effossores & inuestigatores: qui si venam ipsis arridentem diuitemque massam pollicentem comperiant, mox marris & instrumentis aliis ad eam rem accommodatis rudera omnia egerunt, donec ad metallum optatum pertingant: Ita & nos beati viri huius animum mundo mortuum, & cum Christo in Deo absconditum, modo id fieri possit, ex eius rebus gestis metiamur, pensemus, quanti ille fecerit mundum vniuersum, cui etiam tum valefecit, cum plurimum arrideret, sequi malens ad suscipienda lamenta spiritus contribulati & contriti cordis Dominum IESVM, qui ne nos periremus, in hanc lachrymarum vallem è summo cælo commigrauit. Nec sane pauperculus homuncio tanta alacritate relinqueret vile tuguriolum, culmo & cespite contectum, quanta hic verus Dei cultor vrbem Niuernensium, cuius in summa rerum affluentia episcopatum administrabat. Sed ad alia pergamus. Beati autem, immo terque quaterque beati viri, centuplum à Christo & vitam æternam percepturi, præ cæteris comites fuêre Arbogastus & Florentius: quorum prior in sacro nemore, quod Germanico idiomate Heiligeforst dicitur, eremiticam duxit vitam, & inde ad Argentinensis Ecclesiæ præsulatum raptus est, cui decedenti, item à solitudine Hasale abstractus Florentius datus est successor. Postquam autem ambo plurima virtutum exempla de se præbuêre, vocati à Domino, ad cælos migrarunt spiritu, corpore in locis supradictis quiescunt. Præter hos fuêre cum Deodato Willigodus, Domnolus & eiusdem cum illo nominis Deodatus, quos nullus labor ab eo separare potuit, quin certatim illi officiose inseruirent, & eius parerent iussis, satius ducentes cum illo inter ignotos affligi, quam apud notos in patria rebus iucundis perfrui.

Arbogastus & Florentius eius comites.

Willigodus Domnolus & Deodatus alij eius discipuli.

IV. PRÆSIDEBAT tum Tullensi Ecclesiæ Gribaldus vir sanctissimus, quando fidelis Christi seruus Deodatus, repudiato sæculo, in Vosagi saltu sibi sedem delegit, cumque tandem cum sociis veniisset ad Romanum prædium, quod tum duo fratres inter se partiebantur, cuius esset meriti, Dei nutu declaratum est. Asclas enim, vnus ex iis fratribus, nouas illic extruebat ædes; ad cuius fastigia cum ventum esset, trabs quædam, cui omnis contignatio inniti debebat, nulla arte vel industria per triduum suo potuit loco aptari, modo breuitate aliâs curuitate vel alia re id impediente. Iratus igitur Asclas conuiciis artifices proscindebat, quod cum syluam ad manum haberent, velut inertes multam operam in eam rem frustra impendissent. Illis autem iam & opere defessis, & animi mœrore affectis pransum euntibus, vir sanctus eo accedit, & fessus ex itinere in ea domo residet. Vbi autem ex puerulo quodam didicit rei totius seriem, multa permotus misericordia, quæ ab infantia cum illo adoleuerat, tentauit opem ferre mœrentibus: accitoque beato Willigodo & sociis aliis, trabem illam sensim ad locum suum admouit, ac deinde cœpto perrexit itinere. Vbi id resciuit loci eius herus, non longe progressum ex itinere ad se reducit: compertaque tum peregrinationis eius causa, tum ipsius conditione, prædium illud ei donauit, vsu tantum eius ad vitam sibi reseruato, certam argenti summam in annos singulos viro Dei pollicens. Nec dubitauit pauper Christi suscipere aliena, qui reliquerat sua, vt merces cumularetur religioso viro ex ipsius eleemosyna, qua videbat sustentari posse pauperes Christi, quos postea illic Christo congregauit: aut certe quod spiritu præuideret locum illum dilecti discipuli sui Willigodi sepultura nobilitatum iri: ad cuius quidem exanime corpus tot & tanta vsque in præsens miracula eduntur, vt nemo possit habere dubium, quin spiritus eius degat in cælis.

Gribaldus Tullen. ecclesiæ antistes.

Mouit ponderosiss. trabem suo loco S. Deodatus.

V. INDE vero progressus Deo deuotissimus antistes, Argentillam, quæ sic à riuulo suo dicitur, peruenit, eam nunc vulgus rusticum Arentellam corrupte vocat. Ibi, tanti itineris labore defatigatus, commorari constituit, impensasque sibi

que sibi ad construendum illic monasterium præparauit: cuius fundamenta cum iam ad aliquod fastigium perduxisset, offendi cœpit & affligi iniuriis & improbitate accolarum ipsi inuidentium, tanquam in dies sibi illorum fundos vsurpaturo. Erant illi strenui sane milites, sed libertatem suæ malitiæ velamen habentes. Eorum ergo proteruiam Dei seruo humiliter declinante, derepente ira cælestis adeo in illos incubuit, vt tam ipsi, quam posteri eorum aut annos gratissimæ iuuentutis non excesserint, aut certe mentis facti inopes, à finibus suis per ignominiam exclusi sint, donec nequam stirps illa è medio sublata esset.

Vindicta Dei in reprobos.

HINC venerabilis vir post immodicos auiæ & anfractuosæ solitudinis circuitus Alsatiam ingressus est, vbi inter VI.
Amalarici villare & Vngisuillam apud Wilram condito domicilio resedit: cuius quidem hodieque plurimæ illic ostenduntur parietinæ, & fons perspicuus atq; saluberrimus, eius nomine celebris. Vbi cum circumcirca, tanquam Sol quidam spiritalis, radios Deo gratæ actionis euibraret, & dociles hominum religiosorum animos bono Christi odore ad se adduceret, quidam inter proceres eximius Hunnus cum coniuge Hunna, qui in vicinis locis morabatur, magisque ex debito quam intentione huic mundo inseruiebat, in familiarem serui Dei amicitiam se insinuauit. Similis quippe amat sui similem, & fugit quisque dissimilem sui. Accessit vero inter illos ad solidæ dilectionis plenitudinem, quod sanctus præsul eius prolem & baptizauit, & è salutaris fontis lauacro suscepit.

Baptizat prolem Hunni familiaris sui.

VERVM sanctæ charitatis & totius boni hostis diabolus vt vidit non mediocres ad Dominum posse redire fru- VII.
ctus ex beati viri verbis & exemplis, si ille tam insignis veræ religionis cultor in impia & bonis operibus sterili gente demoraretur, ad eum profligandum extulit superbum caput. Itaque subito quodam furore inflammat stolidum & indocile vulgus aduersus hominem Dei, ceu alieni iuris inuasorem. Illi porro regionis eius proceres concitarunt, donec perpetuis iniuriis & minis vexatus, tandem abscedere compulsus est. Roganti autem illum Hunno, ne ipsum deseret, eique sui iuris possessiones, vt in illis degeret, humanissime offerenti, vir Dei cum lachrymis respondit: Cur ego tot annis exul & profugus in hac prouincia perpetuo vagabundus oberrem, cum in illa propter peccata mea vel pedis vnius spatium, in quo quiescam, non liceat obtinere? Itaque deinceps vastæ me dedam & ignotæ solitudini, in ea mortem oppeturus: videat pietas Domini, cuius amore & desiderio reliqui patriam, & in has me regiones contuli. His dictis, post mutuos amplexus discessit ab Hunno, non sine multis vtrinque fusis lachrymis.

Valedicit Hunno cum lachrymis.

AT vero pro iustitia persecutionem patienti seruo suo non defuit diuina miseratio, quæ & illi commodum & IIX.
optatum dedit locum, & persecutores eius ignominiosa & miserabili percussit clade. Proceres enim illorum in ipso ætatis flore extinxit, manetque in hunc vsque diem ea vltio apud posteros eorum, ita vt non semel eximij & illustres viri atque matronæ, generis sui calamitatem formidantes, & seipsos & fundos suos viro beato voluerint obnoxios esse, ne in ipsos quoq; diuina vltio propter maiorum suorum peccata redundaret. Porro eius pagi ruricolæ omnes, qui per id tempus illic nati fuêre, strumoso gutture suæ temeritatis pœnas luerunt. Eo autem dedecore non sunt affecti, quotquot trans torrentem nasci potuêre. Quod vbi aduerterunt fœminæ ad partum propinquæ, torrentem illum transmittere consueuerunt.

Vltio diuina in posteros eorum, qui sanctũ Dei à suis finibus eiecerunt.

AT vir Dei indefesso quidem spiritu, sed plus satis defatigato corpore, per scopulosa iuga montium, per concaIX.
ua vallium reptabundus tandem anhelus attigit vallem, quam Galilæam vocant, anno ab incarnato Verbo, sexcentesimo sexagesimo nono. Eam vallem interluit & irrigat Morta piscosus & vastus fluuius: apud quem in ripa eius Australi reperta spelunca & fonte amœnissimo aliquandiu illic delituit, herbarum tantum agrestium & exiguorum pomorũ esu corpus sustentans, cupiens imitari veteres illos sanctos patres, qui egentes errauêre in solitudinibus, in montibus & speluncis, & in cauernis terræ. Interea Dominus non immemor fidelis serui sui, nihil de crastino cogitantis, religiosum virum Hunnum ita in somnis compellat: Cur sinis Deodatum venerabilem Episcopum fame confici in solitudine, qui mea causa factus est exul & inops, & pro sua modestia noluit tibi vel minimos actus suos indicare. Respondenti Hunno, se nescire vbinam sit Deodatus, dictum est à Domino: Impone sarcinas iumentis tuis, & inuocata diuina maiestate, sine ea sua sponte iter istud ingredi: non deerit, qui deducat ea. Hunnus expergefactus, refert hæc deuotæ coniugi: illa modis omnibus hortatur, vt acceleret. Dimittuntur iumenta, & per inuiam eremum recto itinere ad speluncam beati viri perueniunt. Quidam autem illa pedetentim secuti, inueniunt hominem Dei: qui cum prior ex illis scisciatus esset quamobrem eo veniissent, rem totam ordine cognoscit: Deoque cum lachrymis gratias agens, quod ipsius in necessitate non fuisset immemor, tam seruos Hunni, quam iumenta primo necessariis reficit alimentis, deinde ad dominum ipsorum remittit. Ita ergo reperto viri Dei habitaculo, non modo Hunnus, sed etiam plerique alij religiosi homines postea ei res necessarias miserunt. Videmus hic non imparem hac in parte Deodatum sanctissimis patribus Frontoni, Benedicto & Columbano diuinitus ei, sicut & illis, victu necessario suppeditato.

Hebr. 12.

Indicat Dominus Hunno in somnis vbi sanctus lateat.

Iumenta sponte sua ad speluncam beati viri perueniunt.

PORRO ex ea benignitate Dei, tam bene de ipso soliciti, vir perspicacissimus colligens gressus suos eo à Domi- X.
no directos, ad condendam sibi cellulam animum adiecit. Ea constructa, & in beatissimi Martini Episcopi honorem dedicata, reposuit illic & alia preciosissima sanctorum pignora, quæ ex patria secum attulerat. Cumq; fama sanctitatis eius in dies non solum ad vicinas, sed etiam longinquas regiones dimanaret, homines fideles vndique ad eum cateruatim accurrebant. E quibus nonnulli sua prædia hilariter illi conferebant, permulti ad condendum monasterium pecunias & quæcunque poterant, largiebantur. Plerique vero non sua duntaxat, sed eius etiam imitandi desiderio accensi, seipsos in eius disciplinam multa instantia tradedant. Nec pudefiebat fama, quę eius virtutes prędicabat, cum præsentes maiores in illo cernerent, quam antea auditione accepissent. Per id tempus is, quem sæpe diximus, Hunnus prædium suum, quod ab eius nomine nomen Hunnuuillaris acceperat, vna cum ecclesia ei deuotus donauit, in qua ecclesia ipse cum sua coniuge humatus est, non dubiam fidem facientibus miraculis, quæ illic fiunt, ambos cum Christo in cælis viuere.

Multi imitantur S. Deodati vitam eius sese tradẽtes disciplinæ.

Hunnus prædium suum cum ecclesia ei donauit.

PORRO etiam Childerici regis regalis munificentia eam vallem, quam Galilæam diximus vocatam, fisco re- XI.
gio abstulit, & integram viro Dei & eius successoribus annuli sui impressione in perpetuum assignauit: puta ab ipso ortu riuulorum vel amnium in eam vallem influentium, vsque ad exitum eorum: vt illic vir Dei monasterium conderet, & quem vellet seruorum Dei numerum illic aggregaret. Crederes Dominum pro multis molestiis, quibus hactenus non vno ex loco depulsus, affectus fuerat, sanctam eius animam iam egregie consolari voluisse. Intellexit hoc etiam ipse beatus vir, maxime quod & diuinitus & humanitus se iuuari cerneret, ibidem iuxta S. Martini oratoriolum monasterium extruere voluit. Quidam autem ex eius discipulis cum vltra amnem Morimonte, qui nunc monasterio præeminet, operariis, ædificio illi necessariam materiam succidentibus & præparantibus, intenderet, velletque iam sub vesperam redire ad cellam, sed tæderet illum transire Mortam fluuium, cuperetque maturius redire ad opus, in colliculo, quem Iuncturas vocant, nocte irruente manere compulsus est. Colliculus autem id nominis inde accepisse putatur, quod Rotbat & Morta non longe ab eius radicibus inter se commisceantur. Vbi frater ille somno correptus, per visum oratorij in beatissimæ Dei genitricis honorem illic construendi diuinitus præceptum accepit. Quod cum mane retulisset sanctissimo magistro, in ipso visionis loco ille lapidem erigi iussit. Nec diu post condita illic basilica, in ea altare collocatum est eo in loco, vbi visio fratri oblata fuerat: idque in honorem beatissimæ

Cõstruitur basilica in honorem

tissimæ matris Dei omniumque Apostolorum, pariterque præcipuorum Treuericæ vrbis Episcoporum, Eucharij, Valerij, Materni & Maximini consecratum. Iuxta hanc autem basilicam aliud fabricatum est oratorium in beati martyris Mauritij & sanctissimi collegij eius honorem. S virginis Mariæ matris Dei.

XII. Qva in re facile licet perspici, beatissimum Archiepiscopum nostrum Hildulphum cum primis familiarem fuisse sanctissimo Deodato præsuli ab ipsis vsque monasterij huius fundamentis, quippe qui illi largitus fuisse credatur reliquias iam dictorum Treuirensis populi antistitum, inprimis autem S. Maximini, cuius sacros artus nuper admodum in eam transtulerat ędem, vbi nunc illi pro dignitate in veneratione habentur. Fuit autem is annus Christi sexcentesimus sexagesimus septimus: quo tempore Deodatus etiamnum in Alsatia morabatur, quem constat anno Domini sexcentesimo sexagesimonono in vallem Galilæam aduenisse. Nec ab re fuisse credendum est, Deo deuotissimum præsulem tot tamque preciosis Franciæ suæ prætermissis patrociniis, specialem aram Treuirensibus posuisse. Poterat sane vir Domini Hildulphus, eremiticam ducturus vitam, Arduennæ vastissimos expetere saltus, quemadmodum alios quosdam eius vicinos feciisse constat: aut certe Histriæ deserta repetere, è quibus ad Treuericam sedem olim raptus fuerat: sed amore singulari charissimi Deodati sui ad nostrum Vosagum pertractus fuit. Cui sententiæ si quis calumniator opponere se velit, priuilegiis vallis Galilææ facile ille conuincetur, in quibus multa charitas charissimorum patrum nostrorum luculenter apparet. Et quia hic sese offert opportunitas, de antiqua loci eius immunitate aliqua inseremus. Hildulphus Archiepiscopus Treuirensis.

XIII. In quibusdam iam sæpe dicti cœnobij regia & pontificia authoritate firmatis (priuilegiis vel literis) beati patris nostri Hildulphi nomen reperitur præfixum titulis, duodecim subscribentibus Episcopis. In ibi sanctæ compassionis vir Archiepiscopus, immo Patriarcha profitetur sanctam & compunctam religiosamque postulationem venerabilis viri Deodati Episcopi suarum aurium intima penetrasse, & viscerabili affectu pietatis ita cor suum charitatiua petitione emolliuisse, vt voluntatem eius libentissime non impleuisse, nimis irreligiosum fore putauerit. Consequenter etiam ibidem annotatur, quoniam sancti desiderij ardore succensus reuerendus Deodatus Episcopus, in valle Galilæa, quam ex regis fisco promeruerat, cœnobia apud Iuncturas, sicut supra diximus, construxit primus, vbi monachos vel peregrinos sub sanctissimorum patrum Benedicti & Columbani regula victuros deliberabat collocare deuotus. Cui tandem communi decreto sanctorum antistitum conceditur, vt nullus regum vel principum aut episcoporum seu quoruncunque clericorum suis vsibus audeat aliquando præusurpare quicquam eorum, quæ ad Dei famulos, ibidem sub Euangelica perfectione degentes pertinere videntur, & quæ ab ipso patre Deodato Episcopo acquisita fuerint, aut regio munere seu reliquorum fidelium collatione, tam in sacris voluminibus, donariisque altaris & ecclesiasticis ornamentis: quam in iis, quæ deinceps ipsi serui Dei proprio labore addere potuerint. Et quandocunque sæpedictus Deodatus, qui nunc est pater monasterij ipsius, à Deo fuerit vocatus, quem illa congregatio ex sese vnanimiter elegerit, subrogetur, & ad altaria benedicenda, vel sacros ordines percipiendos quem voluerint Episcopum expetant, nullaque ecclesia absque priuilegiis viuens quicquam sperare vel auferre ab eis præsumat, & nemini nisi inuitatione aut permissione totius congregationis liceat monasterij ipsius septa intrare. Quod si quilibet pontificum ab eis communiter postulatus pro ipsorum vtilitate accesserit, mox secundum voluntatem congregationis expleto suo ministerio abeat, absque requisitione vllius muneris: quatenus sub sancta regula viuentes, de percepta quiete, iuuante Domino, per tempora exultent, & pro statu Ecclesiæ Catholicæ plenius Deum exorent. Si autem aliquam transgressionem regulæ suæ fecerint, & à proprio pastore obiurgari noluerint, etiamsi Episcopus eorum, qui & Abbas, seditionem congregationis sedare per se nequiuerit, tunc alios Abbates, eandem regulam professos, ad ipsum monasterium conuocet, qui sententia regulari scandalum deprimere curent. Quod vtique priuilegium infringere ausus, præsentium authoritate præsulum damnatur, & per venerabiles viros Blidoaldum presbyterum & Iahinum diaconum absentibus ad subscribendum destinatur. Quod & deuote fuisse factum, superius est dictum. Hactenus est istud: iamiam quod restat agatur. Construxit S Deodatus cœnobia in valle Galilæa. Priuilegia iisdem monasteriis concessa.

XIV. Igitvr currente sexcentesimo septuagesimoprimo anno ab incarnato Dei filio, ab aduentu autem domini Deodati ad Galilæam tertio, semper imitandus pater Hildulphus Archipræsulatu Treuirorum sese abdicans, & ad moriendum cum Christo huic aridæ eremo sese addicens, dulcissimus vicinus, & paratissimus confinis suo Deodato accessit, Iacobi reuerendissimi Leucorum præsulis adiuuante suffragio. Porro beati illi ac semper memorandi patres nostri Hildulphus & Deodatus in solitudine, vt optauerant, vicini effecti, non se inertiæ aut desidiæ dedêre, sed vigilarunt alacriter erga mutui eiusque synceri amoris custodiam, tanto effecti familiariores, quanto viciniores. Vt enim maior existit splendor, si ignem igni, aut lucernam lucernæ adiungas: ita sanctis viris ex propinquitate, conspectu & mutuis colloquiis accreuit charitas. Etsi autem mutua conuersatione & familiaritate nihil illis esset iucundius, at tamen indignum erat tantos hospites, ceu duo mundi clarissima lumina, intra vnius cellulæ angustias latitare, cum vix caperent singulæ singulos, maxime quod possent singuli plurimos secum ad Deum adducere. Itaque statuerunt inter se clarissimi pontifices, dum in hac essent vita, semel in anno sese mutuo inuisere, & nocte vna simul manere: quam noctem totam sanctis colloquiis & diuinis laudibus solebant insomnes transmittere: mane vero ab inuicem recedere. Discipuli autem illorum, si quid vellet alter alteri indicatum, inter vtrosque expediebant. Porro dominus Hildulphus non ita procul cum suis occurrere solebat venienti ad se domino Deodato & sociis eius: eumque manu apprehensum ducebat ad orationem more antiquorum patrum, & vt habet institutio beatissimi Benedicti Abbatis: fusaque pariter prece, salutabant se mutuo cum gaudio spirituali: & tum demum inuicem se osculabantur, & cætera charitatis ac beneuolentiæ officia prosequebantur. Itidem faciebat piissimus pater Deodatus, veniente ad ipsum Hildulpho, cui etiam vltra Mortam amnem pergebat obuiam cum suis. Nam quoad vixit, cellam priorem, quæ erat apud sancti Martini oratoriolum, non reliquit. Vir quippe grandæuus erat & iam veteranus atque emeritus Christi miles, nec potuit ferre hominum concursus, neq; externis fratrum laboribus interesse: maxime quod nihil illi iam liberet aliud, quam vacare & videre, quoniam Dominus ipse est Deus: gustare & videre, quam suauis sit Dominus. Hildulphus sese abdicat archipræsulatu. Adiungitur S. Deodato. Semel in anno sese mutuo inuisunt. Militant sub Regula sancti Benedicti.

XV. Fertvr autem statura fuisse insigni & procera, forma cum primis eleganti, animo clementissimo. At iam nimio labore & multa ætate confectus, curuus incedebat. Nonnunquam tamen adibat fratres operantes, singulorumque consideratis & constitutis operibus, ad cellam noctu redibat. Hodieque monstratur semita, qua solebat ire ad monasterium, quod est apud Iuncturas. Beatus vero Hildulphus statura fuit mediocri, vultu angelico, mente valde compunctus, voluntariæ paupertatis studiosissimus: quem promptum & alacrem ad omne opus bonum efficiebat etiamnum virens senectus & in Deum suspensus animus. Nam & in extremis vitæ suæ annis manuum labore victum & vestitum sibi comparabat. Et quanuis ætate iunior, vitæ tamen sanctitate & morum integritate Deodato non inferior. Alter alterum sibi mutuo præferebat. Humilimus quidem Hildulphus caniciem in Deodato, Deodatus vero in iuniore Hildulpho patriarchalem dignitatem & morum integritatem venerabatur. Qui tanquam duæ cælestis fabricæ columnæ à domino decenter erectæ, solido & inflexibili robore mentis, sic assistebant summo opifici, vt maxima lapidum congerie sibi imposita non grauarentur. Ipsis enim dulce erat & delectabile, gregi sibi concredito attendere, infirmitates, onera & pusillanimitates patientissime sustinere, vt sua spirituali biga eum ad cęleste ędificium S. Deodatus statura procerus. S. Hildulphus mediocris. Deodatus & Hildulphus duæ columnæ.

Item duæ gallinæ Euangelicæ.

transueherent. Putares sanctos Patres illos gallinas esse intellectuales & Euangelicas, quæ pullos suos meritorum alis & orationum rostris ab inuisibilium miluorum rapacitate subtrahebant & tuebantur, manibus pedibusq; illis alimoniam suppeditabant, necnon frigidos eorum, exemplorum plumis, calefaciebant artus. Satagebant interim extra nidum proprias extendere pennas, & alter alterius subuenire necessitatibus, facti sunt cum infirmis infirmi, vt infirmos lucrifacerent: Omnibus omnia facti, vt omnes saluos facerent. Vixêre præterea ad tempus soliciti, vt eorum filij aliquando forent securi. Nec piguit eos laboris, quo sancto eorum successores vacarent ocio. Hoc opus, eorum structuræ, hoc studium, eorum exigebant fugæ, ac potissimum B. Patris nostri Deodati, qui tot loca sibi magno labore constructa mutauit, donec filiis suis aptam & quietam sedem inueniret.

1. Cor 9.

XVI. IGITVR Deo dignissimi Antistites spirituali insudantes operi, nullatenus à recto deuiabant itinere, quotidie de virtute in virtutem progredientes. Etenim tanto reddebantur alacriores ad laborem, quanto viciniores properabāt ad requiem. Nec sentiebant in Christi vinea pondus diei & æstus, quibus iam instabat vespera, vt redderetur nummus. Tandem postquam in ista Vosago, hæc sancta Dyas, & veræ sanctitatis ac virtutum biga Deodatus & Hildulphus septem annis cum sex mensibus habitassent vna: largus remunerator Deus statuit B. Deodato laborum suorum reddere mercedem, qui iam percurso vitæ stadio tanquam strenuus athleta respiciebat in remunerationis brauium. Quare vocatus à Domino, languore correptus decubuit lectulo, quod cum absentibus discipulis nunciatum esset, accurrunt mœsti & tristes, magistrique grabato astantes, ne tam dulcis ac necessarius pater filios desereret, communi eiulatu deprecabantur. Quos ille verbo salutari instruens compescebat, atque ad sanctæ regulæ ordinisque obseruantias exhortatus est. Quibus dictis, sese Deo & eorum precibus humiliter commendauit. Interea sancti viri exitum iam instare S. Hildulphus in visu noctis diuinitus edoctus est: qui vt euigilauit, ad beatum quantocius properauit, sicut à Domino ei imperatum fuerat. Quem postquam adhuc viuum reperit, eidem omnia ecclesiæ sacramenta administrauit. Decebat enim, vt amicus amico ad superna præcedenti extremum valediceret, viaticum præberet, & ecclesiasticam conferret sepulturam. Cuius præsentia vir sanctus recreatus, ac vehementer in Domino gauisus est, qui suo commilitoni Hildulpho exitus sui diem reuelare dignatus fuerat. Nec mora, discessurus ab hac lachrymarum valle B. Deodatus, ad suscipiendum regimen ouium, quas ibidem hactenus verbo & exemplo enutriebat, superstitem amicum compulit, discipulisque mandauit, vt eundem Hildulphum læti susciperent, & quandiu viueret solicitе retinerent. Cuius desiderio acpiis votis cum discipuli & B. Hildulphus annuerent, inter astantium manus sanctam animam, multis Deo commendatam precibus, continuis laboribus pro Dei honore & iustitia elimatam, & multis virtutibus adornatam, efflauit, ac in manus Dei commendauit, quem facie ad faciem sine fine videre promeruit. Mortuus est igitur Pater noster Deodatus, & quasi (vt in Ecclesiastico scribitur) non est mortuus. similem enim sibi reliquit post se. In vita sua vidit, & lætatus est in illo: in obitu suo non est confusus est coram inimicis. Reliquit enim defensorem domui suæ contra inimicos, & amicis reddentem gratiam.

S. Deodatus & Hildulphus Dyas & biga virtutum.

Infirmatur S. Deodatus.

Defungitur vita S. Deodatus.

Eccl. 30.

XVII. TRANSIIT autem de morte ad vitam, de exilio ad patriam S. Deodatus, 13. Calen. Iulij, quæ tunc erat dies Dominica, anni ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi sexcentesimi septuagesimi noni, indictione septima: Ab ingressu vero eius in hanc Vallem Galilæam anni vndecimi. Regnante Theodorico Clodouei filio, fratreque Childerici, sub quo pessimus apostata Ebroinus excellentissimum martyrem Leodegarium Episcopum, variis tormentis vexatum, capitali damnauit supplicio. Omni ergo reuerētia sacrum funus à discipulis portatur ad ecclesiam beatæ Dei genitricis Mariæ, ibiq; pro eo immolata salutari hostia à deuotissimo Archipræsule, sepulturæ commendatur, expletis de more & ritu Ecclesiæ solitis exequiis. Et quanuis aquosum erat cæmeterium prioris eius monasterij, vtpote situm in conualle, oportebat tamen tanti precij corpus in præsentia fratrum quotidianas laudes & preces persoluentium quiescere, vt eius frequens haberetur memoria. O quantus tunc luctus monachorum, dum viderent tam fideli pastore se esse orbatos? qui quanuis non erat deflendus, cohibere tamen nequiuerant lachrymarum inundantiam, quas non impetus carnis, sed spiritus eliciebat à præcordiorum intimis. Cupiebant enim cum ipso dissolui & regnare cum Christo in gloria, maxime cum perpenderent se in luctu remansisse, nec hic manentem ciuitatem in tempore, sed futuram esse inquirendam in æternitate. Itaq; vir Dei S. Hildulphus sic obtemperauit extremis votis defungentis amici, vt vigintiocto annis & amplius (quibus ipse superuixit) eius præesset relicto gregi, per præpositos administrans necessaria ipsi domui. Et quanuis sui loco Abbatem propriæ congregationi in saltu Vosago præfecerat, (propterea quod desiderio supernæ contemplationis accensus, exterioribus negociis occupari refugeret) vallem tamen Galilæam à sua cura non abiecit, quandiu in mortali degebat corpore: vis enim perfecti amoris erga sanctissimum Deodatum eum coëgit, vt laboris & curæ non pœniteret. Non enim grauabatur suscipere aliena, qui præ lassitudine aliis commendabat sua Dicebat enim apud seipsum: Qua fronte adibis amicum, si mandatum eius vltimum refutaueris? Pro cuius perenni vita in cælis & gloria, primo depositionis illius anno cœnobium vallis Galilææ multoties adire solitus erat, frequentans ad sacrum corpus Missarum solennia, discipulosq; susceptos consolans, ac in sancto proposito sui instituti confortans.

Philip. 1.

S Leodegarius Episcopus & martyr.

Sepelitur S Deodatus.

Præest conuentui S. Deodati annis 28. Hildulphus.

XIIX. ELAPSO tandem anno à glorioso obitu D. Deodati, in quo beatus Patriarcha Hildulphus assidua visitatione monachos, & frequenti immolatione salutaris hostiæ defuncti curabat prodesse spiritui: pristinam deinceps institutionem resumpsêre fratres vtriusque loci. Et quemadmodum semel in anno venerandi Antistites mutuas solebant frequentare cellas: ita postea studuêre facere eorum discipuli, qui viro Dei Hildulpho vallem Galilæam inuisenti, loco patris sui Deodati occurrentes, offerebant Magistri sui tunicam, quam ille reuerenter susceptam, tanquam dignissimum pignus amici exosculatus & amplexatus est, & quasi in noua veste viuentem intuens, sanctitatem eius veneratus est, nam quicquid adorationis impendebat insensibili tunicæ, id suo chariſſimo Deodato fecisse arbitrabatur, cuius efficacibus meritis seipsum adhuc in stadio huius vitæ decertantem, atq; in spiritali palæstra desudantem, sustentari inter dulcia suspiria credebat & precabatur.

Tunicam S Deodati quanti fecerint discipuli eius.

XIX. CVM iam sancti viri temporalis vita in multos annos Deo disponente, tenderetur, quatenus eius exemplo plurimi ad spiritualem vitam prouocarentur & excitarentur, factum est, vt circa vltimos vitæ suæ annos multo senio fractus, frequentiq; labore & cura domestica debilitatus, cellam suam solitæ visitationis gratia egredi non valeret: non tamen destiterunt S. Deodati discipuli pro more, magistri sui tunicam eidem offerre, ne dulcis eius intermoreretur memoria. Igitur cum diuina miseratio glorioſum suum militem Hildulphum ab huius sæculi fluctuoso mari ad portum salutis æternæ vocare statuisset, per dilectum suum Deodatum dignatus est eidem transitus sui diem denunciare, quatenus is vtrique monasterio de bono Pastore prouidere satageret. Vnde vir sanctus plurimum in Domino gauisus est, quod ab hac lachrymarum valle ad perpetuæ consolationis tranquillitatem mox erat assumendus, vbi omnis lachryma ab oculis eius abstergeretur. Itaq; propriis sui monasterij fratribus designato Abbate domino Raimberto, vallis autem Galilææ domino Marcinanno, feliciter obdormiuit in Domino, ab incarnatione Iesu Christi anno septingentesimo septimo.

Apparet B. Hildulpho S Deodatus.

Moritur S. Hildulphus.

XX. INTEREA à deuotissimis discipulis inuiolabiliter fuit obseruatum, quod à prudentissimis Magistris fuit institutum: videlicet, vt semel in anno mutuas inuiserent cellas, tanquam præcipua pignora præferendo sanctorū Patrum suorum

suorum tunicas. Siquidem monachi S. Hildulphi, ipsius tunicam retinuerant sibi, sicut & monachi vallis Galilææ, S. Deodati. In quarum delatione tanta veneratio exhibebatur, vt dulcissimi Patres ad filios redisse post longa sæculorum volumina crederentur. Quod si (peccatis exigentibus) cælestis ira in populum grassaretur, & siccitate nimia, vel imbrium continua refusione, aut pestilentia, seu qualicunq; plaga plebs feriretur, mox hinc inde conglobata tunicas patronorum suorum cum lachrymis & orationibus offerebat & ingerebat diuinis obtutibus: & amota est plaga, nam contra desæuientis flagelli impetum tantum valebant sanctorum merita & populi fides, vt sine mora misericordissimus Deus iusti iudicij sui seueritatem à plebe cohiberet, atque optatæ misericordiæ consolatione ei distillaret. Quæ quidē consuetudo tam religiosa ac pia integerrime inter hæc duo cœnobia conseruata est, donec sancta corpora plurimis miraculis exornata subleuarentur de terræ gremio. Quocirca sicut tunc solebant discipuli Magistrorum tunicas offerre, ita nunc eorum posteri corpora sanctorum suscipiūt & animarum exuuias, quorum per merita pax nobis nunc & in æuum, Amen.

Imitantur maiorum instituta sequaces discipuli. Vide quantæ fuerint virtutis sanctorum tunicæ.

SVFFICIANT igitur hæc religiosis animis, quæ pauperculo sermone cursim explicuimus, de piissimi Patris nostri Deodati gestis, vix attingentes pauca de innumeris, minima de maximis, quibus clementia Dei in terris sanctum suum glorificauit pro vitæ suæ meritis. Cæterum tot & tantis quotidie miraculis venerabile corpus eius nobilitatur, vt vix ad conscribendum ea sufficiat calamus, nec aliquis possit habere dubium, quin spiritus eius inter suprema regnet angelorum agmina.

Conclusio Authoris.

VITA S. NOVATI FILII BEATI PVDENTIS SENATORIS EX MARTYROLOGIO ADONIS.

AN. 150.

I. ROMÆ, natale sancti Nouati fratris Timothei presbyteri, qui à beatis Apostolis eruditi sunt. De quo Nouato scribit * Pastor in gestis Potentianæ & Praxedis virginum ad prædictum Timotheum germanum eius. Venerabilis, inquit, virgo Praxedis post transitum germanæ suæ Potentianæ, valde afflicta erat. Ad quam consolandam veniebant multi nobiles Christiani, simul cum sancto Pio Episcopo, inter quos germanus vester Nouatus, & qui est frater noster in Domino, quiq; multos Christianos pauperes donis suis reficiebat, & nos frequenter cum beatissimo Pio Episcopo ad altare Domini communicabat. Post annum vero & dies viginti octo, ægritudine detentus est idem Nouatus, & absens erat à conspectu virginis Praxedis. Pio autem, Episcopo, cogitante de omnibus Christianis vna cum virgine, requiritur Nouatus vir Dei. Et dum auditum fuisset, quia ægritudine detinebatur, contristati sumus omnes. Beata Praxedis dixit ad patrem sanctum Pium: Iubeat sanctitas vestra, vt eamus ad eum, & visitatione nostra, vna cum orationibus vestris saluabitur. Et facta constitutione, nocte vna cum Pio Episcopo & virgine Domini perreximus ad virum Dei Nouatum. Cumq; audisset vir Dei Nouatus omnes congregatos ad se venisse, gratias cœpit agere Deo, quia meruit à sancto Pio Episcopo & virgine Domini, vna cum nostra deuotione visitari. Et fuimus in domo eius diebus ac noctibus octo. Factumq; est vt tertio decimo die ipse Nouatus vir Dei transiret ad Dominum, regni cælestis gloriam percepturus.

IVNII 20.

* Herma. iuxta Baran 159 §. 8.

Multos alit Christianos pauperes S. Nouatus Felix obitus eius.

VITAS. * LEVFREDI ABBATIS, PROVT EAM EX BIBLIOTHECA MONASTERII S. GERMANI IN PRATIS, PARISIIS, EDIDIT VINC. BAR. SALERNUS in Chronologia Lerinensi.

AN. 560. al Leufridi.

I. BEATVS vir Leufredus intra Gallias, pago Ebroicensi exortus est, sanguinis nobilitate conspicuus, parentibus Christianissimis natus. Hic ab adolescentia sua, cum in vana mūdi huius gloria excrescere posset, totam militiam suam Domino vero regi deuouit, magis cupiens pauper Christum nudus ipse sequi, quam diuitis sæculi vestitus, ad tempus sicut flos fœni florere. Mox ergo adhuc puerulus, diuino spiritu tactus, æstuabat animo: assidue parentes deprecans, vt accessum posset habere ad aliquem locum, vbi exercitia litterarum in scholis inuenirentur. Ad hæc cum pater nullo modo assentiret, & filij diceret se non posse absentiam sustinere: puer ille deuotus occasionē inuenit, qua id quod desiderabat perficeret. Petiuit ergo à patre, vt liceret sibi cognatos & affines suos visitare, qui in Castro Ebroicensi morabantur. Cumq; visionis mutuæ & allocutionis eis impendisset officium, continuo ad propria reuerteretur. Postquam itaq; obtinuit quod poscebat, ad suburbium præfatæ ciuitatis tetendit: vbi venerandus confessor Christi Taurinus, præsul quondam eiusdem loci requiescit. Veniensq; ad locum, & Ædituum domus Dei allocutus, ei voluntatis suæ reserauit arcanum. At ille libenter eum audiens vnanimi affectu tractauit: & quia mente sincerus, & corpore pulcher esset, fraterna dilectione ei ministrare curauit. Vt autem magistrum reperit, qui sibi operam in litterarum eruditione impenderet: cum documento linguæ, morum probitate cœpit alios anteire.

IVNII 21. Patria S. Leufredi.

Derelinquit parentes.

II. INTEREA cum ibidem diutius moraretur, parentes quos reliquerat, absentiam eius grauiter ferentes, & in exteris regionibus ad aliquam eremi vastitatem profugisse credentes: mox cœperunt circuire loca diuersa, si forsitan eum alicubi reperire possent. Et cum dies & noctes, in quærendo eo agerent: in memorato loco inuentus est. Cumq; ei vehementius instarent, vt parentum dolorem reuersione sua releuaret. Euangelica voce respondit. Nemo mittens manum suam in aratrum, & aspiciens retro, aptus est regno Dei. Nam postquā me dominus meus Iesus Christus ad sibi seruiendum assumere dignatus est, indecens omnino est, si ab eius nunc militia, ad carnis & sanguinis transeam amicitias: Præsertim cum ipse dicat. Qui amat patrē plus aut matrem quam me, non est me dignus. Et si quis venit ad me, & non odit patrem suum aut matrem, aut vxorem aut filios, aut fratres aut sorores, adhuc autem & animam suam: non potest meus esse discipulus. Tali actanto pondere dictorum victi parentes cum resistere non possent, in proposito suo eum manere passi sunt. Illisq; abcedentibus, cœpto operi magis ac magis insistere cœpit: quousq; omnibus sodalibus transcensis, magistrum quoq; suum æquiparare videretur.

Ab iis reperitur. *Luc. 9.*

Matth. 10. *Luc. 14.*

III. CVMQVE omnia epotasset in quibus idonei doctores erant, quos in eodē vico inuenerat, ad alium vicum, cui Cōdatus vocabulum est, festinus migrauit. Sed cum nec ibi virum inueniret, qui sibi satisfaceret ad omnia quæ quærebat: quā citissime loco cessit, ad vrbem Carnotensem, conuolauit: vbi diuersorum studiorum doctrinam abundare cognouerat. Quo cum peruenisset, iuuante semper Dei gratia, ita ad plenum eruditus est: vt omnes eum cum attētione discipulum mirarentur factum esse magistrum. Miroq; modo industriæ, sapientiæ, & cōuersationis sancta simplicitas in eo refulgebat: vt cum verborum studio, & litterarum affluentia, bonorum operum incrementa consurgerēt. Vnde factum est, vt ipse vir Dei experiretur, ꝙ cæteri sancti patres ab inimicis religionis suæ ppessi sunt. Etenim quāto ipse amplius flumine gratiæ spiritus sancti debriabatur: tanto maleuolorum sociorum inuidentia contra illum acrior erumpebat. Et hoc de versutia antiqui hostis, miseris hominibus accidit vt alter alterius fœlicitate torqueatur. *Sap. 2.* De quo scriptum est. Inuidia diaboli, mors intrauit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui sunt ex parte eius.

Conde.

IV. PORRO vir Dei cum contra se venena antiqui hostis, & inuidiam hominum grassari conspiceret: velociter inde digressus, ad propriam possessionem remeauit. Cum a fama reuersionis eius ad vicinos peruenisset: cognoscentes in eo diuinarum litterarum sapientiam coruscare, filios suos ab eo edocendos offerebāt. Quos ille & litterarum peritia imbuebat, & religionis modestia informabat. Deniq; dum spiritualib. studiis occuparetur, inter cætera semp memor

Alios edocet.

Matth 25. Eleemosynæ eius.

verborum Domini, quibus in iudicio fideles alloquetur dicens, q̃ vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis: neceſſaria indigentibus, viduis, ac pupillis & orphanis p̃curabat. Et eos in domũ ſuam introducens, ciborũ ſatietate reficiebat: & p̃ut poterat abceſſuris viaticum tribuebat. In eodem loco poſſeſſionis ſuę Oratorium ſtatuit: q̃ etiam reliquiis diuerſorum ſanctorũ, exornauit: Vbi nullus introitus neq; acceſſus fœminis dabatur. Sane quamuis adhuc in laico habitu detineretur, opus tamen veri monachi aſſidue Domino perſoluebat: per nox in vigiliis & oratione perſeuerans, in ieiuniis promptus, in eleemoſynarum largitate benignus.

Oratorium ſibi ædificat.

V.

Matth. 19.

Poſt hæc maiora ac perfectiora ſemp animo p̃quirens, cœpit intra ſemetipſum cœleſtis oraculi verba reuoluere, quib. dicitur: Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quę habes, & da pauperib. & veni, ſequere me. Qua p̃pter dignũ duxit, vt omnib. mundanæ dignitatis affectib. funditus deſpectis monaſticũ ſubito conuolaret ad habitũ. Nec in longũ deuotionis ſuæ diſtulit p̃poſitũ. Legerat quippe dixiſſe ſapientẽ: fili, ne differas cõuerti de die in diẽ. Quadã igitur die, cũ honeſtiorib. cibis p̃ter ſolitũ conuiuiũ inſtruxiſſet: patrẽ & matrẽ, p̃pinquos quoq; in domũ ſuam cõuocauit, & abundantia cibi & potus refecit: xenia inſuper eis largitus eſt. Cumq; iam veſpertina hora adeſſet, & illi in epulis lætarentur: ſeruus domini in corde domino decantans, ſecretũ aliq̃ ſecum meditabatur. Dixitq; eis. Audite me, chariſſimi parentes, noti & vicini, & quicumq; pauperculam domum noſtram introire dignati eſtis. Iam nox imminet, dignamini hic hac nocte requieſcere: & mane ad veſtra ſinguli reuertimini. Ego vero (iuuante me Domino meo Ieſu Chriſto) quod deſidero, feſtinus implere curabo. Hoc autem ad quid dixerit, omnibus incognitum eſt.

Eccleſ 5. Valedicit parentibus & amicis.

VI.

Nudum veſtit.

Cvmqve illi ſopore graui depreſſi eſſent, ipſe concupitum iter arripiens, parentibus relictis, & omnibus quæ in mundo tenere videbatur, intra profundæ noctis tenebras, veram lucem, id eſt Chriſtum, habere meruit. Cui iter facienti, pauper quidam nudus obuiam venit. At ille pallio quo erat amictus, eum protinus veſtiuit. Indeque paululum progrediens, alterum pauperem obuium habuit nudum. Quem ſimiliter veſtimentis ſuis circuntexit, reminiſcens propheticæ monitionis: Cum videris, inquit, nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris.

Eſa 58.

VII.

Cailly, haud procul ab Abbatia S Leufredi. Solus degit.

Peruenitq; ad monaſteriolũ, q̃ vocatur vulgo Varenna. Cumq; charitate illic habitantes aliquantũ tẽporis eum detinere vellent, nullo modo acquieuit: quia fœminarũ habitaculũ illud erat. Egreſſus itaq; petiuit locum qui dicitur Calliatus: vbi Dei hominem Bertrannũ inuenit, cuius in rebus diuinis indefeſſa mentis agilitas ferebatur. Qui dũ ſermone mutuo inuicẽ de ſpiritualib. agerent, viſum eſt eis vt aſpectib. hominũ ſe ſubducerent: & quaſi catena colligati, intra clauſtra domus vſq; ad finẽ vitæ in hymnis & precib. permanerent. Sed vir Domini Bertrannus, relictis omnibus quæ habebat, peregre profectus eſt. Deuotus vero miles Domini Leufredus in cœptis perſiſtẽs, ibidem ſe velut in ſpecu retruſit. Ibi die noctuq; orationibus & vigiliis intentus, fonte lachrymarum ora ſuffuſus, pietati omnipotentis ſeipſum commendabat: vt ipſe in quo ſperabat intentionem & opus ſuum vſq; in finem fœliciter dirigeret.

VIII.

Euoluto. a. tempore, cum iã diſpenſatio diuina per eum plures lucrandos decerneret, audita fama Beati Sidonij, vir Dei Leufredus Rothomagenſem vrbẽ protinus aduenit: vbi prædictus homo Dei Sidonius, Hibernia Britanniæ inſula ortus, virtutum ſplendore venerabilis habebatur. Poſtquam. a. venerabilis vir Dei Leufredus vera eſſe cõprobauit, quæ fama ad eum detulerat: homini Dei arctius ſe coniunxit, & per ordinem volũtatis ſuæ patefecit arcanum. Satisq; ab eo in regulari tramite ac monaſtica conuerſatione edoctus, & habitu corporis immutatus, accepit ſignum capitis, quo milites Chriſti à populari cœtu diſcernuntur: & ſub ipſo patre, voto ſe ipſe conſtrinxit, omnẽ obediẽtiæ diſciplinã ſeruaturum: ſciens ſcriptum, Obedire magis placet Deo, q̃ victimę: & auſcultare magis quam offerre adipẽ pacificorũ Et Samuel ad Saul ait. Quaſi peccatũ ariolandi eſt repugnare: & quaſi ſcelus idololatrię nolle acquieſcere.

S. Leufredus à B Sidonio monaſticũ habitum ſuſcipit. 1 Reg. 15.

IX.

Ansbertus Epiſcopus Rothomagenſis.

In diebus illis Domnus Ansbertus in Rothomagenſi vrbe pontificatum gerebat. Hic frequenter egregium virum Sidonium & ſanctum Leufredum ad familiare colloquium inuitans, de acquirendis Deo animabus cum eis tractabat. Factũ eſt interea, vt hortatu præſulis & Beati Sidonij, ad natale ſolum vir Domini reuerteretur: vt in patria ſua homines in via erroris ambulantes, ad lumen veritatis reduceret, cuius rei ipſe magis quam alius ſufficiens eſſet.

X.

S. Audoẽnus Rothomagenſis Epiſcopus. La Reuiere d' Vne. De hoc vide vitam ſancti Audoẽni Die 24 Auguſti Cap 18.

Egreſſusq; vrbe, ſpiritu ſancto Duce, deuenit in fines Madriacenſis pagi, ad locũ quidẽ virtutib. inſignem, nullis tamen habitaculis adornatũ. Dudũ namq; cum vir Domini Audoẽnus Rothamagẽſium Antiſtes, ſpiritu ſancto plenus, diuerſas p̃uincias peragrans, verbum Dei diſſeminare nõ ceſſaſſet, iamq; graui ſenio confectus equitare nõ valeret: vſus eſt vehiculo, in quo iacentẽ eũ duo muli vehebãt. Quodam igitur tẽpore cũ ſic incederet: accidit vt tranſiret per vallẽ illuſtrẽ, iuxta fluuiũ Aucturam, vbi via erat ab occaſu in orientẽ. Porro alia via ducebantur à Meridie in Septentrionẽ Dumq; ſuper ipſum locũ, vbi viæ in ſimilitudinẽ Crucis iungebantur, vehiculũ ſancti viri peruenifſet: illico tanquam terrore diuino, animalia ſubſtiterunt, nec à loco moueri potuerunt. Tunc vir Domini non abſq; myſterio rẽ tantã fieri ſentiens, familiare cũ Domino ſecretũ iniit. Et ecce reſpiciens in cœlũ, vidit ſignũ ſanctæ Crucis miro fulgore radians. Statimq; animaduertit vir Deo plenus, reſplendente cœlo ad terram, & terra ad cœlum, quod locus ille futuris temporibus Crucifixi Domini Ieſu Chriſti veros cultores habiturus eſſet, qui Crucis mortificationem in corde & in corpore ſuo euidenter geſtaturi eſſent. Tali igitur viſione glorioſus Domini Pontifex lætificatus, iuſſit ſibi afferri lignũ, vnde ſignũ ipſius viuificæ Crucis effigiare poſſet Sed cũ miniſter non inueniret: à ruſtico quodã in eodẽ loco terrã arante, partẽ ſtimuli precio cõparauit. De qua vexillum Crucis figurauit: & ceſpite congeſto deſuper illud compoſuit, ſanctorumq; reliquias ibidem colligauit. Quo facto iter q̃ cœperat p̃ſecutus eſt. Ipſoq; itinere perductus eſt ad prædium, q̃ vocatur Clippiacus. In quo finem vitæ p̃ſentis accepit: & ad aulã regni cœleſtis tranſlatus, vitam æternã eſt adeptus. Locus. a. ſupraſcriptus crebris miraculis reſplendebat: ita vt aduentantium illuc miſerorum multitudo, priſtinæ ſanitati reſtitueretur. Quinetiam continuis noctib. nubes ſplẽdidiſſima ſuper ipſum locum videbatur, ptingens à cœlo vſq; ad terrã Vicinis ergo in circuitu cõmanentibus tantæ rei nouitate ſtupefactis, quidã eorum caſulam horrei ſui ſup pignora ſanctorũ (q̃ p̃fati ſumus) ſtabilire curauit. Hunc deniq; locum vir Dei Leufredus poſt aliquot años deceſſionis ſancti Audoẽni Archiepiſcopi inuiſere tentauit. Viſoq; loco, amœnitate eius (eo q̃ eſſet aquarum nemorumq; & vinearũ fertilitate iocundus) miraculorũ quoq; p̃digiis, q̃ ibi fiebant, plurimũ lætificatus: Domũ ſacrã Domino Deo ibi conſtruere accelerauit, in honorẽ ſ. viuificæ Crucis, & ſanctorum Apoſtolorum, ac p̃cipui cõfeſſoris Chriſti Audoẽni põtificis. Atq; in eo loco altare ſtatuit, vbi Crux ſemitarum apparuerat Sed & poſt modicũ tẽpus congruentib. habitaculis eandẽ cellulã cinxit, atq; monachorũ conuerſatione nobilitauit. Siquidẽ ex diuerſis partib. ad eũ confluebant: qui poſſeſſiones agrorum ſuorũ vendentes, precia ante pedes eius, ſecundum morẽ primitiuæ Eccleſiæ deferebant: vt diſtribueretur omnibus prout cuiq; opus eſſet. Alij autem de facultatibus ſuis eundem locum ditare certabant: vt de redditibus rerum ſuarum per futura tempora ſerui Dei inibi habitantes neceſſaria acciperent. Dici non poteſt quanta celeritate locum ſuum Dominus exaltauerit: ita in breui ſpatio multi, pompa ſæculari abdicata, conuerſi ſunt ad Dominum.

S. Leufredus Templum S. Crucis ædificat, & monaſterium inſtituit. Act. 2.

Desiderius Ebroicẽſis Epiſcopus reprehẽdit S. Leufredum, & pœnitet facti.

XI.

Per idẽ tẽpus Pontificatũ Ebroicenſis Eccleſiæ Deſiderius agebat: à qua nõ lõge duabus. ſ. leucis ipſe locus diſtabat. Qui cũ opinionẽ viri Dei audiſſet, & quia plures ab ipſo, lumine veritatis accenſi, vitã Apoſtolicã ſequerẽtur: zelo inuidię ſuperatus, q̃ in dioeceſi ſua talia agere p̃ſumpſiſſet: quadãdie cõſcenſo equo, aſsũptis Officialib. ſuis, ad cellã viri Dei prexit. Ventũ eſt ad locũ: & ſubito virũ Dei iniuria verborũ exacerbauit. Sed cũ ad hæc patronus noſter imõbilis p̃duraret, & patientiam fortiter cõſeruaret magis ac magis Epiſcopus exagitatus furore, imperat ſuis, vt eum in

equum

equum leuarent: cum ipſe vir Domini iam decreuiſſet nunquam equum aſcendere. Cumque pariter ambularent, & eum Epiſcopus ad ciuitatem perducere conaretur, vt ibi in eum quæcunque vellet liberius exerceret: necdum milliarium à cella hominis Dei compleuerant, cum ſubito equus cui vir Dei ſedebat in terram concidit, & dirupta ſunt omnia viſcera eius. Mirantibus cunctis Epiſcopus nimio terrore conſternatus eſt: atq; leuitatem ſuam admodum reprehendit, quod virum Dei lædere præſumpſerit. Sicq; ad genua eius prouolutus, indulgentiam poſtulauit. Cui vir Domini memor orationis Dominicæ placide omnem iniuriam remiſit. Pontifex autem cum ſumma veneratione, & obſequio, eum ad cellam ſuam redire fecit. Vbi poſtea diuino adiutorio comitatus, per multa annorum curricula, & verbo fidei claruit, & miraculis corruſcauit.

XII. DENIQVE die quadam vnus monachorũ, nomine Gislehardus, tanta antiqui hoſtis malitia perculſus eſt, vt ſubito animã exhalare ſe crederet. Currensq; ad hominẽ Dei, voce lacrymabili, aiebat; Succurre pater ſuccurre: quia modo ab hac luce diſceſſurus ſum. At vir Domini ad familiaria ſibi arma recurrit: hortatusq; eſt ſuos, vt precib. obnixe inſtarent: vt ver⁹ & æternus paſtor Ieſus, vnã ouẽ ſibi creditã à iugo diaboli eripere dignaretur. Cum. a. ſurrexiſſet ab oratione, benedixit ei: dãs præceptũ vt in ieiuniis deuotus eſſet: Memor verbi Domini, ꝙ ad diſcipulos ait. Nã interrogantib. eis, quare ipſi nõ potuiſſent à puero imundum ſpiritũ eiicere, reſpõdit. Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione & ieiunio. Poſt hæc tradidit ei baculum, quẽ ipſe manibus geſtabat: & dixit ei. Conſtans eſto fili: non morieris modo. Viriliter age: & in operib. bonis meditare iugiter. Et ſanatus eſt frater ille: nec vlterius tale aliquid paſſus eſt. *Matth. 17.*

XIII. ALIO itidem tempore, noctu flamma ignis cùm caſu validiſſime per omnia monaſterij habitacula cremando peruolaret, repente vir Dei manus ad cælum leuauit: Omnipotentem inuocans, vt ipſe flammarum vires conſtringeret, qui fornacem Nabuchodonoſor nihil valere fecit, vt tres pueri liberarentur illæſi. Deinde oratione completa, tanto imperio impetũ ignis coercuit: vt nihil vlterius contingere poſſet: ſed tota violentia ventorum in vnum cõglobata, quaſi inundatione imbrium in ſemetipſo emarcuit. Vbi euidens miſericordia Dei, & interceſſio ſancti viri apparuit. Nam cum domus hęreret domui, omnia citiſſime deperiſſent, ſi non ſerui ſui Dominus precibus placatus fuiſſet. Flammam monaſterij ſedat *Daniel. 3.*

XIV. ALIO quoq; tẽpore certamen antiqui hoſtis quẽdam hominem inſtigauit: vt contra virum Dei inique ageret, & de rebus cellulæ ipſius diminutionem facere tentaret. Pro qua re, vir Domini zelo domus Dei permotus ad iudicem feſtinauit. Cumq; ſanctus Domini famulus querelam ſuam exponeret: homo ille turpibus ſermonibus ei cœpit exprobrare, atq; falſidicum appellare. Cui vir Domini cõcitato ſpiritu ait. Deus ipſe iudicet inter me & te. Et in hoc apparebit quis noſtrum iuſtitiam impugnet: ſi modo dentes ei radicitus omnes ab ore ceciderint: Et ſit hoc ſignum per omnem illius progeniem. Vix verba compleuit, & pondus condignæ vltionis ipſum & ſemen eius percuſſit: ita vt omnes de illius progenie nati hac maledictione deturpati ſint vſq; in hodiernum diem. Varia eius miracula.

XV. ALIVD ſimile miraculũ geſſit ꝑ eũ ſpiritus Domini. Nã cũ quondã in Auctura fluuio piſcando laboraret: ex aduerſo reſpexit eũ quædam fœmina, & quaſi ſubſañans, in corde ſuo dixit. Vere iſte caluus omnẽ hunc fluuiũ piſcãdo exhauriẽs euacuabit, nec quicquã poſt ſe aliis capiendũ relinquet. Sic. a. hoc ipſũ intra labia ſe ſubmurmuraſſe putauit: vt nullo modo ad aures viri Dei ꝑtingeret. Sed quia tumor verborũ ad virũ Dei puenerit ipſa experta eſt vt poſtmodũ claruit. Deniq; vir Deo familiaris conuerſus ad eã ait. O mulier quid inuides, aut cur moleſta es ſup bono, quod mihi cũ cæteris hominib. cõmune eſt? fiat tibi retro, & omni ſemini tuo, ꝙ mihi à frõte accidiſſe vides: vt ſicut frõs iſta capillis nudata eſt, ita tuum caput & ſeminis tui retro decaluetur. Quę verba viri Dei mox adimpleta ſunt: ſicut vſq; hodie rei veritas teſtatur. Nec mirum quia omnipotens Deus, nec ea quæ à fidelibus famulis ſuis vel leuiter proferuntur, ocioſa & vacua patitur præterire.

XVI. ALIO quoq; tẽpore cũ orandi gratia vrbẽ Turonicã peteret, limina ſancti Martini viſitare cupiẽs, tranſibat ꝑ pagum Vindocinenſem. Cumq; iã veſpere ingreſſus eſſet quandã villã Solemniacũ nomine, & fatigatus ex itinere aquã ad bibendũ poſtulaſſet: reſpõdit hoſpes. O homo Dei, penuria aquæ patria noſtra laborat: Nõ eſt nobis puteus, nõ eſt fons. His auditis, vir Dei ait ad fratres q ſe comitabãtur. Perennẽ fontẽ Dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtũ fratres deprecemur: vt de venis terræ hui⁹, fontẽ indeficientẽ manare faciat. Illico ab oratione ſurgẽs, virga q̃ manu tenebat decies terram percuſſit: & continuo fons viuus effluxit, qui permanet vſq; hodie. Omniſq; populus gauiſus eſt in mirabilibus, quibus per ſeruum ſuum Dominus penuriam eorũ releuare dignatus eſt. Ipſe autem iter ꝙ cœperat ꝓſecutus eſt. Orationibus ſuis fontem è terra producit.

XVII. CVMQVE loca ſanctorũ circuiſſet, peractis omnib. ad ꝓpriũ monaſteriũ repedauit: Præterea cũ optime in cœnobio ſuo turba monachorũ in lege Dei floreret, & grandi feruore ad ſupernã patriã anhelaret: ꝓ quibusdã neceſſariis negotiis euenit, vt reuerẽdiſſimus patronus noſter nobiliſſimũ Principẽ Carolũ Martellũ, Maiorẽ domus adiret: qui eo tẽpore quo Dagobertus rex, Childeberti glorioſiſſimi & æquiſſimi regis fili⁹, regnũ Francorũ tenebat curã reipublicæ nobiliter adminiſtrabat. A quo honorifice ſuſceptus eſt, & humane tractatus: & quæcunq; ſuggeſſit cõſecutus eſt. Nã & ꝓ merito ſanctitatis ei⁹, idẽ princeps familiariſſime eo vſus eſt: & gauis⁹ occaſionẽ ſe inueniſſe, de animæ ſuę ſalute cũ eo diutius tractauit. Iamq; cũ reuerteretur ad ꝓpria deuenit ad Caſtrũ Laondunẽſe, ꝙ Clauatũ vocant. Poſt quẽ prefatus Princeps feſtinãter direxit, qui eũ ad ſe celeriter reducerent. Nam filius eius Gripho grauiſſimis febrib. torquebatur: Cui mortẽ vicinã adeſſe credebant. Propter ꝙ princeps multis precib. virũ Dei flagitabat: vt ei ſanitatẽ priſtinã orationib. ſuis reformaret. Cũq; ille negare nõ poſſet, ꝙ paterna deuotio extorquebat: iuſſit vt à miniſtris ſibi offerretur. Igitur manib. miniſtrorũ puer ad eũ delat⁹, nocte illa cũ eo fuit. Cum. a. aquã ſanctificaſſet, & mẽbra pueri ex ea ſupfunderet, ſigno Crucis eũ muniens in diuinis laudibus & officiis noctẽ illã exegit. Inter q̃ cœpit puer melius habere, & humores febriũ p os effundere. In craſtinũ. a. ſeru⁹ Dei, Chriſtiq; ſacerdos miſſarũ ſoleñia celebrans, puero corporis Dominici ſacramentũ tradidit. Poſt hæc optime cõualuit puer: & ſibi ſalutẽ ſe reportare gauiſus eſt, & patri gaudium. Porro vir venerabilis poſtquã innotuit populis cuius eſſet meriti, reuerſus eſt in ſua. Venerabãtur hũc principes, diligebat manus plebeia: atq; ad imitandum eum nõ ſolũ ſui, ſed etiã externi de aliis Monaſteriis properabant. Eſt Dagobertus ſecundus Childeberti 2 filius. Griphonẽ filium Caroli Martelli ſanat.

XVIII. QVODAM vero tẽpore, cũ à reclamationib. rerũ Eccleſiaſticarũ, quas apud iudices ſæculares diſpoſuerat reuerteretur, hoſpitiũ cuiuſdã ꝓpinqui ſui ingreſſus eſt. Vbi cũ feruenti ſole muſcarũ inſolentiã pateretur, & miniſter iam laſſaretur, non prævalens abigere muſcas: vir domini manus conſerens ſuper oculos, Deũ exorauit vt requieſcerẽt iã mẽbra hac fatigatione laſſata. Tũc ſubito omnis illa inqetudo muſcarũ ceſſauit: nec vltra viſa eſt muſca in eadẽ domo. Muſcas abigit.

XIX. DÆMONVM quoq; phantaſmata potenter euaneſcere faciebat. Aliquando namq; cũ intẽpeſta nocte aliqui è fratribus ardentioris deſiderij ante tẽpus vigiliarum ſurrexiſſent, vt ſecretius orationi vacarent: adeſt imundus ſpiritus, ſedẽs in loco vbi vir Dei ſedere cõſueuerat, aſſumpta eius effigie. Nec mirum; cum ipſe Sathanas transfiguret ſe in Angelũ lucis. Cumq; à tranſeuntib. veneraretur, quia æſtimabãt ſecundũ morẽ, virũ Dei illic cõſediſſe, vnus eorũ nõ oblitus, vbi virũ Dei dimiſiſſet, citius venit ad eũ dicẽs. Similis tibi (O Pater) homo ſedet in baſilica vbi ſedere cõſueuiſti: Et modo illudit fratribus, qui ꝑ errorẽ illi reuerentiã exhibent. Audiens hæc vir Deo dilectus, præſtigiũ diaboli mox recognouit: & eadẽ hora ſurgens, oſtia & feneſtras eccleſiæ, vexillo crucis depinxit, ac impetũ in eũ fecit, & flagellis vexare cœpit. Ille vero per diuerſa fugiens, nõ inueniebat aditũ quo exiret. Tandẽ. a. vnum inuenit locũ, vbi vir Dei ſignum Crucis nõ direxerat: foramen ſ. cameræ, vbi funis dependebat, ꝑ quẽ ſignũ ꝑ horas canonicas pulſabatur. Et velociter funiculo illi iñixus faſtigiũ tẽpli conſcẽdit. Sed illo aſcendente, chorda poſt eũ quaſi ab igne cõbuſta eſt. Dæmones pellit. *2 Cor. 11.* Signũ hic pro cãpana ponitur.

Adhuc.a.lędere ſe poſſe ſanctũ virũ arbitratus, ſignũ illud à tẽplo aſportauit, nõ longe à monaſterio: & in defoſſo ter-
ræ aggere abſcõdit. Quod poſtea vir Domini releuari fecit. Nõ.n.latebat eũ vbi repoſitũ eſſet. Cognoſcentes equidẽ
imũdi ſpirit⁹ dolos ſuos & phãtaſmatũ figmẽta corã eo nil valere, ceſſerũt loco, meritorũ eius ſanctitate fugati. Hãc
namq; poteſtatẽ Domin⁹ Apoſtolis ſuis, ac omnib. fidelib. ſuis tribuit: q̃ ei inconcuſſa fide & perfecto corde deſeruiũt.
Luc. 10. Ecce (ait) dedi vobis poteſtatem calcãdi ſup ſerpẽtes & ſcorpiones, & ſup omnẽ virtutẽ inimici: & nihil vobis nocebit.

XX. Denique etiam per id tempus puella quædam Guntarij Comitis maligno ſpiritu infeſtabatur, intantum vt & linguæ officium amitteret. Cumq; in præſentia viri Dei deducta fuiſſet: ille aqua benedicta eam aſperſit, & crucis ſanctificatione ſignauit. Deinde digitos ſuos in os mulieris componens, expuenſq; in faciem eius, in nomine Domini noſtri Iesv Chriſti immundum ab ea ſpiritum expulit & continuo ſolutum eſt vinculum linguę eius: & ad imperium viri Dei mox loqui cœpit recte. Sicq; ſana facta eſt mulier ex illa hora.

XXI. Alio tẽpore dũ ipſe venerabilis pater cũ fratrib. in labore manuũ occupat⁹ eſſet quadã die, cũ iuxta ripã fluminis Aucturæ q̃ ipſi monaſterio à plaga meridiana adiacet, dumos & ſpinas toto adniſu ſuccideret: cuidã fratri excuſsũ de manubrio ferrũ à manu cecidit, & in interiora fluminis demersũ eſt. Illud.a. ferramentũ vocãt ruſtici bidubiũ: ꝙ à ꝙ-busdã falcaſtrũ vocatur: eo ꝙ in falcis ſimilitudinẽ curuũ ſit. Cũ. a. ad notitiã viri Dei hoc pueniſſet, ipſe ad fluuiũ ac-ceſſit: & cœpit ꝑquirere ab operantib. locũ, vbi ferramentũ illud cecidiſſet. Et agnoſcẽs locũ, ſtetit è regione, & bacu-lũ quẽ manu ferebat in flumẽ porrexit, Statimq; ſicut piſcis ad hamũ, ſic ferrũ illud natauit & baculo illi inhęſit. Quod vir Dei reddidit operario ſuo, cohortãs eum lenib. verbis, vt fidẽ diſceret habere in Deũ ꝑ quẽ talia fieri cerneret. Ipſe
Matth. 17. namq; in Euãgelio ad fidẽ nos exhortãs, ait. Habete fidẽ Dei. Amẽ dico vobis ſi habueritis fidẽ ſicut granũ ſinapis, di-
4 Reg 6. cetis mõti huic, Tollere & mittere in mare, ſtatim obediet. Vere venerabilẽ virũ iſtũ dixerim: q̃ etiã gratia & merito ꝑ-phetarũ exuberauit. In hoc etenim facto Eliſęũ imitat⁹ eſt: plen⁹ vtiq; eodẽ ſpiritu, ꝑ quẽ tanta facere Eliſę⁹ ꝑmeruit.

XXII. Sed & illud adiiciendũ eſt, ꝙ famulus Domini æmulatione Chriſtianæ religionis ſtimulatus, geſſit in vicino mo-naſterij ſui loco. Nã ꝑpe monaſteriũ erat locus, vbi armentorũ cuſtodia habebatur: vnde & boues ad excolendã terrã ꝑducebantur. Cõtigit deniq; aliquãdo, vt ab agricolis die ſabbathi, ſecundũ conſuetudinẽ legis ſuæ in cultura terræ debitũ ſeruitiũ ꝑſolueretur. Sed cũ ad terminũ ſuũ eo die nõ potuiſſẽt ꝑuenire, q̃a iã ſol ad occasũ feſtinabat: bubulci memorati loci precio ab eis accepto, cõtra vsũ Chriſtianitatis, in craſtinũ, id eſt, die Dominica auſi ſunt terram arare, volẽtes ꝑficere ꝙ imperfectũ reliquerant. Illis vero in hoc laborantib. adfuit vir Domini, veniẽs à cœnobio ſuo, poſt cõpleta tanti diei ſacramentorum ſolemnia. Videnſq; tantum facinus, grauiter ingemuit, & ait. Heu miſeri quid hoc feciſtis? Quare tã grande nefas tentaſtis? Et conuerſus ad Dominũ, cũ lachrymis imprecatus eſt dicens. Fiat Domine
Zelus S. Leufredi in violantes Domini feſtum. terra iſta ſterilis: & nullus fructus ex ea proueniat in æternum. Quod ita factum oculis comprobamus: ita vt vſq; hodie locus ille plenus ſit ſentibus & infructuoſis arbuſculis, neq; nucem, neq; fructum aliquem vtilem proferentibus.

XXIII. Aliquandiu ergo cella parua iuxta Baſilicã vſus eſt. Vbi cũ ap ꝑpinquare iã cerneret finẽ vitæ ſuæ, dieb. & noctib. in ieiuniis, in vigiliis & orationib. Domino indefeſſe vacabat. Interea cõtigit vnũ ex monachis è ſæculo migrare. Cũ-
In monachum habentem pecuniam. que fratres qui corpus eius tractabãt, inter veſtimẽta eius tres numos abſcõditos reperiſſent: cõtinuo patri reuerẽdiſ-ſimo retulerũt. At ille vehementer ad hæc infremuit: & eũ ẽ ſocietate fratrum excõmunicandũ eſſe decreuit: dixitq; fratrib. Ite & eiicite eũ in aliquẽ locũ ſeorſum & non in cœmeterio fratrũ. Et accipientes numos proiicite ſup eũ, cla-mãtes. Pecunia tua tecũ ſit in perditionẽ. Qui abeuntes, omnia ſicut iuſſerat executi ſunt. Factũ eſt a. poſt circulũ fer-me quadraginta dierũ, cũ deprecaretur vir Dei faciẽ Domini & ſe in lachrymis ac vigiliis, vel ieiuniis nimiis pro noxa fratris illius affligeret reuelatione didicit abſolutũ eſſe fratrẽ, & ad preces eius indulgentiã peccati collatam. Statimq; cõuocatis fratrib. ait. Fratres tẽpus eſt, vt miſereamur fratri, quẽ iudicio excõmunicationis extra ſortẽ veſtrã fieri cen-
Matth 7. ſuimus. Dominus Deus noſter precib. veſtris placatus, veniã ei contulit. Ideoq; & vos cõmunicantes ei, corpus eius ad Polyandrũ veſtrũ reuocate. Sicq; factũ eſt. O quantũ poſſunt, qui omnipotẽti Deo fideliter famulantur! Ecce.n.cum hic adhuc corpore cõmorentur, animas defunctorũ in alia regione & ligare poſſunt & abſoluere. Certe videmus q̃a iã hic ex parte incipiũt ſancti viri, ꝙ eis Dominus in futuro re ꝑmittit. Vos (inquit) q̃ dereliquiſtis omnia: & ſecuti eſtis me, in tegeneratione cũ ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſup duodecim ſedes, iudicantes duodecim trib. Iſrael. Per duodecim qui ſeſſuri ſunt omnẽ plenitudinẽ ſanctorũ iudicum voluit intelligi: ſicut & per duodecim tribus Iſrael omnes qui iudicandi ſunt. Vir namque ſanctus ſententia diuina animam fratris cum voluit ligauit, & cum voluit abſoluit. Sancti namque viri ſeueriſſima ſententia peccatores feriunt: vt pòſt iram diuinæ ani-
Exod 32. maduerſionis frænare poſſint. Quaſi enim ad vota ſanctorum ſuorum & iraſcitur Dominus & parcit. Ait quippe ad Moyſen. Dimitte me, vt iraſcatur furor meus cõtra eos. Sed Moyſes poſtquam iram Domini multis precib. à populo remouit, mox cõuerſus ipſe vltor in eis extitit: & peccatum plurimos occidendo purgauit: & ita Dominum placauit.

XXIV. Longum eſt enarrare per ſingula, quantam gratiam Dominus Beatiſſimo ſacerdoti ſuo contulerit. Nam & tempus me deficiet, ſi velim omnia geſta illius cõprehendere: licet plurima ſint, quæ homines ipſe latere voluit. Vnum eſt, ꝙ obliti ſumus, & neceſſarium duximus illud cõmemorare, ꝙ inter cætera pietatis opera geſſit. Præuidens. n. tempora
Xenodochium ditat. religionem refrigeranda, xenodochium monaſterij ſui ad ſuſcipiendos pauperes rebus ſufficiẽtibus ad huiuſcemodi eleemoſynam ditauit. Et vt opus miſericordiæ ſemper inuiolatum permaneat, teſtamento corroborare decreuit.

XXV. Poſtquam igitur ꝑ multa curricula annorũ, cœtũ monachorũ diutina pace rexit, quos ipſe Domino exẽplis & mo-nitis ſalutarib. acquiſiuit, ap ꝑpiauit tẽpus vocationis eius de ſæculo. Cumq; iã omnipotens Deus fidelẽ militẽ ſuum vellet à labore quieſcere: & brauio ſupnæ remunerationis cursũ eius remunerare decreuiſſet: plen⁹ ipſe ſpiritu ſancto
Moritur. mox febre corporis tactus eſt. Et deficientib. quotidie mẽbris cõgregari fecit ad ſe filios ſuos, quos in Chriſto ipſe ge-nuit: & exhortabatur eos multis ſermonib. Deinde miſit eulogiarũ benedictionẽ ꝑ loca ſanctorũ, & in vicino & pro-cul: petẽs vt religioſorũ virorũ interceſſionib. apud ſanctorũ memorias indulgentia ſibi & delictorũ remiſſio obtine-retur. His ita expletis, reuerſi ſunt ad eũ qui miſſi fuerãt. Et expectantib. omnib. diẽ vltimũ vitæ eius, ipſe vir Dei ani-mũ à laudib. Dei nõ patiebatur quieſcere: ſed noctẽ illã vltimã totã in vigiliis & laudib. Dei deduxit: & pſalterium ex integro cũ ſuis decantauit. Matutinorũ igitur ſinaxi cũ fratrib. pacta, exitũ ſuũ ſacramentorum ꝑceptione muniuit: & inter verba orationis & deprecationis vale dicens fratrib. vltimũ diẽ clauſit. Cõpleuitq; dies ſuos in ſenectute bona, ſenex & plenus dierũ: & ꝙ ſemp deſiderauit, & forti certamine q̃ſiuit, inter ſanctorũ ſpirituũ agmina ſuſceptus, de ꝑ-petua viſione conditoris ſui ſine fine lętatur. Sepultus vero eſt in Eccleſia, q̃ ipſe in honorẽ B. Pauli Apoſtoli fundaue-

[a] An. 851. 22. Iunij, ſed id à Gunberto Epiſcopo Ebroicenſi factum habet lac. de Breul in chronicis. rat. Indeq; [a] noſtris tẽporib. translatus eſt à Ioane venerabili Epiſcopo Dolenſis Eccleſię & Abbate loci ipſius in ſenio-rẽ Baſilicam q̃ ædificata eſt in honorẽ viuificæ crucis, & S. Audoëni ꝑcipui confeſſoris Chriſti. Militauit. a. vir Domini Leufredus bonã militiam ſub principib. Francorũ, Childeberto, Dagoberto, & Chilperico, iuniorib. ſcil. regib. Quo tẽpore Grimoaldus & Carolus ſenior, ꝑ ſucceſſiones Maiores domus palatij, curã regni adminiſtrabant. Præfuit huic monaſterio ꝑ años circiter quadraginta & octo: & requieuit in pace vndecimo Calendarũ Iuliarũ. Cuius patrociniis nos apud omnipotentẽ Deũ ac dominũ noſtrũ credimus adiuuari: vt & in ſæculi tranſeuntis excurſu recte & pie con-uerſemur, & poſt cohęredes illius in retributione iuſtorũ exiſtere mereamur: ꝑſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cũ patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat nũc & ſemp & in ſæcula ſæculorũ. Amen. MIRA-

Iuniores nominat, Carolum Martellum, qui hic ſenior cognominatur.

id eſt, horũ nominum ſecundos. Grimoaldus autem fuit filius Pipini Craſſi & Plectrudis reginæ Lotharingiæ: qui fratrem nothum habuit

MIRACVLA AD SEPVLCRVM B. LEVFREDI PATRATA.

I. EXPLICVIMVS ea quæ de vita & actibus Beati viri Leufredi Dominus donauit posse describere: Nunc dicamus paucis, quæ post excessum eius virtutum insignia, ad memoriam illius omnipotentia sanctæ Trinitatis operari dignata est. Nam ad cineres ipsius (si petentium adsit fides integra) cœci illuminãtur: surdi auditum recipiunt, claudi gressum: obsessi à dæmonio liberantur. Superbi quoq;, qui seruos Dei ante memoriam eius die noctuq; excubantes, infestatione tyrannidis suæ opprimere non metuunt, terribili vltione feriuntur. Hic & vbique author sepulcrum appellat memoriam

II. IN diebus igitur magni & glorioſissimi principis Caroli, Hucbaldus Abbas non paruæ ad sæculum dignitatis, ipsi monasterio præerat. Hic quendam ex domesticis suis nomine Batericum eidem loco præfecerat: vt eius cura res ipsius Ecclesiæ administrarentur, & alimenta ibidem Deo famulantibus, secundum ritum institutionis monasticæ, præberẽtur. Qui cœpit in eos ferus & austerus apparere. Accidit autem vt adueniente die, quo solemniter transitus sancti confessoris Christi Leufredi Abbatis erat excolendus, cum nihil præter solitum ad vsus seruorum Dei lautioribus cibus præpararet, Offa decanus memorati loci ad eundem Oeconomum accederet: Et vt mitius cum eis ageret gratia tantæ festiuitatis persuaderet. Ille autem, vt nomen S. viri Leufredi audiuit, blasphemauit: & superbiæ spiritu tumidus, spreuit dicẽs. Leufredũ nominas? Quis est ille Leufredus? Sic & subulcus patris mei vocatur. Sed scito, quia pro eius memoria, nullus vobis apparatus à me exhibebitur. Postera autem die surgens venatum abijt: & ceruam albi coloris insecutus, cum post eam nimium fatigaretur, nequiuit comprehendere. Monachi verò lætaniis & pecib. Dominum totis viribus in commune deprecabantur: vt super eos tandem clementer intenderet: & indignaretur super tantis blasphemiis nomini suo irrogatis. Et ecce cum sederet ad mensam cum vxore & necessariis amicis, inter cætera allatus est piscis: & ait. Omninò ex isto non manducabunt clerici Leufredi. Cui subito apparuit quidam monachus ex eadem congregatione, nomine Hercus dudum vita perfunctus, habens baculum manu sua. Ait autem Batericus. Video Hercum baculum tenentem, & contra me venientem. Certè vt video, in malum meum festinat. Cumq; vxor eius & omnes qui aderant stupefacti essent, vtpote qui nihil tale viderent: ille affirmabat sic se habere. Sed is qui videbatur terribiliter in eum impetum faciens, baculo eum in pectore percussit. Qui statim exiliens mensa, proiecit se in terram, & sanguinem ore & naribus execrans concidit: & illicò mandauit ad monasterium omnia necessaria de suo fratribus honestissimè præparari. Ipse aũt ipso vulneris dolore ingraueſcente, post modicum humanis rebus excessit.

III. NVPER quoq; quidam pene viginti annorum cæcus, ad memoriam viri Dei accessit. Vbi die tertio post festiuitatem S. Leufredi, misericordiam Domini, & auxilium intercessionis eiusdem viri Dei præstolabatur. Factumq; est, vt fratribus vespertinali hora in precibus incumbentibus, & prædicto cæco in Ecclesia perstante, columba (sicut ipse asserebat) à parte altaris veniens, in oculos cęci insiliret. Et cõtinuò cęcus voce magna exclamauit dicens. Adiuua me sancte Leufrede. Ad hanc vocem venerunt quidam è fratribus ad eum: & viderunt ab oculis eius guttas sanguinis defluere, & inuenerunt eum veraciter visum recepisse. Et postulans sibi potum dari, bibit & confortatus est, & sanus factus abijt.

IV. ALIA item fœmina cæca iuxta monasterium adueniens, cum cognouisset nullum aditum fœminis illuc ingrediendi patere: misit candelam ad memoriam viri Dei per quendam hominem. Cumq; accenderetur candela ante sepulcrum sancti viri, fœmina illa statim lumen recepit. Dæmoniaci quoq; catenati & loris astricti, sæpè ad eundem locum adducti, virtute & meritis sancti viri, pristinæ sanitati restituti sunt. Nota obseruantiam regulare quæ quondã fuit in monasterio S. Leufredi: quando fœminis ad eius sepulcrũ non patebat aditus

V. PLVRIMA omisimus, quæ etiam recenti tempore ad memoriam eius facta referuntur: timentes ne fortè cum religiosorum virorum paremus voluntati, legentibus fastidium gigneremus. Sed respiciat omnipotens Deus deuotionem seruorum suorum, & obedientiam nostram: & ad eius nos societatem (de cuius meritis etsi imperito sermone sed deuoto disputamus) peruenire faciat: vbi est gloria omnibus sanctis eius per infinita sæcula sæculorum, Amẽ.

De translatione corporis sancti Leufredi, ex eius Abbatia, ad monasterium sancti Germani à Pratis.

TEMPORIBVS Caroli simplicis, Francorum regis, monachi Crucis sancti Audoëni (quæ nunc est sancti Leufredi) Abbatiam suam à Nortmannis expilatam, peneq; totam dirutam deseruerunt: & cum sacris corporibus Audoëni Archiepiscopi, Thuriani pariter Archiepiscopi Dolensis in Britannia (qui Archiepiscopatus non multò post in Episcopatum reductus est) & Leufredi atq; Agofredi fratrum, ad Cœnobium S. Germani à Pratis venerunt, se suaq; omnia eis dedentes: vt in consortium aliorum adsumpti, bonorum quoq; huius loci ex æquo participes fierent. Quod quidem humanissimè illis aliquot annos præstitum est. Præuidens autẽ Robertus Comes & Marchio, Odonis quondam regis frater, & Hugonis magni pater, necnon tam nominis Abbatis S. Germani quam reddituum eius primus sęcularium vsurpator, Leufredianus monachos, fæliciore aura aspirante, posse à proposito desciscere, & bona data perfidè repetere (quod euentus docuit) hanc Abbatiam sanctæ Crucis non tam confirmari cætui Germanico, quam de nouo dari à Carolo simplice petijt, & impetrauit. Leufrediani Abbatia sua derelicta, monasterio S. Germani se cum omnibus bonis suis dedunt.

Ann. 918.

EODEM tamen anno, Leufrediani monachi, cum bellum Normannicum tamdiù Gallis infestum & exitiale per Rollonem primum Nortmanniæ ducem (qui à Francione Rothomagensi Archiep. baptizatus, atq; à Roberto Comite superiùs memorato ex sacro fonte susceptus, Robertusq; nuncupatus, hanc regionem prius Neustriam dictam, cum Egidia Caroli simplicis filia dotis nomine accepit) finitum minimè renasci viderent: ad proprias sedes repedare satagunt. Quamobrem monachi prædicti S. Germani pratensis, piè assentientes, illis Abbatiam suam reddiderunt: ita tamen, vt in memoriam humanæ eorum receptionis, ac per aliquot annos nutritionis, & modò indulti regressus, remaneret in præfato S. Germani Cœnobio Corpus B. Leufredi Abbatis: quod vsq; hucibidem honorificè asseruatur, & serenitatis impetrandæ causa sæpè solenni pompa processionaliter defertur. Varia tamen sancti corporis mẽbra à Monachis dicti Monasterij Germaniani diuerso tempore variis donata sunt, vt id accurate annotauit Vicentius Barrali Salernus in fine Chronologiæ Lerinensis. Leufrediani monachi monasteriũ suum repetunt.

S. ALBANI PRESBYTERI VITA. MOGVNTIÆ PASSI, EX MOGVNTINÆ ECCLESIÆ BREVIARIO. AN. 480.

ALBANVS Presbyter, cum Theonesto Episcopo suo Philippensi, Hunericho Wandalo in Catholicos grassante, Romam exul venit. Vnde in Galliam docendi gratia destinatus, Moguntiæ (quæ tum pastore orbata erat) prædicandi occasionem nactus, acriter Arrianorum perfidiam gladio spiritus, qui est verbum Dei, retundebat. Accidit autem vt aliquando Albanus, quo erat ingenio & facundia, acriùs in hæreticos inuectus, validissimis eos argumentis constringeret, sicq; in irã & rabiem plurimos concitaret. Quare magno furore ad pœnam è medio fratrum raptus, ac multis iniuriis est affectus. Quorum crude- 21. IVNII. Moguntiæ inuehitur in Arrianos.

Decollatur. litate ille nihil motus, in fide Catholica tanquam columna immobilis perstitit: donec inter diuersos clamores & stu-
dia populi verberibus grauissimè mulctatus, extra ciuitatem ejiceretur, capitalemq; acciperet sententiam. Sic placẽs
Fert caput suum. Deo hostia effectus, postquam ad locum supplicij peruenit, genibus flexis mente in Deum porrectissima, nudam spi-
culatori præbet ceruicem, æternam pro caduca hac, vitam recepturus. Quo loco prætereundum non est, quod fide-
lis traditio habet: dum caput eius à ceruice reuulsum esset, adhuc lingua in laudem Christi palpitante, martyrem il-
lud suis ipsius manibus sustuliſſe, ac firmo gressu aliquot passibus ad locum vsq; detuliſſe, vbi posteà honorificè fuit
sepultus.

Reliquiæ S. Albani asseruantur Moguntiæ à Canonicis Ecclesiæ S. Albani, qua destructa nunc eas habent in templo Prædicatorum. Vide Serrarium lib. 2. cap. 28. rer. Mogunt.

Alias duas copiosiores eiusdem Sancti vitas edidit Henricus Canisius antiquarum lectionum tomo V. sed quas suis nævis non carere putat Serrarius ibidem.

AN. 280. # MARTYRIVM ILLVSTRE S. ALBANI MARTYRIS ANGLIÆ, QVEM PLERIQVE ALBINVM VOCANT: EX HISTORIA Ecclesiastica gentis Anglorum Bedæ libro primo, capite 6. & 7.

22. IVNII. Ex cap. 6. ANNO incarnationis Dominicæ ducentesimo octogesimosexto, Diocletianus tricesimustertius ab Augusto I.
Imperator, ab exercitu electus, annis viginti fuit, Maximianumq;, cognomento Herculeum, socium creauit imperij: & Diocletianus quidem in Oriente, Maximianus autem Herculeus in Occidente vastari ec-
clesias, affligi, interficiq́ue Christianos, decimo post Neronem loco, præceperunt. Quæ persecutio omni-
Persecutio Ecclesiæ immanissima. bus ferè anteactis diuturnior atque immanior fuit. Nam per decem annos incendijs ecclesiarum, proscriptionibus
innocentum, cædibus martyrum incessabiliter acta est. Denique etiam Britanniam cum plurima confessionis Deo
deuotæ gloria sublimauit.

Cap. 7. SIQVIDEM in ea passus est S. Albanus, de quo presbyter Fortunatus in laude virginum, cùm beatorum marty- II.
rum, qui de toto Orbe ad Dominum venirent, mentionem faceret, ait:

Albanum egregium fœcunda Britannia profert.

Albanus vt fuerit conuersus. QVI videlicet Albanus paganus adhuc, cùm perfidorum principum mandata aduersum Christianos sæuirent, III.
clericum quendam, persecutores fugientem, hospitio recepit: quem dum orationibus continuis ac vigiliis diù no-
ctuq́ue studere conspiceret, subitò diuina gratia respectus, exemplum fidei ac pietatis illius cœpit æmulari: ac salutа-
ribus eius exhortationibus paulatim edoctus, relictis idololatriæ tenebris, Christianus integro ex corde factus est.
Cumq́ue præfatus Clericus aliquot diebus apud eum hospitaretur, peruenit ad aures nefandi principis, confessorem
Christi, cui necdum fuerat locus martyrij deputatus, penes Albanum latere. Vnde statim iussit milites diligentiùs
eum inquirere. Qui cùm ad tugurium martyris peruenissent, mox se sanctus Albanus pro hospite ac magistro suo,
Vltrò se offert ad mortem. ipsius habitu, id est, caracalla, qua vestiebatur, indutus, militibus exhibuit, atque ad iudicem vinctus per-
ductus est.

CONTIGIT autem iudicem ea hora, qua ad eum Albanus adducebatur, aris assistere, ac dæmonibus hostias of- IV.
ferre. Cumq́ue vidisset Albanum, mox ira succensus nimia, quòd se ille vltrò pro hospite, quem susceperat, militibus
offerre ac discrimini dare præsumpsisset, ad simulacra dæmonum, quibus assistebat, eum iussit pertrahi: Quia rebel-
lem inquiens, ac sacrilegum celare, quàm militibus reddere maluisti, vt contẽptor diuûm meritam blasphemiæ suæ
Constantia eius. pœnam lueret, quæcunque illi debebantur supplicia, tu soluere habes, si à cultu nostræ religionis discedere tentas.
At S. Albanus, qui se vltrò persecutoribus fidei Christianum esse prodiderat, nequaquam minas principis metuit:
sed accinctus armis militiæ spiritualis, palàm se iussis illius parere nolle pronunciabat. Tum Iudex: Cuius, inquit, fa-
miliæ vel generis es? Albanus respondit: Quid ad te pertinet, qua sim stirpe genitus? Sed si veritatem religionis audi-
re desideras, Christianum iam me esse, Christianisq; officiis vacare cognosce. Ait Iudex: Nomen tuum quæro, quod
sine mora mihi insinua. At ille: Albanus, inquit, à parentibus vocor, & Deum verum ac viuum, qui vniuersa creauit,
adoro semper & colo. Tum iudex repletus iracundia, dixit: Si vis perennis vitæ felicitate perfrui, diis magnis sacrifi-
care ne differas. Albanus respondit: Sacrificia hæc, quæ à vobis redduntur dæmonibus, nec auxiliari subiectis pos-
sunt, nec supplicantium sibi desideria vel vota complere: Quinimò quicunq; his sacrificia simulacris obtulerit, æter-
nas inferni pœnas pro mercede recipiet.

Verberibus afficitur. HIS auditis, iudex nimio furore commotus, cædi sanctum Dei confessorem à tortoribus præcepit, autumans se V.
verberibus, quam verbis non poterat, cordis eius emollire posse constantiam. Qui cùm tormentis afficeretur acer-
mis, patienter hæc pro Domino, imò gaudenter ferebat. At vbi iudex illum tormentis superari, vel à cultu Christia-
næ religionis reuocari non posse persensit, capite eum plecti iussit. Cumq; ad mortem duceretur, peruenit ad flumen,
quod muro & arena, vbi feriendus erat, meatu rapidissimo diuidebatur. Videtq; ibi non paruam hominum multitu-
dinem vtriusque sexûs, conditionis diuersæ & ætatis, quæ sine dubio diuinitatis instinctu ad obsequium beatissimi
confessoris ac martyris vocabatur, & ita fluminis ipsius occupabat pontem, vt intra vesperam transire vix posset. De-
nique cunctis penè egressis, iudex sine obsequio in ciuitate substiterat. Igitur S. Albanus, cui ardens inerat deuotio
mentis ad martyrium ocyùs peruenire, accessit ad torrentem, & dirigens ad cœlum oculos, ilicò siccato alueo, vidit
vndam suis cessisse ac viam dedisse vestigiis. Quod cùm inter alios etiam ipse carnifex, qui eum percussurus erat, vi-
Insigne miraculum. disset, festinauit ei, vbi ad locum destinatum morti venerat, occurrere: diuino nimirùm admonitus instinctu, pro-
iectoq; ense, quem strictum tenuerat, pedibus eius aduoluitur, multùm desiderans, vt cum martyre, vel pro marty-
Carnifex credit. re, quem percutere iubebatur, ipse potiùs mereretur percuti.

DVM ergo is ex persecutore factus esset collega veritatis & fidei, ac iacente ferro, esset inter carnifices iusta cun- VI.
ctatio, montem cum turbis reuerendissimus Dei confessor ascendit: Qui opportunè lętus gratia decentissima, quin-
gentis ferè passibus ab arena situs est, variis herbarum floribus depictus, imò vsque quaq; vestitus: in quo nihil repen-
tè arduum, nihil præceps, nihil abruptum, quem lateribus longè lateq; deductum, in modum æquoris natura com-
planat: dignum videlicet eum pro insita sibi specie venustatis iam olim reddens, qui beati martyris cruore dicaretur.
In huius ergo vertice S. Albanus dari sibi aquam à Deo rogauit: statimq; incluso meatu, ante pedes eius fons peren-
Fontem impetrat precibus suis. nis exortus est, vt omnes agnoscerent, etiam torrentẽ martyri obsequium detulisse. Neq; enim fieri poterat, vt in ar-
duo montis cacumine martyr aquam, quam in fluuio non reliquerat peteret, si hoc opportunum esse non videret.
Qui videlicet fluuius, ministerio persoluto, deuotione completa, officij testimonium relinquẽs, reuersus est ad na-
turam. Decollatus itaq; martyr fortissimus ibidem, accepit coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Sed
Capite truncatur. Pœna percussoris. ille qui piis ceruicibus impias intulit manus, gaudere super mortuum non est permissus. Nam oculi eius in terram vnà
cum beati martyris capite deciderunt.

DECOL-

VII. DECOLLATVS est ibi etiam tum miles ille, quia antea superno nutu correptus, sanctum Dei confessorem ferire recusauit. De quo nimirùm constat, quia etsi fonte baptismatis non est ablutus, sui tamen est sanguinis lauacro mundatus, ac regni cælestis dignus factus ingressu. Tunc iudex tanta miraculorum cælestium nouitate perculsus, cessari mox à persecutione præcepit, honorem referre incipiens cædi sanctorum, per quam eos opinabatur priùs à Christianæ fidei posse deuotione cessare. Passus est autem beatus Albanus die decimo Calendarum Iuliarum iuxta ciuitatem Verolanium, quæ nunc à gente Anglorum Werlamacestir siue Warlingacestir appellatur: vbi postea, redeunte temporum Christianorum serenitate, ecclesia est mirandi operis, atque eius martyrio condigna, extructa. In quo videlicet loco vsque ad hanc diem, curatio infirmorum, & frequentium operatio virtutum celebrari non desinit Passi sunt ea tempestate Aaron Iulius Legionum vrbis ciues, aliique vtriusque sexûs diuersis in locis perplures: qui diuersis cruciatibus torti, & inaudita membrorum discerptione lacerati, animas ad supernæ ciuitatis gaudia perfecto agone miserunt. Hactenùs Beda.

Ecclesia S. Albani. Miracula.

VIII. THEOPHANA imperatrix ob affinitatem S. Brunonis Colonien sis Archiepiscopi, Colonien se Benedictum S. Pantaleonis monasterium summo honore coluit, & ad illud S. Albani reliquias Roma, quò eas ex Anglia tulerat S. Germanus, pertulit. Eæ verò Moguntiam cum venissent, licet eiusdem sedis Antistes Augustam cum memoria martyris venerabiliter excepisset, donariis quoque non spernendis honorasset: verebatur tamen & auctoritate regia & martyris memoria recens adducti, cognatione vocabuli sui martyris Albani gloriam extenuari. Nam vterq; eorum vocabatur Albanus. Huncergo protomartyrem Angliæ, Albinum vocari obnixè rogauit, & cum optimatum regni consilio simul & auxilio impetrauit.

IX. HODIE itaque beatissimi martyris huius Albani sacræ reliquiæ Coloniæ in monasterio S. Pantaleonis religiosè asseruantur. Latuerat illic aliquandiù præclarus thesaurus, in quodam non magni precij & qui eius dignitati minùs congrueret, loculo conditus: at tamen crebra miraculorum signa præsentiam martyris & efficaciam perspicuè declarare videbantur. Itaque cœpit proferri in publicum & palam innotescere, quod diù fuerat in occulto. At vbi res innotuit Anglis, constanter illi asserere non dubitârunt, S. Albanum martyrem apud ipsos ortum & passum & conditum, eam, quam suo sanguine illustrâsset insulam, nequaquam reliquisse, sed in ea semper permansisse. Ea occasione is, qui per id tempus apud S. Pantaleonem Abbatis fungebatur officio, communicato cum fratribus sui monasterij consilio, cum sacræ beati martyris reliquiæ iam trecentis & quinquaginta annis in ipsorum ecclesia quieuissent, atq; ipsius martyrio mille & eo ampliùs anni fluxissent, ad loculum cum ingenti deuotione & reuerentia accessit, eoque aperto videt ipse, vident & cæteri fratres non sine multa admiratione multisq; lachrymis, magna omnipotentis Dei virtute, clarissimi martyris corpus tot sæculis incorruptum conseruari, lætanturq; singulari Dei beneficio tanti thesauri se compotes fieri posse.

S. Albani corpus incorruptum post mille annos.

X. VT autem certiùs de rei veritate constaret, & fidelium deuotio excitaretur, è loculo venerandas extulêre reliquias, & vt Deus laudaretur in sancto suo, publicè eas ad spectandas proposuêre: ac deinde in thecam aliam, auro argentoq; & lapidibus preciosis, quantùm eorum sinebant facultates, ornatam reposuêre, in qua hodieq; reseruantur. Tam autem recentes videbantur, ac si non ita pridem pro Christo cæsus esset inclytus martyr. Caput enim cum barba, ceruicem etiamnum sanguinolentam, brachia & manus, scapulasque pelle & carne tectas, pectus cum costis laterum, deniq; spinam dorsi cum renibus inuenerunt. Pannus etiam, quo sacrum corpus trecentis & quinquaginta annis obuolutum fuerat, instar niuis candidus & planè incorruptus erat. Cùm autem hæ sacræ reliquiæ ita ostenderentur, multi paralytici, claudi, curui, contracti, humi reptantes, gibbosi, cæci, muti, dæmoniaci, manci, febricitantes, aliisq; diuersis affecti morbis, non pauci etiam mortui & in aquis extincti, quorum omnium numerus quingentos excederet, curati sunt: vt nihil dicamus de iumentis, quibus æquè est restituta sanitas. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis 1327. sub Philippo Colonien si Archiepiscopo, & Henrico Abbate. Sed nec hodiè sancti martyris beneficiis fraudantur, qui humiliter ac piè incorruptas etiamnum corporis eius reliquias inuisunt, & supplices ei preces offerunt.

Mirabilis Deus in Sanctis suis.

Miracula ad eius reliquias.

VITA S. PAVLINI NOLANI EPISCOPI, AVTHORE VRANIO PRESBYTERO, VT HABET EGREGIVS MS. CODEX.

AN. 400.

PRÆFAT. DOMINO illustri & in Christo meritò venerabili Pacato, Vranius presbyter: Literis nobilitatis tuæ iterata vice solicitor, vt tibi obitum S. Paulini fideliter referam. Faciam quidem quod præcipis, sed timeo, ne non tam efficaciter vt vis, faciam, quod facere cupio. Tamen quia iubere dignaris, fideliter & sine mendacio faciam. Noui etenim melius esse linguam silentio premere, quàm ad peccatum animæ falsa narrare, dicente scriptura: Os, quod mentitur, occidit animam. Et ideò venerationem tuam plurimùm quæso, vt imperitiæ meæ veniam dare digneris. Alioquin si tibi sermonis mei vtilitas cœperit displicere, non mihi, sed tibi rectiùs imputabis, qui aquam purissimi fontis à cœnoso riuulo postulâsti. sed hæc breuiter dicta sint. Nunc autem veniamus ad ea, quæ tibi, qui vitam eius versibus illustrare disponis, dicendi materiam subministrent.

IVNII 22.

Sap. 1.

I. IGITVR S. Paulinus Episcopus Burdegala oppido Galliarum oriundus fuit, sed in Campania apud beatissimum Felicem confessorem glorioso fine defunctus atq; sepultus est. Eius vitam ex merito mortis agnoscimus, cuius & mortem de conuersatione vitæ probamus. Denique cùm ante triduum, quàm de hoc mundo ad cæleste habitaculum vocaretur, cùm iam de salute eius omnes desperâssent, & duo ad eum Episcopi visitandi studio conuenissent, id est, S. Symachus & Benedictus * Hyacinthinus, ita in eorum aduentu recreatus atque refectus est, vt oblita omni carnali infirmitate, totum eis atq; angelicum exhiberet affectum. Et quasi profecturus ad Dominum, iubet sibi ante lectulum suum sacra mysteria exhibere, scilicet vt vnà cum sanctis Episcopis oblato sacrificio animam suam Domino commendaret: simul etiam eos, quos pro disciplina Ecclesiastica à communione sacri ministerij extortes esse præceperat, ad pacem pristinam reuocaret.

S. Paulini patria.

*Hidruntinus.

Sub mortẽ vult ad lectulũ suum Missam celebrari.

II. ET cùm hæc omnia sanctus Episcopus læto atq; perfecto ordine celebrâsset, subitò clara voce interrogare cœpit, vbi essent fratres sui. Tunc vnus ex circumstantibus, qui putauit, quòd fratres suos, id est, Episcopos, qui tunc aderant, quæreret, ait ille: Ecce hi sunt fratres tui. At ille: Sed ego nunc fratres meos Ianuarium atq; Martinum dico, qui modò mecum locuti sunt, & continuò ad me venturos se esse dixerunt. E quibus Ianuarius Episcopus simul & martyr, Neapolitanæ vrbis illustrat Ecclesiam: Martinus autem, vir per omnia Apostolicus, cuius vita ab omnibus legitur, Galliarum Episcopus fuit. Et his dictis, extensis ad cœlum manibus, hunc psalmum Domino decantauit, dicens: Leuaui oculos meos ad montes, vnde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram. Deinde collecta oratione, commonitus est à sancto Posthumiano presbytero, quod pro vestimentis, quæ pauperib. fuerant erogata, quadraginta solidi deberentur. Quod cùm audîsset S. Paulinus, leuiter subridens, ait: Securus esto fili: crede mihi, quia non deerit, qui debitum paperũ soluat. Et ecce non longa interposita mora, ingreditur quidam presbyter, de Lucaniæ partibus veniens, missus à S. Episcopo Exuberantio, siue à viro clariss. fratre eius Vrsatio, qui ei per ipsum nuncium muneris gratia quinquaginta solidos miserant. Quos cùm accepisset S. Paulinus, benedixit Dominum

Psal. 120.

Insignis eius in Deum fiducia.

*for.decem minum dicens: Gratias ago tibi Domine, qui non derelinquis sperantes in te. De his autem quinquaginta solidis ipse presbytero, qui eos exhibuerat, manu sua * duos dedit: reliquos verò negociatoribus, qui vestimenta pauperibus, dederant, reddi mandauit.

INTER hæc autem, cùm iam nox diei successisset, vsq; ad mediam noctem paululùm quieti concessit, donec crudescente dolore, qui lateri eius nimius inerat, grauaretur excitatus, multisq; etiam ex superfluo archiatrorum vsticonibus fatigatus, vsq; ad quintam horam noctis lassum atq; anhelum pectus duxit. Deinde adueniente luce, consuetudinem suam vir sanctus agnouit. Itaq;, vt solebat, excitatis omnibus, matutinum ex more & ordine celebrauit. Fa- Ioan. 20. cta autem die, presbyteris & diaconibus atq; omnibus clericis exemplo Dominico pacem hæreditariam prædicauit. Psal 131. Transactis autem his, tacitus vsq; ad vesperam perdurauit. Deinde quasi ex somno excitatus, lucernariæ deuotionis tempus agnoscens, extensis manibus, lenta licet voce, Paraui lucernam Christo meo, decantauit Domino. Tunc deinde facto aliquandiù silentio, circa horam quartam noctis, omnibus qui aderant, solicitè vigilantibus, subitò tam Mirus terræ motus. ingenti cellula eius terræmotu concussa est, vt hi, qui lectulo eius assistebant, exterriti atq; turbati ad orationem se iactarent, nihil tamen scientibus his, qui pro foribus consistebant. Neq; enim publicus ille, sed priuatus in cellula *tum. fuerat terræmotus. Nam * ille angelicis susceptus manibus, debitum Deo spiritum exhalauit. Vidimus, fili charissime, vidimus, & inter lachrymas atq; singultus vidisse gaudemus: vidimus quomodo tollitur iustus, & nemo intelligit, & viri iusti tolluntur, & nemo considerat. Neq; vlli Christianorum incredibile debet videri, si in transitu S. Pau- Spiritū feliciter reddit An 431. lini vnus angulus specialiter terræmotu concussus est, in cuius obitu totus penè orbis ingemuit. Et sanè quis locus est Esa 57. in orbe terrarum tam remotus aut abditus, quem transitus domini Paulini non commoueret? Aut quis Christianæ religionis ita alienus effectus est, qui audita morte eius non planxerit? Fleuit planè Ecclesia, quòd talem sacerdotem amisit: sed exultat paradisus, quòd talem sanctum suscepit. Plangunt populi, sed lætantur angeli. Gemunt prouinciæ hominum, sed gaudent loca sanctorum, ad quæ quotidiè euolare cupiebat, cùm diceret: Quàm amabilia sunt tabernacula tua Domine Deus virtutum? concupiuit & defecit anima mea in atriis tuis. Psal 83.

OVIRUM sanctum & omnium ore laudabilem: qui sic vixit, vt non solùm sibi, sed etiam omnibus viueret. Et Sācti in cælis orāt pro nobis. ideò quia multis vixit in hoc sæculo, nunc sibi viuit in Christo. Et tamen non sibi tantùm, sed etiam nobis, qui quotidiè orat pro nobis. Lucerna fuit ardens in domo Dei, non sub modio posita, sed supra candelabrum constituta, ita vt etiam multas lucernas suo præclaro lumine redderet luminosas. Suauis enim & mitis fuit, etiam cùm in superbia sæculi versaretur. Cùm autem ad Christum conuersus est, aperuit horrea sua pauperibus, apothecas suas aduenienti- S. Paulini liberalitas in pauperes bus patefecit. Nam parùm ei erat proximos alere, nisi etiam vndiq; euocaret, quos pascereret atq; vestiret. Quantos iniquè oppressos erexit? quantos captiuos redemit? quantos intricatores debiti, à creditoribus suis reddita pecunia liberauit? Vna scilicet negociatione & planctu debitores multos exterfit, & creditorum gaudia reparauit.

CVM autem ad summum sacerdotij gradum prouectus est, noluit se talem exhibere Episcopum, qui ab aliquo timeretur: sed talem se reddidit sacerdotem, qui ab omnibus amaretur. Nunquam sic iratus est, vt non in ira misericordiæ memor esset. Neq; enim poterat vir ille irasci, qui contumelias despiciebat, & odia vitabat. Nunquam in iu- Osee 4. dicio sine misericordia sedit: quia nouerat misericordiam meliorem esse, quàm sacrificium: vestiendum esse omne Psal 100. Christianorum iudicium, dicente venerabili scriptura: Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Iustitiam quoq; benignioribus, reis verò misericordiam fecit. Spiritus sanctus quantùm æquitati & iustitiæ fauet, tantùm suis gratiam pietatis, qui benignus est, indulget. Et ideò tenebat rigorem in examinatione iustitiæ, misericordiam autem in definitione sententiæ proferebat.

O admirabilem virum, atq; omnium virtutum laude censendum. Hic etenim omnium Patriarcharum exem- Catalogus virtutum eius. pla secutus fuit, fidelis videlicet vt Abraham, credulus vt Isaac, benignus vt Iacob, munificus vt Melchisedech, prouidus vt Ioseph, rapax vt Beniamin. Rapuit enim diuitibus, & pauperibus erogauit: & tamen plùs diuitibus quàm pauperibus profuisse cognoscitur: quia pauperibus in hoc sæculo profuit, diuitibus in futuro prouidit. Ergo, vt dicere cœperam, fuit mansuetus vt Moyses, sacerdotalis vt Aaron, innocens vt Samuel, misericors vt Dauid, sapiens vt Salomon, Apostolicus vt Petrus, amabilis vt Ioannes, cautus vt Thomas, doctor vt Paulus, videns vt Stephanus, feruens vt Apollo. De solicitudine autem & cura ecclesiarum, in fide & charitate omnes Apostolos & Episcopos imitatus est. Hæc omnia in se habuit, hæc à tempore conuersionis suæ fideliter custodiuit. Et ideò cùm de hoc corpore ad cæleste habitaculum vocaretur, sicut inferiùs doluit terra, ita superiùs lætatum est cœlum: fleuit caro, sed spiritus Etiam Iudęi & ethnici plangunt mortē eius. gloriatur. Deniq; non solùm Christiani, sed etiam Iudæi atq; pagani in fletu, scissis etiam vestibus, ad domini Paulini exequias conuenerunt. Ereptum sibi patronum, defensorem, tutorem vnà omnes nobiscum voce planxerunt.

ET verè talis erat, vt ab omnibus amaretur. Vixit enim cunctis in exemplum acquirendæ salutis, & in refrigerium consolationis. Neq; enim solius hæc mea vox est. Testes etiam barbaræ nationes sunt, ad quas fama domini Paulini peruenerat. Nec immeritò ab omnibus amabatur, qui aderat omnibus. Quem n. iacentem nō sua dextera erexit? Quē interpellantem se, non pia voce consolatus est? Erat n. pius, misericors, humilis & benignus, nullum spernens, nullū despiciens. Omnibus tribuebat, omnib indulgebat. Animabat trepidos, mitigabat violentos. Hos verbis, illos ædificabat exemplo. Alios epistolis, alios sumptibus adiuuabat. Nullas opes, nullas diuitias, nisi quas sanctis suis Christus promiserat, mirabatur. Aurum atq; argentum, & cætera sic definiebat, vt ea sibi ad largiendum liberalitas, non ad retinendum cupiditas, vendicaret. Et vt breuiter dicam, omnia bona in se habuit, quia Christum amauit. Ha- Liberalitas eius in omnes, buit enim fidem, mansuetudinem, curam proximorum, iugem pro miseris solicitudinem, compassionem pro infirmis, nihil aliud respiciens, nisi pacem & charitatem. Solus namq; medicabatur, vt omnes emundaret. Deniq; quis locus est in orbe terrarum, quæ solitudo, quæ maria, quæ S. Paulini beneficia non senserunt? Omnes eum agnoscere cupiebant, omnes videre desiderabant. Quis ad illum non lætus aduenit? aut quis ab illo non desideraturus abscessit? Nam qui corpore eum videre non poterant, saltem epistolas eius contingere cupiebant. Erat enim suauis, blandus, in literis dulcis, & benè suauis in versibus. Quid plura? Vix quæcunq; de illo dicuntur, admitteret credulitas fi- Eius genus & opes, dei, nisi propellerent sua facta mendacium. Taceamus generis nobilitatem, paternis, maternisq; natalibus in senatorum purpura mirabiliter rutilantem: præterea & opulentias diuitiarum, quas propter Deum pauperibus erogauit. Nunc veniamus ad ea, quæ de obitu eius dicere cœperamus.

IGITVR cùm S. Paulinus debitum Deo spiritum reddidisset, ita niueo candore vultus eius & omne corpus affe- Corpus defuncti niueo candore conspicuum. ctum est, vt omnes inter singultus & lachrymas benedicerent Dominum Deum nostrum, qui educit sanctos suos in magnificentia, vt oftēdat seruis suis, quia hæc est gloria omnib. sanctis suis. Et ideò laudetur in Deo anima eius, & reuelentur opera eius in omnibus timentibus Deum: quia concupiuit in mandatis Dei sui, & intellexit super egenum & pauperem, vt potens esset in terra semen eius, & iustitia eius maneret in sæculum sæculi. Veruntamen & hoc, quod ad meritum sancti Paulini pertinet, veneratio tua debet agnoscere, quòd etiam sanctus Ioannes, Neapolitanæ vrbis Episcopus, à Domino Paulino de hac vita ad Christum accersitus atque euocatus agnoscitur. Nam ante diem tertium, quàm de hoc mundo sanctus Iohannes ad Dominum commigraret, retulit se vidisse sanctum Paulinum, angelica dignitate vestitum atque ornatum, totum niueum, totum sidereum, atque odore ambrosio renidentem, fauum

Apparet Episcop Neapolitano:

etiam

etiam candidissimum mellis in manu tenentem, ac dicentem sibi: Frater Iohannes, quid hic facis? Solue vincula tædiorum tuorum, & iam ad nos veni. Hæc enim esca, q̃ in manu teneo, apud nos satis abundat. Et cùm hæc dixisset, complexus est eum, & immisit in os eius partem faui illius. Cuius dulcedinem atque odorem ita sanctus Iohannes concepisse se dixit, vt si in ipsa reuelatione potestas fuisset, ab eius vestigiis nullo modo recessisset. Et tamen hoc non diù dissimulauit. Nam excitatus à somno, eadem die id est, quinta feria, iuxta consuetudinem suam remunerans omnes Clericos, atque pauperibus tribuens, sanus Dominicam cœnam celebrauit: sexta verò feria orationi vacauit. Sabbatho autem, secunda hora diei, lætus ad Ecclesiam processit, & ascenso tribunali, ex more populum salutauit, resalutatusq; à populo, orationem dedit, & collecta oratione, spiritum exhalauit. Ea tamen nocte in Ecclesia vigilatum est.

III.

IX. POSTERA autem die, id est, Pascha, illuminatis lampadibus cum ingenti neophytorum pompa, prosequente etiam multitudine populorum vsque ad sepulcrum, glorisosam atque laudabilem sepulturam adeptus est. Hæc ideò commemoraui nobilitati tuæ, vt etiam hic meritum sancti Paulini agnosceres. Habes enim materiam dicendi, si tibi tamen non desit fides credendi. Et ideò quæso nobilitatem tuam, vt sicut promittere dignatus es, præclari operis munus accelerare digneris, consecuturus præmium laudis & gloriæ, si vitam sancti viri posteris profuturam, versibus illustraueris. Vtinam antequam proficiscat, huius operis lectione dignum me facias: quia si CHRISTO placuerit, continuò nauigare dispono. Obijt sanctus Paulinus Episcopus X. Calendas Iunij, Basso & Antiocho Consulibus. Is fuit annº Christi 431. iuxta Onuphrium.

IV.

DE EODEM SANCTO PAVLINO NOLANO EPISCOPO, PER D. GREGORIVM PAPAM LIB. III. DIALOG. CAP. I.

X. DVM vicinis valdè patribus intendo, maiorum facta reliqueram, ita vt Paulini miraculum Nolanæ vrbis Episcopi, qui multos, quorum memini, virtute & tempore præcessit, memoriæ defuisse videatur. Sed ad priora nunc redeo, eaque quanta valeo breuitate perstringo. Sicut enim bonorum facta innotescere citiùs similibus solent, senioribus nostris per iustorum exempla gradientibus, prædicti venerabilis viri celebre nomen innotuit, eiusque opus admirabile ad eorum se instruenda studia tetendit: quorum me necesse fuit *grauitati tam certò credere, ac si ea, quæ dicerent, meis oculis vidissem. *grandæuitati.

XI. CVM sæuientium Vandalorum tempore fuisset Italia in Campaniæ partibus depopulata, multique essent de hac terra in Africanam regionem traducti: vir Domini Paulinus cuncta, quæ ad episcopij vsum habere potuit, captiuis indigentibusque largitus est. Cumque iam nihil omnimodò superesset, quod petentibus dari potuisset: quodam die quædam vidua aduenit, quæ à regis Vandalorum genero filium suum in captiuitatem fuisse ductum perhibuit, atque à viro Dei, eius precium postulauit: si fortè illius dominus hoc dignaretur accipere, & hunc concederet ad propria remeare. Sed vir Dei magnoperè petenti fœminæ quid dare potuisset inquirens, nihil apud se aliud nisi se inuenit, petentique fœminæ respondit, dicens: Mulier, quod possim dare, non habeo: sed memetipsum tolle, seruum me iuris tui profitere, atque vt filium tuum recipias, me vice illius in seruitium trade. Quod illa ex ore tanti viri audiens, irrisionem potiùs credidit, quàm compassionem. At ille vt erat vir eloquentissimus, atque apprimè exterioribus quoque studiis eruditus, dubitanti fœminæ citiùs persuasit, vt audita crederet: & pro receptione filij sui, in seruitium episcopum tradere non dubitaret. Perrexêre igitur vtrique ad Africam. Omnia sua largitur captiuis & egenis. Nota insignem tanti viri charitatem.

XII. PROCEDENTE autem regis genero, qui eius filium habebat, vidua rogatura se obtulit: ac priùs petijt, vt ei filium donare debuisset. Quod cùm vir barbarus typo superbiæ turgidus, gaudio transitoriæ prosperitatis inflatus, non solùm facere, sed etiam audire despiceret: vidua subiunxit, dicens: Ecce hunc hominem pro eo vicarium præbeo: solummodò pietatem in me exhibe, mihique vnicum filium redde. Cumque ille venusti vultûs hominem conspexisset, quam artem nôsset, inquisiuit. Cui vir *Dei Paulinus respondit, dicens: Artem quidem aliquam nescio: sed hortum benè excolere scio. Quod vir gentilis valdè libenter accepit, cùm in nutriendis oleribus quia peritus esset, audiuit. Suscepit itaque seruum, & roganti viduæ reddidit filium. Quo accepto, vidua ab Africana regione discessit: Paulinus verò excolendi horti curam suscepit. Cumque idem regis gener crebrò ingrederetur hortum, suumque hortulanum quædam requireret, & sapientem valdè hominem videret, amicos cœpit familiares deserere, & sæpiùs cum suo hortulano colloqui, atque eius sermonibus delectari. Cui Paulinus quotidiè ad mensam olera, virentesque herbas deferre consueuerat, & accepto pane, ad curam horti remeare. Cumque hoc diutius ageret, quadam die suo domino secum secretius loquenti ait: Vide quid agas, & Vandalorum regnum qualiter disponi debeat prouide: quia Rex citius, & sub omni celeritate est moriturus. Quod ille audiens, (quia ab eodem rege præ cæteris diligebatur) ei minimè tacuit: sed quid à suo hortulano, sapienti scilicet viro, agnouisset, indicauit. Quod dum rex audîsset, ilicò respondit: Ego vellem hunc, de quo loqueris, hominem videre. Cui gener eius, venerabilis Paulini temporalis dominus, respondit, dicens: Virentes herbas mihi ad prandium deferre consueuit. Has itaque huc ad mensam eum deportare facio, vt quis sit, qui mihi hæc est locutus, agnoscas. Factumque est. Et dum rex ad prandium discubuit, Paulinus ex suo opere olera quæque & virentia delaturus aduenit. Cumque hunc rex subitò conspexisset, intremuit, atque accersito eius domino, sibi per filiam propinquo, ei secretum, quod prius absconderat, indicauit, dicens: Verum est, quod audîsti. Nam nocte hac in somnio, sedentes in tribunalibus contra me iudices vidi, inter quos iste etiam simul sedebat, & flagellum, quod aliquando acceperam, eorum mihi iudicio tollebatur. Sed percontare, quisnam sit. Nam ego hunc tanti mériti virum, popularem vt conspicitur, esse non suspicor. Tunc regis gener secretò Paulinum tulit, & quisnam esset, inquisiuit. Cui vir Domini respondit: Seruus tuus sum, quem pro filio viduæ vicarium suscepisti. Cumq; instanter ille requireret, vt non quis esset, sed quis in terra sua fuisset, indicaret, atq; hoc ab eo iteratione frequentis inquisitionis, exigeret, vir Domini constrictus magnis coniurationibus, iam non valens negare quid esset, episcopum se fuisse testatus est. Quod possessor eius audiens, valdè pertimuit, atque humiliter obtulit, dicens: Pete quod vis, quatenus ad terram tuam à me cum magno munere reuertaris. Cui vir Domini Paulinus ait: Vnum est, quod mihi impendere beneficium potes, vt omnes ciuitatis meæ captiuos relaxes. Qui cuncti protinus in Africana regione requisiti, cum onustis frumento nauibus, pro venerandi Paulini viri satisfactione, in eius comitatu laxati sunt. Post non multos verò dies Vandalorum rex occubuit, & flagellum, quod ad suam perniciem, dispensante Deo, pro fidelium disciplina tenuerat, amisit. Sicque factum est, vt omnipotentis Dei famulus Paulinus vera prædiceret, & qui se in seruitium solum tradiderat, cum multis à seruitio ad libertatem rediret: illum videlicet imitatus, qui formam serui assumpsit, ne nos essemus serui peccati. Cuius sequens vestigia Paulinus, ad tempus voluntariè seruus factus est solus, vt esset postmodum liber cum multis. *Petrus:* Dum me audire contingit, quod imitari non valeo, flere magis libet, quàm aliquid dicere. *Gregorius:* De cuius etiam morte apud eius Ecclesiam scriptum est, quia cum dolore esset lateris tactus, ad extrema perductus est. Dumq; eius omnis domus in sua soliditate persisteret, cubiculũ, in quo iacebat æger, facto terræmotu contremuit, omnesq;, qui illic aderant, nimio terrore concussit. sicq; sancta illa anima carne soluta est: factumq; est, vt magnus pauor inuaderet eos, qui Paulini mortem videre potuissent. *Domini. Visio regis Vandalorũ. Multi captiui cum illo dimittuntur. Gũtharius Genserici frater, qui cum fratre in Africam profectus quamprimum decessit Vide Baro in mart. hoc die. & in annal. an 431. §. sed antequam. cum seq.

ITEM

ITEM DE SANCTO PAVLINO, EX GREGORIO TVRONENSI, DE GLORIA CONFESSORVM. CAP. 107.

Genus & opes eius.

Matth. 19

Vendit sua, & dat pauperibus.

XIII. VIT vir vitæ venerabilis Paulinus, Nolanæ vrbis Episcopus, ex nobili stirpe ortus. Therasiam sibi simillem sortitus est coniugem, habens diuitias multas, & tam in fundorum possessione, quàm in præsidio domorum, valdè diues erat ac locuples. Sed cùm primùm aures eius Euangeliorum lectio illa penetrauit, in qua Dominus adolescentē pro diuitiis arguit, dicens: Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me: Et, Faciliùs est camelum per foramen acûs transire, quàm diuitem introire in regnum Dei: statim venditis omnibus, quæ habebat, pauperibus erogauit. Exoneratus igitur à cunctis cupiditatibus, magistrum liber sequitur, per hæc se putans paradisi diuitiis locupletari, si videretur nihil de transitoriis possidere. Cui maiestas diuina tribuit, vt quod impossibile dixerat per Euangelium, hic possibiliter adimplere mereretur per actum.

XIV. QVADAM verò die venit ad eum, qui stipem peteret, & ait coniugi: Vade, & da ei, quod habet necessarium. Quæ respondit: Non est nobis ampliùs, quàm vnus panis. Cui ille: Vade, inquit, porrige eum. Dominus enim dabit nobis victum. Sed illa quasi strenua reseruare cupiens, ne aliquid deesset, porrigere noluit. Interea aduenerunt quidam, dicentes, missos se à dominis suis, vt illi annonæ ac vini deferrent speciem: sed pro hoc se moratos, quòd orta tempestas, vnam eis cum tritico abstulerit nauem. Tunc vir Dei conuersus ad mulierem, ait: Intellige te illi pauperi vnum panem fuisse furatam, & ideò hanc nauem esse mersam.

Nota rem miram.

XV. PERREXIT ergò cum coniuge quasi peregrinaturus in aliam regionem, nihil habens præter statum proprium. Post multum verò tempus, cùm ab incolis regionis suæ requireretur, nec posset penitus reperiri, negociator de ciuitate illa ad hanc vrbē aduenit, in qua vir beatus cælesti Domino seruiebat: cumq; vidisset eum, statim proijciens se in solum, & pedes sancti amplectens: Hic est, inquit, beatus Paulinus, toto vulgatus orbe, qui multùm à suis ciuibus quæsitus, prorsus non potuit inueniri. Et eo narrante omnes actiones eius, obstupuerunt hæc audientes. Nec mora, decedente sacerdote apud Nolam vrbem, ipse in locum Episcopi subrogatur. Habebat autem Ecclesia illa multas diuitias, impleuitq; in eo Dominus, quæ per Euangelium promittere est dignatus: Quia qui reliquerit omnia propter me, centuplum in hoc sæculo accipiet, in futuro autem vitam æternam possidebit.

Matth. 19.

Humilitas & liberalitas eius

XVI. VERVM assumpto Episcopatu, semper se humilem proferebat, quia sciebat se apud Deum excelsum futurum, si humilitatem sectatus fuisset. Pecunia verò de redditibus Ecclesiæ, quæ manus eius attingebat, confestim pauperibus erogabatur. Castissima etiam coniunx eius non discedebat ab eo. Erat autem vir sanctus miræ prudentiæ, & rhetoricis literis eruditus, quod scripta eius, quæ ad nos peruenerunt, valdè patefecerunt. Nam cùm ad diuersos tam versu, quàm prosa scriberet, de virtutibus beati Martini sex versu conscripsit libros. Scripsit & alios versiculos in laudem eius, viditque eum in corpore positum, & oculum suum ab eo illuminatum recepit. Qui tantum in virtute per multiplicata gratiarum spiritualium charismata resplenduit, vt ante obitum suum, ipsum Martinum, Ianuariumq; Italicum, priusquàm spiritum redderet, corporeis oculis contemplaretur. Iam enim de hoc mundo illi migrauerant. Et quia de huius beati vita nihil legeramus, idcircò ea, quæ per relationem fidelium cognouimus, dum de eleëmosynis proloqui voluimus, memorauimus. De transitu autem eius est apud nos magna lectio, ideò eum ex ordine prosecuti non sumus. Ecce quid tribuit eleëmosyna, ecce quales thesauros sanctis suis, qui ipsum in pauperibus diligunt, Deus indulget. E contrario auaritiæ malo inhiantibus, quæ nequiter concupiscunt, aufert, iuxta illud Euangelij sancti oraculum: Quia qui habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.

Nō est hic, sed alius Paulinus, qui scripsit vitā S. Martini. Vide Bar. ann 402. §. *Quod insuper* & seq.

Matth. 25.

Corpus eius Romam translatum in Ecclesia S. Bartholomæi in Insula vnà cum corpore eiusdem Apostoli honorificè asseruatur. Martyrol. Romanum hoc die.

VITA S. EBERHARDI ARCHIEPISCOPI SALISBVRGENSIS, AB EIVS DISCIPVLO SCRIPTA, VT HABETVR tomo VI. ant. lect. Henrici Canisij.

AN. 1130.

22. IVNII.

I. VM vitas multorum de popularibus seu priuatis personis descriptas attendimus, ita vt non tam dignitas gestorum seu copia scriptorum beneuolentia apicibus appareat, in respectu horum vitam glorioſi Eberhardi, sanctæ Salzburgensis Ecclesiæ Archiepiscopi stylo satis superq; suppetere vidimus, & hanc sub ignorantiæ modio linquere dedecus nobis, illi iniuriam duximus. Vnde omnium extremi, quibus aut proprie Episcopus, aut notus tantum conuictu, aut meritorum etiam magister olim extitit, * paginis patrem reponere aggredimur, non tam scientiæ quam dilectionis præsumptione inducti, * ne minimæ res ab aliis obmitterentur, timentes. Charitas omnia non sperat, de incertis veretur.

* *paganus.*

* *hoc vnum ne.*

Patria & parentes,

II. IGITVR Eberhardo patria Norica, clarissimum genus, pater bene Christianus, cæterum in sæculi honoribus, mater verò in optimis operibus extitit, quæ eleëmosynis, orationibus, ieiuniis pene continuis se transiens, ciboque, præter legumina raro indulserat. Ferrea virtus. Cuius bene gesta commendare hoc vno sufficiat, quæ Ecclesiam in honore sanctæ MARIÆ perpetuæ Virginis cum viro in * curte propria statuens, dimidio ferme miliario nudipes ad eam propriis humeris lapides ferre solebat. Huiusmodi actis iam nobilitatem illam sæculi abdicasse totam videbatur, nisi quod summa ingenuitas in seruitute Christi comprobatur. Trahebat ibi cum pedisequis suis, mulierum vtriusque conditionis non paruam turbam saxa portantium. Ad imaginem & similitudinem suam fecerat cæteras. Ita se natura habet, iuxta formam maiorum, minores se gerunt. Cernere erat longius per circuitum vnius imitatione, fœmininum genus melioratum. Sancte hoc opus fecit matrona. Hinc meruit filium, de quo nunc agitur, digna dignum, qui optimam pueritiam, ornatus disciplinis scholaribus consecratur, & in Babenbergensi Ecclesia liberalibus rudimentis traditur imbuendus, vbi docilis, attentus & beneuolus auditor, quantum magistræ Philosophiæ impenditur, tribus ex ea partibus nactis, Physica, Ethica, Logica, ostenditur. Hic itaque æuo tener, in tantum generis sui nobilitatem morum virtute transcendit, vt iam non puer, sed senex, non leuis, vt in tali ætate assolet, sed morum grauitate sapiens diceretur & canus. Et si aliquando carnalibus deliciis est temptatus, Dei mediante gratia, non est abstractus neq; illectus. In his enim artibus, vel suis speciebus nulli postmodum facile inueniebatur secundus. Successit deinde fælix adolescentia, vbi Pythagoricæ literæ proportio à stipite indiscretæ pueritiæ, cereamætatem, * vel dextro ramo ad beatam vitam conuertit, vel leuo ramo, qui & decliuior, ad terrena & decliua flectit.

* *curtis.*

Studia eius.

* *vel, deest.*

Fit Canonicus.

* *&c.*

III. HINC quia dignus conspicitur, Canonicam præbendam in eadem Episcopali sede sortitur. Ibi verò honestissimus iuuenis in dextro ramo Mariæ optimam partem elegit, & clam præposito, qui Turorum eatenus fuerat, ad Monasterium S. Michaëlis conuolans monachalem habitum petijt & accepit. Regnum cœlorum * etiam iuuenes diripiunt. Maior pars ad malum proni sunt ab adolescentia sua, sed Eberhardus regno cælorū vim fecit, & vim passus est.

Quid

Quid enim Præpositus ageret? Ad nutum eius campanæ omnisonum dissonæ consonant, procedit ipse per semetipsum cum vniuerso choro templi ad Monasterium, fratrem reddi imperant magis quam rogant, eripiunt magis quam recipiunt. Quia vero chorum Clericalem monastice tonsus non decuit, sumptibus datis, in Franciam cum magistro suo directus est. Vbi in tantum profecit, quod * sibi seniores suos sensu crescente subegit. O quam fœlix exiuit, sed multo fœlicior rediit, imo & futuræ fœlicitatis suæ, signum iam reuersus videre meruit, & aliis præmonstrauit. *sibi, deest.

IV. Cvm enim quadam die post reuersionem parentibus suis in domo consedit, gallina aduenies, sub vestimento ipsius ouum magnum posuit, quasi quid in ipso sperari posset populo declarans, exeundo vt assolet vociferauit. Crastina quoque die in conspectu omnium indumento ipsius ouum, sed priore grossius reposuit, in quo bis facto, quod primo Abbatis, & postea Episcopi vice fungeretur, vt credi potest significauerit. Veruntamen semper monasticum postea in animo affectans ordinem, iuxta illud Poetæ: Naturam expelles furca, tamen vsque recurret. Animus adolescentis cum esset natura * optimus, à proposito dissuesci non potuit, donec factus quadragenarius, Episcopi sui Ottonis & fratrum conniuentia Monasterium subiit, & directus est Spiritus Domini in eum à die illa & deinceps, vt in omni religione fieret nouissimus primus. Corpus suum ieiuniis macerat, orationibus protractis inuigilat, diuinis officiis totus inhiat, non murmurare superfluus, sed potius cum paupere Christo, pauper esse desudat. Apposita cui imprimeretur forma, erat Abbas suus Erbo, quem laudare satis, nisi alterum pene Iohannem, vel Eliam æstimando nescimus. * opimus. Fit Monachus.

V. Per idem tempus germanos suos sæculares, genere, statu, rebus æque spectabiles, cum quibusdam propinquis vnus spiritus inuasit, in proprio fundo Monasterium Monachorum, de suis hæreditariis rebus construere. Delegatur in id operis absque mora, Biburgensis locus Mundiburto, memorati reuerendissimi Episcopi, quo validius res effectum, effectus firmitatem haberet, destinatur eo dignissimus Eberhardus, tam nolens, vt consecrationem quinque annis refutaret. Sola enim cogitatio inhæserat, * genus Monachorum, & Monachorum ordinem * creare, ædificia Ecclesias, moxque in eremum siue cœnobium semet priuatum deponere. Nunquam sibi satisfacit humilitas, nec voto satiatur virtus, sicut & vitium: Post quinquennium cum Episcopo suo Babenbergense Romam trahebatur, erat enim cui nihil deerat, quod idoneum, quod clarum ad curiam. Affuit in illo ipso Comitatu sereniissimus Eberhardus tunc Præpositus, post paulum verò in eadem Babenbergensi Ecclesia successor creatus. Hic Eberhardi nostri fidissimus semper & vnum par fuerat. Qui diligit iustum in nomine iusti, non perdet mercedem. Huic pergenti, negotium Biburgenses de consecratione Abbatis iniungunt magnopere. Pollicetur operam suam, nec minus exequitur, donec ipse per se Apostolicus Innocentius inuestiuit Abbatem & consecrauit dicens: Confortare & esto robustus, in omnibus tecum sum. *genus Monachorum &, deest. *carere ædificia Ecclesiarum. Romam proficiscitur. Consecratur Abbas.

Deut. 31

VI. Alio tempore cum Romam pergeret, Appenninum montem accessit, cuius altissimo dorso actissimo tramite vix transitus panditur. Ibi sub ipsis radicibus mulierculam conspicatur Martyrem inopia, plusquam Martyrem ægritudine, quæ montem transmittere volens voluntate & difficultate cruciabatur. Vidit interius Abbas moribundum, fratremque comitantem appellat dicens: Quid facimus pauperi Christo, ne in nouissimo veniens suggillet nos? At ille idiota, vtpote idiota, minus vrebatur & dixit: Nihil mulieribus & nobis in tali articulo. Sed enim Philochristus rucino suo impositam innitens ipse manu retrorsum cauda equi transuexit Felix qui diligit proximum plusquam seipsum. Cumq; transduxisset onus, pietate adhuc vrebatur & dixit fratri, Quid tandem agimus? Miratur rusticitas & ait: Tempus tacendi pater. Tum suspirans quod solum poterat eleemosyna data afflictam sibi dimisit. Singularis eius misericordia.

VII. Iam tunc multorum bonorum præconio futurum se audiebat Episcopum, quod in vno probatum iri sat erit. Præfuit in vicino Abbas nomine Eppo, cuius vita magna, probitas maior, familiaritas maxima cum patre nostro pollebat. Hunc inuenit Deus, cui de schismate futuro post multos annos contra Papam Alexandrum prædiceret, quamque firma anchora solius tunc Eberhardi ex omnibus Alemanniæ Episcopis staret. Ad horum formam vidit per somnium prædictus Abbas. Et ecce vidua quædam. Vidua videbatur: & viduam Rex quidam impugnabat, & qui viduam adiuuaret non erat, nisi de Iuuauo Monachus quidam. Hic Eberhardus videbatur. Hic obstare solus pro vidua videbatur. Lucta hæc luctæ imago * vtrumque feruebat, donec mutatus est, & in calibem mutatus est Monachus. Proportionaliter ferrum duritiam, duritia inuincibilem signabat. Furebat autem non minus in illum, quam in viduam Rex, donec & ipse in canem versus apparuit. Qui habet aures audiendi audiat argumentum à simili: Quod intelligens qui viderat, retulit in auribus Abbatis & dixit: In veritate Iuuauo præsidebis, & erit tempus, quo solus Ecclesiasticis Alpinam sustentes. Sufficit tempori illi malitia sua. Visio Eppo nis Abbatis. * vtrumque

VIII. Inter hæc ille paruus erat in oculis suis, & extra carnem in carne apparebat. Cernere erat carnalibus & spiritalibus, nouellum locum mirabiliter surgere, de nobilibus ac mediocribus, fratrum, sororum, Monachorum, quibus nihil deesset in vlla gratia & probitate subitum examen feruere. Quid de conuersationis altitudine dicam? De Abbatis dignitate hæc omnia veniebant. Hic charitate, prudentia, discretione, misericordia, omnibusque virtutum carismatibus cunctis admirationi, sed amori, sed timori, sed exemplo extabat. * Timebatur, sed filiali timore, de seruili metu nihil sciebatur. Laboribus deliciabatur non requie, intelligens iam illud Philosophi: Generosos animos labor nutrit. Per se pauperum frequentius domum visitare nil præpediebatur. Illic inopum, maxime languentium, lauare capita & pectere in sinu suo, pedes etiam abluere, ac deosculari, cibum ipse potumque ad os mandare solebat. Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi scit, quod non mentior quæcunque scribo. Quinimo plura transiliens indicendo & tacendo breuitati contendo. Dicam quod vidi, quod multorum attestatione, quod proprio experimento cognoui. Prædicationis efficacia ei mira nimis aderat, cunctis auditoribus commotionem semper cordis quamplurimis etiam fletum excutere, melius fabuloso Orpheo, qui modulationis dulcedine, saxa, syluas & feras attraxit, manes quoque inferni, mirum dictu, in lachrymas mouit. * Detinebatur.

IX. Hospitalitatem namque sectabatur, quantum ostendit in milite, qui in cellam diuertens, potum Domino suo transeunti cum postulasset Monacho custode hospitum, magis Dominum interius vocante recessit. Comperta culpa Abbatis Monachum peditem vini scyphum Ratisponam ferre petitori præcepit. Quid ageret Monachus? Grandæuus erat, & nudiustertiano die venam minutus. Fratrem ergo comitem petiit pro testimonio, si forte in via deficeret. Quo dato vinum per tres leucas Scholastico Frisingensi miranti & lugenti, quod propter se accidit, ieiunus Imbripolim detulit. Quis non obstupesceret miraculum in tertiana minutione? Plane obedientia signum feciſſe visa est, & omnes qui audierunt simile illi plaudebant gentili. Quære quid est virtus, & posce exemplar honesti. Et vocauerunt magistri in vrbe potum illum, potum obedientiæ. Nemo autem hæc audiens crudeliorem æstimet, quam misericordiorem, nam miserationes eius super omnia opera eius, vtpote qui iam labores, necessitates, frigora, famem, vigilias, magis experientia nouerat. Quæ experientia in omnibus quoque rectoribus ad omnia maxime conduceret, nam bella qui nunquam pugnauerunt, patientiam qui pauca tulerunt, infœlicitatem fœlices, quieti labores, docere cum debent, parua res agitur. Igitur ad summam magisterij exempla sagittæ experientia ars est, iuxta illud Didonis apud Maronem. Non ignara mali Exemplum hospitalitatis.

miseris

Ann. lib. 4. miseris succurrere disco. Hinc prædictum exemplum patris in milite, potius de misericordia fuit. Alias implebat, quod ait Chrysostomus: Vis apparere sanctus, circa tuam vitam esto austerus, circa aliorum autem benignus. Hinc quod etiam ipse scribens admiror, non loci sui nouitatem considerabat, non antiqua & ditiora Monasteria, quid possent, quid non facerent, sed frumenta fratrum, ad messem vsque computari præcipiens, reliquam mensuram, pauperioribus Monasteriis in vicino solebat transmittere. Ita in omnibus aliis, ne quid nimis, euitans, paupertatem tamen nimis amabat, adeo vt cogente sancto Episcopo Ottone, decimas noualium in *Tangintile, multas valde, * ad necessaria fratrum nullatenus susciperet. Quare hæc? Vbi onus penuriæ, quanti vel quales victuri sunt? Bona ergo sufficientia propter plures saluandos. Si quo minus, teste Hieronymo, sicut diuitiæ ita paupertas sæpe tentatio est, impatientiam aut solicitudinem faciens. Hæc generaliter dicta sunt.

*Taagrintile, al. Tãgutile.
*.ac.

Post XIV. annos, cum placuisset Deo dicere: Amice ascende superius. Chunrado Salzburgensi Archiepiscopo incomparabili de medio facto, vnanimitate Prælatorum, Clericorumque cum populo, circa paschalem solemnitatem, Biburgensis Abbas matrici Ecclesiæ * ascitur Episcopus. Specialis felicitas Iuuauensis matris, quod talibus nunquam viduatur Episcopis. Requiratur longe supra nostram ætatem, & præstantes suo tempore, omnibus Germaniarum Episcopis in Iuuauo, vt soles Episcoporum videbis. De motu Biburgensium dicere non possum. Non erat quem non mulceret honor oblatus, quin territus nuncio, fugere & latere velle, vt non esset Dominus, * cœpit. Sed hæc frustra tentata, cum venientibus primis Ecclesiæ inuenitur, transfertur, vngitur, & * exosa * cornua, metropolitam frontem insignitur. Quanto tunc magnus, humiliabat se in omnibus. Vigiliis, orationibus, abstinentiæ, operam dabat, scripturæ sanctæ, præter in mensa & in equo, non diebus neque noctibus ex oculis * migrabant & manibus. Fregit esurienti panem suum, & egenos vagosque induxit in domum suam, nudos quos vidit operuit & carnem suam non despexit. Pupillos enim, vt pater aluit, & viduas de tribulatione eripuit attendens illud Apostoli: Hæc est religio munda, & immaculata apud Deum, visitare pupillos & viduas in tribulationibus eorum.

X.
Fit Archiepiscopus Salzburgensis.
*astat.
*cœperit.
* pretiosa.
*forte corona.
*migrabas, & manibus fregit.

Iacob. 1.

Proistis & his similibus, stabilita sunt bona illius * in Domino, & eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum. Contra morem Pharisæorum omnia opera sua facere studebat, ne videretur ab hominibus. Perhibebant enim seruientes eius, postea Monachi facti, secretas venias, in Ecclesia, nudis cruribus eò terere solitum, vt defricata in paruimento cute & carne genua, sanguine inuenirent fluentia. Ita eis, cum præ lassitudine interdum obdormisset, sors prodidit. Eleemosynarum largitati, virtutes omnes cesserunt. Secundum Matthæum, sermo eius erat quasi potestatem habentis super ægros, vel etiam dæmones, ita vt verbum faciens in Ecclesia, cum eiulatus dæmoniacorum omnia repleret, terreret, confunderet, vno tantum indignationis dicto, statim vocem eis insuper motum quoque omnem ibi auferret. Hæc fuit nostro Antistiti communis cum beatissimo Papa Eugenio virtus, in cuius moueri præsentia, vel se insinuare præsentia non audebant dæmonia. Non minus obedire ægritudines aliquando auctoritati Præsulis & abire nouerunt. Denique apud Monasterium S. Petri, quandam sororum diutina ægritudo confecerat, ita vt curari à nullo valeret. Hanc in conspectu suo cum multa spe & desiderio oblata, in nomine Domini benedixit, & recedenti ex templo perfecta incolumitas rediit. Quæ post aliquod tempus denuo venienti ouanter se repræsentans, cum gratias agere pro sanitate cœpisset, ad primam vocem refutata & lingua oppressa est.

XI.
*in Domino & eleemosynas illius, deest.
Sanat ægrotos & dæmoniacos.

Profectò, cum asserit beatus Gregorius, Prælatos à subditis, subditos à Prælatis iuuari vel lædi, fœlices manere discipulos, huius quondam Abbatis manifestatum aliquando est. Adeo patris merita redundarunt in filios, vt morientes interdum sui saluarentur, quoniam sui fecerunt, quod in vno monstrari operæ pretium est. Cum adhuc Monasterio præesset, grandæuus quidam, quasi annorum centum, cum vxore & substantia non minima, apud eum conuersus cappam induit, quæque retro sunt obliuiscens, iam nil pene præter Ecclesiam & orationes continuas nouerat. Mirareris * vnde decrepito ea alacritas in studio, ad studium sensus. Taliter sub pio Eberhardo & successore eius circiter annos duodecim conuersatus, mense Ianuario ad matutinũ signum, in stratu repertus est mortuus. Odiosum genus mortis, anceps, lubricum, attamen non potest male mori qui bene vixit. Ipsa enim nocte & hora transitus prædicti fratris, vidit per somnium quidam confratrum, dæmones grege * facto cellam infirmorum suo more petentes, & aliis ad fores operientibus, aliis intro ad suscipiendam animam senis irruentibus. Post paululum ad collegas egressi, horrendum elatrantes concrepabant: Ah dolor virum amisimus: frater Eberhardi Episcopi erat. Tum infœlix acies eiulans & blasphemans disparuit. Quid ni ergo fœlices Eberhardi, Benedicti, Antonij discipuli.

XII.
* vnum.
*facto, deest.

Procedente tempore iuxta dictum gentilis: Omnia mala ex rebus bonis orta sunt, cum ortum de Apostolici electione scisma ineffabile ex bono malum fecit, diuina & humana confudit, Væ quos inuoluit illud contagium. Vbi vnctus legitimus? Ecce hic, ecce illic. Nouit Petrus qui sint eius. Imperator refutato Alexandro, quem coniurasse prius contra suam rem publicam querebatur, alij æmulo totis viribus cum adhæreret, ex maiori parte Italiam post * se, & Alemanniam traxit, reliqua Ecclesia in obedientiam Papæ Alexandri concessit. Fuerunt quamplurimi aliquot annis neutrum suscipientes, tum odio partium, tum quod neuter sincere per omnia, & simpliciter intrasse videretur. Inter hæc erat videre triste, iustitiam & miseriam late simulari, intrudi, expelli, nec pacem nec bellum exiure, & Apostolicus noster interim fuit quasi non esset. Atqui Iuuauensem & Brixinensem Episcopos cunctorum mortalium, quos tunc nouimus sanctissimos nemo cum nesciat in tanta partium caligine quæstione & conquestione, in tanta omnium dubitatione, tantorum vestigia Patrum, tuto sequi nos posse credidimus.

XIII.
Schisma tempore Frederici Imperatoris.
* se, deest.

Post longam nempe considerationem metropolites noster, solus ex omnibus Episcopis Alemanniæ, præfatum Brixinensem Episcopum Hartmannum reuerendissimum, post se trahens, Papam Alexandrum laudauit. Vnde nobis postmodum inter multos audientibus, aliam rationem non dedit, nisi quem tota Ecclesia cum his & his regnis in Alexãdrum consensit, iustiorem hunc æstimamus. Quod quasi præsagiis futurorum dixerit, exitus post multos annos probauit. Sic Augusti tunc solus fata impediens, non tamen Augusti in se manus commouit. Quam diuerse, quantis aduersis prædecessores sui rem tantam in Cæsares Heinricos præsumpserant? Et ecce plus Heinricis hic. Furebat bilem, & nunc in nostrum Eberhardum Augustus, & suam ipsius animam pertransiuit gladius, sed vbi in præsentiam venisset, reuerentia sanctitatis eius spiritum reprimebat. Dignitas quædam Angelica in vultu, & pondus tale oculos ac mentem obibant, vt nisi timere pluspuam mortalem & contremere & parcere, & venerari non posset. Hæc de semetipso confiteri Princeps solebat. Oderat nimis semper sanctissima anima prosperitatem suam temporalem & gloriam, ardebatque prædicta, vel qualibet occasione, quælibet aduersa, siue exilij, siue etiam mortis sustinere pro Domino, sed sic eum volebat manere donec veniret.

XIV.
S. Eberhardus adhæret Alexandro III.

Interea more suo pacem reficere in Ratispona laborabat populosissima vrbe, neque enim apud Germanos populosiorem vrbem tametsi latiorem, testantur qui norunt. Dux autem Bauariæ, perspecta simplicitate Imbripolensis Episcopi, qui per subreptionem tunc præfuit, insatiabili auaritia, maximum fiscum Episcopij, id est, castrum quoddam cum omnibus pertinentiis suis vsurpauit. Episcopus primo furere, obstrepere, cœlum turbare, nil pensi habere, ab vtroque totus pene Episcopatus cœpit incendiis & rapinis vastari. Vrbani inter alterutros diuisi abierant. Hæc per patræ an xius cum animo suo trahens, tum pro pace, tum maxime pro vrbe, ne læderetur satageb *, quomodo

XV.

quomodo quidem hæc mater prouinciæ,& aspectus eius in vniuersam terram,& omnium fructus foret in ea. Dux obedientiam promittebat in omnibus. Episcopi stultitiam piger exponere,quomodo damnum maximum & confusionem quam vilitatem maluerit. Pater * cum à Duce vitam captiuis, rem ssionem vrbi, memoriam æternam labori suo obtinuit,postmodum diuinæ reuelationis gratia,obitum suum longe ante præsciuit,sicut subiecta declarant. * tamen

XVI. In Frisiensi ciuitate mulier degebat inclusa,quæ ante annum transitus Episcopi, orationibus solito cum incumberet,rapta in spiritu,ad contemplanda illa æterna & inuisibilia viuentibus mortalibus est. Vidit itaque supplicia reproborum,varia & horrenda,quæ in cor hominis ascendere non possunt. Vidit deinde mansiones beatorum & gaudia,quæ impossibile est homini loqui. Super hæc omnia contemplabatur apud superos gloriosam sedem, cuius opus & species omni famine mirabiliora,sedique huiusmodi sanctum Petrum & sanctum Rudbertum altrinsecus superstantes custodes : Cum miraretur super magnitudine horum,responsum à sanctis illis audiuit. Hæc est sedes Eberhardi Archiepiscopi,quam ad eius vsque custodimus aduentum: Prope est vt veniat tempus eius,& dies eius non elongabuntur: Hæc mulier per familiarem nuncium mandat,& vsque ad mortem Pontificis in ore trium res latet. Visio de morte S Eberhardi.

XVII. Appropinquante igitur vocationis suæ tempore,cum iam pridem viribus corporis cœpisset destitui, de pace itidem negotium habuit,bonam hanc virtutum suarum consummationem existimans,si pacem Ecclesiæ redditam reliquisset. Dissidebant more suo dum inter se Dux Orientalis Bauariæ,necnon & frater suus valde excellentissimus, tunc Patauiensis Præsul,mox autem Eberhardi nostri successor Iuuauum translatus Metropolim. Consulto, ni fallimur ,hanc translationem,arbiter ille temporum Deus indulsit: ita vt congruum magis & dignum,in quo solo tota procella temporis consumeretur , finis docuerit. Hinc concordare fratrem, in visu beatus Præsul non leuiter, vtpote in mortis vicinia laborabat. Quid frater? Quam infraternè, quam procul à constituto colloquio aberat. Sed adhuc longius sequens Dominus homini suo deferebat, * vnde humiliter submonitus à suis,cum magna dulcedine allegabat dicens: Scio chariſſimi,qui de cælo descendit ad terras. Quid nos? Et adhæc quis idoneus? Adiicienſque aiebat suis: Fateor,spem in hoc maximam habeo,si mori in negotio pacis,vel ante capere tanti boni salutem initium quiuero. Beati enim pacifici. Et quid sequitur? Quoniam filij Dei vocabuntur. Desiderium verò suum iusto dato,iuxta Salomonem, est inter pacis actiones,ad æternam est pacem translatus Vnde omnium puncto notatus est Martino similis,pro eo vel maxime quod castrum Episcopij vir clarissimus Otacher Marchio eadem tempestate obsederat,ministerialem Ecclesiæ Præfectum oppido persequens. Aliena res. Quum diuicinum Ecclesiæ,vel etiam perpetuum, capto oppido , malum veniret,tragœdia in ore omnium erat. Vix opus compulit aduenire Antistitem,sine operæ pretio,tristè res agitur, cum demum confirmatus pater proloquitur. Iam ecce in castrum meum ascendam,quis obstet videbo? Occupat serenissimus Marchio,necessarios consulit,obsidionem sine * vlla pactione soluit,d gnum honorem cedit Episcopo. Reddidit hæc pater, vt ministerialem conditionibus satisfacere tandem persuaderet. Erantque hæc opera eius nouissima, cum iam morbo decurrens migraretur,quatuor equis * intrahere faciebat. Faciebat autem hæc ac si iam moriens palam omnibus diceret : Pacem relinquo vobis. * omni pacatione. * intrahere. Faciebat aut hæc aut se.

XIIX. Perducitur * inter hæc ad Runense Monasterium vbi synodocho, vt cœperat,aliquandiu laborans,post tertium diem,sudore exundato,magis defecit. Hinc paululum sustinens ait: Modo auditum amisi. Quo sensu,scilicet auditus, vt ita dicam,supra naturam hominis semper vigerat,sic,vt procul susurrantes audiret & proderet. Sequenti die Dominica ad vesperam,vocante Domino X. Cal. Iunij,naturæ concessit,anno Episcopatus sui decimo octauo,mense secundo. Anno ab incarnatione Domini MCLXIV. ab ordinatione Papæ Alexandri VI. & Imperatoris Friderici XIII. Mors eius pro tempore lamentabilior fuit. Languebat mater Ecclesia in omnibus membris, & cum hic caput totius extaret imperij,sanctitate & gloria sanum caput interim infirma * iuuabat. Quæ spes temporis? Quæ spes futuri? Melius est habere quod cupias quam desiderare quod nescias. Quid plura? Transferebatur defunctus longo & aspero itinere ad matricem Ecclesiam,& exequias mire pauperes celebrabant,genus illud Deo propinquum: Quid de cæteris dicam? Istud nouum. hunc beatum gementes dixerimus coisse leprosos & planctu oblationibus, eleemosynis, orationibus suprema iusta ei fecisse. Rarum genus. Inopes in cælum reboabant : Patrem amisimus : O perniciem nostram. Ipsi potentes alius Dominum,pars amicum vel patrem se amisisse dolebant exemplo præcellentissimi, & nostris temporibus eruditissimi. Moritur. * curabat.

XIX. Babenbergensis Ecclesiæ qualiscunque minister: Venerabilibus & in Christo plurimum dilectis fratribus & amicis Hugoni Salzburgensi, Vdalrico Kumsensi Præpositis. Coronam pro cinere,oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. In commemoratione beatissimi Patris nostri ac Domini Archiepiscopi iugiter in mentem venit,imo à memoria nostra non recedit,quod diuiso à se Domino suo & curru igneo subuecto,vernaculus, & indiuiduus ille comes Prophetæ post eum clamauit dicens: Pater mi,pater mi, currus ille Israel, & auriga eius. Nunquid enim magnus iste Sacerdos noster,qui in diebus suis placuit Deo,& inuentus est iustus,currus non fuit, dum necessitates & infirmitates alienas,præsertim onera peccatorum & inopiam pauperum,paterna consolatione & compassione subleuauit. Quasi diceret. Quis infirmatur & ego non infirmor? Vel nunquid auriga non fuit,qui creditos sibi rexit & direxit in viam veritatis,exemplis pariter & documentis? Oculus fuit cæco,& pes claudo. Manus eius non auersa ab vllo paupere,cum quo cordi erat iocari,contrixari,& tandem ab inualida manu exsuperari. Insuper vt omnibus omnia fieret, etiam supra legem non contra legem,halitum leprosi & tactum lepræ non abhorruit. Raptus ne malitia mutaret intellectum eius,aut ne fictio deciperet animam illius. Sed consummatus in breui expleuit tempora multa. Equidem sicut scriptum est,malitia remanentium mereretur,vt hi qui prodesse poterant,festine subtrahantur. At qui memorabilis ille assecla Prophetæ magnificam duplicis spiritus habuit consolationem,nobis autem in transitu viri sanctissimi,præter luctum nihil aliud & amplius derelictum est,nisi forte digni essemus apud Deum,tanto subleuari patrocinio. Talis decebat vt nobis esset Pontifex,cui viuere & mori Christus erat lucrum. Propositum quidem nobis erat festinandum eũ videre,sed prô dolor,peccatis nostris exigentibus extremum hoc beneficium percipiendæ ab eo benedictionis, nobis diuinitus denegatum esse lamentabiliter & inconsolabiliter conquerimur,& infra : consolemur inuicem,pater noster piissimus intrauit in gaudium Domini sui. Ipse autem pater misericordiarum, & Deus totius consolationis consoletur vos,& absterget omnem lachrymam ab oculis vestris. Hæc serenissimus Babenbergensis Episcopus. Sed redeamus ad propria: Sepulti enim merita Dominus declarare non distulit. 4 Reg. 2.

XX. Mvlier hydropica,quam suo more beatus viuens aluerat,ad sepulchrum defuncti,tanto afflictior,quanto coactior,fusa cœlos vexare lamentis non desiit. Vt quid me pater,ait,desolatam relinquis ? Aut cui amantissimum gregem pauperum commisisti pater & pastor? An potius quasi orphanos dereliquisti? Et dixisti : quod moritur moriatur,& quod succiditur succidatur? Sed nunc peto per illum qui te assumpsit,vt miseriis meis,quomodo hactenus corpore , ita modo per spiritum digneris succurrere. Hæc deprecata & exaudita sanata egressa est. Hydropica ad sepulchrum eius sanatur.

XXI. Præterea reuerendi cuiusdam de cœnobio Iuuauensi memoratu digna visio existimata est. Videbatur hic

sibi per somnium, dum siti vrenti circumageretur, Ecclesiam miri decoris errabundus intrare. Illic beatam Dei genitricem Mariam, vultu, vt est, dignissimo eminus consedisse, & velut puerum in gremio, charis amplexibus, conspicatur tenentem. Agnouit Dominam, de pueri persona & gloria, hæsitans erat atque admirans. Cui mater misericordiæ paucis dignata est hæc ad verbum proferre: Hic est filius meus Eberhardus, qui nihil mihi vnquam negauit. Huius rei tot testes, quot decuriones Antistitis sunt. Omni petenti tribuere solebat, quod sanctæ Mariæ nomine petitum fuisset. Ecce qualis mater, talis filius, sibi fieri, quæ propter se fieri testantur. Post hæc videbam seniorem, & pincerna calicem mysticum poculum geniminis cœlestis propinans ingrediebatur. Libauit regina, deinde puer, qui videbatur puer, Domina præbente, vt vino indulsit, vltimus senior, dum ad se ventum fallitur propere subiens vt acciperet, Dei genitricis audiuit sententiam: Non potes adhuc interim de tali poculo accipere. Videtis quam districta vox. Beatiores ergo mortui, qui in Domino moriuntur. Post id locorum excitus somno senior tam ipse, quam omnes qui audierunt congratulari visioni cœperunt. Plura memorare huiusmodi copia non deerat, sed commentationi Patris nostri, pauca hæc, pauca non erunt. Breuiloquium semper amauimus & modum in rebus. Si cui ad notitiam saltem beatissimi Domini nostri hæc suauia erunt. Hoc est totum pro quo laborauimus. Si quis exsufflat, fortasse illi, aut omnia scripturarum insuauia erunt, aut scriptoris indignitas acceptione hic caruit. Atqui sicut scriptum est, cognationem inter se maximam habent amor & potestas. Vtraque enim principaliter præsunt, vtraque per auctoritatem semper loquuntur. Non potestate igitur, verum amore peculiari, cum venia potentium, istud scribendi ministerium, forsitan merito, vtpote ex discipulis eius antiquis, charissimi & infimi, vendicauerimus. Quid plura? Restat suspirare post tantum cœlitem, & conuictores super eum iam minus velle hanc vitam. Hi nempe vel sola eius forma sciunt, quid sit bonum & cœlum & virtus & in terra *ambulantes conuersari in cælis, vbi Christus est in dextera Dei sedens & regnans per omnia sæcula seculorum, Amen.

*ambulas.

DE MIRACVLIS, QVÆ OPERATVS EST POST MORTEM SVAM.

XXII. POST obitum igitur Deo dilecti Antistitis Eberhardi, tot miraculorum Christi Ecclesia clarere cœpit insignibus, quot sanctus adhuc viuens virtutum abundabat operibus. Et qui mundo tunc latere disposuit, signis quæ iam per ipsum fiunt, approbatur quis fuerit. Qui enim tunc dixit cum Isaia: Secretum meum mihi, secretum meum mihi. nisi ne elatione tentaretur, quæsiuit latibulum ad Angelorum ecce & hominum deductus est commune spectaculum. Quod etiam in occulto mentis secretario factum est, iam sunpra tectum prædicatum est. Nihil opertum quod non reueletur, & occultum quod non sciatur. Qui enim tunc abscondit eleemosynam in sinu pauperis, nunc per ipsam habetur excusatus in conspectu summi iudicis. Decebat ideo, vt quem honore ditauit in cœlis signorum vel magis beneficiorum claritate Dominus magnificaret in terris. Quænam viuens fecerit, nonne hæc scripta sunt in notitia singulorum? Nisi tamen præteritorum scriptura commemoraret, non est in futuro, qui Deum in sanctis suis glorificet. Vnde est illud: Cito fecerunt & obliti sunt. Quæ enim scripserunt scimus, & quæ prætermiserunt nescimus. Non equidem legimus in tota veteris Testamenti serie, quis fuerit ille Zacharias, qui occisus est inter templum & altare. Si sciretur quis esset, Deum in ipso plebs glorificaret. Necessarium ergo est, vt ab initio propositiones loquamur, quanta audiuimus & cognouimus ea, & fideles narrauerunt nobis. Signis quidem fides populi fundatur. Vnde est illud: Signa nostra non vidimus, iam non est Propheta, & nos non cognoscet amplius. Vt ergo sciant omnes, quod beatus Eberhardus cum Christo regnat, beneficio Dominus declarat in mortuo, in quo *sibi complacuit adhuc viuo. Igitur ô lector, quia in ore duorum vel trium stat omne verbum, si humanum negaueritis testimonium, miraculis saltem quæ fiunt, fidelem præbeas assensum. Probant quidem sanctum miracula, & populo sanctitatem eius reuelant Domini beneficia. Inprimis enim manifestauit eum Dominus sic.

Esaiæ 24.

Matth. 23.

Psal. 73.

*sit.

XXIII. HOMO quidam diabolo instigante Ecclesiæ maioris seras temerario furore irrupit, & detestabile furtum in ea commissurus intrauit, & scrinium cuiusdam Canonici securi violenter confregit, ex qua duas casulas cum reliquis Sacerdotalibus cæterisque bonis surripuit, saccoque delaturus imposuit, sed exiturus virum ætate canum, veste candida circumamictum sibi cominus assistere conspexit. Vnde quidem non mediocriter territus, sed nequitiam suam necdum persoluere veritus, cum onere processit in medium, sed prope sepulchrum beati Eberhardi duobus passibus distans immobilem fixit statum. Sanctus enim, vt creditur, qui Ecclesiastica protexit viuus, iam cum Christo melius valens, Ecclesiæ damna non passus est mortuus. Tam diu igitur nutu Dei stetit inconcussus: donec à populo cum sarcina captus, rem gestam publice profiteretur confusus.

Furem prodit.

XXIV. ACCIDIT autem, vt quidam puer de Marsee/, nutu diuinæ prædestinationis à natiuitate cæcus, ad limina Beati Rudberti deferretur, sed Sancti Eberhardi tumbæ superpositus, prece omnium qui aderant, oculorum perfusus est luce.

Cæcus à natiuitate videt.

XXV. PVELLA quoque quædam de Gruscharn/ duodennis, surdum & mutum habens spiritum, beati viri sepulchro aduoluitur, sed fidelium interpellatione, auditu simul & voce reparatur.

Surda & muta sanatur.

XXVI. ITEM miles quidam Domini Archiepiscopi nomine Rudigerus, filiam habens paralysi vno brachio destitutam imo præmortuam, pro eius sanitate mater sæpe frustrabatur in medicis. sed ecce ad melius conuersa, beati Pontificis gratiam experitur & dona. Christum compuncta petit & sanctum, luminare parans metitur vt brachium, tumbæ sancti præponit vt ardeat, domumque reuersa sospitam filiam inuenit, Deumque in sancto suo glorificat. Mirum in modum mulier in templo, sanctus in domo, illa accendit candelam, iste sanat filiam, cera liquendo decrescit, sed virgo meliorans inualescit.

Item paralytica.

XXVII. SIMILITER & quædam sanctimonialis fœmina, ex calculorum longa ægritudine fere consumpta, ante sepulchrum sancti viri pro strata compungitur, & dum pie supplicat, meritis sancti calculus dilabitur, & ipsa sanitate percepta gratulatur. Dignum quippe erat, vt qui duros hominum actus emolliuit vt saxa, sic quoque in prosperum supplex ipse, supplicum commutaret aduersa.

Item calculo.

XXVIII. IN cœna quoque, quædam dæmoniaca iam diu obsessa adducitur, supra quam cum exorcismus legeretur, spiritus nequam, qui inerat, variis linguis fabulatur. Dum vero fit illi comminatio à Clero per beatum Virgilium, dæmon Clerum subsannat, & se Virgilium magistrum suum iam tertia die in inferno reliquisse clamat. Quæritur ergo, Quis vel cuiâs ille Virgilius sit? At ille Mantuanum Poetam fuisse respondit. Tunc interrogatur, vbi vel per quem sit exiturus? dixit: Quod cum ad patrem pauperum venerit, iam amplius illi remanendi locus non sit. Tunc summo diluculo cum antiphona: Traditor autem &c. diceretur, sub specie vespertilionis egredi visus est. O miræ virtutis, vel potius piæ paternitatis indicium, die qua seipsum panem salutarem discipulis proposuit, tunc B. Eberhardus mortem effugans, vitã cõdonat ouibus suis. Sed ex dæmonis fœtore, Atchiepiscopus noster simul cũ Ratisponẽsi Episcopo, de sede sua repulsi sunt.

Dæmoniaca liberatur

XXIX.

NON

XXIX. NON diu * post, hic quidam miles, de nemore S. Leonhardi, vxorem suam sepulchro pij Patris applicuit, quam nutu Dei & sancti meritis, licet diu contractam, cito erectam lætus obtinuit. * *Post hæc quidam.*

XXX. SIMILI quoque modo mulier quædam de Straßprayſen humorum ariditate seu neruorum contractione, manuum officio destituta, inuocato nomine sancti, pristinam sanitatem est adepta. Contractæ sanantur.

XXXI. SVBSEQVENTI tempore, puella quædam de Niwenburg / Marchionatu, cæca, patre comitante aduenit, sed sancti sepulchro aduoluta, adstantium supplicatione, visum fœlix obtinuit. Cæca videt.

XXXII. ITEM fœmina quædam de Engelbreheßheim / pluribus annis obsessa, à deuotis fidelibus monumento Præsulis adiungitur, & ipse mutus, sanctum confitetur corde, quem non potuit ore, sed virtute sancti instruitur, quid loquatur & voce. Dæmoniaca curatur.

XXXIII. MILES quidam calculosus, diu languens & pallidus, tamen nomine Patris inuocato, sic calculum digerit, quod nullam molestiam amplius sensit. Calculosus sanatur.

XXXIV. SIMILITER & mulier de Ktemsee / arrepticia adducitur, sed meritis supradicti Pontificis, de potestate dæmonis celeriter emancipatur.

XXXV. POSTHÆC paucis mensibus decursis, in præsentia Archiepiscopi Chunradi III. Brixinensis Episcopi, Marchio minor Dietboldus de Vocheburg / sancti Eberhardi aliquando nutricius, mulierem decem & octo annos energumenã adduxit, & pro ipsa tota nocte vigilans, quam sanandam in sancti sui glorificatione vsque adhuc distulit, à Domino suo curatam obtinuit.

XXXVI. MVLIER quædam de Mülldorff /, à spiritu nequam vexata, adducta est, sed sanitatis gratiam quam quæsiuit, fidelium prece, ab ipso Patre citius nacta est.

XXXVII AVDITA igitur fama miraculorum beati Eberhardi, cæterorumque Iuuanensium sanctorum, velut ex vehemẽti tonitruo, ab incredulitatis somno citius velut excitatur charitate tepentium multitudo. A remotis accedunt prouinciis, & ab alienis aduenium regnis, miraculorum surgunt fulgura, hic Iuuauum quærere, quod fides non obtinuit apud se. Inter illos videlicet quædam mulier venit de Würtzburg / luminis causa, cæca petit merita pij Patris * erperiri. Dum ergo Iuuauum iam diutius moratur, salutis cupida, tandem ex improbitate pietatis, ei aperitur ianua triplicis fidei. Percepit alimenta, sic pascitur per fidem, quod corporis & animæ recepit sanitatem, mirum in modum oculis carnis experitur vt videat, & oculis cordis experitur, quod credat. Dixit quidem, vidi eum in carne manentem, sed nunc experiar in cælo regnantis virtutem. Fœliciter experta est, quia quod petiit adepta est. Accessit enim d ucta per alterum, sed ecce regreditur sibi præmonstrans iter suum, & quæ accessit contristans, læta reuertitur DEVM in sanctis suis glorificans. * *expediri.* Cæca videt.

XXXVIII POSTHÆC non diu, duo venerunt milites ducentes contractum per singula, cupientes experiri si vera esset virtus beati Eberhardi, vt fama erat. Æger itaque ille iam pridem miles & prædo nequissimus, & ex incestu cum vxore scilicet fratris sui fornicando, per prædictum Antistitem erat excommunicatus. Cum ergo vsque post mortem ita perseueraret impœnitens, qui potuit pœnitere voluntarius & non fecit, infirmitate pœnitere coactus est nolens. Corpus quidem suum vsque quaque contrahitur, & velut ex lepra sicca quadam scabie sordidatur. Audita igitur pij Patris virtute, accessit confiteri mortuo fide tactus vt placeat, cui noluit viuo. Cum ecce iam tumbæ appositus, deuotionis offert pretium, at sanctus soluit peccati vinculum, & contractum erigens reddidit sanum. Vox ecce populi in laude sustollitur, Christus in sancto, & sanctus in Christo benedicitur, qui ægrè peccanti tam mirifice propitiatur. Socij vero sui, sanato applaudunt, sed ab eius mensa, quia adhuc liuida scabie maculoso se subtrahunt, ipsa tamen memoriam sancti Eberhardi celebrando commendare non sinunt. At ille infœliciter inquit: Mallem vt primo contrahi, quam sic à vobis erectus despici, quoniam si plene sanasset applauderem, sed iam despectus doleo propter hanc erectionem. O quam terribile, inquam, dictu, in crastino mentum contrahitur vsque ad genu, vt qui sanari doluit, iam solito infirmior fit. O mira pastoris sententia, mortuus mortalia soluit vincula, soluit anima nexum corporis, virtutem pastoris experitur ouis. Pastorem igitur non irritare discat subiecta conditio, discat non irretiri peccati vinculo, ne si mors præmineat, absit omnis propitiatio. Pœnitentẽ contractũ sanat. Iterum cõtrahitur.

XXXIX. MVLIER quædam de Ensee / virum relinquens legitimum, ioculatori se iungit ad * vitium, insatiabilem fouere cupiens appetitum Iuuauum ergo veniens lasciuiter, vt stolida garrit, & ioculatur vt ganea, legitimi fœderis * adulteratur oblita. Tandem ad sepulchrum beati Eberhardi accedit, vt composita cum chirothecis offert elata, sed vltione diuina percutitur, & fit arreptitia. Solita rimatur ludicra iustitiæ, blasphemat vt garrula, huc & illuc se reuoluit in aera, quomodo sic à dæmone vexabatur obsessa. Educitur ergo & trahitur in templum, & à Clero circumstante exorcizatur dæmonium, & mulier delicta confitetur ne pereat, & emendare promittens, Deum liberata glorificat. * *victum.* * *adulteratrix.* Adultera corripitur à dæmone & liberatur.

XL. LAVDETVR ergo Christus in sancto, laudetur sanctus in Christo, qui sic dispensat vt laborent infirmi, vt sanitatem eis redditam, sanctorum suorum adscribat meritis & suæ virtuti. Quidquid enim fit per sanctos, Deus facit in ipsis. Vnde est illud: Sine me nihil potestis facere. Operatur enim omnia in omnibus, diuidens singulis prout vult. Omnium etenim potens est Dominus, & hæc facit vt sanctum glorificet, & notam faciat nobis potentiã suam, dicens per Prophetam: Videte quod ego sim solus, & non est alius Deus præter me. Excutit enim Pharaonem & virtutem eius in mari rubro. Quis est iste Pharao, nisi diabolus, qui est Ægypti, id est, tenebrarum Rex. Ipse quidem quos potest exterminat, id est, extra terminos patriæ ducit & necat. Quæ est virtus eius, nisi tentationum suarum fortis tumultus? Quid est mare rubrum, nisi martyrium, vel Christi passionis sacramentum? Quasi enim Pharao cum exercitu suo in mari rubro submergitur, cum diabolus & vitia sua, Christi & sanctorum suorum passione conuincuntur. Ideoque glorioſus Deus in sanctis suis, mirabilis in maiestate sua, terribilis & laudabilis: & faciens mirabilia solus. Et hæc facit ad laudem & gloriam nominis sui, qui est benedictus in sæcula, Amen. *Deut 32.* *Exod. 14.*

PASSIO SS. DECEM MILLIVM MARTYRVM IN MONTE ARARATH CRVCIFIXORVM EX MS. COLLEG. SOCIETATIS IESV COLONIÆ. AN. 110.

Prologus. GLORIOSORVM martyrum decem millium historiam nõnulli fortassis magis curiosi quam deuoti, propter narrationis varietatem & in quibusdam dissonantiam, malunt calumniari quam venerari, in confusionem, vt timetur, propriam, Deique ac sanctorum iniuriam, putantes derogare veritati, quod simpliciter adscribendum erat interpretum aut ignorantiæ aut inaduertentiæ, vel certe temporum vetustati. Est enim historia ipsa conscripta dudum, persecutionis rabie vehementer grassante, primumque & originaliter in Græco: Deinde per diuersos, non solum in Latinum, sed & in linguas translata Barbaricas. Quare IVNII 22.

Anastasius Bibliothecarius SS Martyrum historiam in Latinum conuertit.

nec mirũ, si non vsquequaq; in auribus cunctorũ resonet ad votum. Ea tamen translatio, quam Anastasius Sedis Apostolicæ Bibliothecarius è Græco, vt fertur, in Latinum fecit, videtur esse in Stylo clarior, & in veritate solidior, q̃ & subsequens imitatur præcipue positio, aliis tamen etiam verisimilibus non ex toto reiectis. Nec debet sanctorum Martyrum cultoribus, torporem ad segnius eos honorandos ingerere, si viderint nonnullos eorum historiam minus reuerenter suscipere. Sed sufficiat eorum deuotioni, quod sancta Ecclesia Romana, & quamplures aliæ, per totum orbem diffusæ Ecclesiæ, sanctorum decem millium Martyrum passionem in diuino officio dignè venerantur. imo & eorum festum inter festa Palatij Apostolici (in quibus à iudicij strepitu quiescere Romana curia quieuit) apud nonnullos dinumeratur. Considerandum quoque circa hanc historiam est, quod de tot millibus Martyrum, pauca eorum ad Latinos deuenerunt nomina; & ea quæ in Latinis reperiuntur codicibus, satis dissonant, vitio, haud dubiè scriptorum, qui facile vocabula ipsis in consueta corrumpere & suum in vsum, licet inconuenienter rehorquere solent, sed & hoc nihil refert, quantum ad historiæ veritatem, neque mouere sanctorum debet amatores, quo minus eis afficiantur: cum constet teste Beato Hieronymo in Biblia, similiter quandoque in propriis hominum aut locorum nominibus factum esse sæpius. Nomina autem propria sanctorum Martyrum, in eorum turma magis insignium, quæ apud Latinos reperiuntur, sunt hæc: Achatius in exercitu eorum primicerius Heliades Dux, Carcerius Campiductor, Pharecritus Capitaneus, Speusippus comes magnus, Theodorus Magister militum super mille, Braconarius Miles multum insignis, Marcus quoque & Alexander Milites valde potentes. His quoque iungunt quidam Hermolaum Episcopum; qui si interfuerit, præsumendum, quod non sine præsbyteris, Clericis & Ministris. Vnde relinquitur pro indubitato, quod fuerint Martyrum plures, quam decem millia. Quemadmodum & ipsi Colonienses de vndecim millibus virginum astruunt, quod numerus earum excedat quartum decimum millenarium, quod & satis apparet credibile. Necessarium quippe erat, vt sacer ille virginum exercitus pro ministerio & gubernatione haberet, modo humano, & virorum & matronarum solatium. Nec videtur verisimile, quod si glorioſi Martyres fuerint omnes milites tales, quales nunc milites appellantur. Quod si sic; tunc non dubium, quin quilibet eorum, ad minus vnum aut plures famulos habuisset secum, sed creditur, quod aliqui ipsorum fuerint milites simpliciter antiquorum more è militando, hoc est, in equis pugnando, & quasi equites seu equestres sic dicti: sunt tamen omnes Christi milites effecti nobilissimi, ratione glorioſi sui martyrij.

I. ROMANI imperij sceptra Adriano & Antonino simul tenentibus, contigit circa annum Domini secundum aliquos, centesimum quadragesimum, Gadartenos & Eufratenses in Græciæ partibus rebelles eis fieri: quo per Imperatores comperto collegerunt ipsi electam militum multitudinem, ad numerum sedecim milium, pro subiugando eos, quos inobedientes factos didicerant. Habebant autem, quia Pagani erant; secum deorũ suorũ Iouis & Apollinis simulacra: quibus immolantes præsumebant talium auxilio de victoria: sed quoniam non Deo vero, sed dæmoniis diuinum honorem dabant; suæ infidelitatis præmium, vtpote fugæ confusionem digne reportabant: videntes enim hostium eis intolerabilem multitudinem ex aduerso appropinquantem, non minus centum milliũ fortium virorum, omnis spes resistendi diffugit ab ipsis, salubriorem sentientes sibi fore fugam, quam certandi inire discrimen.

Imperatores cũ 7000 fugiunt, Achatius cum suis subsistit.

Fugam itaque, cum septem millibus armatorum ipsis Imperatoribus accipientibus nouem millia robustorum ex eis audacter, subsistebant: inter quos insigniores erant, Achatius Primicerius, Heliades Dux, Garcerius Campiductor, Pharecritus capitaneus, Speusippus Comes, Theodorus magister militiæ, Draconarius Miles, Marcus & Alexander similiter milites. Hi apud se tractantes de victoriæ gloria, & fugæ ignominia, elegerũt potius fortiter mori, quam turpiter fugari: quod & suis magis placuit commilitonibus, quam si numerari deberent cum aliis terga vertentibus.

II. ACHATIVS in exercitu primicerius, Domini illius, qui conterit bella adhuc ignarus, ac gentilibus erroribus inuolutus ad commilitones ait; sacrificemus fratres, Diis nostris, si forte eorum adiuti præsidio, possimus triumphũ de aduersariis obtinere. Placuit eius sermo in auribus consodalium, & contulerunt dæmoniis, & non Deo prophanum sacrificium: quo facto; non solum nullam ex hoc senserunt consolationem, sed maiorem incurrebant animi deiectionem, & mentis formidinem: declinare itaque ipsis incipientibus: ecce occurrit visibiliter eis Angelus Domini in specie adolescentis, qui ad eos ait; vt quid pugnatores strenui post hostiarum immolationem facti estis tam timidi? Quibus præ nimio timore hostium nihil respondentibus, Angelus eos consolando, dixit; animæquiores estote viri, si me audire volueritis, dabo consilium vt de inimicis vestris, licet plures vobis sint, triumphetis & subdit Angelus dicens; abrenuncietis idolis, credite cum Christianis in verum Deum Iesum Christum, qui Deus est & homo, pro salute mundi passum, crucifixum, mortuum & sepultum, qui & à mortuis resurrexit, & sedet in cœlis ad dexteram Dei patris, indeque venturus est, in fine sæculi, viuos & mortuos iudicare & vnicuique secundum opera sua retribuere: hic solus est, qui omnia potest, in quem si credideritis, victoriam optatam habebitis, atque felices perpetuo, etiam post hanc vitam eritis: His dictis Angelus Domini ab oculis eorum euanuit.

Sacrificant Diis.

Apparet illis angelus

Promittit victoriam si credant.

III. STVPEFACTI viri tam de Angeli verbis, quam de eius consilio, loquebantur mutuo vnus ad alterum & collega ad suum socium, singuli dicentes; quid tibi videtur? Responderunt concordes omnes, & quilibet proximiori: certe mihi consultum videtur, vt sequamur illius adolescentis consilium; quia videtur sanum & bonum: electi itaq; milites, Angelico colloquio informati, atque superni luminis illustratione perfusi, alta voce vnaminiter clamauerunt & dixerunt credimus in te Deus Rex cælorum, qui es Deus Christianorum, iuxta adolescentis illius (Angelum denotantes) verba, & promittimus tibi in omnibus nos omnes paratos fore, vt veros Christianos decet, tuam facere voluntatem; diis quoque quos coluimus hucusque sponte renunciamus; experimento enim capimus, quod nequeunt iuuare se colentes: igitur succurre nobis, petimus, in hac nostra necessitate: confitemur enim te omnia posse: Catholicam ergo fidem cum confessi essent, gratia diuina mox ita sunt roborati vt absque pauore cuneos hostium, etiamsi adhuc multo plures fuissent, penetrare parati essent, vnde cum impetu in aduersarios, audacter irruentes, Angelico suffulti præsidio, totam illam inimicorum multitudinem contriuerunt, Cæsis aliis vibratis hastis, & gladiis, aliis in fugiendo per prærupta montium præcipitatis, aliis suffocatis in vicinorum lacuum vndis: Victoria hac tam magnifica per eos obtenta, gratias maximas Deo cæli egerunt, & tanto deuotius, quanto eius virtutem sibi nouerant affuisse copiosius.

Credunt.

Profligant hostem.

IV. HIS feliciter peractis Angelus Domini, qui prius eos docuerat, rursus se eis, in specie visibili ostendens laudat, quod suum audierant consilium, iubendo, vt vadant ad montem Ararath, in quo Deus facturus esset magna & mirabilia pro salute eorum sempiterna; addens quod pro eorum consolatione promisit se eisdem ducatum præstiturum, nec in vllo se eos deserturum: Est autem mons Ararath, mons in Armenia altus, super cæteros præeminens montes, distans à ciuitate Alexandrina stadiis quasi quingentis: Cum itaque sancti Dei ad dictum montem duce Angelo breui temporis spacio & quasi miraculo prospere peruenissent, aperti sunt super eos cæli, & viderunt ad se de cælo Angelos specie visibili descendentes, qui in medio eorum stantes ipsos in fide confortando dixerunt: O quam felices estis electi milites, qui credidistis in Deum Christianorum, filium Dei viui, Deum de Deo, qui cum Deo patre in vnitate Dei spiritus sancti vnus est Deus, vnus Dominus, ex quo omnia, in quo omnia, per quem omnia: gaudete, qui digni

Angeli iussu vadunt ad montem Ararath.

Confortãtur ab angelis in fide

digni inuenti estis credere in hanc sanctam Trinitatem, ad perpetuam vestram salutem. Est enim Deus vnus in essentia, trinus in personis, hoc quod non potestis capere, sufficit, imo necessarium est credere, qui n. hoc cognoscunt, iam beati existunt, postquam sancti Dei, de fide Catholica Angelo sic edocti fuerant colloquio, dedicerunt quoque simili modo rursum de suo imminenti Martyrio, quomodo videlicet forent cito requirendi, atque propter Christi fidem multa passuri, gloriaque & honore mirifice coronandi. Prædicitur illis Martyrium.

V. MANSERVNT itaque in dicto monte Deum in gratia sibi facta benedicentes sancti milites Christi, sine corporali cibo & potu, solis cœlestibus dapibus interim diuinitus refecti, quoadusque per exploratores ab Imperatoribus missos fuerant tandem reperti. Nam Imperatores ignorantes, quo illa præclara nouem multum millium agmina post tam insignem de hostibus per ipsos factam stragem: deuenissent, miserunt per diuersa loca nuncias, ad inquirendum & vocandum eos vt dignis honore & stipendio remunerarentur. Itaque cum nuncij, qui missi fuerant, ipsos in dicto monte Ararath orantes & Christum benedicentes reperissent, dixerunt ad eos: Iusserunt principes vt ad conspectum eorum, multa gloria per ipsos extollendi quantocius veniatis: Solliciti enim sunt pro nobis, nescientes, quo perueneritis, vt autem nunciorum verba huiusce modi milites Christi audierant, responderunt dicentes: Nos aliùm principem non cognoscimus, neque Regem, nisi Iesum Christum Filium Dei, neque ab alio honorari cupimus, nisi ab ipso: igitur ite & hęc Dominis vestris enarrate, quibus auditis consternatis animis nuncij pergebant ad Imperatores, referentes, quæ occurrerant. Imperatores verò cognito, quod Christiani facti essent, imposuerunt præ nimia tristitia puluere capitibus suis, atque cum luctu ingenti dixerunt: Heu quis nostros tam strenuos milites decepit? Quis tam inclytos viros à diis nostris & à nobis auertit? Cogitemus inquiunt, quomodo valeamus eos à pestifero errore tali reuocare, atque ipsos, etsi non promissionibus saltem terroribus reuocare. Quæruntur ab Imperatoribus. Significant se Christianos esse. Quod dolet Imperatores.

VI. POST deliberationem igitur maturam præhabitam, Imperatores sic inter se statuerunt, vt validiori congregato exercitu, sanctos milites Dei obedire sibi, & à fide Catholica Christi resilire per violentiam facerent, aut tormentis diuersis interire. Conuocant igitur sibi in auxilium quinque Reges Orientales, videlicet Saporem, Maximum, secundum Adrianum Tyberianum, & Maximinum, quem nonnulli dicunt Maximinum secundum, qui cum magnis conuenerunt exercitibus, quibus sciscitantibus causam suæ vocationis ab Imperatoribus & ea agnita, decreuerunt vnaminiter suos mittere armatos, quorum numerus centum millia faciebat, ad supradictum montem Ararath, pro adducendis inde coram eis sanctorum nouem millium militum turmis illic demorantibus. Cum autem milites Christi viderent milites sæculi appropinquare monti, exhortabantur se mutuo, dicentes: simus fortes in fide Christi, fratres, ecce enim appropinquauit hoc tempus, quod nobis prædictum est, & inuocantes Regem cælorum pro dono fortitudinis sic orando dixerunt: Deus æterne, qui nos peccatores indignos ad sanctam Catholicam misericorditer vocasti fidem, quique promisisti nobis, quod inter sanctos martyres tuos nos velis coronare, confirma nos in sancta fide, quam nobis inspirasti, & nostram corrobora fragilitatem, vt credulitatis nostræ mereamur consequi præmium, & pro tui nominis gloria, nulla expauescere genera tormentorum, factaque est vox de cœlo, ita ad eos loquens: Ne timeatis electi mei, ego vobiscum sum, nec derelinquam vos, ite securi ad eos, qui vos vocant. Imperatores conuocant in auxilium ad capiendos Martyres quinque Reges. Hi pergunt ad mortem Ararath.

VII. CONSOLATI ex præmissa voce cęlesti sancti Dei vltra modum descenderunt sponte de monte obuiam eis, qui manu forti ad adducendum se missi fuerant, nihil timentes, neque in aliquo resistentes. Itaque cum milites Christi ante septem Regum prædictorum conspectum præsentati starent intrepidi, Imperator Adrianus cum fletu ad eos ait: O milites inuictissimi, quomodo ita deliratis, vt me derelinquatis, & magis adhærere elegeritis crucifixo homini tanquam Deo, nostrosque Deos omnipotentes non curetis venerari? Rogo cessate ab hac stultitia, meaque & aliorum Regum qui mecum sunt, implete iussa, vt congruis possitis extolli honoribus, Deisque placere vt hominibus. Addens autem Imperator hoc quoque dixit: Perpendite diligenter, ô nobiles milites, quomodo in mea stet optione, vos omnes, nisi mihi consenseritis, damnare ad mortem, atque in opprobrium coram omni dare populo. Tunc gloriosus Primicerius Achatius, his minarum verbis auditis, subridens ait? Bene dixisti, Imperator, quod habeas potestatem occidendi, sed ego addo, quod non habes potestatem viuificandi. Noueris igitur, quod in hoc plures habes socios qui possunt quidem in mortem hominem dare; sed mortuum non valent resuscitare. Nam & latrones & lictores sunt eiusdem tecum potentiæ, hominibus, scilicet vitam auferendi; sed non conferendi. Etiam potes quidem corpus occidere, animæ verò nihil potes facere. Imperator autem meus, Deus & Dominus noster Iesus Christus, qui est omnipotens, habet potestatem corpus mortificandi, & viuificandi, animamque perpetuo perdendi ac saluandi. Ex his perpende, an iustius ei aut tibi obediemus in obsequio militandi. Martyres se dedunt. Imperator conatur eos à fide reuocare.

VIIX. TVNC Adrianus Imperator nimio furore succensus, ad Christi milites ait: furo per Deos nostros immortales, quia in crucifixum creditis, nec à vesania vestra recedere vultis, crucifixi vestri pœnas portabitis. Ad quod Pharecritus Cãpiductor fidei zelo accensus, audacter respondit: O Imperator q̃ magnã facis nobis gratiam, si nos Domino Deo nostro reddideris conformes, per passionem, cuius gloriæ speramus communionem: Maximus siquidem honor est militibus, Regi suo assimilari in talibus: quidquid igitur tibi, & sociis tuis videtur, in nos exerce: sumus n. parati pro Christo, ad sustinendum omnia, quæcunque excogitare poterit vestra malitia. Adrianus Imperator præira quasi insaniens, dixit: Væ nobis miseri pariter & insensati; qui per vestram obstinationem non formidatis & Deorum & Principum prouocare indignationem. Astabat autem armatorum multitudo maxima vna cum Regibus septem, numerum centum millium virorum longe vincens. Inter quos astantes armatos fuerunt post Reges, decem præfecti famosi, Patricij quinquaginta, Comites quasi Tribuni & militum magistri ducenti: Militum verò & sattaparum cũ satellitibus vltra centum mille quinquaginta. Hi omnes frementes, & dentibus in Christi milites strindentes veluti vna voce in cœlum clamabant atque dicebant, Tolle, Tolle, de terra huiusmodi homines pestiferos, vita indignos, ne totam terram suis superstitiosis inficiant artibus. Intelligens autem confusa hæc populi multitudo mentes Regum, quomodo ipsi videlicet conabantur Christi milites ad se fidemque suam reuocare & sic in vita saluare, non expectata eorum sententia impetuose agens misit lapides in sanctos Dei; qui tamen lapides in mittentium se facies resilientes, militibus Domini in nullo nocuerunt, sed ipsos mittentes grauiter læserunt. Lapidantur martyres à multitudine.

IX. VISO hoc lapidantium miraculo Antoninus Imperator, milites Christi à fide Catholica retrahere quoque & in vita conseruare satagens, dixit ad eos: O inuictissimi milites, declinate consulo, à vestris erroribus, vt possitis viuere & multo sic digni eritis honore, quod si facere volueritis, scitote pro indubitato, quod manus nostras nequaquam poteritis euadere. Ad hæc Speusippus inter sanctorum militum nobiliores Comites non infimus respondens, dixit: satis prius audiuisti, Imperator à sodalibus meis, quod fidem nostram non valetis immutare, & nec blandis, neque asperis eam poteritis euacuare: Nec tuum nec cuiusquam in hoc admittimus consilium. Quare quidquid tibi & eis qui tecum sunt videtur, nobiscum age, & experimento disces, quod nihil in nobis poteritis proficere: Tunc Antoninus iracundia plenus ad sanctos Dei ait: Quia complacet vobis tam bene in Christo, vos Christo vestro in pœnis adæquabo, mandans omnes & singulos sanctos vestibus spoliari, ad arbores ligari ac crudelissime flagellari. Flagellantur.

Dixit enim. Sic Christus vester fuit castigatus, igitur expedit vt vos etiam sitis similiter emendati ad instar ipsius. Sanctus Achatius Primicerius illustrissimus confortans commilitones voce alta dixit : viriliter agite, fratres, & confortetur cor vestrum. Licet enim grauia sint, quæ patimur, tamen pro nihilo reputanda sunt, in comparatione mercedis, qua remunerabimur, cito transiet hæc pœna; sed perpetuo manebit ea, q̃ præstolamur, gloria, subiungens orando ad Dominum : Domine Deus, Rex cœli & terræ, atque vniuersæ dominator creaturæ, tu nosti, quid tui amore sustinemus, non quidem nostra, sed tua virtute ; Nostram corrobora quæsumus fragilitatem, vt pati valeamus multa in perpetuam tuam laudem & nostram salutem. Et oratione huiusmodi expleta, illico terræmotus factus est magnus, cunctisque astantibus ex hoc in timorem versis, flagellantium manus arefactæ sunt, ita vt nihil amplius in sanctos martyres exercere, nec suam vltra sæuitiam contra eos ostendere prævalerent.

Fit terræ motus & arefiunt manus flagellantium.

X.

Erat autem inter adductorum per præfatos quinque Reges militum numerum, præsertim in Regis Maximini exercitu, quidam strenuus magister militiæ Theodorus nomine, mille habens sub se milites, qui mente diligenter pertractans miranda ea, quæ, vt dictum est, fiebant erga sanctos Martyres lapidantes, atque contra ipsos, flagellantes, & ex his diuinam considerans virtutem, ac militum Christi sanctitatem, compunctus inde voce magna clamabat de turba dicens ; Cessate miseri persequi sanctos Dei, non videtis, quod Deus pugnat pro eis ? Et ideo nihil contra ipsos proficitis, sed vosmetipsos perditis. Rursumque diuinitus inspiratus idem Theodorus adiecit orando dicens ; Omnipotens Rex cœli & terræ virtutem tuam magnam in ministris tuis, his nouem millibus militum in te credentium mirabiliter patefecisti; dignare quæsumus, & nos peccatores, me meosque commilitones connumerare cum istis tuis militibus, quod valde cupimus & instanter petimus. Credimus namque & nos in te, sicut & ipsi, parati vna cum eis pro tua fide pati, vt mereamur pariter cum ipsis, & à te post hanc vitam misericorditer coronari. Idem & omnes sui conscij voce magna conclamabant. Et his dictis mox omnes, hi mille milites, se vna cum suo magistro & Capitaneo Theodoro in partem sanctorum nouem millium militum sine cuiusq; metu, transtulerunt: sicque sanctorum Decem millium militum numerus est completus millenario vno, nouem millibus videlicet associato.

Theodor9 cum 1000. sociis se Martyribus adiungit.

XI.

Qvibvs sic nouem millibus in fide & consortio sociatis Maximinus Rex, cuius hi milites erant, magno cum eiulatu ad Imperatores, loquens, sic clamabat : Væ mihi infelici, væ mihi, ô Imperatores, quantam de vobis patior iniuriam : Vestros enim volens recuperare milites perditos heu perdidi & meos. Vtinam nunquam vestras facies vidissem; neque de vestris militibus quidquam audiuissem; sic iam starem quietus in sorte mea, vos relinquens in tribulatione vestra. Intolerabile est, quod sustineo damnum, incomparabile est quod amisi bonum. Væ & iterum væ mihi. Adrianus Imperator ait : Animæquior esto Rex, & habeto patientiam. En dabimus tibi pro mille tuis militibus, mille alios, aut certe loco cuiuslibet militum eorum libram auri. Et subiunxit Imperator Adrianus ad Maximinum Regem, dicens, vt autem te vindicare possis de militibus tuis, O Rex Maximine, damus tibi auctoritatem iudicandi tam super nostros, quam super tuos milites, & quidquid tu iudicaueris hoc nos fixum habere velle noueris. Tunc Rex Maximinus ex Imperatorum decreto, ad iudicandum de sanctis militibus incontinenti tribunal conscendit, gloriososque Christi milites omnes statui coram facie sua demandauit. Inter quos cũ Theodorum militiæ suæ prius magistrum vidisset, ad eum derisorie ait : Quid ô miser in hoc lucratus es, quod me Deosque nostros dereliquisti, ac Christianorum stultitiam sectans Crucifixum hominem in Deum tibi suscepisti ? Ad quod sanctus Theodorus : Tace, impie Tyranne, canis immunde, membrum Diaboli, hæres inferni. Non enim es dignus nomen Christianorum ore proferre. Breuiter tamen tuæ Cæcitati de eo, quod lucratus sum, respondebo. Ecce antea sectabar tecum idola, seruus eram sathanæ, ignorans mundi saluatorem: Nunc vero sequor veritatem, factus minister Christi recognoscens omnium dominatorem, de cuius gratia & post hanc vitam perpetuo saluus ero.

XII.

Sentiens igitur Maximinus Rex sancti Theodori constantiam, quam ipse tamen dixit mentis obstinationem, conuertit verba sua ad milites cæteros, & ad totam militum cohortem dicens : O viri prudentes, quomodo ita facti insipientes, vt Deorum nostrorum iram non paueatis, Principum indignationem non timeatis, extremæ infelicitati & ignominiosæ neci vos sponte subiiciendo ? Veruntamen non putetis (addit Rex ad decem millia militum) vos simplici aut leui morte, si mihi non consenseritis, consumendos. Sed sciatis, quod variis & exquisitis tormentis vos faciam torqueri. Tunc sanctus Achatius Primicerius inclitus respondens ait, cum magna animi constantia : Nosti, Rex, quod tauri ceruicem culicis punctura nequit edomare : ita crede, quoniam tuæ minæ nos fide Christi insignitos non poterunt superare. Ad hæc Maximinus nimio furore repletus ait : cum ventum fuerit ad facta, cessabunt hæc ventosa verba tua. Iussit ergo Rex Maximinus per camporum stadia viginti acutissimos spargi trigonos ferreos pene innumeros, & super eos transire sanctos milites nudis plantis. Quibus transire incipientibus adsunt Angeli sancti, trigonos de itinere colligentes & in vnum cumulum eos reponentes, sine omni sanctorum Dei læsione, atque cum non modica infidelium commotione pariter & confusione. De quo sancti Martyres Deo gratias egerunt, ipsumque in suis mirabilibus benedixerunt.

Trigoni sparguntur sed ab Angelis tolluntur.

XIII.

Licet infidelium malitia videret nihil se contra Christi milites posse, nisi quantum permitteret dispensatio diuina, tamen non cessabat ab infestatione sua iniqua; vnde ad suos satellites impios impius Maximinus dicebat. Nostis filij mei, quomodo Christianorum Deus spinea coronatus dicitur corona, latusque eius lancea apertum; Iubeo igitur, vt & hi cultores sui, & in huiusmodi fiant eius sequaces. Talem namque Regem tales decent milites, qui à Regalibus ipsius insigniis non discrepent; ne qui eos viderint, ipsos ad eos pertinere fortassis non putent. Veram pertulit Tyrannus de conformitate passionis sanctorum militum ad passionem Christi sententiam, quamuis non secundum debitam intentionem. Id siquidem, quod ipse proferebat irrisoriè, verissimum est Christianæ religionis verissima assensione. Christus Iesus namque Deus & Dominus noster in suis militibus, & ab omnibus nobis hoc requirit, vt si corregnare cum ipso in futuro voluerimus, cum ipso hic quoque compatiamur. Quia non coronabitur ab eo, nisi qui legitime certauerit acquiescunt repente carnifices crudelissimi præcepto crudelioris Tyranni. Spinas acutissimas, quarum in iis locis facile inuenitur copia, colligunt, serta quasi ex iis componunt, singulorum imprimunt capitibus, illudentes eis quasi victis & fatuis Regibus. Insuper lanceolis præacutis vulnerantur eorum latera, diffluunt sanguinis stillicidia, tanta copia, vt hinc quasi totaliter rubricarentur eorum corpora. Has pœnas fortissimi milites Christi cum indicibili mentis pertulerunt constantia, Deo hilariter gratias agentes, ipsumque benedicentes; quia pro nomine ipsius talia pati digni habiti sunt.

Spinis coronantur, & latera eorũ aperiuntur.

XIV.

Adhvc amplius quoque in martyres Christi exarsit Maximini vesania de eorum pœnis nondum satiata. Quare & mandauit, vt sancti milites sic coronati, sicque lanceati, vincti ante conspectum ducerentur totius populi, omnibus in derisum, flagrisque diris sine virgis nodosis in deductione huiusmodi percuterentur vsque ad omnium pene defectum virium. Quod etiam ita factum est. Sed & cum tanta hilaritate milites Dei tormenta & opprobria hæc pertulerunt,

Illuduntur & flagris percutiuntur.

tulerunt, vt ipsos Reges ad iram nimiam, totumque populum in admirationem maximam commouerent. Sic enim in huiusmodi passionibus & iniuriis martyres sancti se habebant, quasi non solum nihil paterentur, imo & quasi deliciis fruerentur. Post hæc sanctis martyribus coram Regibus reductis, omnes qui astabant, ipsis insultando clamabant. O miseri, cur ita male perditis vosipsos? vbi est modo Deus vester? Quid vobis nunc Christus vester prodest? Cessate, cessate adhuc à vestra cœca stultitia, ne auferatur à vobis ex toto quod supereſt de vita. Regum iussa implete, vt possitis viuere. Sanctus Achatius Primicerius magna voce intrepide respondit: Tacete vos infœlices, homines perditi, mentibus cæci, Dominum Deum nostrum nolite blasphemare, ne subito vos inuoluat eius vindicta, & demergat in inferni profunda pro vestra malitia. Non indigemus nos vestris consiliis, quæ plena sunt spiramentis Diabolicis. Vobis ipsis consulite, vt effugere possitis, quod vobis imminet periculum mortis perpetuæ. Modicum est, quod nos patimur respectu præmii, quo potiemur: Vestra autem quam meruistis pœna, erit sine fine perpetuò duratura.

XV. CVM autem glorioſi martyres & milites Christi, sic coram Regibus iniquis in medio populi starent, sanguis eorum de ipsorum lateribus defluebat large in terram: quem singulariter singuli manibus suis recipientes imposuerunt capitibus suis, atque cunâ magna deuotione ad Dominum orantes dixerunt: Domine Iesu Christe, Rex æternæ gloriæ, qui cum Deo patre in vnitate spiritus sancti, omnia potes, cuncta nosti, omniumq; misereris, qui tuam faciunt voluntatem, miserere nobis seruis tuis indignis. Et quia, vt tu scis Domine, vrgens necessitas, nos à baptismatis excludit intentione qua mũdandi essemus per aquã & spiritum, fiat nobis deprecamur, hic sanguis noster in vndam baptismatis in nomine sanctæ trinitatis, & virtute tua omnipotenti ab omnibus nos abluat peccatorum inquinamentis, vt gratia tua misericorditer regenerati inter adoptionis tuæ filios veraciter numerari mereamur. Hac sanctorum Martyrum oratione completa, factus est iterum, vt prius, terræmotus horrendus, etiam cum tonitruo magno, simul & vox de cælo audita est, ita sonans: Ne timeatis præelecti milites mei, exaudita est deprecatio vestra: sanguis vester sit vobis vt petiistis, in fontem baptismatis, & in vobis deleat omnem iniquitatem, vt meos inter filios adoptiuos fitis digni numerari, & inter martyres meos coronari. Quibus mirabilibus altissimi circa sanctos Dei, & pro eis, sicut dictum est, peractis, vltra modum lætificata fuerunt his magnalibus ipsorum corda, atque supra, quam dici potest, exasperata fuit per hæc infidelium præsentium vesania. Fides namque Christi in sanctis martyribus triumpho luculentibus hinc claruit, & infidelium cæcitas in eorum persecutoribus suo in liuore inde cumulatius contabuit.

Orant vt in sanguine suo habeãtur baptizati.

Exaudiuntur.

XVI. REX Sapor ex præmissis mirabilibus motus, ad sanctos Martyres, quasi eos exhortãdo, dixit: Eia milites fortissimi, cur sponte ita vultis perire? Relinquite obsecro, vestram pertinaciam, & pristinam vestram recipite militiam, & eritis per totum orbem famosi ac super omnes milites glorioſi, multaque excellentia per nos magnificandi. Nolite putare, quod totus mundus circa Deorum cultum erret, & quod soli Christiani fidem rectam habeant, qui hominem crucifixum pro Deo adorant. Potius multitudini, inquit, credite, & ab erronea singularitate vestra consultius declinate. Quibus auditis Garcerius Campiductor, adolescens quidem in annis, sed in prudentia seni bene similis, zelo fidei ardens ait: si mihi creditum foret, ô Rex, qui iunior sum, ostenderem tibi facile, an nos erremus, an tu tuique consortes. Sanctus Achatius Primicerius dixit: Loquere adolescens, & audacter aperi, quæ tibi reuelata sunt de nostra fide. Tunc sanctus Garcerius ait: Miror Rex, quomodo ratione non vteris, quia aurum argentum, lignum, & lapides, quæ sine omni motu & sensu visus, auditus, & tactus sunt, Deos dicis: cum tamen noueris, quod manibus hominum figuram, quam habent, receperunt, quã & casu aut violentia amittere possunt. Cur igitur non potius adoras eũ, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, qui & iudicaturus veniet viuos & mortuos, in cuius potestate sunt omnia similiter & tu, velis nolis. Sed Dæmonia tibi illudunt, vt apertis oculis non videas, nec mente intelligas tuum periculum, quousque cum eis descendas in infernum, perpetuo illic soluturus, quod hic meruisti intrepidus. Et tunc licet sine fructu, senties Domini nostri Iesu Christi potentiam, cuius hic contemptui humilitatem, crucis scilicet ignominiam, Sancti Martyres dixerunt: optime dixisti Garceri. Sapor vero Rex his auditis, præmentis vesania fremens ad instar leonis dixit: Ciro damnabo tuæ adolescentiæ præsumptionem, ô fatue iuuenis, cum in te ostendero iudicium meæ potestatis. Sanctus Garcerius iterum dixit: verificatum est in te Rex prouerbium hoc: Impij veritatem odiunt & diligunt iniquitatem. Sic & tu non potes veritatis verba sustinere, quod satis probant impietatis tuæ minæ, quæ tamen nobis tanquam minime sunt infestæ.

XVII. INTELLIGENTES autem prædicti duo Imperatores & quinque Reges, quia experientia edocti erant, quod perficere ad suum nutum, nihil cum militibus Christi poterant, post longum super hoc inter eos habitum tractatum, tandem diffinierunt sententialiter, vt ad similitudinem sui crucifixi Domini similiter crucis patibulis affigerentur in monte videlicet Ararath, vbi & per exploratores, vt superius dictum est, reperti prius fuerant. Deputabant vero, Imperatores & Reges ad hoc faciendum de suis militibus triginta millia, cooperantibus nihilominus illis, pluribus aliis de communi populo, qui ad hoc spectaculum vltro se ingesserant. Quam crucis sententiam vt glorioſi milites Christi audiebant, gaudio spiritus sancti vltra modum repleti, gratias Deo maximas agebant, quoniam mundi saluatori in mortis genere assimilari debebant, deducti itaque sunt, non coactè, sed spontaneè illustrissimi Martyres decem millia militum ad montem prædictum, ad crucis subeundum tormentum. Quo cum peruenissent, sanctissimus Achatius Primicerius ad socios suos commilitones, exhortando sic locutus est: Gaudete fratres in Domino, deuotas gratiarum actiones ei agentes, quia ad hanc horam peruenire vobis concessum est, non paueatis hanc carnificum multitudinem; cito peribit, quod ipsi inferre nobis possunt; perpetuo manebit gloria, ad quam velint nolint, nos mittunt. Respondent socii dicentes: verus est sermo tuus Achati. Nec est (addunt) quod nos ad præsens moueat, nisi quod mora nimia nos à crucis perceptione retardat. Non enim crucem horremus, sed ipsam toto corde desideramus. Hoc itaque glorioſi martyres bene probabant opere quod sonabant in voce. Nam mirum in modum certabat eorum vnusquisque præuenire alium ad crucis apprehendendum trophæum. Quasi videlicet, quis inter eos negligeretur, si vltimus haberetur. Sed non sunt fraudati sanctissimi Martyres desiderio suo, quia omnes honorati sunt crucis triumpho.

Sentẽtia in martyres.

Ducuntur ad montem Ararath.

XIIX. FORTASSIS expedit de sanctorum Martyrum crucifixione differere latius, ex quo de ea nonnulli litterati loqui videntur quasi cum hæsitatione remissius. Causantur enim aliqui de absurditate Circunstantiarum in huiusmodi crucifixione, quæ tamen reuera nulla est, si singula cum prouida rite pensentur discretione. Ad crucifigendum decem millia virorum, requirebantur manus, inquiunt, multorum tortorum, longa mora, plura instrumenta. Respondetur, sufficiunt vtique tres crucifigere vnum: modò historia dicit, vt supra tactum est, quoniam deputata fuerunt triginta millia armatorum per Imperatores & Reges, ad crucifigendum sanctos Martyres decem millia militum, præter alium populum, qui sine numero confluebat ad tale spectaculum; Vnde & multitudo carnificum longitudinem moræ abbreuiare potuit, & instrumenta necessaria de facili multiplicare. Imo & quia sancti martyres in nullo resistebant; sed promptissimos ad cruces se offerebant, multo pauciores ad crucifigendum eos sufficissent. Nec multa ibi necessaria fuerant

Modo crucifixionis examinatur.

instru-

instrumenta, si crucifixionis varia bene consideretur forma. Qualis autem crucifigendi forma cum sanctis Militibus seruata sit, ex historiis non satis clarum habetur. Neque verisimile videtur, quod tales cruces ipsorum fuerint, quales Saluatoris nostri, & latronum secum crucifixorum, tales quippe exgerent proculdubio laborem maiorem. Sed præsumitur quod fuerint trabes inter duos stipites, quæ nimirum faciliter ad talia aptantur, in quibus & plures leuiter manibus quasi in arcum distentis suspenduntur. Hoc modo dicitur etiam beatissima virgo & martyr Margareta secundum nonnullas historias, fuisse crucifixa. De qua tamen communi æstimatione constat, quod crucem consuetam ipsa nequaquam tolerabat. Hoc autem genus tormentorum, in quibusdam Sanctorum Martyrum legendis vocatur patibulum, in quibusdam arcus, in aliis eculeus & in aliis simpliciter lignum, vel ligni supplicium. Alia quoque forma fuit crucis Sancti Petri, & alia Sancti Andreæ Apostolorum: sed illæ non sunt pro nunc ad nostrum propositum.

XIX. SEXTA hora diei insignia suæ sacrosanctæ passionis Christus in honorem sanctorum suorum crucifixorum militum, secundum quarundam historiarum continentiam renouando, fecit vt sol suos radios ad tempus subtraheret, terra

Sol obscuratur, fit terræ motus & petræ scinduntur.

moueretur, & petræ scinderentur. Tunc sancti Martyres orantes dixerunt. Rex æternæ gloriæ, Domine Iesu Christe, quando tuæ placuerit pietati, ostende nobis seruis tuis gloriam tuam, quam valde affectamus, non quoniam tormenta ampliora formidamus, sed quia speciem tuam desiderabilem libenter videremus. Etiam Domine Deus de aliorum salute solliciti, si tuæ placeret bonitati, vellemus libenter petere, atque ad tui nominis gloriam fiducialiter petimus, vt reddere vicem eorum deuotioni digneris, qui per aliqua pietatis opera, nostræ passionis memores extiterint, orando, ieiunando, eleemosynas largiendo, aut quocunque alio modo. Exue, obsecramus, eos, Domine à periculo corporis & animæ, & custodi ipsos ab omnium inimicorum suorum insidiis. Adsit eis vbique, tam in corporalibus, quam in spiritualibus petimus, Domine consolationis tuæ gratia & fœlix consummatio in sancta vita, cum spe certa de beatitudine sempiterna. Et facta est ad sanctos Martyres vox de cælo dicens: Audiui desiderium vestrum electi milites mei, vota vestra dignanter suscepi, requiem vobis cito dabo, pro his quæ sustinuistis nomine meo. Et qui deuotionem suam erga vos ostenderint, eos speciali fauore respiciam vestri amore, nec tales vnquam derelinquam in quacunque necessitate. Hoc vobis promitto pro singulari vestro apud me honore, quia vos me honorare non timuistis coram tanta inimicorum meorum & vestrorum persecutorum multitudine.

XX. NONA Diei hora appropinquante, qua & redemptor noster spiritum suum quondam in cruce moriens tradiderat, vox de cælo iterum intonuit, ad sanctos milites dicens: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis

Moriũtur.

paratum est, ad origine mundi, simul & cum hac voce cæli aperti sunt, & tantus splendor cælestis sanctos Martyres circunfulsit eodem tempore, vt nullus mortalium posset vltra eos inspicere. In quo splendore glorioſi milites Christi, tanquã veri milites filij splendoris paternæ gloriæ, animas suas Regi suo, qui eos vocabat feliciter tradiderunt, pro tẽporalibus passionibus coronas perpetuas optare percipientes. His mirabilibus visis, infideles omnes fugam arripiunt, propriæ consulentes saluti, ac sanctos Martyres cum magno pauore relinquentes dispositioni diuinæ. Post hoc rursum ingens terræmotus factus est, cuius vehementia totus mons Ararath concussus fuit, vt sanctorum Martyrum corpora de

Sepeliũtur ab angelis.

crucis patibulis, quibus affixa pendebant soluerentur, atque non violenter, sed reuerenter, ministerio Angelico in terram ponerentur. Sepeliunturque in dicto monte sanctorum militum Christi corpora, manibus non quidem hominum, sed angelorum spirituum, multa cum diligentia, nec in communi fouea, sed singulariter singulis ipsorum tenẽtibus sepulcrum suum proprium. Auditæque sunt super sanctorum corpora cœlicæ melodiæ in officium funerum, quod virtutes cælestes expleuerunt in genti cum lætitia; quia congratulabatur sanctissimis Martyribus de eorum triumpho tota supernorum ciuium militia. Passi verò sunt glorioſi Martyres 10. Kal. Iulij, siue die vigesima secunda mensis Iunij tempore, quo supra.

XXI. Ex præmissis bene claret excellens sanctorũ Martyrum decẽ millium militum dignitas, quæ reuera est multiplex & magna. Nam ipsi multũ sunt Deo dilecti, Angelis reuerendi, & hominibus venerand, vt patet ex hoc, qa misericorditer à Deo ad fidẽ sũt vocati, per Angelos sanctos specialiter edocti, & hominihus eorũ patrocinia postulantibus efficaciter propitij. Cum credidissent in Dñm nostrũ Iesum Christum, meruerunt nouẽ millia prosternere centũ millia hostiũ. Ductu Angelico ad montem Ararath pergunt; vbi plus de fide & martyrij corona ab Angelis audiunt. Iussu Imperatorum hinc inde quæruntur, in dicto monte tandem per exploratores reperiuntur. Et quoniam Christiani facti erant, multum de hoc Imperatores dolebant. Ad reuocandum eos à nostra fide aduocantur Reges quinque. Blandis & asperis quærunt, vt resipiscant: sed promissa & minas, Christi milites in nullo curant. Hinc à furenti turba obruuntur lapidibus, sed reflectebantur lapides in iacientium vultus. Flagellis hinc corripiuntur sancti Martyres, quod luunt manuum arefactione tortores. Mirabilibus his visis compungitur Theodorus, iungens se nouem millibus cum mille suis militibus sicque numerus completur sanctorum martyrum, suscipiente eorum nouenario millenarium decimum: super trigonos iubentur sancti Martyres nudis plantis incedere, sed è medio in aceruos colliguntur trigoni à sanctis Angelis. Post hoc milites Christi ad instar Domini coronantur spinis crudeliter singulorumque latera atrociter aperiuntur acutis lanceolis. Taliter plagati deducuntur ad medium populi, flagris diris quoque mactantur, omnibus in ludibrium. Respersi sancti Martyres copioso suo sanguine, orabant vt hæc aspersio sit eius pro baptismate. Hinc sustinent gaudenter crucis patibula, & pro ipsorum honore renouantur dominicæ passionis miracula. Deinde deuote se Deo commendant & pro suis cultoribus Domino humiliter supplicant. Auditur publice vox de cælo, attestans eos fore exauditos à Domino: & vt accederent ad Regnum eis paratum ab origine mundi, vocantur ilico eadem voce, sicque in luce cælica exspirant, lucem viuam & perpetuam intrant, Animæ sanctorum petunt fœliciter astra. Angeli sepeliunt reuerenter eorum corpora. Mons Ararath vehementer concutitur. Melodia cælestis in aere auditur. Infideles timent & fugiunt dolentes. Fideles gaudent & concurrunt, Dominum in sanctis suis benedicentes. Vere preciosa in conspectu Domini mors sanctorum Martyrum eius. Quorum meritis & precibus nos ab omni malo custodiat, in cunctis prospere dirigat, ad beatum finem perducat, qui eos vocauit misericorditer, iustificauit mirabiliter, beatificauit excellenter. Rex glorioſus Martyrum corona confitentium, præmium in se sperantium Dominus noster Iesus Christus vnus cum Deo patre in vnitate spiritus sancti Deus, regnans per infinita sæcula sæculorum Amen.

De horum martyrum actis vide Baronium in notis ad Martyrologium hoc die.

VITA

VITA SANCTÆ EDILTRVDIS SIVE EDILDRIDÆ, REGINÆ ET VIRGINIS, AVTHORE VENERABILI BEDA. HISTORIÆ ECCLESIAST. gentis Anglorum lib. 4. Cap. 19.

AN. 680.

I. ACCEPIT autem rex Egfridus coniugem nomine Edildridam, filiam Annæ regis Orientalium Anglorum, cuius sæpe mentionem fecimus, viri bene religiosi, ac per omnia mente & opere gregij: quam & alter ante illum vir habuerat vxorem, princeps videlicet Australium Giruiorum, vocabulo Tonbert: sed illo post modicum temporis, ex quo eam accepit, defuncto, data est regi præfato. Cuius consortio cùm veteretur duodecim annis, perpetua tamen mansit virginitatis integritate gloriosa, sicut mihimet scisscitanti (cùm hoc, an ita esset, in cõiugio quibusdam venisset in dubium) beatæ memoriæ Vuilfridus Episcopus referebat, dicens se testem virginitatis eius esse certissimum, adeo vt Egfridus promiserit se ei terras ac pecunias multas esse donaturum, si reginæ posset persuadere eius vti cõnubio, quia sciebat illam nullum virorum plus illo diligere. Nec diffidendum est, nostra etiam ætate fieri potuisse, quod æuo præcedente aliquoties factum fideles historiæ narrant, donante vno eodemque Domino qui se nobiscum vsque in finem sæculi manere pollicetur. Nam etiam signum diuini miraculi, quo eiusdem fœminæ sepulta caro corrumpi non potuit, indicio est, quod à virili contactu incorrupta perduraverit. Quæ multùm diù regem postulans, vt sæculi curas relinquere, atque in monasterio tantum vero regi Christo seruire permitteretur, vbi vix aliquando impetrauit, intrauit monasterium Ebbæ Abbatissæ, quæ erat amita Egfridi regis positum in loco, quem Coludi vrbem nominant, accepto velamine sanctimonialis habitûs à præfato antistite Vuilfrido.

Ediltrudis permanet virgo.

Matt. 28.

Petit monasterium.

II. POST annum vero ipsa facta est Abbatissa in regione, quæ vocatur Elge: vbi constructo monasterio, virginum Deo deuotarum perplurium mater virgo & exemplis vitæ cælestis esse cœpit, & monitis. De qua ferunt, quia ex quo monasterium petiit, nunquam lineis, sed solum laneis vestimentis vti voluerit, raroque in calidis balneis, præterimminentibus solennijs maioribus, verbi gratia, Paschæ, Pentecostes, Epiphaniæ, lauari voluerit, & tunc nouissima omnium, lotis prius suo suarumque ministrarum obsequio cæteris, quæ ibi essent, famulabus Christi. Raro etiam, præter maiora solennia vel arctiorem necessitatem, plus quam semel per diem manducauerit semper, si non infirmitas grauior prohibuisset. Ex tempore matutinæ synaxeos vsque ad ortum diei, in ecclesia precibus intenta perstiterit. Sunt etiam, qui dicunt, quod per prophetiæ spiritum, & pestilentiam, qua ipsa esset moritura, prædixerit, & numerum quoque eorum, qui de suo manasterio hoc essent de mundo rapiendi, palam cunctis præsentibus intimauerit. Rapta est autem ad Dominum in medio suorum post annos septem, ex quo Abbatissæ gradum susceperat: & æquè, vt ipsa iusserat, non alibi quam in medio eorum iuxta ordinem, quo transierat, ligneo in locello sepulta.

Fit Abbatissa.

Perpetua abstinentia eius.

Preces eius.

Abit è vita.

III. CVI successit in ministerium Abbatissæ soror eius Sexburga, quam habuerat in coniugem Earconbertus rex Cantuariorum: & cum *sexdecim annos esset sepulta, placuit eidem sorori Abbatissæ leuari ossa eius, & in locello nouo posita, in ecclesiam transferri. Iussitque quosdam è fratribus quærere lapidem, de quo locellum in hoc facere possent. Qui ascensa naui (ipsa enim regio Elge, vndique est aquis & paludibus circundata, neque lapides maiores habet) venerunt ad ciuitatulam quandam desolatam, non procùl inde sitam, quæ lingua Anglorum Grandacestir vocatur, & mox inuenerunt iuxta muros ciuitatis locellum, de marmore albo pulcherrime factum, operculo quoque simili lapidis aptissime tectum. Vnde intelligentes à Domino suum iter esse prosperatum, grates agentes, retulerunt ad monasterium. Cumque corpus sacræ virginis ac sponsæ Christi aperto sepulcro esset prolatum in lucem, ita incorruptum inuentum est, ac si eodem die fuisset defuncta, siue humo condita: sicut & præfatus antistes Vuilfridus, & multi alij, qui nouêre, testantur. Sed certiori notitia medicus Cinfridus, qui & morienti illi, & eleuatæ de tumulo adfuit, referre erat solitus, quod illa infirmata, habuerat tumorem maximum sub maxilla: & iusserunt me, inquit, incidere tumorem illum, vt efflueret noxius humor, qui inerat. Quod dum facerem, videbatur illa per biduum aliquanto leuius habere, ita vt multi putarent, quod sanari posset à languore. Tertia autem die prioribus aggrauata doloribus, & rapta confestim de mundo, dolorem omnem ac mortem perpetua salute ac vita mutauit.

* decem

Post multos annos corpus defunctæ incorruptũ.

IV. CVMQVE post tam multos annos eleuanda essent ossa de sepulcro, & extento desuper papilione, omnis congregatio, hinc fratrum, inde sororum psallens circunstaret, ipsa autem Abbatissa intus cum paucis ossa eleuatura & delatura intrâsset, repente audiuimus Abbatissam intus clara voce proclamare: Sit gloria nomini Domini. Nec multo post clamauerunt me intro, reserato ostio papilionis, vidique eleuatum de tumulo & positum in lectulo corpus sacræ Deo virginis: quasi dormientis simile. Sed & discooperto vultûs indumento, monstrauerunt mihi etiam vulnus incisuræ, quod feceram, curatum, ita vt mirum in modum pro aperto & hiante vulnere, cum quo sepulta erat, tenuissima tunc cicatricis vestigia apparerent. Sed & linteamina omnia, quibus inuolutum erat corpus, integra apparuerunt, & ita noua, vt ipso die viderentur castis eius membris esse circundata. Ferunt autem, quia cum præfato tumore ac dolore maxillæ siue colli premeretur, multum delectata sit hoc genere infirmitatis, ac solita dicere: Scio certissime, quia merito in collo pondus languoris porto, in quo iuuenculam memini me superuacua monilium pondera portare: & credo, quod ideo me superna pietas dolore colli voluit grauari, vt sic absoluat à reatu superuacuæ leuitatis, dum mihi nunc pro auro & margaritis, de collo rubor tumoris ardorque promineat.

Item linteamina.

Eius patientia.

V. CONTIGIT autem tactu indumentorum eorundem, & dæmonia ab obsessis fugata corporibus, & infirmitates, alias aliquoties esse curatas: & loculum, in quo primo sepulta est, nonnullis oculos dolentibus saluti fuisse perhibent: qui cum suum caput eidem loculo opponentes orassent, mox doloris siue caliginis incommodum ab oculis amouerent. Lauerunt igitur virginis corpus, & nouis indutum vestibus intulerunt in ecclesiam atque in eo: quod allatum erat, sarcophago posuerunt, vbi vsque hodie in magna veneratione habetur. Mirum verò in modũ ita aptum corpori virginis sarcophagum inuentum est, ac si ei specialiter præparatum fuisset: & locus quoque capitis seorsum fabrefactus, ad mensuram capitis illius aptissimè figuratus apparuit. Est autem Elge in prouincia Orientalium Anglorum regio familiarum circiter sexcentarum, in similitudinem insulæ vel paludibus (vt diximus) circundata, vel aquis. Vnde & à copia anguillarum, quæ in eisdem paludibus capiuntur, nomen accepit, vbi monasterium habere desiderauit memorata Christi famula, quoniam de prouincia eorundem Orientalium Anglorum ipsa, vt præfati sumus, carnis originem duxerat.

Miracula ad vestes & loculum eius.

AN. 1190. # VITA SANCTÆ MEMORIÆ MARIÆ DE OEGNIES AVTHORE IACOBO DE VITRIACO EPISCOPO ET CARDINALI TVSCVLANO ETSI

autem necdum Sanctorum Catalogo adscripta est hæc Maria, tamen oblata opportunitate, vitam eius virtutibus admodum conspicuam, omittere hic noluimus: in qua etiam stylum hinc inde propter eruditos lectores nonnihil expoliuimus.

IVNII. 23. *Iohan. 6.* Fragmenta colligere. *Matth. 15.* Historiæ Sanctorum cura à S. Patribus conscriptæ.

PRÆCEPIT Dominus discipulis suis, vt colligerent fragmenta, ne perirent. Quid est autem, fragmenta à Procœna colligere, nisi sanctorum exempla post eorum obitum ad memoriam reuocare, vt cophini impleantur, id est, pauperes & paruuli exemplis eorum reficiantur? Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de logus mensa dominorum suorum. Vnde etiam olim sancti patres de talento ipsis commisso æquissimi iudicis adFulsententiam semper ob oculos versantes, in posterorum vsum & vtilitatem virtutes & res gestas sanctorum conẽ hominum in scripta redegerunt, vt infirmorum fidem roborarent, indoctos erudirent, desides excitarent, pios & virtu- Tolosanũ tum studiosos ad eorum imitationem inuitarent, refractarios & incredulos confutarent. In iis, vt alios innumeros omit- Episcotam, videre licet sanctum Patrem Hieronymum, quanto is labore vitas patrum Aegyptiorum didicerit, quanta cura eas pum. memoria retinuerit, quanta lectoris vtilitate ad posterorum notitiam transmiserit, diuersis ex locis ligna colligens, vt in altari Domini igni materia ministraretur.

Exod 12. *Ierem 38* De Albigẽsibus hæreticis dicit.

NEC fortassis minori studio citharista Domini, organum Spiritûs sancti, beatus Gregorius, exempla & virtutes sanctorum Italiæ hominum Dialogo complexus est, tanquam cineres colligens è multorum sacrificiis, in loco mundo reponendos, id est, in puris fidelium mentibus asseruandos: vt variis sanctorum exemplis quasi quibusdam calceamentis agnum paschalem comedentium pedes munirentur: & qui duris præceptorum funibus, si soli essent, forsitan læderentur, interpositis pannis veteribus, id est, priscorum patrum actibus, è lacu cum Ieremia extraherentur. Multi enim permouentur exemplis, quos præcepta non mouent. Quamobrem etiam sanctus & venerabilis Tolosanæ ecclesiæ Episcopus, ab hæreticis è sua ciuitate expulsus, cum in Galliam Belgicam, petiturus auxilia contra fidei hostes, venisset & tãdem ad Leodiense territorium, quorundam in vera humilitate Christo militantium fama & odore attractus, descendisset, non potuit satis admirari fidem & deuotionem, præsertim sanctarum fœminarum, cum eas videret summo studio, desiderio & reuerentia Christi Ecclesiam & sacramenta sanctæ Ecclesiæ prosequi, quæ in ipsius regione ab omnibus ferè vel prorsus reiiciebantur, vel parui pendebantur: cupiebatque summopere quædam ex iis, quæ vidisset & audiuisset, ne perirent, tanquam fragmenta colligere.

SCIS enim pater sancte, Tolosanæ ecclesiæ pastor, immo totius Ecclesiæ Christi columna fortis, (ad te nanque mihi sermo est) quo præcipiente, & me negligentiæ arguente, præsens opusculum scribendum suscipere ausus sim. Nosti, posteaquam ad partes nostras peruenisti, vt tibi visus sis tanquam in promissionis terra versari. Te enim narrante, memini me audiuisse, in tua regione reliquisse te Aegyptum, & transeuntem per desertum, terram promissionis in ditione Leodiensi inuenisse. Videras apud tuos, multos nostræ regionis Cruce signatos contra hæreticos, fide feruentes, in afflictione mirabiliter patientes, misericordiæ operum valde studiosos: immo, quemadmodum ipse mihi dixisti, audieras nõ sine multa admiratione fœminas quasdam apud nos acerbius lugere vnum aliquod veniale erratum, quam vestrates homines vel mille mortifera peccata lugerent: cumque ad nos venisses, non aliter vidisti, quam audieras, immò plus etiam quam audieras: ita vt ægre potueris credere, nisi certa oculorum fide & experientia cognouisses.

Multæ sanctę virgines. Sanctę matronæ & viduæ. *1. Tim. 5.*

VIDISTI enim in hortis liliorum Domini, multas diuersis in locis sanctarum virginum cateruas, quæ Christianorum more spretis carnis illecebris, & præ desiderio regni cælestis: contemptis mundi huius opibus, in paupertate & humilitate sponso immortali adhærentes, labore manuum tenuem sibi victum acquirerent, & licet parentes earum multis diuitiis abundarent, attamen obliuiscentes populum suum & domum patris sui, mallent angustias paupertatis perpeti, quam male partis opibus affluere, vel inter homines fastuosos & pompis deditos sæculares, cum salutis periculo permanere. Vidisti non sine exultatione sanctas & Deo seruientes matronas, magno zelo puellarum pudicitiam tueri & conseruare, & eas in sancto proposito confirmantes, vt solum sponsum cælestem cõcupiscerent, salutaribus monitis instruere. Vidisti ipsas duas in ieiuniis, orationibus, vigiliis lachrymis manuum laboribus Domino seruientes quemadmodum maritis suis quondam in carne placere studuerant, ita iam, immo verò multo etiam amplius in id incumbere, vt sponso Christo in spiritu placeant, crebro illud Apostolicum reuoluentes: Vidua quæ in deliciis est, viuens mortua est: & sanctas viduas, quæ sanctorum necessitatibus communicent, quæ pedes pauperum lauent, quæ hospitalitatem sectentur, quæ operibus misericordiæ deditæ sint, fructum sexagesimum promereri.

Sanctæ mulieres. *Iohan 8.*

VIDISTI præterea, & gauisus es, sanctas mulieres in matrimonio Domino pium exhibere famulatum, proles suas in Dei timore erudire, honestas seruare nuptias & torum immaculatum, ad tempus vacare orationi, & postea in idipsum cum timore Domini reuerti, ne tententur à satana: ex quibus tamen multæ, consentientibus maritis, à licitis amplexibus abstinentes, continenter viuunt, & angelicam ducunt vitam, eô illustriori dignæ corona, quod etiam in igni positæ non arserunt. At vidisti nihilo minus non sine admiratione, atque etiam multo animi dolore, impuros quosdam homines totius religionis hostes, earum fœminarum religionem maligne traducere, & canina rabie mores, ipsorum vitæ planè aduersos, lacerare & proscindere, cumque nihil possent aliud, nouis quibusdam à se confictis nominibus eas appellare, quemadmodum olim Iudæi Christum Samaritanum, & Christianos Galilæos dicebant. Neque id mirum: Aegyptij enim abominantur, oues & tenebriones atque malitiosi homines simplicium innocentiam deridentes, inter pocula & vulas in ebrietate & crapula vitam abstinentium proscindentes. Itaque sanctus quidam monachus Cistertiensis ordinis, in Alnensi Abbatia Christo militans, præ simplicitate dubitare cœpit, cuiusmodi illi essent homines, qui inusitatis nominibus à maleuolis vocarentur: sed cum oraret, à spiritu sancto responsum est ei: Inuenientur in fide stabiles, & in opere efficaces. Ab eo verò tempore senex ille tanta dilectione illis coniunctus est, vt ferre non posset se præsente mali quippiam de eis dici. Et ille quidem opprobria & persecutiones mirabili patientia pertulere, sæpe animis commemorantes illud Euangelicum: Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret, & illud: Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur, sed quia scriptum est, A fructibus eorum cognoscetis eos: quod synceriter & reuera Deo inhæserint, in Leodiensis vrbis deuastatione compertum est. Quæ enim ad sacras ædes confugere non potuêre, in flumen sese præcipitârunt, potius mori volentes, quam castitatis iacturam facere. Nonnullæ etiam in cloacas insilierunt, fœtore extingui malentes, quam prodere virginitatem At interim benignus sponsus ea humanitate curauit sponsas suas, vt in tanta multitudine nulla prorsus vel vitæ, vel castitatis acceperit detrimentum.

Iohan 15. Ibidem. Matt 7. Nota lector.

VNA ex iis sancta muliere in flumine periculose laborante, duo ex hostibus in nauicula ad eam properârunt, & cum

cùm illam extraxissent volebant turpiter ea abuti. Sed quid fecit casta inter lenones, agna inter lupos, columba inter accipitres? Maluit iterum in flumen se demergere, quàm corrumpi. Itaq; desilijt ex naui in vndas, sed cùm nauicula illius saltu depressa mergeretur, duo illi mersi periêrunt: illa verò absq; vllo corporis & animæ damno, fluuio obsequente, ad litus emersit. Insigne miraculum.

Mirandis plùs miranda succedùnt. Cùm diuturna & intolerabilis fames regnum Francorum & magnam Imperij partem adeò obtinuisset, vt vtriusq; sexùs homines passim in agris & pagis fame morerentur, atq; illi etiam, qui anteà diuites fuerant, publicè mendicare cogerentur, & inedia confecti perirent: in tanta multitudine nec vna reperta est, quæ vel fame deficeret, vel palàm mendicare cogeretur.

Veniamus nunc ad singulares personas & specialia miracula. Testem hic adhibeo sanctitatem tuam. Tuis enim oculis vidisti mira Dei opera, & in personis diuersis gratiarum diuersitatem. Quædam enim diuinitùs tãtam accepit gratiam, vt tu ipse certissimè comperisti, vt peccata hominum, quæ per veram confessionem tecta non essent, in multis cognosceret: cumq; peccata occulta eis indicaret, & ad faciendam confessionem illos inuitaret, non paucis post Deum causa salutis esset.

Quasdam etiam vidisti fœminas, tam mirabili & singulari erga Deum amore liquefactas, vt præ desiderio languerent, nec possent multis annis è lecto, nisi rarò, surgere: quorum debilitas nullam aliam habebat causam, nisi illum solum, cuius amore & desiderio liquefactæ, cum Domino suauiter quiescentes, quanto plùs spiritu confirmabantur, tanto corpore ampliùs debilitabantur, clamãtes corde, licet præ verecũdia aliud ore simularent: Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo. Cuiusdam etiam anima præ amoris magnitudine liquescente, eius genæ miro quodam modo, etiam sensibiliter extenuatæ, resoluebantur. Pleriſque ex fauo spiritalis dulcedinis, quam in corde percipiebant, melleus gustus redundabat in ore, suaues eliciens lachrymas, & mentem in deuotione conseruans. Quædam verò tantam accepêre gratiam lachrymarum, vt quoties Deus versaretur cogitatione in pectore, præ deuotione riuulus lachrymarum manaret ab oculis, idque adeò, vt lachrymarum vestigia ex fluendi assiduitate in genis apparerent: nec tamen lachrymæ illæ euacuabant caput, sed quadam plenitudine confouebant mentem, spiritum suaui vnctione imbuebant, corpus mirabiliter recreabant, & tanto fluminis impetu totam Dei ciuitatem lætificabant. Christi amore quædam languent. Cant. 2.

Nonnullæ tanta spiritûs ebrietate extra se tapiebantur, vt in illo beato silentio totum ferè diem illis quiescentibus, dum erat rex in accubitu suo, non esset illis vox neque sensus ad vllas res exteriores. Pax enim Dei exuperabat & sepeliebat sensus earum, vt ad nullum possent euigilare clamorem, nullam prorsus sentire corporis læsionem, etiamsi multùm pungerentur. Vidi ego quandam tanto zelo triginta ferè annis intra monasterium à sponso cœlesti detineri, vt extra illud nulla posset ratione egredi, etiamsi mille homines per manus eam trahere niterentur. Sæpiùs enim exire tentabat, quibusdam etiam eam trahentibus, sed frustrà: quippe quæ faciliùs dirumpi posset. Videremadmirandã.

Vidi aliam quandam, quæ cùm crebros pateretur mentis excessus, nonnunquam viginti & vno diebus (quæ etiam me præsente ampliùs septies, vti credo, extra se rapta fuit) vbicunque ecstasim patiebatur, illic permaneret immobilis, donec esset sibi reddita: nec tamen quantumcunque inclinaretur, Dei spiritu eam sustentante, corrueret: manus quoque in aëre immota penderet eo in statu, in quo ecstasis eam obtinuisset. Cùm autem illa ad se rediret, tanto complebatur gaudio, vt reliquijs cogitationum diem festum agentibus, gaudium interius quodam corporis plausu foris prodere cogeretur, instar Dauidis coram arca saltantis: vt posset etiam ipsa dicere, Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Quædam verò in perceptione illius panis, qui de cœlo descendit, non solùm cordis refectionem, sed etiam sensibilem in ore suauitatem & consolationem experiebantur, dulciorem super mel & fauum: dum carnes veri agni à faucibus cordis, quas repleuerant, vsque ad fauces oris gustu mirabili redundarent. Nonnullæ tanto desiderio ad odorem tanti sacramenti currebant & inhiabant, vt nullo modo illo diù carere sustinerent, nullam neq; consolationem, neq; requiem capientes, sed prorsus præ languore deficientes, donec suauitate cibi illius, animæ illarum crebrò vegetarentur. Erubescant igitur infideles & perfidiosi hæretici, qui cibi huius dulcedinem nec fide, nec corde & ore percipiunt. Miri raptus & ecstases cuiusdam. Psal. 75. 2 Reg 6. Psalm 83. Iohan. 6.

Noui ego quandam in ijs sanctis fœminis, cui, cùm ingenti veri illius agni carnes edendi desiderio teneretur, ipse agnus seipsum impertijt, non ferens diutiùs illam languere: atque ex ea refectione, illa conualuit. Vidi aliam, circa quam mirabiliter operatus est Dominus, ita vt cùm diù iacuisset exanimis, antequam corpus eius in terra sepeliretur, anima in corpus reuertente, reuixerit, atq; à Domino obtinuerit, vt in hoc sæculo viuens, Purgatorium pateretur. Itaque multo tempore mirum in modum à Domino afflicta, quandoque se volutabat in igne, nonnunquam hyberno tempore in aqua congelata diù morabatur, interdum in mortuorum sepulcra ingredi cogebatur. Tandem verò peracta pœnitentia, in tanta pace vixit, tantamq; à Domino gratiam adepta est, vt crebrò rapta in spiritu, animas defunctorum vsq; in Purgatorium absq; vlla suî læsione & ad superna regna deduceret. Hæc est Christina mirabilis, cuius vitam scripsit Thomas Cantipratensis.

Sed quid me necesse est diuersarum diuersas & admirandas diuinorum charismatum & cœlestis gratiæ varietates enarrare, cùm in vna eximia multumque preciosa margarita, omnium ferè charismatum liceat cernere plenitudinem, quæ inter alias, perinde vt carbunculus inter gemmas, & sol inter stellas, mirabiliter enituit: cuius fama rei veritate inferior, te ad nostram regionem adduxit: cuius virtutem in primo ad illam accessu, in te mirabiliter expertus es? Cùm enim iam ferè ad dies quadraginta nihil penitus manducans, beatum obitum suum iam propinquum cum desiderio & mentis hilaritate expectâsset, & tu de eius vita multa admiranda & vidisses, & audîsses, impensissimè rogâsti, vt post eius decessum vitam eius conscriberem, vt qui ei familiaris fuissem, multaque de eius virtutibus memoriæ commendâssem: nec eius duntaxat vitam, sed etiam aliarum sanctarum fœminarum, in quibus mira sanè in Leodiensi ditione Dominus operatur. Etsi autem affirmares tu, & tibi & alijs cumprimis hoc esse commodum & opportunum, si ea, quæ Deus in sanctis nostræ ætatis hominibus efficit, pro concione publicè posses annunciare, non tamen volui ego earum, quæ adhuc supersunt, virtutes & actus scripto comprehendere, certus nulla ratione id eas toleraturas. Ne tamen penitus tuę sanctitati immorigerus videar, fretus precibus tuis, compulsus desiderio tuo, multorum etiam, qui hæc lecturi sunt, vtilitate incitatus, præsens opusculum aggredior, sarmenta cum Apostolo collecturus, quibus & me & alios calefaciam: tametsi non dubito, fore vt à serpente mordear: sed nec Apostolus à vipera læsus est, nec ego ex obtrectatorum morsibus aliquod me damnum facturum pertimesco. Act. 28.

Quamuis animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt, propter multorum inuidiam, ne multorum vtilitatibus desim, à suscepto opere non desistam. Sunt enim quidam animales, spiritum Dei non habentes, apud semetipsos prudentes, qui nihil volunt recipere, nisi quod humana possint ratione consequi: porrò ea, quæ non intelligunt, derident & contemnunt, contrà quos dicit Apostolus: Spiritum nolite extinguere, prophetias nolite spernere. Illi enim, quantum in ipsis est, spiritum extinguunt & spernunt prophetias, qui homines spiritales tanquam insanos vel idiotas despiciunt, & prophetias siue reuelationes sanctorum, haud secus, atque phantasmata vel somniorum ludibria reijciunt. Non est autem abbreuiata manus Domini, & iaminde ab initio nulla fuit ætas, qua spiritus sanctus non effecerit res admirandas in sanctis suis, siue clàm, siue palàm. Vnguentum enim, quod descendit à 1. Cor. 2. 1. Thess. 5. Esa 59. Psalm. 132.

capite in barbam, & à barba in oram vestimenti, etiam vsque ad fimbriam, id est, vsque ad sanctos extremæ ætatis descendet. Nos igitur, quæ vidimus & nouimus, & magna ex parte experientia didicimus, ad Dei & ancillæ eius honorem, eiusdemq; ancillæ Christi amicorum consolationem, pauca ex multis annotabimus. Neque enim omnia vitæ eius admiranda colligere possumus, quandoquidem multis illis annis, quibus Deo religiosè seruiuit, vix vllus dies aut nox præterijt, quin aliqua vel Dei, vel angelorum eius, vel sanctorum in cœlis degentium, cum quibus ferè tota eius fuit conuersatio, visitatione frueretur. Vt autem faciliùs in tanta rerum varietate id quod quærit, lector inueniat, singulis capitibus operis huius suos titulos præfixi, quibus quasi clauibus quibusdam, eorum quæ ijsdem capitibus continentur, intellectus referetur, & citra vllam confusionem lectoris animus tanquam stellis intermicantibus illustretur.

Nos ad marginem posuimus

INCIPIT VITA.

LIB. I. De eius puritia. Patria Mariæ.

FVIT in Episcopatu Leodiensi in oppido, quod Niuella dicitur, puella quædam, vita & nomine præclara, Maria: I. quæ mediocribus orta parentibus, licet diuitijs & multis rebus temporarijs abundaret, nunquam tamen ab ineunte ætate eius animus talium rerum amore illectus est: immò ab ipso matris vtero adeò ferè in Dominum proiecta fuit, vt nunquam vel rarò, vt solent puellæ, se ludentibus miscuerit, neque ijs, qui in leuitate ambulant, participem se præbuerit, conseruans animam suam ab omni concupiscentia & vanitate: in ipsa puericia iam non obscura de se indicia præbens, qualis in prouectiori ætate futura esset. Solebat tum crebrò ante lectum noctu genua flectere, & preces quasdam, quas didicerat, ceu vitæ primitias Domino offerre. Adeò verò ab ipsa infantia cum illa creuit miseratio & pietas, adeoque naturali quadam pietate diligebat monasticam religionem, vt fores paternæ domûs eius interdum prætereuntibus fratribus Cistertiensis ordinis, illa suspiciens & admirans eorum habitum, clàm illos sequeretur, & cùm nihil posset aliud, suos pedes in illorum vestigijs præ desiderio defigeret. Cùm autem parentes eius, vt apud sæculares more comparatum est, vestibus eam delicatis & cultioribus ornare vellent, illa contristata respuebat, ac si ab ipsa natura id animo suo insculptum legeret, quod de fœminis ait beatus Petrus Apostolus: Quarum sit non extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: & quod Paulus Apostolus: Non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste preciosa. Sed parentes eius id videntes, & puellam deridentes, dicebant: En qualis est filia nostra?

Pietas puerilis.

1 Pet. 3.

1. Tim. 2.

De eius coniugio. Nubit viro. Vt corpus castigârit.

ITAQVE pijs eius actibus inuidentes, cùm esset annorum quatuordecim, iuueni cuidam eam nubere voluerũt. II. Tum verò illa iuncta viro, & hac occasione separata à parentum conuictu, tanto feruoris excessu inflammata est, adeoq; corpus suum castigauit & in seruitutem redegit, vt non rarò, cùm iam magnam noctis partem laboribus manuum impendisset, deinde preces admodùm prolixas incumberet: quod porrò reliquum erat noctis spacium, id quoties liceret, in asseres, quos clàm in extrema lectuli parte absconderat, se reponens exiguo somno transmitteret. Cùm autem proprij corporis potestatem palàm non haberet, funem asperrimum secretò sub subucula gestabat, eoque corpus suum mirè constringebat. Quod non idcircò hic commemorare volui, vt probem excessum, sed vt eius feruorem indicem. In his verò & plerisque alijs, quæ singularis gratiæ priuilegio illa fecit, prudens lector meminerit, paucorum priuilegia non efficere legem communem. Itaque virtutes eius imitemur: actus autem virtutum eius, absque priuata quadam prærogatiua, imitari non poterimus. Etsi autem cogendum est corpus, vt seruiat spiritui, dandaque nobis opera est, vt stigmata Domini nostri Iesu Christi in nostro feramus corpore: at tamen non sumus nescij honorem regis diligere iudicium, nec gratum esse Deo sacrificium de rapina pauperis. Nec debemus pauperi ac miseræ carni subtrahere necessaria, sed vitia coërcere. Quod verò sanctos quosdam ex familiari sancti spiritûs consilio fecisse legimus, admiremur potiùs, quàm imitandum suscipiamus.

Psal. 98. Vitia enecanda, non caro.

De mariti eius conuersione, & vt omnibus renuntiantes castè vixerint. Maritus eius cum illa viuit continenter.

CVM autem non multo tempore cum marito suo Iohanne in matrimonio ita vixisset, respexit Dominus hu- III. militatem ancillæ suæ, exaudiuitque lacrymas supplicantis. Quam enim hactenus vxorem habuerat Iohannes, eam ex instinctu diuino habuit postmodùm Mariam commendatam. Casto castam Dominus commendauit ancillam, vt pro solatio haberet custodem: & vt liberiùs Domino seruiret, fidelem ei adhibuit prouisorem. Qui enim priùs naturali quadam ingenij humanitate & suauitate sancto coniugis suæ proposito, vt solent plerunque mariti, non contradixerat, sed comiter ac benignè satis, licet eius labores miseraretur, illud tolerârat: eam est ex diuina visitatione gratiam adeptus, vt non solùm deinceps continentem & planè angelicam duxerit vitam, sed sociam etiam suam in sancto proposito & religione imitatus sit, omnia sua pro Christi amore in pauperes erogans. Quanto autem magis carnali affectione ab ea separatus est, tanto plùs ei spiritalis nexûs matrimonio per dilectionem coniunctus est. Quamobrem etiam Dominus postea ancillæ suæ in visione promisit, se socium ipsius tanquam instaurato matrimonio in cœlis ei redditurum, qui studio castitatis à carnali commercio in terris se retraxisset. Erubescant hic & expauescant infelices, qui extra matrimonium illicitis se commixtionibus polluunt, quando ambo isti beati iuuenes, etiam à licitis amplexibus, causa Christi, abstinentes, feruentis adolescentiæ impetum feruore religionis superârunt, ignem igni extinxerunt, & coronas triumphales promeruerunt. Itaque dedit illis Dominus in domo sua & in muris suis locum & nomen melius à filijs & filiabus: quandoquidem instar beatorum martyrum, in igne non ardentes, in voluptatum copia propriam voluntatem mactantes, apud fluuium sitientes, inter epulas esurientes, carnes suas confixerunt clauis timoris Dei: immò verò Christi amore sese penitus abijcientes, leprosis quibusdam apud Niuellam eo in loco, quem Villenbroc dicunt, aliquandiù inseruiêrunt.

In lubricos & incontinentes. Esa. 56.

De contemptu & persecutione, quæ à consanguineis pertulere. Amor hominũ mundanorum fallax.

VIDEBANT verò hæc dæmones, & inuidebant: videbant sæculares & cognati, & frendebant dentibus in IV. eos: & quos anteà erant venerati diuites, iam Christi causa pauperes sua sponte effectos irridebant & aspernabantur. Viles ergo & abiecti pro Domino habiti sunt: opprobria exprobrantium Domino ceciderunt super eos. Sed ne timeas ancilla Christi proposito tibi gaudio & honore sæculari, ad Crucis contumelias cum Christo tuo vltrò accedere. Præstabilius tibi est, abiectam esse in domo Domini tui, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Perdidisti quidem gratiam cognatorum: sed Christi gratiam tibi conciliasti. An te putas iam demum destitutam amore consanguineorum? Immò verò nunquam illi te dilexerunt, sed tua. Vt enim muscæ mel, cadauera lupi: sic prædam sequitur hæc turba, non hominem.

De compũctione & lachrymis eius. Thren 3.

BONVS es Domine sperantibus in te: verax es expectantibus te. Ancilla tua regnum mundi & omnem orna- V. tum eius pro tuî amore contempsit: tu verò centuplum ei reddidisti in hoc sæculo, & vitam æternam in futuro. Intueamur enim, quantis virtutum gemmis, tanquam vas auri solidum, ornatum omni lapide precioso, præclaram hanc amicam tuam ornaueris, quibus miraculis abiectam illam, & quam homines mundo dediti irrisêre, illustraueris. Principium conuersionis eius ad te, primitiæ dilectionis, Crux tua, passio tua fuit. Audiuit auditum tuum, & timuit: considerauit opera tua, & expauit. Cùm enim die quadam, præuenta & visitata à te, beneficia immensa, quæ tũ in assumpta carne humano generi benignus impendisti, consideraret, tantã compunctionis gratiam, tãtam vim & copiam lachrymarũ, torculari Crucis tuæ expressam in tua passione percepit, vt vestigia eius per ecclesiã ingredientis, lachry-

lachrymæ in pauimentum vbertim defluentes proderent. Porrò ab hac visitatione multo deinceps tempore nec Crucis imaginem intueri, nec vel ipsa loqui, vel alios de passione Christi loquentes audire potuit, quin præ cordis defectu ecstasin pateretur. Itaque vt dolorem aliquando temperaret, & fluuium lachrymarum cohiberet, ad Christi diuinitatem & maiestatem animum attollebat, vt in eius impassibilitate consolationem inueniret. Sed vnde fluminis impetum reprimere conabatur, inde mirabiliter maior lachrymarum impetus excitabatur. Cùm enim attenderet, quantus sit ille, qui propter nos tam indigna & abiecta perpessus est, dolor recrudescebat, nouisque lachrymis anima eius suaui compunctione renouabatur. Die quodam ante parasceuen, cùm iam imminente Christi passione, maiori lachrymarum imbre, gemitibus & singultibus se cum Domino Iesu mactare cœpisset, quidam ex ecclesiæ sacerdotibus quasi blandè increpando, hortabatur eam, vt cum silentio oraret, & lachrymas compesceret. Illa verò, vt semper erat, verecunda & omnibus columbina simplicitate obedire studens, cùm non ignoraret id se præstare non posse, clàm è templo egrediens, in secretum quendam & ab omnibus remotum secessit locum: impetrauitque cum lachrymis à Domino, vt illi sacerdoti indicaret, non esse in hominis potestate lachrymarum impetum retinere, quando flante spiritu vehementi fluunt aquæ. Cùm igitur eodem die presbyter ille Missam celebraret, aperuit Dominus, & non fuit qui clauderet: emisit aquas, & subuerterunt terram. Tanto enim lachrymarum diluuio submersus est spiritus eius, quòd parùm abfuit, quin præfocaretur: & quo plùs nitebatur coërcere impetum, tanto ampliùs multo lachrymarum imbre non ille duntaxat, sed & liber & altaris linteamina irrigabantur. Quid hic ageret incautus ille Christi ancillæ reprehensor? Certa experientia non absque rubore didicit, quod paulò antè per humilitatem & commiserationem scire noluit. Post multos singultus, cùm multa inordinatè & cum interruptione pronunciâsset, tandem à naufragio vix euasit. Qui vidit & cognouit, testimonium perhibuit. Diù post Missæ absolutionem Christi ancilla reuertens, miro modo perinde ac si præsens fuisset, quæcunque acciderant, sacerdoti illi improperando retulit: Iam nunc, inquit, propria didicisti experientia, non esse in manu hominis, impetum spiritûs Austro flante continere. Cùm autem per dies & noctes perpetuos aquarum exitus deducerent oculi eius, & ne lachrymæ eius non modò non hærerent in maxillis, sed nec in ecclesiæ pauimento pulueri mixtæ sordes efficerent, panno lineo, quo caput suum tegebat, exciperentur, multis eiusmodi pannis seu velaminibus vtebatur, cùm humectata lachrymis, sicca flagitarent. Mihi verò condolentis & commiserantis affectu, post longa ieiunia, post vigilias multas, post tantas lachrymarum inundationes ex eâ percontanti, num exinanito, vt assolet, capite aliquam vel læsionem vel dolorem sentiret, ita respondit: Hæ lachrymæ sunt refectio mea: hæ sunt mihi panes die ac nocte: nec caput affligunt, sed mentem nutriunt: non dolore vllo afficiunt, sed animam quadam serenitate exhilarant: non cerebrum euacuant, sed animum satietate implent, & suaui quadam mulcent vnctione: dum non vi extorquentur, sed à Domino sponte suppeditantur.

Ingens eius compũctio ex consideratione passionis Christi.

Nota efficaciam precũ eius.

Magna copia lachrymarũ eius.

Nota de lachrymis.

VI. IAM de eius confessione post compunctionem breuiter videamus. Testem Deum inuoco, me nunquàm in tota eius vita vel conuersatione vel vnum potuisse mortiferum peccatum deprehendere. Si quod autem fortassis exiguum veniale sibi admisisse videretur, cum tanto cordis dolore, tanta cum verecundia & rubore, cum tanta contritione se ostendebat sacerdoti, vt plerumque præ nimio cordis angore instar parturientis exclamare cogeretur: tametsi etiam ab exiguis & venialibus culpis adeò sibi caueret, vt crebrò ad dies quindecim nec vnam inordinatam cogitationem in suo posset pectore reperire. Et quia bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est: sacerdotum pedibus aduoluta, sese accusans, quædam eiusmodi etiam cum lachrymis confitebatur, ad quæ nos vix potuimus à risu abstinere: putà, quædam verba puerilia, quæ in pueritia se dixisse recolens, dolebat. Postquam autem euacuauit ea, quæ sunt pueri, tanto cum timore animam suam, tanto studio sensus suos, tanta puritate cor suum custodire nitebatur, semper illud præ oculis habẽs, Qui modica negligit, paulatim decidit: vt ne verbum quidem vllum aut adspectum inordinatum, nec inhonestum corporis habitum, nec risum immoderatum, nec indecentem vel indecorum corporis gestum, in ea vnquam aut certè rarò aduertere potuerimus: quanquam plerumque præ immenso cordis gaudio, dum seipsam vix posset capere, aliquando liberiùs exhilarato vultu, externo corporis gestu mentis iubilum prodere cogebatur, vt pote vel risum modestum ex cordis serenitate edendo, aut aliquam è suis sociabus modico, eoq; pudico amplexu humanissime excipiendo, vel sacerdotis alicuius manus vel pedes præeximia deuotione osculando. Cum autem ad se tanquam à mentis quadam ebrietate rediisset, & vesperi omnes actus suos seueriter commemoraret & examinaret, si vel in minimo modum se excessisse deprehenderet, cum admiranda cordis contritione id confitebatur, & à seipsa pœnas exigebat: non raro etiam illic trepidans, vbi nullus erat timor. Nos vero ea sola causa, nostræ pigritiæ consulere volentes, eam reprehendebamus, quod crebrius, quam vellemus, eiusmodi minutias confiteretur.

De eius cõfessione.

Magna vitæ innocentia.

Eccl. 19.

Etiam minimas culpas cum multo dolore confitetur.

VII. POSTQVAM de eius confessione dictum est, iam porro videamus, quam multa & admiranda peritia corpus suum Domino immolarit, quam magna & insigni delectatione, Crucem Christi amplectens, carnem suam excruciarit. Primam illam discipulorum Christi prælectionem, primam illam euangelicæ disciplinæ institutionem, quà Dominus ait: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me: sæpius apud se animo reuoluebat, & his tanquam passibus tribus Christum sequi nitebatur. Non solum enim aliena abnegauerat, nihil eorum appetendo, nec sua duntaxat, omnibus illis nuncium remittendo: nec modo corpus, illud affligendo: sed seipsam etiam, propriæ voluntati penitus valefaciendo. Itaque sibiipsi renunciauit, vel seipsam abnegauit, alterius voluntati per obedientiam se submittendo: tulit crucem suam, corpus inedia & abstinentia castigando: Christum secuta est per humilitatem sese abiiciendo. Gustato autem spiritu, omnis carnalis delectatio ei desipiebat: cumque aliquando in memoriam rediret, post quandam grauissimam ægritudinem ad breue tempus carnibus & vino, tanquam cogente necessitate, vsam se fuisse, præ horrore & abominatione præteritæ delectationis sese afflixit, nec potuit spiritus eius quiescere, donec illas qualescunque delicias mirabili cruciatu compensaret. Feruore enim spiritus ceu ebria, præ suauitate carnium agni paschalis, carnem suam fastidiens, non exiguas eius particulas cultello abscidit, & præ verecundia in terra abscondit. Et quia vehementissimo amoris igni accensa, carnis dolores contempsit, vnum ex Seraphicis spiritibus in hoc mentis excessu sibi adstantem vidit. Horum autem vulnerum loca, cum defunctæ corpus lauaretur, fœminæ non sine admiratione viderunt: qui vero ex eius confessione isthuc didicerant, facile nouerunt, vnde vulnera illa profecta essent. Iam qui Simeonis Stylitæ vermes, ex eius vulneribus scaturientes, qui beati Antonii ignem, quo pedes inflammauit, venerantur & admirantur: cur non etiam in sexu fragili tantam mulieris fortitudinem suscipiant, quæ charitate vulnerata, & Christi vulneribus vegetata, proprii corporis vulnera contempsit?

De eius pœnitẽtia & satisfactione. Luc 9.

Perfecta eius abrenũciatio.

Vide feruorem spiritus carnis suæ cruciatus contemnẽtis.

VIII. TANTA sanè ieiunandi gratia Christi ancilla prædita fuit, vt diebus illis, quibus ob corpusculi recreationem eam ad cœnam perinde atque ad medicinam accedere oportebat, semel, idque modice in die, æstate quidem ad vesperam, hyeme vero prima noctis hora ederet: sed neq; vinum bibebat, neque carnibus vescebatur: piscibus raro, & non nisi minimis Fructibus arborum, herbis & leguminibus vtcunque sustentabatur: panem nigerrimum atque asperrimum, quem vix canes possent edere, multo tempore comedit, cuius nimia duritia & asperitate fauces eius adeo lacera-

De eius ieiunijs.

Semel tantùm in die comedit.

Eius cibus.

lacerabantur, vt sanguis inde manaret. Sed eum sanguinem suauem ipsi efficiebat Christi memoria: cuius vulneribus vulnera eius mulcebantur, & dulcedine panis cœlestis asperrimi panis duritia edulcabatur. Quodam die cibum capiens, vidit hostem antiquum inuidia tabescentem, & cùm nihil posset aliud, insultantem ipsi atque dicentem: Nimiùm te reples gulosa. Longis enim confecta & constricta ieiunijs, quandoque laborabat edendo: &, si vidisset stomachum frigidum & constrictum, velut alimenta respuentem, ex modico cibo tumescere, dolebat. At verò mali dæmonis fraudem & versutias intelligens, quòd ipsam, vtpotè religiosè formidolosam, perturbare cuperet, vt nimia inedia conficeretur, deridens illum, tanto plus conabatur comedere, quanto serpens virulentius acriùs inde torquebatur. Sed siue manducaret, siue ieiunaret, omnia in Dei gloriam faciebat. Triennio pertuo, à festo S. Crucis vsque ad Pascha, solo pane & aqua vsa est, nec tamen vllum inde vel valetudinis, vel laboris manuarij accepit detrimentum. Quando in cellula sua, iuxta ecclesiam sita, vesperi aut nocte corpusculum solo pane & aqua reficiebat, à principio benedictionis vsque ad peractas gratiarum actiones, quidam ex sanctis angelis sobriæ cœnæ assistentes, coram illa quasi per scalam illustrem ascendebant: quorum præsentia tantam ei adferebat consolationem & spiritûs exultationem, vt omnis suauitas gustûs illa spiritali dulcedine facilè vinceretur. Sanctus quoque Iohannes Euangelista, quem impensè amabat, illa cibum sumente, nonnunquam ad eius mensam veniebat: ad cuius præsentiam præ deuotionis affectu appetitus omnis ita prosternebatur, vt etiam exiguam escam capere vix posset. Ita corporales delicias, quibus Christi amore sibi interdixerat, Dominus mentis delicijs compensabat. Scriptum est enim: Non in solo pane viuit homo. Ex huius autem cibi fortitudine ita roborabatur, vt plerumque ad octo, interdum ad vndecim dies, putà à Christi ascensione vsque ad aduentum Spiritûs sancti siue Pentecosten, nihil prorsus cibi potúsve acciperet: & quod mirum videri posset, nec caput propterea doleret, nec aliquid de labore remitteret, non minùs prompta & expedita ad laborandum postremo ieiunij die, atque primo, nec si vellet, ijs diebus edere potuisset, donec portio sensitiua, quæ à spiritu quasi absorpta erat, ad sese, vt ita dicam, rediret. Nam quamdiù anima, spiritali refectione exuberans, ita plena erat, nullum cibum corporeum eam percipere sinebat. Aliquando ad dies triginta quinque in tranquillo & beato silentio cum Domino suauiter quiescens, nulla corporea vtebatur esca, & per dies aliquot nullum poterat proferre sermonem, nisi hunc solum: Volo corpus Domini nostri Iesu Christi: quo percepto, rursus cum Domino in silentio permanebat. Illis verò diebus sentiebat spiritum suum, tanquam à corpore separatum, sic esse in corpore, ac si in luteo iaceret vase, & ipso suo corpore tanquam luteo vestimento circumdari. Ita ergo à rebus sensibilibus abstracta, & supra se in quandam ecstasin rapta, tandem post hebdomadas quinque ad se reuertens, aperiebat os suum, & mirantibus illis, qui aderant, loquebatur, cibumque sumebat. Posteà verò accidit illi, vt multo tempore nulla ratione neque carnium, neque frixuræ alicuius, sed nec vini posset odorem ferre, nisi quando post sumptum Christi corpus pro ablutione vinum sumebat: tunc enim citra vllam molestiam & odorem & saporem illius admittebat: & cùm iret per pagos aliquot, ab Episcopo Confirmationis sacramentum perceptura, nihil affligebatur ijs odoribus, qui anteà ei fuerant intolerabiles.

Eludit satanæ ludibria

Diuinis afficitur consolationibus.

Deut. 8.

Vide stupendã abstinẽtiam, & mẽtis excessũ.

QVANTO accuratiùs corpus suum macerabat ieiunijs, tanto spiritus liberior precibus pingue scebat. Corpus extenuabatur inedia, & anima in Domino magis corroborabatur. Tam verò singularem à Domino obtinuit orandi gratiam, vt diu noctuque inuictum ab oratione spiritum aut nunquam, aut rarò relaxaret. Sine intermissione enim orabat, vel tacito corde clamando, vel oris officio cordis affectum exprimendo: tantusque ab altari cordis eius fumus aromatum in conspectu Domini ascendebat, vt etiam tum, cùm manibus operaretur, cùm manum mitteret ad fortia, & digiti eius apprehenderent fusum, psalterium coram se expansum haberet, atque inde Domino psalmos suauiter eructaret, ijsque ceu clauis quibusdam cor suum, ne ociosè vagaretur, Domino copularet. Cùm autem speciales pro aliquo, Domino preces offerret, miro quodam modo ille ei in spiritu respondebat. Ex adipe enim deuotionis, spiritus eius Domino coniunctus, suauiter in oratione pingue scebat, cùm se sentiret à Domino impetrâsse, quod vellet. Ex ipsa namque spiritûs sui vel eleuatione, vel depressione, vtrùm exaudita esset, nè ne, plerumque animaduertebat. Orauit quandoque pro anima cuiusdam defuncti, dictumque est ei: Non ores pro illo, quia à Domino reiectus est. Lethali enim vulnere confixus in illo hastarum congressu vel certamine, quod torneamentum vocant, miserè perierat, & æternis fuit supplicijs addictus. Die quodam in cella sua apud Ecclesiam Oegniacensem multas vidit manus tanquam ipsi supplicantium. Admirans autem & ignorans, quid isthuc sibi vellet, nonnihil timore correpta, fugit ad ecclesiam. Altero die iterum in cellula sua easdem vidit manus: & expauescens, rursus volebat fugere ad ecclesiam, sed manibus eam retinentibus retardabatur. At nihilo minùs ad ecclesiam, tanquam ad tabernaculum, confugiens, vt Dominum consuleret, rogauit eum, vt quid illæ manus sibi vellent, ipsam certiorem efficeret. Respondit autem illi Dominus, defunctorum animas, quæ in Purgatorio pœnas luerent, orationum ipsius suffragia expetere, quibus quasi vnguento quodam precioso, dolores illarum lenirentur. Nam præ diuinæ contemplationis dulcedine, solitas preces suas nonnunquam intermittebat: interdum nec os aperire, nec de vlla re alia, quàm de Deo, cogitaret poterat. Solebat autem peregrinationis siue orationis causa quotannis visitare ecclesiam beatissimæ Mariæ Oegniacensem, siue de Oegnies, vbi magnam obtinebat à matre Domini consolationem. Ea autem ecclesia, ab eo loco, in quo ipsa morabatur, ad duo milliaria aberat: cumque acriùs horrebat gelida hyems, nudis pedibus sine vlla sui læsione ad Ecclesiam illam vsque ingrediebatur. Comitabatur autem illam vna duntaxat ancilla, & cum via illa admodùm distorta & flexuosa atque nemorosa esset, nec ipsi satis cognita, at tamen lumine quodam illam antecedente & viam monstrante, nunquam aberrabat. Et illo quidem die nihil prorsus edebat, & totam noctem in Ecclesia peruigil exigebat, dieque altero ad vesperam vsque ieiuna permanebat, at nihilominùs domum reuertens, sine vlla difficultate iter conficiebat, angelis eam dextera læuaque sustentantibus. Angelis enim suis mandauerat Deus, vt eam in omnibus vijs eius custodirent, & in suis portarent manibus, ne fortè ad lapidem offenderet pedem suum. Quòd si aliquando ea illud iter agente, vehemens imber è nubibus immineret, nec haberet illa vestes pluuiæ excipiendæ opportunas, suspiciens ad cœlum, vidit quasi stellas quasdam, ipsi obsequendo, retinere pluuiam, atque ita inter ruentes è cœlo imbres prorsus intacta permansit. Nonnunquam, cùm inter orandum holocaustum eius pinguius fieret, & sicut adipe & pinguedine anima eius repleretur, non potuit cessare à precibus. Itaque per diem & noctem millies & centies flectens genua, salutabat beatam Virginem, atque admirandum hoc & inauditum salutandi genus & officium, ad quadraginta dies continuabat. Primò autem in spiritu vehementi sine intermissione sexcenties flectebat genua: deinde integrum Psalterium stans legebat, ad singulos psalmos beatissimæ Virgini flexis genibus angelicam salutationem offerens. Tertiò, Austro flante vehementiùs, trecentis vicibus ad singulas genuflexiones virga se percutiens, Deo & beatissimæ Virgini prolixo martyrio sese immolabat. Tribus autem vltimis ictibus, tanquam ad aliorum condimentum, copiosum è suo corpore extrahebat sanguinem. Tandem quinquagies flexis simpliciter genibus, sacrificium consummabat. Hæc autem non humana virtute, sed angelico freta præsidio & sustentaculo, faciebat. Vim autem & efficaciam precum eius sæpè experti sunt non solùm homines in subsidium, sed

IX.

De precibus eius. Perpetuum tius precandi studium.

Visio eius.

Purgatorium.

Nudis pedibus hyberno tempore visitat ecclesiam B. Mariæ

Psalm 90.

Vide precũ instantiam raram & admirandam.

Corporis castigatio dura.

sed etiam dæmones ad tormentum: quos adeò exagitabat & perurgebat, & quasi quibusdam vinculis implicatos, ad se pertrahebat, vt precum eius flammis & incendio ad ipsam venire compellerentur, modo dentibus frendentes in illam, modo vlulantes & de illa conquerentes, interdum etiam ceu supplicantes. Quod si quispiam ex eius familiaribus aliqua tentatione esset infestatus, nõ cessabat preciosa illa Christi margarita, spiritu commiserationis eam perurgente, donec orationum suarum pondere authorem nequitiæ obrueret, & de manu fortiorum pauperem & inopem liberaret. Quidam ex amicis eius præcipuis, à dæmonio meridiano perambulante in tenebris, aliquando tanto periculosius, quanto subtilius infestabatur. Callidus enim hostis transfigurans se in angelum lucis, sub specie pietatis ei familiariter in somnis apparebat, nonnunquam quædam eius vitia reprehendens, ad quædam etiam facienda bona eum fraudulenter adhortans, vt priùs tanquam antidoti cuiusdam falsa specie oblata posteà occultiùs venenum instillaret: & mellita lingua blanditer exerta, postmodùm dentem infigeret, & extremum caudam suam quasi cedrum stringeret. Cùm enim iam illi fides ceu veraci haberetur, tum instar sophistæ & impostoris, veris quibusdam proditor illa falsa permiscebat, bonorum intermixtione falsis quandam vmbram insidiosè prætexens. Tandem suis machinis eò perduxit fratrem illum, vt res eius pessimum fuerint exitum habituræ, si non ancilla Christi, reuelante spiritu sancto, callidi veteratoris fraudes didicisset. Cùm autem diceret homini, reuelationes illas non esse à Deo, sed maligni dæmonis illusiones esse, & ille è diuerso non sancto, sed suo spiritu obijceret: Cùm tot mihi beneficia præstiterit spiritus ille, tot vera & futura prædixerit, nullo pacto mihi vult imponere: illa ad solita orationum arma confugiens, pedes Domini rigat lachrymis, cœlum precibus instanter pulsat, nec facit finem, donec impius ille impostor, cùm multo gemitu & pudore, ipsi nocte in cellula sua oranti adstaret: quem illa commentitio præditum splendore intuens: Quisnam es tu? inquit, aut quis vocaris? Ille superbo, vt erat, vultu eam toruis oculis vicissim adspiciens, Ego sum, ait, quem tu maledicta precibus tuis compulisti venire ad te, quæ meum mihi amicum per vim auferre conaris. Somnium autem ego vocor. Multis enim, præsertim religiosis, in somnis instar Luciferi appareo, mihique obediunt illi, & ex meis consolationibus animis efferuntur, dignosque se putant, qui diuinis & angelicis fruantur colloquijs. Amicum illum meum, quem pro tua voluntate mihi abstulisti, à bono proposito iam eram retracturus. Et id sanè rei euentus docuit: sed oua aspidum rupta sunt, & maligni illius fraudulenta consilia in lucem prolata. Puella quædam in monasterio Cistertiensis Ordinis inter sanctimoniales sub habitu monastico Domino seruiebat. Inuidit verò illi tanto acerbiùs antiquus serpens, quòd in sexu fragili & ætate iuuenili tam arduæ viæ institutum eam complexam videret. Itaque cernens illam simplicem, formidolosam & humilem, vt per pusillanimitatem & immodicum timorem, eam in desperationem adduceret, blasphemis & sordidis cogitationibus eius animum vexauit. Illa verò, vt erat meticulosa & talium tentationum rudis ac imperita, in ipso eiusmodi cogitationum primo accessu putabat se fidem amisisse: & diù quidem multo cum dolore restitit, sed tandem virulenti serpentis sibilum ampliùs ferre non sustinens, nec interim pectoris sui vulnus, vt medicinam acciperet, aperiens, præ pusillanimitate in desperationem prolapsa est, iamque adeò eius mentem malignus hostis depresserat, vt nec orationem Dominicam, nec Symbolum Apostolicum dicere posset. Nec voluit confiteri peccata sua: & si nonnunquam vel blanditijs adducta, vel minis compulsa, quædam confiteretur, nulla ratione permoueri potuit, vt veniam peteret. Non potuit interesse sacramentis Ecclesiæ, non Christi corpus percipere: nec rarò præ animi perturbatione sibijpsi manus adferre conata est: verbum Dei & salutares admonitiones spernebat: omnis boni odio laborabat: multas per os eius diabolus blasphemias euomebat. Fiebant quidem à pijs sororibus eius multæ ad Dominum preces pro illa, sed columbam suam è faucibus tartarei accipitris extorquere, & illud genus dæmonij precibus & ieiunijs eijcere nequibant: non quòd clemens sponsus tot sanctarum virginum orationes sperneret, sed quòd dæmonium atrocissimum singulari ancillæ suæ vincendum & profligandum seruaret, quæ precum suarum efficacia maxillas Leuiathan perforaret, & ab eius ore prædam illam vi extraheret. Adducta est itaque puella ad eam: illa verò, vt erat spiritu commiserationis & melle spiritalis dulcedinis affluens, eam benignè suscepit, non modò in cellulam suam studio hospitalitatis, sed etiam in cor suum charitatis spiritu & beneuolentia: cumque multùm pro ea rogaret Dominum, nequam spiritus, quam se fortiter tenere existimabat, relinquere noluit. Tum illa seipsam Domino prolixiùs immolans, quadraginta diebus in lachrymas, preces & ieiunia incubuit, sed ita tamen, vt bis vel ter hebdomadibus singulis cibum acciperet. Eo ieiunio absoluto, teterrimus ille spiritus, relicta puella, ad Christi ancillam cum dolore & ignominia venit coactus, & ab Angelo Domini mirabiliter vinctus & tortus, ita vt videretur quasi reiectis per vomitum visceribus, omnia intestina sua ad collum gestare. Quod enim inuisibiliter Dominus in spiritu operatur, id quandoque per signa quædam exteriora visibiliter ostendit. Rogauit autem gemebundus Christi amicam, vt ipsius misereretur, & mulctam ipsi irrogaret, aiebatque quicquid ipsa iniungeret, id sibi necessariò faciendum incumbere. Illa verò, vt quæ nunquam quicquam sibi arrogaret, nec aliquid vellet sine consilio facere, acciuit ad se magistrum quendam, ipsius familiarem amicum, cui benè confidebat. Illo consulente, vt eum iuberet ire in desertum locum, vbi nulli vnquam vsque ad supremi iudicij diem nocere posset, alius quidam superuenit, vtrique satis familiaris: qui cùm rem cognouisset, pro maiori spiritûs vehementia & feruore, Nequaquam, inquit, sic euadet ille furcifer, sed iubeas illum confestim abire in profunda inferorum. Illa ergo id præcipiente, & dæmone cum vlulatu descendente, tantus tartareorum spirituum clamor excitatus est, ipsa in spiritu audiente, quòd magnus & potens quidam è suis princeps ad ipsos veniret, vt multùm illa obstupesceret, & Domino gratias ageret. Porrò puella eadem hora liberata, facta confessione peccatorum suorum, Christi corpus accepit, & Deo gratias agens, ad suum monasterium reuersa est. Nonnunquam Christi ancilla post multas vigilias & preces in lectulo suo nonnihil quiescente, sub diuersis formis apparebat ei diabolus, frendens in eam, eiq; maledicens: Malo tuo, inquiens, quiescas: nobiscum in gehenna sit requies tua. Non minùs enim torqueor quiete tua, quàm labore & precibus tuis. At illa subridens, edito Crucis signo, eum discedere compellebat.

Magna eius potestas in dæmones.

Nota impõ sturam fallacioſi dæmonis. Iob 40.

Angelus satanæ transfigurat se in Angelum lucis.

Dæmon valdè infestus est cuidam sanctimoniali.

Perniciosè illa tacet tentationẽ suam.

Maria hæc multis precibus & ieiunijs liberat eam.

X. GRAVEM & intolerabilem temporis ociosè traducti iacturam fortis illa & prudens mulier censebat. Dies enim præterlabuntur, sed non redeunt, nec reuocari possunt. Itaque temporis amissi damnum irrecuperabile est, cæteræ autem res temporariæ, si sint amissæ, restaurari possunt. Quamobrem summo cauebat studio, ne quam vnquam noctis vel diei horam, quantum fieri poterat, ociosa transmitteret. Noctibus rarò dormiebat, sciens homini somnum non ad meritum, sed ad humanæ infirmitatis recreationem à Deo clementer attributum. Non enim meremur dormientes, cùm nulla tunc nobis sit liberi arbitrij vsura. Vnde quantùm potuit, à somno abstinens, nocturnis vigilijs tanto deuotiùs, quantò liberiùs absque vllo circumstrepentium sonitu, Domino vacabat. Abstinentia enim, qua corpus suum conficiebat & exiccabat, & ignis diuini amoris intus ardens, omnem ab ea somnolentiam profligabant: suaues etiam angelorum cantus, cum quibus non rarò noctes insomnes ducebat, omnem ab eius oculis somnum absque vlla corporis molestia abigebant. Separatæ enim ab hominum frequentia nocturnis horis, aderat beatorum spirituum exercitus, quorum sonus mirabilis, tanquam castrorum, dulci quadam harmonia mulcebat aures, torporem omnem repellebat, recreabat caput, mira suauitate afficiebat

De vigilijs & somno eius.

Tempus nõ sinit ociosè labi.

Somni paucissimi est.

Miris fouetur cœlestibus consolationibus.

afficiebat mentem, excitabat deuotionem, inflammabat affectum, & ad laudem & gratiarum actionem suo inuitabat exemplo, cùm sæpiùs repeteret, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus. Attendant hæc, & lugeant miserabiles & stultæ fœminæ, quæ lasciuis cantionibus ignem libidinis in seipsis excitant, & anhelitu suo prunas ardere faciunt: sicque à cantu Angelorum alienæ, pereunt in sua vanitate; earumque risus in luctum, gaudium in mœrorem sempiternum, cantus in vlulatum mutabitur: habebuntq; , vt Dominus ait per Esaiam, pro zona funiculũ, pro suaui odore fœtorem, pro crispanti crine caluitium At nostra Maria choreas vanitatis & omnes sathanæ pompas Christi amore proculcans, feliciùs & suauius iucundissimis Angelorum choreis meruit interesse. Et quia pretiosas sanctorum reliquias, quibus copiosè munita & ornata est ecclesia Oegniacensis, nocturnis custodiebat excubijs, sancti, quorum erant eæ reliquiæ, noctem festam cum ea ducentes, & custodi suæ tanquam applaudentes, mirabili consolatione spiritum eius exhilarabant. In extrema quoque eius ægritudine commiserantis affectu eam consolantes, patrocinium ei apud Deum & mercedem pro labore atque custodia pollicebantur. Habebat verò lectum in cellula sua, in quo non nisi parum straminis inerat. Et dormiebat quidem in illo, sed rarò: nam frequentius sedens in ecclesia, capite ad murum inclinato, exiguo se somno recreabat, & ita ad iucundos vigiliarum labores reuertebatur. Sicut enim sitiens, dum dormit, fontes aquarum somniat: & esuriens, fercula sibi apponi imaginatur: sic illa eum, quem concupiscebat & sitiebat, per nocturnam etiam quietem semper ob oculos habebat. Vbi enim amor, illic oculus: vbi thesaurus eius, ibi etiam cor illius erat. Inde est, quod Dominus ait: Vbi ego sum, illic & minister meus erit. Nec rarò eam Dominus, perinde vt sanctum Ioseph & alios sanctos, per somnum admonuit: immò multa ei dormienti ostendit, multis reuelationibus, ne vel somnus ociosus esset, eam visitauit, sicut erat per Prophetam suum polliciti: Senes, inquit, vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbũt. Permittebatur interdũ somnum capere in cellula sua: nonnunquàm verò, cùm magnæ imminerent solennitates, non nisi intra ecclesiam in Christi præsentia potuit obtinere requiem: & tunc noctes atque dies illic permanere cogebatur. Angelo enim suo ipsius custodiæ deputato, tanquam Abbati suo eam oportebat obedire, isque eam interdum nimijs confectam iejunijs, vt quieti se daret, admonebat: cumque paululùm quieuisset, excitabat eam, & ad ecclesiam reuocabat. Eo ipso vehementer eam incitante, & virtutem suppeditante, quodam tempore à ferijs S. Martini vsque ad Quadragesimam adeò ecclesiæ pauimento adhæsit anima eius, vt siue sederet, siue iaceret, inter se & nudam terram nihil penitùs, ne festucam quidem exiguam ferre posset: cumque ante altare dormiret, non nisi meram humum, vel lignum ad altaris basim transuersim positum, pro puluinari haberet. Et tamen ea hyeme tanta ea frigoris immanitas, vt etiam sub sacrificio in sancto calice, vinum repentè, quod equidem memini, congelaret: cùm interim illa nec frigus sentiret, nec caput sancto Angelo manum suam humanissimè interponente, vel tenuiter doleret. Væ vobis, qui dormitis & lasciuitis in stratis vestris, & in lectis eburneis, qui mollibus delectamini, in vestris voluptatibus mortui & sepulti: qui ducitis in bonis dies vestros, sed in puncto ad inferni nouissima descendetis, vbi subter vos sternetur tinea, & operimentum vestrum erunt vermes. Ecce famulæ Christi, dum suo Domino religiosè seruit, humus obsequitur, ne eius duritia atteratur: parcit hyems, ne frigore crucietur: sancti ministrant angeli ne vllæ ex parte lædatur. Contra vos autem insensatos pugnabit orbis terrarum pro Domino: armabitur creatura Dei ad vltionem inimicorum eius, quæ suo authori inseruiens, aduersùm vos excandesceret, de vobis supplicium sumptura.

Esa 3.

Preciosæ Sanctorum reliquiæ.

Lectulus eius.

Matth. 6. Iohan 12. Matt 1 & 2

Ioel. 2.

Præsentiam Christi in Eucharistia dicit, quæ in tẽplis asseruatur.

Iob 21. Esa 14.

Sap 5.

XI. QVÆ vellere agni immaculati vestiebatur, quæ veste nuptiali intrinsecus ornata erat, quæ Christum intus induerat, cultum vel ornatum externum habebat neglectui. Interim tamen mediocribus vtebatur vestibus: & neque affectatæ sordes, neque exquisitæ munditiæ vnquam ei placuêre. Itaque ornatum & sordes æque fugiebat; quòd alterum delicias, alterum vanam gloriam redoleat. Sciens autem beatissimum Iohannem ab asperitate vestium à Domino commendatum, & dictum esse à Christo, Qui in domibus regum sunt, mollibus vestiuntur: subucula ad carnem vti noluit, sed aspero sacco cilicino. Tunicam habuit laneam coloris albi, & eiusdem coloris pallium simplex, absque vlla vel pellium vel alterius panni subductione: non ignorans primos parentes nostros post ruinam, à Domino, cùm nudi essent, non vestibus pretiosis, vel multa arte tinctis, sed tunicis pelliceis indutos fuisse. Harum ergo vestium simplicitate contenta, cùm intrinsecus ferueret, nullum externum metuebat frigus, nec opus habebat igne, quo frigus hyemis depelleret: immò mirandum in modum cùm hyems asperior glaciali frigore aquas constringeret, vti feruebat intus spiritu, sic foris corpore, præsertim inter orandum, calebat, idque adeò, vt ex sudore eius aromatico nonnunquam etiam vestes redolerent. Et erat plerumque sanè odor vestimentorum eius, sicut odor thuris, cùm ex cordis thuribulo preces Domino offerret. Quid hic dicturæ estis vanæ & fastuosæ mulieres, quæ multa indumentorum varietate oneratis cadauera vestra, & vestibus longas caudas trahentibus, degeneres vos & belluinas declaratis, circumornatæ templorum instar? Vestra vestimenta comeduntur à tineis, & putent: sanctæ huius mulieris vestes in reliquijs habentur, & suauiter redolent. Sunt hæ nimirùm pretiosæ vestes quas licet admodùm tenues, nullum potuit penetrare frigus, atque ideò propter frigus sanctificatæ sunt: propter sanctificationem autem, post eius obitum ab hominibus pijs & diligenter asseruantur, & pietatis affectu, honore afficiuntur.

De eius vestibus & habitu corporis.

Et sordes & munditiam nimiam nõ fert in vestibus

Vtitur cilicio.

Gen 3.

Nota rem miram.

Sudor eius aromaticus

XII. SCIEBAT prudens mulier primis parentibus generis nostri post peccatum admissum, & in ijs omni posteritati eorum hanc Dominum irrogâsse mulctam, vt in sudore vultus sui vescerentur pane suo. Quamobrem manibus suis, quamdiù potuit, vt corpus per pœnitentiam affligeret, vt indigentibus necessaria, & sibi victum & vestes, quæ omnia Christi amore reliquerat, acquireret, laborauit. Tantam autem operandi virtutem ei Dominus contulerat, vt socias suas longo post se interuallo relinquens, & se & aliam ferè suo labore sustentare potuerit, diligenter attendens illud Apostolicum: Qui non laborat, non manducet. Ducebat autem omne laboris exercitium iucundissimum, cùm attenderet vnigenitum excelsi regis filium, qui aperit manum suam, & implet omne animal benedictione, laboribus sancti Ioseph & pauperculæ Virginis enutritum. Itaque in quiete & silentio, iuxta Apostoli consilium, manibus operando, panem suum manducabat. In silentio enim & spe erat fortitudo eius, atq; intantùm turbam & strepitum fugiebat, quietem & silentium diligebat, vt quodam tempore à festo S. Crucis vsque ad Pascha Domini, ne vnum quidem verbum locuta sit: quod quidem vsqueadeò gratum fuit Domino, vt ex Spiritûs sancti reuelatione didicerit, eo vel maximè se id impetrâsse, quòd citra Purgatorij pœnas migraret ad cœlos. Potest inde haud obscurè animaduerti, quàm sit graue loquacitatis vitium, cùm tam gratum sit Domino silentium. Vir linguosus, ait Propheta, non dirigetur in terra viuentium. Tandem autem talentum sibi creditum in dies solerti negociatione multiplicans, & semper de virtute in virtutem per scalam, quam vidit Iacob patriarcha, ascendens, cùm iam in excelso constituta, & tanquam in supremo gradu sita, omnia sub pedibus sensibilia reliquisset, adeò ab vbertate spititûs absorpta est eius portio sensitiua, vt iam non nisi cibum illum, qui non perit, Christo totam eam occupante, operari posset. Atq; ita ceu merita & ab omni manuario opere immunis, deinceps soli Domino vacauit: qua libertate Christus donauit ancillam suam.

De eius labore manuario.

2. Thess 3.

Psal. 144.

2. Thess 3.

Esa 30.

Silentium eius quantum Deo placuerit.

Psalm. 139.

Gen. 28.

XIII. INTERIOREM mentis eius constitutionem gestus exterior, corporis totius compositione declarabat, cordisque eius gaudium vultûs serenitas latere non sinebat. Miro autem moderamine cordis grauamẽ vultûs hilaritate tempe-

De compositione vultus & totius corporis.

temperabat, & mentis iucunditatem verecundæ faciei ſimplicitate nonnihil celabat: cumque velit Apoſtolus, vt mulieres velato capite orent, velamen candidum, quo caput tegebat, ad oculos eius ſubmiſſum erat, ſicq; demiſſo in terram vultu, tardo maturoque inceſſu humiliter ingrediebatur. Adeò autem de plenitudine cordis in faciem eius ſpiritûs ſancti gratia redundabat, vt multi ſolo eius adſpectu ſpiritaliter refecti, ad pietatem & lachrymas prouocarentur: atque in eius vultu, tanquam in codice vnctionem ſpiritûs ſancti legentes, virtutem ab eo proficiſci ſentirent. Quodam die Guido, eccleſiæ Cameracenſis quondam Cantor, vir humanus & hominum religioſorum ſtudioſus & amicus, vt eam poſſet inuiſere, à ſuſcepto itinere deflexit. Quidam autem ex ſocijs eius, qui fortaſſis necdum expertus erat, quantum hominibus pijs conferat congreſſus & familiaritas bonorum, eius pium laborem deridens, ait: Quid iſthuc rei eſt, Domine Cantor? Cur ab itinere fruſtrà diuertis? Viſne muſcas & papiliones inſtar puerorum perſequi & comprehendere? Ille verò, vt erat mitis & patiens, nihilo minùs in ſuo permanſit propoſito, Chriſtique ancillam, ex cuius præſentia non exiguam anteà conſolationem perceperat, religioſè inuiſit. Cùm autem cum illa miſceret ſermones, ſocius eius, vt ſolent homines mundo dediti, eos paruipendens, interim cum alijs de rebus varijs & infrugiferis colloquebatur. Sed cùm iam longa expectatio tædium illi adferret, venit ad Cantorem, moniturus vt finem faceret: & ecce dùm fortè in ancillæ Chriſti vultum oculos defigit, ſubitò mirabiliter mutatus animo, tantam profudit lachrymarum vim, vt etiam poſt longum temporis interuallum, ab eo loco & eius præſentia ægrè potuerit amoueri. Tum Cantor, licet ille præ verecundia latere vellet, animaduertens quid ei acciderat, exhilaratus animo, eumque viciſſim irridens: Eamus, inquit: quid hîc ſubſiſtimus? fortaſſis papiliones abigere vis. At ille, cùm poſt multa ſuſpiria & lachrymas vix inde auulſus eſſet, ita ait: Ignoſce mihi: neſciui enim antea, quid dicerem: at nunc in hac fœmina omnipotentis Dei virtutem experientia cognoui. Quodam tempore, cùm corpuſculum eius feruorem ſpiritûs diutiùs tolerare non poſſet, in magnam incidit ægritudinem, piuſque pater filiam, quam diligebat, adeò diſciplinæ flagello caſtigauit, vt membra corporis eius mirabiliter torquerentur. Nam velut in orbem brachia eius præ dolore agitabantur, pectuſque manibus tundere cogebatur. Paululùm autem ad tempus vi morbi ſe remittente, illa ad ſe reuerſa, tanto cum gaudio Domino gratias agebat, qui flagellat omnem filium, quem recipit, vt illud Apoſtoli in ea impletum cerneretur: Cùm infirmor, tunc potens ſum. Poſtquam autem tanquam in fornace hac infirmitate electam ſuam probauerat Dominus, excocta iam ad purum & prorſus expolita, tantas deinde à Domino in vigilijs, ieiunijs & laboribus perferendis accepit vires, vt etiam fortes homines tertiam laborum eius partem ægrè ſint toleraturi. At tamen accidit nonnunquam, vt ſi quis ex amicis eius aliqua moleſtia laboraret, vel tentationi ſuccumberet, tunc illa quoq; cum infirmo infirmaretur, & cum ſcandalizato vehementi dolore vreretur: & plerunque etiam eum, quem iam diximus, morbum in aliquo membro ſuo ſpeciatim ſentiret. Mox autem nouo quodam miraculi genere, accito ad ſe ſacerdote, illoque digito ſignum Crucis ad locum à morbo infeſtatum exprimente, tanquam ſanctæ Crucis vim reformidans morbus, ad locum alium ſe transferebat: rurſus autem edito Crucis ſigno, & ad ſingula loca repetito, vagus & profugus morbus ſanctæ Crucis pondus ferre ampliùs non ſuſtinens, tandem mirabili & inaudito venationis genere exagitatus, à corpore ancillæ Crucifixi penitus recedebat. Illa autem intuens oculis fidei in ſerpentem æneum, à ſerpentini morbi liberata morſibus, Deo & ſanctæ Cruci multiplices agebat gratias. Non ſolùm autem ex contemplatione vultûs eius multi deuotionis gratiam hauriebant, ſed etiam ex mutuo colloquio quibuſdam dulcedinem ſtillabat: idque adeò vt non modò ſpiritaliter in animo, ſed ſenſibiliter etiam ceu mellis quendam guſtum in ore percipierent. Sed hæc audient duri & tardi ad credendum, & murmurabunt: qui verò eiuſmodi diuinas conſolationes experti ſunt, facilè ſibi perſuaderi ſinunt, memores illius in Canticis canticorum: Fauus diſtillans labia tua ſponſa: mel & lac ſub lingua tua: Vnde cùm vir quidam eximius, licet ſuo ipſius iudicio exiguus, qui pro ſingulari modeſtia & humilitate atque inſigni charitate ex longinqua regione ad eam inuiſendam venerat, quandoque cum illa loqueretur, ex eius conſpectu tantam percepit conſolationem, ex ſermone verò tantam dulcedinem, vt toto illo die mellitum guſtum, quem in ore ſentiebat, nullus cibi corporei ſapor abolere poſſet. Eius autem ſancti viri nomen de induſtria ſubticemus, quòd ſuî prædicatione mirabiliter erubescat, & velut aurum in fornace, laudantium ore probetur. At inde tamen id conſecutus eſt, quòd priùs animarum conſolator ſerui ſui, ſua cauſa exilium patientis, vel maximè releuauit amaritudinem. Sed quæſo te, cur verecundia afficeris? Cur mihi iraſceris? Quis verò nomen expreſſit tuum? Num tu ſolus exulas? An non multi ante te fuêre exules? non multi Epiſcopi, multi Toloſani ante te fuêre, & poſt te eſſe poterunt? An verò propter tuam verecundiam ancillæ Chriſti laudes ego reticere debui? Quid iſthuc ad te attinet? Quid habes, quod non accepiſti? Non tua hæc, ſed Chriſti gloria eſt. Neque enim qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Non tua ſunt, ſed Domini, quæ dixi: quanquam & Dei ſunt dantis, & tua, humiliter ea accipientis, & ancillæ Chriſti, cuius meritis Dominus peregrinationis tuæ moleſtias releuauit. Sed iam primo huic libello finem imponamus, in quo de ijs, quæ ad exteriorem hominem pertinent, & ſenſibiliter extrinſecus exercentur, diximus: vt quaſi dimidij itineris confectis ſpatijs, priuſquam ad interiora & ſubtiliora tranſeamus pauliſper reſpiremus.

1. Cor. 11. Mira gratia in vultu eius.

Quidã ſolo adſpectu vultus eius mirè compungitur.

Heb 12. 2. Cor 12.

Magnas à Domino vires accepit

Vis S. Crucis.

Num 21.

Efficacia ſermonum eius.

Cant. 4.

Fulconem Toloſanũ Epiſcopum haud obſcure dicit.

1. Cor. 8.

I. IAM porrò, quanta fuerit filiæ regis gloria intrinſecus, qualique virtutum varietate circundata & ornata ſit à patre luminum, videamus. Multæ quidem filiæ in diebus noſtris congregauerunt diuitias: ſed hæc ſola, vt piè credimus, ſupergreſſa eſt vniuerſas: cui pater eius cæleſtis tunicam talarem polymitam, omnigenis virtutibus pictam, omniuarijs hortorum Domini floribus decoratam contexuit. Cùm ſit autem impoſſibile nobis, omnes ſplendidi firmamenti huius ſtellas, cunctos amœni prati huius flores, & vniuerſas virtutum eius varietates ſingulatim commemorare, ad ipſas cauſas originarias, è quibus ceu fontibus quibuſdam bona cuncta manârunt, putà ad ſeptem ſancti ſpiritûs dona nos vertemus. Impleuit enim eam Dominus ſpiritu ſapientiæ & intellectûs, ſpiritu conſilij & fortitudinis, ſpiritu ſcientiæ & pietatis, & ſpiritu timoris Domini. Spiritus ſapientiæ, delicijs ſpiritalibus affluentem & charitate feruentem: ſpiritus intellectûs, rerum cæleſtium contemplatricem: ſpiritus conſilij, prouidam: ſpiritus fortitudinis, patientem & longanimem: ſpiritus ſcientiæ, circumſpectam & moderatam ſiue diſcretam: ſpiritus pietatis, miſericordiæ viſceribus abundantem: ſpiritus timoris Domini, cautam & humilem regis filiam effecit.

Lib II. Vt ornata fuerit ſeptẽ donis Spiritus ſancti.

Eſa 11. Effectus donorum Spiritus ſancti.

II. DE ſpiritu timoris Domini primo loco agemus: qui non ſolùm principium eſt ſapientiæ, ſed etiam bonorum omnium cuſtos. Etſi aũt perfecta charitas timorem omnem, i.e. timoris pœnam & angores foras miſit & excluſit à filia regis; at nihilo minùs præamoris abundantia adeò erat ſolicita & religioſa ſiue timorata, tantamq; cautionẽ cunctis ſuis nedum operibus, ſed etiam verbis & cogitationibus adhibebat, vt nulla etiam exigua negligeret. Crebrò enim attendebat eam ſcripturæ ſententiam: Qui ſpernit modica, paulatim decidit. Verebatur omnia opera ſua, prouidens Dominum in conſpectu ſuo ſemper, atque in omnibus vijs ſuis cogitans illum, ne fortè in aliquo ei diſpliceret. Sciebat enim, etiamſi quis vitet grandia, poſſe tamen arena paulatim obrui. Multi capilli Abſoloni ab arbore pendenti exitium attulêre: & multa peccata venialia dum ex contemptu placent vel negliguntur, ad æternum interitum perducunt. Erat igitur ei timor caſtus in corde, tanquam faſcia pectoralis, quæ cogitationes conſtringeret: tanquam

De ſpiritu timoris Domini.

Pſal 110. Pro 1 & 9. Eccleſ. 19.

2. Reg 18. Periculoſũ

paruipendere minuta peccata.

quàm frenum in ore, quod linguam coërceret: in opere ceu stimulus, ne desidia torperet: denique velut norma & regula in omnibus, ne vnquam modum excederet. Timor hic instar scoparum purgabat cor & animum à duplicitate, os à falsitate, opera ab omni vanitate. Ita illa, tanquam hortus conclusus & fons signatus, nihil præter Christum & ea quæ ad Christum attinerent, facilè recipiebat. Christus erat meditatio eius in corde, sermo in ore, exemplum in opere. Nunquam ego verbum sæculare, siue quod mundum resiperet, ab eius ore audiuisse me memini: porrò vix periodum vnam inter loquendum absoluebat, quin Christum crebrò intermisceret. Vsque adeò timor Domini sanctus mentem eius occupârat, vt cùm esset apud Villenborc prope Niuellam, herbas duntaxat, quæ non seminantur, & alia sponte nascentia, non rarò colligi voluerit, vt inde sibi pulmentum coqueret: ne fortè captum à benestia, id est, eleemosynas, quas raptores & fœneratores domibus leprosorum conferre solent, manducaret. Abstinebat enim non solùm ab illicitis, sed à licitis etiam, ne laxa quadam nimiaque libertate aliquo modo ad illicita declineret. Ex eodem timoris spiritu tantum conceperat paupertatis amorem, vt etiam res necessarias vix retinere vellet. Quandoque fugere constituerat, vt inter extraneos ignota & contempta, ostiatim sibi victum emendicaret, sicque nuda nudum Christum sequeretur, relicto pallio omnium rerum temporalium cum Ioseph, hydria cum Samaritana, sindone cum Iohanne. Sæpè enim apud se considerans Christi paupertatem, vt ei nato non fuerit locus in diuersorio, vt non habuerit, vbi caput reclinaret, vt pecunia defuerit, vnde tributum solueret, vt denique ex eleemosynis victitare, & alienis hospitijs excipi voluerit: tanto aliquando paupertatis desiderio incensa fuit, vt assumpto sacculo, in quo eleemosynas reponeret, & paruo scypho, vnde aquam biberet, vel in quo etiam fortassis pulmentum, si mendicanti daretur, acciperet, vetustis induta pannis, adeò prorsus discedere voluerit, vt multis amicorum lachrymis ægrè tandem posset retineri. Cùm enim valedixisset suis, & in tali habitu cum sacculo & scypho Christi pauperculà iter vellet arripere, tantus dolor, tanta lachrymarum vis amicos eius, qui illam in Christo diligebant, obtinuit, vt ea, quippe visceribus charitatis affluens, id ferre nequiret. Coarctata ergo vtrinque, cùm flagraret desiderio fugiendi & mendicandi cum Christo, potiùs tamen eò inclinauit, vt maneret propter fratres & sorores, quibus eius absentia intolerabilis videbatur. Fecit igitur, quod potuit. Tantus autē deinceps paupertatis amor in ea perseuerauit, vt interdum mappam, de qua panem edebat, vel alia linteamina sciderit, partem sibi retinens, partem dans pauperibus. Væ vobis, qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsq; ad terminum loci: qui impleri non potestis pecunia, nec fructum ex illa capere: qui thesaurizatis vobis in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, vbi fures effodiunt & furantur: semper congregantes, & semper inopia tabescentes. Quid vnquam huic Christi pauperculæ defuit, quæ diuitias semper respuit, & tamen semper, quod alijs largiretur, habuit? semper paupertatis studiosa fuit, & tanto copiosiùs res necessarias ei Dominus suppeditauit. Nec tamen hoc spiritu timoris diuitias duntaxat contemsit, sed præ spiritûs paupertate adeò erat exigua in oculis suis, adeoque se deijciebat, vt non alio ferè, quàm nihili loco se haberet: & cùm omnia benè & rectè fecisset, non solùm ore fatebatur, sed etiam animo sentiebat, inutilem se esse: cunctisque inferiorem se existimans, nihil vnquam de se præsumebat, sed omnes se superiores arbitrabatur. Cumq; aliquid à Domino beneficij acciperet, aliorum meritis id adscribebat, nunquam suam quærens gloriam, sed omnia referens ad eum, à quo bona cuncta procedunt: imò ipsis Dei beneficijs indignam se putans. Nullum quantumuis abiectum aut peccatis obnoxium spernens, se solam despiciebat, atque ab aliis se despici, pro nihilo ducebat. Per infamiam & bonam famam, à dextris & à sinistris scuto veritatis circundata, cùm essent tenebræ eius, sicut & lumen eius, nec vituperijs deprimebatur, nec laudibus efferebatur. Præmulta autem humilitatis abundantia, quantum in ipsa erat, semper latere appetebat. Vnde cùm præ cordis iubilo & gratiæ plenitudine intra se occultare se non posset, quandoque ad vicina rura vel dumeta confugiebat, vt humanos vitans oculos, secretum suum Deo & sibi intra puræ conscientiæ arcam conseruaret. Interdum tamen, precibus amicorum compulsa, vel à Domino ad aliquem specialiter missa, siue etiam commiserationis affectu, vt pusillanimes consolaretur, incitata, ex multis, quæ sentiebat, pauca humiliter & verecundè referebat. O quoties dixit ad amicos: Quid de his ex me quæritis: Non sum ego digna talia sentire, qualia vos scisscitamini: nec rarò cum murmure quodam Domino respondit: Quid isthuc ad me attinet Domine? Mitte quem missurus es: non sum digna, vt eam, & consilia tua alijs nunciem. Nec tamen sancti spiritûs instinctui potuit resistere, quin, vt aliorum consuleret infirmitati, quædam nunciaret. Quot illa familiares suos ab impendentibus periculis præmonuit ac præmunit? Quoties occultos malignorum spirituum laqueos amicis suis detexit? Quoties pusillanimes & in fide vacillantes, diuinæ reuelationis miraculis confirmauit? Quid igitur, ô meticulosa, erubescis? Cur indigentibus tot bona, ô auara, subtrahis, præ nimia humilitate à proximorum ædificatione te subducens? Num tua causa, quæ Deo quasi inseparabiliter adhærebas, nec eiusmodi reuelationibus indigebas, tot & tanta tibi ostendit Deus: ac non pro illorum potiùs cōmodo & vtilitate, qui tibi credebant, & auxilio tuo habebant opus? Sed eheu quàm multa & magna intra silentium continuisti, quibus & firmi magis ac magis roborari, & pigri vrgeri, & indocti illuminari possent, imò ipse etiam Dominus in sanctis suis mirabilis declarari? Cur ita talentium abscondis? Cur Christum tuum non indicas mundo, qui tibi in nullo erit minor, si eum alijs communices? Aut non quandoq; à rege introducta in cellam vinariam, ita præ spiritûs ebrietate clamâsti? Cur te Domine abscondis: Cur te, qualis sis, non declaras? Profectò si mundus te cognosceret, decæterò non peccaret, sed quamprimùm curreret post te in odore vnguentorum tuorum. Sed benedictus Deus, qui tenacitatem tuam retudit liberalitate sua, & latebras tuas, velis nolis, in lucem produxit. Nam cùm feruentis spiritus æstuante musto, nisi spiraculum haberes, iam rumpite oporteret, & ignis ardorem absque spiramento ferre diutiùs non sustineres: tum demum à puero, quod dici solet, & ebrio extorquebatur veritas: tunc mira & inaudita de interiori plenitudine eructans, è libro vitæ, modò nos capaces fuissemus, multas & mirabiles prælectiones nobis fecisti, è discipula in magistram repentè mutata. Cùm autem, tanquam potens crapulatus à vino, post somnum expergefacta ad te redires, tum vel oblita, quid dixisses, silebas: aut si qua fortassis memoriæ redderentur, præ verecundia pudefacta, fatuam, loquacem & garrulam te censebas, admiransque quidnam passa esses, à Domino veniam precabaris.

Studiū paupertatis.

Genes. 30. Iohn 4. Marc. 14.

Esa. 5. In diuites auaros. Matth. 6.

Quàm nihil de se senserit.

Cupit latere semper, & nesciri.

Cogitur diuinitùs aperire aliis sibi à Deo reuelata.

Cant. 2. Cant. 1.

Quā prorsu floccipenderit vanam gloriam.

PERCONTANTIBVS nobis quandoque, num ex laudibus humanis, vel diuinis reuelationibus vana gloria vel leuiter titillari se sentiret, ita respondit: Comparatione veræ illius gloriæ, quam ego expeto, nihil prorsus est vel existimari potest omnis humana gloria & prædicatio. Erat illa sanè in Domino tanta veritate fundata, tanta grauitate solidata, adeò veris bonis plena, adeò spiritualibus epulis saginata & exuberans, vt omnem humanam gloriam, omnem humanæ laudationis vanitatem, præ bonorum æternorum dulcedine, non solùm non admitteret, sed etiam cum quadam animi abominatione respueret ac fastidiret: perindè atque varijs deliciarum ferculis exatiatus, si ei insulsum & insipidum aliquid offeratur, auersari solet. Sicut autem non potest illi Christus dulcescere, cui adhuc dulcis est mundus: ita Christi dulcedo totam eius mentem adeò occupauerat, vt nihil illi saperet extra Christum.

De spiritu pietatis. 1. Tim 4.

PORRÒ autem non solùm ab omni specie mala cauebat sibi spiritu timoris, sed etiam pietatis spiritu ad bona III.
omnia prona & propensa erat. Exercitationem corporis pro paruo ducebat comparatione pietatis, quæ iuxta Apostolum, ad omnia valet, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ. In lampade cordis sui ignem charitatis oleo mi-

oleo misericordiæ iugiter fouebat, ne fortè cum fatuis virginibus absque oleo deprehensa, à nuptijs æternæ iucunditatis repulsa excluderetur. Satagebat itaque pro viribus cuncta misericordiæ opera ex abundanti cordis pietate foris exercere: & vel maximè adesse & opitulari ægrotis, & defunctorum sepulturæ interesse: vbi sanè multa ei arcana cælestia sæpissimè à Domino reuelata sunt. Cùm soror fratrum de Oegnies supremum traheret spiritum, illa intra cellulam suam persensit multitudinem frementium & rugientium dæmonum ad eius ægrotæ lectulum adesse, cùm iam pro ea fieret commendatio, putabant enim iam defunctam. Tum illa solitæ grauitatis & innatæ verecundiæ quasi oblita, ad lectulum illius accurrit, tetrisque illis spiritibus se opponens, non solùm precibus eos oppugnabat, sed etiam pallio tanquam muscas abigebat. Cùm autem scelesti illi terribiliter resisterent, sororisque animam, vt suam, sibi vendicare vellent: tum illa amplius non ferens, clamabat ad Christum suum, eiusq; crucifixi sanguinem & mortem continenter implorabat: cumq; rugientes illi præparati ad escam, multis calumnijs animam illam exagitarent, illa tandem à spiritu sancto fiduciam concipiens, (vbi enim spiritus Domini, ibi libertas) in hæc verba prorupit: Domine, ego pro hac anima fideiubeo. Nã tametsi peccauit, at confessa est peccata sua. Quòd si fortassis negligentia aut ignorantia quippiam in ea hæsit, licet loqui non possit, manet tamen adhuc illi tua benignitate contritionis spatium. Fratres interim voces tantùm & gestus eius aduersus dæmones percipiebant, & Domino pro anima sororis suæ deuotas preces fundebant. Tandem victis & pudore affectis dæmonibus, sanctisque angelis aduentantibus, illa Deo laudes grateque agens, ad se reuersa, quieuit: receptoque pallio suo, quod in illo conflictu abiecerat, ad cellulam suam cum verecundia recurrens, clauso ostio, delitescebat. Non diù pòst, cùm in ferijs Apostolorum Petri & Pauli pro eadem anima deuotè supplicaret, & de eius statu, quippe pro qua fideiussisset, solicita esset, beatissimus Petrus Apostolus ostendit ei animam illam diris Purgatorij pœnis affectam, simulque & pœnas ipsas, & pœnarum causas ei indicauit. Magno cruciabatur ardore, quòd mundum & sæculi voluptates nimis ardenter amâsset. Interdum etiam acerrimo affligebatur frigore, quòd pigra & deses fuisset ad bona agenda, tum vel maximè, quòd liberos & familiam suam admodùm negligenter correxisset. Siti etiam miserandum in modum torquebatur, quòd plùs satis fuisset potationi dedita. Nuditate quoque, quod vestes superfluas habuisset, valdè affligebatur. At pia Christi ancilla, vt visceribus pietatis tota affluebat, erga illos præsertim, qui in purgatorio torquebantur, non fuit contenta precibus suis, sed multa illi etiam ab alijs precum & sacrificiorum suffragia conciliauit.

Matt 25. Valde studiosa est operum misericordiæ.

2 Cor. 3. Vide insignẽ charitatem.

Pœnæ cuiusdam animæ in Purgatorijs locis.

Religiosa quædam vidua, quæ in sancta viduitate diu seruierat Domino, & filias suas in sancta virginitate sponso cœlesti integras seruabat, in Villenbroc prope Niuellam in extremis laborabat. Vidit autem hæc nostra Maria beatam Virginem sanctæ viduæ assistentem, & quasi flabello quodam caloris æstum, quo torquebatur, humanissimè temperantem. Cùm autẽ anima illius iam esset egressura è corpore, turba dæmonum insidiantium nulli orationum instantiæ cedere voluit, donec clauiger æthereus Crucifixi vexillo eos turpiter pudefactos profligaret. Postquam autem defuncta est, vidit Christi ancilla beatam Virginem cum multitudine cælestium puellarum psallentium & Deum laudantium, & velut in duos choros distributarum, circa eius corpus versari: cumque sacerdos pro more exequias celebraret, summus sacerdos Christus cum sanctorum frequentia officium, vt videbatur, etiam complebat, & mirandum in modum Ecclesia triumphans militanti respondebat. Post humatum corpus eius, vidit Christi famula animam eius, quòd in hoc sæculo ad purum purgata non fuisset in Purgatorijs locis pœnas luere. Habuerat enim maritum mercatorem, qui nonnulla, vt solent mercatores, mala fide acquisierat: quosdam etiam ex familia Ducis Louanienſis hospitio acceperat, qui multa de rebus malè partis in eius ædibus expenderant, quæ cùm nec dum essent restituta, aiebat se eorum causa in Purgatorio retineri. Id verò vbi resciuit filia eius virgo Deo deuota, Margareta de Villenbroc, & sorores eius, multas pro ea preces fieri curârunt, & pro viribus restituerunt malè possessa. Nec diù post anima illius viduę vitro purior, niue candidior, sole splendidior, apparuit ancillæ Christi, ad æternas epulas gaudens & gratulabunda proficiscens, & quasi librum vitæ vt videbatur, tenens manu, & in illo, summi magistri facta discipula, lectitans.

Visio huius Mariæ.

Peccatum non dimittitur, nisi ablatum restituatur.

Sanctvs quidam & beatus senex, qui à puero in innocentia & virginitate perseuerauerat, iam morti propinquabat. (dicebatur is Iohannes Duniacensis, cognomine Hortulanus, cunctaq; pro Christi amore reliquerat, & tum exemplis, tum sanctis, adhortationibus suis multas Domino animas lucratus fuerat.) Aderat illi ægrotanti Christi famula, viditq; frequentes angelos seni hilariter assistere, simulq; sensit odores gratissimos. Itaq; præ gaudij immensitate capere & continere se non potuit. valdè enim amabat virum, & ceu patris loco eum habebat. Reuelatum autem ei est à spiritu sancto, senem illum, qui in vita sua tantam egisset pœnitentiam, tot opprobria & persecutiones Christi causa æquo animo tolerâsset, tam iustè & religiosè vixisset, tot Christo animas lucrifecisset, citra vllam Purgatorij molestiam libere ad Dominum euolare. Itaq; quoties sepulchrum eius, quod est apud Oegnies, præteriret, semper humiliter inclinabat caput. Posteà verò, cùm extrema laboraret ægritudine, anima sancti senis huius cum alio amico eius defuncto, fratre Richardo de Menesar Capella, causa visitationis & consolationis specialiter ad eam missa est à Domino. Erat Christi ancilla multa commiseratione prædita & erga ægrotos pijssima, adeò vt apud illos etiam interdum noctes duceret insomnes. Mater fratrum Oegniacensium grauissimo eoque diuturno laborabat morbo. Ei nonnunquam aderat Christi famula, vt eam consolaretur: sed cùm esset iam propè centenaria anus illa, & tenderet ad extrema, eius anhelitus admodùm fœtebat, ita vt nocte quadam ei assistens sancta mulier, sine magno cordis dolore vix ferre illum posset. At nihilò minùs hærebat apud illam, & quasi per vim à seipsa extorquebat, vt illic permaneret. Sed cùm iam amplius ferre non posset ac propè deficeret, respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ, & in os eius immisit gustum quendam vini aromatici & in eo gustu odorem suauissimum tanquam accensi thuris, isque fere triduo mansit illi, ita vt nullius cibi sapor eum gustum aromaticum ab ea posset excludere. Multis verò ægrotis ex eius præsentia consolationem & patientiam præstitit Deus, sæpè etiam corporis sanitatem eius meritis restituit. oblati sunt ei quandoque pueri rupti, & illa manus eis imponens, sanos à se dimisit. Puer quidam propè Oegnies periculosè laborabat, ab eius auricula sanguine è capite perpetuò manante. Nihil arte vlla medicorum curari potuit, tandem medicina precum ancillæ Christi & admotione manus eius integerrimè restitutus est, eumque mater eius ad ecclesiam attulit, & Deo ancillæq; eius gratias egit. Quædam mulier ad tactum eius à gutturis apostemate sine anginæ morbo, quo periculosissimè laborabat, se sensit libertatem: itidem & clericus quidam apud Oegnies, eodem affectus incommodo. Audiui ego ex sacerdote Niuellensi, Guerrico nomine, ipsum aduersa valetudine, vsque medicorum omnium desperationem, laborantem, cum iam nemo esset, qui ei auderet sanitatem promittere, veniſse ad Christi ancillam, multisque precibus ab ea obtinuisse vt ipsi manum imponeret: porrò eadem nocte visum ipsi esse in somnis, beatissimam Virginem Mariam venire ad eum, illaq; recedente, ipsum reualuisse. Alius sacerdos, vir pius & humilis, eiusque spiritalis pater Guido Niuellanus tumorem gutturis patiebatur: quem vbi sua manu Christi ancilla tetigit, curatus est. Alius quidam, cuius vitam omnes desperauerant, quique medicis multis frustrà adhibitis, iam nihil nisi mortem expectabat, contactu capillorum eius sanatus est. Sed quid ego in paruis commemorandis hæreo, cùm multa & magna & admiranda supersint? Etsi enim pium est morbis corporum mederi, longè tamen præstantius est animabus adferre sanitatem. Nullum enim sacrificium tam placet Deo, quàm

Ioannis Duniacensis viri sanctissimi obitus.

Mariæ huius erga ægrotos humanitas.

Curat pueros ruptos manus impositione.

Item fœminam morbidam.

Item alios quosdam.

zelus

Mirè cruciatur periculis animarum.

zelus animarum. Semper illa læta, semper hilaris, semper cordis iubilo perfusa erat, nisi cum doloris nubem quandam periculum vel ruina animarum eius animo adferret. In hoc solo, vt pace eius loquar, modum non habuit. Lugebat anxia, mœrebat desolata, cibum non capiebat, somnum ab oculis repellebat, & plerumque clamabat instar parturientis. Quanto, putas, dolore fauciata est, cùm rugientes & frementes dæmones cateruatim incurrerent in

Leodij vastatio.

congregationem illam sanctarum virginum, Deo religiosè seruientium in pago, quem Manni vocant? & cùm tandem voti compotes impij & inuidi illi præ gaudio tripudiarent, cùm sanctæ fœminæ inde expellerentur? Certè clamans illa & eiulans, præ dolore seipsam ferre vix potuit. Vidit quandoque maximum damnatorum spirituum exercitum, qui veluti à prælio adhuc cruenti, cum superbo & fastuoso strepitu à vastato Leodio reuertentes multo atrociora elato vultu minarentur. Paulò post venerunt nuncij in Oegnies, qui Leodium euersum, ecclesias prophanatas, mulieres vi oppressas, ciues iugulatos, res omnes totius vrbis ab hostibus direptas referrẽt. Erat tum fortè apud

Iohannes Niuellanus vir integerrimus.

Oegines vir sanctus, inculpatis moribus, & bona etiam apud improbos existimatione, totius Leodiensis diœcesis lumen, doctor & pater spiritalis, magister Iohannes Niuellanus. Is vbi infaustos hos percepit rumores, mente consternatus, incredibili dolore affectus est, veritus pro paterna solicitudine, ne fortè sanctæ virgines, quas ille suis concionibus & exemplo Domino lucratus erat, vi oppressæ essent, quemadmodùm falsò quidam sparserant. Non multùm doluit direptione rerum temporalium, quas semper luti instar habuit: sed ecclesiarum probationem & animarum perditionem vir sanctus, cunctis virtutibus egregiè & insigniter ornatus, acerbissimè deplorabat: lugebat pater filios, patronos ecclesias, amicus sponsi virgines, quas castissimo sponso castas exhibere cupiebat. At verò Christi ancilla, ijsdem auditis rumoribus, non admodùm turbata est, ita vt mirarentur, qui non erant nescij, quantoperè amaret pudicas virgines, Leodij Christo deuotè famulãtes. Sed præuenerat & præmunierat eã Dominus, quippe qui non ignoraret, quàm atrocem eius animo dolorem allaturi essent rumores eiusmodi ni præmuniretur. Cumque fratres Oegniacenses, vt solent Clerici, non mediocriter sibi timerent, quòd fama sparserat hostes eò venturos, illa interim nihil perturbatur, nihil formidabat, sanctis Angelis eam consolantibus, & in terra pacem hominibus bonæ voluntatis nunciantibus. Porrò quòd ad domum Oegniacensem attinet, multa pace & tranquillitate fruebatur, in spiritu certior effecta & de pace suorum, & de sanctarum, quas diximus, virginum minimè, corrumpenda integritate. Attamen videbatur ipsi terra tremere & quasi conqueri, quòd ijs hominibus alimenta suppeditaret, qui in creatorem suum tam immani scelere incurrerent. Miles quidam eius regionis, vnde ipsa traxerat originem, genere nobilis, militia strenuus, & sæculi vanitatibus deditus, inanis scilicet & vanus, diuinitus permotus &

Dæmon furibundus apparet Mariæ.

sanctæ mulieris admonitionibus & precibus adiutus, relicto mundo, ad Dominum conuersus est. Tum verò dæmon effrenis & mirabiliter pudefactus, apparuit ancillæ Christi furibundus, & minaci vultu, instar canis prægrandis sæuiens in eam, & dicens: O te proteruam, & nobis inimicam atque aduersam, quæ ingens damnum nuper dedisti mihi, quando vnum è præcipuis ministris meis abstulisti. Iam aliquandiù milite illo in bono proposito perseuerante, accidit vt quodam die ederet apud hospitem & creditorem suum, ciuem Niuellanum opulentum: cuius in ædibus, cùm esset sæcularis, sæpe admodùm dissolutè vixerat, & vt soleat milites, res suas prodigè dilapidârat. Nec ita facilè ab eius familiaritate subducere se poterat, quòd etiamnum illi esset oberatus. Cùm autem hospes ille multa ei delicata fercula apponeret, & epularentur splendidè, animaduertens impurus satan tempus sibi ad tentandum

En quantũ nocet, non vitare peccandi occasiones.

hominem oportunum adesse, extruxit aggerem, vt caperet ciuitatem munitam. Reduxit itaque illi in memoriam qua fuisset gloria præditus in hoc mundo: pepones quoque & allia Ægypti & ollas carnium, versipellis ille ob oculos reuocauit. Illo verò iam animo vacillante, quippe quem instar tritici cribraret satan, clementissimus hominum amator, qui neminem patitur tentari supra vires, qui linum fumigans non extinguit, & calamum quassatum non conterit, ancillæ suæ in spiritu indicauit, quemadmodùm miles ille dum non vitat sæcularium hominum consortia, animo imbecillo fluctuet. Itaque illo mente vagã, multa secum ad mensam agitante, ecce nuncius ancillæ Christi adest, clàm ad ostium domûs exspectans, & vbi eum compellandi data fuit opportunitas, vt ad dominam suam quamprimùm veniat, ei denuncians. Cùm ergo veniisset ille ad locum, vbi Christi margarita extra Niuellam degebat, inuenit eam præ mœrore & cordis anxietate quasi languidam, & pedes Crucifixi, quos complexa erat lachrymarum imbre rigantem. Admirans itaque, & præ verecundia animo consternatus, cur ita lugeret, scisciatur. At illa: meritò, inquit, lugeo & doleo causa tua: miseria tua perturbat animum meum. Spiritu

Genes. 19.

cœpisti, & iam carne vis miserabiliter consummari & perire, quando missa manu ad aratrum, retrò cum vxore Lot respicis, ingratus planè & immemor beneficij, & immensæ misericordiæ illius, qui te ex mundi conflagrantis incendio, tam multis alijs pereuntibus, extraxit. Tum ille ad se reuersus, & tantæ reuelationis miraculo salubriter compunctus: Ignosce mihi, inquit, pia mater, & ora pro me misero: en ego Deo & tibi polliceor, me deinceps in

Filij sæculi huius irridentꝫ & exagitãt Christo seruire cupientem.

eius, qui me per te reuocauit, seruitio constantes permansurum. Cùm autem mundus eum quadam ex parte detineret, multisq; etiamnum sæcularibus implicatum negocijs, crebrò ad potentium aulas ire compelleret, socij quondam eius, itemque cognati & familiares, velut mortuum eum deplorantes, imò ceu in monstrum quoddam digitos in eum intendentes, partim eum irridebant, partim blanditijs emollire, partim iniurijs & contumelijs exacerbare & frangere nitebantur. Quidam etiam satanæ satellites virum nobilem & eiusmodi iniurijs non assuetum, per cucullum vel capitium trahebant: quibus omnibus ille admirandæ patientiæ scutum opponebat, licet nonnunquam humano more nonnihil erubesceret. Cùm autem domum rediret, instar ouis è luporum rictibus elapsæ post tantas tempestates ad spiritalis matris consolationem recurrebat. Ea verò miro quodam modo diuinitùs edocta, & conuicia atque opprobria, quæ pertulerat, & horam, in qua nonnihil perturbatus fuerat, prophetico spiritu referebat. Heri, inquit, hac hora indigebas auxilio, & ego pijssimo Saluatori pro te preces obtuli, vt tibi præstaret imitatione sui prospera mundi despicere, & nulla eius aduersa formidare. Quo miraculo & ancillæ Christi consolatione adeò confirmabatur, vt domum eius, super firmam petram fundatam, nec venti, nec flumina possent impellere in ruinam. Nec rarò sanè impellebatur vt caderet, sed Dominus ancillæ suæ meritis permotus, manum, ne laberetur, supponebat. Vidit quandoque Christi famula apud Villenbroc dæmones callidis machinationibus tendere clàm laqueos,

Psal. 10. Marc 9. Vide efficaciam precũ & ieiunio rum Mariæ huius.

vt quosdam ex ipsius amicis caperent, quorum ruina ingens posset scandalum afferre. Sed cùm iam intendissent arcum, vt sagittarent in obscuro rectos corde, illa non contenta lachrymis & precibus, suscipiebat ieiunium, sciens eiusmodi genus dæmoniorum non facilè eijci, nisi oratione & ieiunio. Itaque cùm diebus quadraginta humiliasset in ieiunio animam suam, Dominus misertus ancillæ suæ, nec eius afflictionem diutiùs ferre volens, ostendebat illi, quemadmodùm ipsius amicum liberâsset, simul indicans, in quam horrendam peccati foueam ille corruisset, ni ieiunijs & precibus eius satan oppressus esset. Væ nobis, qui in hac miseria tantum amisimus solatium, tantum in afflictionibus & tentationibus præsidium nisi compenset nobis in cœlo, quod perdidimus in hoc exilio. Etsi autem aduersum varios & multiplices animorum languores & morbos precum eius instantia efficax esset medicina, at tamen contra blasphemiæ & desperationis spiritum singulari quadam gratia eminebat: & vt inter alios omnes spiritus

Monachi cuiusdam periculosa tentatio.

ille nequissimus est ad infestandum, ita illa fuit potentissima ad opitulandum. Monachus quidam Cistertiensis instituti, immoderato quodam innocentiæ & puritatis zelo impulsus, præ spiritus feruore ad statum primi parentis Adæ pertin-

pertingere nitebatur. Suscepit ea causa laboris plurimum, affligebat se inedia, vigilijs & precibus: sed cùm hæc omnia frustrà essent, nec posset ad illam innocentiam peruenire, primò incidit in tædium & acediam. Volebat ille cibum ita sumere, vt nullam inter edendum sentiret delectationem. Primos sensitiuæ portionis siue sensualitatis motus conabatur non solùm reprimere, sed etiam extinguere penitus. Contendebat absque vllo veniali peccato vitam in perfecta puritate transigere. Erat ea tentatio dæmonij meridiani, ad impossibilia eum instigantis. Laborabat sanè permultùm, sed nullo labore potuit eò, quò intendebat, pertingere. Itaq; præ mœrore tandem in desperationis foueam prolapsus est, cùm persuasum haberet, se in eo corruptionis statu, in quo esset, salutem nulla posse ratione adipisci. Veniales enim culpas, quas in hac vita omnes vitare non possumus, ille mortiferorum criminum loco habebat: nec volebat propterea sumere corpus Christi etiam illis diebus, quibus id monasticus Canon vult percipi. En ad quam calamitatem, quàm horrendam & miserabilem ruinam sub specie boni, hostis ille teterrimus simplicem hominem perduxit, ita vt infirmus respueret medicinam, & iugum obedientiæ à se repelleret, qui propriæ voluntati semel nuncium remiserat. Et vt hic aliquid ex fabulis non tamen fabulosè, & vana non vanè & fallaciter referamus, monachus hic, qui ad primi hominis innocentiam & puritatem peruenire nitebatur, cui similis putandus est, nisi ranæ illi, quæ cùm videret bouem magno robore & grandi corpore, volebat etiam ipsa illas vires & corporis molem adipisci. Itaque intendit se totam, & quoad potuit, inflauit: sed frustrà. nec enim si vel rumperet sese, vnquam posset ad bouis quantitatem pertingere. Sic frater iste, dum voluit excedere limites virium suarum & supra se efferre, infra se per desperationem miserè collapsus est. Eius autem animi morbum pius quidam & bonorum omnium fautor Abbas vbi cognouit, cum alijs multis Dominum pro illo deprecabatur: sed præualuit inimicus, & quem laqueo forti constrinxerat, eum sine intermissione vexabat. Tandem Abbas ille, quòd non solùm ancillæ Christi esset amicus, sed etiam virtutem eius, quippe quam in seipso expertus erat, non ignoraret, monachum illum ad eam curauit adduci. Et ecce orante illa pro monacho cum lachrymis & suspirijs, cùm ille ante Missæ Introitum, Confiteor, diceret, & illa instantiùs pro eo oraret, quasi atri quidam lapilli ad singula confessionis verba ex ore monachi decidere videbantur. Tum illa animaduertens in hac visione, obstinationem desperationis & tristitiæ nigredinem à monacho recessisse, Domino gratias egit, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Monachus verò peracto sacrificio tanquam è longinqua regione ad se reuersus, Christi corpus accepit, & ea salutari percepta medicina, perfecte curatus est.

Sub specie boni mittere fallitur ille.

Precibus suis Christi ancilla cum liberat.

Exech. 18.

IV. QVONIAM autem in vitandis malis per spiritum timoris, & faciendis bonis per spiritum pietatis, necessaria est cautela & circumspectio moderationis siue discretionis, pater luminum, cuius vnctio docet nos de omnibus, spiritu scientiæ filiam suam illustrauit, vt sciret, quid quemadmodùm vel fugiendum esset, vel agendum, vt sic omne sacrificium suum sale condiret. Mala enim sunt vicina bonis, & plerunque dum volumus vnum aliquod vitare vitium, labimur in contrarium: vt cùm quis cauet, ne sit prodigus, incidit in auaritiam: & volens vitare pompas vestium, è sordido indumento gloriam venatur. Vitia enim non rarò virtutum speciem mentiuntur: sed ita pernicioſiùs homini imponunt, cùm sibi sumunt habitum virtutum. Sic sub iustitiæ prætextu crudelitas exercetur: remissa segnities, humanitas & mansuetudo creditur: plerunque neglectus corporis id agit, quod putatur esse indulgentiæ. At Christi ancilla neque ad dexteram neque ad sinistram declinans, mediam eamq; beatam vitam atque viam miro sectabatur moderamine. Reddebat Deo, quod erat Dei, & cum proximis, quantum in ipsa erat, pacem colebat: nec cum pacificis duntaxat, sed cum illis etiam, qui oderunt pacem, erat pacifica, prudenter inter homines prauæ nationis conuersans, omnibusque omnia facta, vt omnes Domino lucrifaceret. Duo secundùm carnem fratres eius & quidam alij, licet mundo dediti, diuina inspiratione & eius prudenti adhortatione permoti, relictis omnibus, Cistertiense institutum complexi sunt. Nonnunquam suauiùs Domino, tanquam quæ vnus cum illo spiritus effecta esset, amoris glutino inhærenti nos significabamus, quosdam è longinquis regionibus adueniſſe, qui eam videre cuperent, & abire festinarent. Nam tametsi adiurâsset nos Dominus per capreas ceruosque camporum, ne suscitaremus neque euigilare faceremus dilectam, donec ipsa vellet: quando tamen id nunquam illa volebat, sed semper optabat cum Domino cubare in meridie, cum fiducia quadam illam compellantes, vix excitare potuimus. Vbi verò didicit exteros adesse, ne cui fortè esset offendiculo, à suaui illa contemplationis quiete & iucunditate, & à castissimis sponsi immortalis amplexibus, sibiipsi vim adhibens, tanto cum dolore sese abstrahebat, vt interdum, quasi ruptis visceribus, purum eumque benè multum vomeret sanguinem vel expueret: malens hoc affligi cruciatu, quàm fratrum, præsertim peregrè venientium, perturbare pacem. At nonnunquam tamen, ex diuina sancti spiritus releuatione quosdam, licet adhuc procùl positos, aduentare sciens, in propinqua rura vel nemora se abdebat, ita vt vix toto die possemus reperire latitantem. Interdum propter quorundam indigentium vtilitatem, non nisi spiritu sancto eam incitante, cogebatur somnum suum abrumpere, dicebat illi spiritus: Quidam te non curiositate, sed necessitate adactus expectat. Quamuis autem non solùm erga proximos bonos, sed etiam improbos mira moderatione siue discretione pacem conseruaret: at tamen erga se vnam visa est nobis nonnunquam immoderata & indiscreta, nimiùm sese abijciens, & vltra modum affligens. At nihilominùs eò magis erga se discreta fuit, quòd nihil de se attentare ausa esset, nisi familiariter docta à spiritu sancto. Neque enim vel diem vnum sine vlla sibi perceptione transigere ausa fuisset, nisi portione sensitiua absorpta, se supra se raptam pro comperto habuisset. At tamen interdum, vt aliorum paci consuleret, etiam sic affecta, quippiam sumere tentabat, sed nihil omninò potuit, imò præ dolore propemodùm defecit. Vnde eam posteà libertatis prærogatiuam obtinuit, vt nemo iam illi dicere auderet, Cur ita facis? cumque rationem humanam vita eius excederet, quodam speciali priuilegio Deo sibique relicta, omnia ipsa iudicabat, sed à nemine iudicabatur. Sæpè enim spiritus sanctus rationem eiusmodi in agendis & omittendis ei declarauit, quam nos sensu humano attingere non possemus. Ita cùm aliquando ter hebdomadibus singulis cibum caperet, sexta feria edebat, die Dominico ab omni cibo prorsus abstinebat, itemque feria quinta: cumque nobis rationi magis consentaneum videretur, vt sexta feria, quæ est pœnitentiæ, imò mortis Dominicæ dies, nihil penitus ederet, quintaque feria & die Dominico cibum caperet, illa mihi respondit: Nonnunquam ad sensibilia non sine labore descendo, gaudio contemplationis intetrupto, cibum accipiens. Quinta autem feria, quæ est dies spiritûs sancti, & die Dominico propter gaudium resurrectionis spiritali refectione contenta, æternisque epulis satiata, totum diem festiuum ago, dum nulla corporeæ refectionis causa cogor me ad inferiora demittere. Quibus auditis, ego silui, & rationem meam pro nihilo ducens, humiliatus sum in oculis meis: sapientia autem iustificata est à filijs suis. Non solebat illa quidem peccatores cum indignatione abijcere, immò verò præ commiseratione, prudenti adhortatione non rarò complures à via perditionis retraxit: at tamen spiritus eius hominum peccata valdè abominabatur, malorumque conuictum & familiaritatem, nunquam de se temerè præfidens, euitabat. Corrumpunt enim mores bonos colloquia mala: & Dominus præcepit discipulis, vt ingressi in ciuitatem, quærerent quis ibi dignus esset, cuius hospitio honestiùs & tutiùs verterentur. Accidit aliquando, vt cùm apud Oegnies moraretur, causa inuisendi quosdam ipsi familiares amicos, iret in Villenbroc, redienſque per mediam Niuellam, transiret, ibiq; recordaretur peccatorum & immanium facinorum,

De spiritu scientiæ.

1. Iohan 2.

Leuit. 3.

Vitia induunt virtutis speciem.

Cant. 2.

Cum summa diffusitate ab interioribus ad externa se conuertit Maria hæc.

1. Cor. 2.

Vita eius in pleriſque humanam excessit rationem.

Menander.

1. Cor. 15.

Matth. 10.

Mirus in ea horror peccati.

norum, quæ illic crebrò perpetrare solent homines sæculares. Inde verò tantam animo indignationem & horrorem concepit, vt præ dolore clamare inciperet, petitoque cultello ab ancilla sua, cùm extra oppidum esset, vellet pellem è pedibus resecare, quòd per ea loca iuisset, in quibus cæci & miseri homines creatorem suum tot iniurijs afficerent, tot flagitijs exacerbarent: cumque non solùm animo, sed, quod admiratione dignum est, etiam pedibus ea causa doleret, vix tandem, cùm sæpiùs pedes ad terram allisisset, quiete potuit perfrui. Diuinis scripturis prudens & discreta fœmina satis instructa fuit. Sæpè enim sacris intererat concionibus, verba sacrarum literarum conseruans & conferens in corde suo, & diuina mandata sagaciter in suo condens pectore: & quia intellectus bonus omnibus facientibus eum, quod deuotè audiebat, maiori deuotione in opus conferre nitebatur: vnde cùm in extrema ægrotatione sua morti propinqua, iam penè deficeret, & quidam in ecclesia ad populum concionaretur, spiritu eius ad verbum Dei reuiuiscente, aures repugnante morte arrigebat, animum aduertebat, quædam etiam concionis verba circumstantibus referebat. Adeò verò concionatores & fideles animarum pastores diligebat, vt pedes eorum, absoluta concione, miro affectu constringens, etiam illis inuitis aliquandiù osculari cogeretur, &, si illi id recusarent, pedesq; retraherent, præ angustia clamaret. Multis autem lachrymis & suspirijs, multis precibus & ieiunijs instantissimè à Domino postulando obtinuit, vt meritum & officium concionandi, quod ipsa per se exequi non posset, in alio Dominus ipsi compensaret, & magni beneficij loco, quendam concionatorem præberet. Quo accepto licet per eum Dominus, tanquam per instrumentum, verba prædicationis ederet, at sanctæ mulieris precibus & meritis cor eius præparabat, vires corpori in labore suggerebat, ministrabat verbum, gressus dirigebat, gratiam & fructum in auditoribus excitabat. Pro illo enim quotidiè cùm esset concionando occupatus, Domino & beatissimæ Virgini preces offerens, cẽties Angelicam salutationem dicebat: quemadmodùm Hilario prędicante, Martinus orâsse legitur. Porrò illum ipsum concionatorem suum, quem moriens, præsentia corporali dereliquit, Domino deuotissimè commendauit. Cùm enim dilexisset suos, in finem dilexit eos. Quodam die in viridario apud Villenbroc aptiparuit ei diabolus sub specie pastoris. Nam per id tempus sceleſtus ille multos congregauerat milites, qui die crastino hastis inter se congressuri erant apud pagum Trasigesium: ea autem nocte mansuri Niuellæ. Cumque execrabilis ille & superbus dæmon pastorem se iactaret, Christi ancilla ait: Non es pastor: sed magistri nostri, qui prædicant verbum Dei, & fideliter pascunt animas nostras, veri pastores sunt. Contrà verò nequam ille tumidus satan. Ego, inquit, plures habeo greges, mihique magis obtemperantes, quàm magistri illi. Et ego cognosco illos, & illi me, & vocem meam audiunt, & pro voto mihi obsequuntur. Tum illa ampliùs non ferens, quòd lupus ille nomen sibi pastoris vendicaret, qui hœdos suos per pascua vanitatis ducit ad pascua damnationis, vbi mors miserabiliter depascet eos: sed gemens & miserorum vicem dolens, relicto dæmone, ad ecclesiam confugit: & multo posteà tempore, quoties teterrimi illius pastoris recordabatur, non potuit à lachrymis abstinere. Quanquam autem vnctione sancti spiritûs & diuinis reuelationibus intus doceretur, at tamen diuinæ scripturæ testimonia, quę cum ipsius spiritu planè cõcordabant, libenter exterius audiebat. Nãq; & Dominus tametsi potuisset discipulos interna illuminatione absq; voce instituere & docere: at nihilo minùs etiam externum vocis ministerium adhibens, scripturas illis exponebat: ijsdemque dicebat: Iam vos mundi estis propter sermonem, quem loquutus sum vobis. Itaque ancilla Christi de die in diem scripturæ diuinæ sermonibus ampliùs lauabatur ad munditiam, ædificabatur ad morum ornatum, illuminabatur ad fidem, si tamen fides in ea propriè dici potuit, quæ Domino reuelante inuisibilia quasi visibiliter fide oculata percipiebat. Cùm enim esset aliquando in pago Nitrensi prope Niuellam, & ipsa præsente puer quidam ad ostium ecclesiæ catechizaretur, vidit impurum dæmonem à paruulo illo cum magna ignominia recedentem: eundemque è sacro fonte leuans, apertis oculis vidit spiritum sanctum in animam eius descendentem, angelorumque beatorum circa illum iam renatum frequentiam. Sæpiùs autem, sacerdote sacram hostiam eleuantem, inter manus eius vidit elegantissimi pueri speciem, & cælestium spirituum exercitum cum multo lumine descendentem. Cùm autem post confectionem sacramenta sacerdos perciperet, videbat in spiritu Dominum in anima illius permanere, eamque mirabili splendore illustrare: vel, si indignè sumeret, Dominum cum magna indignatione recedere. Porrò autem etiam tunc, quando in templo non erat, sed in cellula, opertis ex more oculis velamine candido, orabat, Christo ad prolationem sacrorum verborum in altare descendente, illa mirabiliter mutata, sentiebat aduentum eius. Denique quando vnctionis extremæ sacramentum ipsa præsente ægroti percipiebant, illa Christum cum sanctorum multitudine adesse sentiebat, ægrotumq; illum misericorditer corroborantem, dæmones expellentem, animam purgantem, seque, dum membra eius vngerentur, quasi in lumine per totum corpus eius diffundentem.

Libenter audit sacras conciones. *Psalm.* 110.

Diabolus apparet, pastorem se appellans

O miseros mortales dæmoni potius quã Deo obsequentes.

Iohan. 15.

Nota de baptismo.

Item Eucharistia.

Itẽ extrema Vnctione.

De spiritu fortitudinis.

Spiritus fortitudinis quid conferat

Eximia huius Mariæ fortitudo.

AT quia parùm prodest spiritu timoris declinare à malo, spiritu pietatis facere bonum, spiritu scientiæ in V. omnibus aueam seruare mediocritatem & discretionem, nisi etiam spiritu fortitudinis rebus duris & malis resistamus, bona nostra patientia conseruemus, constantia vsque in finem perseueremus, longanimitate vitæ æternæ præmia expectemus: pater eius cælestis, apertis thesauris suis, quarto lapide precioso, id est, spiritu fortitudinis illam exornauit, & contra aduersa omnia communuit, vt nec rerum aduersarum incursu frangeretur, nec prosperarum, & ad voluntatem fluentium blanditijs extolleretur: vt contumelias tranquillo ferret animo, nulli malum pro malo redderet, sed benedictione maledicta, bonitate malitiam compensaret, bona redderet pro malis, calumniantibus nõ responderet, pro persecutoribus oraret: mentis constantia in proposito perseueraret, animi firmitate cuncta placidè toleraret, magnanimitate ardua & difficilia sponde susciperet: securitate imminentia incommoda non metueret, fiducia spe bona & certa frueretur, id quod benè proposuisset, se ad felicem exitum perducturam: postremò quadam magnificentia vel animi præstantia præclarum propositum feliciter consummaret. Porrò autem in persecutionibus & flagellis non modò patientiam conseruabat, sed etiam gaudebat in afflictionibus, disciplinamque siue castigationem Domini cum magno desiderio apprehendebat. Cùm in postrema sua ægritudine ad dies ferè quadraginta grauiter laborasset, quæreremusque ex ea, num ex morbi dolore aliquid tædij pateretur, illa respondit: Imò verò, si id gratum esset Domino, vellem istos quadraginta dies hodiè suum habere initium: addiditque, quod est etiam admirabilius, nunquam se ægrum aliquem vidisse, cuius quantumuis aduersam valetudinem sibiipsi non optârit. Væ igitur vobis, qui crucem Domini in angaria fertis, qui disciplinam Domini abiicitis, qui virgam Domini ferientis, dum contra eius flagella murmuratis, instar canis rabidi mordetis, qui dolores corporis cordis impatientia duplicatis. Non sic precioſa hæc Christi margarita, quæ modesti animi exultatione id consequebatur, vt quasi insensibiliter affligeretur, & suauiter cruciaretur. Interior enim dulcedo externum dolorem deliniebat, & pondus aduersæ valetudinis releuando demulcebat. Cùm autem interdum paralysi vexata, præ nimio dolore clamare, & pectus tundere cogeretur, quidam eius familiaris ei cõdolens, in quodam loco clàm pro ea Domino supplicabat. Tum illa sentiens pij hominis precibus suos dolores nonnihil minui: Vade, inquit ad ancillam suam, dic homini illi, vt cesset orare pro me. Eius enim precum medicina, huius castigationis meæ, dum meliùs habeo, accipio detrimentum. Laborabat aliquando molestia quadam, & quidam ex amicis eius apud se tacitus dolebat vicem illius. At illa ex diuina reuelatione arcanas pectoris eius cogitationes intelligens, missa ad eum ancilla sua, iussit ne ampliùs

Nota eximiam animi fortitudinem,

Non vult sibi minui paralysis dolores.

amplius doleret ipsius causa. Tuum enim, inquit, grauamen auget cordis mei dolorem, nec possum ferre, vt propter me doleas. Adeò plùs eam cruciabant aliorum afflictiones, quàm proprij corporis incommoda. Neq; tamen spiritu fortitudinis id sclùm obtinuit, vt posset æquo animo & virili aduersa perpeti, sed illud etiam, vt ab omnibus carnis illecebris facilè abstineret. Adeò enim corpus suum castigauerat, & in seruitutem redegerat, vt ad nutum spiritui obediret, in nullo contradicens, nec vlla se simulatione excusans: nec contra dominum murmurabat, sed eius imitando fortitudinem, nunquam ignauia torpebat, nunquam vel rarò labori succumbebat. Adeò iuuencula illa tympanistria, ceu inter duo ligna Crucis corpus suum extendendo siccauerat, vt per multos annos etiam primos libidinis motus minimè experta sit: qua ex re tantam inter homines fiduciam concepit, vt præeximia innocentia & pura simplicitate omnes sui similes arbitraretur. Vnde cùm quidam eius familiaris amicus, quodam spiritualis affectionis excessu manum eius aliquando stringeret, nihil tamen casto animo turpe cogitans, sensit nimia ex illa vicinitate primos motus in suo corpore existere. Sed cùm illa id prorsus ignoraret, vocem ab excelso audiuit, Noli me tangere: nec tamen sciuit, quid ea significaret. Deus enim benignus, & nostris infirmitatibus condolens, noluit illum coram sancta muliere pudore affici: at nihilo minùs voluit tanquam zelotes, amicæ suæ castitatem tueri, & illum propter imminentia pericula castigare. Itaque cùm illa diceret ei, Audiui nunc quandam vocem, scilicet, Noli me tangere: sed quid sibi velit, planè me fugit: ille, quid ea innueret, intelligens, & sibi decæterò cauit, & Domino, quòd ipsius infirmitatem prodere noluerit, gratias agens recessit.

Corpus suũ præclare edomitum habuit.

VI. SPIRITV consilij Christi ancilla instructa, nihil præceps, nihil inordinatè facere volebat: sed omnia diligenter, circumspectè, & cum deliberatione agens, in omnibus, quæ vel fieri, vel omitti oporteret, expectabat eum, qui saluam faceret ipsam à pusillanimitate spiritûs & tempestate: nihil interim per pusillanimitatem omittens, nihil turbulenter vel tempestuosè, nihil inconsideratè, nihil per impetum efficiens. In omnibus vijs eius palpebræ præcedebant gressus eius: & ne post factam succederet vel leuis pœnitentia, omnia cum consilio faciebat. Quid verò illa sine grauitate & absque consilij maturitate facere posset, cuius mentem impleuerat & inhabitabat is, qui de seipso dicit: Ego sapientia in consilijs habito, & eruditis interfum cogitationibus? Etsi autem familiari sancti spiritûs consilio vteretur, quamuis diuinis scripturis satis esset instructa, at tamen præeximia animi summissione & humilitate, ne sapiens in oculis suis videretur, aliorum consilijs, propriæ voluntati renuncians, libenter & deuotè se subijciebat. At verò multi ex eius familiaribus amicis, qui diuinitùs collatam illi prudentiam non rarò compererant, absque eius consilio nihil, quod alicuius esset momenti, facere ausi erant. Quod enim humana ratione scire non poterat, cùm ad Dominum fudisset preces, diuinitùs edocebatur. Ita cùm quidam eius amicus, mediocritate sua contentus, tanto securiùs, quanto ab hominum conspectu & pompa sæculari remotiùs, Domino in humilitate seruiret, & à quodam nobili rogaretur, vt magistri loco apud ipsum esset, isque ei promitteret equos, vestes & multa alia abundè se suppeditaturum: ille sanctam hanc fœminam consuluit, quid agere deberet. At illa, nihil vnquam sibi præfidens, priùs ad Dominum precandum se contulit, & inde ab arcanis diuinorum consiliorum thalamis reuersa, ita dixit: Vidi atrum equum parari tibi, qui ad inferos hinniens, dæmonum turbis applaudebat. Si quid igitur apud te valet consilium meum, maneas in ea vocatione, qua vocatus es à Domino, ne per ambitionem vel sæculi pompam, des occasionem diabolo. Alius quidam amicus eius, tanto illi charior, quanto humilior, cum haberet sacerdotium vnum siue beneficium ecclesiasticum, quod ei sufficeret ad mediocritatem, multis victus precibus etiam alterum accepit, quod & dignitate potius, & prouentu locupletius esset. Sed cùm pro sua pietate & modestia Christi ancillam consuleret, velletque ab ea scire, num hac re Deum offendisset: illa more suo breues sibi inducias petijt, & tandem inspiratione diuina, & cælestibus reuelationibus absque vllo hæsitationis scrupulo certior effecta: Videbam, inquit, hominem vestibus albis indutum, & satis ad cursum expeditum, atro insuper pallio indui, & mentis sarcina onerari. Cùm autem hæc, ijsque alia similia dixisset, is, qui iam in seipso diuinitùs senserat, quæ illa loquebatur cælitùs edocta, primum sacerdotium, vt pote sufficiens, retinuit, & alterum sine mora, ne locum alterius ambitiosè occuparet, vir prudens & Deum timens atque salutari consilio obtemperans, resignauit. Ignoscite mihi, fratres, qui dignitatem dignitati adiungitis, & sacerdotia siue beneficia ecclesiastica alia alijs coaceruatis. Non enim est meum, quod retuli, sed Christi reuelantis. Parcite etiam ancillæ Christi, nec velitis obtrectare innocenti. Qua enim re vos læsit, si amico præbuit salutare consilium, si veritatem è Domino hauftam enunciauit? Fortassis autem, dum crebrò libellum hunc inspicitis, & quadam acerbitate reuoluitis, ancillæ Christi visiones more vestro ridebitis, & pro somnijs & phantasmatis habenda statuetis. Sed etiam Pharisæi Dominum de auaritia disputantem, & diuites in regnum cælorum difficilè introituros asserentem, non solùm irriserunt, sed insanum quoq; iudicârunt. Vt autem sine personarum acceptione sanctæ mulieris res præclarè gestas commemorem, etiam mihi ipsi non parcam, sed infelicitatis meæ referam historiam. Cùm verbum Dei, licet indignus, ad laicos prædicare inciperem, & ea in re necdum essem exercitatus, neque concionandi vsum & consuetudinem haberem, semper mihi metuens, ne inter dicendum materia me deficeret, multa mihi vndecunque colligebam: ijsque coaceruatis, quicquid in buccam veniisset, proferre volebam. Totum enim spiritum suum profert stultus: sapiens verò reseruat in posterum. Cùm autem tanta prodigalitate meipsum confunderem, ad me absoluta concione reuertens, quodam mentis tædio afficiebar, quòd nullo ordine & incompositè multa mihi dixisse viderer: quo animi mœrore cùm ancilla Christi aliquando pressum me cerneret, ego præ verecundia causam ei indicare nolebam: & quod erat miserabilius, quodam me, tanquam qui benè, subtiliter & acutè dixissem, à concione, vt est moris, commendante, libens id audiebam, & aliquid inde capiebam solatij. Erubesco, fateor, turpitudinem meam prodere, sed sanctæ mulieris laudes reticere non sum ausus. Illa enim quandoque huius me tristitiæ nube confusum, & tanquam operarium confusibilem ad se vocans, triplex tentationum vulnus, quibus clàm eram sauciatus, mihi miro modo detexit. Vidi, inquit, effigiem tanquam hominis in nubilo versantis, nimia capillorum copia operti. Quædam autem meretrix subornata, quosdam ex se radios spargens, eum blande intuens circumibat: cumq; id crebrò faceret, radium vnum in illum vibrans, partem quandam nubili illius discutiebat. Hanc vbi illa parabolam pertexuit triplici me morbo laborantem, mox certissimè deprehendi. Capillata enim superfluitas mihi mœrorem adferebat: meretrix verò subornata, id est, elatio, radijs adulationis fota, quoddam mihi miserabile solatium pariebat. Quibus ego te laudibus efferam, ô sancta mulier, quæ secretorum Dei conscia fuisti? Nec frustrà tibi Deus hominum cogitationes aperuit: sed tuis precibus vim tribuit & efficaciam animorum languoribus medendi. Magna ei erat familiaritas cum pia quadam & sancta puella Heluide, apud Villenbroc inclusa atque solitariam vitam agente: eamque impensè amabat, & velut mater filiam annis ferè duodecim in Domino nutrierat. Ea puella aliqua molesta tentatione laborante, Christi ancilla tentationes & cogitationes cordis eius ipsi indicabat, valdè admiranti, quo pacto mentem eius cognitam haberet: itemque contra imminentes tentationes longe antè, quàm acciderent, eam præmuniebat. Erat eidem puellæ magno solatio magistri Guidonis præsentia, qui per id tempus ecclesiæ Villenbrocensis sacellanum agebat: & quia quæ repentè accidunt, maiorem solent adferre perturbationem, dimidio anno antè prædixit illi, magistrum illum cum fratre suo Iohanne à Villenbroc abiturum multisque exhortationibus confirmabat eam, vt tranquillo animo

De spiritu consilij. Effectus spiritus consilij.

Prou. 8.

Hæc nota est veri spiritus.

Visio eius.

Nota quã non sit tutum plura habere sacerdotia vel beneficia ecclesiastica.

Matth. 19. Luc. 16.

Obserua modestiam authoris. *Prou. 29.*

Visio Mariæ, qua authori medicinam facit.

Heluidis inclusa.

Spiritus prophetiæ in Maria.

illorum ferret abitionem, quorum præsentia illi erat gratissima. Itidemque de quadam religiosa fœmina, nomine Besele, quæ diù ancillæ Christi fideliter inseruierat, cuius æquè præsentia eidem puellæ inclusæ magnam adferebat consolationem, longè antè illi prædixit eam recessuram, præmonuitque vt sedato animo quod Dominus decreuisset, toleraret. Quidam magister in Francia degens, animo constituerat ad Oegnies proficisci: cumque vnus è fratribus domûs Oegniacensis, Parisios vsque magistrum illum adducendi causa ire vellet, Christi ancilla ait ad eum: Sustine parumper, nec ita velis festinare. Nuncius enim à magistro illo ad vos ablegatus, iam est in itinere. Cessit frater consilio eius, & nuncium, quem illa prophetico spiritu venturum prædixit, apud Oegnies, donec veniret, expectauit. Porrò eodem magistro Romam, vt beatissimorum Apostolorum limina visitaret, peregrè profecto, fama mendax sparsit eum obijsse. Et autem famæ amicis eius fidem commodantibus, multumque eius obitu dolentibus, & pro illo sacrificium facere volentibus, Christi ancilla dixit: Non est mortuus, sed viuit, talique die Roma discessit, rediturus ad suos. Cunctis verò admirantibus, & Missarum suffragia differentibus, sicut illa dixerat, ita rei confirmauit euentus.

De spiritu intellectus *Iob 7.*

Eius diuturnæ contemplationes rerum diuinarum. *Cant. 3.*

HIS igitur ornata monilibus filia Ierusalem, hisce sancti spiritus donis illustrata, corde purificato, per VII. spiritum intellectus in cælestibus versabatur: adeoque cum S. Iob suspendia elegit anima eius, vt plerunque sublimiùs volans, per diem integrum nonnunquam plures dies, nihil ad inferiora reductis cordis obtutibus, in Solē iustitiæ instar aquilæ suos haberet oculos defixos: cuius solis radijs ab omnium rerum sensibilium humore siccata, ab omnium corporearum formarum nube purgata, absque vlla phantasia vel imaginatione formas simplices & diuinas, perinde vt in mundo speculo, in anima sua suscipiebat: relegatisque formis sensibilibus, vniformes & immutabiles rerum supercælestium species in eius animo tanto puriùs resultabant quanto summæ illi & simplici atque incommutabili maiestati propiùs coniugebatur. Cùm autem subtilis & extenuatus spiritus eius, atque incendio pij amoris concrematus, tanquam virgula fumi ex aromatibus, supercælestia penetraret, & quasi per gradus quosdam in regione viuorum perambulans, per vicos & plateas quæreret, quem diligebat, nunc sanctarum virginum delectatus lilijs, nunc sanctorum martyrum rosis odoriferis recrearus, nonnunquam à sanctorum Apostolorum senatu honorificè exceptus, interdum Angelorum cœtibus admixtus: deniq; superatis gradibus omnibus, cunctis paradisi regionibus summa cum lætitia peragratis, cùm omnia pertransisset, inueniebat eum, quem ardenter desiderabat: & tum demum perfectè quiescebat, atque illic immobiliter defixus hærebat, omniumque posteriorum oblitus, non iam pro amicis quantumcunque charis posset orare, sed neq; de sanctis Angelis cogitare. Omnes enim quasi post se relinquens, illi adhærebat, quem auidissimè sitiebat. Dabatur illi tũc propiùs inspicere librum vitæ, atq; ex illo per spiritum intellectus multa discebat, quæ, tandem ad se reuersa, prophetico spiritu pronunciabat. Ita triennio antè quàm Cruce signarentur Christiani contra hæreticos prouinciales, dixit se videre Crucis in magnam hominum turbam è cælo copiosè descendentes, cùm tamen nulla adhuc in nostra regione hæreticorũ illorum mentio haberetur. Crebrò tunc ei in spiritu ceu conquerendo dicebat Dominus, se terram illam ferè totam perdidisse, atq; ex eis locis tanquam exulem profligatum esse.

In spiritu procul videt cædem Christianorum.

Quidam zelo Crucifixi à longinquis regionibus, vt Christi ignominiam & iniuriã vindicarent, ad eum locum, qui Mons gaudij dicitur, peruenêre, sed ibi ab hostibus Christi trucidati sunt. Aberat ab illis per tanta terrarum spatia ancilla Christi, at nihilo minùs vidit sanctos Angelos gratulabundos, cæsorum animas sine vllis Purgatorij pœnis in cælum deportare. Inde verò tantus in eius animo peregrinationis illius ardor extitit, vt ab ea suscipienda nulla se ratione passura fuerit distineri si vllo pacto sine proximorum scandalo eam suscipere potuisset: cumque ridendo quæreremus ex illa, ecquid illic factura esset, respondit: Si nihil aliud, certè vel Dominum meum honorarẽ libera confessione nominis eius, quem illic viri impij blasphemando abnegârunt. Moriebatur apud Oegnies quidam familiaris amicus domûs nostræ, idemque Cruce signatus. Circa illum vidit Christi famula dæmonum multitudinem, quasi rugientium & ad escam inhiantium. Tum illa obiurgauit dæmones, & vt à Christi ministro, qui Crucis vexillo munitus esset, recederent, præcepit. At illi è diuerso multa ei crimina malitiosè affingebant, & quòd mala fide egisset, obijciebant. Illa verò Domino supplices preces pro ægroto offerens, vidit quandam Crucem luculentam in ipsum descendere, eumque vndique tueri. Quamuis autem morte impeditus, non potuit susceptam peregrinationem prosequi, at tamen magnam pœnarum Purgatorij pars condonata est illi, quòd cum cruce signatis voluerit proficisci. Ita enim Dominus sanctæ mulieri reuelauit. Quidam amicus noster, nobilis genere, sed fide nobilior, Deo deuotè seruiens, & omnia, quantum in ipso erat, Christi amore relinquens, vxorem habuit valdè huic mundo deditam, & ipsius proposito planè repugnantem. Ea causa formidabat, ne malæ coniugis importunitate è sua domo extruderetur. Tria enim sunt, vt ait Salomon, quæ hominem è sua domo eijciunt: fumus, stillicidium, & mala atq; litigiosa mulier. Sancta autem Christi ancilla dolens vicem iuuenis, multas pro eius vxore Domino preces fudit, eumq; blandè consolans, prædixit illi fore, vt coniunx eius breui ad Dominum conuerteretur. Quod quidem ita euenisse nos cognouimus, & Domino gratias egimus. Perfectè enim mundi vanitatem despiciens, vti priùs religioso mariti proposito aduersa fuit, ita deinceps illud promouebat: imò quasi antecedendo iam trahebat illum, quem anteà distinendo retraxerat. Laborabat in extremis Canonicus quidam ecclesiæ S. Gertrudis Niuellensis. Eius obitus diem fratres Oegniacenses non temerè nosse cupiebant, certa ratione permoti. Itaque dicebant laico cuidam Niuellano, qui tunc apud Oegnies erat, vt eo se conferret, & diem, quo canonicus moreretur, ipsis denunciaret. Eidem autem laico homini dixit ancilla Christi: Si vis opportune, quod iussus es, nunciare, manè proficiscaris oportet. Illo igitur postera luce Niuellam ingrediente, iam pro defuncto Canonico campanæ pulsabantur.

Visio eius.

Fœmina nobilis eius precibus conuertitur.

Pudefiunt dæmones, si resistas tentationibus eorum.

Nouit occultas cogitationes. Visio eius

Timeant hæc impuri sacerdotes.

Si hoc possunt sancti

Nocte tertiæ feriæ, quæ caput ieiunij, siue diem illum, qui cinerum vocatur, proximè antecedit, quando solent homines sæculares comessationibus vacare, vidit dæmones quosdam, à quadam religiosa fœmina cum mœrore & ignominia reuerti: quam quidem grauiter illi oppugnârant, sed Domino opem ferente, miminè expugnauerant. Scisitabatur posteà ex illa, quid habuisset, eaque respondit: Admodùm per id tempus grauata fui, sed ea ipsa hora Dei benignitate sum liberata. Itaque dicit ex verbis eius eodem tempore se vidisse dæmones, pudore affectos, ab ea recessisse. Sacerdos quidam ea præsente sacrificium Missæ obtulit: cumque non esset nescius illam pro ipso crebrò preces Domino offerre, nec haberet maius aliquid, quod ei retribueret, ne ingratus videretur, statuit pro illa Missam eam celebrare. Peracto autem sacrificio, ait illa ad eum: Missa hæc mea fuit. Hodie enim filium pro me patri obtulisti. Illo verò admirante, & vnde hoc sciret, percontante, cùm solus Deus cognitas habeat cogitationes hominum, illa respondit: Vidi columbam elegantissimam in caput tuum ad altare descendere, & quasi volitando alas suas ad me extendere, didiciq; in spiritu, sanctum spiritum illud sacrificium ad me transferre. Sacerdotibus dignè & deuotè sacrificantibus, videbat illa sanctos Angelos gaudentes, & illis cũ multa hilaritate cooperantes, vultu quoq; benigno in eos intuẽtes, & eos officiosissimè venerantes. Væ aũt sacerdotibus miseris, Iudæ ꝓditoris aſſeclis, qui Christum Dominum, quantũ quidem in illis est, denuò crucifigunt, & sanguinẽ testamenti pollutũ ducunt: qui manibus pollutis, oculis impudicis, ore virulento, corde impuro ad reuerendũ illud sacramentum irreuerenter accedentes, sanctos Angelos, qui illic adsunt, grauiter offendunt, & ex medicina salutari mortem sibi miserabiliter consciscunt. Quidam ex præcipuis amicis eius, Parisijs sacerdotio initiabatur: illa verò corpore absens, præsens spiritu,

ſpiritu, quemadmodùm ordinaretur, quomodò affectus eſſet cùm ordinaretur, ipſum locũ ordinationis, pontificis quoque, & ipſius habitum perſpicuè vidit, illiq́ue admiranti poſteà omnia narrauit: cumq́ue ei literas quaſdam per illius nuncium mitteret, inter alia quædam ſcripſit, quæ ille, donec completa eſſent, intelligere non potuit: erant autem eiuſmodi, vel ijs conſimilia: Arbor noua iam floruit, cuius primos fructus mihi Dominus deſtinauit. Statuerat idem primum ſacrificium ſuum facere in Francia, ſed Domino diſponente, apud Oegnies, præſente ſancta muliere id fecit. in mortali corpore, quid poſſit iam Deo in cælis coniuncti?

VIII. PORRÒ verò vt opus ſuum ſapiens artifex, templum ſuum ſummus ſacerdos, filiam ſuam rex ſublimis ad perfectionis faſtigia perduceret, ſeptimo ſeptiformis ſpiritûs dono, quaſi pro aliorum condimento, eam præclarè illuſtrauit & ornauit eximiè, nempe ſapientiæ ſpiritu: quod eſt primum donum dignitate, poſtremum conſummatione. Hac ſapientia guſtauit & vidit, quoniam ſuauis eſt Dominus, cùm ſicut adipe & pinguedine repleretur anima eius, cùm de ſponſi labijs mel & lac ſugeret, & in horto voluptatis manna abſconditum manducaret. Huius mellitiſſimæ ſapientiæ dono cor eius medullitùs afficiebatur, verba edulcabantur, cuncta opera ſpiritalis vnctionis ſuauitate imbuebantur. Inde fiebat, vt eſſet mitis corde, dulcis ſermone, actione ſuauis, ebria charitate: adeò verò ebria & à ſenſibus abſtracta, vt nonnunquam ad Nonam vel Veſpertinas preces, nobis pulſantibus campanas, illa quaſi expergiſcens percontaretur è nobis, num hora eſſet matutina. Aliquando in lectulo ſuo tres continuos dies illa iacens & cum ſponſo immortali ſuauiter quieſcens, præ nimia ſpiritûs iucunditate & ſuauitate vix vno temporis momento ſibi iacuiſſe videbatur. Mirabili autem affectionum varietate, modò eſuriebat Deum, modò ſitiebat: & quia ſcriptum eſt, Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient: quanto plus Dominum ſentiebat, tanto ampliùs creſcebat deſiderium. Itaq; angebatur, clamabat, & vt remaneret ſuppliciter deprecabatur: & ne recederet, quaſi inter brachia complexando ſtringebat, vtq́ue ſe magis etiam exhiberet, cum lachrymis obſecrabat. Nonnunquam per tres aut eo ampliùs dies, videbatur ſibi illum tanquã paruulum inter vbera cõmorantem ſtringere, & ſeſe, ne videretur ab alijs, occultare. Interdum verò ludebat cum eo ceu puero, eumq́ue oſculabatur. Quandoque ceu agnum iuxta ſinum illius, aliquando inſtar columbæ pius Virginis filius ſe filiæ ſuæ exhibebat: nonnunquam etiam inſtar arietis, ſtellam luculentam in fronte habentis eccleſiam circumiens, filios ſuos, vt ei videbatur, viſitabat. Sicut enim dubitantibus diſcipulis ſub ſpecie peregrini ſe oſtendit, & beatum Thomam miſſurus ad Indos, vt eius habet hiſtoria, formam mercatoris induit: ita amicis ſuis pro illorum conſolatione amabili ſpecie apparere dignatur: quẽadmodùm etiam, authore S. Hieronymo, beata Paula in Bethleem illum ſibi videre viſa eſt ceu paruum in præſepio iacentem. In diuerſis autem Domini ſolennitatibus ita ſe illi oſtendebat, vt ratio ſolennitatis poſcere videbatur: verbi gratia: In natiuitate ceu puerum vbera matris ſugentem, vel in incunabulis vagientem. Tum verò afficiebatur erga eum, vt puerum, pro varijs modis, quibus illi apparebat, varias etiam ſentiens affectiones. atq; ita ſingulis annis ſolennitates illæ renouabantur. In feſto Purificationis videbat beatiſſimam Virginem filium ſuum in templo offerentem, & Simeonem illum inter vlnas recipientem: atq; in hac viſione non minùs exultabat præ gaudio, quàm ſi præſens fuiſſet, cùm ita geſtum eſt olim in templo. In hac ſolennitate quandoq; cereus illius, cùm diù fuiſſet extinctus, in proceſſione ſubitò non niſi diuinitùs clariſſimo lumine accendebatur. In paſſione nonnunquam Dominus illi in Cruce apparebat, ſed rarò, quòd vix poſſet ſuſtinere. Aduentantibus magnis ſolennitatibus, interdum octo diebus antè gaudio ſe affici ſentiebat: atque ita pro totius anni curſu ſiue ratione varijs mutabatur modis & mirabiliter afficiebatur. Cùm ſancti alicuius feſtus immineret dies, ſanctus ille ferias ſuas ei nunciabat, & in ipſis ferijs viſitabat eam, multos ſecum beatos ciues adducens: ſicq́; ſpiritus eius cum ſancto totum illum iucundum ducebat diẽ. Ex familiari autem & crebro ſanctorum colloquio id obtinuit, vt quemadmodùm homines ſuos vicinos alios ab alijs internoſcunt, ita ipſa angelos & ſanctos homines alios ab alijs poſſet diſtinguere. Nonnunquam ſanctus quiſpiam, in his regionibus prorſus ignotus, feſtum ſuum diem, qui in locis remotis colebatur, vt in eius ferijs ipſa quoq; gauderet, ei indicabat. Imò verò etiam nullo indicante, palato cordis diſcernebat dies feſtos à non feſtis, quòd dulciùs illud afficerent dies ſolennes, quàm alij. Celebrabat autem feſtos dies, pectori ſuo atque animo haud aliter, atq́ue in calendario vel martyrologio inſcriptos. Vnde cùm eſſet aliquando in eccleſia S. Gertrudis in oppidulo, quod Laulos dicitur, & quædam eiuſdem S. Gertrudis feriæ in diem craſtinum inciderent, nec tamen eius loci ſacerdos id aduerteret, illa intra ſe ſentiens ferias imminere, ſe continere non potuit. Itaq; cum ſacerdos eò non veniret, nec alius quiſquam, qui campanas pulſaret, quemadmodùm fieri ſolet pridiè ad primas Veſperas, vt vocant, illa ſurgens è loco ſuo, campanas, vt potuit, pulſare cœpit. Id verò audiẽs ſacerdos & admirans, ad eccleſiam properè accurrit, aitq́; ad illam: Cur pulſas campanas perinde ac ſi feriæ ſint, cùm nõ habeat apud nos conſuetudo, vt præterquam in ferijs, hac hora pulſemus? Tum illa verecunda & pauida: ignoſce mihi, inquit, domine: magnæ enim feriæ cras erunt, ſed neſcio cuius ſancti. Sentio enim eccleſiam hanc gaudio perfuſam. Sacerdos verò inſpiciens calendarium, vidit craſtinum diem S. Gertrudi ſacrum fore. Tot illa & tantas à Domino conſolationes percipiebat, vt etiamſi nullis exterioribus, vt fit, nonnunquam pro recreatione, intenta eſſet, ſemper in vno aliquo loco abſque vllius hominis conſortio ſine tædio permanere poſſet. Sedens aliquando in cellula ſua, audiuit vocem dulciſſimam Domini, dicentis: Hæc eſt filia mea dilecta, in qua plurimum delector. Quando extra ſe rapiebatur, videbatur ſibi caput ſuum deponere ad genua Chriſti. Interdum per Angelos ab aliquo ſupernorum ciuium ſalutabatur. Cùm oraret quandoq́; ad altare S. Nicolai, videbatur ei ex illius reliquijs lac manare. Ab imagine Crucifixi vidit nonnunquam radios quoſdam vſque in pectus ſuum vibrari. Porrò in ijs omnibus valdè delectabatur, & miro modo ſpiritus eius confortabatur. Apparuit ei quandoque beatus Bernardus, Ciſtertienſis ordinis pater & lumen, alaſq́ue ſuas, quibus præditus videbatur, circa eam expandit: cumq́ue diù cum illa intra eccleſiæ cancellos ſediſſet, ſciſcitanti ei, quid ſibi vellent alæ iſtæ, reſpondit ſe inſtar aquilæ ſublimi volatu ſubtilia & ſublimia ſcripturæ diuinæ attigiſſe, multaq́; arcana cæleſtia Dominum ſibi reſerâſſe. Magna veneratione & ſingulari amore proſequebatur beatiſſimum Iohannem Euangeliſtam. Accidit autem, vt cum multis lachrymis & ſuſpirijs cuidam ſacerdoti exiguam culpam venialem confiteretur. Sacerdote illo interrogante, cur ita lachrymis affluereret: illa reſpondit: Non poſſum reprimere lachrymas. Videbat enim Aquilam quandam ad pectus ſuum perinde vt in fonte, ita in illo roſtrum ſuum tingentem, & magis clamoribus aëra complentem. Intellexit autem in ſpiritu B. Iohannem lachrymas & gemitus ipſius ad Dominum perferre. Vidit quandoque ſacerdotem quendam cum lachrymis deuotè ſacrificantem, atque columbam quandam in eius humerum deſcendentem, ex eoq́ue humero fontem puriſſimum ſcaturientem. Interdum etiam vidit Virginis filium ſub forma pueri cum immenſo lumine circa arculum, in qua Euchariſtia reponebatur: cumq́ue ex ea quæreremus, cuiuſmodi eſſet illud lumen, reſpondit: Quantum lumen Solis candelæ lumen ſuperat: tantum, imò plus etiam, lux iſta vincit Solis ſplendorem. Quando reliquiæ ad noſtram eccleſiam adferebantur, illa in ſpiritu aduentum earum præſentiebat, totamq́; noctem cum illis iucundam ducebat, Chriſtumq́; gaudentem, & à prioribus reliquijs illas iam recens illatas, cum quadam exultatione & veneratione ſuſcipi videbat. Vtrùm autem eſſent veræ reliquiæ, ſpiritu ſuo mirabiliter percipiebat. Ex parua illa Cruce, quæ eſt in Oegnies, in qua particula ligni ſanctę Crucis habetur, radium quendam valde luculentum & tanquam cæleſti claritate conſpicuum, prodire videbat.

De ſpiritu ſapientiæ.

Pſalm 33.

Eccſtaſis triduana.

Eccl. 24.

Luc. 14.

Epiſt. 27. in vita S. Paulæ

Miræ conſolationes diuinæ.

Luc 2.

Magna familiaritas cum cæli ciuibus.

Ferias imminentes ſentit intra ſe.

Multas diuinitus cõſolationes percipit.

Corporalis Chriſti præſentia in Euchariſtia.

Quidam familiaris amicus domûs noſtrę inter alias reliquias, quas habebat, os cuiuſdam ſancti ſine ſcriptura reperit. Itaque cuius eſſent reliquiæ ignorans, attulit eas ad Chriſti ancillam, vt per illam certior fieret. Ille verò in ſpiritu virtutem & veritatem illarum ſenſit: orauitque Deum, vt ipſi indicaret, cuiuſnam eſſent. Apparuit autem illi ſanctus quidam valdè præclarus & excellentis meriti: qui ab ea interrogatus, quis eſſet, non quidem nomen expreſſit ſuum, ſed quatuor literas ob mentis eius oculos deſcripſit. Quas cùm illa memoriter retineret, ſed quid ſignificarent neſciret, accito ad ſe Clerico, literas commemorauit, puta, Aiol: & quid ſignificarent, indicari ſibi petijt. Ille literas inter ſe coniungens, dixit, Aiol ex ijs confici. Tum illa perſpicuè cognouit, beati Aiulphi, qui apud Priminũ in multo honore habetur, eas eſſe reliquias. Etſi autem præ deſiderio æternæ fruitionis, præ amore viſionis Dei, & pro dilatione æternæ beatitudinis in hoc exilio langueret, vnicum tamen & ſummum erat ei remedium & ſingulare ſolatium, manna & panis cæleſtis, donec veniret ad terram promiſſionis. Ex eius perceptione angor cordis & deſiderium temperabatur, dolores omnes leniebantur, ſpiritus confirmabatur. Summo hoc & celſiſſimo ſacramento fieta, omnes peregrinationis huius ærumnas patienter tolerabat, omneſque miſeræ vitæ huius defectus hoc cibo vegetata paruipendebat. Panis ſanctus cor illius confirmabat, vinum ſanctum mentem eius ſanctificans inebriabat, Caro ſancta ſaginabat, ſanguis viuificans abluendo purificabat. Hoc vno ſolatio diù carere non potuit. Corpus Chriſti edere, hoc illi viuere erat: ab illo verò diutiùs abſtinendo ſeparari, hoc ei erat emori: iamque in hoc ſæculo ſua experientia didicit, quod Chriſtus in Euangelio dicit: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Nec erat ei durus hic ſermo, ſicut Iudæis, ſed ſuauis: quippe quæ omnem delectationem & omnem ſaporis ſuauitatem in eius perceptione, non ſolùm intus in animo, ſed etiam foris in ore perſentiret: cùm plerunque ſub ſpecie pueri cum mellis guſtu & odore aromatico, in puro & bene ornato cordis ſui thalamo Dominum ſuum feliciſſimè ſuſciperet. Nonnunquam verò, cùm ſitim vitalis ſanguinis eius diutiùs ferre non poſſet, poſt Miſſarum ſolennia petebat ſibi copiam fieri vel nudi calicis in altari diù conſpiciendi.

Alij Aigulphum vocant.

Singulare eius ſolamen, ſacra Euchariſtia.

Iohan 6.

De aduentu eius in Oegnies.

IX.

POSTQVAM huius filiæ regis præcioſa monilia, huius ſponſæ Chriſti veſtimenta fragrantia, etſi non pro dignitate, tamen pro virium facultate deſcripſimus, iam ad veſtimentorum eius fimbrias, id eſt, ab beatum eius è vita deceſſum veniendum eſt, vt etiam caudam noſtræ hoſtiæ offeramus. Cùm multo tempore in eo loco, quem iam crebrò diximus Villenbrocappellari, ſeipſam Domino immolâſſet, è vicina proximi oppidi, quod Niuella dicitur, hominum ad ipſam cum deuotione confluentium frequentiam diutiùs ferre non potuit: quippe quæ ſoli Deo cuperet vacare. Sæpiùs iam multis precibus apud Dominum id egerat, vt locum propoſito ipſius accommodum, & perſonas quæ ipſius deſiderio ſecundùm Deum humiliter inſeruirent, poſſet eius prouidentia obtinere. Itaque in ſpiritu oſtenſus eſt ei locus, quem Oegnies vocant, nunquam illi anteà viſus, cuius propter recentem ſtructuram & paupertatem vix tenuis apud homines mentio fiebat. Interim diù apud ſe deliberabat, ignorans cuiuſmodi eſſet locus ille: Porrò de Domini promiſſione confidens, longè antè, quàm eò veniret, à marito ſuo Iohanne & eius fratre magiſtro Guidone, qui illi erat patris ſpiritalis loco, tanquam obedientiæ filia, facultatem petijt locum illum inuiſendi, atq; ſi placeret, illic commorandi. Nec difficilè illi precibus eius aſſenſerunt, ne mœrore afficerent, quam charitatis viſceribus complectebantur. Permouit quoq; illos Deus, vt id permitterent, nec vllo modo ſibi poterant perſuadere eam in loco, quem nunquam cognouiſſet, & in quo commorantium nullam haberet conſuetudinem & familiaritatem, diù permanſuram. Itaq; illa, duce Deo, ad locum ipſi deſtinatum iter ingreſſa eſt, & cum adhuc aliquanto interuallo ab illo abeſſet, beatus Nicolaus, eius loci patronus, gratulabundus ei venit obuiam, eamq; ad ſuam eccleſiam perduxit. Multum eo die, cùm adhuc eſſet in itinere, ſecum admirata fuerat, in animo ſuo ſentiens magnam S. Nicolai ſolennitatem adeſſe, licet non ignoraret eius ferias in Decembrem, non in Maium, quo illud iter faciebat, incidere, Eodem autem ipſo die, quo venit in Oegnies, fratres loci eius S. Nicolai translationem ſolenniter celebrabant. Poſtquam autem ad locum peruenit, miro modo & loci ſitum, & fratres domûs illius, ſicut priùs in viſione Dominus ipſi oſtenderat, agnouit, ſimulq; comperit feſtum diem S. Nicolai illic agi: prædixitq; ſe eo in loco ab hac luce migraturam: locum etiam in eccleſia, vbi poſt obitum humanda eſſet, mihi poſteà ſecretò oſtendit: & vera eam dixiſſe, rei euentus probauit. In Oegnies enim, tametſi multi eam inde reuocare conarentur, naturæ debitum moriens perſoluit, & in ea parte eccleſiæ, quam mihi dixerat, licet pleriq; aliter vellent, poſt obitum ſepulta eſt.

In ſpiritu videt locum ipſi incognitum.

Futura quædam prædicit.

X.

POSTEAQVAM de terra & cognatione ſua, Domino præcipiente, egreſſa eſt: poſtquam ſub vmbra illius, quem deſiderabat, tanto ſuauiùs, quanto ſecretiùs ſedit: quæ illi bona illic Dominus præſtiterit, quoties ſolito frequentiùs ſanctorum Angelorum viſitationibus eam conſolatus ſit, quàm crebrò cum matre Domini in eccleſia familiaria miſcuerit colloquia, quoties ipſe Dominus præſens ei apparuerit, nec mente poſſum concipere: tantum abeſt, vt ſermone explicare queã. Quanto aũt propiùs accedebat optatus vitæ terminus & annus extremus, tanto profuſiùs munificentiſſimæ largitatis ſuæ theſauros illi Dominus pandebat. Ipſo verò vltimo vitæ eius anno aduentante, quem & Dominus poſtremum illi fore promiſerat, & illa præ gaudio celare non poterat, (Sex enim annis ante illum magiſtro Guidoni Niuellano prædixerat, nobiſque non rarò & annum & tempus obitûs ſui, non tamen exprimendo diem, indicauerat) eo, inquam, anno propinquante, iam ſe ampliùs continere non valens, anhelabat, ſuſpirabat, præ deſiderio clamabat, quaſi moræ impatiens, cum Dominum amplexaretur: Nolo Domine, vt ſine me recedas: non cupio hic morari ampliùs, domum ire volo. Et miro quodam modo, dum ſic extra ſe rapta vehementi deſiderio cruciaretur, præ cordis plenitudine ferè toto corpore dirumpi videbatur: cumque ad ſe rediret, diù non poterat pedibus conſiſtere. Porrò cùm extra ſe raperetur, præ feruore ſpiritûs vultu igneo videbatur: quodque eſt admirabilius, ſub eiuſmodi mentis exceſſu, immota acie, in ſolem potuit ſuos oculos defigere. Non potuit tunc præ ſpiritûs ebrietate tacere, ſed clamans dicebat: Audiui à Domino, me ituram in ſancta ſanctorum. O dulciſſimum vocabulum, Dic mihi mea Clementia, (ſic enim eius ancilla vocabatur) quid eſt Sancta ſanctorum, ex famula volebat ſcire, quid eæ dictiones ſignificarent, cùm natura id ſciret. Sed, vt dixi, ſpiritu ebria id faciebat. Sæpè autem has dictiones repetebat, quibus animus eius ſuauiter afficiebatur. Reddita autem ſibi, mirabatur ſe iam ſolito crebriores pati mentis exceſſus: ſed dicebatur ei: Ne mireris iſthuc poſtremus hic eſt annus vitæ tuæ, poſt quem nihil tibi temporis reliquum erit. Audiebat etiam vocem Domini ipſam vocantis, & dicentis: Veni amica mea, ſponſa mea, columba mea: iam coronaberis. Nonnunquam vehementi ſpiritu incitata, & ſuî plùs ſolito oblita, ex cordis abundantia inter alia multa, hæc quoq; dicebat: Veſtimenta filiæ regis inſtar aromatum redolent, & membra corporis eius ceu precioſæ reliquiæ à Domino ſunt ſanctificata. Eo anno, quo migrauit ad Dominum, cum ex officio mihi à Pontificis maximi legato demandato, ad prædicandum & Cruce ſignandos, quibus Dominus eam mentem adſpiraret, contra hæreticos me compararem, illa ex me ſciſcitabatur, quando redire decreuiſſem. Me autem reſpondente, longas me moras facturum, illa dixit, licet prorſus nulliatum laboraret aduerſa valetudine: Teſtamento ego tibi relinquo quædam, quæ poſt obitum meum tua erunt. Iam enim obitum ſuum, vt diximus, longè antè præuiderat: dicebatq; mihi corporis ſui diſſolutionem imminere. & quia incerta erat quando eſſem rediturus, in faciendo teſtamento properabat: quo me ſcripſit hæredem zonæ ſuæ, qua cingebatur, & ſudarij linei, quo lachrymas

Multas accipit cæleſtes conſolationes.

Sancti vitã habẽt in patiẽtia, mortem in deſiderio. Nota rem miram.

Prædicit obitum ſuum.

XII.

chrymas detergebat, & quorundam aliorum non magni quidem precij, sed quæ mihi auro & argento chariora sint. Appropinquante autem tempore ægrotationis optatæ & extremæ, dixit ancillæ suæ, religiosæ virgini, ipsi ministranti: Vereor ne tibi & alijs molesta fiam. diuturna enim & graui ægritudine confecta, proficiscar ad Dominum. Ecquis verò tam diuturni temporis molestiam apud me perferre poterit? Semper enim reformidabat, ne causa eius quispiam grauaretur, tametsi potiùs dolerent omnes, sæpiùs ipsi assistendi & inseruiendi copiam denegari. Prædixit autem, se quadam secunda feria humi collocatum iri. Itaque toto illo anno semper ferè illa feria ieiunabat, nihil prorsus cibi recipiens. Quanto verò tempus mortis eius magis accedebat, tanto illa sine intermissione diebus ac noctibus Domino studiosiùs seruire & placere nitebatur. Vnde etiam à festo die Annunciationis beatissimæ Virginis, vsque ad beati Iohannis Baptistæ ferias, non nisi vndecies, idque parcè admodùm, cibum sumpsit, semper gaudens, & diem cælestium nuptiarum cum exultatione expectans. Beatum verò Andream Apostolum, qui Crucem Domini tanto amore complexus fuit, vt de ea descendere noluerit, valde habuit familiarem, eumque inter cæteros sanctos præcipuè diligebat: qui etiam ante supremam infirmitatem his verbis eam consolabatur: Confide filia: ego te non deseram: sed quemadmodùm Christi nomen & fidem confessus sum, & non negaui: ita in obitu tuo tibi adero, & coram Deo meo te confitebor, tibique testimonium perhibebo.

Trium mẽsium spatio non nisi vndecies cibum sumit.

XI. IAM tempus promissum propè aderat, quod illa multis lachrymis anteuerterat, multis gemitibus & suspirijs, vt adesset, postulauerat. Ecce repentè factus est sonus, & vox turturis audita est in terra nostra, vox exultationis & confessionis, quasi sonus epulantis & iubilantis, tanquam sonus sublimis Dei. Extersit Dominus omnem lachrymam ab oculis ancillæ suæ, & repleuit cor eius exultatione. Cœpit enim clara voce, & alta cantare, nec cessauit spatio dierum trium & noctium laudare Deum, Deo gratias agere, suauissimam cantilenam de Deo, de beatissima Virgine, de spiritibus Angelicis & sanctis alijs, de amicis suis, de scripturis diuinis rythmicè & dulci modulatione contexere: nec deliberabat, vt sententias inueniret: neque moras nectebat, vt inuentas ante disponeret: sed tanquam si dictarentur scribenti, ita dabat illi Dominus illo tempore, quid diceret. Continua vocis contentione iubilans, nec cogitando laborabat, nec disponendo cantum interrumpebat. Vnus autem è Seraphin, vt ipsi videbatur, alas suas supra pectus eius habebat expansas: quo subministrante & humanissimè adiuuante, adspirabatur ei carmen isthuc sine vlla difficultate. Porrò cùm sic tota die vsque in noctem cecinisset, præ vocis contentione raucæ factæ sunt fauces eius, ita vt in primis noctis initijs vix posset vocem vllam edere. Ea re lætabatur Prior domus nostræ, quòd proxima luce, nempè Dominico die, è diuersis locis soleant homines sæculares ad ecclesiam nostram confluere: quos verebatur, si eam tam contenta & alta voce sine cessatione concinentem audirent, offensionem & scandalum inde accepturos, & pro fatua eam habituros. Et tamen filij huius sæculi, filij doloris, non mirantur, si quis clamet præ angustia & dolore, vt fit à parturiente: stupent autem & admirantur, si quis præ gaudio ex cordis abundantia erumpat in clamores, nec se possit intra silentium continere. Sed filij gaudij, cùm talia audiunt, non murmurant, nec offenduntur: sed cum multa humilitate & modestia, Dei magnalia in sanctis eius venerantur. Manè alterius diei tympanistria nostra altiùs & clariùs cœpit citharizare. Angelus enim Domini illa nocte omnem raucedinem ab eius gutture deterserat, immittens in pectus admirandæ suauitatis vnctionem: sicque reparatis arterijs & voce instaurata, toto ferè die non cessauit à laudibus Dei. Homines tamen eò aduentantes non nisi vocem exultationis & harmoniam modulationis audiebant. Clausis enim ostijs, & omnibus exclusis, Prior noster & ancilla sanctæ mulieris cum illa permanserant in ecclesia: atque ij ipsi multa ex illis, quæ in arcanis cælestibus illa depromebat, assequi non potuerunt: quædam verò intellexêre, sed pauca prohdolor memoria retinuerunt. A summo autem & primo tono suam cantionem ordita fuit, nempe à sacrosancta Trinitate, Trinitatem in vnitate, & Vnitatem in Trinitate diutissimè laudans, & mirabilia & quasi ineffabilia interserens, quædam etiam è scripturis diuinis nouo & admirabili modo exponens, ex Euangelio & Psalmis, è nouo & veteri testamento, quæ nunquam audierat, multa subtiliter edisserens. A Trinitate verò ad Christi humanitatem descendit inde ad beatissimam Virginem: posteà de sanctis Angelis, de Apostolis & alijs sanctis multa pronuncians: ad extremum tanquam in vltimo iam puncto constituta, multa de amicis suis, qui etiamnum superstites sunt, dicens, eosque per ordinem Domino singulatim commendans, & multas pro eis preces fundens. Atque hæc omnia rythmicè & Latine ab ea enunciabantur. Dicebat verò inter cætera, à lumine sacrosanctæ Trinitatis sanctos Angelos habere intelligentiam: à lumine verò corporis Christi glorificati, in sanctis animabus fructum eos capere & exultationem. Beatissimam quoque Virginem Mariam iam cum corpore glorificatam constanter asserebat: & corpora sanctorum, qui Christo passo surrexerunt, nunquam postea in puluerem reuersa aiebat: multumque eo nomine lætabatur, quòd Spiritus sanctus propediem esset visiturus Ecclesiam suam, & solito copiosiùs per vniuersam Ecclesiam missurus operarios suos, qui animarum fructus adferrent, mundumque maxima ex parte illuminaturus. Dicebat etiam, cùm de beato Stephano protomartyre caneret, quem paradisi rosarium appellabat, illi sub mortem oranti Dominum pro munere dedisse sanctum Paulum: & beato Paulo, peracto martyrio, è corpore excedente, sanctum Stephanum adfuisse, eiusque spiritum obtulisse Domino atq; dixisse: Domine, hoc ingenti & singulari munere tu me donâsti: ego verò multiplici fructu auctum tibi illud reddo. Pro quodam etiam Concionatore, quem ei Dominus dederat, multùm orans, rogabat, vt pius Dominus eum conseruaret, quo spiritum illius morientis posset ipsa ei offerre, & quem ab illo accepisset, ei cum vsura restituere. Miro autem modo omnes concionatoris, illius tentationes, cunctaq; fere peccata, quæ olim admiserat, commemorans, Dominum precabatur, vt ab eiusmodi illum seruaret. Audiebat hoc Prior noster, qui eius hominis nouerat conscientiam & audiebat confessiones: cumque ad illum veniisset, dixit ei: Exposuisti dominæ Mariæ peccata tua? Illa certè inter cantandum ita ea recitauit, ac si coram se in libro scripta videret. Canticum beatissimæ Mariæ virginis, putà Magnificat, rythmicè & Romana lingua creberrimè repetebat, multam suauitatem ex ea persentiens. Cùm iam autem sub finem cantionis ad Simeonis canticum peruenisset, deuotissimè commendauit Domino amicos & amicas suas, fœminas religiosas Leodij degentes, atque pro pace illarum orans, per singulas clausulas primum eius cantici versum, Nunc dimittis Domine &c. repetebat. Atque etiam pro religiosis Niuellanis, multisque alijs in Leodiensi diœcesi manentibus Domino preces offerens, semper, Nunc dimittis, repetebat. Expletis tandem tribus illius iubilationis diebus, lectulum suum in ecclesia ante aram iussit præparari, & ad se reuersa accitis fratribus, dixit: Præcesserunt lamentationes, me pro peccatis lugente: præcessit carmen, me propter bona sempiterna exultante & iubilante: & ecce sequitur Væ infirmitatis & mortis. Nunquam deinceps cibum sumptura sum, nunquam lectura in hoc codice. Atque ita tradens fratribus libellum, quem habebat, in quo preces & carmina quædam de beata Maria, quæ canere solebat, inerant, disciplinæ Domini patienter se permisit & subdidit, finemque beatum in silentio & spe exspectauit.

De cantu eius ante ægritudinem.

Vide rem admirandam in fœmina.

Stupenda Dei opera in sanctis eius venerari debemus.

Per id tempus Dominicanorũ, Franciscanorum, &c. Ordines inchoabantur.

XII. IN hac verò ægritudine grauiter quidem corpore laborabat, sed intus animo suauiter quiescebat. Sancti enim, qui illi adhuc rectè valenti crebrò adstiterant, crebriùs eam iam afflicta correptam valetudine inuisebant. Et ipse Christus sæpe illi apparens & quasi commiserantis vultu in eam respiciens, itemq; sanctissima mater eius, ei fere semper assistens, illam consolabantur. Inter omnes autem beatus Andreas Apostolus ad eam sæpe veniens, haud vulgari

In grauissima ægritudine mirè diuinitus visitatur.

eam consolatione afficiebat, ita vt penè omnem doloris sensum ab ea auferret. Sancti etiam Angeli aderant ei, & officioſe inseruiebant. Ita cùm nocte quadam siti laboraret, nec posset tamen, nimia morbi vi impedita, suis viribus surgere & ambulare, duobus sanctis angelis eam sustentantibus, & ducentibus ad locum, vbi reposita erat aqua, bibit, & rursus illis eam reducentibus ad lectulum suum absq; vllo labore reuersa est. Cùm autem, beatissima virgine ipsam prænonente, extremam vnctionẽ acciperet, Apostoli omnes præcipuè adfuêre, & beatus Petrus claues ostendens, pollicebatur se illi cæli ianuam patefacturum: porrò Christus signum crucis, vexillum victoriæ suæ, ad eius pedes fixit. Cumq; in diuersis locis vngeretur, in ipsa sacramẽti eius perceptione sancti spiritûs operationẽ cum ingenti singulorum locorum illustratione persensit. Quidam etiam amici & noti eius, qui iam pridem obierant, eius consolandæ causa ad eam missi sunt: Iohannes Dinantinus, qui iam cum Christo regnabat, & frater Richardus de Menesar Capella vir sanctus & bonus cùm viueret, sed etiamnum luens pœnas Purgatorias. Alius quidam, grauissimis subditus Purgatorij cruciatibus, apparuit illi, poscens opem ab illa. Habuerat ille & habitum & nomen religionis, & perfectionis professionem præ se tulerat: sed posteà cum multorum scandalo & religionis opprobrio ad sæculũ reuertens, cum quadam contraxerat coniugium, quæ itidem diù perfectionis viram præ se tulerat, sed deinde primam fidem irritam fecerat. Ante omnia autem eo nomine se cruciari dicebat, quòd Dei Ecclesiam scandalo suo læsisset. Sanctus Tolosanæ ecclesiæ Episcopus, quandoque eius inuisendi causa ad eam venit, ex cuius præsentia maximam illa cepit consolationem, & ad tempus etiam corporis vires: porrò beatissima Virgo, vt ipsi videbatur, quasi in aëra contra sanctum Episcopum eam subleuauit. Cùm aũt idem Episcopus in ea ecclesia altari beatæ Virginis consecrato, Missarum solennia celebraret, Domino ostendente, vidit in perceptione sacramenti columbam candidam, sancto Episcopo in os Eucharistiam inferentem, & ingentem claritatem eum intus penetrantem, eiusq; animam illustrantem. In ea infirmitate tametsi nihil penitus edere posset, imò nec modici panis odorem perferre, facilè tamen & quidem crebrò Christi corpus sumebat: quod statim quasi liquescens, & in animam eius transiens, non solùm illam confirmabat, sed etiam corporis infirmitatem sine mora releuabat. Quandoq; sumente illa tum Eucharistiam, facies eius quosdam ex se luminis radios vibrare & diffundere videbatur. Nos quidem tentabamus aliquando, num hostiam non consecratam sumere posset, sed illa à panis odore mox obhorruit, & cùm nisi exiguam particulam dentibus attigisset, cœpit clamare, expuere, & perinde ac si pectus rumperetur, anhelare & cum ingenti anxietate singultire. Cumque diù præ dolore clamâsset, & sæpiùs os aqua abluisset, magna noctis parte exacta, vix potuit quiescere. Nunquã autem, quantumuis imbecillo esset corpore, quanlibet euacuato & exhausto capite, vt pote quæ quinquaginta & tribus diebus sub mortem prorsus nihil cibi accepit, lumen solis ferre non potuit, nunquã ad lucis splendorem oculos clausit: &, quod est mirabilius, cùm iuxta eam & propè ad aures eius in ecclesia, alta voce cantaremus, campanas diù & fortiter pulsaremus, quoddam etiam altare, vt ab Episcopo Tolosano consecraretur, multorum cæmentariorum malleis cædentium opera iuxta eam extrueremus, nullo vnquam strepitu, quem Dei & eius ecclesiæ causa fieri sciret, affligi potuit. Sonus enim ille, vt ipsa, cùm nos ei condoleremus, asserebat, nulla caput eius molestia afficiebat. Confluxêre tum ad illam è diuersis locis amici & noti, vt eam visitarent. Nobis autem de quibusdam, qui necdum ad illam venerant, loquentibus, de alijs dicebat, se illos adhuc visuram: de alijs verò, se nunquam in hac vita eos conspecturam: quod ita etiam euenisse scimus. Illustris quædam matrona, Louanensis Ducis quondam coniunx, quæ contempto sæculo, ordinis Cistertiensis monasterium petierat, monasticam in illo vitam professa, longè ante eius obitum, cùm adhuc esset in Villenbroc, eam vidit, recedensq; ab ea, dixit: Nescio domina, an posthac vnquam te visura sim. At illa respondit: Imò videbis me. Itaq; vbi audiuit, procùl à nobis versus Coloniam habitans, sanctam mulierem in extremis agere: Confido, inquit, in Domino, quemadmodùm promisit mihi, illam me adhuc conspecturam: & ita factum est. Quando enim illa venit ad nos, iam pro defuncta campanæ pulsabantur: at tamen præsens adfuit, cùm eius corpus lauaretur, & monumento conderetur. Prædixit etiam cuidam ex nostris Christi ancilla secretò, quædam post mortem eius euentura, quæ spiritu sancto reuelante & promittente didicerat, quæ nos ita propter scandalum infirmorum subiunximus, vt cùm euenerint, facilè è scriptura possint animaduerti. Interim verò sermones signauimus, & diligenter clausimus: fortassis enim pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia. Sunt quidam, qui quod Deus ad posterorum vsum & vtilitatem seruat, nisi statim viderint suos habere progressus, murmurent, & dicant cum Iudæis: Mandata, remanda: expecta, reexpecta. Quædam certè iam vidimus ita contigisse, vt illa prædixit, vt de loco sepulturæ eius, de vestibus sanctificatis & honoratis propter frigus, & de secunda feria, qua iacuit in terra iam exanimis. Quæ cùm ita acciderint, vt illi futura dixit, cætera etiam certissimè euentura expectamus: putà de cantu *nouo solennitatis, propter voces angelorum, quas audierat, ipsi à Domino promisso: de miraculis, propter splendores, quos viderat: sicut suprà dictum est, Dominum illi cum multo lumine sæpè apparuisse: de duplici ieiunio in duabus solennitatibus. Nam propter biduana ieiunia, illa non rarò tertio demum die capiebat cibum: denique de imagine propria & veneranda imagine beatissimæ Virginis, quam sæpè ipsa supplicando venerata est.

Notate hoc desertores vitæ monasticæ.

Nota sanè rem notatu dignam.

Diebus 53. nihil edit.

*nouæ legẽdum puto.

ADVENTANTE autem hora decessus eius, ostendit Dominus filiæ suæ portionem hæreditatis eius inter fratres, XVIII. viditque locum in cælis sibi præparatum: vidit, & gauisa est. Cuius quidem loci celsitudinem & gloriæ magnitudinem possemus vtcunque saltem æstimare, si lapides preciosos & vires gemmarum, itemq; nomina, quæ Domino indicante, expressit, memoriæ mandare potuissemus. Sed quoniam scriptum est, Oculus non vidit, Deus, præter te, quæ præparâsti diligentibus te: non possumus comprehendere, sed tantùm vtcunque conijcere, quanta gloria digna sit, quæ tam piè, tam deuotè Domino seruiuit, tam ardenter dilexit Christum, quam tot priuilegijs Dominus in terris peculiariter cohonestauit. Quinta feria ante obitum eius, cùm essemus præsentes, & assisteremus ei ad vesperam, nec loqui nobis voluit, nec ad nos oculos aduertit: sed defixis immobiliter in cælum oculis, (iacebat enim extra cellulam sub dio) vultus eius cœpit quasi serenitate quadam clarere: illa verò præ gaudio diutissimè subridens, & accuratiùs aures accommodans, non nisi parum aliquid eius cantilenæ potui percipere, istuc videlicet: Quàm pulcher es rex noster Domine. In eo gaudio postquam diù perstitit cantando, ridendo & interdum plaudendo manibus, tandem ad se reuersa, velut denuò ad sensum morbi, quem interim non senserat, reducta nonnihil ingemuit. Scisciantibus autem nobis quidnam vidisset, parum & voluit & potuit nobis dicere: Mirabilia, inquiens, dicerem, si auderem. Vespere autem sabbati, cùm iam immineret dies, quam fecit Dominus, dies nuptialis, dies gaudij & exultationis, dies, quam ancillæ suæ Dominus prouiderat & promiserat, dies Dominica, dies resurrectionis, dies vigiliæ S. Iohannis Baptistæ, qua fertur etiam S. Iohannes Euangelista migrâsse è sæculo, licet eius festus dies alio tempore ab Ecclesia celebretur: eo, inquam, die ancilla Christi, quæ iam diebus quinquaginta duobus nihil prorsus comederat, dulci voce cantauit Alleluia, & tota ferè nocte illa, tanquam ad epulas inuitata, fuit in iubilo & exultatione. Die verò Dominico apparuit ei satan, & insidias faciens calcaneo eius, multùm eam vexauit, ita vt nonnihil paueſceret, & à circumstantibus opem poſceret. Sed rursus fiduciam in Dominum concipiens, caputq; draconis fortiter conterens, & sese muniens Crucis signo: Discede, inquit, sanies & turpitudo. Non enim turpem eum dicere voluit, sed ipsam turpitudinem. Illo deinde profligato, rursus cantauit Alleluia, & Domino gratias egit. Appropinquante ergo vespere eius diei, qui natalem S. Iohannis Baptistæ antecedit, circa illam horam,

Videt Maria locum in cælis sibi paratum. Esai. 64.

Migraturæ è vita infestus est satã. Ab ea profligatur

Feliciſſime

horam, qua Christus in Cruce spiritum reddidit, ipsa quoque ad Dominum migrauit, nullo vnquam mortis dolore vultûs hilaritatem amittens: neq; memini etiam tum, cùm esset benè incolumis, talem me quandoque in ea vidisse vultûs serenitatem & alacritatem. Neque enim, vt in cæteris videmus, post mortem pallor aut fuscus color eius obtinuit faciem: sed vultu angelico, columbina simplicitate, candida & luculenta facie multos & in morte & post decessum ad pietatem & deuotionem permouit. Multi etiam multo lachrymarum imbre ad eius obitum suauiter perfusi, meritis eius à Domino se visitari senserunt: quod quidem sancta quædam mulier ex diuina reuelatione prædixerat, fore vt qui ea moriente adessent, diuina consolatione afficerentur. Cùm autem defunctæ sacrum corpusculum ablueretur, adeò visa est exhausta, extenuata, morbo & ieiunijs confecta, vt dorsi eius spina ventri adhæreret, & velut sub tenui panno lineo, ossa dorsi sub ventris pellicula cernerentur. Porrò post mortem non reliquit eos, quos in vita dilexerat: sed ad quosdam rediens, sanctas etiam & probatæ vitæ fœminas crebrò alloquens amicos suos docuit in agendis, & præmuniuit in periculis, certis & secretis quibusdam signis omnem ab illis hæsitationem excludens. Quibusdam etiam amicis suis impetrauit à Domino precibus suis & sapientiæ splendorem, & charitatis ardorem. Quidam Cistertiensis instituti sanctus monachus vidit in somnis ab eius ore calicem aureum prodire, vnde plerisque amicis suis potum præberet. Retulit mihi alius quidam in somnis se vidisse corpus eius tanquam in lucidissimam gemmam mutatum. Anno autem incarnati Verbi millesimo ducentissimo tertio decimo, nono Calend[illegible] Iulij, pridiè natiuitatis S. Iohannis Baptistæ, die Dominico sub horam nonam, preciosa Christi margarita Maria (sine de Oegnies, annum circiter tricesimum sextum ætatis suæ ad regis sempiterni palatium introducta[illegible]a sine morte, dies sine nocte, veritas sine mendacio gaudium absque mœrore, securitas timoris expers, [illegible]is nescia, æternitas finem nullum habitura, vbi curis nullis angitur animus, nullo dolore afficitur c[illegible]ognoscemus, sicut &[illegible]Iesus Dominus noster.

Abit ad Dominum.

Corpus eius mirè exesum & attenuatũ.

Moritur A. 1213.

1. Cor. 13. 1. Cor 15.

VIRGINIS Dominicæ Nouissima stet, quæ uis tacita fide digna

ANNO 1160.

PROLOG.

Est in Vitæ eius præfatione.

Homobonus cremonensis fuit, eo honesta tuceriæ familia, patre mercatore, nopulento illoquidem, sed tamen nec sordido: quippè cui ab atauis vsq; ad ipsum in urbe apud suos Diuites eo die urbanus, unde vicani honeraria quotannis capiebat: cuius Parentes cœlesti quodammentis præsagio, atq; afflatu diuino inspirati, voluerunt eum eo sacro Baptismatis fonte sublatum, homobonus nominari. huius enim nominis, verissimè, & apposissimè indita ratione, tota omnino illius postea vita, adeò apertè declarauit; ut nè fortuitò, sed meritò; nec hominis, sed intercepitatis nomen fuisse videat.

Mortuo patre, ipse suum ius efficax, capit cogitare, nobis hic nec permanere, atq; falla[illegible]

vti ea certissima & indubitata relatione didicimus, explicemus.

I. ITAQVE venerabilis Christi virgo Christina in *oppido S. Trudonis in Hasbania honestis parentibus orta est: quibus è vita abeuntibus, illa cum duabus sororibus relicta est, ijs natu minor. Porrò sorores illæ vitam suam religiosè & piè instituere cupientes, ita inter se sua munia partitæ sunt, vt maxima natu vacaret precibus, media domûs & rei familiaris haberet curam: postremo loco nata Christina, ad pascua euntia pecora custodiret. Quod illa, tametsi præ cæteris humilius & abiectius videretur, libens suscepit: nec Christus ei suam adhibere consolationem distulit, internæ suauitatis illi suppeditans gratiam, & secretorum cœlestium eam non rarò consciam & participem reddens. Interim tamen illa mansit omnibus incognita, soli Deo tanto notior, quanto occultior cæteris. Vnde apud Esaiam gloriatur Dominus: Secretum meum mihi, secretum meum mihi. Est enim verecundus amator Dominus Iesus.

* alias pago qui Brusemũ dicitur.

Patria & educatio.

Diuinis cõsolationib. & reuelationibus fouetur.

Esa 24.

II. PORRO a ab internis illis sanctæ contẽplationis exercitijs vires corporis eius adeò debilitatæ sunt, vt vitã cum morte cõmutarit. Positũ itaq; in medio est corpus exanime, amicis & inprimis sororib. eius acerbè lugentibus: deinde mane ad templũ deportatũ est: vbi cùm pro anima eius Missæ sacrificium offerretur, subitò se se cõmouente corpore in feretro, illa surrexit, & mox instar auiculæ sursum scãdens, ad tẽpli trabes vsq; puenit. Rei nouitate perriti omnes, qui illic aderant, inde aufugerũt: sola soror natu maxima, non absq; formidine, illic permansit. Sedit a. Christina immota, donec peractũ esset sacrificium. Eo absoluto, sacerdote eam cõiurante, coacta est descendere. Id verò quidã sic interpretantur, quòd purus & subtilis spiritus eius, ab humanorum corporũ odore abhorruerit. Inde cum sororibus domum abijt, ciboq; corpus refecit. Venerunt autem ad illam *spirituales quidam amici illius, & quidnam vel vidisset, vel passa esset, ab ea percontati sunt.

Vt mortua fuerit.

Redit à morte ad vitam.

* speciales

eam consolatione afficiebat, ita vt penè omnem doloris sensum ab ea auferret. Sancti etiam Angeli aderant ei, & officioſe inseruiebant. Ita cùm nocte quadam siti laboraret, nec posset tamen, nimia morbi vi impedita, suis viribus surgere & ambulare, duobus sanctis angelis eam sustentantibus, & ducentibus ad locum, vbi reposita erat aqua, bibit, & rursus illis eam reducentibus ad lectulum suum absq; vllo labore reuersa est. Cùm autem, beatissima virgine ipsam præmonente, extremam vnctionẽ acciperet, Apostoli omnes præcipuè adfuêre, & beatus Petrus claues ostendens, pollicebatur se illi cæli ianuam patefacturum: porrò Christus signum crucis, vexillum victoriæ suæ, ad eius pedes fixit. Cumq; in diuersis locis vngeretur, in ipsa sacrameti eius perceptione sancti spiritûs operationẽ cum ingenti singulorum locorum illustratione persensit. Quidam etiam amici & noti eius, qui iam pridem obierant, eius consolandæ causa ad eam missi sunt: Iohannes Dinantinus, qui iam cum Christo regnabat, & frater Richardus de Menesar Capella vir sanctus & bonus cùm viueret, sed etiam num luens pœnas Purgatorias. Alius quidam, grauissimis subditus Purgatorij cruciatibus, apparuit illi, poscens opem ab illa. Habuerat ille & habitum & nomen religionis, & perfectionis professionem præ se tulerat: sed posteà cum multorum scandalo & religionis opprobrio ad sæculũ reuertens; cum quadam contraxerat coniugium, quæ itidem diù perfectionis viram præ se tulerat, sed deinde primam fidem irritam fecerat. Ante omnia autem eo nomine se cruciari dicebat, quòd Dei Ecclesiam scandalo suo læsisset. Sanctus Tolòsanæ ecclesiæ Episcopus, quandoque eius inuisendi causa ad eam venit, ex cuius præsentia maximam illa cepit consolationem, & ad tempus etiam corporis vires: porrò beatissima Virgo, vt ipsi videbatur, quasi in aëra contra sanctum Episcopum eam subleuauit. Cùm aũt idem Episcopus in ea ecclesia altari beatæ Virginis consecrato, Missarum solennia celebraret, Domino ostendente, vidit in perceptione sacramenti columbam candidam, sancto Episcopo in os Eucharistiam inferentem, & ingentem claritatem eum intus penetrantem, eiusq; anim[illegible]ntem. In ea infirmitate tametsi nihil penitus edere posset, imò nec modici panis odorem perferre, fac[illegible] quidem crebrò Christi corpus sumebat: quod statim quasi liquescens, & in animam eius transiens, non s[illegible]onfirmabat, sed etiam c[illegible]ius quosdam ex se l[illegible]p non consecra- [illegible] sumente illa tum Eucha[illegible]attigisset, cœpit

Notare hoc desertores vitæ monasticæ.

Nota sanè rem notatu dignam.

Diebus nihil ed

Ducissa uanitẽsi sanctim nialis.

Dan 1

Esai. 2

*noua dum p

Videt ria lo in cæl parati Esai. 6

[illegible]um què diù præ [illegible]ã autem, quan- [illegible]& tribus diebus [illegible]os clausit: &, ꝙ [illegible]: fortiter pulsa- [illegible] malleis cæden- [illegible]t, affligi potuit. [illegible]nfluxêre tum ad [illegible]m venerant, lo- [illegible]uram: quod ita [illegible]mpto sæculo, or- [illegible]cùm adhuc esset [illegible]t illa respondit: [illegible] extremis agere: [illegible]ctum est. Quan- [illegible]s corpus lauare- [illegible]ost mortem eius [illegible]morum subiun- [illegible]is, & diligenter [illegible]Deus ad postero- [illegible] Iudæis: Manda, [illegible]pulturæ eius, de [illegible]is. Quæ cùm ita [illegible]olennitatis, pro- [illegible]os viderat: sicut [illegible] solennitatibus. [illegible]propria & vene- [illegible]ius inter fratres, XIII. [illegible]oriæ magnitudi- [illegible]quæ Domino in- [illegible]Deus, præter te, [illegible]uanta gloria di- [illegible]legijs Dominus [illegible]remus ei ad ve- [illegible] (iacebat enim [illegible] eius cœpit quasi serenitate quadam clarere: [illegible]iutissimè subridens, nescio quid submissa voce cantabat. non enim poterat iam altiùs intendere vocem. Ego tum propiùs accedens, & accuratiùs aures accommodans, non nisi parum aliquid eius cantilenæ potui percipere, istuc videlicet: Quàm pulcher es rex noster Domine. In eo gaudio postquam diù perstitit cantando, ridendo & interdum plaudendo manibus, tandem ad se reuersa, velut denuò ad sensum morbi, quem interim non senserat, reducta nonnihil ingemuit. Scisciantibus autem nobis quidnam vidisset, parum & voluit & potuit nobis dicere: Mirabilia, inquiens, dicerem, si auderem. Vespere autem sabbati, cùm iam immineret dies, quam fecit Dominus, dies nuptialis, dies gaudij & exultationis, dies, quam ancillæ suæ Dominus prouiderat & promiserat, dies Dominica, dies resurrectionis, dies vigiliæ S. Iohannis Baptistæ, qua fertur etiam S. Iohannes Euangelista migrâsse è sæculo, licet eius festus dies alio tempore ab Ecclesia celebretur: eo, inquam, die ancilla Christi, quæ iam diebus quinquaginta duobus nihil prorsus comederat, dulci voce cantauit Alleluia, & tota ferè nocte illa, tanquam ad epulas inuitata, fuit in iubilo & exultatione. Die verò Dominico apparuit ei satan, & insidias faciens calcaneo eius, multùm eam vexauit, ita vt nonnihil paueſceret, & à circumstantibus opem poſceret. Sed rursus fiduciam in Dominum concipiens, caputq; draconis fortiter conterens, & sese muniens Crucis signo: Discede, inquit, sanies & turpitudo. Non enim turpem eum dicere voluit, sed ipsam turpitudinem. Illo deinde profligato, rursus cantauit Alleluia, & Domino gratias egit. Appropinquante ergo vespere eius diei, qui natalem S. Iohannis Baptistæ antecedit, circa illam horam,

Migraturæ è vita infestus est satã. Ab ea profligatur

Feliciſſime

horam, qua Christus in Cruce spiritum reddidit, ipsa quoque ad Dominum migrauit, nullo vnquam mortis dolore vultûs hilaritatem amittens: neq; memini etiam tum, cùm esset benè incolumis, talem me quandoque in ea vidisse vultûs serenitatem & alacritatem. Neque enim, vt in cæteris videmus, post mortem pallor aut fuscus color eius obtinuit faciem: sed vultu angelico, columbina simplicitate, candida & luculenta facie multos & in morte & post decessum ad pietatem & deuotionem permouit. Multi etiam multo lachrymarum imbre ad eius obitum suauiter perfusi, meritis eius à Domino se visitari senserunt: quod quidem sancta quædam mulier ex diuina reuelatione prædixerat, fore vt qui ea moriente adessent, diuina consolatione afficerentur. Cùm autem defunctæ sacrum corpusculum ablueretur, adeò visa est exhausta, extenuata, morbo & iciunijs confecta, vt dorsi eius spina ventri adhæreret, & velut sub tenui panno lineo, ossa dorsi sub ventris pellicula cernerentur. Porrò post mortem non reliquit eos, quos in vita dilexerat: sed ad quosdam rediens, sanctas etiam & probatæ vitæ fœminas crebrò alloquens amicos suos docuit in agendis, & præmuniuit in periculis, certis & secretis quibusdam signis omnem ab illis hæsitationem excludens. Quibusdam etiam amicis suis impetrauit à Domino precibus suis & sapientiæ splendorem, & charitatis ardorem. Quidam Cistertiensis instituti sanctus monachus vidit in somnis ab eius ore calicem aureum prodire, vnde plerisque amicis suis potum præberet. Retulit mihi alius quidam in somnis se vidisse corpus eius tanquam in lucidissimam gemmam mutatum. Anno autem incarnati Verbi millesimo ducentissimo tertio decimo, nono Calendas Iulij, pridiè natiuitatis S. Iohannis Baptistæ, die Dominico sub horam nonam, preciosa Christi margarita Maria Oegniacensis siue de Oegnies, annum circiter tricesimum sextum ætatis suæ ad regis sempiterni palatium introducta est: vbi vita sine morte, dies sine nocte, veritas sine mendacio gaudium absque mœrore, securitas timoris expers, requies laboris nescia, æternitas finem nullum habitura: vbi curis nullis angitur animus, nullo dolore afficitur corpus. Vbi torrens voluptatis diuinæ omnia implet & satiat spiritu verissimæ libertatis: vbi cognoscemus, sicut & cogniti sumus, quando erit Deus omnia in omnibus, cùm dederit regnum Deo & patri Christus Iesus Dominus noster: Qui cum eodem patre & spiritu sancto viuit & regnat per infinita sæcula sæculorum, Amen.

Abit ad Dominum.

Corpus eius mirè exesum & attenuatũ.

Moritur A. 1213.

1. Cor. 13.

1. Cor 15.

VITA SANCTÆ MEMORIAE CHRISTINAE VIRGINIS, QVAM MIRABILEM VOCANT, EDITA A F. THOMA CANTIPRATENSI Dominicano: Quemadmodùm habetur in exemplari MS. Idem autem testatur Dionysius Carthusianus, libro de 4. Nouissimis, articulo 30. vbi hunc Thomam vocat virum litteratum, religiosum ac nobilem. Etsi autem mihi nondum constet, qua die obierit hæc virgo, tamen ob multas rationes, quòd fuerit contemporanea Mariæ Oegniacensis, quòd eius, cuius tacito nomine, in Præfatione in vitam eiusdem Mariæ, vir grauissimus Iacobus Vitriacensis faciat mentionem, quòd fide dignissimum eius vitæ authorem habeat, quòd multam vtilitatem eius cognitio possit lectori adferre, & ob alia quædam eam hoc loco collocare volui, certus me ea re gratificari pijs, qui eiusmodi lectione non mediocriter incitantur ad pietatem. Stylum ferè totum mutauimus, & quædam reddidimus paraphrasticẽs.

AN. 1160.

SCRIPTVRI vitam memorabilis Christi virginis Christinæ, id in ipso opusculi limine commemorandum putamus, quod venerabilis ille Iacobus Achonensis Episcopus, postea Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, in vita beatæ Mariæ Oegniacensis, à se edita, his ferè verbis commemorat: Vidi aliam, (Christinã accipe) circa quam admirabiliter operatus est Dominus, ita vt cùm diù iacuisset exanimis, ante quam corpus eius monumento conderetur, anima in corpus reuertente, reuixerit, atq; à Domino obtinuerit, vt in hoc sæculo viuens, Purgatorium pateretur. Itaq; multo tempore mirum in modum à Domino afflicta, quandoque se volutabat in igne, nonnunquam hyberno tempore in aqua congelata diù morabatur, interdum in mortuorum sepulchra ingredi cogebatur. Tandem verò, peracta pœnitentia, in tanta pace vixit, tantamq; à Dño gratiam adepta est, vt crebrò rapta in spiritu, defunctorũ animas vsq; in Purgatorium vel per Purgatorium absq; vlla suî læsione, & ad superna regna deduceret. Hæc quidem ille venerabilis Iacobus Episcopus de ea annotauit: ego verò indignus frater ordinis Prædicatorum, ad Christi gloriam & lectoris ædificationem, vitam eius conscribẽdam suscepi, imperito quidẽ & inculto sermone, sed certa veritate, quã habeo ex aliorum relatione. Neq; temerè id dixerim, certa me commemoraturum, cùm tot planè testes producere liceat in permultis, quæ à me adferentur, quot tum in oppido Trudonensi rationis compotes esse potuêre. Neque enim in angulis & latebris hæc gesta sunt, sed planè in luce & sub aspectu plurimorum: neque tam longa temporum spacia interceserê, vt ea potuerit obliuio abolere, & ab hominum memoria excludere, cùm ab eius obitu vsque in præsens, non nisi octo anni fluxerint. Ea verò, quæ nullus mortalium præter ipsam nôsse potuit, ab illis didici, qui se ea ex eius ore percepisse testati sunt. Certus autem sit, quisquis hæc legerit, ijs me testibus fidem adhibuisse, à quibus tam longè abfuit fingendi libido, vt vitam potiùs ipsam prodituri fuerint, quàm à veritatis tramite deflexuri. Fatemur quidem, & res ipsa docet, ea, quæ dicturi sumus, humana ratione plerumque capi non posse, quippe quæ pro naturæ vsu & ordine fieri nequiuerint: nec tamen negari potest, possibilia esse Deo præpotenti creatori: quanquam nec sic ego vllo pacto ea scripturus fuerim, nisi me eius, quem dixi, reuerendissimi antistitis Iacobi, in maioribus testimonium confirmâsset. Itaque opusculum hoc ita distinguere placuit, vt primo loco quemadmodùm educata sit & nutrita, atque deinceps cætera, quæ ab illa gesta sunt, vti ea certissima & indubitata relatione didicimus, explicemus.

PROLOG.

Est in Vitæ eius præfatione.

Veritas huius historiæ

I. ITAQVE venerabilis Christi virgo Christina in *oppido S. Trudonis in Hasbania honestis parentibus orta est: quibus è vita abeuntibus, illa cum duabus sororibus relicta est, ijs natu minor. Porrò sorores illæ vitam suam religiosè & piè instituere cupientes, ita inter se sua munia partitæ sunt, vt maxima natu vacaret precibus, media domûs & rei familiaris haberet curam: postremo loco nata Christina, ad pascua euntia pecora custodiret. Quod illa, tametsi præ cæteris humilius & abiectius videretur, libens suscepit: nec Christus ei suam adhibere consolationem distulit, internæ suauitatis illi suppeditans gratiam, & secretorum cœlestium eam non rarò conscium & participem reddens. Interim tamen illa mansit omnibus incognita, soli Deo tanto notior, quanto occultior cæteris. Vnde apud Esaiam gloriatur Dominus: Secretum meum mihi, secretum meum mihi. Est enim verecundus amator Dominus Iesus.

* *alias pago qui Brusemũ dicitur.*

Patria & educatio.

Diuinis cõsolationib. & reuelationibus fouetur.

Esa 24.

II. PORRO a. ab internis illis sanctæ contẽplationis exercitijs vires corporis eius adeò debilitatæ sunt, vt vitã cum morte cõmutarit. Positũ itaq; in medio est corpus exanime, amicis & inprimis sororib. eius acerbè lugentibus: deinde mane ad templũ deportatũ est: vbi cùm pro anima eius Missæ sacrificium offerretur, subitò se se cõmouente corpore in feretro, illa surrexit, & mox instar auiculæ sursum scãdens, ad tẽpli trabes vsq; puenit. Rei nouitate pterriti omnes, qui illic aderant, inde aufugerũt: sola soror natũ maxima, non absq; formidine, illic permansit. Sedit a. Christina immota, donec peractũ esset sacrificium. Eo absoluto, sacerdote eam cõiurante, coacta est descendere. Id verò quidã sic interpretantur, quòd purus & subtilis spiritus eius, ab humanorum corporũ odore abhorruerit. Inde cum sororibus domum abijt, ciboq; corpus refecit. Venerunt autem ad illam *spirituales quidam amici illius, & quidnam vel vidisset, vel passa esset, ab ea percontati sunt.

Vt mortua fuerit.

Redit à morte ad vitam.

* *speciales:*

Quemadmodum è corpore educta, & in illud reducta fuerit.

TVM illa: Statim, inquit, vt è corpore excessi, animam meam exceperunt lucis ministri, Angeli Dei, de- III.
duxeruntque illam in locum quendam obscurum & horridum, animabus hominum refertum. Quæ [a] verò tormenta eo in loco conspexi, ea tam immania & acerba fuêre, vt nullus possit sermone id explicare. Vidi illic non paucos vita functos, mihi, cùm viuerent, non ignotos. Valde autem miserata ego animas illas miserabiles, quærebam quis esset ille locus. Suspicabar enim tartarum esse. Responderunt mihi duces mei, locum esse Purgatorij, vbi peccatores, quos in vitâ quidem peccasse pœnituisset, sed non satis, scelerum suorum meritas pœnas darent. Inde perduxerunt me ad inferorum supplicia, in quibus itidem agnoui quosdam, mihi olim in vita notos. Postea verò translata sum in paradisum vsque ad thronum diuinæ maiestatis: vbi cùm viderem gratulantem mihi Dominum, vltra omnem modum lætabar, quòd arbitrarer illic me deinceps cum Domino in omnem æternitatem permansuram. At ille mox respondens desiderio meo: Reuera, inquit, dulcissima filia hic mecum eris: sed nunc, vtrum è duobus malis, optionem tibi facio, vel æternum hic nunc apud me permanere, vel redire ad terras, ibique in mortali corpore absque illius detrimento pœnas perferre, ijsque omnes illas animas, quas in locis purgatorijs miserabaris, liberare & eripere: efficereque vt homines adhuc in corpore manentes, tuæ pœnitentiæ & vitæ exemplis ad me conuersi, à suis facinoribus abstineant & resipiscant: peractisque omnibus, ad me tandem multis aucta meritorum cumulis reuerti. Ego verò absq; vlla cunctatione, sub conditione mihi proposita dixi me velle ad corpus redire. Et pius Dominus, gratulans quòd me promptam obtulissem, iubet animam suo corpori restitui. Qua in re exequenda admirari licet beatorum spirituum incredibilem celeritatem. Ea enim hora, cùm in Missæ sacrificio, quod pro me fiebat, diceretur primò, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, &c. anima mea sistebatur coram throno diuinæ maiestatis: cùmque tertio id repeteretur, illi me corpori reddidêre. Ita se habet & excessus meus è vita, & ad vitam reditio. Propter hominum correctionem & meditationem ad corpus reuocata sum. Itaq; deinceps oro, ne vos perturbent ea, quæ visuri estis in me. Excedent enim mentis humanæ captum, quæ Domino volente nent in me: nec talia inter mortales quandoq; comperta sunt. His auditis, admirati sunt amici eius, & non absq; stupore, quæ futura essent, præstolabantur.

[a] Pœnæ Purgatorij.

Habes exemplum eximiæ charitatis.

Ferre non potest hominum cõuictum.

† *remotas syluas.*

Virgo suo se lacte alit.

COEPIT deinde hominum conuictum & conspectum incredibili cum horrore fugere, & ad loca deserta, in IV.
arbores, ad turrium & templorum, aut aliarum rerum excelsarum fastigia confugere. Id eius amici conspicati, quòd putarent eam à malis dæmonibus occupatam, tandem multo labore comprehensam, in vincula ferrea coniecerunt. Vbi cùm multas molestias, præsertim ex hominum odore, multamq; penuriam pateretur, nocte quadam diuinitus adiuta, vinculis & compedibus dissolutis euasit, fugitque in remotam † solitudinem, instar auium illic degens in arboribus: cùmq; egeret alimento, (neq; enim quamuis subtilissimum corpus eius cibo carere potuit) dirissimaq; fame cruciaretur, nullo pacto ad hominum conuictum redire voluit, sed sola cum Domino manere in desertis locis. Itaque preces Domino offerens, suppliciter eum rogauit, vt ipsius angustias & necessitatem benignissimæ misericordiæ suæ oculis respiceret. Vix precandi finem fecit, cùm ecce ad se oculos reflectens, videt ex aridis mammillis virginei pectoris sui contra ipsa naturæ iura lac distillare. Mira profectò res, & præterquam in singulari & incomparabili Christi Domini virginea matre, cunctis sæculis inaudita. Illum igitur lacteum liquorem alimenti loco sumens, ad nouem hebdomadas suo se lacte sustentauit. Rursus autem à suis quæsita, reperta & capta est, & vt prius, vinculis ferreis constricta, sed frustrà.

LIBERATA enim iterum à Domino, venit Leodium: vbi sacrosanctas immaculati Agni paschalis carnes e- V.
suriens, supplex rogauit sancti Christophori sacerdotem, vt ipsam multis angoribus correptam, sacra communione muniret. Promisit ille quidem se id facturum, sed addidit, necdum intra horam expedire se posse. Illa moram non ferens, ad alterius Ecclesiæ sacerdotẽ se contulit, petijtq; ab illo similiter venerabile corpus Domini Iesu. Is verò absq; mora eius precibus se accommodans, illi satisfecit. Et ecce repentè quodam impetu incitata, extra vrbem aufugit. Miratur presbyter, & vna cum S. Christophori sacerdote fugientẽ insequitur vsq; ad ipsas Mosæ fluminis ripas. Cùmq; sperarent illã se ad obuias lati fluminis vndas cõprehensuros, cũ multo stupore cernunt fœminã vero & naturali corpore, haud aliter atq; phãtastico, profundos penetrare gurgites, & in vlteriorẽ ripã absq; vllo sui detrimẽto euadere. VI.

Per fluuium illæsa penetrat.

TVM vero cœpit illa exercere, quorum causa à Domino remissa fuerat. Ingrediebatur in ardẽtes clibanos, coquendis panibus præparatos, & illis incendijs haud secus, atque aliquis è nobis, cruciabatur, ita vt præ angustia & dolore horrendos ederet clamores. Postquam autem inde egressa fuit, vestigium nullum alicuius vstionis in eius corpore visebatur. Quando ad manum non erant eiusmodi furni, in hominum ædibus, iactabat se in copiosos ignes, vel pedes tantùm aut manus immittebat, tandiù illic tenens, vt nisi diuino esset seruata miraculo, non potuerint non in cineres redigi. Interdum deponebat se in cacabos plenos bullientis aquæ vsq; ad mammillas, vel si nõ essent profundi satis cacabi, vsq; ad renes, membra illa, quæ in aquam eiusmodi mergere non poterat, aquâ feruenti perfundens. Etsi autem præ dolore instar parturientis, clamaret, attamen detrimenti nihil in egredientis corpore appatebat.

Vt igne se mirabiliter cruciarit. Not a lector & cogita Deum mirabilem in sanctis suis.

SVB aquis Mosæ fluminis hyberno tempore, cùm rigerent omnia gelu, crebrò & diù morabatur, sex & eo am- VII.
plius diebus in eis perdurans. Accedente autem ad fluuium sacerdote, qui eius gerebat curam, eamq; per Christi nomen adiurante, cogebatur inde exire. Solebat etiam hyeme sub molendini rota erecta stare, ita vt aquâ, vertente se rota in medium verticem & totum corpus eius dilaberetur. Interdum in aquis natans, simul cum illis ferebatur in rotam, atque ita horrendum in modum circumacta cum ipsa rota, membris omnibus mansit incolumis.

Vt in aquis gelidis se afflixerit.

IN rotis etiam, quibus piratæ plerumq; puniri solebant, instar eorum, qui illis excarnificantur, contorquebat VIII.
brachia & crura sua: nec tamen, postquam ab illis descendit, vlla in membris eius contritio vel fractura visebatur. Nonnunquam in patibulo inter fures ab illo pendentes se suspendebat ad vnum aut alterum diem: sæpè in monumenta mortuorum ingrediebatur, lugens illic hominum peccata.

Vt in rotis & patibulo se torserit.

SVRGEBAT quandoq; medijs noctibus, & totius oppidi Trudonensis canes in se concitans, ante illos ipsam IX.
insectantes instar feræ cuiusdam cursitabat: sicque per deuia & per densos vepres & spineta agitata, adeò ab illis cõpungebatur & lacerabatur, vt nulla corporis eius pars vulneris esset expers: & tamen multo fuso sanguine, nulla plagarum aut vulnerum vestigia conspiciebantur in eius corpore. Aliâs ipsa se sua sponte spinis & sentibus compungebat, vt toto corpore sanguine perfusa videretur. Multis id non rarò cernentibus, magnæ fuit admirationi, vnde tanta sanguinis copia in vno corpore abundaret. Nam præter has sanguinis profusiones, sæpissimè permultum sibi sanguinis venæ sectione detrahebat.

Mirè laceratur spinis, nec vlla tamen cernũtur vulnerũ vestigia.

CORPVS eius tantæ erat subtilitatis, agilitatis & leuitatis, vt in arduis & excelsis ambularet & instar passeris à X.
tenuissimis arborum ramusculis penderet. Preces Domino oblatura, ad arborum, vel turrium, aut aliarum rerum sublimium fastigia se recipere cogebatur, vt illic ab omnibus semota, spiritûs sui requie potiretur. Inter orandum autem, cùm mens eius esset diuinæ contemplationi intenta, instar liquescentis ceræ omnia eius membra in globi cuiusdam formam conuoluebantur, ita vt corpus eius planè sphæricum cerneretur. Illa autem spiritûs ebrietate se remittente, & sensibus suas sedes suaq; in membris loca repetentibus, in ericij speciem conglobatum corpus, ad pristinam redibat formam, membraq; extendebantur, quæ in formis cuiusdam materiæ congeriem præ se paulò antè ferebant.

Toto corpore liquescit, dum vacat contemplationi.

rebant. Sæpè quoque visa est in palis sepium erecta stare, & psalmos depromere. Molestissimum enim illi erat, immundam humum contingere.

XI. At verò sorores & cognati eius miro afficiebantur pudore, quòd propter eiusmodi res inusitatas, homines eam putarent plenam malo dæmone. Itaque non minùs improbum, quàm robustum virum precio conduxêre, vt eam persequeretur, & captam ferreis nexibus implicaret. Fecit nequam ille, quod iussus erat: persequebatur per deserta loca fugientem, sed cùm manibus eam comprehendere non posset, tandem tibiam eius claua confregit. Ducta est igitur domum, & à sororibus chirurgus accitus, qui tibiam eius curaret. Ea causa missa est Leodium, curru eam vehente. Sed cùm chirurgus ille non ignoraret, quanta esset vis & robur spiritûs eius, eam in cellario quodam omni ex parte murato, vinculis fortiter colligatam, & ad columnam religatam, obseratis ostijs, inclusit. Stringente autem illo tibiam fascijs suis, & opportunis remedijs fouente, postquam ab ea recessit, illa quicquid ab eo fomentorum adhibitum fuisset, abstrahebat, indignum planè censens alium suis vulneribus adhibere medicum, præter saluatorem nostrum Dominum Iesum Christum. Nec fuit frustrà spes eius. Quadam enim nocte, irruente in illam spiritu Domini, solutis vinculis, quibus constricta erat, curato vulnere tibiæ, obambulabat per cellarium tripudians, laudansq; & benedicens illum, cui vni & viuere & mori constituisset. Sentiens autem spiritum suum septis cellarij coarctari, arrepto saxo è cellarij pauimento, multa vi perfregit murum: & quemadmodùm arcus quanto fortiùs tenditur, tanto validiùs à se vibrat sagittam: ita spiritus eius, plùs quàm par erat, pressus, (vbi enim Domini spiritus, ibi libertas) cum ipsa mole corporeæ carnis, perinde vt volucres, per aëra volitâsse fertur. 2. Cor. 3.

Tibia eius confringitur.

Reijcit chirurgi cataplasmata.

A Domino curatur.

XII. At nec sic tamen sorores & cognati eius, ab eius insectatione desistere voluerunt. Vbi enim reuertentem illam comprehendere potuêre, iterum vinculis fortiter constrinxerunt, & haud secus atque canem, exiguo pane & aqua eam sustentârunt. Et Christus quidem, vt eximia in ea suæ virtutis miracula declararet, ad tempus passus est eam vinci & affligi. Itaq; duritia ligni illius, ad quòd religata erat, nates eius attritæ sunt, & humeri computrescebant: quo factum est, vt præ dolore illum ipsum panem suum edere non posset. Nullo verò eius vicem miserante, mirificè illius misertus est pijssimus Dominus Iesus, effecitque in ea insigne miraculum, cunctis superioribus sæculis inauditum. Nam ex virgineis eius vberibus oleum manare cœpit. Quod illa tum pro condimento sicci panis, tum pro vnguento vsurpans, partim fami remedium adferebat, partim putrescentia vulnera perungebat. Id verò posteaquam eius sorores & consanguinei vidêre, sibi à lacrymis temperare non potuerunt, nec deinceps ausi diuinæ voluntati in Christinæ miraculis reluctari, eam à vinculis absoluerunt, & cùm flexis genibus ob illatas iniurias veniam petijssent, suæ illam libertati permisêre.

Tractatur inhumaniter à suis.

Nota: Oleo ab eius vbere manante à cognatis dimittitur.

XIII. Illa igitur hac freta libertate, quantum licuit & libuit, pro hominum peccatis à seipsa pœnas reposcebat ita, vt iam suprà dictum est. Sed cùm multi desiderio videndi in illa admiranda Dei opera, à propinquis & longinquis regionibus quotidiè aduentarent, homines religiosi vtriusq; sexûs, in S. Trudonis oppido degentes, veriti ne quæ in illa diuinitùs fiebant, humanæ mentis captum excederent, materiamq; præberent carnalibus hominibus opera Dei malignè interpretandi, ea præsertim, quòd hominum conuictum fugiens, instar auis ardua loca peteret, & in aquis piscium more diù maneret: sedulis precibus egerunt apud Dominum, vt miracula potentiæ suæ in Christina ad communem hominum consuetudinem moderaretur. Nec verò spreuit Deus pias preces & lachrymas seruorum suorum. Quodam enim die, spiritu vehementissimè eam impellente, ad ecclesiam pagi Vuellensis confugiens, cùm cerneret apertum sacri baptismatis fontem, illi se totam immersit. Inde verò factum id assecuta, vt eius viuendi ratio deinceps esset temperatior & accommodatior ad hominum consuetudinem, moderatiusq; se gereret, possetq; commodiùs ferre & odores & conuictum aliorum.

Vt precibus religiosorũ hominum nonnihil eius vita temperata sit.

XIV. Præstantissimvm Dominici corporis & sanguinis sacramentũ crebrò, maximeq; Dominicis diebus, cum multa deuotione percipiebat, ex eoq;, vt ipsa ait, & corporis robur, & ingentem spiritûs lætitiam capiebat. Nihil autem eorum, quæ propria illius erant, & Christi causa reliquerat, quæve hæreditario iure ad ipsam deuolui oporteret vel essent deuoluta, in suos vsus conuertere potuit: sed in cibum sumebat ea, quæ quotidiè ostiatim emendicâsset, vt eorum peccata portaret, quorum eleemosynis alebatur. Dicebat verò, ea causa diuinitùs se compelli ad sceleratorum hominum petendas eleemosynas, vt ij per eas ad peccati horrorem & ad agendam pœnitentiam perducerentur: addens etiam, nulla re magis Deum flecti ad misericordiam erga peccatores, quàm si illi sint benigni & misericordes erga proximos. Nec vnquam sanè misericordia, nũquam benignitas aliò, quàm ad bonum finem & felicem obitum perducere potuit hominem. Possumus id exempli causa quodam Christinæ experimento vel testimonio cõfirmare. Die quodam intolerabili siti vexata, Deo eam instigante, ad mensam cuiusdam sceleratissimi hominis splendidè apparatam accurrit, potum ab illo petens. Ille præter morem suum insolita humanitate permotus, vinum ei obtulit, vnde illa parùm bibit. Ea causa contra omnium opinionem, qui virum nouerant, Christina affirmauit eum in morte ad pœnitentiæ & contritionis gratiam peruenisse.

Sæpè Eucharistiam accipit.

Peccatorib. quid præcipuè Deum concilient.

XV. Hæc ergo, vt diximus, illi ratio fuit, quamobrem sceleratorum hominum, vti diuinitùs cogebatur, eleemosynas emendicaret. Sed cùm aliquid è rebus malè partis acciperet eleemosynæ nomine, eoq; vescereturvidebatur sibi ranarum aut bufonum viscera, aut serpentum intestina glutire. Itaq; eiusmodi cibos edens, instar parturientis clamitabat, dicens: O pie Iesu, quid ita mecum agis? Cur adeò me excrucias? tundensq; pectus & corpus, aiebat: O misera anima, quidnam appetis? Cur isthæc horrida concupiscis? quid his sordibus vesceris? Hunc in modum illa torquebatur, cùm cibos sumeret ab illis, qui per vim aut fraudem illos rapuissent. Nec minùs tamen cruciabatur, si ab sceleratis peccatoribus aliquid petijsset, nec impetrâsset. Accidit quandoq;, vt petenti quippiam homo impius dare nollet. At illa vi ab eo tollens, dixit: Et si impræsentiarùm dare non vis, tamen posteà tibi ablatum non dolebis: & tunc proderit tibi, quod iam non prodest. Cùm illi deesset manica in veste, vel capitium in pallio, si quis ei veniret obuiàm, à quo, spiritu eam intus admonente, ea accipere deberet, primò rogabat illum: & si daret ille, agebat gratiàs: sin minùs, auferebat etiam recusanti, & ad suas vestes assuebat. Nec erubescebat, si ad vnã tunicam dispares vel diuersi coloris manicas haberet. Vestes autem eius erant tunica alba, & pallium album, tegens totum corpus vsq; ad talos, non alijs ferè consutum filis, nisi arboris tiliæ cortice, aut salicum viminibus, aut ligneis ijsque paruis hastulis. Calceis non vtebatur, quibus suis temporibus indiscriminatim nudis pedibus incedẽs. Epularum loco habebat escas viles & abiectas & scutellarum purgamenta. Aquam appositam bibebat, panemq; furfureum nimisq; durum, sed aqua maceratum edebat: ijsq; post biduana, plerumq; etiam triduana ieiunia vescebatur.

Hæc fecit sanctissima Virgo non aliqua te meritate, sed Deo illã cogente, hauddubiè in salutem illorum, quibus ea eripiebat.

XVI. Honores summoperè fugiebat & gloriam, dicebatq; eorũ causa [a] apud inferos & in locis Purgatorijs illos grauissimè cruciari, qui veritatis in hac vita à Christo notitiam accepissent. Porrò semper ferè tanquam mœrens & lugens ibat cogitabunda: quippe cui Deus quotidiè morientium vel ad salutem, vel ad perditionem, merita reuelaret. Si quis intra oppidum vita functus esset, quem illa apud inferos damnatum spiritu cognosceret, fundebat lachrymas affligebat sese, torquebat cum multo cruciatu brachia sua & digitos, perinde ac si sine ossibus essent flexiles. Erat verò dolor eius intolerabilis cunctis illam cernentibus, vt nulla quamuis adamantina pectora eum absq; multa suî contritione & compunctione sustinere possent. Illorum autem nomine, qui ibant ad vitam sempiternam, ineffabili exultatione & tripudio afficiebatur, ita vt sine summa admiratione tanta eius iucunditas videri non posset.

[a] Pœnę ambitiosorum.

Atque

* *deest opinor finis.* Atque illi, qui spiritûs eius virtutem nouerant, facilè animaduertere potuêre ex eius tum gaudio, tum mœore, quis in eo oppido morientibus esset adfuturus. *

Adest libenter morituris. Illa sanè l bentissimè atque officiosissimè è vita migraturis aderat, adhortans eos ad faciendam peccatorum confessionem & fructus pœnitentiæ, ad concipiendam spem vitæ beatæ, ad vitandos summo cum horrore æstuantis gehennæ cruciatûs Neque id Christianis duntaxat, sed etiam Iudæis, quorum erat eo in loco ingens numerus, mirabili commiseratione & solicitudine præstabat. Dicebat verò Christi summam esse misericordiam in eos, qui ad ipsum conuerti vellent, eumq; valdè inuitum in hominũ peccata animaduertere: & propemodùm dolore affici eum, quoties ad id hominum sceleribus adigeretur: porrò accuratè eum occasiones inquirere miseris salutem conferendi, eosq; saluos faciendi. Hæc autem illa de Christo dicente, mira oris gratia perfundebatur. Referebat etiam locum esse vicinum inferis, in quo illi ex diuinæ maiestatis decreto punirentur, qui immanium scelerum rei, sub vitæ finem se peccâsse doluissent, & ita cum cordis contritione obijssent. Eum autem locum propter cruciamentorum immanitatem nihil ab inferni supplicijs discrepare aiebat, nisi quòd ij, qui illo continerentur, spe veniæ respirarent. Ijs verò excarnificandis dæmones p æesse ferebat, qui tanto maiori crudelitate in eos sæuirent, quanto se scirent breuiora ad illos excruciandos tempora habituros.

Videt pugnam spiritu, procùl absens corpore. Spiritv Prophetiæ præditam illam fuisse, non vno modo doceri potest. Præmonuit multos, vt suæ saluti consulerent: multos de occultis sceleribus secretò obiurgauit, ijsq; agendæ pœnitentiæ author fuit. Confligente Brabantiæ Duce cum hostibus suis, quæ fuit pugna miserabilis, cæsis permultis, illa haud secus atq; solent parturientes, clamitabat, dicens: Eheu eheu, video aëra gladijs & sanguine plenum. Properate sorores, properate, preces fundite ad Dominum, stillent lachrymas oculi vestri, ne contineat Dominus in ira sua misericordias suas. Cuidam etiam sanctimoniali in eodem monasterio S. Catharinæ, dicebat: Festina filia, properè te confer ad deprecandum Dominum pro patre tuo, qui in præsentissimo iam salutis suæ periculo versatur. XVII.

Resipiscit sanctimonialis, quæ fugerat ex monasterio Erat in illo monasterio sanctimonialis quædam, quæ fugam meditabatur. De ea igitur ita dixit Christina: XIIX. O vas inane, huic monasterio magno dedecori & offendiculo futurum. Nõ multum inde temporis intercessit, & vt Christina dixerat, illa à monasterio aufugit, monasterioq; sua incõtinentia magno probro & scandalo fuit. At tamen resipuit, & monasterio se ad agendam pœnitentiam reddere voluit: sed cùm ea in re sanctimoniales supra modum difficiles & inexorabiles se præberent, Christina eas reprehendit dicens: Tametsi vos non magnipenditis perditionem eius, at tamen non paruo illius anima Christo constitit, qui eius causa fudit sanguinem suum, & mortem perpessus est. Nec destitit hunc in modum instare apud eas, donec pœnitentem illam rursus in suam sodalitatẽ admitterẽt.

Prædicit obitum cuiusdam nobilis. Vir quidam nobilis ad sepulcrum Christi visitandum peregrè profectus est. Eius vxor orauit & adiurauit XIX. Christinam, vt eum suis precibus saluum & incolumem ad suos reduceret. Fuit quidem molesta Christinæ illa nobilis fœminæ obtestatio, at tamen multas pro eius marito preces Domino obtulit, multos labores suscepit, effecitq; vt ille sanus domum rediret. Dixit autem vxori eius quasi substomachando: Ecce importunitate obtestationis tuæ compulsa, sanum tibi restitui maritum tuum: sed noueris tamen non diù te illius præsentia fruituram. Dixit illa, & res ipsa vera illam dixisse declarauit, non diù pòst ab hac luce subtracto nobili illo viro, & vxore cum liberis in mœrore multo derelicta.

Hierusalẽ capitur à Saladino Sulthano, quod Christina prædixerat. Longe etiam antè prædixit terram sanctam & Hierosolymam in impiorum Saracenorum ditionem redactum iri. Quo autem die à Saladino Ægypti Sulthano capta fuit Hierusalem cum sepulcro & Cruce Christi, illa in castro Loënsi tum constituta, spiritu cognouit rem gestam: cumque multùm exultaret, ab ijs, qui aderant, rogata vt eius lætitiæ causam exponeret. Iure, inquit, exulto: nam & Christus Dominus cum Angelis suis exultans, occasionem præbuit, qua magna possit hominum copia salua fieri. Illis rursus sciscitantibus, quænam esset hæc occasio renem præbuit, qua magna possit hominum copia salua fieri. Illis rursus sciscitantibus, quænam esset hæc occasio respondit: Noueritis terram sanctam hodiè venisse in manus hominum impiorum, atque hac re magnam salutis oblatam occasionem. Christus enim pro illata ipsi contumelia dignum censuit, vt terra illa hac ignominia afficiatur, quamuis ipsius passione sanctificata, at tamen in fine mundi cum ipso mundo peritura: quando illius recuperandæ causa animæ semper victuræ, eiusque sanguine redemptæ, ab iniquitate ad iustitiæ studium conuertentur, fundentq; homines sanguinem suum, & quandam morti Saluatoris vicem cum multa deuotione rependent. His dictis, mirabantur omnes, & quidam annotârunt tempus. XX.

Fames ingens. Famem illam ingentem, quæ incidit in annum à Christo nato millesimum ducentesimum septuagesimum, XXI. longè antè futuram prædixit: & permulta talia ptopheticè pronunciauit, quæ iam partim completa sunt, partim complenda credimus. Fuit autem valdè familiaris monialibus S. Catharinæ extra oppidum Trudonense: cum quibus aliquando de Christo colloquens, præter expectationem omnium rapiebatur spiritu, corpusque eius instar ludentium puerorum tanta celeritate in orbem crebrò vertebatur, vt nulla possent in illo membra discerni. Cumque id diù durâsset, tandem quasi vltra ferre non sustinens eam corporis agitationem, membris omnibus quiescebat: & ecce inter guttur & pectus eius audiebatur melodia quædam admirabilis, quam nemo mortalium vel capere posset, vel vlla industria & arte imitari. Audiebatur quidem musicus concentus, sed verba melodiæ, si tamen verba dici queant, modo quodam incomprehensibili exprimebantur. Nulla enim vel de ore vel naribus eius vox aut spiritus proficiscebatur: sed solummodò inter pectus & guttur angelica melodia resonabat, interim membris omnibus quiescentibus, & ipsis quoque oculorum palpebris clausis, haud secus atque dormientibus. Deinde post aliqua temporis spacia, ad se nonnihil reuersa, quasi ebria, & verè ebria, sed non à vino, exurgens clamabat: Adducite ad me sorores omnes, vt summæ benignitatis Dominum Iesum in eius mirabilibus collaudemus. Ignorabant autem sorores illæ, quid Christina fecisset & dixisset. Mox vndiq; aduolantibus sanctimonialibus, (multùm enim delectabantur Christinæ consolatione) illa inchoabat, Te Deum laudamus: cæterisq; prosequentibus, totum illud canticum absoluebat. Inde iam planè sibi reddita, vt audiuit ex alijs, quid egisset, vt & sanctimoniales ad Christum laudandum inuitâsset, præ verecundia aufugit, fatuam se simulans. Quòd si vi aliqua detineretur, immodico dolore tabesceat. XXII.

Admirabilis melodia auditur in Christina.

Mũdi erga suum creatorẽ ingratitudo. Nonnvnqvam ad se reuersa ab huiuscemodi mentis ecstasi, cum multo cordis dolore dicere solebat: O miserum & miserabilem mundum, non agnoscentem opificem & creatorem suum. Cur illi non seruis, ô miser? Cur longanimitatis eius patientiam vsqueadeõ paruipendis & negligis? Eius immensam bonitatem si perspectam haberes, etiamsi alius quispiam mundus retrahere te vellet, non posses tamen eò adduci, vt illum non amares. Sed ô te miserum, qui te auertisti ab illo, qui oculos clausisti, nec vis videre & intelligere. Sub his verbis tãquam parturiens contorquebat membra sua, volutabaturq; humi, cum ingenti eiulatu identidem repetens, Cur miser munde non cognoscis creatorem tuum?

Pergit ad castrum Loen. Posthæc è domo & cognatione sua exiens, ad castrum quoddam Germaniæ conterminum, quod Loën vocant, peruenit, ibique apud inclusam Iueram, eximia pietate conspicuam, nouem mansit annis, quo tempore mira per eam operatus est Dominus. Ex illa autem inclusa multa ego didici ex ijs, quæ de Christina scribenda suscepi: ad quam ego ea causa ex longinquis Galliarum partibus profectus sum. XXIII.

Eoi-

XXIV. Eo igitur in loco Christina noctibus intererat precibus nocturnis, quas Matutinas vocant. Cunctis autem ab Ecclesia recedentibus, illa obseratis ianuis per templum ambulans, tantæ suauitatis promebat melodias, vt angelicæ potiùs, quàm humanæ, viderentur. Omnium enim musicorum instrumentorum harmoniam, mortalium omnium voces ille cantus vincebat, tametsi longè impar erat illi Melodiæ longè suauissimæ, quæ illa mente excedente, inter guttur & pectus eius sentiebatur. Erat autem Cantus ille Latinus, rythmis quibusdam tinnulis aut dictionibus inter se pulchrè consonantibus ornatus. Intelligebat autem illa scripturæ diuinæ Latinas dictiones, sensum quoq; & mentem illius plenissimè assecuta, licet nunquam didicerit literas, immò illarum planè rudis esset. Quæstiones etiam sacræ scripturæ obscurissimas, spiritalibus quibusdam amicis ipsam rogantibus, luculenter admodùm explicabat: sed id tamen faciebat prorsus inuita, & quidem rarissimè, dicens, scripturas diuinas interpretari Clericorum esse, non suum. Porrò Clerum & inprimis sacerdotes, propter eximium erga Christum amorem, miro studio colebat ac venerabatur, licet ediuersò multas ipsa ab illis iniurias pateretur. Sacerdotes peccantes, itemque alios è Clero, secretiùs & cum mira reuerentia haud secus atque patres suos comiter admonebat, darent operam, ne sanctum Christi nomen propter ipsorum peccata, in populo contumelia afficeretur.

Suauissimas promit melodias, haud dubiè spiritales.

Docta diuinitùs.

Reuerentia erga Clerũ.

XXV. Comes Loënsis Ludouicus, multa nobilitate illustris, vbi eius sanctitatem fama vulgante cognouit, ex animo eam cœpit diligere, eiusque colloquijs & consilijs synceriter sese accommodare. Vbicunque illam vidisset, assurgebat & occurrebat ei, matremque appellabat. Si quid autem Comes ille vel contra ius fasque, vel aduersum Christi Ecclesiam aut eius ministros designâsset, eius vicem haud aliter atq; mater filij dolebat, eumque in suo castro accedens, materna fiducia obiurgabat, impetrabatque ab illo, quicquid ex iustitiæ præscripto eum in satisfactionis loco præstare oporteret. Die quodam illo in ecclesiæ atrio procumbente, cùm esset multo stipatus milite, Christina superueniens, clàm ad eius caput se inclinauit. Illo verò & corpus & oculos sustollente, mira oris gratia dixit: O quàm speciosus es Domine. Id autem milites audientes, dicebant Comiti. Audísne domine, vt te hæc sancta prædicet? At Comes: Ego verò, inquit, noui, quem laudet illa. Non me, sed cælestem & immortalem Dominum laudat, à quo pulchritudo omnis proficiscitur, quique est omnium pulcherrimus. Tum illa: Verum, inquit, dixisti. Tu igitur quare illum non diligis? Idem Comes quandoque æstiuo tempore hora meridiana in castro suo Loënsi, quod iam euersum est, cum Limburgensi Duce & alio quodam Comite colloquebatur. Ad illos igitur intrepida accurrens Christina, magna voce dixit Comiti Ludouico: O te miserum: cum quibus iam miscescolloquia? En amicum se simulat, qui hostili animo tuî proditionem meditatur. His verbis proditor ille perterrefactus, ad horam conticuit, remq;, vt erat, verbis dissimulans, posteà vera dixisse Christinam facto declarauit.

Prodit prædítorem.

XXVI. Cvm autem idem Comes ageret in extremis, Christinam ad se acciuit, eamq; obnixè rogauit, vt apud ipsum donec spiritum redderet, permaneret. Annuente illa, pius Comes omnes, qui in cubiculo erant, iussit secedere, solam Christinam apud se retinens. Postquam omnes exierant, virtute qua potuit, erexit se, & suppliciter ad pedes Christinæ se abijciens corpore toto, omnia peccata sua, quæ ab anno ætatis vndecimo vsque in diem illum perpetrâsset, cum multo lachrymarum imbre recitauit: non quòd ab illa vellet absolutionem petere, quam sciebat illam impendere non posse: sed vt ampliùs hac re illam ad orandum pro se permoueret. Deinde iussit omnes suos vocari in cubiculum, & ex Christinæ consilio rebus suis dispositis, defunctus est. Vidit autem Christina animam eius in Purgatorium perduci, acerrimis pœnis excruciendam. At pia fœmina eius vicem non mediocriter miserata, obtinuit à Domino, vt posset illius animæ pœnas partim in se recipere. Apparenti autem illi post obitum suum, vt ab ea opem peteret, Christina dixit: Agè, abscede hinc, & ex diuinæ sententiæ præscripto pœnas luito. Ego verò à meo corpore pœnas exactura, dimidiam Purgatorij tui partem in me recipio. Videre tum licebat Christinam non breui tempore nocturnis horis modò flammarum incendijs, modo frigoris algoribus cruciari, prout Comitis animam id genus tormenta vicissim excipiebant. Loca etiam, in quibus Comes peccare consueuerat, illa lachrymis nullam consolationem admittentibus irrigabat: & vbi ille lætatus fuerat, ipsa lugebat.

Non planè desipuit hic Comes, qui Christũ in Christina veneratur.

O eximiam charitatem

XXVII Extremo vitæ eius anno frequens illi erat habitatio in desertis locis & in solitudine: vnde quidem nonnunquam reuertebatur, sed rarissimè tamen, cùm ad promouendam hominum salutem aut cibum sumendum, diuinitùs redire compellebatur. Nec potuit tunc ad deserta properantem vlla monialis retinere: neque reuertentem quisquam salutare, aut quippiam ex ea percontari ausus erat. Nam interdum vesperi rediens, per mediam domum ita transibat, vt spiritus potiùs, quàm corpus videretur: nec facilè licebat internosci, an spiritus esset vel corpus, quandoquidem vix terram attingere videbatur. Adeoque illo postremo vitæ suæ anno omni ferè ex parte corpus eius spiritûs quasdam proprietates induisse cernebatur, vt humanæ mentes vel oculi corporis eius vmbram vix absq; horrore & tremore spiritûs intueri possent. Solebat tum ex solitudine reuertens, apud S. Trudonem in beatę Catharinæ monasterio vt plurimùm morari.

Degit in locis desertis.

XXVIII. Narravit mihi quiddam de ea venerabilis Thomas, nunc quidem Abbas S. Trudonis, tum vero parochus, quod sit annotatione dignissimum. Ad auroram cum socio quodam reuertente illo à precibus, quas Matutinas vocant, Christina cum impetu quodam transiens, in ecclesiam ingrediebatur. At illi clam eam secuti, retro columnam quandam sese abdentes, obseruabant quid illa vel faceret, vel precaretur. Ibi tum Christina coram altari haud aliter atque saccum quendam aridis ossibus plenum sese humi abiecit, grauiterque ingemiscens, & crebro pugnis pectus & corpus verberans, ita dicebat: O miserum & miserabile corpus, quandiu me miseram cruciabis? quousque tandem me retardabis à Christi conspectu? Quando tandem missam me facies, vt anima possit libera reuerti & euolare ad creatorem suum? Væ tibi corpus miserrimum, & væ mihi, quod coniuncta sum tibi. Hæc & id genus alia dicens, tundebat pectus suum. At rursus corporis partes agens, dicebat spiritui. O anima misera, cur adeò me affligis? ecquidnam te retinet intra me, aut quidnam est in me, quod te delectet? Cur non pateris me redire in terram, vnde sumptum sum, vt illic quiescam, donec in nouissimo magni iudicij die tibi restituar? Quare non proficisceris ad requiem tuam, vt potioribus fruaris bonis in illis sedibus sempiternis? Hæc dicens, ducebat alta suspiria, & ancherio incalescens, in dulcissimum risum soluebatur: apprehensosque pedes manibus suis, cum ingenti affectu osculabatur plantas suas, ita dicens: O mihi suauissimum & felicissimum corpus, cur ita te verberaui? cur his ego concienda suscepi? Tu certè cruciatus & labores placidissime ac patientissime tolerasti, quos spiritus à te exigebat: rursusque oscula repetens, dicebat: Age nunc comiter sustine optimum mihique gratissimum corpus meum: adest propediem finis laboris tui: iam in puluere requiescens, iam dormitabis paululum: ac demum canente tuba, resurges omnis corruptionis expers, rursusq; animæ sociaberis in illis gaudiis sempiternis, quã in hac vita mœroris & doloris sociam habuisti. Talibus verbis & osculis blanditer demulcens corpus suum, post horam in illud, ꝙ diximus, admirabile iubilum prorupit, tantaque in homine interiori iucunditate complebatur, vt corpus eius rumpi videretur. Reuerà mirabilis Deus in sanctis suis, & in Christina sua, vt ita dicam, super omnem admirationem mirabilis.

Agit partes animæ.

Item corporis.

Blãdissimè anima consolatur corpus.

Psal. 67.

XXIX. Extremo tempore vitæ suæ cibo admodùm rarò, & quidem exiguo vtebatur. Cum sanctimonialibus & religiosis hominib. vti anteà cõsueuerat, noluit miscere colloquia: sed parũ aliquid cibi capiens, & somno momẽtaneo

refecta,

Incredibili dolore affi citur, ppter hominum peccata, quæ miseri & cœci parui pendunt.

refecta, medijs noctibus ibat ad deserta loca. Per id tempus nemo vnquam ridentem eam vidit, sed perinde affecta cernebatur, atque solent illi, qui præ nimio dolore è potestate exiêrunt & mente capti sunt. Incedebat orans, plangens & multùm mœrens: cuius eam plerique causam autumant, quòd de mundi statu & malitia plures solito diuinitùs reuelationes ei obtigerint. Illud verò incredibili eiulatu sæpiùs deplorabat, totum ferè genus humanum corporis pollutione corrumpi, eaq; causa iram Dei, & animaduersionem vniuerso prope orbi Christiano imminere.

a Ægrotat.

ADVENTANTE tandem eo tempore, quo morbo & a ægrotatione conficienda erat, tantam assiduæ con- XXX.
templationis gratiam adepta est, vt permolestum ei esset aliorsum aciem mentis intendere. Omnibus igitur posthabitis, Beatricem monasterij S. Catharinæ sanctimonialem rogauit, vt lectulum ipsi clam in cubiculo componeret, simul indicans, morbum sibi imminere. Fecit Beatrix, & quidem libenti animo, quod illa voluit, decubuitq; Christina, & morbo ingrauescente exercebatur. Cùm iam autem tres hebdomadas ita laborâsset, sacram Corporis Domini communionem, & extremæ Vnctionis oleum petijt. Ijs perceptis, Beatrix in genua procumbens, orauit vt priusquam è vita excederet, de quibusdam ipsam efficeret certiorem. Illa verò tacente, Beatrix existimans alibi eam animo occupari, quæstiones suas distulit, atque aliquid factura operis, è cubiculo egressa est, Christina sola relicta.

Eucharistiam & Vnctionem accipit.

AIVNT plerique sæpiùs Christinam rogâsse Dominum, ne ipsam morientem vllis miraculis cohonestaret, XXXI.
sed instar aliorum sineret migrare ex hac vita: id quod etiam præstitum est illi à Domino. Priùs enim quàm Beatrix ad eam esset reuersa, Christo vocante, spiritum exhalauit. Celeriter autem reuertens Beatrix cum socia sorore, corpus eius in terra exanime inuenit, ita prostratum, vt solent cadauera defunctorum: sed, vt equidem mihi certò persuadeo, ministerio angelorum. Ea re conspecta, Beatrix, doloris quibusdam stimulis percita, impatientiùs secum gerens, ruit super defunctæ corpus, clamans & eiulans non mediocriter. Interim verò identidem scisciabatur ex ea, cur absque illarum bona venia & sine sororum commendatione ad Dominum abijsset, ac tandem spiritu vehementi concepta fiducia, defixo in defunctæ ora vultu, ita dixit: Semper mihi Christina, dum viueres, obediuisti. Itaque adiuro te & obtestor per Dominum Iesum Christum, quem in vita ardenti desiderio amâsti, vt etiam nunc mihi obedias: (namque potens potes per illum, cui iuncta es, quicquid velis) reuertarisque in corpus, exponasque mihi, quod à te sub obitum cupidissimè mihi optabam explicari. Mira res. Simulatque Beatrix hæc ad aures mortuæ inclamauit, Christina reuixit, sed grauiter ingemiscens, anxioque vultu Beatricem reuerberans, dixit: Cur meam, Beatrix, requiem interpellâsti? Cur me huc reuocare voluisti? Iam ducebar ad Christi conspectum. At nunc, mea soror, properè quicquid visum est, proponas, sinasque me, obsecro, ad diù optata reuerti. Vbi Beatrix proposuit, quod voluit, ab ea responsum est ei. Interim sorores vndique congregantur ad illam, quas postquam Crucis signo consignauit, tertiò vita functa est, abijtq; ad immortalia sæcula sæculorum. Vixit autem ab eo tempore, quo primò reddidit spiritum, annis duobus & quadraginta, obijtq; anno à Christo nato millesimo ducentesimo vicesimoquarto, aut circiter.

Reddit spiritum.

Reuiuiscit secundò ad breue tempus.

Tandem abit ad Christum felicissimè A. 1224.

HVMATA est autem extra S. Trudonis oppidum in monasterio beatæ Catharinæ, illicq; septem annis corpus XXXII.
eius quieuit, in illud vsque tempus, quo omnem eius monasterij structuram in locum propinquum magisq; opportunum transtulêre. Tum enim, vniuersis ciuibus congregatis, ad tumulum reuerendæ Christinæ Clerus cum sanctimonialibus accessit: cumq; amouissent inde operculum, tanta suauitas & omnes & singulos peruasit, vt cuncti pariter vna mente, vnoque ore conclamarent, Christinam & in vita fuisse mirabilem, & post obitum nihilominùs gloriosam. Neq; verò quisquam ambigit morbis liberatos esse eos, qui cum fide congrua ad eius tumulum adiêre: sed eiusmodi prosequi, nobis non est integrum.

Post septẽnium ex eius sepulcro mira odoris suauitas funditur.

QVÆSO te, Lector, diligenter animum aduerte, quàm nos iure meritoque culpandi simus, qui cùm cerna- XXXIII.
mus Christinam tot pœnas, tamque immanes & diros cruciatus non tam propter sua, quàm propter aliorum peccata pertulisse, ob culpas & maleficia nostra pœnitentiam agere reformidamus. Veniet certè quandoque, & celeriter veniet dies ille, quo nos libenter etiam his acerbiora simus toleraturi, si daretur locus pœnitentiæ, & ad negligenter quondam exacta tempora redire liceret. Et væ ijs, qui ad misericordiæ emendum oleum tùm demum se comparare volunt, quandò nundinarum tempus omne elapsum est. Venient ij cum lãpadibus vacuis, ianuamq; pulsabunt, sed omnem sibi sentient aditum præclusum, audientq; vocem illam sanè terribilem: Amen dico vobis: nescio vos. Vigilemus igitur, quia nescimus diem, neq; horam. Meritò illi excluduntur, qui iam stertentes, diemq; illum & horã negligentes, nolunt lampades suas implere oleo bonorum operum ex condignis pœnitentiæ fructibus. Vtinam verò audiant Dominum dicentem: Vigilate ergo, quia nescitis diem neque horam, qua Dominus vester venturus sit Ecquid verò aliud per omnem vitam suam Christina clamauit, nisi vt pœnitentiam agerent homines, & nunquam non sese paratos exhiberent? Hoc illa verbis multis, hoc lachrymis, hoc planctu & eiulatu, hoc infinitis clamoribus, hoc eiusmodi viuendi exemplis docuit, qualia de nullo alio, qui eam aut antecesserit, aut secutus sit, vel scripto cuiusquam sermone perceperimus in laudem & gloriam Christi, qui cùm patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

In tepidos & suæ salutis incuriosos.

Matth. 25.

AN. 530. VITA SANCTI LVPICINI RECLVSI, AVTHORE S. GREGORIO TVRONENSI EPISCOPO, LIB. DE VITA Patrum. Cap. 13.

IVN. 24.

THIETÆ Christi atq; triumphatores mundi, vitæ istius fugitiuæ iacturam facere cupientes, per- I.
tendere ad illam vitam voluerunt, quæ in exultatione perpetua manet, quæ nullo gemitu obstrepit, nec vllo fine concluditur: cuius lumen nunquam extinguitur, cuius serenitas nulla obscuritate nubis obtegitur. Ideoq; semper præsentium dolorum contumelias pro nihilo habuerunt, scientes se in paucis vexatos, in multis benè disponendos. Et ob hoc quisquis ille est, qui in isto agone contendit, metu non terretur, pœna non soluitur, dolore non frangitur, vt tantùm illa æternæ iucunditatis amœnitate cum electis Dei perfrui mereatur: sicut multos fecisse nouimus de sanctis viris, quorum nunc vita tractatur aut legitur.

Sap. 3.

IGITVR Lupicinus quidam magnæ vir sanctitatis, fortissimusque in operibus Dei, qui primùm eleemosynas II.
per domos deuotorum deposcens, quæcunq; acquirere potuisset, sibi similibus erogabat: ad extremum iam mediam habens ætatem, ad vicum Betberensem, qui nunc Lipidiaco dicitur, veniens, parietes antiquos reperit, ibique recluſus, ab omnium se hominum adspectibus inhibebat, ac per modicam feneſtellam parumper panis vel aquæ accipiens, quod ei aliquoties, etsi esset valdè exiguum, vsque ad diem tertium perdurabat. Aqua enim per canalem paruulum inferebatur: feneſtella verò velo operiebatur, ac vtriusque aditus ita obtectus erat, vt nullus beatum eius vultum posset aduertere. Et dum ibidem die noctuque in Dei laude psalmorum modulis delectatur, tormentum sibi, quod corpusculum plùs grauaret, adhibuit, non immemor verborum Apostoli: Quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Lapidem namque grandem, quem

Mira S. Lupicini abstinentia.

Rom. 8.

quem duo homines vix leuare potuerunt, ceruici impositum, tota die, dum Deo caneret, per cellulam deportabat. Nocte autem ad additamentum iniuriæ, in virga, quam manu gerebat, duas defixerat sudes, desuper acumina parans, quæ ad mentum suum, ne somnum caperet, supponebat. Denique ad extremum vitæ tempus, corrupto pectore à pondere saxi, sanguinem per os eiicere cœpit: quem per parietes præfatos proiiciens spuebat. Plerunque autem fidelibus viris nocte ad cellulam clam appropinquantibus, quasi vox multorum psallentium resonabat. Sed & multos infirmos, & præsertim ab accessionibus frigoriticis, vel pustulis malis oppressos, tactu tantum, vel signo salutari imposito, sanitati restituebat.

Nota rigorem.

Solo tactu vel signo Crucis pellit morbos.

III. Cvm autem iam senio inclinatus esset, vocauit ministrum suum, dicens: Præteritum tempus occulendi fuit, manifestandi nunc tempus aduenit: scito ergo me post triduũ ab hoc sæculo liberandum. Voca ergo nunc fideles quosque fratres & filios, quibus sum vale dicturus, vt veniant ad nos visitandum. Illucescente autem die tertia, confluentibus fratribus, ostium, quod clausum erat, aperuit, atq; ingredientibus cunctis, qui aderant, consalutatis deosculatisq;, orationem fudit ad Dominum, dicens: Gratias tibi ago, Domine Iesu Christe, qui me saluari iussisti ab huius mundi impedimentis, & ita me fouere dignatus es in hoc sæculo, vt nihil suũ in me author criminis inueniret. Et cõuersus ad plebem, ait: Magnificate, quæso, dilectissimi, Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in commune, qui me erectum de stercore, erutum de tenebrarum opere, amicorum suorum fecit esse consortem: qui misit Angelũ suum ad me accersendum ab hac mundana statione, & pollicitus est me in requiem sempiternam perducere, vt collega amicis eius effectus, mererer regno eius adscribi. O beatum virum, qui ita consolari meruit in hoc corpore, vt prius cognosceret, quo erat fruiturus in cælo, quam migraret à sæculo: meruitque hic obtinere apud diuinam potentiam, quod Dauid sæpius decantabat: Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, vt sciam quid desit mihi. Dehinc humo incumbens, spiritum cælo intentum præmisit ad Dominum.

Psalm. 38. Migrat ad Dominum.

IV. Tvnc omnes in fletu prostrati, alii plantas osculantur, alii fimbrias vestimenti diripiunt, alii de pariete beatum sanguinem, qui ab eius ore fuerat proiectus, inter se certantes excudunt. Miserum se quisque dicebat, si immunis ab eius pignoribus discessisset. Testis est hodie quoque & ipse paries, qui tot fossulis patet, quot ab ore beati confessoris sputos emeruit. Testis est & ipse canalis, de quo vir beatus aquam sumpsit ad vsus, quem fideliter osculantes, hauriunt sanitatem. Iam vidi ego multos, qui euulsos à pariete sacrati oris sputos, in diuersis infirmitatibus ponentes, meruerunt accipere medicinam.

Nota de sputo sancti viri.

V. Denique hoc, vt diximus, defuncto, affuit quædam matrona, quæ ablutum dignis induit vestimentis: & cum eum ad vicum Transaliacensem inferre vellet, restitit ei populus pagi Lipidiacensis, dicens: Nostrum hoc solum fuit, nobis corporis eius gleba debetur. Matrona autem respondebat ad hæc: Si aliqua de victus eius exprobratis necessitate, sæpius ei ego & triticum misi, & hordeum, quod vel ille sumeret, vel aliis ministraret. At illi dicebant: Nostri generis homo effectus est, nostri fluminis aquas hausit, nostra eum terra cælo transmisit. Aequumne ergo est, vt tu de terra aliena veniens, rapias eum de manu nostra? Noueris autem, quia hoc non sustinebit quisquam nostrum: sed hic sepelietur. Matrona respondit: Si germen stirpis eius inquiritis, ex aliis hic regionibus aduentauit: si aquas fluminis ingeritis parum sitim eius mollierunt, quam potius è cælo manans fons ille restinxit. Cumque hæc & huiusce modi inter se verba proferrent, & Lipidiacenses effossa humo, & deposito sarcophago eum sepelire niterentur, conuocatis matrona auxiliis, fugatis pagensibus, rapuit sanctum corpus ac ferre cœpit in feretro ad vicum Transaliacensem, dispositis in itinere psallentium turmis cum Crucibus, cereis, atque odore fragrantis thymiamatis. Quod illi cernentes, pœnitentia moti, miserunt post matronam, dicentes: peccauimus resistendo tibi, profecto enim cognoscimus in hoc esse Domini voluntatem. Nunc autem petimus, vt non abiiciamur ab huius funeris obsequiis, sed admittamur officiis eius. Illa vero permittente, vt sequerentur, coniunctus est vterque populus: & sic pariter vsque ad Transaliacensem vicum venientes, celebratis Missis, beatum corpus cum summo honore gaudioque sepelierunt. In quo vico sæpius se beatissimus in virtutibus declarauit. Sed & Lipidiaco plerunque opus eius sanctum ostenditur. Vterque enim locus vnius sancti præsidiis communitur. Fortassis autem quorundum incredulorum latratus ad hæc conatur obstrepere: sed noueritâ me visum Deodatum Presbyterum summam octogenarij æui ferentem, qui mihi hæc vt scripta sunt, contulit, confirmans sacramento, nihil se de his admixto mendacio enarrasse.

Vide priscorum Christianorum studiũ erga sacras reliquias.

Nota antiquum sepeliendi ritũ.

VITA S. SIMPLICII EPISCOPI AVGVSTVDVNEN. An. 340.

EX GREGORIO TVRONEN. LIB. DE CONFESSORVM GLORIA, Cap. 76. & 77.

I. Decedente (*Egemonio*) beatus Simplicius ecclesiæ ipsi (*Augustudunensi*) præponitur. Fuit autem de stirpe nobili, valde dives in opibus sæculi, nobilissimæ coniugi sociatus. His fuit castissima, obtegente sæculo, vita, soli Deo cognita, mortalibus autem ignota. Erant etiam ambo iusti, & in eleemosynarum semina ac vigiliarum tolerantiam promptissimi. Interea propter illam, vt diximus, sæculi dignitatem Simplicius decedente Egemonio à populis eligitur, sed à Deo pro castitatis & sanctitatis gloria destinatur. Accepto quoq; pontificatus ordine, beata soror, quæ prius fuerat non libidine, sed castitate viro coniuncta, non passa est à stratu pontificis submoueri: sed in illa puritatis castitate, qua prius, viri castissimi torum adibat, secura de conscientia mentis sanctæ, sciens se vri non posse ab incentiui ignis ardore. Sed sæua dæmonis inuidia contra sanctos Dei probrosa excitat bella, & quæ instinctu suo destruere non potuit, nititur verbis subdolis infamare. Quid plura? In illo Dominici natalis die commouentur ciues in scandalum, & ad beatam virginem rapido cursu concurrunt, dicentes: Incredibile est, mulierem viro iunctam, pollui non posse: sed nec vir poterit artubus mulieris iunctus, à coitu abstinere. Sic etenim Salomonis Prouerbia proferunt: Nemo, ait, tangens picem, mundus poterit esse. Neque enim in sinu ignem quis gestans, non cremabitur. Ergo videmus vos vno in toro recumbere, & suspicari aliud non possumus, nisi quod misceamini simul. His commota virgo sanctissima, aggreditur pontificem simili castitate pollentem, replicatisque coram omni populo sermonibus, quos audierat, (Arculam puella tunc plenam, vt assolet pro iniuria hyemis, cum carbonibus retinebat) vocat puellam, expansoque pallio prunas ardentes suscipit, & fere horæ vnius spatio tenens, sacerdotem euocat, dicens: Accipe mitiorem solito ignem, nequaquam tuis velaminibus nociturum, vt ostendant in nobis hæ flammæ extinctas flammas esse luxuriæ. Suscipiente vero pontifice, nihil nocitum est velamen eius ab igne. Hoc miraculo populus, qui erat tunc incredulus, credidit Deo & inter septem dies amplius quam mille homines, sacri innouatione lauacri sunt renati. Quos suscipiens Ecclesia gaudens, cælesti regno per hos milites copulauit.

Ivnii. 24 Cap. 76. Simplicius continẽter viuit cum vxore virgine.

Ex hoc populi scãdalo aduertis, non licere Episcopis habere vxorem. *Eccles.* 13. *Prouerb.* 6.

II. Fervnt etiam in hac vrbe simulacrum fuisse Berecynthiæ, sicut sancti martyris Symphoriani passionis declarat historia. Hanc cum in Carpento pro saluatione agrorum ac vinearum suarum, misero gentilitatis more deferrẽt, adfuit supradictus Simplicius Episcopus, haud procul adspiciens cantantes atque psallentes ante hoc simu-

Dea Berecynthia apud Gallos.

lacrum, gemitumque pro ſtultitia plebis ad Deum emittens ait: Illumina, quæſo, Domine, oculos huius populi, vt cognoſcat, quia ſimulacrum Berecynthiæ nihil eſt, & facto ſigno Crucis contra, protinus ſimulacrum in terram ruit, ac defixa ſolo animalia, quæ plauſtrum, quo hoc vehebatur, trahebant, moueri non poterant. Stupet vulgus innumerum & deam læſam omnis caterua conclamat: immolantur victimæ animalia verberantur, ſed moueri non poſſunt. Tunc quadringenti de illa ſtulta multitudine aiunt ad inuicem: Si virtus eſt vlla deitatis erigatur ſponte, iubeatque boues, qui telluri ſunt ſtabiliti, procedere. Certe ſi moueri nequit, manifeſtum eſt, nihil eſſe diuinitatis in ea. Tunc accedentes & immolantes vnum de pecoribus, cum viderent deam ſuam nullatenus poſſe moueri, relicto gentilitatis errore, inquiſitoque antiſtite loci, conuerſi ad vnitatem Eccleſiæ, cognoſcentes veri Dei magnitudinem, ſancto ſunt baptiſmate conſecrati.

An. 850.

BEATI IVANIS, PRIMI IN BOHEMIA EREMICOLÆ, VITÆ CVRRICVLVM EX ANNALIBVS BOHEMORVM PER D. Nicolaum Salium Pragenſem recens deſcriptum.

24. Ivnii quo dies eius feſtũ celebratur.

IVAN Geſtimuli Dalmatiæ Regis ex Elizabeta filius, Latine Iohannes dictus, ſalutaris parentibus in eremum Deo ſe credens profugit: & formidoloſis ſyluarum flexibus duce Angelo pererratis in Bohemiam adhuc idolis deuotam, Neclane rerum ſummam in ea adminiſtrante, deuenit: idque circa annum Domini 857. Cumque in ſpecu quadam tribus circiter miliaribus à Praga diſiecta moleſtiſſimis dæmonum incurſibus biennio quateretur, feſſus tanta inſectatione eorum, locum mutans abibat. Ei ſic eunti B. Iohannes Baptiſta obuiam factus percontari ex eo cœpit, quonam ſe & cuius rei gratia aliorſum ferret. Ille, quod res erat, fateri, dæmonum immoderatis ſe & continuis vexationibus adeo conturbari, vt nec conſiſtere, nec moram ferre queat. Hic Baptiſta ſanctus, rudem teneramque Tyronis Chriſti militiam miſeratus, præſidio Crucis donatæ eam firmat. Qua ille fretus, intrepide ad deſerta caſtra redire, & contra ouantes hoſtes clamoribus eum inceſſentes, quod ibi ſe balneum habere dicerent, infeſto ſigno procedere. Cuius virtutem illi non ferentes, quaquauerſum dilabi: ille victoriam proſequi, & intimius ad eos penetrare. Vnus ibi teterrimus appreſſo petræ corpore proteruius hærebat dæmon, diriſſimis vocibus & immani oris rictu, deuoraturo ſimilis frendens. In cuius ille putentem hiatum Crucem conijciens, adeò illum hoc iactu perculit, vt perfoſſa grandi petra foras erumpere coactus fuerit. Cernitur nunc quoque id alte ductum foramen, & profugi hoſtis pudendos conatus teſtatur. Sic compeſcitis dæmonum efferatis auſibus, pacatius deinde 40. & duobus circulis annorum eremitam geſſit Iuan, nulli mortalium annis 14. viſus, lacte interim ceruæ, diuina curaie tempeſtiue fœcunda vbera exhibere iuſſæ, paſtus. I.

Vt dæmonum inſectationes virtute Dei compeſcuerit, & lacte ceruæ nutritus ſit.

Boriuoius primus Bohemorum dux Chriſtianus.

Illius Ludmillæ paſſio infra in vita S. Venceslai deſcribitur.

QVO tempore Bariuoius Dux feras perſequens, ceruam hanc nutricem Iuanis & ſagitta traiecit, & veſtigiis eius hærens ad antrum viri Dei ignarus decurrit, miratus ceruam iacentem tam copioſo lacte exuberare. Cum vir procero corpore, veſte promiſſa, impexo & intonſo crine, ſuperciliis oculos tegentibus, ſpecu progreſſus ſeuerius cum Principe expoſtulare cœpit, quod animal ſuum telis appetierit. Conſternatus Princeps, non expectata talis viri facie, prodigioſamque belluam exiſtimans, vna cum comitum manu pedem retro tulit. Deinde animoſior factus, imperat ei per Chriſtum (quem primus Bohemorum Principum fide agnouerat) edicere quid hominis ſiet. Ille adiuratus nomen, patriam, genus euentuſque ſuos palam docet: quin & in petræam aulam qua exierat, flagitantem hoc Principem, inducit, & Dei circa ſe adminiſtrationem euulgat. Rogatuſque enixius vt equo ſe in vrbem Tetinam deferri pateretur, (ibi quippe Boriuoius vitam priuatæ ſimilem cum Ludmilla tenebat) recuſauit, & quod equitandi omnino ignarus eſſet, & quod commodius conſequenti tempore id ſe obſequium Principi exhibere poſſe opinaretur. Mouit interim, vt ceruam quam venator confecerat, egenis diſpertiretur. Verum Ludmilla, videndi tanti viri auida, Bariuoium perurſit, vt myſta ſuo, cum ſex famulis & aſino emiſſis, eum ad ſe deportarent. Cui aduentanti, & illa, & ille honoris ergo longe progreſſi aue detulerunt, & ſuſceptum intra limina dignis eorum nomine epulis honorarunt. Sed ille ieiunii lege perpetua appetitum guſtatumque ſuum definiens, nihil ex eis libare, nedum comedere elegit, ſed ad ſuam ſpecum adhelans, finito cum ijs de diuinis rebus colloquio, quamprimum reuerti contendit. Reuerſuſque eſt Sacerdote Paulo & ſex comitibus ſtipatus, omnibus regiis aulis, exeſi ſui antri præferens horrorem. Ad eum triduo poſt Paulus Myſta profectus, lapſibus vitæ veteris eius auditis, eum & expiauit, & re diuina ad adſpectum eius facta, ſacro Chriſti corpore eum refecit. Quod ille ſumma animi & corporis demiſſione ſumpto, traditaque presbytero cruce parua, quam D. Iohannis Baptiſtæ gratia ad retundendos impetus dæmonum acceperat, tertia die poſt Synaxim, ex ſpelunca tenebricoſa, cæli regiam adiit, corpore tantum ibi (nam ita fieri popoſcerat) depoſito. Quo in loco Boriuoius monaſterium ſub nomine D. Iohannis Baptiſtæ à ſe ædificatum, amplius prouentibus dotauit, ducibuſque ſacerdotibus eius curam pro tempore tradidit. Eo poſtea viri ad normam D. Benedicti viuentes traducti ſunt. Noſter eſſe voluiſti Iuan, vt noſtra damna ſeruares: leua obſecramus. II. III. IV. I.

Venit ad S. Ludmillam S. Iuan.

Eius ſobrietas.

Sacramẽtis eccleſiæ ante mortem munitur.

Abit in cælum.

Anno 70

MARTYRIVM SS. AGOARDI ET GLIBERTI, SEV AGLIBERTI EX MANVSCRIPTIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS Chriſtolienſis, diœceſis Pariſienſis.

24. Ivnii

SS. Altinus & Eodaldus vadunt Pariſios.

* Creteil, vulgo.

* Marne, vulgo.

TEMPORE quo beati Sauinianus, Potentianus & Altinus à beato Petro Apoſtolo ad prædicandum in Gallias directi fuerunt, cum diuina gratia diſponente Senonenſium mœnibus attigiſſent, conuocans ad ſe idem vir Domini Sauinianus B. Altinum & cum eodem B. Eodaldum virum ſanctiſſimum, quem in eadem vrbe Chriſto acquiſierat: Ite, inquit, fratres & amici chariſſimi quocunque vos perduxerit diuina voluntas, nec carnificum timeatis ſupplicia, vobis procul dubio immortalitatis præmia germinabunt. Qui genua flectentes, & benedictionis gratiam implorantes, egreſſi ab vrbe, Pariſios vſque venerunt, vbi cum populus diabolico inſtinctu ſalutis ſuæ myſterium nollet accipere, paucis ibi ad fidem conuerſis ad quendam vicum nomine * Criſtolium tranſierunt. Vicus quidem erat auræ ſalubris, ſituque terrarum adiacentium delectabilis, piſcium quoque, flumine quod eſt Matrona, * ſecus labente, affluens copia, & quaſi quodam ſacræ religionis præſagio, cuius erat ſe legibus ſubditurus, illius ante ſuſceperat vocabulum. Ad hunc igitur locum gratia hoſpitandi vel potius ſibi iniunctæ prædicationis, & ideo miniſteria incolis illis miniſtraturi ſe conferentes, inuenerunt ibi templum copioſis ſumptibus præparatum, in quo populus ille Diis ſuis libamina perſoluebat, vbi cum populus ad peragenda ſuperſtitionis conſuetæ negotia conflueret, eoſque quaſi peregrinos miratus acciperet, I. II.

peret, † sancti viri Dei ad eos his verbis exorsi sunt, Nolite fratres, nos velut extraneos admirari, sumus enim serui Dei omnipotentis, cuius voluntati famulatur omnis potestas, qui Filium suum ad terras venire disposuit, vt genus humanum arte diabolica deprauatum, & æternæ mortis supplicio deputatum, ad suæ maiestatis faceret redire famulatum. Hic enim spiritus sancti virtute conceptus, & ex Maria semper virgine natus, à Iudæis Hierosolymis crucifixus, mortuus & sepultus, tertia die resurrexit, & in cælos ascendit, sedet que ad dexteram Dei Patris, inde viuos & mortuos iudicare venturus, Cuius præcepta salutifera vobis afferentes admonere volumus, vt relictis idolis ad eum conuerti celeriter festinetis. † Fortasse aspiceret.

II. Qvod audientes ex his, qui ibi aderant duo nominatissimi viri Agoaldus & Glibertus prosternentes se sanctorum pedibus deuotis precibus implorabant baptismatis sanctificationibus emundari. Nec mora, baptizati sunt ipsi cum vxoribus & liberis & omni familia sua in nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, quorum exemplis pars maxima reliquæ multitudinis informata, gentilitatis vana superstitione deposita, credidit in Dominum Iesum Christum. Templum vero quod ad iniuriam Regis cœlestis, hominum miserabilis insania condiderat, destructum est, idola quoque confracta & in puluerem sunt redacta. Quo facto idolorum sacerdotes timore perculsi, & pene extra se positi, nunciauerunt Agrippino vrbis præfecto, adueniisse ab Orientis partibus viros sacrilegos qui Deorum suorum cultus annihilare conantes, Iesum à Iudæis probrosa morte interemptum, Deum deorum prædicant esse recipiendum. Quod audiens præfectus, Deos suos vindicaturus properat. Sed incassum exarsit eius crudelitas, dum minime potuit reperire quos perdere cupiebat. Iam enim sancti Dei Altinus & Eodaldus magistri sui recordati pacem Ecclesiæ Cristolienſi dederant, & communicantes sacramento cœlestis gratiæ ad beatum Sauinianum redierant. Alias S. Agoardus & Aglibertus baptizãtur.

III. Iratvs igitur Iudex impijssimus perquirere cœpit vt aliquos huius doctrinæ seruientes offenderent & ad eos furoris rabiem conuerterent. Reuelatum est autem ei à circunstantibus Agoardum & Glibertum hoc dogmate seductos & gloriari nomine Christiano, iussitque eos sibi celeriter præsentari, quibus oblatis dixit eis. Quid est, quod audio vos nescio quem Deum nouiter inuentum peruersa mente colere, Deosque nostros non tantummodo contemnere, verum etiam ad nostri contemptus augmentum adorandas eorum thecas opere nefario confregisse? Aut more paterno Diis omnipotentibus, grata libamina persoluatis, aut certe acerba supplicia nullatenus euadetis. Tunc sancti martyres Christi Agoardus & Glibertus vultu alacri responderunt, Christum Dei filium rerum omnium conditorem, eundemque verum hominem, ex vera Virgine processisse credimus ac confitemur, piisque mentibus prædicamus. Minas autem tuas nec timemus, nec timere possumus, cum idem Dominus & magister noster in terris positus suis prohibuerit dicens, Nolite timere eos qui occidunt corpus, non autem animam possunt occidere, sed potius eum timete, qui corpus & animam potest in gehenuam mittere. Extendatur corpus nostrum in suppliciis, vt spiritus purgatior suo possit occurrere Redemptori: teratur in area pœnarum palea corruptibilis, vt interiora gratiæ congregentur nitida in horreum Dominicæ congregationis. Illos autem quos Deos tuos esse commemoras, Dij non sunt, sed idola muta & surda, & vana manuum vestrarum opera, qui nec sibi nec vobis proficere possunt, sed potius animæ vestræ maximum afferre detrimentum. Ad hæc præfectus subridens ait: O stulta mens hominum, qua ratione adoratis mortuum qui profecto nec sibi nec de se sperantibus potest aliquatenus succurrere? Ad hæc sancti Domini responderunt. Adoramus quidem mortuum, sed qui propria voluntate surrexit, qui famulos suos in tormentis constitutos non deserit, sed per tribulationes & angustias præparat illis iter ad sempiternas delicias. Vnde fit vt quæ videntur nobis aspera & ab illis amplectantur dulciora, & quæcunque vos infertis ad ignominiam, illa conuertantur ad gloriam. Si vis igitur fidei nostræ experimenta capere, aperi latitudinem tuæ nequitiæ: Comprobabis nos Deo protegente longe validiores supplicia percurrendo, quam tuis sacrilegis verbis respondendo. Deferũtur, & præsentãtur iudici

Matth. 10.

IV. Hoc audiens præfectus amaritudinis felle commotus, iussit eos in præsentia verberibus diuersisque tormentorum generibus cruciari. Cumque cerneret eos eodem vultu, eodem animo perseuerare, data sententia præcepit eos capite truncari. Ministri igitur sanctos Dei capientes, & à conspectu præsidis educentes perduxerunt ad locum, in quo erant decollandi. Cumque peruenissent ad locum, flexis genibus & protensis ceruicibus, detruncatione capitis octauo Calendas Iulij adepti sunt coronam martyrij. Factum est autem, vt ipsa die multus populus diuersi sexus & ætatis ex eodem die ad exempla sanctorum martyrum Agoardi & Gliberti gladio punirentur: quorum corpora terra tetinuit, animas vero Christus inter sanctorum agmina collocauit. Venientes autem pauci, qui remanserant Christiani sepelierunt corpora pretioso in loco, in quo nunc vsque à Christi fidelibus venerantur. Dire cruciantur. Capite trũcantur cum aliis multis promiscui sexus.

VITA S. PROSPERI AQVITANICI, EPISCOPI REGIENSIS, AVTHORE IOHANNE ANTONIO FLAMINIO IMOLENSI.

AN. 440.

I. Beatvs Prosper Regiensis Episcopis, vir quidem multiplici doctrina & sanctitate insignis, ex qua vrbe quibusve parentibus ortus fuerit, non satis compertum habemus. Illud satis constat, Aquitanum fuisse: qui cum adhuc in patria esset, mira iecit futuræ sanctitatis fundamenta, futurus aliquando in Ecclesia Dei præfulgens longe lateque lucerna. Cum autem sacræ scripturæ assiduus ac diligens lector esset, ac frequenter Euangelistarum libros in manibus haberet, diuinitus ei oblatus est locus ille, vbi Christus quendam admonet, dicens: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me. Igitur diuini consilij non surdus aut segnis auditor, ad eam se ratus perfectionem vocari, cœpit continuo, vt fidelis Domini sui dispensator bonorum, quæ possidebat, inter pauperes Christi suas facultates distribuere: vt rerum terrenarum sarcina leuatus, expeditus ac liber Christum se vocantem sequeretur, ac illi soli vacaret: seruis etiam & ancillis libertate donatis, Romam se contulit, vt celebrem in toto orbe principum Apostolorum ædem viseret. Romanam tunc Ecclesiam sanctissimus ac facundissimus Pontifex Leo primus administrabat: ad quem mox tanti viri aduentus fama est perlata: cuius videndi miro desiderio tactus, non prius destitit, quam illum in suum hospitium attraxit. Quanta vero charitate illum susceperit, & quanto sit affectus gaudio, vbi se talem esse nactum hospitem vidit, dici nunquam posset: nec aliter quidem gauisus est, quam ex aduentu Pauli Petrum esse lætatum legimus. IVNII 25. *Matth.* 19. Res suas pauperibus elargitur.

II. Videbat enim inter cætera, quæ suam lætitiam cumulabant, magnum sibi tempore maxime opportuno adiutorem à Deo missum, inualescente quotidie magis diuersis in locis, præcipueque in *Chalcedonensi vrbe, Nestoriana & Eutychiana hæresi, quæ vnam tantum in Christo naturam asserebat. Ad quam euertendam beatum Prosperum cum multis aliis Romanæ Ecclesiæ præsulibus misit, qui secundum sanctionem catholicæ fidei, promulgatam in Synodo Nicena, sanctam Trinitatem asseruerunt, & in Christo Deo vero, ante Luciferum ex patre genito, & homine simul in fine sæculorum de immaculata Virgine nato, duas esse naturas, certissimis approbationibus asserentes, antedictas hæreses sustulerunt, atque earum authores Eutychen & Nestorium iuxta chirographum, tunc ad Martianum Imperatorem missum vnanimiter damnarunt. Cum autem, victus eiusdem Pontificis precibus aliquandiu ibidem commoratus esset, *for.* * *Constantinopolitana.* *Psalm.* 109.

Fit Regiensis Episcopus,

& missis ad diuersas ecclesias epistolis, multas hæreses contriuisset, Pontifex superne admonitus, Regiensi ecclesiæ valde reluctantem, quod se tanto imparem oneri diceret, præfecit. Cælesti autem beatus Prosper victus imperio, ad ecclesiam sibi creditam iter ingressus est. Ad quam dum tenderet, iam Episcopus illius senio confectus, & graui morbo correptus, diem suũ obierat. Ingenti igitur mœrore ob amissum antistitem optimũ ciuitas affecta est. Tunc sacerdos quidam, vitæ admodum probatæ & omnibus venerabilis, cælitus admonitus, omnem illam tristitiam depulit, asserens nouum aduentare antistitem, à Deo electum, & ab eius Vicario ad regendam Regiensem ecclesiam ab vrbe Roma missum, & mox adfuturum. Quibus auditis, populus & Clerus omnem mœrorem deposuit, & miro cum desiderio illius aduentum præstolabantur. Quotidie autem magis vulgata de sanctitate noui præsulis fama crescebat. Vbi vero factus est vrbi vicinior, in occursum illius tota ciuitas effusa est, & cum incredibili gaudio sanctum antistitem suum lætis acclamationibus suscepit. In episcopali deinde cathedra collocatus, vt iam populo suo & commisso sibi gregi lucerna super candelabro esse inciperet, huiusmodi orationem habuit:

III.

Oratio eius ad Regienses.

VIDEO, fratres charissimi, quantum meis imbecillibus humeris onus impositum sit. Neque enim maior, quam animarum cura demandari cuiquã potest. Quod quidem onus eo certe grauius est, quo qui regendi sunt, maiora & paucis concessa expectant. Iudiciis enim eiusmodi & concitatis suî opinionibus, respondere difficilimum est. Video, quid expectetis, & quid de me vobis polliceamini. Quare dandam mihi enixe operam intelligo, ne quid à me prætermittatur, quod ad verũ animarum pastorem pertineat. Verum quia scio, quanto fiat leuior sarcina, quam plurium colla sustentant, mecum hoc, filij, onus diuidite, & sanctum onus partimini. Quod erit facile, si vestræ salutis, si mandatorum Dei memores, mutuam charitatem amplexabimini, de qua, velut de vberrimo fonte, mirifice virtutes emanabunt, scilicet, humilitas, proximi dilectio, pax certa & animorum concordia: quibus quidem bonis si non carebitis, sicut carere vos minime decet, nusquam à vobis Christus aberit, & prospere vobis omnia cedere videbitis. Hoc erit, quod modo dixi, quodq; inprimis opto, mecum onus diuidere, faciliora enim sic mihi & leuiora fient omnia. Nihil enim tam durum ac tam laboriosum regenti est, quam in peruersa hominum incidere ingenia: quæ quo longius à recti semita abierint, hoc difficilius à facinoribus & improbitate sua retrahuntur. Subditorum virtutes ac vitia, aut suauem, aut duram faciunt regentis administrationem. Vos quidem dilectissimi, populus Dei & oues pascuæ illius estis. Quare si tales eritis, quales vos maxime futuros spero & opto, cessura vobis & mihi feliciter omnia, præsente Deo, minime dubito. Vt autem tales esse possitis, Deum vobis in rebus omnibus proponite, illum inprimis colite, illum vt æquissimum dictorum ac factorum omnium nostrorum iudicem reueremini, iustum retributorem, si recta sequamini: districtum iudicem, si mandatorum illius contemptores inueniemini. Hæc sunt, quæ in huius nostræ curæ pastoralis primordiis vobis dicenda putauimus, quibus & bene currentes in cursu contineamus, & segniores, si qui sunt, ad eandem metam tanquam subditis calcaribus excitemus.

Mali subditi pastorum munus reddunt molestissimum.

Officium boni pastoris.

Docet opere & sermone.

IV.

HÆC felicia fuere sanctæ administrationis illius initia, quibus qualẽ se populo suo pontificem præstiturus esset, & qualis cõmisso sibi gregi pastor futurus, sic facile declarauit. Sed & longè omniũ opinionem superauit, & expectatione illa, quæ pectoribus hominũ statim insederat, quotidie maior apparuit. Nihil studiosius quærebat, nihil procurabat attentius, quã quomodo populũ suum Deo maxime placentem efficeret. Idcirco crebris illum declamationibus, quibus nihil facundius aut efficacius dici poterat, ad rectam viuendi normam incitabat, & in via Domini continebat: quæ tametsi gratia & lepore admirabili ob innatam illi facundiam condiebantur, & sanctæ scripturæ testimoniis refertæ erant, & mirifice proderant: maiorem tamen vim & authoritatem illis probatissimi eius mores & vitæ sanctitas adferebat. Nihil enim dicebat, quod opere ipse non impleret, sciens parum vtilem esse doctrinam, quę docentis viam argueret. Erat illius pectus charitate ardens, mitis præsentia, omnibus affabilis, temperata in delinquentes scueritas, vt magis illos corripientis charitas moueret, quam verborum asperitas.

V.

Cura pauperum.

QVID referam, quantæ illi curæ egeni essent, qua pietate pupillos prosequeretur & viduas? Non sexus, non ordo, non ætas erat in ciuitate, cuius tanquam omnium pater curam non gereret: ac propterea frequenter populum in ecclesiam vocabat, ac salutaribus documẽtis instruebat, & quod audiebant vt opere complerent, diligenter procurabat. Oculos in omnes, de eorum salute solicitus, intentos habebat, super gregem suũ incessanter inuigilans, ne qua de sanctæ gremio Ecclesiæ antiqui hostis fraude ouis exiret. Idcirco mirus erat indagator, vt quæ vita, qui mores inultitudinis sibi commissæ essent, non ignoraret. Seniores ecclesiæ suæ sacerdotes, imitatus Apostolum, vt patres reuerenter admonebat, iuniores instruebat vt fratres, anus vt matres, puellas vt sorores aut filias, incredibili studio in viã Domini dirigebat, rectum & verum agens animarum Episcopum. Ipse autẽ cauens cum Apostolo, ne, cum aliis prædicaret, reprobus efficeretur, exemplo magis quam verbo prodesse suis, ac illorum animos confirmare studebat. Propterea vigiliis, orationibus, ieiuniis ac multiplici maceratione carnem domabat, & parere spiritui cogebat. Magno etiam charitatis impulsu finitimarum vrbium Episcopos tanquam collegas, crebro per epistolas hortabatur, ne dignitatis suæ, ne impositi sibi oneris obliuiscerentur. Quæ quidem omnia tantam illi apud omnes, non solum suos, sed etiam alienos gratiam & amorem conciliarũt, vt non aliter ac omnium parentem, illum diligerent ac venerarentur. Talis ac tantus præsul duos & viginti annos Regiensem rexit ecclesiam, hoc est, ab anno aduentus Christi quadringentesimoquarto, vsq; ad annum quadringẽtesimum sexagesimumsextum. Floruit maxime sub Leone primo Pontifice Maximo, cui, sicut ostẽdimus, charissimus extitit. Vbi vero tẽpus aduenit, in quo tot virtutũ ac meritorũ suorum propositã sibi mercedem reciperet, in ægritudinẽ incidit, quæ vitæ finis illi fuit. Igitur suos ad se conuocans filios, veluti iam præsagientes, quid mox futurum erat, & ingenti metu perculsos ac flentes sic allocutus est:

1. Tim. 5.

2. Cor. 9.

VI.

Oratio eius ad suos sub vitæ finem.

Philip. 1.

VIDEO, dilectissimi, quantus pectora vestra mœror occupauerit, quia meæ vitæ finem aduentasse cernitis, nec miror: scio enim, quam molestum sit amantibus disiungi, cum præsertim sic ab adspectibus inuicẽ separantur, vt visuri eos amplius non sint quorum præsentia maxime delectentur. Vehemens istud desideriũ vera charitas gignit: sed moderate illud ferendum est, vbi credunt qui remanent, multo vtilius esse discedentibus proficisci, quam hic diutius esse. Sic mihi quidem contingit, qui cum Apostolo cupio dissolui, & esse cum Christo. Ea est meta, ad quam iamdiu propero, & ad quã semper omnia mea contuli vota. Quare sic à vobis discessurus sum, vt multo magis in posterũ sim vobiscum futurus. Neq; velim discessum hunc à vobis meum arbitremini, sed ad lõge meliorem statũ accessum, vbi multo melior vobis sim futurus, si in dilectione, ad quam vos semper hortatus sum, permanseritis, si mutuæ charitatis & mandatorum Dei eritis memores. Si enim putatis me potuisse vobis hucusque prodesse, qualem me futurum erga vos deinceps credere debetis, vbi inexhaustum bonorum omnium thesaurum attigero? igitur abstergite iam lachrymas, & flendi finem facite, & gaudendum magis hac in re vobis, quam dolendum, existimate.

VII.

Feliciter abit ad Dominum.

HÆC cum dixisset, & non solum sacerdotibus ac Leuitis, sed quamplurimis etiam de populo, qui frequentes aduenerant, benedixisset, oculos & manus in cælum sustulit. Tunc mire facies illius exhilarata est atque resplenduit, & stupentibus qui aderant omnibus, & psalmis & hymnis egredientem animam comitantibus, felicem præsenti, vt creditum est, Deo ac sanctis eius Angelis spiritum tradidit. Quantum vero sui desiderium reliquerit, totius ciuitatis mœror ac luctus testatus est. Vbique suspiria, vbique gemitus audiebantur, nec vllus erat lachrymis modus. Nonenim

nim aliter, quam si domesticus vnicuique luctus esset, dolebant & lamentabantur. Ductæ sunt deinde solenni apparatu, ac totius populi, omnium ætatum, ac omnium ordinum concursu, exequiæ: sepultusque est extra vrbem in tẽplo, quod in honorem beati Apollinaris ipse consecrauerat. Obiit autẽ septimo Calendas Iulii, hoc est, quinto ac vigesimo Iunij die, qui beati Iohannis Baptistæ natiuitatem subsequitur, anno ab aduentu Christi quadringentesimo ac sexagesimo sexto, Hilario Pontifice Maximo Ecclesiam regente, Leone vero Romanum tenente Imperium. Quam vero gratus Deo extiterit, & quem locum in Angelicis choris adeptus sit, mira ad illius sepulcrum prodigia continuo subsecuta declarauerunt: ad quod nullus, quacunque detineretur ægritudine, frustra confugit. Claudi gressum impetrarunt, cæci visum: paralyticis confirmata sunt membra, ab obsessis corporibus dæmones fugati. Nemo verbis satis digne consequi posset, quanto splendore diuinum pontificem suum Deus populis omnibus, ac in Ecclesia sua veluti cæleste quoddam iubar fulgere voluerit: vt se tanto felicem præsule ac patrono Regiensis ciuitas merito dicere possit. Sed non tantus ad illius sepulcrum honor ac veneratio temporis longinquitate consenuit: sed ad hoc vsq; tempus perdurat ac viget, nec vllius ad id pie accedentis diuina gratia fidem ac spem esse irritam sinit. Miracula ad sepulcrũ eius.

De sacri corporis illius translatione.

VIII. VERVM quia, sicuti ostendimus, extra vrbis muros erat sepultus, & sæuientibus Barbarorum bellis, quibus vexata diu fuerat Italia, frequentari ex more sepulcrum non poterat, ne tanti præsulis veneratio paulatim obsolesceret, diuina prouidentia, quæ in sanctis suis claresce re non desinit, miro quodam modo cauere voluit. Præerat ecclesiæ Regiensi vitæ ac morum sanctitate venerabilis Episcopus, nomine Thomas: qui dignus beati Prosperi successor, ita gregem sibi commissum regebat, vt verbo & exemplo cunctis recte viuendi norma esset, Hic vigiliis, orationibus, ieiuniis, eleemosynis & cæteris, quæ Episcopale fastigium decent, assidue erat intentus. Is dum ex more oraret in templo, subitus illum sopor inuasit: quiescenti beatus Prosper apparuit augusta specie, candida indutus stola, & venerabili canitie conspicuus: qui ei mandauit, vt paruam ecclesiam, quam diximus, in qua corpus suum parum decenter quiescebat, amplificaret, & in ea locum extrueret, vbi sua deinceps ossa decentius seruarentur, addens, ne differet mandatum exequi. Diuino monitu expergefactus Episcopus, sacerdotes statim suos & populum ad se vocauit, & quid sibi mandatum foret aperuit: & ne diuini præcepti parum diligens executor videri posset, opus continuo est aggressus. Extructa igitur æde, ac præparato magnifice loco in quem sacræ transferrentur reliquiæ, conuocatis religiosorum omnium collegiis & populo, qui frequens confluxit, sepulcrum vetus, in quo vsque ad Luitprandi Longobardorum regis Christianissimi tempora quieuerant, apertum est: de quo tanta diuini odoris fragrantia effusa est, vt nulla ei aromata vel opobalsami riuuli, si per ædem fluerent, comparari possent. Ita eductæ sacræ reliquiæ cum ingenti omnium plausu atq; lætitia, manantibus vbertim præ nimio gaudio per ora cunctorum lachrymis, nouo sepulcro magno cum honore, cum psalmis & hymnis illatæ sunt. Vbi mira quam plurima, antedictis non dissimilia, meritis sancti confessoris sui Deus cum omnium stupore operatus est, Nam ibi opem illius imploran-tes surdi, statim audire, muti loqui, cæci videre, claudi ambulare, paralytici confirmari cœperunt, & alii, quacunque laborarent ægritudine, sanari. Quid memorem fugatos ab obsessis corporibus immundos spiritus, & alia, quæ nimis longum esset, si omnia recensere vellem, omni admiratione ac stupore miracula digna? Thomas Regiensis Episcopus. Ei S Prosper apparet. Odor suauissimus è sepulchro S. Prosperi. Alia miracula ad trãslata eius reliquias.

Catalogum operum sancti viri, quem huius author historiæ his subiungit, omisimus. Passim enim habetur apud diuersos.

VITA S. ADALBERTI CONFESSORIS, ET LEVITÆ, DISCIPVLI S. VVILLIBRORDI EPISCOPI, EDITA à COENOBITIS MEDELOCENSIBVS circa annum salutis DCCCCXC. sed stylus passim mutatus est per F. Laur. Surium. AN. 69

I. LEGIMVS in Ecclesiasticis Historiis beatum Egbertum, cælesti afflatum desiderio, patriam, parentes, omnemq; frequentiam cognatæ nobilitatis reliquisse, atque studio peregrinationis & ardore vitæ remotioris in Hyberniam secessisse. Vbi cum præclaro virtutum profectu & haud obscura vitæ sanctimonia in multorum admirationem venisset, Deo id agente, multos sui sectatores effecit: certatimque ad eum tam Angli quam Scoti confluebant, vltro se in eius disciplinam tradere cupientes. In ijs erat etiam S Adalbertus, qui tanquam apis generosior, arctioris vitæ institutа non segniter est complexus. Actiones enim suas ad exempla pij præceptoris conformabat, & ceu mundum animal, quicquid boni auditione accepisset, animo ruminabat, & opere exercebat: nec de sola scientia sibi inaniter applaudebat, nec animis tumescebat: sed eam perpetuo in opus conferre magis magisque connitebatur. Atque ita per angustam mandatorum Dei viam ingrediens, breui adeptus est cælestium virtutum latitudinem. IVNII 25. S Egbertus multos Christo lucratur.

II. PORRO vir Domini Egbertus, quotidiana sanctitatis capiens incrementa, pro paruo ducebat suæ vnius saluti consulere: sed pro insita animo eius singulari benignitate, summopere appetebat prodesse plurimis, imprimis autem sanctæ prædicationis studio ad Christianæ religionis complexum adducere homines ethnicismi erroribus implicatos. Audiens igitur Germaniæ populos infidelitatis nexibus præ cæteris tenacius irretitos, quippe qui ob ferocitatẽ suam Diuini verbi præconibus hactenus pene inaccessi manerent, plane instituit ad eos commigrare, periculum facturus, num quos ex illis, Christi cooperante gratia, ex filiis perditionis posset adoptionis & conciliationis filios efficere. Cumq; in hanc cogitationem & curam totus incumberet, diuino oraculo, ne eam ad effectum perduceret, retardatus est. Itaq; vir sanctus, cum neq; vellet, neq; posset diuinæ ordinationi reluctari, alios quosdam delegit, quos suo loco mitteret, & sanctitatis meritis & eruditionis efficacia tantæ rei idoneos. Et primo quidem misit Vuigbertũ, integerrimæ conuersationis presbyterum: qui diu multumq; cum obstinata barbaræ gentis duritia colluctatus, cum videret nõ posse eam à sua perfidia reuocari, infecto negocio est reuersus. Atqui vir prudentissimus non ignorans, de Dei misericordia nunquã desperandũ, alios subrogauit, qui illud prædicationis officium explerent, Vuillibrordum Apostolicæ gratiæ presbyterum, eumq;, de quo diximus, clarissimum Christi confessorem Adalbertum: adiunctis ijs decem aliis, eodem fidei calore feruentibus: ex quibus nonnulli post multiplices susceptі laboris agones, martyrij palmam adepti sunt, alij in pontifices promoti, cum præclare illo munere perfuncti essent, in pace quieuerunt. Adalbertus eius discipulus, quem fuisse filiũ Edilbaldi regis Deirorum habes 6. cap. vitæ S Svviberti 1 Martii. Vvigbertus presbyter. Vvillibrordus presbyter.

III. II ergo Christianæ religionis propagatores, sacræq; fidei propugnatores, tam iussu patris, quam sua voluntate & deliberatione ad Euangelii prædicandi opus inhiantes, superatis pelagi periculis, cælesti illis gratia adspirante, optatum portum gratulabundi attigere. Tum vero in terram egressi, strenuissimum Francorum principem Pipinum adierunt: à quo cum multa reuerentia susceptі, & per omne tempus, quo apud illum mansere, humanissime & officiosissime tractati sunt. Porro vbi cognouit aduentus illorum causam & pium animi propositum, misit illos in

S. Vuillibrordus cũ suis Christũ in Frisia prædicat.

Frisiam, quam nuper subegerat, vt suo ministerio gentem illam Christo lucrifacerent, ipsius principis præsidiis fultos, & authoritate munitos. Cumque egregij illi rationabilium noualium cultores, iactis seminibus, è suo labore viderent frugum incrementa existere, communicato inter se consilio, cum bona venia Principis Pipini, sanctum Vuillibrordum mittunt Romam, à Præsule Apostolico in Episcopum promouendum. Ille vero ea dignitate ornatus, ad cœptum redit opus, sedemque Episcopi apud Traiectum castrum obtinet: cuius quæ fuerit vita, qui eius in prædicando Dei verbo sudores & labores, quibus claruerit miraculis, si quos nosse velit, potest ex libro gestorum eius luculenter scripto, perdiscere. Nos pauca hæc in testimonium virtutum sanctissimi patris nostri Adalberti commemorare voluimus, vt qui ijs omnibus efficiendis comes & adiutor interfuerit indefatigabilis, iam porro, Deo fauente, ad ea nos conferemus, quæ peculiariter ad illum attinent.

IV.

Adalbertus forma optimi doctoris.

ITAQVE in beato Adalberto tanta fuit comitas morum, vt mirabili vitæ suauitate omnes ad sui imitationem alliceret. Quicquid sermone faciendum ostendebat, prius ipse factis declarabat, maximo se detrimento affectum existimans, si non verba & institutiones suas re ipsa & exemplis optimis confirmaret. In primis autem veræ humilitatis studiosus fuit, asserens eius industria & cautione cætera omnia conseruari. Superuacaneum sit, hoc loco eius eximiam velle charitatem commemorare, cum ea illi causa fuerit, patriam, propinquos & dulces patriæ fines, cunctaque natalis soli commoda, relinquendi. Ne simus autem prolixiores, quam par sit, hoc compendio retulisse sufficiat, ita eum singulis initiatum virtutibus, vt nunquam ab illis quatuor primariis, quas cardinales vocant, deflexerit, eamque viro sanctissimo spiritalis militiæ perpetuam atq; indefessam fuisse contentionẽ, donec ipsam hostiæ suæ caudã Domino immolaret, cõuenienter illi sententiæ Saluatoris. Qui perseuerauerit vsq; in finem hic saluus erit. Eiusmodi ergo eximius heros munitus & instructus apparatu, quoquouersum proficiscens, lucrãdis animabus operam nauabat.

Matt. 10. 24

V.

Apud Egmundam libenter degit S. Adalbertus.

VTPI VRIMVM tamen eo in loco hærebat, quem Egmundam vocant, ad cuius recessus ab importuna hominũ frequentia veluti receptum quendam habere visus est: vbi inter complures, quos fama virtutum eius inuitarat, Eggo quidam ad eum venit, & breui tempore in eius se familiaritatem insinuans, accurate illi adhæsit, adeo vt vir Dei non raro eius hospitio vteretur, feliciq; compensatione eius meteret carnalia, cui spiritalia seminabat: vtq; inter ipsos cõflata charitas & beneuolentia esset confirmatior, eius filium è sacro fonte suscepit, & vt par erat, etiam pleraq; secreta sua cum illo vel maxime communicauit. Itaq; die quodam inter cœnandũ cum se mutuis ex more colloquiis oblectarent, vir sanctus illi amico suo aperuit, velle se patriam parẽtesq; reuisere, vt posset etiam illis aliquid gratiæ spiritalis impertiri. At Eggo nimis moleste ferens tanti amici absentiam cum lachrymis curiose ex eo sciscitabatur, ad quod tempus rediturus esset. Tum vir Deo plenus, eius piæ solicitudinis misertus, fragmentũ pomi, quod forte manu tenebat, in ignem proiiciens. Cum huius, inquit, pomi grana in virgulta excreuerint, me, Deo bene propitio, tibi restitutum videbis. Deinde susceptam profectionem prosequens, emenso mari, in patriam venit, diuq; optatam sui præsentiam natiuæ regioni exhibuit: illicq; aliquandiu moratus, verbis & exemplis non paucos ad sui imitationem illexit. Semper enim Dei gratia virum sanctum, quocunq; se conferret, & præuenit & subsecuta est. Ita ergo lucrandis Deo animabus totus incumbens, præsentis laboris asperitatem futuræ mercedis contemplatione leniebat.

VI.

S Adalbertus redit ad suos.

Insigne miraculum.

INTEREA Eggo ille, quem diximus, sponsionis viri Dei æstimator auidissimus, eius reditũ mire sitiebat. Vt autẽ miraculum, beati viri declarandis meritis diuinitus destinatũ, augustius existeret, accidit vt hospitiolum, in quo grana pomi ignis, mittente S. Adalberto, exceperat, voracibus flammis in fauillas redigeretur. Ecquis vero ex eiusmodi sperauerat? Sed Deo, cui omnino idem est velle, quod posse, nihil ad efficiendum difficile est. Deniq; vbi opportunum aduentauit tempus, ex eodem loco prodiit germen odoris Domini, & grana in ignẽ iacta rediuiuos protulere flores: nec tamen fructus adferendo, tantã sui admirationẽ excitarunt, quantũ attulit gaudij reditus optatus beatissimi patris Adalberti: qui, vt promiserat, in Frisiam reuersus, tanto maiori omnium studio & beneuolentia accipitur, quãto eius sanctitas euidentiori miraculorum attestatione, & propheticæ spõsionis certiori exhibitione quoquouersũ sese celebrius diffudit. Attamen vir sanctus omni virtutũ exercitatione instructus, & omni ex parte circunspectus, & aduersus tentatoris versutias cautus & peruigil, in via propositi sui non tam in id erat intentus, quantũ iam confecisset itineris, sed quantum adhuc certaminis superesset: ficq; quotidie aliquid ad superiora pietatis studia adiicere nitebatur, acsi iamprimum nouus tyro spiritalis militiæ & sanctæ conuersionis semitam ingrederetur.

Reuertitur in Frisiam.

VII.

Eius felix obitus. *Psalm.* 47.

IGITVR de virtute in virtutem proficiscens, quod feliciter cœperat, felicius consummauit, & immarcescibilem sui agonis percepturus coronam, præsentis sæculi obscuram lachrymarum vallem cum paradiso deliciarum permutauit: Christoque cui fideliter seruierat, septimo Calendas Iulij sanctissimam reddit animam, lætissime iam concinens in Christi præsentia: Sicut audiuimus, ita & vidimus. Vbi sane nos & credimus & optamus eum nostrarum miseriarum memorem, tanto vtique nostris releuandis incommodis efficaciorem, quanto diuinæ pietati coniunctior est: Corpus autem beati viri à fidelibus eius temporis, qui eius curabant exequias, diligentissime conditum ac humanissime terræ mandatum, beatæ resurrectionis tempus præstolatur. Condita est supra illud ecclesia, quantum quidem earum rerum adhuc rudes poterant, eiusque memoria ab illis celebrabatur. Sed eam ecclesiam Nortmanni, crebro facta irruptione, sæpe euerterunt, vastatis atrociter locis omnibus illi adiacentibus.

VIII.

VT autem diuina prouidẽtia, cuius meriti esset vir sanctus, qui illic corpore, quiescebat, ostenderet, id effecit, vt nunquã illi loco deesset, qui cultum debitũ persolueret. Nec mirum tamẽ humanis illũ ex cubiis honorari, qui quotidianis illic miraculis coruscaret: quæ quidem tã multa sunt, vt si ea singulatim describere velimus, non modo difficilem sed etiam impossibilem & cui pares esse nequeamus, laborem suscepturi simus. Quamobrem necesse est eum nos imitari, qui amœna prata perlustrans, dum, quos decerpat flores, animi dubius est, ea tenus suo desiderio moderatur, vt tot carpat, qui sufficiunt ad delectationem, non qui suo pondere premant abeuntem. Ita & nos ea debemus vti mediocritate, vt recitatio compendiaria & studiosis, & fastidiosis vicissim satisfaciat. Cæterum vt fidem dicendis adstruamus, non valde nobis laborandum credimus, cum profecto absurdum sit inde apud fideles aliquem ambiguitatis scrupulum existere, vnde authore Deo, certum est, incredulos pristino valefeciisse errori.

IX.

Irrũptiones Barbarorum.

MVLIER quædam Eseuuar nomine, S Adalberti seruitio se deuouit, certo sibi persuadẽs, inopiam & angustias viduitatis suæ, eius patrociniis releuatum iri. Cumq; multis annis deuotis institisset obsequiis, piratæ in ea loca irrumpentes, omnem circunquaque regionem hostiliter deuastarunt: direptisq; rebus & facultatibus, homines captiuos abduxerunt. Mansit autem sola hæc vidua, in tanta vastitate quid ageret, quo se verteret, modis omnibus ignorans: quippe quæ prorsus nihil haberet alimoniæ, nec vbi vel vnde eam compararet, vlla ei copia suppeditaret. Tandem hoc vnum ei reliquum fuit, vt de consueta sancti Adalberti benignitate confideret. Nec sanctus despexit de ipso bene sperantem, sed opportunum illi remedium & opem tulit: quotidianum ei victum ab Oceani litoribus subministrans, atque hoc ipso satis declarans, quam verum sit, Deum timentibus nihil deesse. Non potuit pia vidua communem sentire calamitatem, quæ specialius sancti Adalberti patrocinium sibi conciliarat.

Psalm. 33.

X.

POSTEA vero presbyter quidam, Amalathus nomine, officij sui religiosus cultor, angelico est oraculo admonitus, vt instaurandæ sancti Adalberti ecclesiæ, sine vlla dilatione operam daret. Ne qua autem posset illi inhærere ambi-

ambiguitas, eadem visio etiam aliis tribus viris, laicis illis quidem, sed bene religiosis, oblata est. Qui cum ei quid vidissent indicassent, & ille omnia videret cum sua visione consentire, multo ad aggrediendum opus factus est alacrior. Itaque accitis vndique operariis, in opus illud feruenter incubuit. Vbi autem artifices materiam comportatam inspexere, trabem vnam cæteris multo breuiorem viderunt: eaque re non mediocriter afflicti, in alterum diem distulere consultationem. Mane vident præsenti Dei beneficio trabem illam etiam cæteris longiorem, multaque affecti lætitia, tanto accuratius cœpto insistunt labori, quanto certius cognouere etiam diuinis se miraculis confirmari. Erat autem ecclesia illa, sanctissimo Adalberto consecrata, ad litus maris sita, atque ea causa piraticæ infestationi exposita. Sed quam admirabiliter sæpius eam potenti miseratione ab ea vexatione defenderit, non est silentio tegendum. Crebro enim Barbari in illam incurrere volentes, & propemodum attingentes portum, nube se interponente videre illam non potuerunt, atque ita ftustrati conatu suo, inanes abiere. Quæ res in causa fuit, vt non modo à Christianis, sed etiam ab ethnicis frequenter visitaretur, illis suam animi deuotionem crebris oblationibus haud obscure declarantibus. Neque id immerito, quandoquidem nullus eo frustra accessit, nec quenquam sui laboris pœnituit.

Haud vulgare miraculum.

Ecclesia S. Adalberti diuinitus seruatur.

Ob vitandam prolixitatem, ea quæ sequuntur, redegimus in compendium.

XI. RVSTICVS quidam oblatum ad sancti viri sepulcrum caseum, per temeritatem furatus est. Eum voraturus, in densas spicas se abdidit. Et ecce percussus amentia, pro caseo proprios rodit digitos. Vbi id herus eius comperit, confestim iubet eum duci ad sacratissimas beati viri reliquias. Curatur illic, & ipsi ecclesiæ mancipatur.

Pœna sacri legi.

XII. SOLET mare procellosum secum arenas trahere, & eas in litus eijcere: quæ flante vento plerunque ita coaceruantur, vt altissimos montes æquare videantur. Eiusmodi moles quandoque proxime ad beati Adalberti oratorium constitit. Forte autem eo appulit Roricus Barbarorum rex, iussitque vt ministri sui illam arenam à sacra æde ocius amouerent. Accingebantur illi in proximam lucem ad iussa regis capessenda: sed ecce mane conspiciunt arenam omnem meritis S. Adalberti ad lapidis iactum inde translatam.

XIII. APPARVIT idem Christi confessor sanctimoniali cuidam in somnis, (dicebatur ea Vuilfit) iussitque vt sacra ipsius ossa, quæ instar aliorum profunda humo condita erant, sub omnium conspectum eleuarentur, vt fidelium deuotio efficacius incitaretur, & eius meritorum interceſſio studiosius impetraretur. Et ne ambigua esset ea apparitio, tertio repetita est. Itaque sanctimonialis illa Theodorico primo Comiti & eius loci domino, quid vidisset & audiuisset, indicat. Comes porro, vt semper promptus fuit & officiosus ad ea, quę religionis sunt, non distulit in opus conferre, quæ erant sanctimoniali demandata.

Theodorici Comitis deuotio.

XIV. ELEVATA igitur sunt beati viri ossa, & ecce sub sarcophago repertus est fons mire perspicuus, qui hodieque multis adfert corporum salutem. Aperto autem loculo pallium, quo sacrum erat corpus obuolutum, penitus incorruptum inuentum est.

XV. PORRO is, quem diximus, Comes Theodoricus, in loco, quem Hallen vocant, ex materia siue ex lignis construxit oratorium: constitutoque die, in quem fideles possent adesse, eo sacrum fecit thesaurum adduci: nec facile certus possit eorum numerus iniri, qui interim, dum sacræ reliquiæ deportarentur, sanitatis beneficium impetrarũt. Sed quid sibi vult, quod confessor Christi sanctissimus, qui iam beatus in cælis, nullius indiget, qui etiam cum esset in humanis, humana omnia fastidiuit, sua vult ossa eleuari, & meliori loco reponi? Certe non ob aliud hoc ille voluit, nisi vt ij, qui ea cernerent, animis compungerentur, atque ita facilius diuinitus adiuuari mererentur: tum etiam, vt magis magisque pij homines ad appetenda cælestia inflammarentur.

XVI. IN eo autem construendo oratorio cunctis strenue laborantibus, Sigifridus quidam sociorum diligentiam imitari nolens, omni membrorum officio destitutus, toto corpore contractus est. At salubri pœnitentia correctus, mox reualuit.

XVII. BRVMALI tempore, omnibus frigore rigescentibus, Comes Theodoricus, de quo iam diximus, traha vehebatur per lacum mire profundum, sed congelatum. Vt est autem periculosa eiusmodi in aquis frigore concretis ambulatio, cum iam medium fere attigisset lacum, dirupta non satis solida glacies, præsens exitium Comiti minitabatur, qui cunctis fugientibus, solus illic relictus est. At ille cernens omni se humana ope destitutum, ad crebro compertum beati Adalberti patrocinium confugit. Mox, quod dictu mirum est, vbi incredibilis pene est laci profunditas, non nisi ad cingulum vsque mergi potuit, & tum ipse, tum ea omnia quæ curru vehebantur, periculum illud euasere.

Egregium miraculum

XIIX. NON sunt autem obliuioni tradenda, quæ temporibus Theodorici iunioris, qui fuit eius, quem diximus, Comitis filius, nosipsi vidimus declarata miracula. Is enim paternæ deuotionis feruentissimus æmulator, in honorem S. Adalberti confessoris Christi, basilicam lapideam non sine multa difficultate construxit. quippe cum tellus hæc arenosa & lapidum & calcis admodum inops sit. Ipsum quoque beati viri corpus sarcophago impositum, elegantis fabricæ structura ornauit, & ne quid apud Deum de futuræ beatitudinis præmio illi deesset, monasticæ vitæ cultores illic Deo vacare voluit, de suis prouentibus tantum illis conferens, quantum ad victum quotidianum sufficeret. Pater quidem illius sanctimoniales illic collocarat: sed imminente eis sæpius Frisonum feritate, ad propositi sui obseruantiam facultas eis minime suppeditabat.

XIX. PORRO Theodoricus Comes iunior, filium genuit Egbertum, quem studio religionis in Clerum voluit adscribi. Is vero Egbertus iam adultus, cum Subdiaconus esset, à die Palmarum vsque ad ferias S. Adalberti huius, quæ incidunt in septimum Calendas Iulii, acri febre laborauit. Cum autem festum illum diem cum cæteris celebrare constituisset, fiducia meritorum sanctissimi confessoris fretus, ita prorsus eo morbo absolutus est, vt nunquam illo correptus videretur: multaque hilaritate perfusus, ad Missarum solennia sui ministerij deuotionem adhibuit. Hic est Egbertus ille, qui postea in Treuirensem promotus Archiepiscopum, tum viuacissimo religionis ardore, tum egregiæ moderationis libramine eam gubernauit ecclesiam.

Egbertus Treuirorũ Episcopus.

XX. IDEM vero Comes Theodoricus filiam habuit inprimis charam, Erlindam nomine, quæ diu lusca fuit. Ea quoq; S. Adalberti experta est virtutem. Quî vero illam vir sanctus negligeret, tot ab eius patre modis honoratus? Recepit ergo oculum incolumem, plus gaudens illo restituto, quam si nunquam eius vsu caruisset.

XXI. PRESBYTER quidam ex Anglorum gente, Vuolmarus nomine, ad viginti annos cæcus fuerat. Multa ille sanctorum loca adijt, ipsa quoque Apostolorum limina Romæ visitauit. At quamuis diuina benignitas per merita Apostolica multis sæpe modis se declarauit, at tamen huius viri sanitas S. Adalberto seruata est. Itaq; Roma reuertens, vbi celebrem eius famam comperit, Egmondam venit, ex fonte illo, quem sub sacri corporis locello repertum diximus, tertio oculos abluit, & vidit clarissime.

Cæcus videt.

XXII. HAC quoq; tempestate permulti varijs affecti morbis, integram beati viri meritis sanitatem recepêre. Inprimis autem

autem dæmoniaci efficaciſſimam eius in ſe virtutem experiuntur. Nec mirum, cedere illi dæmones, iam cum Chriſto regnanti, cuius adhuc in carne militantis, ineluctabile certamen crebro experti ſunt.

COMES Ruoſekinus haud procul à monaſterio beati Adalberti morabatur. Is filium ſuum in eo monaſterio XXIII Chriſto ſeruiturum deuouerat. At vbi poſtea eius voti incurioſus præuaricator effectus eſt, puer vſqueadeo cœpit ad-
uerſa laborare valetudine, vt eius vita plane deſperaretur. Sed poſtquam ad altare ſancti viri regulariter oblatus eſt,
Nota iſt. huc. ſalus ei reſtituta eſt. Vnde ſatis licuit animaduerti, paternam perfidiam eius amiſſæ cauſam fuiſſe.

MVLIER quædam infantem peperit, qui ad viginti dies à maternis vberibus nullum omnino lac ſugere vo- XXIV.
luit. Erat res plena præſentis periculi, cui humana ratione mederi nemo poſſet. Itaque parentes offerunt illum ad altare S. Adalberti, & puer mox ad vbera inhiat. Qua in re, dum paruulo ſubtrahitur naturalis nutrimenti appeten-
tia, & ſancti confeſſoris in curandis morbis pateſcit excellens virtus, & eidem infanti ſublimioris inſtituti profeſſio conciliatur.

Nota de pallio miraculum. ORATORIVM beati viri cuſtodum incuria bis flamma vorax abſumpſit: & cum nihil ignis reliquum feciſſet ex XXV.
ijs, quæ in oratorio illo habebantur, ſolum pallium, quo erat ſacrum ſancti Confeſſoris corpus obuolutum, nihil ab igne detrimenti accepit.

IN regione tranſmarina quidam fuit homo opulentiſſimus, idque hiſce noſtris temporibus. Idem autem ipſe XXVI.
cum eſſet rapaciſſimus, nepotum ſuorum agros ſibi voluit vſurpare. Multis modis per amicos & cognatos illis ho-
minem à ſententia deducere molientibus, ille contemptis omnibus, ſuos colonos iuſſit iis agris colendis operam dare. At contra iuuenes feroces ira inflammati propter rei indignitatem, palam teſtabantur, ſe quiduis malle per-
peti, quam paternæ hæreditatis facere iacturam. Exiſtunt igitur vtrinque lites, militares manus vtrique parti adu-
lantur, tandemque immani exemplo ad bellum parricidale venitur. Succumbit iuuenum patruus, cæſus ab illis. E-
ius autem cædis poſtea ducti pœnitentia iuuenes, ſine mora Epiſcopum, cuius erant diœceſis, adeunt: cum lachry-
mis ſuum crimen fatentur: orant, vt ferro, quo patruum ſuum trucidaſſent, ipſos conſtringi iubeat, donec diuino iu-
dicio abſoluerentur. Non recuſat Epiſcopus, ne, impune abeunte tanto facinore, æternis gehennæ incendiis illi ad-
dicerentur. Alter igitur ex gladij capulo ſibi lorum conficiens, brachium illo ſuum vinxit: alter ipſo gladii ferro,
perinde vt faſcia pectorali ſe ſtrinxit: pariterque adibant permulta Sanctorum loca, vt eorum ſuffragiis admiſſorum
S Gertrudis multa mira cula. criminum veniam obtinerent, quorum votis non ignorabant Dominum citiſſime annuere. Interim veniunt ad Ni-
uellenſe monaſterium, vbi multis claret miraculis virgo Gertrudis: cumque illi multis fuſis lachrymis aliquantiſper
in preces incumberent, eius ſanctiſſimæ virginis meritis alter eorum vinculis ſuis abſolutus eſt, cunctis non medio-
cri lætitia affectis: alter vero, dum enixius diuinam implorat opem, id reſponſi cælitus accipit, vt propere ſe conferat
ad eccleſiam beati Leuitæ Adalberti. Cœpit igitur de loco ipſi ignoto percontari ex aliis, nihil interim cuiquam in-
dicans, quid illic facturus eſſet. Tandem non ſine multo labore optatum attingit locum, & aliquandiu illic hærens,
nihilque dubitans fore vt diuinitus ipſi promiſſa vinculorum diſſolutione potiretur, cum aliquando, vti ſemper
conſueuerat, ſub diuino officio ſtaret coram imagine Saluatoris, repente ferreum illud ligamen diruptum eſt.

HÆC de vita & virtutibus celeberrimi Confeſſoris Chriſti Adalberti, Medelocenſis cœnobii fratres conſcrip-
ſere, iubente ſupradicto eximio Præſule Egberto, eius monaſterii domino, rerum ad diuinum cultum facientium ſtu-
diоſiſſimo procuratore.

Quæ ſequuntur, ab alijs adiecta ſunt, habenturque in MS. codicibus, grauiter & bona fide conſcripta. Nos ea contraximus ob vitandam prolixitatem.

Elorentius Craſſus 8. Comes Hollandiæ TEMPORIBVS Florentij Craſſi, qui fuit octauus Comes Hollandiæ, cuius multa in Deum pietas, erga ſanctum XXVII.
Adalbertum deuotio, & eius monaſterium beneuolentia extitit, id, quod iam commemoraturi ſumus, geſtum
eſt. Paludem effecerat maris inundatio, cuius etiamnum veſtigia magna ſuperſunt. Ea plerunque hyeme increſcens,
adeo Egmondenſi monaſterio ſolebat imminere, vt ægre ab eius ambitu arceri poſſet. Quadam autem hyeme plus
ſolito inundans, pago vicino, quem Caſtriken vocant, non mediocrem agrorum & ædium vaſtationem minabatur.
Incolæ autem eius pagi per id tempus & generis nobilitate, & rerum copia præpollebant: quæ res illis inſolentiæ,
contentionis & multorum malorum fomitem ſuggerebant. Illi ergo concitatis animis & armata manu Egmundam
veniunt, aggerem vndis obiectum perfringere volentes, id quod ſine magno monaſterij damno fieri non poterat.
Hac autem ratione vndas tumeſcentes illi à ſuo pago auertere moliebantur. Vbi hæc ad Abbatis Stephani, admo-
dum venerandi ſenis aures peruenere, quod viribus non poterat, conſilio egregie præſtitit. Miſit enim ad illos, ſcri-
nium aureum, in quo erant ſacræ reliquiæ, & vna Adalardum, qui ei in Abbatis functione ſucceſſit, vt tum ſancto-
rum reuerentia, tum Adalardi, qui ſanguine coniunctus erat illis, qui in ijs præcipui fuere, precibus permoti, ab ea
Reliquiæ S. Adalberti auertunt aquas à monaſterio. temeritate abſiſterent. At illi mente obſtinata, quod animo conceperant, re ipſa perfecerunt, perrupto vi aggere
monaſterij. Tum vero Adalardus ſcrinium illud cum ſancti patris Adalberti commemoratione aquis impoſuit: &
ecce aere tempeſtate concitato, grando & nix è cælo ruunt, aquæ in ſeipſas conuertuntur, nec audent ad loca humi-
liora ſe effundere. Eius miraculi nouitate fracti & pudefacti Caſtrikenſes, domum abiere.

ALIO tempore, cum iam Adalardus Abbatis illic officio fungeretur, eadem palus præſens periculum mona- XXVIII
ſterio intentabat. Itaque Abbas maius incommodum minori depellere volens, aggerem inter ſui iuris limites in-
terrumpit, vt aquas inundantes à monaſterio auerteret. Id vero indigne ferentes Caſtrikenſes, mox armati aduo-
lant, vim Abbati & ſociis eius illaturi. Abbas fugam init cum ſuis: ſed illi equis inſidentes, facile eos apprehen-
dunt, & extremos quoſque vel iniuriis afficiunt, vel cædunt. Erant in ijs ſex germani fratres, opibus & viribus cæ-
teris præſtantiores, homines in cædes & rapinas auidi, diuina humanaque promiſcua habentes. Tres ex illis, puta
Arnoldus, Vulbrandus & Eilgerus, cum duobus conſobrinis Siero & Garbrando in ſancti Adalberti, cuius ſacras
reliquias in ſcrinio Abbas ſecum ferebat, iniuriam procaciores, ſcrinium illud armis ſuis pulſant, ſed non impune,
Horrenda Dei vindicta in ſacrarum reliquiarum violatores. Deo ſancti ſui iniuriam egregie vindicante. Nam Arnoldus cæteris crudelior, eodem in loco, non multo poſt à fra-
tre iuniore in capite & pectore cæſus gladio, tremens toto corpore, & in furiam verſus, animam exhalauit. Qui au-
tem eum percuſſit, cum ipſe quoque ſanctum Adalbertum læſiſſet, amentia quadam affectus, ex diuite, nobili &
potente, ad tantam miſeriam deuolutus eſt, vt aliquot annis publice oſtiatim mendicarit, & tandem à vermibus
conſumptus, florente ætate deceſſerit.

PORRO Vulbrandus ſuo ſe enſe peremit: Sierus intra ſex menſes miſerabili morte periit, & Garbrãdus, quo ne- XXIX.
mo erat in pago illo robuſtior & agilior, adeo membris omnibus contractus eſt, vt nunquã ſine duobus ſcipionibus
ad axillas applicatis ingredi poſſet: & vt nobis retulere illi, qui eum & incolumem & debilẽ nouerunt, ad id tandem
calamitatis redactus eſt, vt peroſus fratribus & cognatis amiciſque omnibus, in quodam viliſſimo tugurio ſolus
habitarit, miſeram illic vitam viuens, nihil etiam ex rebus hæreditariis percipiens, omnium ope deſtitutus, ita vt

tandem

tandem inedia confectus sit. Denique alij eius facinoris authores, partim morte, partim amẽtia, partim alijs magnis molestiis affecti, pœnas dederunt: nec deinde vnquam ausi fuere pagi illius habitatores cristas erigere, omnipotente Deo tum aquarum inundationibus, tum arenarum molibus eos vastante, ita vt nunc humiliter sancti Adalberti patrocinia implorent, contra quem stolide intumuerant.

XXIX Frisones vicini nostri, quemadmodum nobis retulit vir quidam eximia pietate, ad solennitatẽ sancti Adalberti perpetua quadam consuetudine cum oblationibus frequentes venire solebant. Inter eos venit quandoque etiam mulier vno oculo orbata: quæ cum sedulis precibus in beati viri ecclesia vacaret, lumen amissum recepit. Curatus est etiam quidam presbyter cæcus. Testantur vero homines fide dignissimi, tot se sæpenumero miracula conspexisse, præsertim in feriis sancti Adalberti, vt certus eorum numerus iniri non posset. Nostra quoque memoria non raro vidimus, hominibus cum multa fide & deuotione ad eius diem festũ confluentibus, diuersis morbis & incommodis affectos, atq; etiam dæmoniacos templum gemitibus & clamoribus implere, permultosq; ex ijs incolumes abire.

Lusea videt. Item cæcus

XXX. Petronilla, vxor quondam Florentij Crassi Comitis Hollandiæ, marito defuncto, cũ tres haberet filios teneræ ætatis, Comitatum strenuè administrabat. Cum sint autem fœminæ molles, possintq; facile in fraudem impelli, male persuasa Petronilla à quibusdam potentibus familaribus, ab Egmundanis fratribus petiit Asselinum Capellanum suum in monachum recipi, vt illo mox Abbate creato, ipsa de monasterii rebus liberius vsurparet. Factus est ille monachus, & licet simplici esset ingenio, planeq; rudis monastici instituti, etiam Abbas, sed solo nomine, effectus est. Tum vero res monasterii alii sibi vendicare cœperunt, eratq; videre miseria, nobis penuriam patientibus, alios nostri oppressione gloriari. Fuere tum etiam, qui consulerent Petronillæ, auaritia eos potius, quam religione, stimulante, vt vetus ecclesia, tanquã angusta & parum decora, destrueretur. Itaque tres laici eius ecclesiæ prælati constituti sunt, lupi verius quam pastores, Folpertus albus, Eilgerus & Stephanus. Qui eam nacti opportunitatem, sub consulendi prætextu, clam de peculio nostro prædas agebant, domumq; Dei paulatim expilantes, hominesque ecclesiæ in suam ditionem redigentes, domos suas pecuniis impleuerunt. Vidisses tum eorum proles, cognatos & affines inire matrimonia, dotes sibi parare ex facultatibus nostris, & ita breui magnas opes ecclesiæ nostræ ad magnam tenuitatẽ redigi. Sed non semper dormitat ille, qui dicit: Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Cum facerent ergo illi, quæ minime deceret, ita diuinitus mulctati sunt, vt omnes anno vno inopinata & immatura morte perierint, suo exemplo docentes verissime dixisse Apostolum, Qui destruit templum Dei, disperdet illum Dominus. Deinde non solum ecclesiæ & monasterii eiusq; officinarum omnium ruinæ instauratæ sunt, sed etiam collapsi mores, & fratrum atque religionis magnus defectus, Domino fauente, in melius reformata sunt.

Zach. 2. Vltio diuina in vsurpatores rerum monasterii. 1. Cor. 3.

XXXI Qvædam etiam alia miracula his subiunguntur, quæ, ne simus prolixi, prætermisimus: hoc vnum tamen minime prætereundum arbitrati, quod ibi de quodam Friderico pio & religioso monacho est annotatum: qui anno Christi millesimo, centesimo quadragesimotertio, cum nouum templum Egmundanum dedicaretur ab Hartberto Traiectensi Episcopo, Præsente Theodorico nono Hollandiæ Comite & Sophia vxore eius, & populi maxima multitudine, sacræq; reliquiæ sanctorum ab eodem Episcopo in altaribus conderentur: in perquirendis, inspiciendis, tractandis, diuidendis & exportandis reliquijs omnium fuit studiosissimus. Sed ecce mox à dedicatione idem ipse Fridericus diuinitus castigatur, laboratq; corpore, & fit mẽtis inops, ita vt nec verba nec gestus eius, moribus & personæ illius congruerent. Post paucos autem dies morbo eum grauissime infestante, & fratribus pro illo orantibus, illa Cruce consignatus est, quam Egbertus Treuirorum Archiepiscopus Egmundanæ ecclesiæ dedit, cuius virtutes crebro experti sunt & commemorare solent eius loci fratres, & plerique; laici, Ab ea consignatione mox sensu integro, Crucem illam, reuerenter sese inclinans, salutauit. Nec multo post totus curatus est. Multi tum in ea fuere sententia, idcirco castigatum eum fuisse, quod tam audacter minusq; caute sacras reliquias tractasset: vt discat homo, putredo & vermis, eiusmodi se rebus non temere ingerere, sed cum tremore & summa reuerentia tractare diuina.

Virtutes S. Crucis. Nota.

MARTYRIVM SS. IOHANNIS ET PAVLI, ITEM, GALLICANI VIRI CLARISSIMI, A TERENTIANO CONSCRIPTVM. CONSENTIUNT antiquissima Martyrologia. Ado Episcopus maximam eius partem fere ad verbum habet in suo Martyrologio. Nos aliquot loca nonnihil elimauimus.

An. 34c. Iunii 26. Baronius anno 362. hæc acta non plane eadem esse putat, quę à Terẽtiano conscripta sunt, præsertim, cũ sub finem narrent de Iuliano, quasi Romæ præsente, qui toto tẽpore imperii sui nunquam ab Oriente recessit.

I. Sub Constantino Augusto, & Gallicano Duce Romani exercitus, Persarum gens, quæ Syriam inuaserat, victa & profligata est: cumq; idem Gallicanus triũphalibus infulis sublimatus, acceptus esset Augusto Constantino & charus, filiam eius sacratissimam virginem Constantiam sibi poscebat vxorem: idq; non mediocri instantia tum efflagitabat, cum gens Scythica, quæ Thraciam occupauerat, immineret. Et quia magna erat authoritate, Comites omnes & præfecti cum vniuerso populo Romano, vt id fieret, postulabant. Constantinus vero Augustus magno cœpit animi dolore affici, quod sciret filiam suã in sancto proposito manentem, facilius occidi posse, quam vinci. Quæ cum patris solicitudinem studio sanctitatis conaretur excludere, dixit ad eum: Si certissimũ non haberem, quod me non deserat Deus, recte & formidini meæ, & solicitudini tuæ locus aliquis daretur. Cum vero certa sim de Deo meo, pone pater omnem hanc solicitudinem tuam, teque me illi coniugẽ daturum promitte ea conditione, vt si Scytharum gentem superauerit, me victor simul & Consul accipiat: porro sponsionis huius gratia duas filias virgines, quas ex amissa coniuge suscepit, vsq; ad nuptiarum diem apud me esse sinat: atq; ipse Iohannem Præpositum & Paulum Primicerium meum apud se comiter habeat: vt & ipse me per familiares meos alloqui & cognoscere possit, & ego per eius filias votum, mores, institutumq; illius cognoscam. Facta sunt omnia hæc, sicut virgo disposuit, & quasi instar arrhabonis cuiusdam dantur Gallicano duo fratres eunuchi ex parte Augustæ, & duæ sorores, Gallicani filiæ, ipsi Augustæ traduntur: quæ ita erant liberalibus studiis eruditæ, vt vix in virorum sapientium numero illis pares scientia inueniri possent, Altera ex iis Attica, Altera Arthemia dicebatur. Quas cum Constantia ad se venire didicit, expandens manus ad Dominum, sic orauit:

II. Domine Deus omnipotens, qui me orationibus tuæ martyris Agnæ à lepra mundasti, & semitã mihi timoris tui propitius ostendisti, virginitatisq; thalamũ reserasti: vbi tu spõsus, tu filius manifestatus es: tu genitus ex Maria, tu genitor probatus es Mariæ: tu lactatus vberibus Mariæ, tu omne sæculum nutriens, simul etiam illam, à qua lactatus es & nutritus: tu infãtulus crescens ætate, tu omni sæculo incremẽta tribuens: tu sapientia proficiens, cũ ipse sis sapiẽtia: tu ita magnus, vt te magnificentius nihil sit: tu verus homo ex matre editus in tempore, vt verus Deus ex patre sine matre genitus in æternitate: Deus de Deo, fecisti quæ nõ erant: ex matre sine patre carnali editus, quæ lapsum incurrerant, reparasti: tu fusus in lucem, illuminatus es, cum sis ille, qui illuminat omnem hominem venientem: in hunc mundum. Te deprecor, credens quod iussisti, te quæso petens, quod ipse promisisti, cum diceres: Amen dico vobis, si quid petieritis à patre in nomine meo, dabit vobis. Peto itaq; Domine, vt has Gallicani filias tu lucreris, ipsũ quoq;

Oratio Cõstantiæ Virginis. Iohan. 1. Iohan. 15.

Gallica-

Gallicanũ, qui me tibi auferre conatur, tuæ fidei adiungere digneris. Aperi Domine os meum auribus earum, & aperi aures cordis earum sermonibus meis, consensusque illarum mihi pande ianuam, & tantam verbis meis vim largiaris, vt carnis commercium respuentes, tibi consecrari desiderent, atque ex hoc desiderio tantus amor in earum pectore existat, vt feruenter inhiantes ad thalamum illum tuum cælestem, plenis oleo lampadibus & tuæ charitatis splendentibus flammis ad eum pertingant, vt loco ipsis inter sapientes virgines attributo, de tua misericordia gloriantes, nihili terrenũ appetant, sed te solum integro viscerum suorum affectu concupiscant. Hanc vero orationem fuisse Constantiæ, ipsa narrante didicimus, quam etiam ab ea scriptam legimus. Vti vero Atticam & Arthemiam ad Dominum conuerterit, quod ad Gallicani martyrium explicandum properem, studiose prætereo.

III. IGITVR veniens Gallicanus ouans, à Constantino, eiusque liberis, atque ab omni Comitatu & Senatu excipitur: nec prius ingressus est vrbem Romam, quam ad sacra Petri Apostoli limina perrexisset. Dixit autem ad eum Constantinus: Cum ad bellum proficiscereris, in Capitolium & templa ingressus, dæmonibus immolasti: & iam inde victor rediens, Christum adoras & eius Apostolos? Quid vero isthuc rei sit, mihi nosse cupienti pande per ordinem. Gallicanus eum adorans, ait: Cum Scythica gens me in Thraciarum Philippopoli concluisset, stragesque nostrorum plurimas edidisset, formidante me cum illis confligere, quod exigua esset mihi militum manus, illorum autem innumera multitudo, insistebam sacrificiis, & varias Marti victimas offerebam, & quid multis moror? Creuit tandem obsidio, & omnes tribuni & milites mei se hostibus dedidere. Cum autem cuperem ego fugæ aditum reperire, Paulus & Iohannes, quorum alter præpositus, alter primicerius est dominæ meæ, pietatis vestræ filiæ, Constantiæ Augustæ, dixerunt mihi: Nuncupa votum Deo cæli, si te liberauerit, fore te Christianum: sicque eris victor amplius quam fuisti. Fateor, sacratissime Imperator, simulatque votum hoc ore meo prolatum est, apparuit mihi iuuenis statura excelsus, ferens in humero Crucem, & dicens. Sume gladium tuum, & sequere me. Cumque ego sequerer illum, apparuerunt mihi hinc inde milites armati, confirmantes me atque dicentes: Nos tibi præstamus officium: tu ingredere castra, & dextera leuaque tenens gladium euaginatum, respice, donec ad ipsum regem peruenias. Ad quem cum peruenissem, prostratus ille ad pedes meos, rogauit vt sanguini ipsius parcerem. Ego flexus pietate, nullum penitus ex illis occidi, nec occidi iussi ab aliis. Atque ita vniuersa Thracia à Scythis liberata est, & Scythæ facti sunt tributarij. Tribuni omnes, qui ad me cum suis militibus reuerti voluerunt, nisi fierent Christiani, à me minime recipi potuerunt. Eos autem qui in id consensere, gradu sublimiori affeci, cæteris militia priuatis. Porro meipsum iam Christianum effectum, ita Deo deuoui, vt etiam à coniugio promiserim abstinere. En habes quadruplicatum exercitum, habes Scythas tributarios, & omnem Thraciam in libertatem vindicatam. Mihi, quæso, propitii, succedi iubete, vt libere possim vacare religioni quam didici, & in veritate perstare, quam profecto cognoui. Hæc dicente Gallicano, Imperator misit se in amplexus eius, referens vniuersa quæ gesta sunt circa filias eius, quemadmodum virgines Christo consecratæ essent, & per illas sua gratia Christus alias duas acciuerit, vtque doctrinæ summam complexæ, ad perfectionem contenderent, & inter ipsa rudimenta, quæ perfectionis sunt, consectatæ sint. Deinde cum Augusto Gallicanus intrauit in palatium: cui beata Helena cum Constantia & duabus eius filiabus occurrit, fundebanturque lachrymæ gaudiis plenæ. Nec permittebatur ad domum suam redire Gallicanus, sed quasi gener Augustorum, in palatio morabatur, cernens filias suas flentes in laudibus Dei. Cum vellet autem priuatus abscedere, rogatus ab Augustis, Consul processit, & in fascibus positus, quinque millia seruorum libertate donauit, & ciues Romanos fecit, prædia quoque & domos eis largitus est: omnesque facultates suas, ijs exceptis, quæ filiarum erant, distrahi & pauperibus erogari iussit: manensque in vrbe Ostiensi, sancto viro Hilarino se adiunxit, eiusque ædes auxit ad suscipiendos peregrinos, quos permultos recipiebat. Adhæserunt autem ei multi ex seruis eius, quos manumiserat: diuulgataque est fama eius per totum orbem, ita vt ab Oriente & Occidente venientes, viderent virum ex patritio & consule, qui esset Augustis amicissimus, lauantem pedes, ponentem mensam, aquam manibus effundentem, languentibus solicite ministrantem, & cætera sanctæ seruitutis officia exhibentem. Ipse primus in Ostiensi vrbe extruxit ecclesiam, & ditauit officia Clericorum S. Laurentius Leuita ei apparuit, adhortans eum, vt in ipsius nomine ecclesiam fabricaret in porta, quæ hodieque Laurentia nuncupatur. Rogatus autem, vt ibi institueretur ipse Episcopus, non consensit: sed ex sua voluntate quendam, qui ordinaretur, elegit: tantamque gratiam ei largitus est Dominus, vt pleni dæmonibus, mox vt in eius conspectum veniissent, mundarentur, & multa in eo esset curandorum morborum vis & efficacia.

Gallicanus vouet se Christianũ fore, vt vincit Scythas.

Manumittit 5000. seruorum Gallicanus

Vide S Gallicani humilitatem.

Potens in miraculis.

IV. CVM autem decedenti Constantio Iulianus successisset, legem is tulit, ne Christiani quicquam in hoc mundo possiderent. Porro Gallicanus in pago Ostiensi quatuor casas habebat, quarum pensiones in eos, quos diximus, conferebat vsus, adeoque Dominum meruit habere defensorem, vt quicunque in eas ingrederetur ad fisci titulos constituendos, aut pensiones exigendas, statim à diabolo obsideretur: & quisquis actorum eius esset exactor, leprosus fieret. Tum vero consulti dæmones responderunt, nisi ad sacrificandum cogeretur Gallicanus, exactores prouentuum eius hæc pericula minime euitaturos. Sed cum nemo ad hoc scelus ausus esset hortari Gallicanum, mandauit ei Iulianus, vt aut sacrificaret dijs, aut è finibus Italiæ excederet. Tum ille mox, relictis omnibus, Alexandriam petiit, & ibi per annum integrum iunctus est confessoribus Christi. Postea mox secessit in eremum, ibique à Rauciano Comite templorum, dum cogeretur sacrificare, & contemneret, percussus gladio in corpore, Christi martyrem fecit, atque ita gaudens cum triumpho perrexit ad Dominum. Cui statim basilicam sui nominis construxerunt, in qua exuberant beneficia martyrij eius ex eo, & nunc, & vsque in sæcula sæculorum, Amen.

Cæditur martyr clarissimus.

V. HILARINVS autem, qui quondam Gallicanum in vrbe Ostiensi susceperat, cum cogeretur à fidei Christianæ persecutoribus sacrificare, & nollet, fustibus cæsus martyr effectus est, eiusque corpus in eadem vrbe Christiani honorifice tumularunt.

Hilarini martyrium.

VI. PORRO vero Iulianus, captus cupiditate sacrilega, auaritiæ suæ Euangelij sententiam prætexebat. Facultates enim & patrimonia Christianis auferens, dicebat: Christus vester dicit in Euangelio: Qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Peruenit autem ad eum, Paulum & Iohannem quotidie turbas Christianorum pauperum recreare ex ijs opibus, quas sacratissima virgo Christi Constantia reliquisset. Itaque misit ad eos qui dicerent illos debere ipsi adhærere. At illi responderunt: Homines Christiani sumus. Augustæ memoriæ Constantinus & eius liberi, cũ Augustæ dignitatis apicem ornarent, & se Christi seruos gloriarentur, nos illorum imperio famulabamur. Illi enim euntes in ecclesiam, posito diademate, ad adorandum Deum proni se in terram prosternebant. At postquam mundus dignus non fuit tales habere Augustos, & cæli eos inter Angelos susceperunt, tibi vero à Constantio regni solium traditum, tu religionem virtutibus plenam deseruisti, & ea sectaris, quæ optime nosti Deo minime probari. Ea igitur causa te salutare noluimus, sed à societate Imperij tui nos penitus subduximus. Sumus enim non pseudochristiani, sed veri & gnisij. Iulianus rursus mandauit eis: Ego etiam Clericatum in Ecclesia obtinui, & si voluissem, ad primum Ecclesiæ gradum peruenissem. Sed considerans vanum esse, relictis rebus necessariis & vtilibus, inertiam sectari & ocium, ad bellicas res animum appuli, & diis sacrificaui, quorum fauore ad imperii fastigium perueni. Vnde perpendere debetis æquum non esse, vt vos in aula regia nutriti, desitis lateri meo, sed potius id congruere, vt primos vos habeam in palatio meo. Quod si contemptus à vobis fuero, necesse mihi erit agere, vt contemni non possim. Paulus & Iohannes di-

Luc. 14.

Vox apostata digna.

nes dixerunt: Non tibi hanc facimus iniuriam, vt qualemcunque hominem tibi præferamus. Dominum tibi antepo- *Psalm. 145.*
nimus, qui fecit cælum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt. Idcirco autem tuam hominis mortalis amicitiam de- Constantia sanctorum martyrum.
clinamus, ne in Dei immortalis inimicitiam incurramus. Nosse igitur te volumus, nunquam ad te salutandum vel co-
lendum, nunquam ad palatium tuum nos esse venturos. Iulianus respondit: Habetis à me decem dierum inducias, vt
animum vestrum componentes, prudentiori vsi consilio, non coacti, sed vltro ad me venire maturetis. Quod si ita
non feceritis, postea vel inuiti facietis, quod sponte non vultis. Paulus & Iohannes dixerunt: Iam illos decem inducia-
rum dies puta præteriisse, & quod te illis elapsis facturum minaris, hodie facito. Iulianus ait: Putatis, quod martyrum
loco vos Christiani habituri sint? Et cum hoc dixisset, surrexit iratus, dicens: Post diem decimum ad me sponte venien-
tes, amicos vos habebo: nolentes autem, tanquam hostes publicos vos puniam.

VII. TVM vero sancti viri Iohannes & Paulus Christianos ad se inuitantes, ordinauerunt de omnibus quæ relinquere Omnia sua dant paupe ribus.
poterant, ac totos decem dies diu noctuque eleemosynis insistebant. Vndecimo autem die intra domum suam con-
stricti sunt, missusque est Terentianus Campiductor ad eos cum militibus hora cœnandi. Qui ingressus, vt eos vidit
orantes, dixit: Dominus noster Iulianus statunculam auream Iouis ad vos misit, vt illam adoretis, & thura ei incenda-
tis: quod si non feceritis, ambo gladio feriamini. Non enim vos in palatio nutritos, publice occidi par est. Iohannes &
Paulus responderunt: Si Iulianus tuus est dominus, habeto* partem cum domino tuo. Nobis alius dominus non *pacem.
est, nisi vnus Deus pater & filius & spiritus sanctus, quem ille negare non timuit. Et quia semel à facie Dei proiectus est,
vult etiam alios secum trahere in perditionem. Hæc & his similia multa cum illi dicerent, Terentianus, volens place-
re Iuliano, à quo in mandatis habebat, vt sine strepitu eos puniret, postquam eos ad adorandum Iouem & thura cre- Gladio cæduntur Iohannes & Paulus.
manda compellere non potuit, post tertiam noctis horam intra domum illorum foueam iussit fieri, in quam, ipso iuben-
te, capite cæsos & mox inuolutos deponi mandauit, eiusmodi sparsa fama, iussu Cæsaris eos in exilium relegatos esse, ne-
que enim vllum cædis eorum vestigium extabat.

VIII. NON diu post Iuliano in bello aduersus Persas interfecto, & Iouiniano Christianissimo Imperatore illi subroga-
to, apertæ sunt ecclesiæ, & Christiana religio gaudere cœpit. Dæmones autem ex obsessis corporibus intra domum Io-
hannis & Pauli eijciebantur, confitentes sanctam passionem eorum: ita vt vnico filio Terentiani, qui eos nocte decol-
lauerat, in illam domum veniente, clamaret dæmon per os eius, à Paulo & Iohanne se inflammari. Tunc Terentianus Terentianus credit in Christũ.
veniens prostrauit se in faciem, clamans, quod nesciens quid faceret homo paganissimus iussis Cæsaris paruisset. Atque
ita, dato nomine suo ad proximum Paschæ diem percepit Christi gratiam. Cumque deinde multum dolens, assidue
preces & lachrymas funderet in loco illo, in quo sanctorum corpora quiescunt, ab illis filius eius curatus est. Ipse verò
Terentianus scripsit hanc sanctorum martyrum passionem ad laudem Domini nostri Iesu Christi: qui cum patre & spi-
ritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

De horum Martyrum reliquijs in Gallias translatis tempore Pelagij Papæ vide Greg. Turon. de gloria Mart. cap. 83.

VITA SANCTÆ MEMORIÆ ANTHELMI, EX PRIMÆ CARTHVSIÆ PRÆFECTO EPISCOPI, BELLICENSIS: EDITA À QVODAM eius æquali, & familiari amico. Stylum mutauit F. Laur. Surius, plerisque redditis paraphrasticῶs.

AN. 1160.

PROLOG. APVD ethnicos antiquitus more comparatum fuisse nouimus, vt maiorum suorum, qui fortiter & præclare 26. IVNII
se gessissent, imagines sine sculptas, siue pictas statuerent, vt earum contemplatione, posteri ad expetendam
virtutis & probitatis gloriam, virorum fortium exemplis admoniti, incitarentur. At vero fideles vnius veri
Dei cultores, multo & solidius & conuenientius atque dignius tum beatissimorum martyrum inuictissimos
agones & illustrissimos triumphos, tum sanctorum Confessorum præclara certamina & cum sæuissimo hoste diabolo
conflictus diuturnos, egregiasque virtutes & stupenda miracula scripto comprehendere, & ad posteritatis notitiam
transmittere voluerunt: quod nemo dubitat tum pictura, tum sculptura longe esse præstantius. nec sane immerito id
illi sibi faciendum putauere. Si enim ethnici illi vel potentia, vel rebus fortiter & ad virtutis præscriptum gestis insignes
laude digni videntur, multo potius martyres & confessores Christi commemorandi, laude & prædicatione efferendi,
multoq; honore afficiendi sunt, idq; in præpotentis Dei, qui in illis & per illos operatus est, laudem, gloriam & hono-
rem. Illi enim hostes suos, homines mortales & infirmos: isti totum mundum & hostes inuisibiles, multa vi & versutia
instructos vicerunt. Illi opes & facultates perituras: hi thesauros indeficientes, & regnum sempiternum obtinuerunt.
Qua ex re facile potest animaduerti, quam sit nobis necessarium eos omni, qua possumus, deuotione venerari, & pre- Sancti honorandi & inuocandi.
cibus agere apud illos, vt velint nobis semper & vbiq; esse patroni & protectores, vt etiam nos in aliqua eius regni parte
adscribi mereamur. Laudemus igitur Deum mirabilem in sanctis suis, eique gratias agamus, quod nostris temporibus
B. Anthelmum Bellicensem Episcopum sanctorum suorum meritis æquatum perspicue declarauit luculentis signis cre-
brisque miraculis illum longe lateque celeberrimum efficiens. De cuius vita & sancta conuersatione, ne negligentiæ ar-
guamur, ego N. qui nomen meum modestiæ causa latere cupio, licet exili ingenio & tantæ rei impar, amore tamen il-
lius, & vt eius mihi patrocinium concilietur, impolito quidem stylo, sed bona fide ac deuota mente, ex multis pauca scri- *Num. 22.*
benda suscepi, non meis fretus viribus, sed illius virtute & benignitate, qui bruti animantis os verba edere docuit, & in- *Sap. 10.*
fantium linguas disertas facit.

I. CELSA magnaque progenie claris in mundo parentibus, tali prole beatis, patre Arduino, ex Allobrogum (author
Sauoiæ habet) castello Signino, matre nobilissimis suæ patriæ hominibus orta, beatus Anthelmus editus est) cui
ea cura fuit, vt Deo, cui placuit, seruiret: & ita qui erat nobilis genere, Christi seruitute multo factus est nobilior. Diuina Traditur literis.
autem prouidentia, cui is curæ erat, id agente, parentum voluntate adhuc puer sacris discendis literis traditus est. Post-
quam autem adoleuit, egregia indole fuit, tantaque diuinitus gratia perfusus est, vt esset omnibus gratus, & ab omni-
bus, qui eum nossent, charus haberetur. Etsi autem iam DEO quoque gratus esset, vt arbitramur, non tamen ilico ad *Eccle. 7:*
religiosam viuendi rationem se conferre voluit, arridentis ipsi sæculi blandimentis illectus, neque enim adhuc accu- *Sap 8.*
rate versabatur in commemorandis nouissimis, quorum sedula cogitatio retrahit à peccatis. Facile autem mihi persua-
deo diuinæ sapientiæ id ita factum esse dispensatione, quæ fortiter suauiterque omnia disponit: vt quo illi res magis se- Mundus illi blanditur.
cundæ magisq; ad voluntatem fluerent, eo à patre cælesti tractus ad Christum, maioribus sanctitatis meritis cumulatus
videretur. Itaque in Gebennensem & Bellicensem ecclesias asscitus, breui magnis est auctus opibus & prouentibus, ho-
noribus quoque & dignitatibus ecclesiasticis, ita vt proiectioris ætatis viris, atque etiam grauissimis senibus anteferre-
tur. In Gebennensi enim ecclesia Præpositus & Secretarius, in Bellicensi Secretarius creatus est: quæ illic præcipue di-
gnitates habentur. Cumque multæ ei essent facultates, non id ei studio fuit, vt opes colligeret & coaceruaret, sed vt
liberaliter & honeste eas expenderet. Delectabatur enim fauoribus & laudibus hominum, vt solent illi, qui in precio
haberi

haberi volunt. Prætereuntes vel aduentantes illustres viros, tam religiosos, quam sæculares, reuerenter accipiens, immo & pertrahens, honorifice tractabat, & obsequia opportuna officiosissime exhibebat. Ita fiebat vt secundum sapientis sententiam, regno vtilius meritis innumeros sibi longe lateque pararet amicos. Habuisse vero fertur aliud quiddam longe præstabilius, erga pauperes scilicet & afflictos animum pium & benignum. Certum est autē, vnam aliquam virtutem, si insit in homine, etiam ad alias eum perducere, quod quidem vel maxime facit charitas, sine qua cæteræ virtutes nullæ sunt. Charitatis autē eximia proles est eleemosyna cuius qui studiosi sunt, amorem Dei & thesauros inæstimabiles sibi acquirunt, tum etiam bona præsentis vitæ & ætatis annos plurimos, amicos certos, fidos, magnos, atque sempiternos.

Benignitas eius in pauperes.

Eleemosynæ quid præstent.

Etsi autem, vt diximus, Anthelmus vanis & caducis esset rebus implicatus, at tamen summopere cauebat, ne quid flagitiose, impure aut turpiter admitteret. Et hæc quidem pauca de sæculari eius vita præmisisse sufficiant: nunc ad ea referenda accedimus, quæ illum efficiunt vere beatum. Appropinquante tempore illo, quo ad Christi imitationem se erat compositurus, & felici mutatione in alium virum abiturus, nempe perfectum, & in mensuram ætatis plenitudinis Christi, cœpit hominum religiosorum, inprimis Carthusianorum, loca inuisere, vitam eorum explorare, libenter illorum sermones audire: at necdum tamen magno conuersionis desiderio, sed quadam potius curiositate. Admonebatur, interim ab ijs, quos adibat, seruis Dei: sed quis illius facilem sibi conuersionem ausus esset polliceri, cui tam prosperi essent rerum successus, tanta felicitas, tantæ etiam maiorum honorum præpositæ spes? Ecce autem inuisente illo cum quibusdam coætaneis suis Carthusiam, quam Portarum vocant, vt Christo illic seruientes accederet, cum dominus Bernardus venerabilis Prior verba salutis ei loqueretur, cuius sane opera innumeri à deuiis vitiorum callibus ad Deum conuersi sunt, & in diuersa loca ablegati. itemq; nonnulli ex fratribus eum summopere ad conuersionem hortarentur, Christi gratiam & vitam æternam summamq; felicitatem & amplissimos in cælis honores ei promittentes: non tum quidem statim assensit, sed petens vt pro ipso Dominum orarent, atque illorū precibus se commendans, ijsq; valedicens, abscessit. Cumq; ad inferiorem eius Carthusiæ domum venisset, ea nocte retētus est à fratribus & Bosone Procuratore, mirabilis industriæ viro, eiusq; cognato. Mane iterū ascendit ad domū superiorē, fratres denuo adit, illorū domicilia & cætera omnia perlustrādi copia ei datur. Vt sensere autē fratres emollitum animū eius, tempus nacti opportunū, de contemptu mūdi sermones repetunt, hortātur vt exigua pro magnis, pauca pro multis, falsa pro veris, pro sempiternis fluxa & caduca, pro salutaribus noxia, pro vita morte, pro Deo mūdum contemnere ne dubitet. Quid multa? Diuini timoris spiritu correptus, cōsilii & fortitudinis spiritu cōfirmatus, repentina mutatione iam alius effectus, amicus Dei haud vulgaris propediem futurus, omnia quæ mundi sunt, prorsus respuit & à se abdicat, vni Deo inhærere constituit, eiusq; cultui & seruituti totū se addicit: moxq; in fratrum illorum collegium & sodalitatem admitti se postulans, ab illis comiter receptus est. Hortātibus autē illum fratribus, vt propere res suas disponeret, iisq; cōpositis ocyus rediret, certumq; ad quē adesse deberet, diem illi præstituerent: ille non absurde ratus, iuxta sententiam Domini Saluatoris, manu semel ad aratrum missa, non esse respiciendum retro, ne parum aptus esset regno Dei: Hæc est, inquit, illa dies, qua deliberatum est mihi perpetuo cum Domino permanere. Suppetunt, vnde æs alienum dissoluatur, nec desunt amici fideles, qui omnia exequantur. Itaque monastico eius Ordinis habitu hilariter suscepto, cum multa pietate, deuotione, feruore animi vixit inter illos: atque disciplinis regularibus & arrepti instituti obseruantia ita breui instructus est, vt iam perfectus videri posset.

Bernardus Prior Carthusianus egregius.

Subito totus ad Deū cōuertitur.

Luc. 9.

Fit Carthusianus more Apostolorum omnibus relictis.

II.

Per id tempus primaria Carthusia paucissimos habebat monachos. Quamobrem dominus Hugo Gratianopolitanus Episcopus, vir prudens & eximia virtute, qui beato Hugoni successerat, & postea Viennensis Archiepiscopus creatus est, multis precibus à Portarum Carthusiæ fratribus contendit: vt fratrem Anthelmum, qui adhuc nouitius erat, Carthusiæ magnæ permitterent. Dimissus ille ad eam Carthusiam, vbi Ordo Carthusianus primum cœpit, adeo fuit propositi tenax & monastici Canonis diligens, constans & strenuus cultor, vt multas de seipso victimas offerret Deo, & vita eius cæteris exemplo esset: quibus tamen certe id impossibile videbatur, vt eius studia imitarentur, cum ille supra vires humanas sese perpetuo exerceret. Sed neque ille id potuisset, nisi diuina fretus virtute, per illum & in illo omnia efficiente. Erat crebro pernox in vigiliis: orationi, lectioni, sanctæ meditationi, laudibus diuinis die noctuque vacabat: cumque scriptura dicat, Multam malitiam docuit otiositas: certumque sit, otium animæ inimicum esse: ne vllum tempus vacuum abscederet, etiam labori manuario incumbebat, sed multo amplius exercitiis spiritualibus. Lachrymarum tanta illi copia fuit, vt in precibus & meditationibus, quarum magna illi erat assiduitas, in suorum alienorumque peccatorum commemoratione, erga afflictos & quasuis hominum calamitates commiseratione, denique pro cælestis regni desiderio quidam lachrymarum riuuli ab eius oculis manare viderentur, intimo pietatis affectu expressi. In ecclesia sub solenni quotidianarum precum persolutione, torrentes quidam ex eius oculis prorumpebant. Sub Missæ sacrificio, vbi totum se Deo mactabat in holocaustum, totus erat spiritualis, totusque Deo inhærebat. Frequentissimum id illi erat, nocte ac die verberare pectus, genua flectere, toto corpore se humi prosternere, terram exosculari, atque ita humiliare & abijcere sese coram Deo. Quotidie creberrimis virgarum ictibus cædebat dorsum & latera, plagasque plagis cumulando, nunquam patiebatur carnem liuoris expertem aut cutem integram manere. Solitudinem, silentium, ieiunia, obedientiam, cæteraque Ordinis instituta accurate obseruabat.

Mittitur ad primariam Carthusiā.

Eius exercitia.

Eccle. 35.

III.

Cvm his autē aliisque maioribus, quibus nec commemorandis quidem sufficimus, Dei seruus studiis sese exerceret, Prior & fratres id consultum fore arbitrati sunt, vt eius industria in rerum externarum administratione, tanquam necessaria vterentur. Itaque instituitur Carthusiæ Procurator. Et ille quidem, ne in obedientiæ culpa se obstringeret, id ministeriū humiliter suscepit, prudenterque ac strenue executus est. Si qua noxia vel inutilia aut reperiret, aut fortassis existerent, ea mox profligauit, religioni contraria demolitus est, inhonesta correxit, fratres laicos ab illicitis compescuit. Si quem vidisset dissolutum, vagum aut negligentem, arguendo, obsecrando, increpando, castigando eum emendatiorem efficere conabatur, nec quenquam sinebat à regulæ præscripto deflectere. Paueribus & egenis pro diuinitus ipsi indita pietate & humanitate, multam exhibebat commiserationem, esurientes cibo recreabat, nudis præbebat vestes, afflictis & miseris non solum consolationem, sed etiam seipsum impendebat. Quanuis autē his atq; id genus aliis misericordiæ officiis diligentem nauaret operam, at tamen studiosius ad amica Cellulæ suæ, tanquam nutricis & omnium magistræ, exercitia & quietem atque tranquillitatem assidue receptum habebat: atque ita Marthæ bonum quidem, sed tamen in multa distractum, & actuosum curabat ministerium, vt potiorem Mariæ partem, quam sibi delegerat, nequaquam deserendam putaret: sicque erat solicitus erga plurima, vt vni illi, quod necessarium est, cui vacare cœperat, inhæreret, in neutro deficiens. Nanque ieiunia, vigilias, corporis castigationes, & cætera, quæ ante memorauimus, auxit potius, quam quicquam illis detraxit. Mira quidem sunt hæc, quippe quæ humanarum virium excedant facultatem: sed præpotens Deus, qui est bonorum omnium largitor & author, cui voluntatem dederat, etiam vires suggessit.

Fit Procurator.

IV.

V.

Cvm iam autem tempus adesset à Deo præstitutum, quo non vni sibi, sed plurimis ad Deum adducendis eum intentum esse oporteret, vir Deo deuotissimus cedente, immo cogente illo, qui tunc primæ Carthusiæ præerat, & fratri-

V.

VII.

IIX.

fratribus, Prior creatus est. Fuerat eius loci Prior, sempiterna memoria dignus Guigo, vir venerabilis, qui pro diuinitus ipsi collata gratia mellifluæ doctrinæ, hanc obtinet prærogatiuam, vt bonus Prior vocetur ab illis, qui de illo loquuntur. Is Carthusiensi instituto modum certosque limites statuit. Regulam enim ipse conscripsit, quam Consuetudines voluit appellari: subditos instituit verbo & exemplo: solerti & vigilanti cura, honeste, religiose ac sobrie, quæ ad ipsum attinerent, moderabatur: qui ab eo consilium peterent, iis recte & salutariter consulebat. Cuius celeberrimi viri in circo hîc mentionem facere voluimus, quod seruus Christi Anthelmus Prior creatus, ad eius se imitationem composuit, & subditos ita viuere voluit, quemadmodum ille in suis constitutionibus præscripserat: si quid vero collapsum esset, id instaurare curauit. Intepuerat enim Ordinis obseruantia post decessum memorari Prioris, nec erat is, qui antea fuerat, religionis feruor siue seueritas disciplinæ, propter defectum virorum fortium: qui inde accidit, quod beatus ille sanctorum conuentus, paucis periculum euadentibus, vno die vel potius vna hora pariter extinctus, laboris sui præmium à Domino percepit: quando ab altissimis montibus nix, humus & saxa in Cellas monasterii ruentia, fratres sua mole oppressere. Dedit igitur operam nouus Prior Anthelmus tam ædificiis, quam moribus instaurandis, vt si quid sancti Ordinis pristina religio & obseruantia accepisset detrimenti, id ad pridem conscriptas constitutiones reformaretur. Negligentē si quem cerneret, aut contumacem, admonitionibus, blādis verbis & minis, præceptis quoq; & obiurgationibus ad melliorem frugem reuocare nitebatur: quod si quis nollet resipiscere, planeq; obstinatus esset, è fratrum sodalitate illum extrudere non dubitabat. Erant enim nonnulli, qui sanas institutiones eius non ferentes, cum essent grandes in oculis suis, homines maligna mente & in contentiones procliues, illi sese opponere non vererentur. At ille non ferens eorum arrogantiam, ne aliorum pacem & quietem interturbarent, è monasterio eos eiecit. Sub illius itaque manu & disciplina proficiebant fratres, fortiter perseuerantes in exacta monasticarum constitutionum obseruantia, idque non in prima Carthusia tantum sed etiam in cæteris, illo Priores extimulante & adhortante. Et florebat tum Carthusiana religio, crescebatque & multiplicabatur. Quamuis autem pauci quidam fortassis plus æquo seuerum illum & rigidum in subditos arbitrarentur, at plures tamen, qui sanioti essent iudicio, tali patre gaudebant, & sanctorum delectabantur exercitatione studiorum. Diligebat enim suos vir sanctus, & paterna beneuolentia complectebatur, prouidens eis de omnibus quemadmodum solet mater, de filiorum suorum salute sollicita. Gaudebat cum gaudentibus, cum lugentibus ingebat, aliorum damna & incommoda, sua putabat, vt posset ipse quoque de suis dicere illud Apostoli: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Solebat singulos crebro inuisere, suaui eloquio mulcere, non solum animabus, sed etiam corporibus res necessarias præbere, prout cuiusque moribus vel constitutioni congruere nouerat. Si quid autem admissum esset ab aliquo, id lenitate ac mansuetudine potius, quam seueritate corrigere studebat: & cùm sibiipsi non parceret, aliis indulgendum sentiebat. Ita si qua ab aliquo culpa esset perpetrata, veniam dabat pœnitenti, cunctisque fratribus ea quæ ad victum pertinent, & multifaria solatia atque beneficia conferebat. Infirmis vel animo vel corpore, aut qui tentationibus pulsarentur, ingenti cura salutis & consolationis fomenta adhibebat. Perfectiores vero omni honore dignos existimabat, & tanquam Christum Dominum in illis venerans, multa reuerentia eos prosequebatur, ita vt etiam illis assurgeret modestiæ causa, magister discipulis, præpositus subiectis, omnes sibi anteponens, nulli se iustitia parem sentiens. Sed cum erga morigeros & gratos talem se præberet, ingratos, duros, rebelles, arrogantia tumidos seueriter coërcebat, & sub iugum superbas ceruices mittens, humiliabat æquo iustitiæ libramento singulis pro dignitate restituens. Pœnitentiam autem agentibus & se peccasse dolentibus, mira humanitate & commiseratione propitius erat.

Creatur magnæ Carthusiæ Prior Guigonis encomium.

Fratres in Carthusia miserè pereunt.

2. Cor. 11.

Humanitas & charitas eius erga subditos.

V. Atqve hoc pacto vir beatus in fratrum salutem cura peruigili intentus, vitia persequebatur, virtutes fouebat & promouebat. Hortabatur eos, vt magis magisq; proficerent, præmia illis cum Christo immensa & ineffabilia proponens. Dicebat cum beatissimo Apostolo, vt quæ retro sunt, obliuiscentes, in anteriora se semper extenderent. Neque vero his paucis duntaxat, sed permultis prodesse curabat. Fratrem etiam suum traxit ad Christum. nam alius frater eum iam præcesserat. Traxit vero etiam Patrem, Felicem nimirum parentem, qui tribus filiis, magna virtute viris, præeuntibus, ipse quoque, contempto cum suis vanitatibus & mortiferis illecebris mundo, secutus est Saluatorem. Felicem plane, qui tales meruit habere liberos, qui rerum caducarum & instar fumi labentium spreta hæreditate, & sibi & parenti æternam semperque mansuram compararunt. Felix felices feliciter secutus est, non iam filios, sed patres in Christo. Aduentantes etiam, quos non raros habet ea domus, hospites, animarum suarum saluti consulere cupientes, ad agendam pœnitentiam & vitæ emendationem inuitabat, habita ratione morum & conditionis singulorum. Faciebat vero id indiscriminatim apud Clericos & laicos, apud sæculares & monasticæ vitæ professores: quippe qui omnes cuperet saluos fieri, illam S. Iacobi sententiam animo versans: Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte. Erant autem exhortationes eius nonnunquam graues quidem verbis, sed charitate & beneuolentia refertæ: & quamuis nonnulli eas graniter acciperent & molestè ferrent, mitibus sane gratæ erant & iucundæ: nec pauci iis correcti sunt, multi ad peccandum facti cunctantiores & tardiores, multi ad agendam pœnitentiam adducti sunt. Castigabat verbis male viuentes, maxime literatos, nec illorum dissimulabat vitia, omnis adulationis expers, & personas accipere nescius, nemini parcens, ne ipsis quidem negligentibus aut auaris, vel munera exigentibus Episcopis, non Abbatibus erga subditos parum sollicitis, vel non bona de se exempla præbentibus, non presbyteris fœdæ libidinis mancipiis, non denique quibuscunque sanctæ Dei Ecclesiæ præfectis vel ministris publice peccantibus. Et certe reformidabant eum omnes, sed diuersa plane ratione: alii non sine amore, alii cum indignatione & odio: alii beneuolentia eum complectentes, alii stomachantes: alii blasphemantes & conuitiis proscindentes, alii laude & prædicatione eum efferentes. Nec deerant sane, qui sanctum virum rusticum dicerent & importunum, nec tamen poterat vel ausus erat quisquam synceritati & æquitati zeli illius sese opponere.

Philip. 3.

Iacob. 5.

Omnium vitia seuere carpit & castigat.

VII. Interea vero multarum bonarum consuetudinum & institutorum ipse Carthusiæ magnæ author fuit. Instituit namque, vt ex iis, quæ monasticus Canon præscribit, nihil deesset fratribus, nihil illi vnquam carum sentirent, sed præparentur illis ea omnia, non habita precii ratione, statutis ministranda temporibus. Atque iis aliisque commodis, hactenus suppeditatis, statuit non fraudandos esse fratres, ne, de rebus necessariis solliciti & anxii minus vacarent diuinarum rerum contemplationi & regularibus disciplinis. Terminus Carthusiæ dilatauit & ita obstruxit, vt fœminæ, quæ antea prohiberi non poterant, quin in eos ingrederentur, iam se exclusas sentirent. Structuras quasdam, prout expedire visum est, partim meliores reddidit, partim mutauit, partim nouas effecit. Agriculturæ, pastorum gregum, denique omnium, quæ eius monasterii essent, curam gessit. Nec hoc silentio tegendum, quosdam illum aquæductus multo labore prolixis spaciis effeciisse, per quos ad cellas fratrum, ad culinam, cæteraque officinas tanta aquarum copia deriuatur, vt perpetuo decurrentium lapsu etiam molendini rota, post modum illic constructa circumagatur.

De necessariis hæc dicit, non de exquisitis lautitiis aut rebus superuacaneis.

IIX. His igitur aliisque permultis, quæ nimis operosum sit omnia annotare, quæ illius prudentia & industria effecta sunt, Carthusiæ primariæ & spiritalium & temporalium bonorum non paruæ accessiones allatæ sunt. Possunt autem monasteriorum præfecti beati viri exemplis edoceri, quemadmodum tum seipsos, tum suæ curæ commissa, id est, subditorum corpora & animas, cæteraque omnia regere ac moderari debeant. Erat ille ita studiosus lenitatis & mansuetudinis, vt esset tamen etiam suis locis & temporibus seuerus. Nouerat vir prudens & grauitatem lenitate, & lenitatem

Quomodo prælati seipsos, & sibi commissos regere debeant.

grauitate temperare: quanquam vincebat in illo, naturali quodam Dei munere ei insita, pietas & misericordia. Cum esset autem talis & tantus vir, ad cellæ quietem & solitudinem inhiabat, quod parum sibi præstare videretur, immo multam etiam iacturam fecisse, dum multis occupatus, non posset pro voto spiritalibus exercitiis inhærere.

Abdicat se Prioratu.

ITAQVE cum annis duodecim strenue ac religiose Carthusiam illam gubernasset, alio in locum suum subrogato, IX. subesse malens quam præesse, obedire potius quam imperare, ad Cellam, cuius ardebat desiderio, se recepit, eius gratissima habitatione mirifice delectatus. Lætabatur enim solitudine: nec tamen sæpius à Priore vocatus ad consilium, suam operam negabat: neque etiam destitit vnquam reprehendere, si quid fieret præter decorum aut Ordinis honestatem, vel quod instituto Carthusiano minime conueniret: immo vero quoad vixit, toti Ordini Carthusiano corrigendo, conseruando, tuendo & propugnando suam operam, quasi communis quidam parens nauauit, & nisi ille fuisset, non tantus in Carthusia disciplinæ monasticæ vigor & rigor perseuerasset, sed illa quoque instar aliarum laxo fluxisset sinu. Multis vero etiam aliis sanctis locis, permultis tum Clericis, tum laicis ad emendationem & religionis incrementum non parum contulere eius feruentes adhortationes & optima viuendi exempla. Sed iam ad alia pergamus.

Encomia Bernardi Prioris Carthusiani.

PER id tempus in Portarum Carthusia primi Prioris locum obtinebat eximius pater Bernardus, qui quanti apud X. Deum meriti sit, qua memoriæ celebritate dignus, multa & præclara, tam in spiritualibus quam temporalibus, eius opera & studia testantur: nempe eius monasterii amplitudo, terræ spatia abunde sufficientia, domus ipsa ædificata & strenue gubernata, plurimisque referta bonis, fratrum diligens cura, disciplinæ monasticæ integritas, & boni mores fratrum pugnaque religio, larga manus in Christo, & ad dandum & benigne faciendum egenis porrecta, alia etiam loca, quibus suæ facultates non sufficerent, crebris & magnis fota beneficiis, è quibus sane nonnulla pessum iissent, quæ iam eius suffulta liberalitate consistunt. Dabat namque ille indigentibus liberaliter, inprimis autem religiosis siue monasticæ vitæ cultoribus: & suppetebat, quod largiretur. Atq; hoc illi diuinitus collatum erat munus, vt ab omnibus, qui vel viderent eum, vel de illo audirent, mire diligeretur, non à vicinis modo, sed etiam procul degentibus, adeo vt etiam plerique in longinquis regionibus, quicquid ille mandasset, libenter eius parerent voluntati.

INNVMEROS peccatis deditos & implicatos, ad bonam frugem & vitæ emendationem adduxit, & ad diuersa monasteria & propinqua & remota remisit, illic Deo seruituros. Vbi autem senectute premi se sensit, ab externis laboribus quiescere cupiens, vt posset accuratius vni vacare Deo, simul etiam indignum se existimans, qui semper aliis dominaretur, tandem apud se statuit aliis subesse potius quam præesse. XI.

ABDICATO itaque Prioris officio, de alio substituendo solicitus, cum esset vir prudens, nec vellet in incerto XII. spem collocare, talem sibi subrogare conatus est, qui diligentia, authoritate & integritate sua Ordinis instituta, diu illic feruenti spiritu obseruata tueretur, nec sineret tepescere feruorem, aut fratres in deteriora prolabi. Nemo autem molestе ferat, aut nos temeritatis arguat, quod hæc de sancto viro nostræ narrationi attexere voluimus, quando sine iis non satis perspicuum esset, quid velimus, & solent plerunque exempla exemplis adiuncta, non parùum orationi ornatum addere. Elegit ergo vir sanctissimus Anthelmum, eumque, vti par erat, reuerenter petens à magnæ Carthusiæ patribus, impetrauit.

Anthelmus præficitur Carthusiæ Portarum.

POSTQVAM autem eo venit Anthelmus, quemadmodum in illo exequendo munere se gesserit, cum sint eius XIII. mores iam supra explicati, retexere superuacaneum arbitramur. Non est tamen prætermittendum, quod domum illam plurimis bonis temporariis abundantem, sancto quodam fœnore potioribus & præstantioribus cumulauit. Nam cum inuenisset pecuniæ non parum, frumenti & diuersi generis annonæ sine leguminum aceruos & horrea plena, cogitare cœpit, nulli ea vsui fore, si sic congesta manerent. Statuit igitur pecuniam elargiri iis, à quibus cum vsura eam reciperet, nempe egenis frumentum quoque mutuo dare potius, quam putredini aut vermibus perdendum relinquere. Erat enim id temporis magna annonæ caritas: sed messe aduentante, iam nouas fruges carpere licebat: cui tamen tei alia accessit calamitas, in montanis locis grandinis tempestate omnibus plane perditis & vastatis, quæ monachorum illorum agricolæ seminarant. Nec habebant iam, quid vel ederent, vel vnde sementem nouam facerent. Aduertit ergo prudens & pius fœnerator, ex iis quæ habebat, posse se maxima lucra facere. Itaque maluit ea mutuo dare miseris, quam pro precio distrahere. Quæ enim distracta sunt, non redeunt ad venditorem: mutuo vero & fœnori data, cum multo lucro reuertuntur. Iussit ergo frumentum agricolis distribui, aliis plus, aliis minus, prout res poscere videretur: idque sine vlla stipulatione, bonum habens fideiussorem, qui fallere non nouit, Deum, quem non dubitabat cum immenso fœnore data restituturum. At pauperes illi ruricolæ acceptis portionibus suis, laudabant Dominum, qui per fidelem seruum suum tanta eis beneficia præstitisset. Quotquot autem ex eo frumento seminarunt, eos plane confidimus vberem spe frugum minime frustratos. Deinde mittens etiam manum ad pecuniam: mille aureos, quos inuenit, & alia, sui Ordinis & aliis religiosis locis elargitus est. Ita nimirum fidelis seruus & prudens nouit consulere ex fœnore domui suæ, thesauros nunquam defecturos acquirere, nempe temporaria sapienter dispergendo, spiritalia vero intemerata seruando, animarum potius quam terrenæ substantiæ doctus lucra aucupari. Porro etiam si qua visa essent in Ecclesiæ ornamentis superflua, ea aliis locis, quæ iis indigerent, impertiit. Idem fecit de varia domus supellectile, qua abundabat.

Frumentum distribuit indigentibus.

Item pecuniam.

Syluam mutat in prata

Accessit vero etiam syluas, quas illa domus amplas possidet, & magna arborum strage edita, spatia pratis opportuna effecit, & agros accipiendis seminibus aptos. Curauit etiam pomarium ingens constitui, & in eo diuersi generis surculos truncis inseri. Diligebant autem eum fratres, quandoquidem non talem eum experiebantur, qualem eum fore existimarant, puta durum, seuerum & asperum. Placidum enim & affabilem se exhibebat, non prælati dignitatem præ se ferens, sed ipsis quoque subditis humiliorem se præbens. Domino Bernardo præstabat reuerentiam, illum sibi anteponens. Idem erat erga religiosum Christi seruum Iohannem, cui aduentanti solebat reuerenter assurgere, nec id vnquam prætermisit, etiam cum Episcopi, Abbates, aut cuiuscunque dignitatis personæ adessent. Pietas vero & commiseratio eius erga afflictos, quanta fuerit, quanta erga omnes liberalitas, ab vno, quod memoratu dignum videtur, eius exemplo animaduertere licebit.

Lugdunum vastatur.

EA tempestate Comes Forensis dolo captum Lugdunum vastauit, diripiens omnia, inprimis autem malignitatis XIV. suæ rabiem in ecclesiam exercens, Clericorum euersis ædibus, cum illi Deo protegente salui euasissent. Itaq; ipse Archiepiscopus Etaclius, & cæteri magna dignitate viri, haud secus ac profugi & proscripti ad Portarũ Carthusiam aduolarũt, ad quam alioqui conuenire consueuerant, de rebus magnis consulturi. Postquam autem eos consolatus erat vir magnanimus & fortis in Domino Anthelmus Prior, ista etiam addidit: Ne, quæso, velitis Domini mei hac illac errabundi vagari, vel alio vos conferre. Apud nos permanete, aut si pro expediendis negotiis interdum vultis egredi, ad nos reuertamini. Nos enim, demptis equis vestris, & vos & presbyteros & Clericos vestros quandiu necesse erit, alemus. Erit id pergratum nobis, & vobis nequaquam indecorum. Euntibus igitur & redeuntibus illis, quibusdam etiam ingiter illic hærentibus, largis impensis cum multa gratia & alacritate ad victum pertinentia accurate sunt subministrata, donec non diu post, non sine grandi miraculo profligatis hostibus, Clerici ad sua reuerterentur.

Summa humanitas erga Clerum Lugdunen sem.

Iterum se abdicat Prioratu.

AT cum vir Dei multis occupatus, ab illis, quibus potissimum inhiabat, spiritalibus studiis & exercitiis se destineXV. ri videret, vix biennii euolutis spatiis, Prioris officio, quod pacis reformandæ necessitate, & Superiorum præcepto adactus susceperat, sese abdicans, ad tutissimum, semperque concupitum se in magna Carthusia Cellæ portum recepit. E si autem

autem solitũdinis & secreti esset amans, at crebro tamen magnorum virorum, Deum timentium, qui eius amici erant, grata visitatione recreabatur, & illi vicissim sanctis eius colloquiis delectabantur. Audiebatur enim etiam procul nomen eius, & cuncti eius constantiam mirabantur. At ille laudari se ferebat molestissime, non ab hominibus vanam & lubricam, sed à Deo stabilem, veram, sempiternamque gloriam appetens. Inter alias virtutes eius, quibus erat egregie instructus, non mediocriter eum commendabat studium & zelus inuictus catholicæ vnitatis, eiusque aduersus schismaticos virilis & constans propugnatio. Cum enim Romanæ curiæ Episcopi & Cardinales, totaque curia Alexandrum Apostolicæ Sedi & vniuersæ Ecclesiæ summum Pontificem Canonice electum præfecissent, & Octauianus, qui primus eum elegerat, malo dæmone impellente & ambitione occæcante, sedem Apostolicam arripuisset, &, quod est execrabilius, Ecclesiam illam in Imperatoris ditionem redigere non esset veritus, (Erat enim potens & illustri familia, multis fautoribus fretus, cum Catholico Pontifici pauci quidem, sed meliores, studerent) atq; ea causa vniuersa pene Ecclesia anceps vacillaret: Ordo Carthusianus primus ante omnes in Ecclesia Occidentali, quemadmodum satis constat, Alexandrum pro Catholico & vero Pontifice habendum, eique præstandam obedientiam confirmauit. Ecquis autem eius rei author fuit? Nimirum Anthelmus, & cum eo Gaufredus, sapiens & egregia facundia vir, atque in diuinis scripturis eruditissimus. Horum studio, labore & opera effectum est, vt diu nutantes confirmati Priores, cæterique Carthusiani instituti fratres, Pontifici Alexandro obedientiam promitterent. Atque ii ipsi permultos Ecclesiastici Ordinis prælatos & subditos illorum, in schisma propendentes, aut nutabundos & dubios, ab errore reuocarunt, & in sana sententia confirmarunt, Alexandrum catholicum probantes, Octauianum reprobum reprobantes, reum condemnantes, & schismaticum cum eius fautoribus execrantes. Imperator igitur, qui non nisi sua voluntate & authoritate Pontificem creari volebat, cuius administer erat, non dominus, isthuc de Anthelmo resciuit, veræque fidei cultorem & defensorem non solum odio habuit, sed etiam condemnauit, cum illius nec maledicere esset, nec benedicere. Interim vero præeuntibus Carthusianis ac Cistertiensibus, Alexander Pontifex à Gallis, Hispanis, Britannis breui receptus est. Quæ quidem inter cætera nos referre voluimus, vt perspicuum fieret, quanto animi feruore iustitiam & veritatem æmulatus sit Christi seruus Anthelmus, Deusque laudetur & glorificetur, qui sanctos suos adiuuando, claros & celebres reddit.

Schisma in Ecclesia Romana.

Carthusianorum studium erga verum Pontificem.

VXI. QVAMVIS autem, vt diximus, solitudine & silentio delectaretur, libenterque carnis afflictioni, spiritus contritioni, sanctæque meditationi perpetuo vacaret, non tamen licuit ei diu manere intra Cellulæ amicos recessus, Domino volente, vt tam illustris lucerna non sub modio lateret, sed posita super candelabrum, luceret in domo Dei. Accidit tum Bellicensem ecclesiam orbari pastore suo: & cum de successore ageretur, pars potentior quendam elegit adolescentem genere nobilem, eique ædes Episcopi traditæ sunt. Sed pars altera in eius electionem minime consentiens, monachum quendam in defuncti locum subrogauit, missis legatis ad Pontificem maximum, qui tum in Gallis morabatur, vt eius authoritate confirmaretur & consecraretur. Eius legationis facile princeps & dux erat Sigibodus, homo astutus & mire eloquens, multæque literaturæ: qui ratione polita & phalerata facile in suam sententiam pertraxit eos, qui erant in curia Pontificis: at Pontifex ipse neutram electionem voluit ratam habere, distulitq; legatis dare responsum, non dubitans etiam alterius partis nuncios venturos, quorum rationes æque vt priorum audire volebat. Interea Christus illius ecclesiæ curam gerens, vtilem & bene idoneum illi antistitem contulit. Erant in fratribus moderatiores aliquot, pauci illi quidem, vt semper rariores sunt sapientes, quibus neutrius partis probabatur electio. Ii cæteros in concordiam redigere cupientes, magnum illum Carthusianæ solitudinis cultorem Anthelmum eligunt. Consentiunt illis reliqui omnes gratulabundi adeoque etiam ille, qui prior electus fuit cum amicis suis, erat enim Anthelmi consanguineus. Sed cum non ignorarent, sine multa difficultate illum à Carthusiæ solitudine auelli non posse, ad Pontificem Alexandrum propere abierunt: qui vbi cognouit quid molirentur, gauisus est, dicens illos felices fore tali pastore, taleque consilium propitio Deo ipsos suscepisse. Et primo quidem pius Pontifex & istos & alios, qui ad ipsum venerant, per seipsum conatus est in concordiam redigere: sed Sigibodus, qui se omnia pro voto habiturum putabat, tam bonam electionem moliebatur abolere, multis rationibus asseuerans suam ratam, hanc vero irritam esse debere. Blande vero admonitus, quin & rogatus à Pontifice, cum tanti Patris non posset resistere voluntati, inuitus tandem assensit. Omnibus itaque conciliatis & animo coniunctis, Pontifex datis ad Anthelmum literis, Apostolica authoritate præcepit, vt ecclesiæ Bellicensis, cuius esset præsul electus, curam suscipere nulla occasione differret. Mandauit etiam Priori Carthusiæ & fratribus, vt eum traderent petentibus, & si recusaret, præcepto compellerent.

Anthelmus eligitur Bellicen. Episcopus.

XVII. AT vbi Anthelmus didicit quid gereretur, & iam adesse qui ipsum essent abducturi, fugæ se mandare constituit, exemplo Christi Saluatoris, qui Iudæis eum rapere volentibus, & regem constituere, fugam iniit, docens ea re dignitates & honores neutiquam ambiendos, sed fugiendos potius esse. Sed Dominus Christus cur eam fugam capesseret, non ignorabat: Anthelmus vero propemodum extra se positus quid faceret, nesciebat. Dominus, qui non suam, sed patris venerat facere voluntatem, idcirco fugit, quod tempus ab omni æternitate præfixum nondum adesset, quo à Patre clarificatus regnaret: Anthelmus vero ea causa subducere se voluit, & necessario recusato ministerio, suæ obsequi voluntati, quod necdum compertum haberet rem à Deo geri. Perquirentes autem fratres, postquam eum reperierunt, è latebris extractum, vix in conuentum perducere potuere. Exponunt ei Pontificis mandatum, exhibent literas, addit Prior etiam suum præceptum, rogant legati nomine totius ecclesiæ Bellicensis, hortantur fratres, vt prouinciam diuinitus ipsi demandatam suscipiat, nec suam voluntatem ausus sit diuinæ anteferre. Ecquid vero iis omnibus effectum est? Ille prorsus renuit, palam protestans, se extra illam eremum nunquam egressurum. Tandem pia quadam & callida machinatione proponunt ei, alterum è duobus vt eligat: aut Pontificis mandato impositum amplectatur ministerium, aut ipsum Pontificem adeat, quem aiunt eius cognita voluntate, nunquam illi vim adhibiturum. Ea igitur spe ductus ille, iter ingressus est, legatis eum non deserentibus. Vt autem peruenit ad Pontificem, ab ipso & tota curia honorifice acceptus est. (Nouerant enim virum esse magni meriti & eximiæ virtutis) Postquam autem ad colloquium ventum est, dixit Anthelmus, se non alia causa eo accessisse, nisi vt posset Pontificis experiri misericordiam, ne eius authoritate ad id adigeretur, quod neque sibi, neque ecclesiæ, à qua expeteretur, conducibile foret. Multa tum in seipsum cœpit iactare conuicia, illiteratum, idiotam, imperitum, improbum, inutilem se clamitans, atque iis aliisque id postremo adiiciens, se votum nuncupasse Deo, nunquam ab eremo se recessurum, atque idcirco inuitum cogi non debere. Enixe igitur illo petente, vt Pontifex ipsi parceret, ille respondit: Noli, fili, noli caluas excusationes prætexere, neque enim te fingere decet. Nouimus qua sis industria, vbi animum adiicere & intendere vis. Quid ita nunc inerti pusillanimitate contraheris? Obedias oportet. Ego enim quod scripsi, scripsi. Memineris scripturæ dicentis, quasi peccatum ariolandi esse, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Simul animaduertere, quanta sit obedientiæ virtus, quam professus diu coluisti. Qui teipsum abnegare, & Christum sequi velle professus es, non debes tuæ obsequi voluntati, sed ad Christi exemplum & imitationem te componere, qui factus est patri obediens vsque ad mortem Crucis: à qua etsi pro humana conditione abhorreret, attamen constanter dixit patri: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. His atque id genus aliis sermonibus Pontifice eum demulcente, ille pudefactus conticuit, & pro tanti Patris reuerentia non fuit ausus vlterius reluctari. Consecratus inde est solenniter

Subducit se, ne fit Episcopus.

Iohan 6.

Ibidem.

1 Reg 15.

Phil 2.

Matth 26.

Cedit tan-

dem & consecratur à Rom. Pontifice.

ab ipso Apostolicæ Sedis Pontifice Alexandro ipsis feriis natiuitatis perpetuæ Virginis, quæ tunc in Dominicum diem inciderant, eodemque Pontifice ipsum retinente, ad dies aliquot mansit in Curia: & cum multa de rebus variis familiariter inter se colloquerentur, & Anthelmus crebro ex scripturis opportuna testimonia proferret: Itane inquiebant, rudis plane & indoctus est iste, vt ipse nobis persuadere voluit? Cum autem solicitus in eam curam incumberet, vt discedendi ipsi facultas daretur, Pontifex congruis quibusdam munusculis donatum, à se cum benedictione dimisit. Hactenus nonnullis de vita & moribus beati viri ante pontificatum commemoratis, nunc ad ea, quæ Episcopus gessit, breuiter exponenda, Deo fauente, accedemus.

Episcopus factus vt se gesserit.

XIIX. Non habuit sane in illo locum, quod vulgo dici solet, Honores mutare mores. Idem enim permansit, qui antea fuerat vitæ, grauitate, virtutum constantia, perseueranti religionis studio: ad preces, vigilias, ieiunia & cæteras corporis afflictiones adiecit potius aliquid, quam detraxit. Diuinum officium non in sacello suo, sed dignius & maiori cum decoro, in summa æde cum Canonicis humiliter persoluit. Quotidie fere, quod antea raro permittebatur, salutarem Deo hostiam offerebat cum multa deuotione & copia lachrymarum. Sacris initiatos, maxime sacerdotes, summo honore dignos affirmabat pro concione, iussitque suis auditoribus, vt multa eos reuerentia prosequerentur illos porro admonuit, vt sine criminis nota seipsos integros & inculpatos Deo ministros exhiberent. Sed audiebat de illis, quæ animo eius non possent non esse molesta. Erant enim nonnulli in eis, qui, quod sine pudore dici non potest, publice suas fouerent concubinas: quidam etiam, quod execrabilius est, qui se fœdissima adulterii infamia contaminarent. Itaque primo anno suscepti ministerii sui ad synodum conuocatis presbyteris, & blanditiis & minis eos sui officii admonere volens, ita locutus est: Quis honor, quæ dignitas sit sacerdotii, aduertere debetis fratres & conpresbyteri mei. Vos, authore beatissimo Petro Apostolo, genus electum, regale sacerdotium: vos inter Deum & homines mediatores estis. Sacerdos enim Angelus Domini exercituum est. Vos sicut luminaria in mundo lucere debetis, & alios optimis exemplis potius, quam verbis solis, docere. Quantæ, oro, dignitatis est, creatorem omnium, Deum immensæ maiestatis contrectare manibus, panemque illum viuum, qui de cœlo descendit, è mensa Domini accipere: Sane quisquis hoc non mundo corpore & pura mente per temeritatem facere non dubitat, is, Apostolo teste, iudicium sibi manducat, non diiudicans corpus Domini. Et sunt tamen etiam in vobis, qui id minime attendant: non quod ignorent, sed quod negligant & paruipendant. Nam quod abominabile & valde execrabile est, turpiter sese abiicientes, & à tanti honoris fastigio in sordes & cœnum sese præcipitantes, sancta polluere non verentur, turpitudine sua omnipotentis Dei in se iram concitantes. An vero parum vobis est, (vobis loquor, qui huius facinoris rei estis) quod quemadmodum per Ezechielem dicit Dominus, pascentes vosmetipsos, non modo oues, quod vos facere oportebat, non pascitis, infirmos confirmando, debiles roborando, fractos consolidando, dispersos reducendo, & ex luporum faucibus raptos extrahendo: sed etiam turpissimæ vitæ toxico oues Christi inficitis, & quibus ad obtinendam viram æternam authores & duces esse deberetis, eas vobiscum in æternæ mortis præcipitia adducitis? Sed hæc quidem hactenus à vobis perpetrata, tametsi par erat, eorum causa vos & ecclesiasticis prouentibus & sacris ordinibus priuari, tamen in præsens mihi mer tas non dabunt pœnas. Si qui vero deinceps sese ad meliorem frugem recipere noluerint, in illos ego certe multa seueritate animaduertere non omittam. Nolim enim dissimulando vestræ me iniquitatis reddere participem. Quod si vos noueritis parcere saluti vestræ, Deum quoque propitium sentietis.

1. Petr 2

Malach 2.

Iohan. 6.

1 Cor. 11.

Ezech 34.

Eius seueritas in Concubinarios.

XIX. Hæc primo anno dicta sunt ab illo: altero anno cum quidam nollent resipiscere, sed suis inuoluti fæcibus, pro infami contubernio mallent vincula catenasque colla prementes perpeti cum ignominia, quam ad pudorem & honestatem cum Dei amore se componere, sex aut septem audiuimus ordine priuatos. Ita quos non potuit humanitate & mansuetudine corrigere, illos seueritate & iusta animaduersione emendatos dilexit, fouit, tuendosque suscepit, vt nemo esset qui sacerdotes aut lædere vlla ex parte ausus esset, aut turpe aliquid de eis dicere. Suas vel ecclesiæ terras, homines, cœmeteria, & quæcunque ad ipsum attinerent, integra conseruare, clericos, viduas, pauperes defendere summo opere curauit. Si quis illis, quæ tuenda susceperat, illata aliqua iniuria ipsum offendisset, (erant autem per id tempus illis in locis non pauci raptores & maligni homines) quantacunque is dignitate vel authoritate esset, nulli parcens, nullius personam accipiens, nihil quicquam reformidans, immo tum multo etiam constantior, si speraret martyrem se futurum, sicut scriptum est, Iustus quasi leo confidens, absque terrore erit: anathemate eum percellebat, nec vnquam nisi satisfactione accepta, absoluebat.

Prouerb 28.

Non patitur à Comite presbyterum teneri captiuum.

XX. Comes Hubertus, Amedei filius, quendam eius presbyterum iusserat comprehendi. Petiit ille presbyterum sibi restitui: sed cum non impetraret, Præpositum eius, qui presbyterum ceperat, cum tota domo eius excommunicauit. Postquam autem cognouit, vbi presbyter detineretur, Episcopum Maurianensem dominum Wilhelmum misit, vt eum ex illa captiuitate extraheret. Inuenit hominem Episcopus ille, monuit Præpositum, qui tum aderat, vt missum eum faceret. Nolente Præposito, Episcopus eum è custodia abduxit, contradicente eodem Præposito & vociferante: Equidem tibi non resisto: sed tamen sciet haud dubio Dominus meus, quis captiuum eius abstulerit. Post vbi presbytero illi significatum fuit insidias illos moliri, vt rursus ipsum caperent, fuga sibi consulere statuebat. Peruenit id ad notitiam seruorũ Præpositi, illique abeunti insidias tendentes, cum gladiis repente ei occurrunt. Illo se defendere volente, tam atroci eum vulnere affecêre, vt intra paucos dies moreretur. Idem vero Comes per calumniam asserebat, quædam in possessionibus ecclesiæ eius regalia esse: nec tamen, viuente sancto Episcopo, propterea iniuriã facere ecclesiæ, aut aliquid ab ea exigere ausus fuit. De his igitur cum eum compellasset Episcopus, ille ira percitus, minari cœpit, non se diutius dissimulaturum, quin quæ sui essent iuris, exigeret. Rursus autem monente Episcopo & excommunicationis sententiam intentante, nisi & calumnia abstineret, & pro sacerdotis nece, quantum ad ipsum attineret, Deo satisfaceret: Comes monita eius contemnens, minasque iactans & pericula intendens, asserensque se Pontificis Maximi priuilegio munitum, à nemine posse excommunicari: ab Episcopo, nulla eius potentiæ habita ratione, anathemate plectitur, cum præsens adesset. Tum vero illo furore inflammato, & grauiter comminante, illis quoque, qui ei aderant, affirmantibus, pro tanta in principem temeritate, mox Episcopum capite puniri oportere: vir Dei maiori constantia sententiam suam repetens, pertinacem Comitem multo etiam expressius à Christo & eius corpore, quod est Ecclesia, præcidit, satanæ illum tradens. Stupebant sane, qui huic negocio intererant, nec parum timebant viro Dei, cum ille maneret intrepidus, magni beneficii loco habiturus, & impense etiam gauisurus, si tanta posset gratia dignus haberi, vt propter iustitiæ defensionem ad martyrii palmam & beatitudinem liceret peruenire.

Presbyter interficitur.

Comes excommunicatur.

XXI. Erat enim non mercenarius, sed verus pastor: non ex illis negligentibus, quibus per Ezechielem Dominus improperat: Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israël, vt staretis in prælio in die Domini. Quæ verba exponens beatus Gregorius Papa: Ex aduerso, inquit, ascendere, est quibuslibet potestatibus praue agentibus rationis libera voce contraire. Et in die Domini pro domo Israël in prælio stamus, ac murum opponimus, si fideles innocentes contra peruersorum iniustitiam ex iustitiæ authoritate vindicamus. Itaque boni pastoris, id est, Christi vestigia secutus Anthelmus, & gregi suo custodiendo accurate inuigilans, lupo veniente haudquaquam fugiebat, nec afflictorum leuandis calamitatibus & miseriis se subducebat: sed si ita res posceret, etiam animam pro ouibus ponere paratus erat. In illum autem lupum sæuissimum, non corpora, sed animas iugulare cupientem, diabolum, vel

Ezech. 13.

Homil. 8. in Euangelia.

maxime

maximè intentum se præbebat, non ignorans illum ouili Dominico die noctuque perpetuas moliri insidias, & mentes fidelium mille modis lacerare & discerpere. Illum ergo extra se à populo admonitionibus & obsecrationibus: à se ipso ieiuniis, vigiliis & variis corporis afflictionibus, multisque ad Deum fundendis precibus depellere curabat. Abigebat, *Psalm. 119.* inquam, illum à fidelium cordibus sagittis potentis, acutis & carbonibus desolatoriis, id est, verbis Dei compungentibus corda per pœnitentiam, & sanctorum exemplis vetustatem viriorum consumentibus, & ad virtutum sectandam nouitatem animos inflammantibus. Qui iam autem mortiferi illius serpentis essent toxico correpti aut iaculis sauciati, eos instar periti medici ita curare nouerat, vt singulis quibusque opportuna & conuenientia remedia adhiberet. Paterno omnes complectebatur affectu, cunctisque prouidere & consulere nitebatur. Nec deerat ei zelus, quem in Phinees scriptura diuina commendat, sed accinctus gladio iustitiæ, impios puniebat: neque tamen odii id faciebat acerbitate, sed beneuolentia & amore, non minus illorum, quam suam salutem appetens, talesque eos cupiens efficere, qualis ipse erat. Et certe plus illorum dolebat vicem, qui animo, quam qui corpore læsi essent. Itaque vitia damnans & persequens, eos qui pias eius admonitiones negligerent, castigabat vt emendatiores redderentur: damnabat, ne damnarentur. *Num 24.*

XXII. Non est autem prætermittendum, quanta iustitiæ authoritate & constantia suam in Comitem supradictum sententiam prosecutus sit. Cum enim Comes ille Sedis Apostolicæ Pontifici significasset, se contra datum sibi priuilegium à Bellicensi Episcopo excommunicatum, idem Pontifex mandauit beato viro per Tarentasium Archiepiscopum Petrũ & alium quendam Episcopum, vt charissimum filium suum Comitem Hubertum, quem satis temere excommunicasset, absolueret: ipsis etiam iisdem Episcopis præcipiens, vt si nollet Anthelmus, cuius constantiam nouerat, ipsi eum absoluerent. Veniunt Episcopi, adferunt mãdata à Pontifice, multis hortantur verbis, vt summo Pontifici debitam præstet obedientiam, & irati principis animum impendenda absolutione sibi conciliet. Ille respondet: Qui iuste ligatus est, solui non debet, nisi prius per pœnitentiam satisfaciat illi, quem læsit: atque ita etsi fortassis nõ digne & pro meritis, saltem misericordia persuadente & iustitia parcente, catholicæ Ecclesiæ restituatur. Neque enim vel ipsi beato Petro sic est hæc collata potestas, vt vel non soluenda soluere, vel non liganda ligare debeat. Quanto igitur minus nobis? Id igitur certum habetote, me à semel pronunciata sententia non deflexurum, sed eam plane retenturum. His auditis, Episcopi discesserunt, nec, quamuis ad mandatum illis esset, Comitem fuêre ausi absoluere. At tamen Pontifex cum id didicisset, Comitem absoluit, idque Anthelmo significauit. Ea autem re permotus vir fortis in Christo, & molestè ferens, relicta Bellicensis ecclesiæ cathedra, cupiens vni Deo in silentio & solitudine vacare, ad cellæ optatam se quietem recepit. Sed Dominus, qui ad id eum honoris euexerat, non permisit vt illic maneret. Cum enim Bellicensis ecclesia & omnis illa regio eius absentia se desolatam sentiret, Clerici illius Pontificis maximi literis, quas impetrauerant, freti, eum repetiêrunt, atque ægre tandem obtinentes, cum debito honore & reuerentia eum reduxerunt. Porro Comes ille noluit se pro absoluto habere, neque in ecclesiam ingredi ausus fuit, donec coram sancto viro sese humilians, & satisfactionem pollicens, ab illo absolutus, & Ecclesiæ restitutus esset. Etsi autem magnopere eum charum semper habuit vir Dei, etiam tum cũ eum ab Ecclesia separaret, at nunc familiarius & cum quadam reuerentia crebro illum hortabatur, modo blandis, modo acrioribus vtens verbis. Sed cum negligentem & incuriosum salutis suæ eum cerneret, & neque stare promissis, neque mala velle corrigere, immo vero ea potius cumulare, durius eum appellare, mala, quæ sub eo, vel per eum fiebant, improperare, clientelaris officii sponsionem & agnitionem, quam vulgo homagium vocant, ab eo exigere cœpit. Ea igitur rursus Comiti materiam & fomitem odii ministrabant, ita vt testaretur nullum esse sub sole hominem, quem perinde haberet exosum, atq; Anthelmum Episcopum. Minabatur etiam illi, & vix sese continens, mala ei machinabatur. Interim tamen valde eum reuerebatur, sanctitatis eius deferens etiam animo hostili: neque vnquam in iis, quæ calumniabatur, eum aut lædere, aut dehonestare ausus fuit. Si quid autem ab alio ei illatum esset mali, gratulabatur. Cum aliquando admoneret eum Episcopus, vt pro iis, quæ diximus, satisfaceret, ille respondit, se in foro paratum respondere. Mox adiecit Episcopus: Tu me iure fori, ego te legibus poli conuenio, diemque tibi dico illum ipsum, quo omnes stabimus ad tribunal Christi. Sed de his hactenus.

Nota Anthelmi constantiam.

Ab anathemate quis non sit absoluendus.

Anthelmus relinquit Bellicẽsem ecclesiam.

Reducitur honorifice.

Comitem absoluit.

Comitis odium recrudescit.

XXIII. In Episcopatu suo vir sanctus in eam curam semper incubuit, vt ex veritatis & misericordiæ præscripto omnia fideliter & accurate gereret: nec minus tamen pristinæ vacabat religioni, immo vero solicite ne alicubi in toto ordine Carthusiano sanctarum institutionum siue consuetudinum rigor langueret, feruor tepesceret. Ab eius nutu pendebant Carthusiani Priores, & illo moderante, sancta negocia disponebantur. Dabat vero operam, vt omnia religiosè & ex Ordinis instituto atque præscripto fierent. Habuit autem semper locum suum in prima Carthusia, & in ea Cellam vacuam, ita vt vnus esset ex iis, quos habitatorum certus numerus admittebat. In ea autem Cella sæpe morari solebat, cum esset pertæsus negociorum temporalium, vt illic recreare spiritum suum, non Episcopi maiestatem, sed humilis monachi subiectionem præ se ferens. Recreabat autem sese, non ciborum lautitiis, sed ieiuniis & precibus: non somno vel desidia, sed vigiliis & sanctis exercitiis: non rumoribus aut fabulis vel musicis instrumentis & modulationibus, sed sacris meditationibus, diuinis contemplationibus & iubilo mentis: non gaudio, cuius extrema luctus occupat: sed luctu & mœrore, cui æterna consolatio promittitur. His, inquam, Dei fidelis seruus reficiebatur & confirmabatur alimentis, perennis gloriæ spe illum roborante & consolante.

Sæpe degit in cellula Carthusiana.

Prouerb. 14. Matth 5.

XXIV. Solebat etiam non raro visitare loca religiosa, inprimis autem ipsi domestica aut suæ professionis: cumque venisset ad quamlibet sanctam congregationem, conuocatis fratribus, gratissima & mellita oratione proponebat illis magnorum exempla virorum, quos aut vidisset ipse, aut de quibus auditione accepisset, mores eorum, dicta factaque commemorans. Deinde comiter & iucunde singulos ad se accitos, sibi assidere voluit, aut ipse è suo loco surgens, ad illos se conferebat, omnibus se conformans & accommodans, nec plus deferens maiori; atque minori. Tum vero familiari & placida exhortatione, vultu ad hilaritatem & iucunditatem composito, animabat eos ad suscepti instituti perseuerantiam & profectum, ad ferendum libentibus animis iugum Domini suaue & onus leue: simul ob oculos eis statuens illud immensum præmium futuræ beatitudinis, à Deo ipsum diligentibus præparatum, quale nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Et quia vir sanctus nihil sibi tribuebat, nec sua sibi sufficere arbitrabatur, sed aliorum se ope indigere ab animi humilitate persuasum habebat, studiosè eos orabat, vt in precibus suis ipsius essent memores. Ad quamcunque veniisset seruorum Dei congregationem, ab iis se in fratrem recipi & petiit, & impetrauit: idque speciatim in cunctis Ordinis Carthusiani monasteriis. Erat enim rationi consentaneum, vt quem Deus in illo cœlesti regno eximium fore sciebat, ei in præsenti Ecclesia optata suffragia non negarentur. Conciliis Ecclesiasticis, aut sæcularium negociorum tractatibus quoties interfuit, nullus vel Episcopus, vel alterius ordinis aut status fuit, qui non eum sibi anteponeret. Omnes eum reuerebantur, ipsa etiam Romana Curia. Si quid enim vitiosum aut reprehensione dignũ in aliquo cerneretur, quantacunque is authoritate polleret, non dubitabat eum arguere, tantus illi inerat iustitiæ & veritatis zelus. Neque enim ex arrogantia vel hypocrisi id faciebat, sed feruore charitatis. Nec deerant, de quibus ille eius iustitiæ zelus esset inuisus: atque illi quidem eo præsente ori suo digitum imponebant, sed absenti detrahebant, eiusque facta rodebant dente canino. Compluribus sane eius castigationes & reprehensiones non erant ingratæ. Aduersum superbos seuerus & rigidus erat, eorum contemnens arrogantiam: humilibus comem, placidum & affabilem se præbebat. Obstinati, peruicaces, & qui nollent resipiscere, durum & quasi indignabundum eum experiebantur: obedientes

Esa. 64. 1. Cor 2.

Quanti eũ omnes fecerint.

& morigeri, lenem, humanum & familiarem. Erga peccatores pœnitentes quam pius, benignus & misericors fuerit, nô-

Erga confitentes quis fuerit.

runt illi, qui ei peccata sua confessi sunt, & eius manus impositione cum Deo in gratiam restituti. Totis sane visceribus condolebat illis, idque non sine lachrymis, quas ab oculis eius eliciebat, non mœror animi, sed ingens pietas & miseri-

Luc. 15.

cordia & lætitiæ magnitudo. Iure enim gaudendum existimabat, cum (ipso Christo testante) gaudium sit in cœlis coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Consolabatur quoque illos, dicens veniam & Dei gratiam ipsos esse adeptos: atque deinceps, licet omnes ex animo diligeret, istos tamen peculiarius, non aliter, quam suos mater filios. Miseris & afflictis condolebat, eosque consolatione, consilio, auxilioque fouebat. In pauperes vero & inopes quis

Item erga afflictos & inopes.

illo vnquam benignior, quis maiori erga illos misericordia, quis de illorum subleuanda inopia solicitior fuit? Ex iis, quæ habebat, nihil suum arbitrabatur, sed omnia pauperum: quod quidem etiam reuera sic erat. Non incubabat ille pecuniæ thesauris, qui non permanent: sed illis potius coaceruandis intentus erat, qui in cœlis repositi, amitti vel corrumpi nunquam possunt. Itaque demptis iis quæ moderatus victus poscere videretur, cætera omnia in pauperes erogabat, inprimis autem religiosos siue monasticæ vitæ cultores. Cum autem sancta loca omnia amore & beneuolentia complecteretur, duas quasdam sanctas congregationes sibi tuendas fouendasque susceperat, singulari quodam studio illas prosequens, & magnis sustentans beneficiis, tum in iis, quæ ad structuras, tum quæ ad victum vestitumque essent necessaria. Ex his vna erat ancillarum Christi, viduarum & virginum, quæ sexum imbecillem cum ipso mundo virili animo vice-

Item erga leprosos & pias congregationes.

rant. & in loco, qui Tuncis dicitur, eremiticam ducebant vitam. Altera erat leprosorum, sub regula degentium: quam quidem vir sanctæ conuersationis & miræ humilitatis, Deo deuotus Guigo miles Christi eo in loco, quem, Inter saxa, vocant, ad Rhodani magni fluminis ripam construxerat institueratque. Hæc duo loca crebro solebat sanctus Episcopus inuisere, animarumque & corporum curam gerere: delectabaturque eorum colloquiis, nec fœminarum reformidans accessum vir castissimus, nec leprosorum fastidiens familiaritatem seruus Christi humillimus.

XXV. Eo anno, quo ab hac vita decessit, magna annonæ caritas magnam famem & calamitatem inuexit in homines.

In annonæ caritate multos fouet.

Tum vero ille quasdam sanctorum congregationes suis fouit beneficiis, & confluentium vndique pauperum turbam vsque ad messis tempus quotidianis eleemosynis sustentauit. Mirabantur omnes, vnde tanta illi suppeterent. Sed Dominus, quinque panibus totidem hominum millia satiauit, poterat seruo suo fideli augere & multiplicare ea, quæ illius causa distribuebat. Certum autem diem præfixerat, ad quem vsque promiserat se illas eleemosynas continuaturum. Ita-

Matth 14.

que Domino, qui extra mundi huius exilium ad patriam eum euocare constituerat, tantisper expectante, donec id, quod vouerat, esset executus, eodem ipso die, quem eleemosynis illis præstandis extremum præstituerat, à Domino vocatus,

Febre corripitur.

decessit è vita. Illo autem die aduentante, & futuræ vitæ, cuius obtinendæ causa fideliter laborauerat, initio propinquante, acuta febre correptus, cũ, vt fit in ea ægritudine, verbis erraret, attamen de rebus necessariis interrogatus, prudenter & accurate respondebat, in nullo prorsus errans. Flebant autem omnes eius amici & familiares, idque pietate potius, quam mœrore ducti, sciebant enim eius obitu dolendum non esse, quod ad illum attineret. Petebant vero ab eo benedictionẽ

Non vult condere testamentum

& consilium: & ille bene eis precabatur, & consilia suppeditabat. Cumq; dicerent, vt res suas distribuere respondit: Absit à me, vt faciam testamentum, qui nihil habeo: quippe qui non sum de hoc mundo. Hucusq; ex ministerio sacerdotii licuit mihi res cõmendatas curare & dispensare; at nunc quando iis frui non possum, nec dispensare licet. Rogabant porro, vt Comiti ignosceret, cum quo erat illi controuersia: at ille, nunquam se id facturum asseuerabat, nisi à calumnia cessaret, fidemq; daret, se nihil vnquã ab Episcopi vel ecclesiæ eius possessionibus exacturum: tum etiã de cœso presbytero culpã suam pœnitens agnosceret. Atque hæc quidem Comiti, qui in vico illo aderat, indicanda videbantur, sed non erat qui id ausus esset. Interfuêre autem huic consilio duo ex Carthusiæ fratribus, genere nobiles, sed humilitatis & fidei constantia multo nobiliores: nempe Haymo, quondam potens in sæculo & magnificus, atque Giraldus. Hi Comitem adeunt, indicant quid audierint ex Episcopo: hortantur vt missam faciat calumniam: à tanto patre veniam petat, vt eius, qua se

Comes veniam petit ab illo.

felicem fore speret, possit benedictione potiri. Audiens hoc Comes, Deo suam illi gratiam adspirante, & beati viri, qui eius sitiebat salutem, intercedentibus meritis, timore correptus & corde compunctus, erupit in lachrymas: statimque veniens ad virum Dei, culpam suam confessus est, & calumniam omnem missam fecit, promisitque se ecclesiam defensurum, paratus etiam iureiurando id confirmare: & cum humiliter & obnixe veniam peteret, cum illo in gratiam rediit, impositisque ei manibus vir Dei bene precatus est ei, dicens: Deus omnipotens Pater & Filius & Spiritus sanctus, benedictionis suæ & gratiæ tibi tribuat largitatem: crescere te faciat & multiplicari, itemque filium tuum, cum non haberet

Prædicit filium habiturum Comitem.

nisi filiam. Rati autem plerique illum errare, suggerebant vt filiam diceret, non filium. At ille semel atque iterum repetiit filium. Quam quidem prophetiam non multo post tempore nouimus completam, nato illi filio.

XXVI. PORRO Clericos suos ipsum consulentes admonuit vir pius, vt mutua se charitate complecterentur, studerent concordiæ & vnitati, & pacis vinculo inter inter se colligarentur. Ita demum illustri cursus sui agone peracto, sanctus Dei confessor Anthelmus Episcopus æternum adeptus est brauium: expletisque circa eum, quæ ei præstari par erat, officiis, inter litanias & cantica spiritum Domino reddidit, sexto Calendas Iulii, anno ætatis suæ amplius septuagesimo, Episcopatus vero decimoquinto, ipso regnante, cuius regnum non habet finem, Domino nostro Iesu: cui est cum Patre &

Christo spiritũ reddit

Spiritu sancto gloria, laus & honor, virtus & potestas per infinita sæcula sæculorum, Amen.

De quibusdam miraculis eius, quæ aliquot locis contraximus.

XXVII. ETSI vero non impar esset meritis, nec Deo minus gratus beatus Anthelmus plerisque miracula facientibus, attamen in vita sua haud secus atque pestem quandam id vitare constituit, ne sanctus diceretur. Non enim in se gloriari ille nouerat, sed in Domino: nec æquum arbitrabatur, vt efficiendorum miraculorum gratiam sibi vsurparet ipse indignus (ita enim de se sentiebat) peccator. Sed interim tamen eximiæ virtutes & præclara opera eius, miracula erant: & licet ille se celaret, non pauci tamen eius meritis se sensere molestiis liberatos. Quam vero celeriter fides eius oprata impetrarit à Domino, ex eo, quod subiicimus, potest miraculo animaduerti. Cum die quodam iter faceret, qua transiturus erat miser quidam iacebat homo, à serpente ictus. Is veneno se per corpus diffundente, versus in tumorem, acerbissime cruciabatur, nihil nisi mortem expectans. Venientem ad eum locum virum Dei orabant qui aderant, vt paululum subsisteret,

Crucis signo sanat à serpente ictum.

præstaretque consilium, quid remedii esset homini calamitoso adhibendum. Tum ille misertus eius, non sine lachrymis Crucis signum in eum expressit: moxque tumor & dolor omnis euanuit. Dignum sane erat vt Christus propter seruum suum, qui crucem suam tollens, ipsum secutus erat, & carnem suam crucifixerat cum vitiis & concupiscentiis, Crucis mysterio & mala pelleret, & bona largiretur. Seuerissime autem vir Dei prohibuit sociis, ne cui id indicarent: cæteris quoque, qui illic aderant, dicebat, Dei beneficia non suis meritis, sed illorum fide impetrata, ne sibi adscribenda putarent.

Non vult laudari.

Neque enim tantopere fur in furto deprehendi reformidat, quam hic vir sanctus hominum laudibus celebrari: quippe qui non alio, quam peccatoris, loco se haberet.

XXIIX. POSTQVAM autem ex mundi huius caligine ad illam lucem sempiternam commigrauerat, Dominus non est passus sanctum suum, qui se occultauerat, diutius in obscuro latere, sed euidentibus miraculorum signis eius sanctitatem declarauit. Nam cum eius venerabiles celebrarentur exequiæ, & sacrum corpus monumento conderetur, eo loco, vbi humatum

humatum est, tres lampades erant, quæ non interdiu, sed noctibus accendi solebant, præterquam in præcipuis solennitatibus. Erat igitur etiam hæc solennitas præclara, non funeris, sed triumphi. Ecce enim, dum cuncti ad sacrum funus intenti sunt, vident in vna ex iis lampadibus ignem immenso lumine coruscare: Admirantibus illis & stupentibus, etiam aliæ duæ diuinitus accenduntur, simulque omnes illustrius de se lumen spargunt. Fit clamor ecclesiæ exultantis, & Deum laudantium. Accurrunt omnes tum indigenæ, tum peregrini, qui illic aderant, tantoque spectaculo obstupescunt. In iis fuit etiam Comes Hubertus & socer eius Girardus Viennensis, & qui cum illis erant viri illustres non pauci. Vt vidit autem Hubertus Comes insigne miraculum, tremefactus, ex Episcopi ædibus, in quas ingressus fuerat, egressus est, & omnia, quæ illic sibi vendicârat, ibi reliquit. Tres lampades in eius funere diuinitus accenduntur.

XXIX. In territorio Gratianopolitano vir nobilis erat, Deum timens cum coniuge sua. Amauerat illos Anthelmus, totius boni amator. Deerant iis proles, quod matrona sterilis esset. Vt autem peruenit ad eos fama tot miraculorum, quæ ad sepulchrum viri Dei fiebant, ait vxor marito suo: Ibo ad dominum meum sanctum Anthelmum, nihil dubitans, quin sit mihi à Domino prolem impetraturus. Abiit, preces obtulit deuotas cum multa fide & spe, domum reuersa, concepit & enixa est. Eiusmodi miraculum fecerat etiam in vita sua. Negocii cuiusdam expediendi causa venit Geneuam. Hospitio acceptus est à Buiamundo amico ipsius. Postquam assedit, Vbi est, inquit, domina? Volo eam videre. Venit illa, hortabatur vir beatus ambos, vt fidem coniugii & mutuum amorem conseruarent, bonis operibus essent dediti, diuinoque timori semper inhærerent. Dixit autem ad illum Buiamundus: Domine, satis quidem omnia ex sententia habemus: sed vnum, quod vel maxime optamus, deest: nempe proles. Tum vir sanctus vocat ad se matronam, pingit Crucem in fronte eius, dicit ore iucundo: In nomine Domini fac mihi vnum filium. Mox in virtute Crucis mandatum fides, & fidem effectus consecutus est. Concepit enim ex marito, & opportuno tempore edidit filium. Sterilis parit. Nota vim S. Crucis.

XXX. Adolescens quidam nobilis, nondum adeptus militiæ cingulum, oderat sanctum virum, fortassis ab illo quandoque obiurgatus. Is cum transiret reuerendum eius sepulchrum, videretque ibi iacere homines morbidos & male affectos, illorum fidem stultitiæ tribuens, ibat cacchinnans. Et ecce subito acri corripitur febre, & intolerabili ardore vexatur, spem vitæ abiiciens. At colligens sese, duci cœpit pœnitentia, sociorumque manibus, cum per se non posset, eo perductus, humiliter veniam petiit, vota nuncupauit, & liberatus est. Idcirco enim corpore pœnas luit, vt animo sanaretur. Cœlitus punitur ridens miracula viri Dei.

XXXI. Alius quidam nobilis adolescentulus hemitritæo, id est, semitertiana febre dire cruciabatur, cui accedebat etiam morbus caducus. Is de vino, quo ablutum fuit sacrum beati viri corpus, bibens, curatus est: eiusdemque vini potu multi à diuersis sunt morbis liberati. Miracula ex vino, quo corpus beati viri ablutum fuit.

XXXII. Mercator quidam ab extera regione reuertens, pro distractis mercibus suis aurum, argentum & magnam serici copiam reportabat. Cum transmitteret autem Rhodanum flumen, equus, cui ea omnia imposuerat, cum sarcina è naui decidit. Et primo quidem videbatur ab illis, qui erant in naui, dum fluminis impetu traheretur: sed pressus sarcina, ab eorum oculis subductus est. Postquam igitur casso labore eum desiit mercator inquirere, eumque se recuperaturum desperauit, quod in eo loco sit quasi abyssus quædam, vt audiuit beati Anthelmi nomen & miracula, fide & spe animatus, venit ad sacrum corpus eius, positoque illic cereo, quem in eius honorem confecerat, in vigilias & preces incubuit, munera obtulit, vota fecit. Mane post celebrata diuina mysteria, per piissimi confessoris merita de diuina confidens misericordia rediit ad locum, à quo mœstus recesserat, spe bona factus hilarior: & ecce videt cadauer equi, quem longius vi fluminis raptum conspexerat, in portum eiectum, remque suam omnem saluam & illæsam, cum sane admiratione dignum esset, sericum nihil madefactum, nihil vlla ex parte corruptum. Itaque ablata sarcina, solius equi iacturam non magnipendens, Deo & piissimo eius confessori gratias egit, lætusque abscessit. Insigne miraculum.

XXXIII Sed si ego ea omnia, quæ benignus Deus per seruum suum mirabiliter efficere non desinit, annotare velim, tempus me citius, quam materia, deficiet. Non possum tamen vnum illud prætermittere, quod cæteris longe antecellere videtur. Fiscilliacum vocant rus, quod à Bellicensi vrbe sex abest milliaribus. In eo puerulus quidam trium circiter annorum, matre eius alibi occupata, domo egressus, longiusque progressus, hac illac errabundus vagari cœpit. Tarda tandem hora recordata mater pignoris sui, vndique circumspiciens, nec tamen vlla eius vestigia adspiciens, metu & tremore correpta, quod male agi cum paruulo suspicaretur, circumquaq; sedula curiositate inquisiuit eum. Ad extremum ad præterfluentis riui alueum se conferens, videt filiolum suum lapsum in aquas: cumque procul ab aquis corpusculum agitari cerneret, existimans eum adhuc viuere, in hanc erupit vocem: Deus & sancte Anthelme à vobis reposco filium meum. Deinde accedens propius, & eum extrahens ab aquis, vt vidit exanimem, vellere capillos, scindere vestes, genas vnguibus lacerà, pugnis verberare pectus, vallem omnem mœstis complere clamoribus cœpit, miseram se vociferans, & sibiipsi volens adferre manus. Accurrit vero pater anxius, aduolant vicini ad tam miserandum spectaculum, dolent vicem parentum miserorum. Inde domum deportatur puer, diu fouetur, sed non calescit, nec quicquam in eo vitalis spiritus deprehenditur, cum à mane vsq; in vesperam fere confotus esset. Igitur de eius sepultura agitur, sed mater se opponit, constantique animo dicit: Ego cadauer feram ad beatum Iohannem & sanctum Anthelmum dominum meum. Credo eorum meritis à Domino restitutum mihi iri filium meum, quem propter peccata mea abstulit mihi fraus inimici. Illa sic instante, pater paruuli corpusculum, comitante matre & vicinis, in ecclesiam Bellicensem adducit, & ad beati Anthelmi deposuit sepulchrum. Aderant eius vrbis permulti vtriusque sexus homines, qui eos secuti erant in ecclesiam, quibus miseræ matris lamenta & fideles preces, lachrymas excutiebant. Nam instar Cananææ illius, multa fidei constantia, precumque instantia clamabat se peccatricem, sibi dicebat pœnam deberi, atque à se vltionem expetendam, non ab innoxio infantulo: simul implorans sanctorum illorum, quos diximus, suffragia. Nec est frustrata spe sua. Nam paulo post cœpit moueri puer: sed mater territa, ab eo recessit, rei euentum contemplatura. Deinde audiuntur leues quidam infantuli vagitus: post paululum, cum nemo ad eum accederet, cunctis stupentibus surrexit, & arrepto scipione, qui iuxta illum erat, ad mensuram factus corpusculi eius, ad sanctum sepulchrum progressus est, ibique resedit. Tum demum mater ausa accedere cum aliis affatur puerum, & ille respondet, prorsus incolumis, nec quidquam mali sentiens, perinde acsi nihil incommodi perpessus esset. Existit apud omnes ingens exultatio, cum timore quodam & admiratione coniuncta: flent parentes præ gaudio, pietate mouentur vniuersi. Clerus, nobiles, plebeii adueniunt, Deum pariter omnes lætabundi laudant & prædicant, qui per sanctos suos faciat magna & admiranda: Cuius imperium & potestas se porrigit in omnia sæcula sæculorum, Amen. *Matth 15.* Puer mortuus reuiuiscit ad sepulchrum Anthelmi.

XXXIV In Ecclesia sane Bellicensi meritis beati Anthelmi multa alia facta sunt miracula, quæ hominum incuria non sunt in scripta redacta: quanquam eorum tam ingens profecto est numerus, tantaque assiduitas, vt commemorari omnia nō possint: quando confluentibus vndique turbis ad eius venerabile corpus, innumera credentibus beneficia obtingunt. Gaude igitur & lætare Ecclesia Bellicensis cum tota diœcesi, tam eximii patris illustrata præconiis. Lætamini ciues: quia quem in vita meruistis habere pastorem, nunc multo etiam magis protectorem & pium apud Deum intercessorem habetis. Lætamini vel maxime omnes vos, qui in Clero estis, quibus tantus obtigit thesaurus: quo locupletati, non sentietis inopiam, si tamen digna veneratione vos nosse ostenderitis, quantus & qualis sit, & quanto colendus honore. Non desinet ille vestri curam gerere: per illum, Domino largiente, multa vobis aderit prosperitas & pax, sine qua non potest Innumera eius miracula.

vlla creſcere eccleſia, niſi forte, quod abſit, circa illum negligentes ſitis. Date igitur operam, vt ex animo illum diligatis ac veneremini, ſi modo Deum vere diligitis, ſi Deo placere cupitis, cui placet ille. Eo enim vos inuitat omnipotens remunerator, quando tot admirandis, vt cernitis, eum ſignis ornat. Quem ergo Deus potenter & magnifice, illum vos pie ac religioſe, quantum humana fert fragilitas, honorate cum ſumma reuerentia. Qui vos in cœlis cupit habere ſocios, deuotos habeat in terris cultores. Quicquid ei à vobis erit honoris impenſum, in vos redundabit. Ille vobis conferre aliquid poteſt, vos illi nihil. Non eget ille veſtra ope, qui ſummo fruitur bono. Sanctis habere honorem, nihil aliud eſt, quam Deum ipſum honorare, qui in eis eſt, & cuius corporis membra ſunt illi. Habetis in illo exempla virtutum illuſtria: ſit ille vobis inſtar ſpeculi ob oculos propoſitus, ſanctiſq; ſectãdis moribus illum imitamini, vt ad quam ille iam peruenit beatitudinem, eam vos quoque, illius meritis & precibus adiuti, adipiſci mereamini. Quæ noſtra humilitas veſtræ amplitudini auſa eſt ſuggerere, ea vos longe rectius curaturos non dubitamus, quam nos vlla dicendi facultate conſequi poſſimus: præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat per infinita ſæcula, Amen.

Sanctis impenſus honor, in Deũ redundat.

AN. 1050. VITA SANCTI RODVLPHI EPISCOPI EVGVBINI ET CONFESSORIS; EST QVE EPISTOLA XIX. LIBRI I. B. PETRI DAMIANI EPIſcopi Oſtienſis ad Alexandrum II. Papam.

26. IVNII. DOMINO Alexandro beatiſſimo Papæ, Petrus peccator monachus ſeruitutem. Præcepit mihi beatitudo tua, I.
venerabilis pater, vt nunquam tibi literas mitterem, quæ leue quid & obliuione dignum, ac friuolum continerent: quas ſcilicet, mox vt lector tranſiliendo percurrerit, edax flamma conſumit: ſed tale tibi ſemper aliquid ſcriberem, quod & ad ædificationem legentium ſuſcepi, & inter ſcripturas mereretur authenticas reſeruari. Vnde patri luminum agendæ ſunt gratiæ, qui ſacrarium tui pectoris, hoc igne ſui amoris accendit, vt & in antiquorum patrum ſtudiis iugiter requieſcas: & inſuper ſi qui tibi videntur idonei, ad ſcribendum eos prouocare non negligas.

A vobis itaq; nuper egreſſus, cum Florentiæ vrbis mœnia ſubii, nuncius mihi mox repentinus occurrit, qui mihi II.
diem medium in tenebras vertit: omniumque meorum viſcerum venas, amariſſimæ legationis felle compleuit, Epiſcopum ſcilicet Eugubinum eſſe defunctum, cuius vtique conuerſatio ſi recolitur, non mediocriter ædificare poterit audientes. Valet enim & ad exprimendam recte viuendi formam, & ad *adhibẽdam corrigendis moribus diſciplinam. Nam ante fere ſeptennium, ille cum matre, & duobus fratribus ſe pauliſper ætate præcedentibus, ſeruis duntaxat libertate donatis, caſtrum ſuum mihi expugnabili munitione vallatum, cum omnibus quæ ſui iuris erant prædiis contulit, atque ad eremum veniens, habitum monaſticæ profeſſionis accepit. Monaſterium plane in eorum poſſeſſione conſtruximus, de cuius nunc ſancto conuentu regulariter victitante, ſatis in Domino gratulamur. Vbi matre, & fratre, qui infirmior eſt, conſtitutis, iſte Rodulphus, qui poſtmodum ad Epiſcopatus culmen euectus eſt, & Petrus primogenitus frater eremiticam vitam tam continenter, tam diſtricte duxerunt, vt & audientibus prædicaret eos fama mirabiles, & conuiuentibus, vita monſtraret inſignes.

*adhibendam

S Rodulphus fit monachus.

Item Petrus frater eius.

SANE ſi de Petro vellem cuncta referre, quæ ſuppetunt, prius ſchedula fortaſſis iſta deficeret, cum adhuc dicendi III.
materia ſupereſſet. Nam vt è multis vnum ſaltem breuiter referam, dum in capitulo conſideremus, aliquando de diſciplinis regularibus diſputantes, ille vt erat nouitius, vnum ex ſæculari conſuetudine inordinatum protulit verbum. Tũc ego velut ira permotus, dura ſatis illum inuectione corripui, poſtque redargutionum atque correptionum longiora flagella, tanquam quæſtione pulſato ſententiam inferens, per quadraginta dies illum vino abſtinere præcepi, ea tamen intentione, vt tantum ad præſens illum cum cæteris ab incautis ſermonibus deterrerem, poſtmodum vero ſententiam diſcretæ remiſſionis moderamine temperarem. Sed cum me contig ſſet diuerſis intentum eſſe negociis, neque hoc mihi quilibet in memoriam reuocaſſet, elapſo iam præſcripto dierum circulo, tandem recordatus expaui, & quid ex iniuncta ſibi pœnitentia Petrus egiſſet, attonitus exquiſiui. Fratrum vbique relationibus didici, pœnitentiam eſſe peractam. Pœnituit (fateor) prolatæ ſententiæ, ſed gaudens admiratus ſum tantum *patientiam fratris, vt pro vno ſolo verbo inconſulte prolato, tam longam pœnitentiam pertuliſſet, & neque per ſe, neque per alios indulgentiam poſtulaſſet.

Ecce vt olim viguit ordinis diſciplina.

*pœnitentiam.

NVNC igitur ad Epiſcopum, à quo cœperat, ſermo recurrat. Quamuis enim Petrus idem, vt maior erat ætate, ni- IV.
hilominus etiam in ardui propoſiti & diſtrictæ vitæ ſemper præcederet itinere, hic tamen ad ſacerdotalis officii iura promotus, quod in eremo didicit, in Eccleſia non omiſit. Eiſdem quippe terebat ſemper membra ciliciis, eiſdem contentus erat perexiguis admodum ac deſpicabilibus indumentis. Plane dum iuuenilis ætatis ingruente natura grauiſſimam ſæpe pateretur acediam, laquearibus cellulæ funiculos innectebat, ſicq; vlnis inſertis pſalmodiæ ſtudio pendulus inſiſtebat. Nunquam adipe, nunquam ouis vel caſeo veſcebatur. In eiſdem vero, quæ apponebantur, eduliis continens cum fragilitas cruciabat, vt diſcumbens non tam ſe reficeret, quam certaret, & inteſtinum potius eſſet gulæ bellum, quod extrinſecus videbatur eſſe conuiuium. Sæpe pugnaui vt ſaltem in hyemalis inclementia frigoris, aut papyrinæ ſibi ſtoreæ ſtramenta ſupponeret, aut veſtitus ſaltem nocte dormiret. At ille in nuda ligni tabula nudus ſola contentus interula cubitabat. Eccleſiam porro deputabat hoſpitium, ſolitudinis autem cellulam habitaculum decernebat. Inconditi ſiquidem mores populi, & indiſciplinatæ ceruices, leue iugum Domini nequaquam ſibi patiebantur imponi, ſed muneribus terrenis intenti, non ex ore Pontificis Dei verbo, ſed tanquam de manibus Præſidis commodis inhiabant. Hæc enim regio quo magis inuenitur aliena diuitiis, eo copioſius exuberat vitiis. Ab egendo ſiquidem denominari videtur Eugubium, *vel. *velut egens bono. Ideoque me vim ingerente coactus, Eccleſiam, quam dimiſerat voto, retinebat officio, in eremo tamen perſeuerantius habitabat.

S. Rodulphꝰ nihil de rigore monaſtico deponit in Epiſcopatu.

Lectus eius.

QVANDOCVNQVE impetrare poterat vt *ſuo modo panis in eremo fieret, edebat panem, non fratrum, non deniq; V.
puerorum, ſed eum, qui vel ex puro fieret hordeo, vel ex cantabro potius, quod proiiciendum canibus de puerorum panibus remanſiſſet. Et licet præter celebriores dies hoc eſſet quotidie pane contentus, menſuram tamen attentius *æquitatis lancibus appendebat. Vnde *mecum quandoque conqueſtus eſt, quia ſi ſibi menſura concederetur, hunc eundem panem prurienti gulæ largius indulgeret. Tanta quippe iuuenculum hominem caſtigabat inedia, vt vndecunque ſolatium alimenti perciperet, vacuo ventre ſtomachus non curaret. Aliquando vero etiam diebus Dominicis pulmentum neſciens, pomis tantum, & pane cum aqua viuebat. Ferreo circa pectus circulo iugiter cingebatur, quem tamen circulum ſub *ventre dimerſum, dum coram fratribus nudaretur, diligentius occultabat. Nunquam ſcilicet capitulo confeſſor intererat, in quo non acciperet diſciplinam, & tunc feſtiuus exultabat, ſi non ab vno tantum, ſed à duobus flagellari fratribus iuberetur. Sæpe pœnitentiam centum ſuſcipiebat annorum, quam ſcilicet per viginti dies alliſione ſcoparum, cæteriſque pœnitentiæ remediis perſoluebat. Pſalterium quotidie, cum *bis non poſſet, ſemel *ſaltem non negligebat implere. Quod nimirum, cum eſſet in cellula conſtitutus, armata ſcopis vtraque manu, totum cum diſciplina *recitare conſueuerat.

Panis.

*huiuſmodi

*æquitatis.

*mihi.

Circulum pectorale.

*ilia.

Gaudet diſciplinis.

*duo.

*vnum

*continuare.

PORRO

VI. PORRO autem cum in expeditione esset aliqua constitutus, quantalibet intempestæ noctis profunditate consurgeret, nudis semper cruribus & pedibus, vsque dum diluesceret, psallere non cessabat. Quam videlicet consuetudinem, dum in cella consisteret, diebus, ac noctibus sine cessatione seruabat. Quamlibet grauis bruma rigesceret, simplicibus soccis muniebat pedes, cum tamen frater eius solis calceis contentus esset, Sæpe me per clementiam Christi terribiliter adiurabat, vt si quando fortassis excederet, nequaquam me ab eius correptione subducerem, sed omnem in eo disciplinæ modum, qui monachis debebatur, implerem. Ita plane & regulam monachi, & authoritatem Episcopi sub alterna vicissitudine laudabiliter obseruabat. Opportune siquidem & *importune verbo prædicationis instabat, & quicquid domesticis surripere valebat expẽsis, bene prodigus in pauperes dispergebat. Congregans annualiter synodum, nullum assuetæ oblationis vel xeniorum canonem à clericis exigi permittebat, sed ne à lapsis quidem commodum aliquod, præter solam pœnitentiam, requirebat: Absit, inquiens, vt synodum vendam. Lapsos etiam potius erigam, quam ex eorum cadaueribus coruino more *pinguis fiam. Tædet vlterius scribendo procedere, & velut paternas à pictura manus dolor videtur Icareus cohibere.

Instat sanctæ prædicationi.
*inoportune.
*pinguescam.

VII. His igitur, & huiusmodi virtutum floribus adornatum, quasi candens lilium immaturæ mortis pruina decoxit, ita vt cum vix triginta plus minus videretur annorum, ad veræ lucis authorem ex hac infelici luce migrarit. Consummatus enim in breui (sicut scriptura loquitur) expleuit tempora multa. Placita enim erat Deo anima ipsius. Et iure consummatus in breui, multa tempora dicitur expleuisse, * qui dum in eo paruo, quod vixit, iustitiæ tramitem tenuit, quantum ad se, omnia tempora in obsequium conditoris expendit. Plane quicquid illic de sancto viro sapientia loquitur, ita huic per omnia congruit, ac si de illo specialiter diceretur. Senectus, inquit, venerabilis est, non diuturna, nec numero annorum computata. Cani sunt autem sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata placens Deo. Vnde & sequitur: Factus dilectus, & viuens inter peccatores, translatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam eius. Propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatis.

Felix obitus eius.
Sap. 4.

VITA SANCTI PATRIS NOSTRI SAMSONIS HOSPITVM EXCEPTORIS, EX SIMEONE METAPHRASTE.

AN. 470.

I. PARTIM quidem magno Samsoni gratum nostrum animum significantes, & ei cultum debitum exhibentes: partim autem hominum iustam vitantes reprehensionem, ad hanc accessimus orationem, & illius scribendæ vitæ munus grate subimus. Quomodo enim non optimo iure reprehenderemur, si cum multorum aliorum sanctorum, partim quidem Martyrum, partim autem, qui Deo alia ratione placuerunt, horum quidem labores & certamina illorum vero vitam & res gestas diligenter conscripserimus: hunc autem magnum Samsonem videamur contemnere, & maxime, qui est adeo propinquus, & (quod ad sepulchrum quidem attinet, quod res efficit admirables) est nobis vicinus: idque cum nullum exiis, qui nos præcesserunt, inuenerimus, qui fuerit eiusdem, cuius nos animi, & vitam illius scriptis diligenter mandauerit.

27. IVNII.

NEQVE vero me latet, à viro pio & Pontifice, & cuius etiam magna fuerit eruditio, magni Samsonis compositum fuisse Encomium. Ego autem dico vitam singulatim compositam, & accurate res illius tractantem, & quæ præterea rerum mirabilium satis amplam faciat mentionem. Hoc enim neque alios nouimus, qui in hodiernum vsque diem fecerint, neque nos id satis facere possumus, qui ab illis temporibus simus multum remoti: neque eius vitam perfecte persequi, nisi solum eam referre paulo diligentius, & pauca ex eius miraculis viris piis ad Dei gloriam exponere. Eius enim paruum vitæ opusculum, in quod à clero acceptum incidimus, id visum est non solum negligenter compositum, sed etiam testatur eum, qui id composuit, nihil habuisse eruditionis: immo vero nec ea ipsa, quæ narrat, satis perfecte & absolute traduntur, & longe absunt è summa perfectione. Quinetiam illud opus, quo diu vsi sumus, inuenimus se habere similiter, & ex eadem (vt aiunt) factum esse fidelia, & inscriptum quidem esse Encomium diuini Samsonis, & habere singularem quandam narrationem eorum, quæ ab illo in vita gesta sunt: sed parce admodum, & maligne viris bonis præbens gustum eius miraculorum. Quod autem nos omnium maxime conturbat, est quod ipsi (quod ad res gestas attinet) cum eas aliunde habere non liceat, eos sumus secuturi. Ea de causa petimus nobis dari veniam ab iis, qui legent ea, quæ sunt à nobis elaborata, vt nos non condemnent negligentiæ, neque hanc minime examinatam reiiciant narrationem. Neque enim nostrum est hoc opus, vt prius diximus, sed sumus aliorum secuti vestigia. Illud itaque Herodoti hic poterit commode dici, esse potius Istiæi calceum, etiamsi ipsum induerit Aristagoras. Ita autem habet.

Encomium Samsonis compositũ ab Episcopo.

II. Hic ergo magnus, & cuius omnem orbem terræ peruasit fama, Samson genus quidem duxit ex illa celebri & inclyta Roma. Ortus est autem ex non ignobilibus nec vulgaribus parentibus, sed valde honestis & claris: quorum magnæ quidem erant opes: gloriabatur autem se genus ducere ex sanguine Imperatoris. Sed cum viri huius maximi res externæ ita se haberent, neque res quoque suas habebant contemptui. Quomodo? Nam & virtutis magnam curam gerebat, & diuinæ scripturæ lectioni erat intentus: & tanquam iucundissimo cibo ei diligenter adhærebat: & breui tempore venit ad omnem eius cognitionem. Verum cum neque medicinæ, quæ erat ars valde humana, vir longe humanissimus studium abiecisset, sed se etiam ei diligenter dedisset, etiam si arte parum admodum ad quæstum sit vsus, in pauperibus tamen cessit diuinæ gratiæ ministerio, morbos curans immedicabiles, & tanquam gratiæ velamento arte vtens propter summam humilitatem.

Samsonis patria.
Genus & parentes.
Studet medicinæ.

III. POSTQVAM autem eius parentes è vita excessissent, non amplius cunctabatur, nec differebat: sed apta accepta occasione, vtpote quod nullus esset prohibiturus, ea faciebat, quæ sibi videbantur, & iis, in quas cadit interitus, diuitiis, & quę sunt ad breue tẽpus diuitias commutabat æternas, conuenienter diuinæ voci Domini, quæ iubet vendere ea, quæ habet, & præbere eleemosynam, & hinc parare crumenas, quæ minime veteraſcunt. Dabat vero opes non parce, nec paulatim, sed nec guttatim distillans, sed profuse admodum & large, ambabus, vt dicitur, manibus effundens in ventres pauperũ, aut esurientium: idq; non semel, aut bis, sed per totam vitam: Ei enim semper æqualis, & cum eo nutrita fuit eleemosyna. Seruorum autem greges nolebat amplius apud se manere neq; in seruos vti arroganter imperio: sed potius libertate, dignabatur ingenue, eis abunde præbens, quod ad victum sufficeret. Quid enim ei opus erat seruitute hominum, qui se verum & germanum seruum Domino consecrauerat? Sic itaq; in facultates affectus, & quibus temporalibus tanquam vinculis laxatus, erat re vera leuis & accinctus, & vna quidem tunica, vno autem famulo contentus. Deinde Roma relicta hic vir egregius in hanc nouã venit Romam, diuini, inquam, Constantini ciuitatem. Atq; quænam quidem eum causa permouerit, nequaquam possum dicere. Sed non sine Dei numine, neq; omnino inutiliter versatus in hac regia est ciuitate: in qua est etiam sacrum eius corpus repositum, thesaurus sacrosanctus, diuitiæ, quæ minime consumuntur, omnium morborum remedium.

Matth. 19. & 6.
Liberalis est in pauperes.

Quantus sit thesaurus sanctorum reliquiæ.

IV. Hic ergo omni ex parte magnus Samson, cum ad hanc peruenisset ciuitatem, in quadam parua & humili domo habitabat. In proximi cura gerenda assiduus. Nam cum hanc domum benignitatis argumentum, & gratuitam fecisset officinam, eos, qui morbo premebantur, hospitio excipiebat, & fraterne tractabat: nec solum in eos omni vtebatur cura & diligentia, vt volunt leges artis, sed & cibum, & cubile eis impertiebat, conuenienter Christi præceptis, partim

Morbidos excipit hospitio.

partim quidem artem, partim autem atque adeo magis ostendens gratiam. Vbi enim est artis opus, dæmones expellere, & morborum mirabilem efficere curationem? Quæ quidem ei facere, non minus quam velle, erat facile. Et (vt semel dicam) alterius quidem aliquid aliud, Samsonis autem hospitalitas & benignitas, & in egentes misericordia, erat adeo propria, vt propemodum rediret ad necessitatem naturæ: sicut Soli quidem illuminare, igni autem vrere. Hinc etiam euadit manifestus ei, qui tunc erat Christi Pontifex. Bonitatis enim splendor & decus eos, qui eam exercent, cito propalat. Is autem erat Menas, virtute non obscurus. Et ab illo ordinatur sacerdos, triginta iam annos natus, & paulò plus. Deinde ei etiam euadit manifestus, qui administrabat Imperium. Id autem ex eo accidit.

Initiatur sacerdotio.

Samson lõge ante Iustiniani tẽpora diem suum obiit, neque Iustinianus Xenodochiũ Samsonis erexit, sed combustum restaurauit. Vide Baron. in mart. hoc die. & in ann 541.

IVSTINIANVS quidem erat, qui imperabat, cuius & Imperii diuturnum fuit tempus, & vita illustris. Ei morbus in- V.
cubuit valde grauis, cum ei male affecta essent pudenda, & vesica graui laboraret vlcere. Atque ille quidem patiebatur, & laborabat, nec dolores ferre poterat. Ei autem erat circumfusum examen medicorum, & circa eum, vt mos est, adesrant magno studio disputantes: qui ad promittendum quidem, & ad bona spe implendum sunt valde prompti, vt qui & eius manum, qui laborat, hinc incitent, & efficiant, vt sit ad dandum alacrior: vt autem quod promiserunt, deducant ad effectum, & eum, qui laborat, liberent ab eo, quod eum male habet, non solum breui non possunt efficere, sed neq; longa mora & dilatione, neque longi temporis vtentes auxilio: sed parati quidem sunt eorum, qui laborant, accusare tarditatem, aut etiam ad id, quod est deterius, procliuitatem, vt qui vel præceptis non acquiescant, vel in cibo & potu non ea, qua par est, cautione vtantur: se autem, & ea, quæ ad curandum adhibent, medicamenta minime reprehendunt. Quid ergo Imperator? Postquam vidit eos multa quidem dicere, & magna verba loqui, nihil autem conferre ad curationem, immo vero lædere, & maiores dolores afferre, ipse agitabatur quidem doloribus, ferre vero non poterat. Atque omnes quidem medicos ex æquo condemnans vt inutiles, in malam rem abire iussit: ad Deum autem confugit, & ei magno studio adhæret, & illinc quærit auxilium. Nonnunquam enim egestas docet, quid nobis sit vtile, & efficit, vt discamus, vndenam verum veniat auxilium. Auxilium enim meum, inquit, à Domino.

Psalm. 120.

Visio Iustiniani Imp.

CVM itaque vehementer petiisset, non tarde consequitur, sed ei in somnis ostenditur multitudo medicorum, VI.
qui ordine quidem adstabant, honesta vero, & quæ sacerdotibus conueniebat, erant veste induti. Vidit autem quendam accedentem Eunuchum, ex auro quidem contexta veste indutum: Præposito vero amictu similem, qui visus est ostendere vnumquenquam ex medicis quo sit vultu, ætate & habitu: inter quos vnum, qui erat specie humilis, canis decorus, vestitu honestus & compositus, & diligentius curare, vt notus esset Imperatori, & efficere, vt sciret qualis esset in omnibus, & dixisse: Hic solus, & nullus ex aliis, tibi potest dare, vt à morte libereris. Postquam autem à somno fuit excitatus Imperator, verum iudicans esse somnium, (Vt crederet enim effecerat, qui prouiderat vt videret, & quæ visa fuerant, erat reipsa confirmatus) impletur quidem gaudio: accersit autem statim medicos. Et illi quidem conuenerunt, & se ei omnes coram steterunt. Ille vero vnumquemque lustrabat, diligentissime perscrutans, & non minus examinans, quam aurum lapis Lydius, vultumq; & figuram, & ætatem, conuenienter signis, quæ erant ostensa per somnia. Postquam autem nullum vidit tale signum in eis, qui aderant, dolore afficiebatur, & perplexo erat animo, & erat adhuc sitientior, vt qui non esset promissum assecutus. Hinc acris & vehemens facta est inquisitio, donorumque & maximorum honorum promissiones, quos qui virum, qui quæritur, erat ostensurus, consequenter signis quæ viderat Imperator, mox erat accepturus. Quo cognosceretur autem, signum erat, non quomodo Pelopidis (vt narrat fabula) humerus: sed virtus insignis, & præcipue moderati mores & compositi.

Iustinianus Samsonem osculatur.

CVM autem esset difficilis inuentio, (celabatur enim, non formam mutans, vt fingunt Proteum, sed quodam di- VII.
uino hoc eueniente consilio, vt tardior ostensio eum redderet magis desiderabilem) vix tandem vnus ex medicis Imperatoris, notus quidem Imperatori, magno autem Samsoni familiaris, & qui res illius optime nouerat, non virtutis solum, sed etiam gratiæ & miraculorum, eum manifestum reddit. Hinc autem illi facile erat coniicere, eum esse, qui illum erat curaturus. Hic ergo ipse magnum illum Samsonem notum reddit Imperatori, & ei tantam conciliat lætitiam, quantam ii, qui laborant morbo corporis, & ab eo cupiunt liberari, soli possunt intelligere. Atque statim quidem venit admirabilis Samson: neque enim inter visum & auditum interfuit tempus vel breuissimum: tantum eius videndi Imperatorem ceperat desiderium. Cum vero eum vidisset, ex iis, quæ noctu visa fuerant, pulchre recognouit ea, quæ cernebantur interdiu, vtpote oculorum mansuetudinem, formæ hilaritatem, morum honestatem, barbæ squallorem, adspectus tristitiam, & quæ eum decebant signa moderationis. Hæc cum ille, admirabili accedente Samsone, esset contemplatus, non potuit amplius contineri, sed surgens præimmoderata lætitia eum, qui specie vilis erat & abiectus, is, qui erat insignis Imperio, amplectitur, & suauiter admodum osculatur, non os solum, sed etiam caput, dicens: Certe, ô pater, tu es ipse, qui mihi admirabiliter in somnis apparuisti: Quin etiam te morbum meum pollicitus es curaturum. Hæc cum dixisset, statim ingressus est in Regiæ penetralia, sanctum illum manu tenens. Neque enim existimabat se magnum quid facere, illam honorans, quam erat assecuturus facientem miraculum.

Samsonis modestia.

POSTQVAM autem ingressus est Imperator, & eum habuit secum sedentem, nondum eum humanè accipiendo sa- VIII.
tiatus, plura adhuc faciebat. Eius manus capiens, suis imponebat oculis, & eas cum maxima voluntate deosculans, & in eas distillans lachrymas, lætabatur. Morbi enim, qui eum premebat, necessitas efficiebat, vt homo appareret potius, quam Imperator, & qui humanis flectebatur miseriis, quam qui Imperatoria efferebatur magnificentia. Verum enimuero hæc magna Imperatoris moderatio & religio, grauem sancto iniecit molestiam, & perinde ac si ei fieret iniuria, & in eum nimia exerceretur modestia, non potuit tenere silentium: sed ne sic feceris, ô Imperator, neque tam demisse & abiecte, acclamabat: nec eo, quod te ipse immodice deiicias & deprimas, efficias vt damner arrogantiæ. In quo enim sum communibus hominibus inferior, qui sum miser, & peccatis obnoxius, & opus habeo magna Christi benignitate & clementia? Verũenimuero hæc tua fidei abundantia & feruor, est futuri à Christo auxilii certus nuncius, qui est Rex Regũ, & potest omnia facere. Cum sic dixisset, imposuit manum parti patienti. Et ea quidem suo fungebatur officio: Is autem copia humilitatis volens celare abundantiam gratiæ, quibusdam rebus, quas parti laboranti ex arte imposuit, curationem conabatur asscribere. Sed medicamentum, quod applicabatur, vincebat, quæ celabatur, veritas: & qui in aliis fuerat cognitus rerum effector mirabilium, in hoc quoque fuit cognitus fecisse miraculum. Non multi enim dies præterierunt, & Imperator fuit omnino liberatus à morbo, & est integram assecutus sanitatem, repletusque est lætitia & admiratione, illa quidem propter recuperatam valetudinem, hac autem propterea, quod qui eum sanum fecerat, Deo esset familiaritate coniunctus.

Vult celare miraculum, sed non potest.

DEINDE etiam, vt magni Samsonis opportunis donis remuneraret curationem, aurum donauit splendidè ac ma- IX.
gnifice, & quæcunque poterant incitare desiderium eius, qui secundum carnem, inquam, viuit, & non secundum spiritum, vt dicit diuinus Apostolus. Illi autem tenuiter & frugaliter viuere, erat bonum per se expetendum, omnibus quidem diuitiis beatius, quauis vero gloria ad dignitatem excellentius. Imperatoris certe liberalitatem & munificentiam opportunis & validis recusauit excusationibus: Illa mihi das, dicens, ô Imperator, quæ lubenter reliqui propter Christum, vt qui multas possiderem pecunias, & multas haberem possessiones. Quomodo ergo ea accipiam, sine quibus viuere aperte inueni vtilius, & à quibus prudenter discessisse, Deo esse coniunctum dilucide est ostensum? Quod si propter summam tuam benignitatẽ & humanitatem, vis nobis aliqua in re gratificari, id fiat Deo potius, & ita quod factũ fuerit, ad nos

Galat 5.

Recusat munera beatus Samson.

ad nos quoque transibit. Fiet autem hoc, si prope meam domunculam, quam & ipse habito, & aliquos ex iis, qui morbis laborant, introducens curo pro viribus, ægrotantibus domum aptam excitaueris. Hoc enim tibi & clarum nomen pariet, & conciliabit mercedem, quæ auferri non poterit. Audiuit Imperator, & quod petitum fuerat, lubenter admisit, tanquam donum potius, quam tanquam petitionem. Et statim (tunc enim diuinum construebat templum nomine Dei Sophiæ) iussit vt id quoq; simul ædificaretur prompto & alacri animi studio, & eorum, qui ædificabant, magna multitudine, & omnium impensarum copia, ipso quidem suppeditante liberaliter, ex magni vero Samsonis sententia effecto ædificio. Postquam autem pulchre & magnifice fuit ædificatum, & ab eius fuit nomine denominatum, protinus illi fuit permissum. Et ipse erat diuinus ille Samson, cui commissa fuerat domus administratio.

Templum Sophiæ & domus hospitalis ædificantur.

X. Adiicit autem Imperator aliud quoque dignum Imperatoria munificentia. Non exiguam enim suorum bonorum partem, & non sine egregio proposito, huic ædi sanctæ consecrat, diuisam scilicet ex prædis, quas admirabilis ille Belisarius ad eum attulerat è terra Assyriorum, quæ re vera erant præclaræ & opimæ. Deinde domum quoque munit donis possessionum, quæ & ad alios eius sumptus sufficiebant, & ad alimentum medicorum, & eorum, quibus erant alia commissa munera. Cum multos autem annos sic transegisset ille beatus in cura gerenda ægrotorum, de quibus omnibus erat instar patris solicitus, & iam ad grauem deuenisset senectutem, & corpus imbecillum ei mortem parturiret, parum quidem ægrotat, & quod posset ostendi esse proœmium & occasio mortis. Moritur autem non tristis, neque grauiter & ægre ferens decessum, vt solent animæ, quæ corporis & mundi nimio tenentur amore: sed leuiter & hilariter, vt qui pulchre sciret, à quo vocaretur, & à qua perturbatione ad quam transiret requiem, & quantæ voluptates essent beatam eius animam excepturæ. Ex laboribus enim remunerationes, & fructus nouerat ex seminibus. Atque Deo quidem digna & munda illius anima ad cœlestes transit habitationes: sacrum vero & sanctum eius corpus deponitur honorabiliter in maximo templo Mocii martyris, vtpote quod magnus ille Samson ex eo diceretur trahere cognationem, non corpore solum, sed multo magis animo & moribus. Quam multis autem clarus fuerit miraculis, qui est in rebus omnibus maxime admirabilis, non in vita solum, sed etiam multo magis post mortem, neque lingua potest dicere, neque auris admittere. Quomodo enim, cuius nec in hodiernum quidem diem constiterunt fluenta miraculorum? Immo vero nec consistent quidem, donec ille idem fuerit, & eiusdem vtetur visceribus, pro hominibus apud Deum intercedens. Pauca ergo, si videtur, ad Dei gloriam, & ad eorum, qui audiunt, delectationem ex iis, quæ post eius hinc excessum facta sunt, tractanda sunt oratione.

§ Samsonis obitus.

Miracula eius.

XI. Et primum quidem id, quod & multæ linguæ canunt, & libri ferunt, & omnes credunt, & quod in popularitumultu, qui aduersus magnum illum & inter Imperatores clarissimum est excitatus, vt fieret, accidit: quo tempore audacissimorum atque inprimis temerariorum hominum manus, igne accenso, præclarissimas & ditissimas ædes aggrediuntur. Atque incepit quidem malum à maximo templo Dei Sophiæ, quod cum in orbem omnia exedisset, deinde serpens venit vsque ad præclaras ædes diuini Samsonis, & tectum arripit celeriter, & fremens vlterius procedit & existimabatur fore, vt mox tota domus omnino interiret. Quid ergo est postea consecutum? Multæ quidem ex aduerso in eo mouebantur manus gratæ & piæ, quid non facientes, & quid non molientes ex iis, quæ possunt fieri ad ignis cohibendum impetum? Sed malum erat inexpugnabile, & omne superabat auxilium. Vincitur tamen, & eo fuit potentior cura magni Samsonis. Fuerunt enim, fuerunt qui tunc digni sunt habiti, qui diuinum viderent Samsonem per tectum circumcirca cursitantem, & ignem increpantem, & velut frementem, & admirabiliter eius impetum retardantem. Cuius quidem adspectu ille veluti obstupefactus retrocessit, & est repressus. Deinde cum tonitru repente erupisset, copiosa quoque affluxit pluuia, quo factum est, vt ignis quidem extingueretur, domus autem conseruaretur illæsa præter tectum.

Incendium Constantinopoli diuinitus extinguitur.

XII. Adiiciantvr alia quoque miracula, non quæ multis ante annis facta sunt, quod desint noua & recentia: non enim in hodiernum vsque diem deficiunt, vt quæ perennes fluuios imitentur: sed ea quæ paulo ante facta sunt, quo sint magis credibilia, vt quæ partim quidem habeant illos ipsos narrantes, qui sunt gratiam consecuti, quorum sunt linguæ veridicæ, & mendacio omnino infestæ: partim autem, qui genere attinent, vel inseruierunt, vel alias familiaritate coniuncti illis ipsis, qui sunt experti miracula. Iam enim Theodoricus procedat, qui Spatharo cubiculariorum erat ordine insignis, de cuius virtute magnum fertur testimonium, & de eius benignitate ac veritate, & summa moderatione. Is erat famulus, & famulorum familiarissimus, & fidelissimus Leonis illius, qui erat relatus in chorum patriciorum, & præpositorum, & qui exercuit magistratum Drungarii, qui est eorum, qui nauigant. Gessit etiam magistratum ratiocinatoris cursus, in quo etiam est mortuus, non plusquam quatuor ad summum mensibus post mortem illius. Huic autem Theodorito erat collega alius ex iis, qui insigni Leoni ministrabant, & erant ei familiares, qui etiam vocabatur Leo. Erat autem is quoque non vnus ex vulgo, sed & Protospatharius, &, vt mos est nominare, in Maglabio, & summus Theoditi amicus, & vnanimis socius in ministerio. Huic autem Leoni cum aliqua de causa succensuisset Drungarius, & eum habuit suspectum, & tempore non paruo eum à consueta remouit familiaritate, & ab ea, quam prius habebat, fiducia. Sum vero ipse quoque testis eius aduersus Leonem indignationis, & scio auersionem & diuturnam separationem. Nam ego quoque rogaui pro Leone, vt qui essem Drungario amicus & familiaris. Valde itaque angebatur Leo, & magna afficiebatur animi ægritudine, dolorque vel ipsa ossa & medullas tangebat, & valde consumebat. Quinetiam Theodoritus idem iugum trahebat, vt dicitur, eiusque mouebatur misericordia, & per consensum, dolorem accipiebat, legibus cedens amicitiæ, vt qui esset amicus, & in ministerio socius, vt prius est ostensum.

XIII. Cvm itaq; ferre non posset videre Leonem sic affectum, ausus est verbis suum aggredi dominum. Neq; enim facilis ad eum patebat aditus, & asper erat in sermonis congressione, maxime inter famulos. Et prudenti inita ratione, pro eo rogauit: Perit, dicens, Leo perit: timendum est, ne sibi graue aliquid faciat: quod quidem certe nolimus, neque simus authores eius mortis. Miser enim iam extabuit, & est plane consumptus, non ferens tuam auersationem, & statim amittet etiam animam. Hoc cum non semel, sed sæpe dixisset, assiduitate & opportunitate persuadet, & Leoni pulchre procurat reconciliationem. Deinde iussus venire in conspectum, cum ille præ nimio gaudio per scalas, quod ita contigisset, descenderet, & celeritate nimia esset impeditus, pedis vñcturam euertit, & loco suo dimouet. Statimq; ore hianti mutus euadit, & immobilis præ dolore, eumque habebat lectus, cum vix ad eum esset delatus. Tres dies præterierant, & ipse sic iacebat supinus, mutus, somni & cibi expers, & nec aquam quidem omnino admittens, nec omnino se mouens, sed veluti lecto affixus, & à re inanima nihil differens. Sanctum tamen etiam tacendo rogans, videt eum stantem pro pedibus, tangentem talum pedis affecti, & dicentem: Surge: nihil erit tibi amplius mali. Simulatq; autem hoc dixit, egressus est, videntibus Theodoriti oculis, ore autem non potente eloqui. Postquam vero magnus ille Samson procul fuit ab oculis, ad se quidem redit Theodoritus, & efficitur quodammodo animatus, & redditur ei, qui mouetur, assimilis. Vocale vero corpus habuit quoque, sicut prius, & lætiori voce Deum glorificabat, & submissa voce dicebat: Sanctus est Samson. Statimque ministrum est allocutus, dicens: Surge Basili, (ita enim vocabatur) & da mihi vestem, vt me induam: & simul pedem tetigit. Eum autem videns sanum, alteri manum admouit, qui erat illæsus ab initio. Rei enim admirabilitas eum reddebat prope emotæ mentis, & erat tanquam sui oblitus, & dubitans, & hæsitanti similis. Alioqui autem nimium gaudium, & bonum inexpectatum ac præter opinionem, mentem solet dimouere. Vbi autem nouit ambos esse sanos, alacri statim animo & pedibus it ad sepulchrum eius, qui ipsum curauerat, & beneficium ei refert acceptum, & ei pie agit gratias, vt sit gratus & memor animus.

§. Samson per visum curat Theodoritum.

Hvic

HVIC vero Theodorito accidit, vt in alio quoque miraculo, quod circa dominum eius factum est, (quisnam autem is sit, iam ostensum est) inseruiret. Sed quomodo accidit? Cum Drungarius hic Leo aliquando equitaret, euenit, vt equus illius pedem muro allidens, eum feriret grauiter. Male autem se habebat pes, non breui aliquo tempore, sed multis diebus. Deinde cum sic affectus ostenderetur medicis, necessario hortabantur ad sectionem & chirurgicam operationem. Atque erat quidem dies quartus, quo medicis visum fuerat sic facere. Et Nicolaus (erat autem is quoque vnus ex iis, qui seruiebant Drungario, & eius domum complebat) statuerat ipse afferre sectionem. Illa vero nocte apparent Theodorito viri tres, domum Drungarii ingredientes, habitu & amictu Romani. Quibus factus obuiam, Quonam itis? rogauit. Illi autem voce & adspectu placido. Ad dominum tuum, inquiunt, accedimus. Ad hæc autem Theodorito venit in mentem, vt diceret: Sed vos, ô Domini, latet quanto in præsentia dolore laboret Drungarius, & quod sint hodie medici illius pedi sectionem adhibituri? Illi autem, Nequaquam inquiunt: sed hoc tibi minime est admittendum. Nos enim ad ipsum veniemus in Parasceue, & ipsum visitabimus. Mane ergo medicos iam volentes manum admouere operi, & pedi inferri sectionem, prohibuit Theodoritus statim recordatus visionis, & eis narrans, quemadmodum ea se habuisset. Quam cum ipsi intellexissent, & visionem non esse despiciendam pie iudicauissent, se sustinuerunt. Cum vero iam adesset Parasceue, (O tua Christe magnalia, Quam admirabilis es Deus in sanctis tuis?) pes erat qualis antequam læderetur, purus, & totus sanissimus, non modo sectione, sed nec vlla alia indigens curatione. XIV.

Pes Drungarii sanatur per miraculum.

NON hanc solum insignis hic Leo, sed aliam quoque à magno Samsone est consecutus miraculi effectionem. Morbo enim grauissimo laborans, & aliis corporis partibus vtebatur impotentibus, genibus autem propemodum inutilibus, & quæ suo officio minime fungi poterant. In loco enim plano & æquali vtcunque fortassis ingredi poterat: scalas autem ascendere, aut per locum accliuem incedere, erat is conatus ei vnus ex laboribus Herculis. Ex medicis vero omnibus, & qui alioqui opem ferre pollicebantur, nihil præter promissa est assecutus. Deinde cum ei in mentem venisset sanctus, agitat animo aliquid magis pium, & magis verum ad iuuandum. Aliis omnibus despectis, tanquam inutilibus, accedit ad illius sepulchrum. Ad quod cum venisset, non vtitur quidem aliquibus negociosis vacationibus, neque multos alioqui dies illic assidet, sed sola tunc precatione & vnctione vnguenti, quod illinc scaturit, vtitur in genibus suis laborantibus. Quod cum factum esset, statim quidem exuit morbi pedicas; confirmat autem pedes robore intentissimo. Deinde & sano toto corpore, & læto animo domum reuertitur. Verum enimuero cum vellet ostendere, non in ignauum hominem, & beneficii accepti immemorem, id fuisse collatum, sed in virum gratum & pium, quoniam diuini huius Samsonis domus tunc laborabat, & in genua lababat, quod attinebat ad pecunias & sumptus opportunos, petit à bono Iohanne, (ille enim tunc obtinebat Imperium) vt cura huius domus sibi demandaretur. Atque ille quidem dedit. Sciebat enim quanta esset viri industria & diligentia. Ipse autem cum accepisset, non remittebat, sed omnem rudentem apte mouebat, & manibus, vt dicitur, & pedibus contendebat, & omne ad id studium adhibebat, donec eam restituit, & quantum in se fuit, effecit, vt satis bene se haberet. XV.

Nota miraculum ex oleo ad sepulchrum sancti scaturiente.

NEC hoc quoque par est prætermittere, quod eundem habet, qui passus est, & eundem, qui curauit. Nam qui passus quidem est, fuit insignis Leo: Samson autem diuinus, qui curauit, νέλω est vnus morbus ex iis, qui corrumpunt oculos hominum. Qui cum in illius canthum incubuisset, eum valde premebat. Eum cum aliquis execuisset medicus, lædebat potius, quam iuuabat: & in hoc solo se non gessit improbe, quod non sua sponte damnum attulit. Fit enim sectio maxima, & valde periculosa, quam ipsam quoque diuinus curat Samson, dum illius vnguento vngitur frequentius, quodam admodum paruo relicto foramine, idque dedita opera, & propter vtilitatem. Nam per ipsum humor quidam faciles effluens, & oculo & capiti multum profuit. XVI.

Aliud miraculum per olei vnctionem.

ADIICIATVR aliis magni Samsonis miraculis miraculum quoque Genesii. Nam cum eo, quod affert terrorem, habet etiam in se iucunditatem, & est auditu dignissimum. Hic ergo Genesius erat quidem vnus ex clero: fuit autem multos annos minister Xenodochii non minus enim, quam triginta annorum fuit eius ministerium. Erat autem in eo admodum socors & negligens. Vna itaque nocte accedens sanctus, multas ei plagas inflixit. Cur non, dicens, ea præbes, quibus egent ii, qui laborant? Et cur negligenter versaris in hoc tuo ministerio? Hæc autem non in somnis, neque ad nudam solum visionem facta sunt, sed ea res ipsa ostendit. Mane enim mutum quidem erat os Genesio, nigrores autem & liuores manifesti in corpore, qui non minus, quam lingua id, quod factum fuerat, significabant. Cum itaque quidnam sibi accidisset, rogatus explicare non posset, ei datur charta, & in ea scribit, quomodo se habuissent ea, quæ facta fuerant. Tres interim dies præterierunt, & ille quidem adhuc erat elinguis. Cum hæc autem iam audiisset Drungarius, non amplius contineri poterat, sed ad sacram domum statim accedit, cupiens quidem per interrogationem & responsionem audire apertius, ea quæ facta fuerant: sed modum non inueniens propter vincula, quibus adhuc erat adstricta lingua eius, qui passus fuerat, rem committit precibus: Sancte Dei, dicens, si scis quanta mea sit in te fides, & quam fuerim in tuo ministerio diligens, concede, vt Genesius ipsa lingua ea, quæ passus est, enunciet. Cum ille sic esset precatus, non fuit fraudatus sua petitione: sed ab ipso rogatus Genesius, primum quidem balbutiebat, exiliterque & intercise loquebatur, & ea dicebat, quæ minus intelligi poterant. Lingua autem ei paulatim relaxata, omnia explicat, adiiciens etiam de domo magni Samsonis: propter illam enim magis succensebat, quæ, viuente quidem sancto, & in vita adhuc superstite, male se habebat, & nullius erat precii: cum autem è vita migrasset, & manifesta iam esset eius sanctitas, oportebat eam omnino honorari, & tanquam domum illius reputari. Quod quidem factum est pie & religiose: mutata enim est in templum & assecuta est eam, quam par est, venerationem. XVII.

Genesium S. Samson verberat.

Genesio vox reformatur.

SED neque quod in Eustratium factum est miraculum, qui est in Prothospathariorum quidem relatus numerum, (est autem adhuc viuus & superstes) paruum est & vulgare, & indignum commemoratu. Nam ei quidem valde dolebat alter ex oculis. Cum ei autem esset amicus & familiaris Leo Protospatharius, quem prius diximus ministrasse Drungario, cui etiam fuerat ab illo commissa cura Xenodochii, & vidisset eum affici tanto dolore oculi: Si feceris, inquit, ô amice Eustrati, id quod ego tibi suggessero, nihil habebis, quod prohibeat, quo minus sanum habeas oculum. Cum vero rogasset Eustratius, dicens: Quidnam est, quod sum facturus? Oleo, inquit, opus habet Xenodochium: & si præbueris id, quod est opus, conualesces citra vllam dubitationem: & si velis, id ego mandabo literis, quod tibi polliceor. Sic ait, & verba non in hoc solum constiterunt, sed etiam ad opus processerunt. Magni enim Samsonis virtute fretus, & iis, quæ ab eo vidit fieri, miraculis, Eustratio fidem facit per scripturam, quæ sic habebat: Ego Leo fretus virtute sancti Samsonis, & fide, qua sum in eum confirmatus, spondeo ac fideiubeo tibi Eustratio, quod præbenti tibi ad vsum eius domus oleum, præbebit quoque magnus Samson à Deo misericordiam, neque tibi amplius dolebit oculus. Atque sanctus quidem præuenit illius donationem, illæsumque & omnis doloris expertem oculum habuit Eustratius. Ille autem simul, vt vulgo dicitur, & misericordiam est assecutus, & illi mortua est gratia. Contempsit enim ea, quæ erat pollicitus, postquam ea, quæ voluit, est consecutus, indigne admodum & periculose, & sanctæ domui, ne minimum quidem præbuit oleum. Sed cum magnus illi noctu apparuisset, (oportet autem vti eius verbis) Me, inquit, habes ludibrio? Efficit vera hæc visio, vt ad se redeat Eustratius, & eum replet timore. Nam cum diluculo totum oleum misisset ad Leonem: Iam, inquit, exsolui tibi debitum, tu autem placa mihi sanctum. Neque enim possum ferre eius minas. XVIII.

Nota scripturam hanc.

Ingratum per visum terret S. Samson.

XIX. QVOD autem in protospatharium Bardam factum est, fidem propè superat, qui erat quidem frater Ioannis Patritij, qui ducebat genus ex Macedonia. Ei verò magna intercedebat familiaritas cum Romano Imperatore, benigno & clemente, quem sciunt omnes fuisse filium Constantini: qui (vt omnia semel dicam) fuit Imperator egregius. Huic ergo Bardæ morbus incumbit in latus, isq; longè grauissimus: eum morbum medici vocant carbonem: qui totum ferè latus comprehendebat, & quinq; habebat foramina: laboranti verò afferebat dolores intolerabiles. Etenim ne eousq; quidem mali constitit acerbitas, sed etiam vsq; ad mammillam ex latere dimanauit, aut etiam propagatum est quoddam aliud tuber acerbissimum, quod eam maximè tumefecit: & ità creuit moribus, & adeò inualuit, vt videretur etiam medicis superare curationem, & efficere, vt omnem spem vitæ abijcerent. Cùm autem & sancti appropinquaret memoria, medici omnes, & qui sic vocabantur chartularij, & quicunq; die sequenti erant, vt mos est eis, venturi in templum præclari martyris Mocij, & solitas peracturi precationes, vesperè eo relicto, planè animum despondente, & omni bona spe vacuo, recesserunt. Is autem manè quendam accersit ex carthularijs: Is verò erat Michaël ostiarius, qui hæc mihi narrauit. Xenodochio verò tunc præerat Bardas, qui hoc morbo laborabat. Cùm ergo ad eum venisset is ostiarius, videns eum stantem rectum, & mundis indutum vestibus & sanum, impletur quidem admiratione. Putans autem eum desipere, & esse emotæ mentis: Hei mihi, inquit, quid tibi accidit? Sed tu, respondit Bardas, mittens Deo, vt par est, offerre gloriam, fles potiùs & vociferaris, perindè ac si lugeres? Michaël autem eo, quod præter spem acciderat, spectaculo magis obstupefactus, diligenter eum interrogabat, & sitiebat discere, quod factum fuerat. Ille verò clara & elata voce statim cepit dicere. Res enim eiusmodi est nimia exultatio.

Repetè curatur per S. Samsonem Bardas.

XX. POSTQVAM, inquit, me ita affectum relinquentes, domo recessistis, ego à morbi doloribus agitatus, & quod nulla relicta esset spes vitæ, victus ægritudine, & maximè quod non mihi liceret cum aliis venire ad sancti sepulcrum & cum eis celebrare memoriam, totam quidem noctem transegi in somnis. Sic autem iacens, video quendam senem egressum è templo domûs meæ. Videbatur verò esse monachus. Is cùm accessisset in medium huius domûs, & ad me adspexisset: Tibi dico, inquit, surge. Cùm ego autem essem locutus, dicens: Quomodo hoc dicis? neq; enim possum: Ille bis & ter eadem repetijt. Tandem autem: Ego tibi dico, inquit, surge, & ad sancti Samsonis sepulcrum vade quamprimùm. Cùm sic dixisset, ego statim me parùm è lecto extuli, & illum vidi rursus reuersum in templum, ex quo mihi visus fuerat esse egressus, & tandem omnino sublatum ab oculis. Tunc vero totus exurrexi, & visus sum liberatus esse ab omni dolore. Tunc mammillæ tumorem ambabus adstringens manibus, sensi spiritum, qui retro emittebatur è latere. Deindè coniugem hilariter allocutus: Mihi videor, inquit, nihil mali sentire: sed tu sensim solue vincula plagæ impositæ. Ea autem sic fecit, & fuit interim magna affecta molestia: Et, Hei mihi, dixit, Quis est hic Amanites, qui plagæ est impositus? Id vero erat caro putrefacta, & reiecta, quæ vnà cum pannis euulsa fuerat. Sic ego sanatus, & præter spem & opinionem pristinæ restitutus valetudini, non me possum ampliùs continere: sed parens eius, qui me curauerat, præcepto, eo ad eius sepulcrum, cum aliis festum celebraturus. Cùm sic dixisset, statim quoq; sic fecit, & ad sanctum abijt plenus gaudio & lætitia. Iis autem, qui ei fiebant obuiàm, res videbatur incredibilis, & vel de suis dubitabant oculis.

Visio Bardæ

XXI. CONIVNGATVR præcedentibus Georgij quoq; miraculum: non est enim leue, nec vulgare, neq; dignum quod contemnatur. Is erat quidem minister monachi cuiusdam & sacerdotis, nomine Ephedim. Cùm autem hydrope laboraret, & in sacra magni Samsonis æde esset repositus, omnia quidem repulit, quæ ei à medicis priùs erant ad medelam adhibita, vt à quibus omnibus nihil opis sensisset. Deindè cùm ægrè ferret, quod tamdiù illic decumberet, sacra illa æde relicta, abit in domini domunculam. Non cessat autem dominus eum monere & hortari, vt reuertatur, & in sancti domo adhuc maneat. Cùm vero non persuaderet; (à verbis enim abstinebat asperioribus propter morbi grauitatem.) At oratorium, inquit, saltem ingredere, adoraturus ipsam sancti imaginem. Deindè cùm oleum acceperis, & te vnxeris, in tuo lecto recumbe. Ille autem fecit, quod iussus fuerat. Postquam vero fuit dies, iubebatur quidem à domino adhuc facere similia. Ille autem: Sed ego, inquit, conualui, & sancti virtute sum puram assecutus sanitatem. Hac enim nocte mihi apparens in somnis sanctus, & meum ventrem tetigit, & dixit mihi: Abi, cùm sis sanus: nihil enim mali te vexat amplius. Hæc ad fidem faciendam domino non suffecerunt, sed eius fecit periculum, & diligenter est scrutatus vultum, & ventrem, & pedes, & reliqua membra. Cum vero nullas morbi vidisset reliquias, nec vestigia, Deum laudauit, & sancto egit gratias, cum videret famulum habuisse medicum non mercede conductum, nec fallacem, eumq; pristinam recuperâsse valetudinem.

Nota vim olei, de sancti sepulcro scaturientis

XXII. PORRO autem Irene quoq; erat morbus similis. Erat enim hydrops: isq; morbus grauissimus: qui etiam elegantem, & magis admirabilem adeptus est curationem. Atq; erat quidem Irene maritus vnus ex ijs, qui ædi sacræ ministrabant. Propter quem cum decubuisset, à medicis quidem desperarat se posse consequi salutem. Sanctus autem noctu apparens cum quibusdam aliis duobus, cum quibus vtplurimum solebat apparere, (eos vero esse dicunt diuinos illos, qui sine vlla medentur pecunia Cosmam & Damianum) eam primum rogauit sanctus, quidnam mali pateretur. Illa autem videbatur ostendere: sanctus vero vnum eorum alloqui, & dicere: Oportet eius femori adhibere sectionem. Et ille quidem sic fecit. Ea autem, vt quæ dolorem quendam senserat, è somno est excitata: nihil vero cognouit ex ijs, quæ passa est. Cum autem esset dies, ad eam accedens famula, cum vidisset aquam sub lecto fusam, vt est verisimile, arbitrata eam esse vrinam, quod turpiter & indecorè se gereret, exprobrauit, & quod neq; surrexisset, neque vllam vocasset ex ancillis, sed inquinasset & vestes & stragula. Illa autem negabat, dicens, se nihil tale fecisse. Deindè remota tunica, cum visa esset sectio, & humor effluens, cognitus quidem fuit medicus: ipsa vero sana extitit, & domum pulchrè est reuersa.

Cosmas & Damianus medici.

XXIII. SATIS est, his exhibitum esse gustum illius magni gratiæ. Quid enim (vt est in Tragœdia) numerare oportet innumerabilia? Hæc enim nunquam cessant fieri, sed similiter se habent atq; fluenta fluuiorum: & alioqui vnum sufficit pro omnibus: diuinitus, inquam, fluens fluentum, quod ex sepulcro quidem procedit, & ex eo oritur, & scaturit. Procedit autem non semper, sed paucis quidem diebus ante festum miraculi, veluti quidam humor apparet, deindè paulatim augetur, & remanet post festum sic scaturiens, donec aliquot dies præterierint: deindè cessat. Sicq; vt opinor, est in maiori honore & admiratione, quàm si perpetuo flueret. Nam si conseruare certum, & nunquam aberrans tempus fluctûs & defectûs, præter id, quod est gratius & admirabilius, est etiam magis venerabile. Quod enim est perpetuum, affert fortasse etiam satietatem. Satietas autem inducit contemptionem.

Nota de liquore ex eius sepulcro manante.

XXIV. HOC est, quod tibi à nobis offertur donum, maxime pater Samson, nescio quidem, an ex tui animi sententia, sed certè pro nostris viribus. Quod quidem benignè & placidè accipias, qui es benignissimus: morborumq; nostrorum, atq; ideo animæ potius, quàm corporis, bonus sis medicus, dux & custos totius nostræ vitæ, Christum reddens mihi propitium. Quem ipse quidem insigniter dilexisti, ego autem peccatorum multitudine, hei mihi, plusquam dici possit, prouocaui ad iram: Quem decet omnis gloria, honor & adoratio

nunc & semper, & in sæcula sæculorum,

Amen.

AN. 280. *MARTYRIVM S. ZOYLI CORDVBENSIS, VT HABETVR IN LVCII MARINEI SICVLI, DE REBVS HISPANIÆ LIBRO QVINTO.*

IVNII 27. Parentes & patria S. Zoyli martyris.

BEATISSIMVS martyr Zoylus, parentibus clarissimis Cordubensibus progenitus, ab infantia Christianus, cùm esset adolescens, & publicè Christum confiteretur, subitò à paganis arreptus, ad prætorium cuiusdam iudicis præsentatus est: atq; ab ipso vt ad culturam dæmonum rediret, diù est exhortatus. Qui dum multa dierum spatia, tam sermonibus quàm muneribus admonitus esset, in cœmeterio præfatæ ciuitatis, cum peregrinorum corporibus est sepultus, ne aliquando à Christianis cognosceretur, & digna veneratione coleretur. Sed cùm Christo donante pax Ecclesiæ dedita esset temporibus Regis Sisebuti, quidam vir nobilis de Gothorum propagine clarus, Agapitus nomine, ex laico vitam appetens monachi, sic ad summum sacerdotium electus est. Et quoniam pro amore Christi sæculum dimiserat, non distulit illum fraudare bonis suis. Cùm corpus suum ieiuniis maceratum in stramine reclinaret, per quietem noctis ostensum est ei, quo loco corpus prædicti martyris iaceret: & quo nomine vocaretur, & pro cuius amore capite plexus esset. Qui manè facto, congregatis fratribus & vulgi multitudine, quæ viderat indicauit, atq; cum omnibus Christianis ad ostensum sibi locum sine mora perrexit. Ad quem perueniens, rastrum manu arripiens effodere cœpit, quousq; ad corpus beatissimi martyris, sicut à paganis fuerat absconditum, Deo iuuante peruenit. Quo quidem inuento, gaudio magno repleti sunt omnes. Præfatus deniq; Episcopus, præ amoris magnitudine, cùm corpus beati Zoyli demulceret osculis, atq; indignum se iudicans, vt manibus suis tanti viri tangeret reliquias, subitò, osculando crebrius, caruit primorum dentium adiutorio. Quos ab oris officio, vt minutos esse conspexit, in sarcophago, vbi viri corpus humatum fuerat, proiecit. Peracto inuentionis obsequio, sequenti nocte per visum S. Zoylus ita affatus est ei: Cur me sæpiùs osculando verberâsti? iam pro eis quæ à me poposceras intercedens à Domino Iesu Christo impetrâsti, & nunc certus esto, quia dimissa tibi sunt peccata.

Sepultura eius inter peregrinos.

Corporis eius inuētio.

Deuotio priscorum erga sãctas reliquias.

AN. 190. *MARTYRIVM SANCTORVM PLVTARCHI, SERENI, HERACLIDIS, HERONIS, ITEM ALTERIVS SERENI, POTAMIOENÆ &c. ex Historia Ecclesiastica Eusebij Cæsareens. Libro sexto, capite quarto, interprete Iohanne Christophorsono Angliæ Episcopo.*

IVNII 28. vt habent Martyrologia: quanquam non omnes vno die passi sunt.

RIGENES cùm vitæ ex sapientiæ præceptis diuinitùs institutæ exempla his, qui ad ipsum obseruandum oculos adijciebant, proposuisset, meritò quidem complures ex discipulis ad simile vitæ genus libenter amplexandum prouocauit: vt iam etiam ex infidelium numero viri non plebeij, sed præstantes cùm in omni genere literarum, tum in philosophia vel maximè, ad eius disciplinam cupidè raperentur. Qui quidem cùm eius sedulitate fidem & certam in verbo Dei persuasionem interiore mentis suæ recessu ingenuè syncereq; hausissent, in illo persecutionis tempore præclarè se admodùm & constanter gesserunt: vnde nonnulli eorum capti, beato martyrio finem viuendi gloriosè fecerunt. Ex quorum numero primus erat Plutarchus, quo ad mortem abducto, parùm aberat, quin iste, de quo sermo instituitur, Origenes, dum illi in extremo iam vitæ suæ exitu adesset, à Plutarchi ciuibus (quippe qui causam mortis Plutarchi in eum transferebant) iam denuò interfectus fuisset. Cæterùm perspicax Dei prouidentia illum etiam eo tempore è periculo eripuit. Post Plutarchum secundus ex Origenis discipulis martyr fuit Serenus: cuius in Christum fides, quam animo imbiberat, ignis incendio satis explotatè probata fuit. Heraclides, tertius martyr & quartus Heron, ex eadem schola profecti, quorum vterq;, prior, dum adhuc catechumenus erat, posterior autem nuperiam baptizatus, securi percussus fuit. Præterea ex eodem ludo alius à primo Serenus, quintus athleta, pro pietatis defensione, quam susceperat, pleno ore laudatur: cui post ingentem tormentorum perpessionem, fama est, caput ceruicibus abscissum esse.

I.

Plutarchus.

Serenus.

Heraclides.

Heron.

Serenus alter.

EX mulierum numero, quæ erant eius disciplina institutæ, Rhais adhuc catechumena baptismum, vt ipse Origenes quodam in loco ait, perignem consecuta, excessit è vita. Septimus inter istos numeratur Basilides, qui Potamicenam, multorum commendatione insignem, ad supplicium deduxit, de qua frequens & celebris sermo apud ciues suos iam habetur: vtpotè quæ cùm infinitas propè pugnas pro corporis pudicitia & virginitate, qua præ cæteris excellebat, contra insanos amatorũ suorũ impetus. (In ea n. præter animi virtutes, eximia præterea & integra corporis pulchritudo cum mira venustate elucebat) constanter sustinuit: tum multiplices & graues ærumnas pro fide in Christum exhauriens, ad extremum post tormenta acerba dictuq; horrenda, vnà cum matre Marcella ignis incendiis absumpta, mortem oppetijt. Ferunt quidem Aquilam (hoc enim Iudicis nomen fuit) postquam graues vniuersos illius corpori plagas inflixisset, tandem ad corporis ignominiam & contumeliam libidinosissimis gladiatoribus illam se traditurum interminatum: illam autem paulisper intra se meditatam, cùm rogaretur, quid sentiret, eiusmodi responsum dedisse, vnde vita est illis aliquid impietatis (sic enim putabatur) manifestò elocuta. Atq; eueſtigiò, post definitiuam de ea latam sententiam, Basilides vnus ex satellitibus, eam acceptam ad locum supplicij deduxit. Simulatq; autem multitudo ei molestiam facessere, & verborum petulantia insectari conabatur, hic eos, qui contumeliam ei faciebant, repulsos coërcuit, & maximam clementiam summamq; humanitatem in eam declarauit. Illa verò hominem pro illius erga se commiseratione vehementer amplexata, bono animo esse hortatur. nam ait se, simulac abiret è vita, à Dño suo veniam & gratiam pro eo efflagitaturam, & non diù pòst eius in se merita iusta remuneratione compensaturam. Hæc cùm dixisset, pice feruenti per varia & diuersa corporis membra ab imis pedibus vsq; ad capitis verticem sensim ac pedetentim diffusa, generoso & excelso animo migrauit è vita. Tale certamen ab hac percelebri & glorioſa virgine confectum fuit.

II.

Rhais fœmina.

Basilides.

Potamicena.

Marcella.

NON longo temporis interuallo interposito, Basilides, cùm satellites socij sui certa de causa iusiurandum ab ipso exigerent, asseueranter affirmat, omninò sibi non licere iurare: Christianum enim se esse, & hoc se propalàm fateri. At illi primò eum etiamnum iocari putabant. Verùm vbi illud constanter asserit, abducitur ad Iudicem, & coram illo intentionem confessus, in vincula conijcitur. Cùm fratres in Domino ad eum aduentarent, causamq; repentinæ & admirabilis huius mutationis scisciterentur, fertur respondisse: Potamicenam triduo post martyrium noctu ei assistentem coronam ipsius capiti imposuisse, dixisseq; se pro eo gratiam à Domino postulâsse, postulatam obtinuisse: & Dominum non longo tempore pòst, eum ad suam gloriam recepturum. Post illa, vbi fratres sigillum in Domino ei impertiuerant, postero die securi percussus, præclara martyrij corona donatus est. Alij item complures Alexandriæ eisdem temporibus, vtpotè quibus Potamicena secundùm quietem apparuisset, eosq; fuisset impensè ad Dei verbum amplexandum cohortata, frequentes ad fidem Christi accessisse commemorantur.

III.

Clementia, Basilidis in Potamicenam.

Sancti in cælis orant pro nobis.

Basilidis martyrium.

MARTY-

MARTYRIVM S. ARGIMIRI MONACHI ET MARTYRIS

AN.856.

EX D. EVLOGII LIB. III. MEMORIALIS Sanctorum cap. 16.

ARGIMIRVS quidam Confessor vir nobilis & ętate iam plenus ex oppido Egabrensi cognationem ducebat, & quodam tempore Cordubæ patritiæ Censor à rege præfectus extiterat, cum semotus ab administratione iudicij, otium cœnobij incoleret quietus, quorundam ethnicorum dolo vel odio circumuentus, accusatur coram iudice de subsanio vatis sui, & exprobratur de professione diuinitatis filij Dei, quodq; isto omnipotentiorem nullum alium fateatur, & illum vanitatis auctorem, ducemq; asserat perditorum. Continuo Dei seruus sub grandi & ferocissimo iudicis motu coniectus ergastulis, arctius coarctatur. Quem coram se post aliquos dies iubens adsistere, dum suis adhortationibus & lenociniis quodam verborum profano ritui mancipare studet, nec prævalet: pertinacem in sancto proposito militem Christi equuleo viuentem imposuit, ensęq; transfossum peremit IV. Calendas Iulias, Era DCCCXCIV. Cuius corpus cum post multos dies ex præcepto iudicis de patibulo deponeretur, cuiusdam religiosi solertia sancti Aciscli basilicæ deportatur, ac digno sacerdotum ministerio prope tumulum prædicti Martyris, & sancti Perfecti humatum est.

28. IVNII.

Est annus Domini DCCCLVI

VITA SANCTORVM APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI, PER EGESIPPVM SCRIPTA LIB. III. DE EXCIDIO Hierosolymitano, cap. 2.

AN.34.

I. ERANT Neronis temporibus Romæ Petrus & Paulus doctores Christianorum, sublimes operibus, clari magisterio: qui virtute suorum operum Imperatorem aduersum fecerant, captum magi Simonis delimentis, qui sibi animum eius conciliauerat. Cui adiumentum victoriæ, subiectiones gentium, vitæ longæuitatem, salutis custodiam feralibus artibus pollicebatur, atq; ille credebat, qui vim rerum nesciret examinare. Deniq; summum apud eum tenebat amicitiæ locum: quandoquidem etiam præsulem suæ salutis, vitæq; custodem arbitrabatur. Sed vbi Petrus eius vanitates & flagitia detexit, & species illum rerum mentiri, non solidum aliquid aut verum efficere demonstrauit, ludibrio habitus, & digno est consumptus mœrore. Et quamuis in aliis terrarum partibus Petri esset expertus potentiam, tamen præueniens Romam, ausus est iactare, quòd mortuos resuscitaret.

29. IVNII. Petrus & Paulus doc. Romæ. Simon Magus.

II. DEFVNCTVS erat id temporis Romæ adolescens nobilis, propinquus Cæsaris, cum vniuersorum dolore. Admonuere pleriq; experiendum, vtrùm posset resuscitari. Celeberrimus in his operibus habebatur Petrus: sed apud gentiles nulla facti huiusmodi deferebatur fides. Dolor exegit remedium: perrectum est ad Petrum. Fuere qui etiam Simonem accersendum putarent: vterq; affuerunt. Ait Petrus Simoni: qui se de sua iactaret potentia, priores sese partes dare: vt si posset, mortuum resuscitaret. Si ille non resuscitaret, se non defuturum, vt Christus opem ferret defuncto, quo posset resurgere. Simon, qui putaret apud vrbem gentilium plurimùm suas valituras artes, conditionem proposuit, vt si ipse resuscitâsset mortuum, Petrus occideretur, qui magnæ potentiæ (sic enim appellabatur) lacessendo iniurias irrogauisset: sin verò prævaluisset Petrus, in Simonem pari genere vindicaretur. Acquieuit Petrus, adorsus est Simon: Accessit ad lectulum defuncti, incantare atq; immurmurare dira carmina vt cœpit, visus est caput agitare, qui mortuus erat. Clamor ingens gentilium, quòd iam viueret, quòd loqueretur cum Simone. Ira & indignatio in Petrum, quòd ausus esset conferre sese tantæ potestati. Sanctus Apostolus poposcit silentium, & dixit: Si viuit defunctus, loquatur: si resuscitatus est, surgat, ambulet, fabuletur. Phantasma illud esse, non veritatem, quòd videatur caput mouisse. Deniq; separetur, inquit, Simon à lectulo, & tunc ne id quidem ostentui futurum. Abducitur Simon à lectulo, manet sine specie motûs alicuius, qui mortuus erat. Adstitit Petrus longiùs, & intra se paulisper orationi intentus, cum magna voce ait: Adolescens, surge: sanet te Dominus Iesus. Et statim surrexit adolescens, & locutus est, ambulauit, & cibum sumpsit: & dedit eum Petrus matri suæ. Qui cùm rogaretur, vt ab eo non discederet, ait: Non derelinquetur ab eo, qui eum fecit resurgere, cuius nos serui sumus. Secura esto mater de filio, non verearis: habet custodem suum. Et cùm populus in Simonem insurgeret, vt lapidaretur, ait Petrus: Satis est ad pœnam eius, quòd cognoscit suas artes nihil valere: viuat, & Christi regnum crescere videat vel inuitus.

Simoni Mago quãtum tributum Romæ.

S Petrus excitat mortuum.

III. TORQVEBATVR Magus Apostoli gloria: collegit sese, atq; omnem excitans carminum suorum potentiam, congregat populum, offensumq; se dicit à Galilæis: relicturum se vrbem, quam tueri soleret. Diem statuit, pollicetur volatum, quo supernis sedibus veheretur: cui quando vellet, cœlum pateret. Conscendit statuto die montem Capitolinum, ac se de rupe deijciens, volare cœpit: Mirari populus, & venerari pleriq;, dicentes Dei esse potentiam, non hominis, qui cum corpore volitaret: nihil tale fecisse Christum. Tunc Petrus in medio stans, ait: Iesu Domine, ostende ei vanas artes suas esse, ne hac specie populus iste, qui crediturus est, decipiatur. Decidat Domine, sic tamen, vt nihil se potuisse viuens recognoscat. Et statim in voce Petri implicatis remigiis alarum, quas sumpserat, corruit: nec exanimatus est, sed fracto debilitatoq; crure, Aritiam concessit, atq; ibi mortuus est.

Simon Magus dũ vult volare, corruit, deinde moritur.

IV. QVO comperto, deceptum se Nero & destitutum, dolens tanti casum amici, sublatumq; sibi virum vtilem & necessarium Reipublicæ, indignatus, quærere cœpit causas, quibus Petrum occideret. Et iam tempus aderat, quo sancti vocarentur Apostoli Petrus & Paulus. Deniq; dato vt comprehenderetur præcepto, rogabatur Petrus, vt sese aliò conferret. Resistebat ille, dicens, nequaquam se facturum, vt tanquam metu mortis territus cederet: bonum esse pro Christo pati: qui pro omnibus se morti obtulisset: non mortem illam, sed immortalitatem futuram: tãquam indignum, vt ipse fugeret passionem sui corporis, qui multos doctrina sua compulerit se hostias pro Christo offerre, deberi sibi secundùm Domini vocem, vt & ipse in passione sua Christo gloriam atq; honorem daret. Hæc & alia Petrus obtexere, sed plebs lachrymans quærens, ne se relinqueret, & fluctuantem inter procellas gentilium destitueret: victus fletibus Petrus, cessit: Promisit se vrbem egressurum. Proxima nocte salutatis fratribus & celebrata ratione, proficisci solus cœpit. Vbi ventum est ad portam, videt sibi Christum occurrere, & adorans eum dixit: Domine, quò vadis? Dicit ei Christus: Iterum venio crucifigi. Intellexit Petrus de sua dictum passione, quòd ea Christus passurus videretur, qui patitur in singulis, non vtiq; corporis dolore, sed quadam misericordiæ compassione, aut gloriæ celebritate. Et conuersus, in vrbem redijt, captusq; à persecutoribus cruci adiudicatus, poposcit vt inuersis vestigiis cruci affigeretur, quòd indignus esset, qui simili modo crucifigeretur, vt passus est Dei filius. Quo impetrato, vel quia ita debebatur, vt Christus prædixerat, vel quia persecutor non inuitus indulget pœnarum incrementa, & ipse Paulus, alter cruce, alter gladio necatus est.

Ioa. 21.

Vide Neronis nequitiam.

Bar. ann. 69. §. 7. verius existimat, Petrũ iam captum, cũ supplicij tẽpus instaret, cessisse.

In huius rei memoriam extat adhuc hodiè Romæ extra portã Appiam erectum sacellum, quod vulgò appellatur, Domine quò vadis?

ITEM VITA D. PETRI APOSTOLORVM PRINCIPIS, PER D. HIERONYMVM SCRIPTA, LIB. DE *Viris illustribus.*

S. Petrus primò Antiochenã rexit Ecclesiam. Deinde Romanam. Decimotertio Neronis anno Petrũ passum esse demonstrat Baron. anno 69. §. 1. & 2.

I. SIMON Petrus filius Iohannis, prouinciæ Galilææ, vico Bethsaida, frater Andreæ Apostoli, & princeps Apostolorum, post episcopatum Antiochensis Ecclesiæ & prædicationem dispersionis eorum, qui de circumcisione crediderant in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia & Bithynia, secundo Claudij anno, ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibiq; vigintiquinq; annis cathedram sacerdotalem tenuit, vsq; ad vltimum annum Neronis, id est, decimumquartum. A quo & affixus cruci, martyrio coronatus est, capite ad terram verso, & in sublime pedibus eleuatis: asserens se indignum, vt sic crucifigeretur, vt Dominus suus.

Ecclesia iã olim vtranque Epistolam tribuit Apostolo Petro.

II. SCRIPSIT duas epistolas, quæ catholicæ nominantur, quarum secunda à plerisq; eius esse negatur, propter styli cum priore dissonantiam. Sed & euangelium iuxta Marcum, qui auditor eius & interpres fuit, huius dicitur. Libri autem eius, è quibus vnus Actorum eius inscribitur, alius Euangelij, tertius Prædicationis, quartus Apocalypsis, quintus Iudicij, inter apocryphas scripturas reputantur. Sepultus Romæ in Vaticano, iuxta viam triumphalem, totius Vrbis veneratione celebratur.

VITA S. PAVLI APOSTOLI PER D. HIERONYMVM SCRIPTA, LIB. DE VIRIS ILLVSTRIBVS.

Paulũm, nõ Giscalæ, sed in Tarso Ciliciæ natum, docet Bar. ann 36. § 7. & 8.

I. PAVLVS Apostolus, qui antè Saulus, extra numerum duodecim Apostolorum, de tribu Beniamin & oppido Iudææ Giscalis fuit. Quo à Romanis capto, cum parentibus suis Tarsum Ciliciæ commigrauit, à quibus ob studia legis missus Hierosolymam, à Gamaliele viro doctiss. cuius Lucas meminit, eruditus est. Cùm autem interfuisset neci martyris Stephani, & acceptis à pontifice templi epistolis, ad persequendos eos, qui Christo crediderant Damascum pergeret, reuelatione compulsus ad fidem, quę in Actibus Apostolorum scribitur, in Vas electionis de persecutore translatus est. Cumque primùm ad prædicationem eius Sergius Paulus proconsul Cypri credidisset, ab eo, quòd eum Christi fidei subegerat, sortitus est nomen, Paulus: & iuncto sibi Barnaba, multis vrbibus peragratis, reuertensq; Hierosolymam, à Petro Iacoboq; & Iohanne gentium Apostolus ordinatus.

Act. 5. *Act.* 7. *& 9.* *Act.* 13.

Galat. 2.

II. ET quia in Actibus Apostolorum plenissimè de eius conuersatione scriptum est, hoc tantùm dicam, quòd post passionem Domini vegesimoquinto anno, id est, secundo Neronis, eo tempore, quo Festus procurator Iudææ successit Fælici, Romam vinctus mittitur, & biennium in libera manens custodia, aduersùs Iudæos de aduentu Christi quotidiè disputauit. Sciendum autem in prima satisfactione, necdum Neronis imperio roborato, nec in tanta erumpente scelera, quanta de eo narrant historiæ, Paulum à Nerone dimissum, vt euangelium Christi in Occidentis quoque partibus prædicaret: sicut ipse scribit in secunda epistola ad Timotheum, eo tempore, quo & passus est, de vinculis dictans epistolam: In prima mea satisfactione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non eis imputetur. Dominus autem mihi affuit, & confortauit me, vt per me prædicatio compleretur, & audirent omnes gentes: & liberatus sum de ore leonis. Manifestissimè leonem propter crudelitatem Neronem significans. Et in sequentibus: Liberatus sum de ore leonis. Et statim: Liberauit me Dominus ab omni opere malo, & saluauit me in regnum suum cæleste, quod scilicet præsens sibi sentiret imminere martyrium. Nam & in eadem epistola præmiserat: Ego enim iam immolor, & tempus resolutionis meæ instat.

Act. 24. 27. *& 28.*

2. Tim. 4.

Tertiodecimo iuxta Baron. anno 69. §. 1. & 2.

III. HIC ergo quartodecimo Neronis anno, eodem die, quo Petrus, Romæ pro Christo capite truncatus, sepultusque est in via Ostiensi, anno post passionem Domini trigesimoseptimo. Scripsit aũt nouem ad septem ecclesias epistolas: ad Romanos vnam, ad Corinthios duas, ad Galatas vnam, ad Ephesios vnam, ad Philippenses vnam, ad Colossenses vnam, ad Thessalonicenses duas: præterea ad discipulos suos, Timotheo duas, Tito vnam, Philemoni vnam. Epistola autem, quæ fertur ad Hebræos, non eius creditur, propter styli sermonisq; distantiam: sed vel Barnabæ, iuxta Tertullianum: vel Lucæ Euangelistæ iuxta quosdam: vel Clementis, Romanæ posteà Ecclesiæ Episcopi, quem aiunt ipsi adiunctum, sententias Pauli proprio ordinâsse & ornâsse sermone. Vel certè quia Paulus scribebat ad Hebræos, & propter inuidiam sui apud eos nominis, titulum in principio salutationis amputauerat: scripserat vt Hebræus Hebræis Hebraicè, id est, suo eloquio disertissimè, vt ea, quæ eloquẽter scripta fuerant in Hebræo, eloquẽtiùs verterentur in Græcum: & hanc causam esse, quod à cæteris Pauli epistolis, discrepare videatur. Legunt quidam & ad Laodicenses vnam, sed ab omnibus exploditur.

Ex Eusebij Cæsareens. Ecclesiast. Hist. lib. 2. cap. 23. interprete Iohanne Christophorsono.

Petrus & Paulus Romæ occisi.

NERO igitur, qui hoc pacto infestissimus Dei hostis primus prædicatus fuit, ad Apostolos etiam trucidandos incitabatur. Paulum proindè Romæ, eo regnante, securi percussum, & Petrum etiam suffixum cruci, historiarum monimentis proditum est. Quinetiam insignis ac testata Petri & Pauli inscriptio, quæ in cœmeteriis Romæ ad hoc vsq; tempus manet, huius rei gestæ fidem facit. Atq; hæc ita se habere, confirmat itidem vir Ecclesiasticus, Gaius nomine, qui Zephyrini Pontificis Romani temporibus vixit, inq; disputatione scriptis prodita, quam cum Proclo, Cataphrygum hæresis & opinionis patrono habuit, eadem ipsa de locis, vbi sacra Apostolorum, quos suprà citauimus, tabernacula locabantur, asserit: Ego, inquit, Apostolorum trophæa perspicuè possum ostendere. Nam si lubet in Vaticanum proficisci, aut in viam, quæ Ostiensis dicitur, te conferre, trophæa eorum, qui istam Ecclesiam suo sermone & virtute stabiliuerunt, inuenies.

PORRO Dionysius Corinthiorum Episcopus illos ambos martyrium eodem tempore pertulisse, sic ad Romanos scribens commemorat. Petrum & Paulum, qui Romanos & Corinthios primùm in Ecclesiam Christi inseruerunt, prudenti quadam admonitione impulsi, in vnum locum concluſistis. Nam ambo, cùm & nostram Corinthi, & vestram Romæ Ecclesiam fundâssent, & eiusdem doctrinæ præceptis, tum nostros animos, tum vestros imbuissent, eodem tempore pariter martyrium subiêrunt. Atq; ista hoc loco intexuimus, quô rei gestæ maior certiorq; adiungatur fides.

COMMEN-

COMMENTARIVS QVI TRACTAT SINGVLATIM CERTAMINA, LABORES ET PEREGRINATIONES, ET CONSVMMATIONEM *sanctorum & principum Apostolorum Petri & Pauli: ex Simeone Metaphraste.*

I. NON eos solùm, qui fuêre ab initio patres artium, admittimus, & eorum fauemus laboribus: sed etiam, si quid aliud posteà inuentum est à posteris, id fouemus & amplectimur. Quinetiam istos, ob id maximè laudamus, & eorum honorificam facimus mentionem, quod quæ sparsim & singulatim ab aliis inuenta sunt, ij coniungentes & concinnantes, in vnum corpus redegerunt, & ei formam dederunt, & artes posteris perfectas reliquerunt. Nos quoque eos sequentes, vt fidelium satisfaciamus desiderio, tanquam informem materiam, ea, quæ de summis Apostolorum Petro & Paulo, hic & illic decantantur, tractantes, eis formam tribuimus, corpusque articulis expressum efficimus. Quoniam ergo hoc est nobis institutum, & ad res tantas nostrum studium conferimus, incipiendum est dicere, vndenam primis Christi discipulorum fuerit ad vitam ingressus. 29. Iunii.

II. PETRVS ergo (vt illius primùm faciam mentionem, cuius primæ fidei commissa fuit cura Ecclesiæ) fuit quidem genere Hebræus: Palæstinæ autem regionem habitabat Galilæam. Patria verò ei fuit Bethsaida, quoddam paruum & vile oppidulum, eiusdem tribûs & patriæ, cuius ii, qui de Simeone gloriantur Patriarcha. Pater autem erat Ionas, non is, qui redditus fuit à ventre balenæ, sed qui ex monstro, quod cadit in intelligentiam, multos liberauit per filium. Fuit autem in diebus Hyrcani, cui aures vnà cum Regno ablatæ sunt à fratre. Non is verò solus natus est patri, sed cum eo quoque erat frater Andreas. Cùm autem accepisset Petrus filiam Aristobuli fratris Barnabæ Apostoli, ex ea genuit filium vnum, & vnam filiam. Et Andreas quidem, qui vitam à negocio remotam, & coniugis expertem agebat, fit Iohannis Præcursoris discipulus, qui Baptismum prædicabat ad pœnitentiam. A quo cùm audijsset illud, Ecce Agnus Dei, dum seruatorem Christum digito indicauit, relicto Baptista Iohanne, secutus est Iesum. Magnus autem ille Petrus, cùm esset acerrimus & diligentissimus, magis versabatur in ijs, quæ ad victum comparandum pertinent, vt qui & cum vxore habitabat, & senis patris prouideret senectuti. Cùm eum autem aliquando ociosum inuenisset Andreas, adduxit ad Christum. Ille verò eum admisit, & Petrum vocauit, eius mentis soliditatem per nomen significans. *Ioan. 21.* Patria Petri *Ion 2.* S. Andreas vxoris expers. *Ioan. 1.* *Ibidem.*

III. POSTQVAM autem fuit relatus in numerum discipulorum, apparet statim vir probus, & feruens spiritu. Quocirca regni cælestis claues ei creduntur: super mare perinde ac incorporeus, propriis pedibus ingreditur: Domini transfigurationis spectator efficitur: Patris vocem suis audit auribus: in eos qui peccant, docetur esse patiens: & vniuersi orbis terræ cura ei committitur. Sed hæc quidem, & his plura fusiùs tractans sacer liber Euangeliorum, ipsas quoque rerum causas nobis declarat. Quas quidem in præsentia non exposuimus, cùm oratio malit esse breuis, quàm nimis fusa. *Matth. 16.* *Matth. 14.* *16. 18.* *Ioan. 21.*

IV. CVM iam autem magnus Deus & Saluator noster Iesus Christus per voluntariam & salutarem suam passionem, aboleuisset diabolum, qui mortis tenebat imperium, & mortis vincula perfregisset, & tertio die resurrexisset, hic Petrus princeps Apostolorum, cùm esset magistri ditatus præsidentiâ, os efficitur reliquorum Apostolorum, vel, vt magis propriè dicam, magister. Et cùm deinde duodenarium quidem numerum Apostolorum in alterius locum substituto Matthia, suppleuisset: plurimas autem conciones Iudæis, qui in sancti Spiritûs effusione aderant, & propterea stupebant, quod aliis linguis Dei magnalia annunciarent, effudisset, & aliis orationibus eis tulisset testimonium, tria millia statim ad fidem in Christum euocauit. Et cùm eum, qui erat ab ortu claudus, in speciosa templi porta, vnà cum Iohanne Euangelista curâsset: & rursus eos, qui erant congregati, arguendo instituisset, & ad salutem inuitâsset: & verum Deum esse Dominum nostrum Iesum Christum ex Mose & Prophetis euidenter ostendisset, non solùm miraculi magnitudine, sed orationis quoque vehementia omnes obstupefecit, & ad fidem in Christum attraxit, & decies mille virorum Ecclesiam constituit Hierosolymis. Ananiam autem & Sapphiram eius vxorem, qui nouam quandam fecerant vsurpationem, sibi, inquam, tanquam propria vsurpantes, quæ Deo consecrauerant, graui reprehensione statim vita priuauit. Vmbraque eius non solùm varios morbos expulit ab hominibus, sed mortuos etiam excitauit. Liddæ paralyticum Æneam verbo curauit. Ioppæ pauperum amantem Dorcadem mortuam excitauit. Cæsareæ Centurionem Cornelium, qui erat gentilis, ad fidem in Christum euocauit cum tota familia, & Spiritu sancto impleuit per baptismum. Quinetiam fidei portam gentibus aperuit per eam, quæ illi apparuit, vasis linei visionem, in quo erant omnes bestiæ terræ, & vocem, quæ de cœlo vnà cum vase est delata, & eum est adhortata, vt surgens sacrificaret & comederet, nihil eorum esse commune existimans. Ab Herode autem, qui etiam dictus est Agrippa, duabus catenis vinctus, & in carcerem coniectus, cùm diligenter custodiretur à quatuor quaternionibus militum, à diuino Angelo liberatur à vinculis, & à carcere, ei portis sua sponte apertis. Propter Simonem autem sceleratum illum Magum, obit omnes ciuitates Cœlesyriæ, & præterea Pontum & Asiam, atq; etiam Galatiam. Et cùm in eis seminâsset verbum fidei, ad ipsam vsq; Romam peruenit. *Matth. 16.* *Act. 12.* *2.* *3.* *Ibidem.* *9.* *10.* *Ibidem.* *Actor. 12.*

V. VT eas autem cursim persequamur, hæ sunt: Cùm ab Hierusalem venisset Cæsaream Stratonis, & ex ijs, qui ipsum sequebantur, presbyteris Episcopum ei constituisset, venit Sidonem. Vbi cùm multos curâsset, & Episcopum constituisset, venit Berytum. In qua etiam cùm ex iis, qui sequebantur, vnum ordinâsset Episcopum venit Biblym. Deinde Tripolim: & apud Marsonem virum quendam prudentem diuersatur. Quem cùm fidelibus, qui erant Tripoli Phœniciæ, Episcopum constituisset, venit Orthosiam: Deinde * Antardum. Deinde in insulam, quæ dicitur Aradus. Deinde Balanæas: & illinc Panta. Deinde Laodiceam: in qua cùm multos, qui morbis laborabant, & vexabantur à dæmonibus, curâsset, Ecclesiamq; congregâsset, & Episcopum constituisset, venit Antiochiam Syriæ ciuitatem. Quo in loco Simon quidem magus eos, qui ad eum quærendum ab Imperatore missi fuerant, declinans, constituit fugere in ciuitates Iudææ. Petrus autem Domini Apostolus, cùm simulac esset ingressus, multasq; Antiochiæ fecisset curationes, & vnum Deum in tribus personis ijs, qui erant congregati, feliciter annunciâsset, & Episcopos ordinâsset, Marcianum quidem Syracusis in Sicilia, Pancratium autem Tauromenij, venit Tyanen Cappadociæ, & illinc Ancyram Galatiæ. In qua cùm precatione suscitasset mortuum, multosq; catechesi instituisset, & baptizasset, & Ecclesiam constituisset, & Episcopum ordinasset, venit Sinope Ponti ciuitatem. Deinde Amaseam, quæ est in mediterraneis Ponti. Deinde Gangram Paphlagonum. Deinde Claudiopolim Honoriadis. Deinde Nicomediam Bithyniæ. Deinde Niceam. Deinde cùm festinaret ascendere Hierosolyma propter Paschæ festum, reuertens venit Pisinuntem. Deinde per Cappadociam & Syriam, rursus venit Antiochiam. Et illinc profectus, venit Hierusalem. Non est dubium has prouincias à Petro visitatas, & Ecclesias institutas esse, sed auctor, quæ diuersis tẽporibus à Petro facta sunt, imprudenter in vnum tẽpus videtur reijcere. Erat verò, cum ad festum Paschæ Petrum Hierosolymam festinasse dicit, qui post festum Paschatis carcere liberatus est, & eodem anno Romam venit, non Ierusalem redijt. Vide Baron. anno 44. §. 10 & 11.

Hic accessus Pauli ad Petrum cõtigit, antequam Petrus Liddæ curarit Æneam. Vide Baron ann. 39 § 4. & seqq.

QVo in loco, cùm iam tertius annus præterijsset à vocatione magni Pauli, ab ipso Paulo visitur, sicut ille ipse VI. Gal. 1, dicit: Post tres annos ascendi Hierosolyma ad videndum Petrum, & mansi apud eum dies quindecim. In quibus cùm Canones & Ecclesiasticas constitutiones exposuissent, beatus quidem Paulus profectus est ad opus, ad quod vocatus fuerat. Magnus autem Petrus reuersus ad Antiochiam. Vbi cùm [a] Euodium constituisset Episcopum, venit Synadem Phrygiæ ciuitatem. Deinde Nicomediam. In qua cùm Prochorum ordinâsset Episcopum, venit Ilium ciuitatem Hellesponti. Quo in loco cùm Centurionem [b] Cornelium constituisset Episcopum, reuersus est Hierusalem. Visus est autem ei Dominus in visione, dicens: Surge Petre, vade ad Occidentem: opus enim habet, vt tuis illustretur facibus: & ego ero tecum. Simon autem paulo ante captus ab ijs, qui eum quærebant, vt priùs diximus, Romam ducitur, vt luat pœnas eorum, quæ perpetrauerat. In qua cùm fuisset, & arte sua magica multos mente mouisset & decepisset, non solùm non dedit pœnas, sed etiam à multis deus fuit existimatus. Romanos n. præcursor ille sathanæ sua Magia in tantam adduxit admirationem, quinetiam ipsum quoque Claudium: vt ei posita statua inter duos pontes in Tyberi inscriberent: Simoni [c] deo sancto. Et hæc quidem Iustinus & Irenæus fusius persequuntur. Nos autem pergamus cœptam persequi narrationem.

[a] Hunc nõ constituit Antiochiæ Episcopũ, nisi prius Romæ à se collocata sede Vide Baron anno 45. § 12. & seqq. [b] Cornelius hic, non Ilij, sed Cæsareæ in Palestina, à Petro constitutus est Episcopus. Vide Baron. anno 41. §. 9. & anno 44. §. 27. [c] Simonis Magi statua.

Quod hic dicitur Antiochiæ altercatum cum Petro Paulum esse, eumque Silam cum Paulo Corinthi inuenisse, faciunt, vt hæc acta non in omnibus probentur. Nam post jam sotium

CVM ergo quæ visa fuerant, magnus Petrus annunciâsset fratribus, & vale eis dixisset, rursus venit Antiochi- VII. Gal. 2. am visitans Ecclesias. Quo in loco cum magnum inuenisset Paulum, certo quodam consilio ab eo arguitur. Deinde cum Tarsi Vrbanum constituisset Episcopum, & Epaphroditum Andriacæ Lyciæ, & Phygellum Ephesi, quem aiunt à recta via diuertisse, & cum Simone sensisse, & Smyrnæ Apellem, qui erat frater Polycarpi, venit in Macedoniam. Cum Philippis autem Olympum Episcopum constituisset, & Thessalonicæ Iasonem, & Corinthi Silam, cum enim illic inuenisset apud magnum Paulum permanentem, & Patrîs Herodionem, nauigauit in Siciliam. Et cum venisset Tauromenium, diuersatur apud Pancratium virum sapientissimum. Quo in loco cum quendam Maximum catechesi instituisset, & baptizâsset, & Episcopum ordinasset, Romam appellit. In qua cum quotidiè synaxes celebraret, & vnum Deum patrem omnipotentem, & vnum Dominum Iesum Christum filium verum de Deo vero, & vnum Spiritum sanctum Dominum & viuificum in synagogis & domi doceret, attraxit multos ad fidem in Christum, & per sanctum baptisma liberauit ab errore idolorum: adeò vt breui tempore ad sanctum baptismum omnes ferè accurrerint, & Deo per Apostoli doctrinam crediderint.

reditum Petri Roma, & concilium Apostolorum Ierosolymis habitum, ea altercatio Petri & Pauli prius contigit, neque citius Paulus Silam habuit. Vide Baron. anno 44 §. 27. & anno 51 §. 31. & 56.

Quæ hic narrantur de Simone mago, referenda sunt ad secundum aduentum Petri Romam, quando & martyrium passus est.

HÆc videns Simon, non satis duxit tacere, & suam celare improbitatem: sed gloria & existimatione se su- VIII. peratum esse arbitratus, si sineret Apostolum totis viribus ijs, qui Romæ erant, veritatem annunciare, audacter simul & indoctè cœpit liberè loqui in media ciuitate, & imperitè aggressus est ei contradicere. Vbi [d] & vmbras quasdam eum sequi & præcedere: quas dicebat esse animas mortuorum, & mortuos suscitatos, & ei, tanquam deo, honorem tribuentes, claudosq; rectè ingredi & saltare ostendebat: seq; instar fabulosi illius Protei in varias formas mutans, ostendebat aliquando quidem duas habentem facies: deinde autem, paruo interiecto spatio, transformabatur in capram, & serpentem, & volucrem, & qualem par est eum videri, qui à ratione alienis seruit cupiditatibus: & igni sæpè assimilabatur: & simpliciores omnibus modis non cessabat decipere. Ille autem magnus Domini Apostolus, si solummodò cernebatur, omnes eius machinationes facillimè dissoluebat, & in nihilum resoluebat.

vide Baron. anno 44. § 54. [d] Præstigiæ Simonis Magi.

Magus volitans ruit in terram.

CVM multæ ergo (vt est consentaneum) inter eos fuissent vtrinque controuersiæ, & disputationes: nesciret autem Simon, quidnam ampliùs ageret, aram quandam lauro coronatus ascendit. Ex qua turbas primùm iracundè al- IX. loquens: Quoniam, inquit, adeò insipientes fuistis, ô Romani, vt me quidem relinqueretis, Petrum verò sequemini, ecce in conspectu vestro mandabo Angelis meis, & me tollent in manibus, & ad patrem meum ascendam in cœlum, & illinc vos extremo afficiam supplicio: vt qui non in ijs, quæ vobis dixi, perstiteritis. Hæc cùm dixisset, plaudens deindè manibus, per aërem missus cœpit volare, quibusdam vmbris, vel malis potiùs dæmonibus, eum impellentibus & portantibus. Magnus autem ille Apostolus Petrus cùm se parum retinuisset, audientibus omnibus, cœpit dicere: Domine Iesu Christe, qui es Deus meus, ne sinas eum implere, quod proposuit, ne immittat petram scandali, & lapidem offensionis malignus in eos, qui in te crediderunt. Et sublatis ad Simonem oculis, clara voce clamauit: Vobis sathanæ ministris præcipio, ne eum portetis, sed eum dimittatis in eo loco, in quo nunc est. Statimque, cùm quæ circa ipsum apparebant, vmbræ recessissent, & in nihilum resolutæ essent, Simon lapsus ab aëre, ad terram fertur casu misero & miserabili, & contrito toto infelici corpore, secundo pòst die miseram emittit animam, acribus cruciatus doloribus. Cùm hoc autem factum esset, & turba multis horis clamaret: Magnus est Deus, qui nobis à Petro prædicatur: Petrus cùm altum quoddam sedile ascendisset, manumq; mouisset, & turbis præcepisset silentium, postquam ex Mose & Prophetis Dominum nostrum Iesum Christum Deum ante sæcula annunciâsset, & plurimos dæmones fugâsset ab hominibus, & morbos curâsset varios, eos dimisit.

Linus & Cletus viuente Petro, eo absente munere Pontificio, vt coadiutores, functi sunt: & Clemens à viuente Petro Romanæ Ecclesiæ Episcopus prælectus & mum tertio

CVM autem non diù mansisset apud Romanos, & sancto baptismo multos regenerâsset, & Ecclesiam constituisset, & Linum Episcopum ordinâsset, venit Tarracinam. In qua cùm Epaphroditum ordinâsset Episcopum, venit Sirmium ciuitatem Hispaniæ. Quo in loco cùm Epænetum constituisset Episcopum, deuenit Carthaginem ciuitatem Aphricæ. In qua cùm Crescentem ordinâsset Episcopum, venit in Ægyptum. Et cùm Thebis, quæ septem habent portas, Ruffum, Alexandriæ autem Marcum Euangelistam eorum, qui se in disciplinam tradiderant, Episcopatui præfecisset, rursus venit Hierosolymæ ex reuelatione, propter Deiparæ MARIÆ migrationem. Deinde reuersus in Ægyptum, per Aphricam rursus Romam redijt. Ex qua venit Mediolanum, & Photicen, quæ sunt ciuitates in continente. In quibus cùm constituisset Episcopos & presbyteros, venit in Britanniam. Quo in loco cùm longo tempore fuisset moratus, & multas gentes non nominatas attraxisset ad fidem Christi, Angelicam adspexit visionem, quæ dicebat: Petre, instat tempus tuæ resolutionis, & oportet te ire Romam: in qua cùm mortem per crucem sustinueris, recipies mercedem iustitiæ. Cùm ergo propterea Deum glorificâsset & egisset gratias, & apud Britannos mansisset dies aliquot, & verbo gratiæ multos illuminâsset, & ecclesias constituisset, Episcoposq; & presbyteros, & diaconos ordinâsset, duodecimo anno Cæsaris Neronis rursus Romam reuertitur.

ordinatus: hic tamen cessit, & post mortem Petri Lino & Cleto, altero post alterum vsque ad obitum summo Pontificatu perfunctis, deloco suffectus est Iuxta quæ hoc loco narrata corrigenda sunt. Vide Baron. anno 69. a § 35. vsque ad 43 inclusiuè.

QVo in loco cùm Linum inuenisset consummatum, eius loco ordinauit Clementem recusantem & non ad- XI. mittentem eam curationem. Cui cùm ad id accommodatis verbis persuasisset, & vt bono esset animo, fuisset hortatus, suorum sermonum eum prouehit ad cathedram. Qui cùm, sicut quidam vitulus, collum suum bono iugo subiecisset, cum Magistro suo trahebat currum verbi. Quocirca multi quidem illustres prompto & alacri animo fidei obediebant:

diebant: multæ autem nobiles fœminæ addebantur iis, qui salui fiebant. Cum vero duæ fœminæ Imperatoris, quæ plus quam aliæ ab eo diligebantur, fidei accessissent, & pudice viuere statuissent, quoniam erat libidinosissimus Nero & impudicissimus, furebat aduersus omnem Ecclesiam, maxime autem Petrum principem Apostolorum, vt qui fuisset causa pudicitiæ eius fœminarum quæ crediderant in Dominum. Quamobrem cum ira supra modum efferbuisset, capitis pronunciat sententiam aduersus omnes, qui in Christum sperassent. Cum itaque milites omnes protinus comprehendissent, eos deducunt ad locum damnatorum: & Clementi quidem parcunt, vt qui esset cognatus Cæsaris: Herodionem autem & Olympam, vna cum magna multitudine gladio subiiciunt: Petrum vero illum magnum Domini Apostolum inuersum Cruci affigunt. Quamobrem cum ex Clauis dolores, similiter atq; Christus Deus noster, ipse quoq; sustinuisset, puram & immaculatam suam animam in manus Dei deponit. Clemens autem eius discipulus & Episcopus, cum maxime venerandum & sanctum eius corpus magnifice composuisset ad sepeliendum, in loco insigni deposuit. Sed de vita quidem & prædicatione, & fine magni Apostolorum Petri, hucusque sit à nobis dictum breuiter. Necesse est autem de claro quoque & beato Apostolo Paulo, quomodo poterimus, dicere.

S. Petrus crucifigitur inuerso ordine.

XII. MAGNVS ergo & beatus Domini Apostolus Paulus, erat ipse quoq; Hebræus quidem genere, ex tribu autem Beniamin, claris natus parentibus, hæresi Pharisæus, ascribens sibi patriam Tarsum ciuitatem Ciliciæ, sub præceptore Gamaliele in lege Moysis insigniter eruditus, ardēs motum paternorum æmulator, qui à pueritia Romanus vocabatur Saulus. Persequebatur autem & populabatur Dei Ecclesiam per ignorantiam. Quamobrem ei grata erat interfectio Stephani primi Martyris, vt qui omnium, qui lapides in eum iaciebant, susceperit vestes custodiendas, vt ad illius cædem omnium manibus vteretur. Porro autem primus quoq; vbiq; aderat cum iis, qui agitabant seditionem, studens destruere præconium pietatis: multaq; erant & magna, quæ ab ipso fiebant aduersus Ecclesiam: & nihil ei ad summam deerat insaniam. In hoc enim pietatem exercere, & se præclare gerere arbitrabatur, sicut ipse fatetur in Epistolis, & Lucas refert in libro, qui inscribitur Actus Apostolorum. Etenim non solum is, quomodo multi Iudæi, odio habebat & auersabatur præconium pietatis, sed etiam maiorem totius gentis iram prouocabat aduersus eos, qui ei ministrabant.

Act. 7. & 8.

Gal. 1.
1. Tim. 1.

XIII. POSTQVAM enim id vidit repente refulsisse, & fidei præcones euasisse minis superiores, æmulatione percitus, & ratus se maxima affici iniuria, si præconium quidem per vniuersam terram diffunderetur, præcones autem persecutorum paruifacerent periculum, omne studium adhibuit, vt hos quidem de medio tolleret, illud vero retardaret, ac reprimeret. Quamobrem cum à sacerdotibus & doctoribus illo tempore accepisset epistolas ad Iudæos, qui erant Damasci, iter ingressus est contra eos, qui erant in ea, discipulos. Sed qui ex vtero matris eum segregauit ad suum ministerium, videns eum iniusta teneri insania iniusta voluntate & iusto animi proposito, & ei in media via apparens, corporeis quidem eum orbat oculis, magnitudine purissimæ lucis, quæ ei apparuit: eius autem mentem & animam adeo illuminat, vt eum, qui erat olim persecutor, dilectum statim & fidelissimum fecerit suum præconem. Sauli itaq; nomine in Pauli nomen transmutato, eoq; ex salo persecutionis traducto ad quietem eius fidei, mittit ad Ananiam quendam discipulum in vrbe Damasco. A quo cum Paulus sanctum accepisset baptismum, & Christi intemeratis communicasset sacramentis, efficitur fidelis socius prædicationis. Tantam ergo mutationem ostēdit hic beatus post vocationem, & ad tantum in Christum exarsit desiderium, vt præcones veritatis non solum verbis, sed factis etiam confirmaret: qui eum adhuc timebant, & suspectum habebant, ostendens se toto animi studio erupisse in amorem Domini. Quocirca cum fuisset cum iis, qui erant Damasci discipulis, statim cœpit prædicare Christum in synagogis, Iudæos confutans, & rursum confirmans eum esse Christum.

Act. 9.
S. Pauli cōuersio.
Ibidem.
Act. 9.

XIV. CVM autem ei fuissent cognitæ, quæ à Iudæis parabantur insidiæ, per murum in sporta dimittitur à discipulis, & in Hierusalem accedit ad Apostolos. In qua libere loquens in nomine Domini Iesu, disserebat & disceptabat aduersus Gentiles. Sed cum ei quoq; rursus significatæ fuissent insidiæ, à fratribus deducitur Cæsaream, & illinc venit Tarsum. Quo cum venisset Barnabas, & eum inuenisset, deduxit Antiochiam. Cum toto autem anno illic cœtus haberent, & satis magnam docuissent multitudinem, & discipulos primum nominassent Christianos, in Iudæam ad fratres mittuntur cum ministerio, propter famem, quæ fuit tempore Claudij Cæsaris. Cum implessent autem ministerium, reuersi sunt Hierosolyma. Vbi Domino sacrum obeuntes ministerium, & ieiunantes, à sancto spiritu segregantur ad opus, ad quod vocati fuerant. Emissi autem, venerunt Seleuciam, & illinc in Cyprum nauigarunt: & cum fuissent Salaminæ, Dei verbum annunciarunt. Cum vero peruasissent insulam vsq; ad Paphum, excæcant pseudoprophetam Barieu, qui multos peruertebat. Quod cum factum esset, euenit statim vt multi crederent, atque etiam ipse Proconsul, qui erat in Insula. Illinc autem profecti, veniunt Pergen Pamphyliæ, & illinc Antiochiam Pisidiæ. In qua cum die sabbatorum concionatus esset Paulus in synagoga, attraxit multos ad fidem in Christum. Quamobrem Iudæi pleni æmulatione, eum & Barnabam eiecerunt è ciuitate. Ij vero ex ea egredientes, excusserunt puluerem è suis pedibus, conuenienter præcepto Domini.

Act. 11.
Act. 13.
Peregrinatio S. Pauli & Barnabæ.
Matth. 10

XV. ET cum venissent Iconium, & illic longo tempore versati essent, multosq; Iudæos & Gentiles, atque etiam beatam Teclam ad fidem Domini euocassent, à Iudæis, qui non crediderant, & Gentilibus, afficiuntur contumeliis, & appetuntur lapidibus. Cumq; Lystram & Derben confugissent, quæ sunt vrbes Lycaoniæ, medentur ei, qui fuerat claudus à matris vtero. Quo in loco cum presbyteros ordinassent, & Pisidiam peruasissent, venerunt in Pamphyliā. Et cum Pergæ locuti essent sermonem, descenderunt in Attaliam. Cum autem venissent Antiochiam, & congregassent ecclesiam, annunciarunt quæcunque cum eis fecisset Dominus. Illinc dimissi, peruaserunt Phœniciam & Samariam, narrantes conuersionem gentium. Cum venissent autem Hierusalem, reuertuntur Antiochiam. Quod non oporteat circuncidi, neq; vesci sanguine, & abstinendum sit à suffocato & immolatis, ab Apostolis afferentes tractantem Epistolam. Quo cum venissent, & satis longum tempus illic egissent, abierunt, Barnabas quidem in Cyprum, Marco assumpto, Paulus autem in partes Syrię & Ciliciæ, cum Silam elegisset, & quæ erant in ciuitate, Ecclesias confirmasset. Cumq; veniisset Derben & Lystram, & Timotheum assumpsisset discipulum, eum circuncidit. Deinde cum obiissent Phrygiam & Galatiam, à sancto Spiritu loqui sermonem prohibiti, venientes per Mysiam, tentarunt proficisci in Bithyniam, neq; siuit eos sanctus Spiritus.

Act. 14.
Act. 15.
Act. 16.

XVI. CVM autem transiissent Mysiam, descenderunt in Troadem: & cum illinc accessissent in Samothraciam, veniunt Neapolim. Et cum venissent Philippos Macedoniæ versati sunt illic dies aliquot. Quo in loco cum credidisset Lydia purpuraria, in domum eius venientes gratia precationis, spiritum Pythonicum eiiciunt ab ancilla. Quamobrem ab eius dominis appetiti maledictis, vt qui alienos mores annunciarent, cæduntur virgis à Magistratibus, & in carcerem coniiciuntur, eorumque pedes ligno caute & diligenter stringuntur. Quo in loco cum media nocte orarēt, & Deū laudarent, & custos carceris efficitur fidelis cū tota familia, cum ꝙ ducit ad salutem, à Paulo accepisset baptismum. Egressi.a.è ciuitate, cum Amphipolim transmisissent & Apolloniam, venerūt Thessalonicā. In qua cum multos accepissent in disciplinam, Iudæos ad iram prouocarunt: Qui etiam collecta multitudine, conturbant ciuitatem.

Act. 17.

Et cum accessissent ad ædes Iasonis, quærebant eos producere ad populum. Et cum non inuenissent, traxerunt Iasonem, & aliquot ex fratribus ad magistratus ciuitatis. A quo cum satis accepissent, eos dimiserunt.

XVII. Illinc autem egressus Paulus cum iis, qui cum eo erant, venit Beræam. Quo in loco cum multos accepisset discipulos, Timotheus quidem & Silas illic remanent, magnus autem Paulus per mare venit Athenas. Transiens autem, & ea contemplans quæ ab eis colebantur, aram quoq; inuenit, in qua erat scriptum, Ignoto Deo. Ex quo parua accepta occasione, annunciat eis in medio Areopago Dominum nostrum & Deum Iesum Christum, initium ducens in ipsa aræ inscriptione: statimq; satis multos baptizauit ad fidem in Christum. Inter quos Dionysium quoq; Areopagitam, & honestam quandam mulierem, nomine Damarim, & cum eis alios. Post hæc vero Athenis abiens Paulus venit Corinthum: & cum Priscillam & Aquilam inuenisset eiusdem, cuius ipse erat, artis, apud eos diuersatur. Quo in loco cum annum & menses quinq; transegisset, & multos tam ex Iudæis, quam ex Græcis, gratiæ verbo illuminasset, & ad Domini fidem euocasset, Priscilla & Aquila, & Timotheo assumptis, venit Ephesum, eisq; illic relictis, venit Cæsaream vna cum Timotheo. Cumq; salutasset Ecclesiam, descendit Antiochiam. In qua cum aliquantulum temporis esset versatus, egressus est, deinceps transiens per Gallatiam & Phrygiam.

Act. 18.

Act. 19.

XVIII. Et cum per superiores partes venisset Ephesum, tribus mensibus cum Iudæis disserens in synagoga de Regno Dei, persuasit ne iis attenderent, quæ adumbratè dicebantur à lege, sed ea ad spiritum transferrent & componerent. Cum autem apud eos alios duos annos & paulò plus mansisset, & fere totam Asiam ad fidem Christi attraxisset, & non vulgares virtutes, non per se solum, sed etiam per sudaria & semicinctia sua perfecisset, & omne genus morbos & dæmones exegisset, & Timotheum Episcopum eis constituisset, egressus est, vt iret in Macedoniam. Cum illas autem partes transmisisset, venit in Græciam. Et cum tres illic menses transegisset, & multos accepisset discipulos, venit Troadem. Quo in loco cum Eutychum, qui, dum differeretur, dormitauerat, & ex tertio cœnaculo deorsum ceciderat, & mortuus erat, suscitasset, venit Assum, deinde Mitylenen. Et cum die sequenti esset ex aduerso Chij, altera die appulit Samum. Et cum mansisset Strongilæ, die sequenti venit Miletum. Ex qua cum misisset Ephesum, accersiit presbyteros Ecclesiæ. Postquam autem accessissent, cum eis differit de humilitate, & malorum tolerantia: deinde de constitutione Ecclesiastica, & gregis cura. Et rursus cum ea, quæ & sibi Hierusalem eunti, & eis post eius recessum erant euentura, prædixisset: &, quod oporteat vigilare in eos, qui instar luporum sunt gregem auide diuulsuri, eis mandatum dedisset, eosque Deo commendasset, & precatus esset, nauem ascendens, statim soluit. Qua vectus, cum venisset in Coum Insulam, Rhodum nauigauit: & illinc Patara. Quo in loco cum alterum ascendisset nauigium, Cypro relicta à sinistris, præternauigauit Syriam: & cum venisset Tyrum (illic enim nauis impositum onus exonerabat) & inuenisset discipulos, mansit apud eos septem dies. Et naui rursus vsus, venit Ptolemaidem, & illinc Cæsaream, & ad Philippum Euangelistam, qui erat ex septem diaconis, diuersatur. Et post dies aliquot, sublatis sarcinis, venit Hierusalem. Et septem dies purificatus, templum ingreditur, annuncians impletos esse dies purificationis.

Sudarium S. Pauli sanat ægrotos.

Act. 20.

Instituit suos salubriter S. Apostolus Paulus.

Act. 21.

XIX. Qvo in loco qui erant er Asia Iudæi, cum eum adspexissent, conturbarunt omnem multitudinem, & manus suas in Paulum immiserunt. clamantes, viri Israëlitæ, ferte auxilium. Cum fuisset autem maximus populi concursus, cœperunt in eum hæc dicere: Hic est, qui aduersus legem & locum hunc, omnes vbique docet: Quinetiam gentiles introduxit in templum, & id inquinauit. Statimque mota multitudo, incitata est, vt eum tolleret de medio. Sed mox adueniens Tribunus Lysias, eum liberat, & cum militari auxilio eum mittit ad Præsidem Felicem, cui successit Festus. Cum sensisset autem Paulus à Iudæis in ipsum strui insidias, pro tribunali ad Cæsarem statim prouocat, & tunc quidem dimittitur à iudicio: cessant autem, quæ in eum à Iudæis parabantur insidiæ: & deinceps à Præsidibus & magistratibus mittitur ad Cæsarem. Cum vero esset constitutum, vt Paulus nauigaret in Italiam, cumq; eo accepto, Centurio quidam nomine Iulius, vna cum aliis vinctis nauem ascendisset Adrumetinam, venit Sidonem, & illinc in Cyprum. Cum autem præternauigassent pelagus, quod est ex aduerso Ciliciæ & Pamphyliæ, veniunt *Miram vrbem Lyciæ. Et cum nauem ascendissent Alexandrinam, vix Cnidum peruenium. Et cum subnauigassent Cretam per Salmonem, venerunt in locum qui dicitur Pulchri portus. Ex quo cum soluissent, & Cretam præterlegerent, & ventus, qui dicitur Typhonicus, qui latas excitat vndas, spirasset, prope Caudam quæ sic dicitur, decurrunt Insulam, & vehementi tempestate exagitati, & nauis armamentis proiectis suis manibus.

Paulus Hierosolymæ capitur.

Act. 23.

Act. 25.

Act. 27.

* Lystram.

Patitur naufragium B. Paulus in mari Adriatico.

Act 28.

XX. Cvm autem omnes magna affecti tristitia & mortem expectarent, surgens Paulus in medio eorum, iussit eos esse bono animo, cum nulla sit eorum peritura anima, præter nauem: hortatusq; est eos, vt cibum sumerent, vt qui iam quatuordecim dies manerent ieiuni. Cumq; seruati essent ij, qui erant cum Paulo, ex nauigatione naue dissoluta ab vndarum violentia, descendentes in terram, cognouerunt insulam vocari Meliten. Quo in loco cum congregaret Paulus sarmentorum multitudinem, vipera eius manum apprehendit. Quam cum in ignem excussisset, nihil mali passus, Deus existimatus est à Barbaris. Quinetiam cum patrem Publij liberasset ab eo, quo laborabat, tormine intestinorum, & plura alia fecisset miracula, cum iis, qui secum nauigabant, alia naue venit Syracusas, & illinc Rhegium, deinde Puteolos, deinde Romam ipsam. Cum autem cognouissent fratres eius aduentum, iuerunt ei obuiam vsque ad Forum Appium, & tres Tabernas. Et Centurio quidem reliquos vinctos tradidit duci exercitus: Paulus autem toto biennio seruabatur ab vno milite, omnes qui ad ipsum veniebant, excipiens, & Dei Regnum cum omni fiducia prædicans absque impedimento. Atque hæc quidem hucusque narrauit Lucas in Actibus Apostolorum, qui librum eo tempore composuit. Quæ autem sunt postea consecuta, postquam, Paulo Romæ relicto, profectus est Thebas Bœotiæ, minime composuit.

S. Paulus venit Romam.

Quoniam nusquam Eusebium hęc scripsisse reperire est, cætera etiam in suspicionem adduci posse videntur. Vide Baro. ann 61 §. 4.

XXI. Evsebivs autem, qui in secundo libro historiæ Ecclesiasticæ hæc est accurate perscrutatus, dicit Paulum, cum tunc quidem causam dixisset apud Neronem, fuisse absolutum, & Dei verbum, cum esset relaxatus, Romæ agentem prædicasse totis decem annis. In quibus dicitur peregre profectus in Hispaniam, Galliam & Italiam, Christi præco verbum disseminasse, & multos à diis patriis euulsisse, & cum grege Domini coniunxisse. Iam vero cum esset in Hispania, tale quid dicunt accidisse. Mulier quædam & genere, & opibus, & doctrina insignis, cum iam olim auditionem accepisset Apostolicam, cupiebat ipsis quoque intueri oculis præconem veritatis, & ipsis auribus institui in veræ pietatis dogmatibus. Cum ergo ei visum esset diuina quadam inspiratione in forum proficisci, quo tempore qui vel ex sola fama ab ea diligebatur, per medium eius transibat, dicitur & eum vidisse leniter & placide ingredientem: vt qui non solum gratia plenos mores haberet cæteros, sed etiam ipsum incessum, & marito suo persuasisse, cui nomen erat *Procus (eorum autem qui illic erant, erat facile princeps) vt intra ædes suas hospitem exciperet: Postquam vero fuit accersitus, & fuit prope illos, eiusmodi aliquod miraculum accidisse mulieri: nempe apertis mentis suæ oculis, vidisse in fronte eius, qui fuerat hospitio acceptus, literas aureas, quæ dicebant, Paulus Christi præco. Illam autem propter visionem insperatam inuasit & voluptas, & timor: & lachrymis plena procidit ad pedes Apostoli, & catechesi ab eo instituta, primum quidem suscipit baptismum, appellata Xanthippe: Postea autem *Probus eius maritus, qui erat notus Neroni: deinde etiam Philotheus præfectus: & deinceps omnes, qui illam habitabant regionem. Quod autem in Hispania prædicauerit Paulus, hoc aperte dicit in Epistola ad Romanos, sic scribens: Nunc autem

Hispani multi credunt in Christum. Rom. 15.

* alias Probus.

non

non amplius habens locum in his regionibus, desiderium autem habens veniendi ad vos à multis annis, cum proficiscar in Hispaniam, veniam ad vos: spero enim transiens vos videre. Quoniam ergo etiam antequam fuisset Romæ in animo habuit prædicare in Hispania, cum ei feliciter successisset, vt ad primam veniret ex ciuitatibus, non neglexit ea, quæ ei prius visa fuerant: etiamsi Romam rursus reuersus, in ea cessat à longis laboribus. Quomodo autem, & quanam de causa, iam sum declaraturus.

XXII. Cvm ad insaniam summam processisset Nero, primum quidem sustulit Agrippinam matrem propriam: præterea vero patris quoque sororem, & Octauiam suam vxorem, & alios innumerabiles, qui genere ad eum attinebant. Postea autem generalem mouit persecutionem aduersus Christianos: & sic venit ad cædem Apostolorum. Quo tempore accidit, vt Paulus quoque tricesimo sexto anno salutaris passionis, tertiodecimo autem Neronis, fieret martyr, ei capite gladio amputato. Gaius vero quidam vir Ecclesiasticus, & Zephyrinus Romanus Episcopus, & Dionysius Episcopus Corinthius, scribunt, vno tempore, & simul Petrum & Paulum subiisse martyrium, tertiodecimo anno Imperij Neronis: Dicunt enim Neronem eo tempore fuisse motum aduersus Christianos, propter eius fœminas, quę in Dominum crediderant, & pudice casteque viuere statuerant: nec cum eo congredi deinceps sustinebant: non autem propter Simonem magum. Ei vero, quod ab eis dicitur, fert testimonium Ioannes quoque ille lingua aureus, in rebus diuinis egregius, & cuius mens est plena spiritu, scribens in oratione aduersus eos, qui prohibent, ne fiant monachi: Neronem omnino auditis: fuit enim vir insignis libidine, qui primus & solus inuenit in tali imperio intemperantiæ nouos quosdam modos, & turpitudinis. Hic ergo Nero beatũ Paulum (fuit enim iisdem, quibus ille, temporibus) eo modo criminans, quomodo nos nũc hos viros sanctos (Eius enim pellici valde dilectę persuasit, vt simul acciperet verbum fidei, & liberaretur ab immunda illa congressione) hoc modo (inquam) ille criminans, corruptoremq; & seductorem, & ea, quæ vos nunc loquimini, Paulum vocans, primum quidem vinxit inclusum in carcere. Postquam autem non persuasit, vt desisteret puellæ dare consilium, tandem ei caput amputauit. Et hæc quidem is, qui moribus & sermone est vir Apostolicus, de beato fine diuini Pauli.

Nero sæuit in suos.

S. Paulus gladio cæditur.

Ioannes Chrysostomus de S. Pauli detruncatione.

XXIII. Principes ergo & diuini (vt prius diximus) Apostoli decimotertio anno Neronis consummantur. Execrandum autem Simonem circa medium annorum Claudij aiunt mortem subiisse teterrimam. Dicunt vero quidam præcessisse quidem Petrum anno vno, & beatam illam & Dominicam suscepisse perpessionem, cum animam posuisset pro ouibus Eum autem fuisse consecutum magnum illum Apostolum Paulum, vt dicit Iustinus & Irenæus, cum totis quinque annis synaxes & deceptationes per se facerent ante resolutionem ad Christum. Atque ego quidem eis magis assentior. Eusebius autem Pamphili dicit, Petrum duodecim quidem annos esse versatum in Oriente, viginti autem & tres annos transegisse Romæ, & in Britannia, & in ciuitatibus, quæ sunt in Occidente: adeo vt sit totum tẽpus prædicationis Petri triginta & quinque anni. Paulum autem ipsum quoque viginti & vnum annum prædicasse pietatem in Christum, & alios duos annos Cæsareæ transegisse in carcere. His vero coniungit duos quoque priores annos, quos egit Romæ, & vltimos decem: vt eius quoque prædicationis, & vocationis vniuersum tempus sit triginta quinque anni.

Non Claudij, sed Neronis temporibus, annotat Baron. anno 44 §. 54.

XXIV. Et sunt quidem nostra huiusmodi, & quæ possunt nostrum in vos desiderium ostendere, ô Apostoli, & fraternum amorem in eos, qui sunt congregati: Hæc enim est vestra lex, & communis Domini & magistri, vt nos inuicem diligamus, & quæramus multorum vtilitatem. Vos autem vicissim nobis reddite curam, quam nostrũm geratis, aduersus vitia victoriam, contra dæmones resistentiam, animi quietem ac pacem erga omnes, atq; adeo etiam ipsos, qui nulla de causa sunt nobis inimici, animi simul lenitatem ac patientiam, beneficentiam, & mutuum amorem. Vos certe rogamus, in quocunq; vniuersi loco sitis, seu etiam in vniuerso, vt credimus, nos quoq; respicite, & ad animi tranquillitatem nostram vitam deducite, peccatorum expertem, rectis factis & bonis operibus plenam, diuinis dignam oculis: vt in hac vita vobiscum festum perpetuo celebrantes, in futuro bona quoq; promissa consequamur: gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi: Cum quo Patri simul cum sancto Spiritu gloria, potentia & honor nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Lex Christi & Apostolorum eius.

DE CASSIO NARNIENSI EPISCOPO, AVTHORE S. GREGORIO PAPA.

An. 530.

I. Neque hoc Petre fileam, quod multi nunc, qui hic de Narniensi ciuitate adsunt, mihi sedulo testificãtur. Eodem namq; Gotthorum tempore, cum præfatus rex Totila *Narniis venisset, ei vir vitę venerabilis Cassius eius vrbis Episcopus, occurrit. Cui quia ex consperssione semper facies rubere consueuerat, hoc rex Totila non consperssionis esse credidit, sed assiduæ potationis, eumq; omnimodo despexit. Sed omnipotens Deus, vt quantus vir esset qui despiciebatur, ostenderet, in Narniensi campo, quo rex aduenerat, malignus spiritus coram omni exercitu eius spatharium inuasit, eumq; vexare crudeliter cœpit. Qui cum ante regis oculos ad venerandum virum Cassium fuisset adductus, hunc ab eo vir Domini, oratione facta, signo Crucis expulit: qui in eum ingredi vlterius non præsumpsit. Sicq; factum est, vt rex barbarus seruum Dei ab illo iam die veneraretur ex corde, quem despectum valde iudicauit ex facie. Nam quia virum tantæ virtutis vidit, erga eum illa mens effera ab elationis fastu detumuit.

29 Ivnii. Dialog. lib. 3 cap. 6. *Narniã.

Signo Crucis pellit dæmonem.

Item ex eiusdem Homilia 37 in Euangelia.

II. Avdistis dicentem Dominum, fratres charissimi. Aut quis rex iturus committere bellum aduersus alium regem, nonne sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui, cum viginti millibus venit ad se? Alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens, rogat ea, quæ pacis sunt. Rex contra regem ex æquo venit ad prælium, & tamen si se perpendit non posse sufficere, legationem mittit, & ea quæ pacis sunt postulat. Quibus ergo lachrymis nos sperare veniam debemus qui illo in tremendo examine cum rege nostro ex æquo ad iudicium non venimus, quos nimirum conditionis infirmitas & causa inferiores exhibet? Sed fortasse iam mali operis culpas abscidimus, iam parua quæque exterius declinamus. Nunquid ad reddendam rationem cogitationis nostræ sufficimus? Nam cum viginti millibus venire dicitur is, contra quem minime sufficit iste, qui cum decem millibus venit. Decem millia quippe ad viginti millia, simplum ad duplum sunt. Nos autem si multum proficimus, vix exteriora nostra opera in rectitudine seruamus. Nam etsi iam luxuria carnis abscissa est, tamen adhuc à corde funditus abscissa non est. Ille autem qui iudicaturus venit, exteriora simul & interiora iudicat, facta pariter & cogitationes pensat. Cum duplo ergo exercitu contra simplũ venit, qui nos vix in solo opere præparatos, simul de opere & cogitatione discutit. Quid igitur agẽdum est, fratres charissimi, nisi vt dum nos cum simplo exercitu contra duplũ illius sufficere non posse conspicimus, dum adhuc longe est, legationem mittamus, rogemus ea, quę pacis sunt? Longe enim esse dicitur, qui adhuc præsens per iudicium non videtur. Mittamus ad hunc legationem, lachrymas nostras, mittamus misericordiæ operam: mactemus in ara eius hostias placationis, cognoscamus nos cum eo in iudicio non

Luc. 24.

non posse contendere. Pensemus virtutẽ eius fortitudinis, rogemus ea, quæ pacis sunt. Hęc est nostra legatio, quę Regem venientem placat. Pensate, fratres, q̃ benignum sit, quod is, qui suo aduentu valet opprimere, tardat venire. Mittamus ad hunc, vt diximus, legationem nostram flendo, tribuendo, sacras hostias offerendo. Singulariter namq; ad absolutionem nostram, oblata cum lachrymis & benignitate mentis sacri altaris hostia suffragatur: quia qui in se resurgens à mortuis, iam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei hostiam suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram, passionem illius reparamus.

Sacri altaris hostia quid præstet.

III. MVLTOS, vt arbitror, vestrum, fratres charissimi, contigit nosse hoc, quod volo ad memoriam vestram narrando reuocare. Non longe à nostris fertur temporibus factum, quod quidam ab hostibus captus, longe traductus est. Cumq; diu teneretur in vinculis, cum vxor sua eum ex eadem captiuitate non reciperet, extinctum putauit: Pro quo iam velut mortuo, hostias hebdomadibus singulis curabat, offerre. Cuius toties vincula soluebantur in captiuitate, quoties ab eius coniuge hostiæ fuissent oblatę pro animæ eius absolutione. Nam longa post tempora reuersus, admirans valde, indicauit vxori suæ, quod diebus certis hebdomadis singulis eius vincula soluebãtur. Quos videlicet dies eius vxor atque horas discutiens, tunc recognouit eum absolutum, cum pro eo sacrificium meminerat oblatum. Hinc ergo, fratres charissimi, hinc certa consideratione colligite, oblata à nobis hostia sacra quantum in nobis solue-
re valeat ligaturam cordis, si oblata ab altero, potuit in altero soluere vincula corporis.

Nota vim sacrificij Missæ.

IV. MVLTI vestrum, fratres charissimi, Cassium Narniensis vrbis Episcopum nouerunt, cui mos erat quotidianas hostias offerre Deo, ita vt pene nullus dies vitæ eius abscederet, quo non omnipotenti Deo hostiam placationis immolaret. Cui cum sacrificio valde etiam concordabat vita, nam cuncta, quæ habebat, in eleemosynis tribuens, cum ad horam offerendi sacrificij venisset, velut totus in lachrymis defluens, semetipsum cum magna cordis contritione mactabat. Cuius & vitam & exitum quodam venerabilis vitæ diacono, qui ab eo fuerat nutritus, referente cognoui. Aiebat enim, quod quadam nocte eius presbytero per visum Dominus adstitit, dicens: Vade & dic episcopo: Age quod agis, operare quod operaris: non cesset pes tuus, non cesset manus tua: natali Apostolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam. Surrexit presbyter: sed quia è vicino Apostolorum natalitius dies imminebat, tam pinqui exitus diem episcopo nunciare pertimuit. Alia nocte Dominus rediit, eius q; inobedientiam vehementer increpauit, atq; eadem iussionis suæ verba retexit. Tunc presbyter surrexit, vt pergeret, sed rursus infirmitas cordis, impedimentum facta est indicandæ reuelationis. Ad admonitionem quoq; iteratæ iussionis obduruit pergere, & quæ viderat, manifestare neglexit. Sed quia magnam mansuetudinem contemptæ gratiæ maior solet sequi ira vindictæ, visione tertia Dominus apparens, iam verbis addidit verba, & tam districta cæde mactatus est, vt in eo duritiam cordis emollirent vulnera corporis. Surrexit ergo eruditus ex verbere, perrexit ad Episcopum, eumq; iam ex more iuxta beati Iuuenalis martyris sepulcrum ad offerendum sacrificium consistentem reperit, secretum à circunstantibus petiit, seq; eius pedibus strauit. Cumq; eum vbertim flentem Episcopus vix ad se leuare potuisset, lachrymarum causas cognoscere studuit. Ille vero relaturus ordinem visionis, prius vestimento ex humeris deuoluto, detexit plagas corporis (vt ita dicam) testes veritatis & culpæ monstrauit, quanta animaduersione districtionis membra illius accepta verbera liuore inflicto sulcauerant. Quæ mox vt episcopus vidit, exhorruit, & quis sibi talia facere præsumpsisset, cum magnæ obstupefactionis vocibus inquisiuit. At ille respondit, hæc se pro ipso fuisse perpessum. Excreuit cum terrore admiratio. Sed nullas iam presbyter inquisitioni eius moras adiiciens secretum reuelationis aperuit, eiq; iussiones Dominicas, per ea quæ audierat verba narrauit, dicens: Age quod agis, operare quod operaris: non cesset manus tua, non cesset pes tuus: natali Apostolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam. Quibus auditis, episcopus in oratione se cum magna cordis contritione prostrauit. Et qui oblaturus sacrificium ad horam tertiam venerat, hoc pro extensæ orationis magnitudine, ad horam nonam vsq; protelauit: atq; ex ipso iam die magis magisq; aucta sunt ei lucra pietatis, factus q; est tam fortis in opere, quam certus ex munere: quippe qui eum, cui debitor ipse fuerat, ex ea promissione, iam cœperat habere debitorem.

S. Cassius quotidie Missam celebrat.

Presbyter inobediens diuinitus flagellatur.

V. HVIC autem consuetudo fuerat, singulis annis natalitio Apostolorum die Romam venire: iamq; ex hac reuelatione suspectus, venire iuxta morem noluit. Eodem ergo tempore solicitus fuit, secundo quoque anno vel tertio in mortis suæ expectatione suspensus, quarto quintoq; & sexto similiter. Qui desperare iam de veritate reuelationis poterat, si verbis fidem verbera non fecissent. Cum ecce anno septimo vsq; ad expectati natalis sacras vigilias incolumis peruenit, sed lenis hunc in vigiliis calor attigit, atq; ipso die natalitio filiis suis se expectantibus, Missarum solennia implere se posse recusauit. Illi vero, qui de eius erant egressione pariter suspecti, simul ad eum omnes venerunt, sese vnanimiter adstringentes, vt die eodem nequaquam acquiescerent Missarum solennia celebrare, nisi pro eis ad Dominum idem antistes suus intercessor accederet. Tunc ille compulsus, in Episcopi oratorio Missas fecit, & manu sua corpus Dominicum, pacemq; omnibus tribuit. Qui cuncto ministerio oblati sacrificij peracto, ad lectulum rediit, ibiq; iacens, dum sacerdoses suos ac ministros circunstetisse se cerneret, quasi vale vltimum dicens, de seruando eos vinculo charitatis admonebat, & quanta debuissent concordia inter se vniri, prædicabat: tum subito inter ipsa sanctæ exhortationis verba, voce terribili clamauit, dicens: Hora est. Moxq; assistentibus ipse suis manibus linteum dedit, quod ex more morientium sibi contra faciem tenderetur. Quo tenso, emisit spiritum. Sicq; sancta illa anima ad gaudia æterna perueniens, à carnis corruptione soluta est.

Sacræ vigiliæ natalis Apostolorum.

Felicissimi sancti viri obitus. An. 558.

VI. QVEM, fratres charissimi, quem vir iste in morte imitatus est, nisi eum, quem in vita sua fuerat contemplatus? Dicens enim, Hora est, de corpore exiit: quia & IESVS, peractis omnibus, cum dixisset, Consummatum est, inclinato capite, tradidit spiritum. Quod ergo Dominus, fecit ex potestate, hoc egit famulus ex vocatione. Ecce quotidianæ hostiæ, illa cum eleemosynis & lachrymis missa legatio, quantam cum rege veniente gratiæ pacem fecit. Relinquat ergo omnia qui potest. Qui autem omnia relinquere non potest, cum adhuc rex longe est, legationem mittat lachrymarum, eleemosynarum & hostiarum munera offerat. Vult enim placari precibus, qui scit quia non possit portari iratus.

Ioan. 19.

A. 1080. *VITA S. THEOBALDI PRESBYTERI, EREMITÆ ET CONFESSORIS, A QVODAM EIVS CONTEMPORANEO FIDELITER CONscripta, ex MS. codice excerpta.*

IVNII 30. ANTIQVOS dominos & bellicosos gẽtium victores, vel ciuitatum conditores nouimus loquacium poëtarum præconiis, vt ita dicam, ad sydera tolli, & longissimis annalium siue historiarum ambagibus ad memoriam posterorum verbis crepitantibus audiuimus frequenter vanissimo studio lectitando laudari. Quod si laudes falsorum Deorum seu suorum satellitum tanta efficacia verborum adornantur: cur non potius ad ædificationem audientium Dei omnipotentis gratuita dona quæ suis fidelibus quotidie præstare non desinit, omni elegantia sermonis pro vt ipse annuerit, debemus enarrare? Verus enim propheta & saluator mundi, dum de quinque panibus & duobus piscibus quinque milia hominum satiasset, turbis quærentibus se constituere regem, ait:

PROLOG.

Ioan 6.

ait: Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Et post pauca. Pater meus, inquit, vsq; modò operatur: qui sine testimonio bonitatis suæ, nullum ordinem sæculorum patitur: qui Ecclesiæ decus in patriarchis & prophetis inchoat, in apostolica firmitate solidat, in martyrum victoria coronat, in confessorum munditia decorat, in virginum floribus exornat. Vere inquam vsq; modò operatur: qui Ecclesiam suam, in bello rosis ambit, & in pace liliis vestit. Vnde ipsa Ecclesia, sponsa scilicet Dei, amoris telo vulnerata, sanctis prædicatoribus ait: Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Per florem quippe tenera virtus inchoantium, per malum vero solida operatio perfectorum designatur. Ecclesia ergo fulciri se floribus postulat: quia infirmis quibusq; inchoantium virtutem prædicari imperat. Stipari malis appetit: quia perfectorum mira facta fidelibus imitanda proponit. Igitur ne studiosas aures audientium, circunlocutione verborum offendamus, simpliciter ac fideliter, prout Deus concesserit, curita prælibauimus, aperiamus.

Attende quibus columnis ecclesia Dei sustineatur.

Cant 2.

Cur ecclesia Dei fulciri floribꝰ & stipari malis appetat.

I. IGITVR Theobaldus bonæ indolis vir, gente Francorum, patre Arnulpho, matre vero Gisla oriundus territorio Senonensi, castro autem Prunino educatus: Flos vt ita dicam, è spinis erupit. Parentibus vero non solum nobilibus, verum etiam clarissimis atque ditissimis enituit. Cuius natiuitatem à sancto Theobaldo Viennensi Episcopo procul dubio veracium familiarium eius relatione, & quod firmius est, matris eiusdem beati viri assertione prænunciatam comperimus. Is etenim Præsul auunculus auiæ sancti Theobaldi extitit, & ab eodem, æquiuoci nominis vocabulum sortitus est. Qui dum aliquando colloquium haberet cum matre dominæ Gislæ huius beati viri genitrice, inter cætera ait: O generosa parens gaude & lætare, quia ex te prodiet mater, quæ paritura est magni meriti filium, qui omnibus nostræ affinitatis hominibus præeminebit, & ante Deum & homines magnus vocabitur. Huic etiam præsagio testimonium perhibuit, quædam bonæ voluntatis paupercula, quæ iam grauidam matrem beati viri conueniens, verbis sic solatur amicis: Gaude domina, inquiens, quæ in vtero gestas filium, qui apud Deum præcipuum obtinebit locum, & suorum erit gloria parentum. O decus, ô dulcedo nectarea. Beatus Theobaldus à Præsule prædicitur sancto, à paupercula, illi euangelicæ viduæ comparanda prænunciatur: vt veraciter illius credatur esse membrum, qui à prophetis est vaticinatus, ab angelo annunciatus, à militia cælestis exercitus collaudatus, à stella declaratus, à magis adoratus, brachiis senis Simeonis baiulatus, & ab Anna vidua in templo est Deus agnitus.

Parentes S. Theobaldi, qui fuerint.

Qualis sit futurus, à sanctis prædicitur.

II. REDEAMVS ad proposita & videamus de loco vnde tantum decus emanauit. Demum vero ponamus nomina regum vel principum, quorum temporibus vir iste floruit, vt & chronicæ scientiam posteris relinquamus, & ad laudem beati viri, ex quanta genealogia prodierit, & ex quali ambitione sæculi ad voluntariam paupertatem conuersus fuerit, clarius enucleare satagamus.

III. PRVVINVM castrum vbi sanctum prędiximus ortum, populosus locus est, iuris quondam illius Odonis famosi Comitis Campanienſis, cuius propinquum beatum virum fuisse clarum est. Viguit autem temporibus Henrici Augusti, & Henrici regis Francorum, & filij eius Philippi. Qui vt adolescentiæ attigit metam, non lasciuiam secutus est mundi, sed potius quicquid præceptorum Dei auditu percipere poterat velut prudentissima apis in aluearium memoriæ studebat conuehere. Mouebat animum adolescentis maxime eremitarum solitudo, quorum initium extitit Ioannes & Helias, & post eos Paulus & Antonius. Æmulabatur victus eorum tenuitatem, vestium asperitatem, animi contemplationem, & angelorum in solitudine contubernium. His igitur & huiuscemodi facibus accensus clandestina discessione adiit quendam eremitam in quadam insula Sequanę latitantem, cui cordis sui aperuit ardorem non comburentem, sed illuminantem. Cum quo inito consilio, assumptoque Gualtero quodam milite socio, ascensis vterque equis, cum singulis armigeris ad Rhemensem ciuitatem peruenerunt. Miles ergo Christi Theobaldus, relicta domo, patre, matre, fratribus, mancipiis, amplissimisque prædiis cum omnibus sæculi pompis, quasi proximo Pascha accincturus militiæ cingulum, cum iam dicto socio iter arripuit. Cumque apud sanctum Remigium in prædicta ciuitate hospitati fuissent, occasione alloquendorum amicorum, armigeris atque equis in hospitio relictis, pedestri itinere noctu ad interiora pertentauerunt progredi. Inuentis vero duobus peregrinis, exuti suis optimis ac militaribus indumentis, illorumque induti resarcitis, vt ita dicam, tapinis, nudis pedibus peruenerunt ad locum, qui dicitur Pitingo, in Teutonicorum videlicet regno. Ibique multo tempore voluntariam paupertatem pro Christi amore sustinentes, cum multo labore victum sibi quæritabant. Nam sicut generaliter non specialiter de Ioseph canitur in psalmo: manus eorum in cophino seruierunt, & vsque ad viliſſima ac laboriosa rusticorum opera deuoluti sunt: scilicet lapides ferendo, fœnum è pratis secando, stabula curando, & maxime, vt idem simpliciter postea referebat, carbones ad opera fabrilia facienda, victum sibi cum paruo censu prouidebant. Tenuissimo igitur collecto nummorum quæstu ad sepulchrum sancti Iacobi in Galiciæ Hispaniæ parte nudis, vt iam diximus, pedibus perrexerunt. Cumque inde reuerterentur, diabolus in itinere humana specie assumpta, per obliquum in via se prosternens compulit virum Dei ruere. Illo Christi nomen inuocante, Crucisque signo se muniente, malignus hostis euanuit. Nec mirum si viro Dei præparauit casum, qui Domino nostro IESV Christo ausus est suadere ruinam, dicens: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Treuerensem demum vrbem cum collega repetens, reperto ibi patre, admodum contristatus est. Romam deinde regressus desiderio videndi sepulchrum Dei, Venetiam quasi mare transiturus, expetiit.

Quo tempore vixerit, & quæ eius fuerit patria.

Assumit sui instituti socium.

Frequentat sacra limina S. Remigij vrbis Rhemensis Patroni.

Psal. 80.

Vexatur à diabolo.

Matth. 4.

IV. AMABILIS igitur Domini Theobaldus hac intentione Italię fines oberrans, tandem peruenit ad locum, cui vetustas Salanica nomen indidit. Perlustrato vero loco & Diuina, vt credimus, dispositione, reperit saltum adeo spatiosum, & ruinas quasi veteris ecclesiæ. Ibi post longinqui itineris fatigationem resedit, & à dominis loci, habitationis domum sibi poscens, libenter illis concedentibus impetrauit. Compacto vero paruo tugurio confidenter ibi habitare cœpit, & angelicam vitam in terris actitare inchoauit. Primum à carne & omni pinguedine se abstinuit. Demum vero pane hordeaceo & aqua tantummodo vsus est, Ad postremum à pane & omni potu se abstinens, fructibus tantum & herbis, earumq; radicibus aliquantis annis vixit: semper vsus cilicio. Diuina igitur dispositione actum est, vt proficientibus meritis, omnes ecclesiasticos gradus vsq; ad sacerdotium in Vincentina Ecclesia adipisceretur, præsidente eiusdem ecclesiæ cathedræ Sindekerio Præsule, viro in Ecclesiasticis & sæcularibus negotiis strenuissimo. Iam vero quis explicet digne, quas cruces corpori suo sæuus persecutor induxerit, cum cotidie crucem suam baiulando Christum secutus fuerit, quis digne valeat enarrare? Quinquennio igitur, vt eius fideles & familiares contestantur, nunquam iacendo, sed sedendo somnum percepit, & hoc tanta peregit cautela, vt quasi tota nocte in somno mansurus, diligenter pannis tegeretur. Post abscessum vero ministri sui, statim exurgens conticinij tempora in precibus & laudibus Dei, extensis manibus continuabat. Hora vero surgendi ad matutinales hymnos, vt suos lateret, ad stratum proprium regrediebatur. Illud autem stratum primo quidem quædam arrha æqualis superficiei extitit, substrato quodam lineo linteolo, & capite admoto trunco durissimo, superadditoque laneo pileo suæ peregrinationis ab æstu defensore. Demum vero, cum omnia corporis sui membra armasset supradicto linteolo suppossuit cilicium, & pro archa vsus est quodam lato & dolatili ligno. Biennio autem expleto, ex quo vir Dei iam dictum cœperat

Attende viri Dei in victu & vestitu abstinentiam.

Ordinatur sacerdos.

Lectus eius qualis fuerit.

Gualterus socius eius, vita defungitur.

cœperat incolere locum, socius eius Gualterus cum bona confessione naturæ soluit debitum, &, vt credimus, con-
iunctus numero fidelium.

BEATO igitur Theobaldo non defuerunt tentamenta antiqui hostis, ne videretur illius beatitudinis expers, de V.
Iacob 1. qua Iacobus ait: Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam re-
promisit Deus diligentibus se. Nempe quadam nocte, ipso in stratu recumbente, nec tamen dormiente, malignus
spiritus, magna vi quatiens parietem affuit, & virum Dei, ad nocturnales hymnos nominatim compellans, surgere
hortabatur. Cumq; ille motus his clamoribus, quendam è fratribus se vocare putaret, ad cellulam eius properauit,
huncq; quiescentem, obserato ostio, inuenit. Diabolica igitur cognita illusione, Trinitatem sanctam inuocauit, ho-
Signo Crucis dæmonem fugat. stem, muniendo se signo Crucis, fugauit, & eum quasi rusticorum multitudinem securibus syluam prostrantium di-
scedere audiuit. Quodam tempore, sancto legationem pacis agente, dum in plaustro sedens apud Leonicum castrũ
flumen nouum pertransiret, nam præ defectione pedum non valebat longius progredi, diabolus eum in flumen co-
natus est precipitare. Vna enim ex rotis plaustri subito nusquam comparuit. Tamen non prævaluit inimicus vt virum
Dei aliquatenus humectaret, sed ita à voragine fluminis, ac si leuis pluma siue birota inhumectatus exiliuit.

HACTENVS in nocte laborum vel tentationum narrationis iter direximus. Nunc ad ea, quæ plena sunt gaudiis, VI.
sicut in die honeste ambulantes, succingamur. Sæpe & frequentius, vt veraces & cauti eius familiares, Christo teste,
Sancti Angeli eum visitant. Iosue 15. Iudic 1. affirmant, visione Angelica hic beatus meruit visitari, & aliquando in specie columbæ, aliquando in specie viri, & in
aliis schematibus, quæ ipse solus nouerat, spirituum supernorum affatibus dignus fuit mulceri. Quadam die cum sua
commissa lugeret, & more Caleph filiæ irriguum inferius, & irriguum superius suspiraret, vox ad eum facta est: Noli
flere, dimissa sunt tibi peccata tua. Eodem tempore sancti Hermogoras & Fortunatus, in quorum honore oratorium
cellulæ habebatur consecratum, cum magna ei claritate apparuerunt atque dixerunt: Gratiam & benedictionem à
Deo consequaris, qui tam sedulo nostri memoria huic ecclesiæ deseruis.

EADEM tempestate quidam eius minister nomine Odo nimia febris & fici addictus erat infirmitati, ita vt in VII.
promptu putaretur vitam exalare. Cumq; sæpius precaretur sanctum pro se orare, primo quidem renuit, & columbi-
Odo eius minister per sacrificium Missæ sanatur. na, vt erat simplicitate respondit: Dei voluntati contraire timeo, cuius nutu te esse infirmum cognosco. At vbi vidit
ingrauescẽte morbo, mortem imminere fideli ministro, dolens de eius absentia, iussit eum ferri ad ecclesiam. Cum-
que eo præsente Missarum sacrificia celebraret, mysteriis Christi illum participauit. Eadem hora frater ad cellulam
suis pedibus rediit, qui aliorum adminiculo fuerat delatus. Audientes igitur pater & mater inclytam famam, beati fi-
lij, cum multa nobilitate ad eum venerunt, eiusq; visione nimium gauisi sunt. O quantis lachrymis mater exubera-
uit, cum gauderet inuentum, quem doluerat amissum? & inter lachrymosa suspiria dubitabat, pene quid mallet, quia
& patriam cum viro & liberis nolebat deserere, nec ab vnicæ dilectionis filio Theobaldo volebat separari. Tamen a-
mor filij, immo amor Christi vicit amorem sæculi. Nam abruptis omnibus retinaculis sæculi, soli Domino Deo cum
Cant. 8. Mater suo filio adhæret Deo seruitura. filio seruitura adhæsit. Fortis enim est, teste Salomone, vt mors dilectio. Per filij dilectionem ad Dei peruenit charita-
tem, & quæ magnam in mundo possederat prædiorum amplitudinem, vnius breuis cellulæ cum filio Deo famula-
tura elegit solitudinem. Cui filius cum tanta humilitate obsecutus est, vt non facile queat enarrari. Ex hoc verbo eius
obsequium potest argumentari, quod nullo hyemis rigore, nulla frigoris inclementia ingruente, à conspectu refici-
entis matris, nec ad modicum passus est abesse.

BIENNIO igitur hic beatus ante suum transitum ab omni tentatione diaboli, ab omni pollutione carnali, suis VIII.
credulis fratribus, se perhibuit immunem. Quo tempore ita vulneribus corporis ita obsitus fuit, vt aliquando neque
gressum figere, neque manum etiam ad os ducere valeret. Supernus enim artifex vas electionis sibi aptum, igne tri-
bulationis & lima infirmitatis, voluit septuplum purgare, vt eum sine rubigine, in domo sua beatum faceret habita-
S. Theobaldus nulla aduersitate lęditur re. Illud vero magis stupendum est: quod nullo genere infirmitatis, nulla defectione carnis ab proposito rigore ieiu-
nij potuit flecti, ingrauescente ergo vlcerum valetudine, & sciuit & prædixit in proximo se migraturum. Cumque
duodecimus annus volueretur, ex quo patriam reliquerat, nam tribus annis peregrinatus est, & nouem in solitudine
Commendat matrem, & discipulos suo Abbati. manfit, ad extrema perductus, vigore corporeo cœpit omnino destitui. Accersito vero Petro Abbate præ omnibus
Psalm. 109. sibi in amicitia familiariter iuncto, qui ei eodem anno monachicum schema sacrauerat, commendat illi matrem,
suosque filios spirituales, cum totius eremi cura. Ante tertium diem suæ migrationis quinquies grauissimus terræ
motus extitit, ex quibus quidam à foris stantes, omnes vero in cellula sancti astantes senserunt. Vnde coniicitur
illius maiestatis præsentiam migranti affuisse: de quo dicitur. Qui respicit & facit eam tremere. Testantur autem
qui affuerunt, durum eum mortis gustasse calicem. Nec mirum. Illi enim adhæserat, qui pro nobis peccatori-
bus, à Iudæis morte turpissima condemnatus, peccata nostra ipse portauit, cuius liuore sanati sumus. Cumque
diu in agonia desudaret, quidam è familiaribus diuinitus, vt credo, inspiratus, quosdam è popularibus astan-
tes, blanda voce discedere suasit. Quibus recedentibus, viatico Dominici corporis accepto, cum sæpius ite-
Feliciter obdormit in Domino. rasset: Domine miserere populo tuo, diuinis fatigatum officiis spiritum reddidit, suis plorantibus, angelis gau-
dentibus. Qui autem sancto corpori propius astabant, testati sunt, quod nec tenuis macula illum fuscasset, sed
quodam resurrectionis decore eius vultus niteret. Migrauit autem pridie Calendas Iulij: Indictione quarta: Henri-
co, filio Henrici, Augusto, auxiliante Domino nostro IESV Christo, qui in Trinitate perfecta viuit & regnat Deus,
per omnia sæcula sæculorum, Amen.

VINCENTINI igitur comperto sancti obitu, vna omnes ad officium funeris ruêre, clerus, omnis plebs vrbana & IX.
rustica in vnam coiêre sententiam. Armati & inermes, iuuenes & senes non solum ab vrbe, sed etiam à vicinis castris
eruperunt: & magna vi solitudinem penetrantes, ab ecclesia cellulæ eius beati viri glebam sustulerunt. Residui vero,
qui in ciuitate restiterant, matronæ pueri & puellæ obuiam sancto corpori processerunt, duobus ab vrbe milibus in
Sepelitur in templo Mariæ genitricis Dei. loco, qui dicitur ad Curtem, vbi geruli beati corporis quieuerunt. Postera die feria secũda tertia die mensis Iulij cum
magna frequentia & tripudio populorum conditum est corpus sanctum in basilica sanctæ Mariæ semper virginis, ad
cuius titulum sacerdotij functus est honore Per omnia benedictus Deus, qui facit mirabilia magna solus. Post tumu-
lationem beati Theobaldi placuit diuinæ maiestati annuente beata Dei genitrice Maria, cooperantibus Leontio &
Carpoforo, in quorum basilica idem requiescit, mirificare sanctum suum virtutibus & miraculis.

ALTA villa dicitur castrum ab vrbe Vincentia, quinq; distans milibus, vnde quædam fœmina acie oculorum X.
damnata, dum sancti expetisset tumulum, Deo fauente luminis recepit officium. In eadem ciuitate Vincentia quæ-
dam fœmina oculorum simili lumine priuata, dum Dei implorat misericordiam, & sancti implorat clementiam, pri-
Tres cæcæ mulieres illuminantur. stinum recepit visum. Res est manifestissima, persona nota, nomen quia in promptu est, omisimus. Notus locus: castrũ
Prixinum dicitur, vnde alia fœmina pari infortunio capta adueniens, ad sepulchrum sancti similem adepta est mede-
lam. Quidam claudus gressu & membris contractus, ciuis Beneuentanus ad sepulchrum eius, clementiam Dei implo-
Duo claudi curantur. rans, compagibus membrorum solidatis exiliuit. Alia persona supradicti sexus vigore membrorum destituta, manuũ
atq; gressuum robore dissoluta, quæ beati Theobaldi mausoleum frequentans, eius interuentu ad propria rediit, fir-
mato gressu. Villa dicitur Castranedrum vbi morabatur, hanc adepta medelam.

O inclyta

XI. O inclyta Venetia, etiam tu experta es herilem virtutem. Nam quædam sub specie religionis, mutato habitu velata, ariditate manûs fuerat debilitata: Hæc tuis illata ab oris, præsentibus populorum turbis, officium manûs recepit sancti Theobaldi meritis. Placuit Diuinæ maiestati, interuentu beati Theobaldi geminare miraculum, cùm eiusdem regionis indigenam cæcum puerum reduxit ad pristinam oculorum claritatem. Quod miraculum quàm celebre, quàm credibile constet, milia populi circumstantis me, testantur. Et hoc etiam memorabile quòd eadem hora vespertina scilicet à clero celsa voce modulabatur antyphona: Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Ponamus aliud miraculum, quod quamuis sit ordine temporis præposterum, tamen necessariò est permutatum. Puer de Villa noua Venereus nomine, pede & brachio paralyticus, in publico & celebri conuentu fidelium, (vtpotè octaua Paschæ die, & præsentia sancti corporis) gratulanter congregatorum, dum ad eius adductus fuisset oratorium, gressûs & manûs cœpit vsum, & multo fauore suorum, sospes repetijt domum.

Aliud miraculum.

Ioan. vlt.

Paralyticus rest tuitur integritati.

XII. Qvidam de Nouaria ciuitate Italiæ, non quidem pro aliquo reatu, sed spontè, in brachio gestans circulum ferreum, peruenit ad Sancti sepulchrum. Cumque ibidem peruigilaret, & ad candelam quæ casu à candelabro ceciderat erigendam vinctum brachium extendisset circulus ferreus confractus, magno tinnitu crepitans, à brachio dissiliuit. Alter Turonensis nomine Martinus vtroque brachio manicis ferreis astrictus, post multorum sanctorum locorum circumitiones, adhuc Sancto superstite, ad solitudinis locum, quo isdem Beatus morabatur, peruenit, eumque pœnæ suæ & reatus conscium reddidit, & fratricidam se esse lamentabiliter manifestauit. Cui Sanctus propositum tum ad sepulchrum Saluatoris iter peragere suasit, eique prophetica voce dissolutionem vnius brachij prædixit. Perrexit ergo & iuxta viri Dei verbum apud Dominicum sepulchrum vnius brachij gauisus est dissolutione. Reuersus ab Hierosolymitano itinere, Beato iam ab hoc sæculo translato, cum magnis lachrymosisq; querimoniis eius expetens sarcophagum, his verbis cœpit eum intercrepare: Tu, inquiens, iussisti me ire & reuerti, ecce veni, & te superstitem non inueni, miserere mei sancte Dei, miserere infelicitati meæ. Solue reum, consolare peregrinum, qui tuo iussu tantum peragraui spatium. Illo ista prosequente, & alia multa, repentè circulus ferreus à brachio cum strepitu longè exiliens, crepuit, & astantesque magno gaudio repleuit. Hæc quæ retulimus, ab ore ipsius, de quo res agitur, didicimus.

Aliud miraculum.

Aliud stupẽdum miraculum.

XIII. Qvaternorvm cæcorum generaliter exequimur illuminationem, quorum vnus senex à iam dicta ciuitate Nouaria: à Lauagno puer: tertius à Taurinensi comitatu: quarta quæ & puella à Colonia castro noscuntur aduenisse. Sed puer in gradibus Ecclesiæ, antequam Sancti cõtingeret sepulchrum illuminari meruit. Taurinensis verò dum alterius existeret pedissequa, solus & pedester post illuminationem ad sepulchrum Sancti viri, vt proposuerat, constanter arripuit iter. Nuper quoq; fidelibus populis celebrantibus festum Dominicæ ascensionis multa populorum astante frequentia & vigiliarum excubias obseruante Foroiulienſis puer cæcus ad beati Theobaldi mausoleum, oculorum recepit officium. Gemini præterea cæci, vnus de Matulino, alter de Paucilingo, caligine tetræ cæcitatis absentes luci, dum beati viri implorarent auxilium, optatum meruerunt recipere visum. Quidam hydropicus ab Axano aduenies ad eiusdem Beati vrnam deformi ventris tumore sedato, incolumis sese recepit natiuo solo. Duo debiles, vnus attractus genu, alter priuatus gressu, vehiculo vsi alieno, post diurnam membrorum dissolutionem, ad sepulchrum ipsius receperunt, officij corporei firmitatem. Si volumus cuncta percurrere, verba antequam miracula, deficient. Ponamus metam locutioni, quia non est possibile singulatim enumerare quot cæci, quot debiles vel ægroti seu variis passionibus addicti, quot energumeni ad eius tumulum sunt sanitatem adepti. Testem inuoco habitatorem eius, Spiritum sanctum, me multa cognita prætermisisse, & de magna sylua vix paucos ramos perstrinxisse.

Alij quatuor a cęcitate oculorum curantur.

Alius puer cæcus illuminatur.

Itẽ alij duo.

Curat hydropicus.

Duo debiles sanãtur.

Conclusio Authoris.

An. 590.

VITA S. ERENDRVDIS VIRGINIS ET ABBATISSÆ, NEPTIS S. RVPERTI PRIMI SALISBVRGENSIS EPISCOPI EX TOMO VI. *Antiquarum Lectionum Henrici Canisii.*

I. Misericordia Domini per climata orbis diffusa, & prophetica feruens olla, dum circumquaque de multis cordibus esset excluſa, contigit beatum Rudbertum Episcopum diuinitus fieri Noricæ gẽtis, Pannoniæque satorem Euangelicæ doctrinæ, quatenus idolorum cultores, de abysso infidelitatis erutos, sacramentis fidei imbutos, liberos faceret antiquæ ruinæ. Hic quasi fructifera arbor, radices atq; propagines lato germine ramosq; extendens, seminarium multis in locis cœpit serere salutis atq; studiosè laborando ad effectum bonorum operum clarè perducere virtutis.

Ivnii 30. Rudbertus Pannoniæ Apostolus.

II. Vt autem ex vtroque sexu hac in regione Ecclesiæ clarescerent luminaria, idoneos Doctores atque Erendrudem neptem suam, sacram virginem aduexit de proprio solo ac patria. Francigena igitur ex nobili stirpe extitit progenita, cuius ingenuitas nobiliorem eam reddidit, iuxta sacræ vtriusq; legis scita. Nam vniuersarum virtutum incrementis nitens procedere ab infantia, humilitatem, obedientiam, patientiam, castitatem, charitatem, & in bonis operibus perseuerantiam, semper obseruabat omni instantia.

S. Erendrudis patria.

III. Primitvs enim Abbatissæ officium eadem sacra virgo religiosè administrabat in Francia. Vbi subditas virgines regebat cum omni suauitate & sapientia, quia in domo Dei laborauit cum consensu & concordia maxima, nec vsura nec dolus, nec ibi colebatur auaritia, quamuis minuta. Sed omnium bonorum inimicus grauiter ferens sanctarum mentium vnanimitatem, superseminauit zizaniam, & prævaluit iniquitas & labor in medio earum & iniustitia.

Abbatissæ quomodo virginibus præfuerit.

IV. At vero virgo perfectissima iurgia, discordias, simultates declinans, cum sancto Patre Rudberto, Noricorum venit in partes, & apud Iuuauiam in Monasterio, quod ipse construxit in proximo monte in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, constituit eam matrem virginum, vt doceret eas spirituales artes. Quæ & qualis esset in hoc regimine, stylus & manus exarare valens minime. Mons enim vere ille, in quo beneplacitum est Deo inhabitare, & in quo lapis ille sine manibus abscissus, qui est Christus, vult laudari, cottidieque ab omnibus se inuocantibus, non solum voce & ore, sed & intimo cordis affectu ardentissime cupit amari. Laudent illum Sol & Luna, & omnis eum contremiscit creatura, quanto magis homines spiritu & ratione fruentes, quibus promittuntur gaudia futura.

V. In hocigitur Monasterio pie viuendo, orando, ieiunando, vigilando, sensus quoque suos ab omni prauitate auertendo, in omnibus actibus ita composuit suos mores, vt cunctarum virtutum instantia præcelleret subditas sorores, vt stellas Luna minores. Pocula vero de calice Babylonis studiosè respuens, cunctis videlicet mundialibus pompis calcatis. Orationibus, vigiliis, ieiuniis, corpus macerabat, quæ Domini sunt, & quæ de scripturarum fonte potuit haurire, vt in illa fructificarent, medullitus Deum exorabat. Creuerunt in ea de virtute in virtutem spiritualia dona, ita sane, vt semper inter epulas non cessaret loqui de cœlesti corona. Ab omni vero prauitate & elatione erat munda, eleemosynarum & epularum largitate in modum Sareptanæ viduæ, cui lecythus olei non est imminutus, extitit fœcunda, quia hilariter tribuit habita, vt eius merces fieret in vita secunda.

Venit Salisburgum.

Virtutum eius exercitia.

Sancta vero Erendrudis sex operibus Euangelicis insudabat deuotissime, pauperum & puerorum prurulenta pro-

ta propriis manibus purgando instabat diligentissime. Exemplo enim Christi, qui discipulis pedes lauit, solita est pedes pauperum humili deuotione lauare. Benedictionem victus studuit omnibus diebus vitæ suæ administrare. Feruens erat magnificentia sermonis corda duræ ceruicis emollire, & ex sale sapientiæ & charitatis melle condire. Reclinatorium aureum facta est Christi ancillarum, & quasi Delbora sedens sub palma, id est, sub tuitione crucifixi prouidens salutem animarum. Egressa ergo est Regem Salomonem videre, vt Syon filia, despiciens cuncta vilia, nõ quasi vagabunda Dyna, quam statim inuenit diaboli ruina. Accepit propheticum librum de manu porrigentis, scriptum intus & foris, intus sensum obscurum intelligentiæ, foris apertum multis mysteriis nostri Saluatoris. Quo libro sancta virgo erat cibata, quia intus & exterius omni scientia scripturarum erat illuminata. Ad pedes Domini sedens cum Maria, audiebat verbum illius in contemplatione, foris autem cum Martha satagebat circa frequens ministerium in pauperum ratione.

Bona sua vult esse secreta.

EADEM vero fidelis & deuota, Lyę & Rachelis mystica obtinuit dona, in Lya fœcunda, fœcunditate Christi ancillarum sibi commissarum, in Rachele formosa, formositate contemplationis animarum sanctarum. Bona enim quæcunque gessit voluit esse secreta, vt caperet mercedem in fine à Domino læta, vt spiritus carni potuisset dominari, & caro spiritui famulari. Delectabatur in Domino, & dedit illi delectabiles cordis petitiones, scilicet vt post terminum vitæ, a fugeret æternos labores. VII.

Psal. 72.

CVM autem sibi finem huius flebilis vitæ appropinquare intelligeret, corde & ore sæpe ruminabat verba Psalmistæ dicens: Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Deo spem meam. Et in manus tuas commendo spiritum & animam meam. Respondit ei quasi inuocatio sponsi: Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni, inclina aurem tuam, audi & vide filia, quia post clare lucebis inter lilia sanctarum virginum, & sicut inter infinitos herbarum flores lilium. VIII.

SANCTA itaque Deo dignissima virgo Erendrudis certa de præmio æternæ remunerationis, caute se muniuit deifico viatico & dono perfectę confessionis, virginum cateruas sibi commissas cœlesti sponso commendans, accensisque lampadibus, cum prudentibus virginibus obuiam sponso processit, plena operibus bonis & eleemosynis, liberata de huius vitæ ergastulo, II. Calend. Iulij, gaudium Domini intrauit, maximumque luctum & fletum cum lachrymosis suspiriis, cunctis non solum virginibus, sed & aliis aduenientibus pie Deum colentibus dereliquit. Aderant sine dubio in illius vocatione spiritus Angelici, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginumque chori, laudantes & benedicentes Dominum, qui eam liberauit de huius mundi voragine & incerta habitatione hominum, & perduxit in æterna tabernacula, vbi cum omnibus sanctis gaudet per cuncta sæcula. IX.

Obiit.

Sepelitur.

SEPVLTA est autem in crypta eiusdem Monasterij cum decenti honore, ibique colitur maxime à virginibus in virginali decore. Miraculorum autem signa quæ per eius merita Dominus dignatus est facere diuersis corporibus, in multis hominibus, præ multitudine non possumus scriptis commendare, sed neque visa neque audita præsentes valent enumerare, sed in omnibus beneficiis suis dator omnium bonorum, laudetur & glorificetur Deus in sæcula sæculorum, Amen. X.

Cæsarius scriptor miraculorũ S Erendrudis.

CVM in his quæ ad cultum diuinum, gloriam & laudem sanctorum pertinere dignoscuntur, non maligna sed potius benigna & deuota interpretatio ac diligentia sit adhibenda: Vnde Pater & Domine reuerende, ego Cæsarius, Capellanus vester in Nunburga, vestris piis ac sanctissimis medullitus congaudens desideriis, non ausu temerario, sed pietatis vestræ iussu armatus benigno, miracula sanctæ Erendrudis virginis gloriosæ, quantum paruitas ingenij mei sufficit, scribere visus sum, prout ex relatione antiquorum didici non solum sanctimonialium, sed etiam extraneorum fide dignorum, sicut etiam iam viginti octo annorum, quibus in officio diuino, in dicto Monasterio desudaui, certa comperi experientia, infra scripta studui comportare. XI.

Henricus Imp. ab epilepsia curatur. de quo, tum alibi non legitur eum illo morbo laborasse.

PRIMO & principaliter de curatione sancti Heinrici Imperatoris cognomento pij, qui vt dicitur, permittente siue disponente Deo morbum incidit phrenesis siue epilepsiæ, & multa medicorum solicitudine curari non potest, multorum etiam sanctorum liminibus visitatis, tandem ad tumbam sanctæ Erendrudis peruenit, & optatæ sanitatis sortitus effectum, reliquias eiusdem gloriosæ virginis impertiri sibi petiuit, & easdem annulo aureo recludi fecit, collo suo iugiter portauit, & interim motum siue rabiem dictæ infirmitatis nunquam sensit, & ad tumbam prędictam duo calcaria aurea obtulit, pro quibus curia quædam in Austria, dicta Vladniz comparata, adhuc ipsi Monasterio deseruit. XII.

Henricus Imp. reædificat monasterium S. Erendrudis.

ACCIDIT quoque non longo temporis interuallo interposito, vt Monasterium Nunbergense cum claustro adhærente, quod beatus Rudbertus vna cum Duce Theodoberto fundauit, quod tunc situm fuit in loco, vbi nunc est cella Sacerdotum, vt patet in ruina murorum & fundamentis ipsorum, per ignem penitus destrueretur, & eodem tempore præfatus Imperator balneum quoddam intrauit, & reliquiis perditis in infirmitatem sæpe dictam recidiauit, prædicti Monasterij exustionem in spiritu cognouit, & quod beata virgo MARIA sanctaque Erendrudis per eum ruinam Monasterij supradicti vellent reparari, & ad meliorem statum & situm reduci. Vnde factum est, vt pius Imperator vrgente eum infirmitate ad tumbam sanctæ Erendrudis deuote remearet, vidensque locum desolatum & igne deformatum, vouit Deo omnipotenti, beatæ & gloriosæ virgini MARIÆ, sanctæque Erendrudi, vt si ab ante memorata releuaretur ægritudine, Monasterium à fundamento vellet reædificare, & statim ad tumbam sanctæ Erendrudis cum lachrymis & oratione feruenti prouolutus, sanitati pristinæ est restitutus, & sicut vouerat Monasterium cum adhęrente claustro, vbi nunc situm est, pulchro schemate, vt liquido apparet, construxit: & donauit Ehrenprechtsforff situm in Longee / siue Lungaw / cum omnibus suis attinentiis ad honorem Dei omnipotentis & dictarum patronarum sanctæ MARIÆ virginis & sanctæ Erendrudis, sanctimonialibus ibidem Deo seruientibus. XIII.

Corpus S. Erẽdrudis transfertur.

PERACTA quoque & ædificata structura, tam Monasterij quam aliarum officinarum, & dedicata Ecclesia in honore sæpedictarum patronarum, ipso Imperatore præsente, per beatum Hartwicum Archiepiscopum, corpus sanctæ Erendrudis de antiquo tumulo, in crypta vbi nunc requiescit summo cum honore translatum fuit, scilicet in altaris medio collocatum, licet antea per beatum Virgilium miraculis plurimis attestantibus fuerit canonizatum & translatum. XIV.

Rapiens de reliquiis eius excœcatur.

S. Mazalini Abbatis sepulchrum & miracula.

CVIVS translationi vltimæ etiam interfuit Mazalinus Abbas sancti Petri, frater Wiradis Abbatissæ, qui præsumptuose rapuit os pectoris sanctæ Erendrudis, quapropter cæcitate statim percussus, omnesque qui aderant, perterriti & obumbrati quibusdam tenebris quasi eclipsi stabant compuncti. Ipse vero Mazalinus reatum suum agnoscens cum lachrymis & suspiriis beatæ Erendrudi supplicauit vt sibi ignosceret, quod venerandas reliquias ipsius ausu temerario præsumsisset attrectare. Promittens Deo sanctæque Erendrudi, si visum pristinum eius meritis atque suffragiis impetraret, Abbatiam vellet resignare, & vitam eremiticam eligere. Qui statim illuminatus Abbatiam resignauit, & in monte caprarum vsque ad obitum suum vitam solitariam duxit, & in Monasterio memorato circa cryptam sanctæ Erendrudis ad ianuam Aquilonarem est honorifice tumulatus, qui etiam sanctus reputa- XV.

reputatur, quam multa beneficia ad ſepulchrum eius languidis & tribulatis miſericordia diuina patrare dignatur. Legitur etiam de ipſo Mazalino, quod cum iam obiiſſet, ruſtici ipſi ipſum currui impoſuerunt, & ad Eccleſiam ſancti Petri volentes eum vehere, quantumcunque boues ſtimularentur ad viam directam, tamen concito gradu ad Monaſterium ſanctæ Erendrudis properabant, quia viuens ibidem ſibi elegerat ſepulturam.

XVI. FERTVR ſiquidem de prædicto viro Mazalino, quod cum ſoror ſua Wiradis Abbatiſſa ſubditas ſibi Moniales rigide gubernaret, eaſdem ipſa via laudabili & honeſta conuerſatione ſemper præiret, quædam ex Monialibus concepit, & cum iam tempus parturiendi inſtaret, anxia & nimis turbata, neſciens qua via tegeret ſcelus commiſſum, & qualiter euaderet Abbatiſſæ acerbitatem, pœnamque ſibi infligendam, & in oratione ſe proſternens in Capella ſancti Viti, vberrimaſque lachrymas effundens, anguſtiis & tribulationibus vndique conuoluta, non ſolum de ſua preſſura & dolore imminente, verumetiam de partu quid eſſet factura, & ſic in oratione poſita obdormiuit. Cumque euigilaſſet, & nihil conſolationis humanæ nec diuinæ inueniret, in deſperationem ducta inuocato ſpiritu maligno dixit: O diabole fer mihi auxilium in hac maxima tribulatione, & dabo tibi hunc fœtum quam producam cum corpore & anima in damnationem ſempiternam. Interea dæmones gaudentes tranſibant cellam viri Dei Mazalini in eremo pernoctantis in oratione. Et quærens ab eis quo irent? Qui reſponderunt: Grande negotium habemus. Qui ait: Ite, & peracto negotio per Deum viuentem vobis præcipio ad me redeatis. Qui euntes inuenerunt puerum iam natum, quem rapuerunt, reuerſi ſunt ad virum Dei, narrantes ei quæ geſta ſunt, quomodo mulier infœlix & deſperata, eis puerum cum corpore & anima tradidit in poteſtatem. Hoc audiens Mazalinus confiſus in Domino præcepit eis per Deum viuum & verum, vt puerum ſibi relinquerent. Qui ſtatim puerum in cella viri ſancti proiicientes, volantes per viam ſuam abierunt. Eadem autem nocte vir Dei ſurrexit puerum accipiens, & mane ante diluculum venit ad portam Monaſterij exſpectans quando veniret Abbatiſſa & ianuas reſeraret, quod per ſe ſingulis diebus & noctibus faciebat, qua veniente & vidente fratrem ſuum, multum attonita mirabatur, dicens ei: Ad quid veniſti frater? Qui reſpondens dixit Abbatiſſæ: Propter auſteritatem & malitiam veſtram quam exercetis in ſubditas veſtras (oſtendens ei puerum dicens) hæc anima in damnationem & poteſtatem diaboli fuerat tradita, ſed mediante gratia & miſericordia Dei eam eripui de manibus ſpirituum malignorum, narrans ei omnia per ordinem geſtæ rei, præcepitque ei in virtute Dei & ſanctæ obedientiæ, vt de cætero miſericordius, exemplo beati Benedicti, cum ſubditis ſibi ageret, & miſericordiam iudicio ſuperexaltaret. Fecitque puerum ſtatim baptizari & tradi nutrici ad alendum, quouſque in fide Catholica inſtrui poſſet, ac plenius informari. Vir autem Dei in eremum ad cellam ſuam cum gaudio remeauit, gratesq; Deo omnipotenti referens de ereptione animæ pueri à diabolica ſeruitute.

XVII. PRÆTEREVNDVM etiam ſilentio non eſt, qualiter patronæ glorioſæ, beata virgo & ſancta Erendrudis locum & poſſeſſiones ſui Monaſterij ſuffragiis defenſare iugiter, & à ſæuientium luporum fraudibus ſæpius eripere curarint. Temporibus Domini Friderici de Walchen Archiepiſcopi Salzburgenſis memoriæ venerandæ, accidit vt de terminis ſiue metis mineræ ſalium, & de fodina ſalis intra & extra in monte **Dürrenberg** / inter Dominam Diemudem de **Velben** / Abbatiſſam in **Nunberg** / ex vna, & fratrum conuerſorum de Salem ex parte altera, lis maxima eſſet ſuborta, quæ lites ad iuſſum prædicti Archiepiſcopi, & conſilium ſapientum ordinatum eſt, vt magiſtri montium ſuis particis & menſuris fideliter experirentur, quæ pars alteri præiudicaret. Quod cum factum eſſet, quidam frater Albertus, ſalutis ſuæ immemor, dictos magiſtros montium fraudis ſuæ malitia corrupit, vt particas de fodina extractas indirecte collocarent in præiudicium Eccleſiæ Nunbergenſis. Quibus peractis, prætaxatus Archiepiſcopus cum ſuis optimatibus & nobilibus montem aſcendens, terminum partibus præfixit, ad litis diſcordiam decidendam. Nocte vero præcedenti, præfata Abbatiſſa Diemudis cum antiquioribus ſanctimonialibus de conuentu accedentes ad altare S. Erendrudis, & lychnis ipſum altare per quadrum menſurauerunt, & exinde candelas formauerunt, quibus accenſis in oratione proſtratæ, vſque ad conſummationem luminum in deuotione perſeuerarunt. Mane autem facto, iter arripientes, dictum montem aſcenderunt. Epiſcopus ſæpedictus perſonaliter iudicio præſidens, aſtantibus nobilibus & vniuerſis qui aderant, primum vocauit fratrem Albertum ante dictum, & ab eo requiſiuit, ſi bene & fideliter & ſine fraude, tam in fodina quam in agro per terram, particæ ſiue menſuræ eſſent collocatæ. Ipſe frater flexis genibus coram Archiepiſcopo erecta manu, & indicto ſibi iuramento dixit. Sic me Deus adiuuet, & beata virgo & ſancta Erendrudis. Hoc dicto & iuramento imperfecto, procidit ad pedes Archiepiſcopi ſæpedicti, & mortuus eſt cunctis ſtupentibus & mirantibus cum luctu deportabatur, mercedem ſuæ fraudis receptutus iuſto iudicio Dei. *Peierans ſubito moritur.*

XIIX. QVIDAM lepra infectus pluribus videntibus, & à multis reprehenſus clara luce cryptam S. Erendrudis intrauit, & ad tumbam eius proſtratus in oratione, multo ſpacio diei ibidem perorauit, ſanus corpore & vultu hilari coram omnibus Eccleſiam exiuit, pruritus etiam in loco, vbi ſanatus fuit, tanquam ſquamæ inuentus eſt à pluribus miraculum volentibus indagare, omnipotentis Dei miſericordiam & ſanctæ Erendrudis merita dignis laudibus excolendo. *Leproſus ſanatur.*

XIX. MVLIER quædam de Halaberck, vxor Conradi dicti **Taurſtayn** / ciuis Hallenſis, puſtulis circa lumbos ſauciata in tantum quod ambulare non poterat, ſed tantum portabatur hinc inde in grabato. Item eadem mulier valde elata, etiam lepra elephantia percuſſa, nulla arte medicorum, quia dives erat, nec per medicos de ſtudiis generalibus vocatos, nec per magiſtrum Simonem Monachum de **Raytenhaßlach** / cuius nomen adhuc ibidem clarum habetur, liberari poterat. Sed conſilio quorundam inducta, in Tetingam in curru quodam vecta, peruenit ad quandam fœminam ſanctam, quæ habebat gratiam curationum, & operibus miſericordiæ plenam, quæ plurimos diuerſis infirmitatibus preſſos curauit. A pauperibus nullam mercedem recepit, ſed gratis eos pauit, & medicinam quam potuit impendit. Prædicta vero mulier leproſa cum ad domum ſanctæ fœminæ veniſſet, in cathedra eam præ foribus coram ſe locauit, & non multum eam conſiderans, præmiſſa oratione, ſicut ſemper facere ſolebat, mulieri præſente Magiſtro Simone & alia familia ſua dixit: Domina, omnes medicinæ de mundo pro vobis impenſæ, vobis prodeſſe non poſſunt. Sed conſulo vt eatis Salzburgam ad ſanctam virginem Erendrudem, ibi ſanitatem conſequi poteſtis, diuina gratia cooperante: Quia dicta fœmina omnes infirmos ad ſe confluentes, quos curare non poterat, ad limina ſanctorum direxit. Memorata ſiquidem leproſa aptatis curribus, ad cõſilium beatæ fœminæ, ad ſanctam Erendrudem perrexit, & ibidem tribus diebus in oratione & lachrymis deuote perſiſtens, ſanata eſt à puſtulis & lepra, mediante Saluatoris gratia & miſericordia, ſuffragantibus ſibi meritis ſanctæ Erendrudis virginis glorioſæ. Quæ quidem cum gaudio ad propria remeauit, & poſt mortem mariti ſui multis annis ſuperuixit, ſed depauperata nimis, licet antea diuitiis abundaret, noſtris temporibus viſa eſt & cognita à multis, inter homines & ſuos conciues, ſana & incolumis vſque ad mortem eſt conuerſata. *Item alia.*

XX. ERAT quidam mercator de domo & familia ſanctæ Erendrudis, nomine Martinus, qui vouerat Deo & beatæ Mariæ ſanctæq; Erendrudi, quod non contraheret cum aliqua, niſi cum ea quæ eſſet de patrocinio Eccleſiæ Nunbergenſis. Qui tamen oblitus voti cum aliena cõtraxit, & modicum poſt tempus percuſſus lepra, quam plagam quidem

in se recognoscens compunctus rediit ad cor, cogitauit quod Deus propter voti fractionem hoc in eo fieri permisit. Et veniens ad altare sanctæ Erendrudis cum fletu & gemitibus intimis supplicans beatæ Erendrudi deuote de recuperanda sanitate. Vocata etiam Domina Maria Abbatissa, piæ memoriæ, de transgressione commissa veniam postulauit. Quæ compassione mota, preces deuotas super eum fudit, & à Deo & beata virgine Maria, sanctaq; Erendrude veniam eidem postulauit, qui in domum suam abiit, & vestigium lepræ amplius in eo non apparebat.

Item alius.

XX. QVIDAM colonus Monasterij sæpedicti de familia Ecclesiæ nomine Fridericus de Alchaming de territorio Titmaning cum aliis septem volens visitare limina Apostolorum Petri & Pauli, transiens Salzburgam venit ad altare sanctæ Erendrudis, vbi sacra ossa ipsius sunt recondita, se & sua deuote recommittens beatæ Erendrudi, & profectus venit in terram Latinam cum aliis sibi associatis. Qui dum prope Ferrariam in quodam hospitio pernoctassent, venerunt latrones, domum vallabant, de morte peregrinorum cogitantes. Quod audientes peregrini, intra se gementes & flentes nimis angustiati, nec quisquam eorum audebat verbum etiam minimum loqui, & sic per totam noctem anxij & perturbati. Appropinquante vero die prædictus Fridericus captus somno, venit ad eum quædam Domina pulcherrima in veste religiosa dicens: Surge: Quid dormis? Qui dixit: Quæ estis vos? Quæ respondit: Ego sum illa, cui te Salzburgæ deuote commisisti, vade securus tu & comites tui & non timeatis. Quam visionem narrans fratribus, qui surgentes per cancellas & rimas prospiciebant, neminem viderunt nec audierunt, in viam suam læti & incolumes abierunt, Deo & beatæ Erendrudi grates debitas referentes.

Viatores à latronibus liberat.

XXI. VIDVA quædam, dicta **Ruzenlacherin** / iuuenis & pulchra de fauore Ducum Baioariæ, possessiones Monasteriorum sancti Petri, & Nunberg, in sylua quæ dicitur Weylhart, per strepitum iudicij sæcularis, indebite contra Deum & iustitiam occupauit, ad forum Ecclesiasticum auctoritate Papali citata venire contempsit, sed tandem per iudicem spiritualem excommunicata & denunciata perstitit in malitia sua. Et cum quadam die mitteret nuncium siue præconem ad quendam colonum Monasterij Nunbergensis pro seruitio extorquendo, equulum rustici volens sibi pro pignore violenter educere, rusticus clamans post eum dixit. Dimittas hic equum vsque post culturam agrorum, quod te Deus adiuuet & sancta Erendrudis: Et præco respondit: Quid dicis de tua Erendrude? Equum pauperis eduxit, & cum transiret portam curiæ, de equo suo cecidit, iudicio Dei percussus expirauit. Mulier vero supra notata nec sic compuncta, postmodum licet iuuenis in contumacia sua persistens, in breui vitam finiuit.

XXII. FABER quidam Chunradus dictus **Rohtschmidt** / ciuitatis Salzburgensis, in dextro latere percussus apoplexia, & tredecim hebdomadibus officio manus & pedis destitutus, auxilium diuinum & multorum sanctorum iugiter implorando. Finaliter cum dolor & molestia & compunctiones acutissimæ nimium ipsum vrgerent, ad beatam Erẽdrudem currebat, eius suffragia fiducialiter expetẽdo. Et quo corporaliter ire non poterat, mentis deuotione ferebatur. Nocte vespere igitur quadam, finitis vesperis, cum dolores infirmorũ plus solito acuuntur, candelam suæ staturæ per matrẽ & vxorem suam ad S. Erendrudem direxit. Quibus cum introitus Monasterij nõ pateret, sed ad ianuam in oratione se prosternentes, B. Erendrudem suppliciter inuocando, lumine accenso non multum morando, quia nox instabat, sed inde recedentes, antequam ad hospitium redirent, dolor viri sensibiliter fuit mitigatus, & eadem nocte ac die sequenti sanitas rediit, & officio manus & pedis, necnon totius lateris, de misericordia Dei & meritis S Erendrudis est integraliter restitutus, beneficium quoq; sibi impensum plusquam nouem annis occultauit, & sanctam Erendrudem frequentius visitando, pro modulo suo ipsam venerando.

Faber liberatur ab apoplexia.

XXIII. ANNO Domini millesimo trecentesimodecimo octauo Magister Ioannes Parisiensis, artis medicinæ competenter instructus, per annum dimidium & vltra in brachio dextro dolore vehementi & continuo cruciabatur. Cum nec aliquo remedio per propriam solicitudinem, nec aliorum consilio posset releuari, tandem consilio, inductus deuotorum, Altare S. Erendrudis virginis, vbi corporaliter quiescit, præsentialiter accedens, se in orationem, sicut deuotius potuit prostrauit. Primo & secundo sanitatem peroptatam non consecutus, quia plerumq; spes differtur, vt desiderium crescat. Tertio rediens spe ampliori permotus, pio proposito Altare accedens, talibus verbis sanctam Dei allocutus: O beata Erendrudis virgo gloriosa, si verum est, quod de vobis dicitur, cantatur & legitur, quæso à languore & dolore huiusmodi me dignemini liberare, & cum brachio tangens Altare sanatus est, & cum gaudio ad propria remeauit.

XXIV. ITEM anno Domini M. CCCV. Quædam mulier nomine Haylbirg, lotrix & paupercula, in die depositionis sanctæ Erendrudis, quia tunc etiam est dedicatio cryptæ in Nunburga, finitis Missarum solemniis accedens ad Altare, sanctam Erendrudem sic est allocuta. Tu nosti virgo sacratissima, quod ego multum indigens sum, à paupercula, & habeo multas vestes hodie abluendas, vnde deprecor te in Domino, vt mihi non irascaris, quia vacare non possum. Quæ recedens post prandium cœpit lauare vestes sicut aliis diebus facere solebat. Et cum vltimam vestem extergeret, incuruata est eius manus dextera. Quæ anxia & turbata nimis fleuit amarè, nesciens quid esset factura. Mane vero sequenti spe diuinæ misericordiæ armata, accessit Altare S. Erendrudis sic orauit: O sancta Erendrudis, propter gaudium quo tu frueris coram Deo cum omnibus sanctis & Angelis Dei, lætifica me miserrimam peccatricem, quia grauiter deliqui & offendi te. Vnde deprecor te ignosce mihi, & restitue mihi manus meæ pristinam sanitatem. Et hoc dicto manum curuam ponens super Altare, & sanata est: & in signum huius sanationis infra iuncturam ipsius manus statim apparuit quidam nodus subter cutem ad magnitudinem nucis magnæ per duos annos, & decrescebat & augmentabatur secundum cursum Lunæ. Mulier vero prædicta sanitatis auida, iterum recurrens ad sanctam Erendrudem supplicauit, vt eius meritis & suffragiis consequi mereretur integram & optatam sanitatem, quod & factum est, nodus disparuit, & hæc mulier adhuc superstes cicatricem omnibus volentibus videre ad oculum ostendit.

XXV. ITEM anno Domini M. CCCIX. Quædam mulier de Salzburga, peccatis suis exigentibus visu priuata per annos quatuor, licet homines & alias creaturas huius mundi plene videret, corpus Chtisti nec procurandis infirmis in Altari, in manu Sacerdotis videre non potuit quocunque se diuerteret. Tandem anno quinto Spiritu Dei ducta, quandocunque capta hora & die quotiescunque & ipsa celebrantur diuina apud sanctam Erendrudem per integrum annum deuotabatur: Sanctæ Dei deuote supplicando, vt apud Deum pro ipsa intercedere dignaretur. Cumque deuotionem suam continuaret, Missas audiendo, anno sexto in manu Sacerdotis celebrantis quadam die Dominica circa Altare sæpedictum corpus Christi vidit, & postmodum semper suffragante sibi gratia Dei & meritis sanctæ Erendrudis ob beneficium sibi impensum Deo & beatæ Erendrudi grates quas poterat referens, locum frequentius visitauit, miraculum etiam in eadem factum, quantum potuit, occultando.

XXVI. ITEM Attauus Radekariorum dictus Gerhohus iuuenis existens, vouit beatæ Erendrudi singulis annis pro cẽsu quinq; denarios se daturumq; aliquibus annis fecit, videlicet quinque, sed postmodum repescere cœpit. Vnde factum est, vt vna sanctimonialis dicta **Harschicherin** / eidem familiaris vna noctium audiret vocem sibi dicentem.

Dic

Dic Gerhoho vt ſoluat ſanctæ Erendrudi quod promiſit, aut male habebit. Quæ de mane vocauit dictum Radekarium, quærens ab eo quæ promiſerit ſanctæ Erendrudi, qui confeſſus eſt de quinq; denariis cenſualibus vſq; in finem vitæ ſuæ. Tunc monialis quod audiuit eidem narrauit, qui recedens verba huius non aduertit. Altera vice venit vox, & eidem Moniali dixit: Dic Gerhoho, quod beatæ Erendrudi exſoluat quod promiſit, aut damnum maximum ſuſtinebit. Quæ vt prius ipſum præmonuit, ſed minime curauit. Tertio aduenit vox ad eandem: Dic Gerhoho, quia iam admonitus bis, promiſſum ſuum adimplere neglexit, & votum tranſgreſſus eſt, iam tempus adimpletum eſt, & beata Erendrudis dilationem ampliorem ſibi non dabit, quod ipſe recipiet damnum quod ipſe & omnis parentela ſua nũquam recuperabit, quod & factum eſt. In breui quidem poſtmodum caſtrum Matſee perdidit, & omnibus bonis ſpoliatus eſt, nec non poſſeſſionibus, equis, pecoribus, & aliis mobilibus & immobilibus quibuſcunque. Hæc tempore Dominæ Diemudis de Velben Abbatiſſæ inchoata ſunt. Sed tempore Dominæ Eliſabeth Abbatiſſæ, nepotes dicti Gerhohi, redeuntes ad cor, vnam puellam militarem, dictam Dymudem Tuntingerin, ſuper Altare ſanctæ Erendrudis libere obtulerunt, ob dicti cenſus refuſionem.

DE S. MARTIALE EPISCOPO LEMOVICENSI, ANN. 70.

VT HABETVR IN LIBRO DE GLORIA CONFESSORVM S. GREGORIJ Turonen. Epiſcopi cap. 7.

IGITVR ſanctus Martialis Epiſcopus à Romanis miſſus Epiſcopis, in vrbe Lemouicina prædicare exorſus eſt. Euerſisque ſimulacrorum ritibus, repleta iam credulitate Dei vrbe, migrauit à ſæculo. Erant tunc temporis cum eo duo Presbyteri, quos ſecum ab Oriente adduxit in Gallias. Verum vbi completi ſunt dies eorum, vt & ipſi vocarentur de hoc ſæculo, coniunctis ſarcophagis, in eadem crypta, in qua ſanctus Epiſcopus, ſunt ſepulti. & vnus quidem parieti proximus, alter vero contiguus erat, ſuper terrã tamen vterque ſtabat, ſed non poterat alteri propter illum, qui primus erat, honor impendi, hoc eſt, non ipſa palla expandi poterat, non lumen accendi. Quod cum incolæ loci moleſte ferrent, quodam mane accedentes ad cryptam, inuenerunt ſepulcra diuerſis parietibus eſſe locata, & ſic acceſſus liber ad vtrunque ſepulcrum patuit.

IVNII 30. S. Martialis fit Epiſcopus.

Ecce quomodo antiquitus ſancti honorabantur.

VITA EIVSDEM S. MARTIALIS EPISCOPI LEMOVICENSIS ET GALLIARVM APOSTOLI, CONSCRIPTA AB AVRELIANO Lemouicenſium Epiſcopo, Diui Marcialis auditore olim eius beneficio à mortuis excitato edita vero ex MS. Eccleſiæ S. Marcialis Pariſiis à R. Fr. Thoma Beaulxamis Carmelita. ANN. 60.

I. PRÆDICANTE Domino noſtro IESV Chriſto apud Iudæam, in tribu Beniamim, confluebat ad eum multa turba Iudæorum, deferens ei quæ neceſſaria erant ad manducandum & bibendum: ſimulque audire deſiderans quæ ad animarum pertinent ſalutem. In cuius medio venit ad eum ex ſupra dicta tribu, vir quidam nobiliſſimus Iudæorum nomine Marcellus, cum vxore ſua nomine Elizabeth, & filio vnico Marciale quindecim annorum ætatis. Audiente autem prædicantem Dominum, & dicentem: *Matt 4.* *Ioan 3.* Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum: Niſi qui renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei, ſalubria vitæ præcepta: Compuncti corde cœperunt efflagitare eius immenſam clementiam, vt ſicut ipſe prædicabat, iuberet eos fonte baptiſmatis regenerari. Tunc iubente Domino baptizati ſunt à beato Petro Apoſtolo, Marcellus ſcilicet cum vxore ſua Elizabeth, & eximiæ indolis Marcialis eorũ filius; Zacheus quoque, & Ioſeph qui poſtea Dominum ſepeliuit, multiq; alij Iudæorum, quos longum eſt reuoluere ne in immenſum ſeries recenſita, tędere videatur.

IVNII 30. Occaſio qua pater & mater Marcial. ſeſe Chriſti ferulæ ſubdiderunt. Baptizatur familia Marcelli à Petro.

II. REVERTENTIBVS vero omnibus ad propria bonæ ſpei non eſt reuerſus ad paternam domum, ſed totum ſe Domino commendans, & eius diſciplinæ iugiter inhærens, ſociauit ſe Apoſtolo Petro, qui ei proxima affinitate conſanguinitatis iungebatur, eiuſq; inſtinctu, Domini ac magiſtri ſui in omnibus obſecũdare curabat ſalutaribus præceptis. Poſt multum vero temporis [a] ſuſcitauit Dominus quatriduanum Lazarum in Bethania: ibiq; ſanctiſſimus Marcialis cum Domino interfuit. Conſummata vero ſaluberrima Domini noſtri Ieſu Chriſti prędicatione, quando cum diſcipulis corporaliter cœnauit, ac miſteria eis corporis & ſanguinis [b] ſui in panis ac vini ſacramento contradidit: pedesq; eorum ab ipſis ſurgens dapibus lauit, & linteo deterſit: Iſte ſanctiſſimus vir Marcialis ad ſeruiendum fuit deputatus cum Cleopha, ac multis aliis [c] Diſcipulis, vt ea quæ tali apparatui neceſſaria erant, ipſi ſupplerent, cibi videlicet & potus copiam, & aquam ac linteamina ad diſcipulorum pedes abluendos & detergendos. Poſt ſacram quoq; ac venerabilem reſurrectionem, quando ipſe Dominus Ieſus Chriſtus [d] non in ænigmate, ſed in eo habitu & forma quam hominibus aſſumpſit, apparere dignatus eſt diſcipulis ſuis, & dixit illis: Pax vobis, illi vero turbati exiſtimauerunt ſe ſpiritum videre, donec Domini iuſſu palpandas manus ac pedes viderunt quod ipſe coram eis partem piſcis aſſi, & fauum comedit: Sanctiſſimus Marcialis ſicut alij diſcipuli partem reliquiarum accipere meruit. Cum vero Apoſtoli ſecundum quod ſibi à Domino [e] fuerat imperatum in Galilæam, videndi Dominum cauſa properarent in montem, vbi ipſe iuſſerat: beatus Marcialis vtpote nullo alio vel ad momentum pene recedens loco, poſt ſacri baptiſmatis perceptionem, & quod beatus Petrus ſpeciali amore conſanguinitatis ei vinctus fuit, cum ipſis perrexit, ac poteſtatem prædicandi Euangelium ab ipſo Domino, ſicut cæteri Apoſtoli ſuſcepit, dicente Domino, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & Spiritus ſancti. Cumque aſcenſurus die quadrageſimo poſt reſurrectionem eduxiſſet diſcipulos foras in Bethaniam, ac eleuatis manibus ferretur in cœlũ, & benediceret eis, memoratus vir [f] Marcialis cum aliis apoſtolis benedici meruit, & cum ipſis in ieiuniis & orationibus perſtitit, quotidie intrans & exiens cum illis laudans Dominum, & benedicẽs Dominum, quouſq; die decimo aſcenſionis Chriſti ad Patrem, Spiritum in igneis linguis ſuper ſe venientem vidit, ac cum aliis Apoſtolis edoctus, omnibus inuincibilis reſurrectionis Chriſti extitit teſtis.

Luc. 24.

Marcialis paterna domo relicta, Chriſtum ſequitur.

[a] Adfuit cum reſuſcitaretur Lazarus.

[b] Sacramẽtum Corporis & Sanguinis.

[c] Miniſtrauit Chriſto & diſcipulis in Cœna.

[d] Aderat Marcialis, cum Chriſtus ſuis die ipſa reſurrectionis appareret.

[e] S Marcialis à Domino poteſtatem prædicandi accepit.

[f] Adfuit cum Chriſtus in cœlum aſcenderet, & ab eo benedictionem accipere promeruit.

III. DEINDE poſt perceptionem ſancti Spiritus, beati apoſtoli in fide roborati, paſſim per regiones diſperſi, vnuſquiſq; prouinciam ac regionem quam ſaluberrima prædicatione diuini ſeminis illuſtraret, delegit. Tunc beatus Petrus Apoſtolorum princeps, & beatus Marcialis condiſcipulus eius & propinquus, anno ſecundo & viceſimo Imperij Tyberij Cæſaris, hoc eſt quinto anno poſt paſſionem domini Antiochiam ſimul perrexerũt, cum multis ſibi ſociatis diſcipulis, prædicantes publice Euangelium regni cœlorum, ac dicentes: debere agi pœnitentiam omnium peccatorum. Rogante autem beato Petro, ſanctus Marcialis prædicabat inceſſanter verbum Dei. Prædicantibus vero illis, tantam gratiam contulit dominus, vt innumerabilis populus conuerteretur ad Chriſtum, & facti Chriſtiani multas

S Marcialis die Pẽtecoſtes cum aliis ſpiritũ ſanctum accepit. Quando Petrus & Marcialis Antiochiam perrexerunt.

construerent, in locis quibus non erant, basilicas. Ordinatis autem Episcopis ac presbyteris cum Diaconibus præfatis omnibus Ecclesiis quas construxerant: monuerunt eos memorati ambo discipuli Domini, vt audita à se salutaria præcepta ad memoriam reuocarent, ac mente deuota procurarent illi soli inhærere, à quo redempti essent vnda sanguinis ac signati fonte baptismatis.

Basilicæ ab eis construuntur.

Quot annis Petrus sederit Antiochiæ & quando Romam venerit Marcialis comes Petri.

INTEREA his rite peractis, beatus Petrus Apostolorum princeps anno secundo Imperij Claudij Cæsaris, ab Antiochia in qua per septem annos Episcopus sederat, Romam pergens secũ abire sanctum Marcialem permisit, vt quorum vnum erat sanctitatis studium ac dilectionis insigne meritum, eorum etiam fieret cõmune remunerationis præmium: Pergentibus vero eis, comitati sunt eos quidam è discipulis ab Antiochia. Inter quos fuerunt Alpinianus & Austriclinianus, & multi alij. Ingressi itaque [a] Romam, recepti sunt in hospitium à Marcello consule Romanorum, & habitauerunt domi eius multis diebus, pdicantes publice saluberrima vitæ præcepta, ac denunciantes se à Domino Christo missos, vt relicto errore simulacrorum verum Deum in tribus personis existentem agnoscerent, & cognitum colerent, ac eius se seruos scirent, qui cruce suspensus eos mercatus est cruore. Commorantibus autem eis illic apparuit [b] Dominus beato Petro, anno secundo postquam venerat Romam, & monuit eum vt dirigeret beatũ Marcialem ad prædicandum prouinciis Galliarum, vt populus qui à diabolo tenebatur, tandem auditis æternæ vitæ præmiis, deserens profanum errorem, Christi se mancipandum traderet seruitio, atque ad veram religionis fidem, à superstitioso conuerteretur errore. Tunc B. Apostolorum princeps Petrus accersito beatissimo viro Marciale, per ordinem narrauit ei omnia quæ sibi à Domino fuerant imperata. IV.

[a] Suscipitur Petrus cum suis Romæ à Marcello Consule.

[b] Dominus apparet beato Petro

Romæ eum monens, vt Marcialis in Gallias mittatur.

Nolebat Martialis à Petro dissociari.

QVO audito sanctissimus Marcialis grauiter cœpit flere, quia nolebat dissociari à B. Petro. Timebat longinquam regionem & homines Deum ignorãtes, & veritatem prorsus nescientes, quem B. Petrus blãde [c] consolatus est, dicens: Frater sanctissime, noli contristari quia Dominus & magister noster semper erit tecum, sicut ipse nobis pollicitus est, dicens: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Præcepit etiam nobis post resurrectionem suam, dicens: Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Quod beatissime frater vtrisq; nobis expedit conseruare, vt præcepti Dominici non simus immemores. Quare, age, ô vir præstantissime, & meis adquiesce consiliis, quo fiat vt non nostro particeps efficiaris consortio: accinge lumbos tuos, & absq; retractatione aliqua quantocius festinare ne differas, populum qui dæmoniis noscitur deseruire, ad veram & integram diuini cultus religionem facias peruenire, vt amoto errore Gentilium, Christum valeat confiteri. Est namque ciuitas in [d] prouinciis Galliarum profano vacans errori, nomine Lemouix. Hanc cum adiacentibus tibi Christus commendat, vt tua prædicatione ab ipso sublimetur. Et quia tibi longa restat via, ne cuncteris meis parere sermonibus quibus coronæ tuæ magnum assumas brauium. Sume tecum duos discipulos, qui & comitatui tuo interfint, & tibi obsequium præbeãt, & coronæ præmium non amittant. In tantum [e] age, vt si tibi gladiator occurrerit, pro nomine Domini percutienti colla submittas, & sicut audisti à Domino: Qui te percusserit in dextra maxilla, præbe illi & alteram. Et qui te expoliauerit tunicam, dimitte ei & pallium. Tantum æquo animo esto. V.

Mat vl. Mar. 16.

[c] Consolatur à Petro.

[d] Lemouicũ Petrus Marciali commendat.

[e] Constãtia veri martyris & concionatoris

Comites diui Marcialis.

NEC mora, sacratissimus vir Marcialis adiunctis sibi duobus discipulis Alpiniano, atq; Austricliniano, iter iuxta quod ei fuerat per beatum Petrum à Domino iniunctum, arripuit. Et cum cepti itineris maturitate viam conficerẽt, contingit vt beatus Austriclinianus vnus è comitibus [f] migraret à sæculo, in loco qui Else vocatur. Quo viso beatissimus Marcialis [g] velocissimo gressu non intrepidus Romam repedauit, nuncians beato Petro omnia quę sibi in via acciderant. Quem ille percunctatus, dixit ad eum: Quantocius propera, sumpto batterio meo in manu tua. Cumq; ad locum [h] peruenieris, in quo fratrem exanimem reliquisti: tange ex ipso cadauer defuncti, & ego infundam orationem, statimque velut à somno expergiscetur, & continuo comitatui tuo inhærebit. Cuius verbis credulus idem [i] beatissimus, vix sumpto batterio in manu sua peruenit ad corpus, quo tacto membra, quæ calore sanguinis fuerant viduata, extemplo reduiua redduntur, & lucem, quam amiserat moriendo, propriis cœpit luminibus intueri. Quod ideo factum quis ambigat, nisi vt beati Petri fides clarescceret exhortantis, & beatissimus Martialis his incitaretur exemplis, quibus coronatus est meritis? Igitur beatus Marcialis cum discipulis suis permenso tam magno terrarum spacio, erat prædicans vbique seminarium verbum Dei. VI.

[f] Moritur Austriclinianus in via.

[g] Redit Marcialis ad sãctum Petrũ.

[h] Petri batteriũ Marciali datur.

[i] Resurgit Austriclinianus.

INGRESSVS itaq; Lemoicinium, venit ad Tullum castellum, & ibi receptus est in hospitium ab Arnulpho diuite, & mansit ibi duobus mensibus, in quibus diebus non cessauit à prædicatione diuina, sed semper verbum Dei omnib. ad se venientibus annunciare studuit. Erat vero tunc [k] vnum & triginta habens ætatis annos, tertio imperij Claudij anno. Multus vero populus audiens tam salubria monita, & videns signa, quæ Dominus per seruũ operabatur, quotidie ad eum confluebat, cupiens tam prædicatione illius instrui, quam & miraculis recreari. Præfatus autem diues Arnulphus [l] habebat vnicam filiam, quæ à dæmonio quotidie vexabatur. At vbi ingressus est beatus [m] Marcialis domum, exclamauit dęmon, dicens: Scio me egressurum de ista puella, quia angeli qui tecum sunt, me grauiter torquẽt. Sed adiuro te per Crucifixum quem prædicas, ne me in abyssum mittas. Tunc beatus [n] Marcialis dixit: Per ipsum crucifixum te adiuro vt exeas de corpore istius puellæ, & amplius non intres in eam, sed vade in locum desertum, vbi neque auis volat, neq; habitatio hominum est. Ad hanc vocem euomuit puella spiritum immundum, & quasi mortua facta est. Tunc beatus Marcialis tenens manum eius erexit eam, & reddidit patri incolumem. Sanctitas autem & benignitas ac magna humilitas erat in eo, & oratio assidua sicut pręceperat illi & aliis discipulis suis, dicens: Orate omni hora: nihil enim vnquam alios agere docuit, quod ipse prius non fecerit, & opere compleuerit. VII.

[k] Marcialis tum erat 31 annorum.

[l] Filia Arnulphi à dæmonio curatur.

[m] Diaboli verba.

[n] Exorcismus.

ALIVD quoq; non minus miraculũ p eũ operatus est Dominus in eodẽ loco, q̃ prętereundũ non est. Princeps nãq; illius castelli nomine Nerua, cõsanguineus erat Neronis Imperatoris. Cõtigit. a. vt filius suffocatus fuisset à diabolo, q̃ & mortuus est. Veniẽtes igitur parẽtes adolescẽtis, pater. s. mater & omnes q̃ aderant, ꝓpiecerunt se ad pedes B. Marcialis, cũ lacrymis dicẽtes, homo Dei adiua nos: Corpus. a. adolescẽtis ꝓpiecerunt ante eũ, cũ planctu, & magno eiulatu omniũ. Condolẽs itaq; vir sanctus lacrymis populi, flebat & ipse cũ discipulis suis. Et cũ ad hoc spectaculũ plurimi cõuenirẽt populi, beatus Marcialis [o] loquutus est. Omnes nos tam Christiani, q̃ etiã Pagani deprecemur Dominũ, vt resuscitare eũ dignetur. Ipse vero, & discipuli eius, & pauci Christiani q̃ ibi aderãt, Dominũ exorabant, vt eũ resuscitari iuberet. Sicq; B. Marcialis [p] Dominũ cœpit exorare dicens: Deprecor te Domine per vnicũ filiũ tuũ, & per Petrum, cuius iussu ad istam longinquã deueni regionẽ, vt resuscites hunc adolescentẽ vt isto resuscitato multi per me in te credant. Tunc cũ fiducia tenens manũ eius dixit. In nomine Domini nostri Iesu Christi, quẽ Iudæi crucifixerunt, & tertia die resurrexit à [q] mortuis, surge, & sta supra pedes tuos, & dic populo q̃ vidisti in inferno. Qui statim surrexit, atq; ad pedes beati viri se ꝓiiciens, cœpit clamare, dicẽs: Baptiza me [r] homo Dei, & cõsigna me signo fidei per q̃ saluus esse valeã, q̃a nemo aliter esse potest saluus, nisi fuerit baptizatus. Et adiecit [s] dicẽs: Duo angeli ad me venerunt cũ magno impetu, dicentes q̃ precib. sancti Marcialis suscitãdus essem. Infernus nullã habet [t] mensurã, ibi est fletus & amaritudo, ibi sunt tenebræ, mugitus & plãctus, ac tristitia magna, frigus & ignis magnus & horribilis nunquã deficiẽs, morsus serpentũ, & fœtor intolerabilis, & putredo atq; miseria & vermis, q̃ nunq̃ moritur. Ibi sunt carcerarij infernales, q̃ animas quas rapiũt diuersis flagellis cruciant. Cumq; hęc & his similia diceret, cũctus populus clamare cœpit. Non est alius VIII.

[o] Communis oratio.

[p] Oratio S. Marcialis.

[q] Exurgit mortuus.

[r] Baptizari postulat.

[s] Narratio eius qui mortuus fuerat.

[t] Inferni descriptio.

est alius Deus, nisi quem prædicat iste homo Dei. Baptizati sunt autem in eodem castello, hominum vtriusq; sexus tria milia sexcenti. Multa quoq; munera beato viro obtulerunt, quæ omnia iussit dari pauperibus: post hæc abiit ad Sacellum Idolorum, & confregit sculptilia simulachrorum, & in nihilum redegit. Conuertitur populus.

XI. Deinde omnibus feliciter peractis, venit cum suis discipulis beatus Marcialis ad Ergedium vicum in quo pagani multa sculptilia idolorum colebant diaboli errore decepti: In quem ingressus, cœpit prædicare Euangelium, dicens. Nemo potest intrare in regnum Dei, nisi renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, in remissionem peccatorum. Cumque hæc & his similia prædicaret, aduenientes Sacerdotes idolorum, percutiebant grauiter beatum Marcialem, & eos qui cum ipso erant. Vir autem Domini cum discipulis suis benedicebat Dominum, quia pro nomine eius digni essent talia pati. Recordatus est enim sanctus Marcialis admonitionis Domini, & beati Petri Apostoli qui dixerant ei. Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & aliam. Et si tibi gladiator occurrerit colla submittas. Cumque grauiter cæderentur, beatissimus Marcialis sic orabat expansis manibus ad Dominum: Tu es refugium nostrum Domine à tribulatione quæ circundedit nos, erue nos à persequentibus nos. Confestim itaque hi qui eos percutiebant cæci facti sunt, trahentesque se manu ad manum venerunt ad idolum Mercurij. Et cum secundum morem illud consulerent nullum dedit responsum, ideo quod ab Angelo Dei religatus esset igneis catenis. Exeuntes autem ad aliud idolum quod erat in honore Iouis in alio loco, dixerunt ei. Deus noster iratus est nobis, vnde nec vult dare nobis responsum. Et ideo [a] venimus ad te, vt indices nobis quid facere debeamus. Quibus ille respondit, Deus vester non potest vobis dare responsum, quia ab Angelis Dei religatus est igneis catenis ex ea hora qua ibi seruus Dei Marcialis ingressus est, & à vobis iniuriatus est. Tunc venerunt Sacerdotes [b] qui percutiendo beatum Marcialem cæci fuerant facti, proieceruntque se ad pedes Sanctorum, pœnitentiam postulantes. Sanctus namque vir restituens eis visum, iussit eos venire ad statuam Iouis cum omni populo, vbi coram omnibus dixit. Adiuro [c] te, dæmon inique, qui in hac statua habitas, per Dominum Iesum Christum vt exeas de illa, & coram omni populo eam confringas. Qui iussa perficiens [d] eam cõfregit, & facta est quasi puluis. Baptizati sunt autem [e] in eodem vico in nomine Domini hominum vtriusque sexus duo milia sexcenti, & iubente Dei famulo omnia sculptilia dæmonum confracta sunt, quæ erant in eodem loco. Audiens hoc [f] miraculum paralyticus quidam qui iacebat in grabato, deferri se fecit ad hominem Dei. Erat enim ex magno genere hominum, & multum diues auri & argenti & possessionum. Cumq; preces ante eum funderet, tenens manum eius, & facta oratione cum omnibus qui ibidem aderant, dixit. In nomine Domini nostri Iesu Christi quem Iudæi crucifixerunt, sta supra pedes tuos. Qui statim [g] sanus factus est & glorificabat Deum. Obtulit etiam beato viro munera, quæ ipse noluit accipere, sed omnia pauperibus iussit dare. Marcialis prodit ad populum. Percutitur B Marcialis à templi Sacerdotibus. Sacerdotes idolorũ cęci fiunt. Idolum obmutescit.

[a] Fatetur dæmon vel inuitus, quæ ad Dei sunt gloriam. [b] Pœnitẽtia Sacerdotũ. [c] Adiuratur dæmon. [d] Cõfringit dęmon statuam. [e] Magna multitudo baptizatur.

[f] Paralyticus à B. Marciali sanatur. [g] Marcialis munera renuit accipere.

XII. Commorante autem beato Marciale in eodem loco apparuit ei dominus in visu, & dixit ei. Ne timeas descendere ad vrbem Lemouicum, quia ibi te glorificabo, & semper ero tecum. Tunc Apostolus Domini conuocare fecit omnes qui fuerant baptizati, & indicauit eis quid Dominus dixerat ei. Et commẽdans [a] eos Domino, cum discipulis suis perrexit ad vrbem. Ingressi itaque ciuitatem, recepti sunt in hospitium à nobilissima matrona nomine Susanna. Sequenti vero die cœpit beatus Marcialis publice prædicare Dominum. In domo autem Susannæ erat homo freneticus multis catenis constrictus, quem nemo audebat soluere. Audiens autem beata [b] Susanna multa signa, & innumerabilia miracula per beatum virum fieri, deprecata est eum, vt istum quoq; sicut alios sanaret infirmum. Tunc ipse dixit ad eam: Si credideris, videbis gloriam Dei: & facto signo crucis super eum confracta est catena, & saluus factus est homo. Quod videns venerabilis Susanna, procidit ad pedes eius, postalans vt baptizaretur. Tunc sanctus [c] Marcialis baptizauit eam cum vnica filia sua Valeria, & orante pro eis Dominum, repletæ sunt ambæ Spiritu sancto. Baptizati sunt autem omnes qui in domo eius erant, tam ingenui quam vernaculi numero sexcenti. Apparuit Dominus Marciali. [a] Marcialis Lemouicũ ingressus, à Susanna nobili matrona in hospitium excipitur. [b] Freneticus è domo Susannæ, ad sanctum Marcialem adductus, dæmonio liberatur, facto super eum crucis signo. [c] Susanna cum filia sua Valeria baptizatur.

XIII. Postea deniq; perrexit cum discipulis suis ad theatrum prędicare Euangelium regni Dei. Quod põtifices idolorũm indigne ferentes, grauiter eos flagellis cæsos miserunt in carcerem. Sequẽti vero [a] die circa horam diei tertiam, orauit beatus Marcialis ad Dominum, dicens: Domine Iesu Christe lux indeficiens, da nobis lumen quod luceat nobiscum in æternum, ne gaudeant filij tenebrarum, qui nos in obscurissimo carcere propter nomen tuum retruserũt. Cumq; hæc [b] dixisset, continuo lux magna refulsit in carcere, quasi si adesset ibi splendor solis, & cunctorum catenæ confractæ [c] sunt, & ostia aperta sunt, & omnes qui ibidem aderant, proiecerunt se ad pedes beati viri, rogantes vt baptizarentur. Terræmotus etiam [d] factus est magnus in ciuitate, & fulgura & tonitrua sonuerunt, ita vt omnes Pagani fugerent ad templa idolorum, ibidem se saluare cupientes. Nam Pontifices [e] idolorum, qui percusserant seruos Dei, ictu fulguris necati sunt. Condoluerat enim Dominus impune talia seruos suos pati. Tunc omnes [f] vnanimiter terrore percussi, perrexerunt ad catcerem, & educentes inde sanctos Dei, prouoluti sunt ad pedes sancti Marcialis, & clamabant, dicentes: Si istos suscitaueris, sanctissime pater, qui mortui sunt, in nomine Dei tui, omnes pariter credemus in eum. Beatus ergo Marcialis expansis manibus in cœlum, dixit: Domine, qui dixisti nobis: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti: transi hinc, & transibit. Fides nostra talis est, vt iubeas eos resuscitari, per manus angelorum tuorum. Hæc dicens perrexit ad corpora mortuorum, & ait: In nomine Domini nostri Iesu Christi, quem Iudæi crucifixerunt, & tertia die resurrexit à mortuis, Surgite, & dicite [g] populo quid illi expediat agere. Tunc surgentes, proiecti [h] sunt ad pedes sanctorum, dicentes: Peccauimus in vos, nescientes quid agere deberemus. Hoc vidẽtes omnes populi, cum Pontificibus templorum Aureliano scilicet, & Andrea, qui fuerant resuscitati vna voce cœperũt clamare, & dicere. Non est [i] alius Deus in cœlo & in terra, nisi quem prædicat iste homo Dei. Sequenti vero die iussit discipulus Domini conuenire omnem populum à minimo vsq; ad maximum, & baptizauit eos in nomine patris & filij & spiritus sancti, in remissionem peccatorum, numero viginti [k] duo millia. Deinde cum omni populo venit ad templum idolorum, in quo erat statua Iouis, Mercurij, Dianæ, & Veneris. Confractisq; idolis, dedicauit ibi [l] Ecclesiã in honore sancti Stephani protomartyris. In Theatrũ Marcialis prodit prædicaturus. [a] Lædituꝛ Marcialis cum suis à Pontificib. [b] Incarceratus luce diuina illustratur. [c] Eripiũtur beneficio diuino vincti. [d] Terræmotus & fulgura. [e] Pontifices fulgure perimuntur. [f] Adcurrit populus ad S. Marcialẽ. [g] Excitãtur

Pontifices. [h] Aurelianus huius author historiæ vnus erat ex Pontificibus, quos Marcialis à mortuis excitauit [i] Testimonium reddunt Pontifices doctrinæ Marcialis. [k] 22. milia hominum baptizantur. [l] Ecclesia in honorem S. Stephani dedicata.

XIV. Beata autem Susanna derelinquens hoc ærumnale sæculum, susceptа ab Angelis feliciter migrauit ad Christum. Sepulta [a] vero est, ac condita aromatibus à beato Marciale, cum magna veneratione. Multa etiam [b] dona, & innumera beneficia contulit beato viro, auri videlicet & argenti, possessionis vinearum, ac terræ copiam. Seruorum etiam dedit multitudinem, vt quando ipse vir Domini ab hoc sæculo ad Christum esset transiturus, in loco sepulturæ eius, ipsi pro posse digna exhiberent seruitia. Post cuius discessum [c] beatissima filia illius Valeria abiens ad sanctum Marcialem, voto se constringens, Domino promisit se permansuram virginem. Quod votum implere gestiens quotidie ad prædicationem beati viri pergebat, & verba salutis audiens, vt bona terra retinebat, & centuplicatum fructũ ex se Domino reddebat. Erat enim repleta [d] Spiritu sancto, permanens die ac nocte in orationibus, in vigiliis, in ieiuniis, & in omnibus bonis se probabilem Deo exhibebat, vt corde & corpore virgo permaneret. Audiẽs autem [e] quod Susannæ mors. [a] Sepultura honorãda. [b] Reditus & patrimonia collata Ecclesiæ. [c] Votum virginitatis emittitur à Valeria.

[d] Officium puræ virginis. [e] Stephanus dux Spon-

sus Valeriæ Lemouicũ appulit. Valeria bona sua pauperibus erogat.

sponsus suus Stephanus veniret ad vrbem Lemouicũ, & sciens grauiter eum ferre ꝙ votum Domino fecerat se virginem permansuram, omnes diuitias suas cæpit pauperibus erogare, audierat.n. prædicantem sanctum virum & dicentem, ꝙ dominus noster Iesus Christus, cum quidam iuuenis eum interrogaret, quid faciendo vitam æternã possideret, Respondit illi, Præcepta nosti. Non occides, non furaberis, non falsum testimoniũ dices: & illo respõdente, Hæc omnia se custodisse à iuuentute sua: dixisse illi Dominum ꝙ si vellet perfectus esse, omnia quæ habebat vendẽs distribueret & daret pauperibus, & acquirens thesaurum in cœlo sequeretur eum. Quam prædicationẽ gloriosissima virgo Valeria audiens, & ad illam perfectionem peruenire desiderans, ad quam contemnens iuuenis venire distulerat, omnia quæcunq; præcipua in thesauris habere potuit, aurum videlicet & argentum, ac multiplicia vestimentorum lapidesq; preciosos pauperibus distribuit: possessiones.n. & mancipia, ac vernaculos iamdudum cum venerabili matre sancto Marciali concesserat, vt post eius discessum, inibi sancta illius tumularentur membra. Quæ postquã gesta sunt, Ingrediens Stephanus denominatę virginis sponsus, & dux (tenens principatum à fluuio Rhodani vsq; ad mare Oceanum, Vasconum atq; Gotthorum gentem regendi habens potestatem vsq; ad montes Pyrenæos) Lemouicam ciuitatem, sponsam suam denominatam ad se venire præcepit. Ex cuius colloquio ac multorum testimonio, cum dicisset ac pro certo probasset non eam sociandam sibi coniugio, frendens nimis, non eam diutius passus est secum confabulari: sed furore repletus, extra ciuitatis ductum, capitalem iussit subire sententiam. Cumq; duceretur ad decollationem, dixit ad tyrannum: Stulte, hac nocte morieris, ea quæ præparasti cuius erunt? Expansisque manibus in cœlum, sic orauit: Domine tibi commẽdo animam meam: propter hoc enim pergo ad decollationem, quia dilexi te: Circũda famulam tuam Domine gloria tua, & mitte in auxilium meum multitudinem angelorum tuorum, ne valeat appropinquare diabolus animæ famulæ, egredienti de corpore, propter hoc etenim non nupsi terreno spõso, ne tuis nuptiis secluſa, ac tuo thalamo priuata, fidem professionis tuæ amitterem. Idcirco igitur ducor ad decollationem, quia malo mori, quam à tua fide separari. Hæc ea dicente, audita est vox de sursum, dicens: Noli timere Valeria, quia te expectant angeli, vt te recipiant in claritate quæ nullo fine clauditur. Ad hãc vocem læra effecta est gloriosa virgo, & eleuatis oculis in cœlum, dixit: Domine in manus tuas commendo spiritum meum. Hæc effata, vltro [a] collum extendens vno ictu laniſtæ truncata est. Cuius animam [b] mox de corpore egressam, fulgidam instar solis, viderunt omnes tam Christiani quam Pagani, cum hymnidico concentu angelorum, & igneo globo deferri in cœlum. Psallentibus interim angelorum choris, & dicentibus: Beata es Valeria martyr Christi, quia custodisti mandata Domini, in eis iugiter permanens in conspectu eius, in splendore lucis quæ terminum non nouit.

Lucæ 9.

Vox è cœlis audita.

[a] Decollat. B. Valeria.

[b] Videtur anima Valeriæ efferri.

XIII. Hoc videns & audiens armiger Stephani, qui eam decollauerat, cum summa festinatione pergens ad dominũ suum ducem Stephanum, exposuit ei omnia quæ viderat, quæque audierat. Et dicta complens, ad vltimum sententiã replicauit qua beata virgo pergens ad decollationem illi dixerat: scilicet quod ipsa nocte moreretur. Quod [c] dictum, statim vt protulit, ab angelo percussus cecidit ad pedes ducis, & mortuus est. Timor autem & tremor [d] virginis inuasit eum, & cunctum eius exercitum: & indutus cilicio rogabat ad se venire beatum Marcialem. Qui cum in præsentia eius venisset, prosternens se ad pedes eius, cum magno fletu cœpit dicere ad eum. Peccaui, ô vir sanctissime fundens sanguinem iustum, sed precor te vt resuscites armigerum meum, & me facias credere in Deum tuum. Ad quẽ ipse [e] dixit: Si ex toto corde credideris, Dominus resuscitabit eum. Tunc vocans ad se omnem populum Christianum, taliter eos alloquitur: Omnes pariter deprecemur Dominum, vt iubeat resuscitari hunc hominem. Et facto [f] silentio, dixit: Domine Deus omnipotens, qui ante mundi constitutionem fuisti cum Patre & Spiritu sancto, & venisti in mundum vt homines qui erant in tenebris, venirent ad lumen veritatis, deprecamur magnam clementiam tuam, vt resuscites hunc hominem, quatenus omnes gentes te cognoscant, & nomen tuum in omnes homines manifestetur. Cumque hęc dixisset, abiit ad corpus, & tenens manum eius, dixit: Resuscitet te Deus [g] omnipotens, quem Iudæi crucifixerũt, & tertia die resurrexit à mortuis. In nomine ipsius sta supra pedes tuos. Qui ilico surgens peruolutus pedibus eius, dixit: Peccaui, ô Sancte [h] Dei, occidens sanguinem iustum. Sed da mihi obsecro baptismum pœnitentiæ. Stephanus etiam dux [i] videns hoc signum, procidit ad pedes eius deprecans indulgentiam, & remissionem pro cõmisso facinore. Vir autem Dei indicens ei pœnitẽtiam pro interfectione virginis ac martyris, baptizauit eum & omnes comites eius ac duces, cunctumq; exercitum eius, & omnem populum vtriusq; sexus numero quindecim milia. Prefatus vero dux multa [k] munera dedit homini Dei, vt fabricaret exinde ecclesias in honorem Domini, prædia etiam ingentia, & non parua beneficia, cum vineis & vernaculis, quantumcunq; habebat in prouincia Lemouicẽsi ipsi sanctissimo viro tradidit, vt faceret exinde nobilitatem Ecclesiarum, quas esset fabricaturus, & suppleret omnem indigentiam [l] clericorum, qui in eis Deo essent seruituri. Post hæc iussit hospitale [m] pauperum fieri præfatus dux, in quo omni die instituit trecentos pauperes alendos, in eleemosyna beatæ martyris & virginis Valeriæ. Aliud quoque instituit hospitale pauperum [n] pro se & beato viro Marciali, in quo decreuit omni die pauperum colligi turbam, ac refici numero sexcentorum. Deprecatus est etiam dux beatum Marcialem, vt post egressionem animæ eius de corpore tumulus sepulturæ illius iuxta sepulchrum beati viri poneretur: super sepulchrum vero gloriosæ virginis & martyris Valeriæ [o] præceptoris iussit fabricari Ecclesiam, & etiam postmodum multa dona contulit ad ornandam ipsam domum.

Armiger narrat hæc Stephano.

[c] Moritur in momẽto armiger.

[d] Stephani ducis pœnitentia.

[e] Armiger Stephanus excitatur.

[f] Oratio sancti Marcialis.

[g] Imperat sanctus Marcialis mortuo.

[h] Excitatus Armiger fatetur peccatum suũ.

[i] Stephanus dux cum omni suo comitatu baptizatur.

[k] Stephan⁹ bona confert ad Basilicas construendas.

[l] Clero destinantur reditus. [m] Hospitale ad 300 omni die alendos pauperes erigitur. [n] 600 Pauperum hospitalis domus. [o] Ecclesia extruitur in loco sepulturæ beatæ Valeriæ.

XIV. Interea vero Imperator primo anno imperij sui mittens literas per Veredarios ad Stephanum principẽ Galliarũ, iussit vt pergeret Italiam cũ quatuor legionib. præliatorum ad seruiendum sibi sex mensibus. Sicq; præcepit vt pergerent ditati [p] facultatibus, vt nullus aliquo indigeret aut raperet, taliter ꝙ sanciẽs proposuit decretum, vt si quis aliquid raperet capitalem subiret sententiam. Dux autem Stephanus congregato exercitu, cum tali constitutione, secũdum ꝙ ei fuerat imperatum, Italiam perrexit, & cum seruitium Imperatoris peregisset, accepta licentia remeandi, dixit ad cunctum exercitũ suum. Omnes pariter [q] Romam pergamus ad Beatum Petrum Principẽ Apostolorum, sicut iussit nobis præceptor noster Marcialis, postulantes benedictionem nobis tribui, simulq; vt remissionem peccatorũ ab ipso valeamus consequi. Cunctus.a. exercitus eius à beato Marciale fuerat baptizatus, & placuit hic sermo omnibus. Ingredientes vero Romã inuenerunt Apostolum, in loco qui dicitur Vaticanus, docentẽ multas populorũ turmas. Quẽ videntes [r] Dux, & omnis eius exercitus, cum magna humilitate, discalceatis pedib. & in cilicio, precerunt se ad pedes eius. Tunc B. Petrus videns tam præclaram generationẽ, dixit. Vnde huc aduenistis? respondens dux dixit. De puinciis Galliarũ huc aduenimus, sumusq; verbo fidei à Beato Marciale [s] illuminati. Apostolus ait. Quomodo estis illuminati? Dux dixit, verbo Euangelij Dei sumus edocti, & in remissionẽ peccatorum baptizati. Quo audito bis Petrus gratias agens, benedixit Dominũ dicens. Sis domine deprecor eius adiutor & consolator, quia propter nomẽ tuum abiit in regionem longinquam, & à te missus obediuit missioni tuæ, & est in magna tribulatione. Propter nomẽ tuum ferro fuit constrictus, & in carcerem missus, insuper est flagellis grauiter cæsus. Da ei Domine benedictionem & gratiam tuam, quæ permaneat cum eo in sempiternum. Tunc conuersus ad ducem, interrogauit eum dicens: Qualiter conuersaretur apud eos ille sanctissimus vir. Respondens [t] ei Dux: Multos mortuos apud nos in nomine Domini resuscitauit, & quicquid à Deo postulat, celeriter consequitur. Hæc dicens Stephanus prostrauit [u] se in terram ante pedes beati Petri Apostoli, postulans indulgentiam & absolutionem pro

Stephanus Romam euocatur.

[p] Optimi militię prefecti instituta.

[q] Stephan⁹ dux ad beatũ Petrum qui tum Romæ erat cũ suis perrexit vt benedictionem acciperet.

[r] Qua humilitate ad summum Pontificem accedendũ.

[s] S. Petrus qui sint examinat.

[t] Stephan⁹ gesta S. Marcial narrat. [u] Absolutionem postulat Stephanus à B. Petro pro nece S. Valeriæ.

beatæ

beatæ Valeriæ virginis interfectione. Tunc beatus Apostolus intuens in eum, & cernens fontem lachrymarum, ac humilem vultum, absoluit eum à vinculis delictorum. Post absolutionem verò obtulit dux B. Petro Apostolo auri libras ducentas, quas à Nerone Imperatore dono acceperat. Beatus verò Petrus præcepit duci, vt memoratum aurum sancto Marciali deferret, quatenus exinde Ecclesias per Galliam construere deberet, vel etiam pauperibus erogaret. Accepta autem benedictione dux Stephanus à B. Petro cum omni exercitu ad propria remeauit. Cumq; prouincias Galliarum ingrederetur, sic alloquutus est omnem exercitum suum. Audite me comites & commilitones, & omnes exercitus qui mecum estis. Nullus nostrum ad propria debet reuerti, quousq; veniamus omnes ad patrem B. Marcialem, quia eius intercessione dedit nobis Dominus prosperum iter. Hæc dicens cœpti itineris carpebat viam.

Remittitur pecunia ad S. Marcial.

XV. Et cum iter facerent, contigit vt deuenirent ad quoddam regale palatium vocabulo Iogenciacum. Fixerunt autem tentoria & papiliones omnes principes & comites, è diuersis regionibus coadunati super Visennam fluuium. Æstuantes autem calore solis, ibant ad fluuium, ardorem pariter sudoremq; vitare cupientes. Inter quos Hildebertus filius Arcadij Comitis Pictauiensis, veniens ad locum qui dicitur Garricus, à diabolo suffocatus interijt. Cumq; omnis exercitus pergeret ad requirendum eum, nequaquam repererunt. Tunc Arcadius pater eius cum omni exercitu suo nimia acerbitate mœroris affectus, lachrymans venit ad B. Marcialem cum magna humilitatis reuerentia. Morabatur tunc temporis B. Marcialis Lemouicas prædicans assiduè verbum Dei omnibus qui ex diuersis partibus & regionibus confluebant, verba salutis audire cupientes. Conuenerant tunc ad eum multæ turbę Gothorum & Vasconum, cum Archadius comes pro filio rogaturus aduenerat, cupientes ab eo baptizari, ac sacramentis veræ fidei participes fieri. Beatus verò a Marcialis videns Archadium scissa veste venientem ad se, dixit ei: Fili Archadi noli lugere, & noli flere, quoniam anima filij tui ab Angelo sancto est recepta. Cumq; Archadius & omnis exercitus proiecissent se ad pedes hominis Dei, cum magno fletu, cœpit & ipse flere. Omnes enim cum Archadio deprecati sunt famulum Dei, vt pergeret ad locum vbi adolescens fuerat raptus, ac detinebatur in fluuio mersus. Tunc cum omni populo discipulus Domini perrexit ad locum discalceatis pedibus, & indutus cilicio. Orantibus verò omnibus, dixit beatus Marcialis. Adiuro vos dæmones nequissimi qui in hac fouea latitatis, ad decipiendum genus humanũ, vt corpus adolescẽtis, quem iniqua præsumptione occidistis ad ripam istius fluminis, proijciatis taliter quod appareatis, vt vos videre possint omnes qui huc conuenerunt populi. Cum hæc dixisset proiectum est corpus ad ripã fluminis, quasi sex stadia in longum. Visi sunt autem dæmones in porcorum similitudine. Tũc omnis populus deprecatus est sanctũ virum, vt iuberet exire dæmones de flumine, atq; apparere in ea forma qua eos videre possent. Et B. Marcialis sic locutus est. Vobis præcipio, angeli Sathanæ, qui profundiora huius gurgitis tenetis loca, vt in conspectu istius populi tali forma veniatis, qua vos cunctus populus videre possit. Ad hanc vocem statim dæmones cum magno impetu ante pedes eius venerunt. Erant autem quasi Æthiopes nigriores fuligine, pedes eorum magni, oculi terribiles & cruenti, capilli totum tegebant corpus, atq; per os eorum & nares sulphureus emanabat ignis, loquentes verò coruinam imitari videbantur vocem catenas igneas in manibus portantes. Quibus dixit B. Marcialis: Dicite in conspectu omnium, quibus nuncupemini vocabulis. Vnus ex ipsis dixit: Ego vocor Milleartifex. Apostolus dixit: Quare ergo tu vocaris Milleartifex? Dæmon respondit, quia mille habeo artes ad decipiendum genus humanum. Tunc vocauit alium, & dixit ei: Tu verò quo nomine vocaris? Dæmon respondit, Neptunus. Quare, inquit, tu vocaris Neptunus? Dæmon respondit, Quoniam in hac fouea multos præcipitaui homines, & demersi in infernalibus pœnis. Sanctus Marcialis dixit, vt quid gestatis catenas igneas in manibus vestris; quoniam quando animas hominum decipimus, cum his catenis ducimus ad magistrũ nostrum. S. Marcialis dixit, Quomodo censetur magister vester? Dæmones dixerunt, Rixoaldus. Apostolus dixit, Quare vocatus est Rixoaldus? Dæmones dixerunt, quia semper rixam desiderat, & cum ira & indignatione permanet. Tunc deprecati sunt virum Dei dæmones, dicentes: Deprecamur te Domine, ne vltra loquaris nobiscum Latino sermone, sed Hebraica lingua, aut qualicunq; volueris, quia tu omnes linguas scis & intelligis. Sed in hoc deprecamur tuam clementiam, Ne nos mittas in abyssum, vel in mare Oceanũ. Tunc S. Marcialis Hebraica lingua dixit, Adiuro vos per Dominum nostrum Iesum Christum, quem Iudęi crucifixerunt, vt eatis in locum desertum, vbi neq; auis volat, nec habitatio hominum est, & ibi sitis vsq; in diem iudicij, nullam lædentes creaturam. Ad hanc vocem, per mare volantes nusquam comparuerunt dæmones. Dux autem & omne vulgus, cunctusq; exercitus ex diuersis prouinciis coadunatus, atq; ad hoc spectaculum congregatus, proiecerunt se ad pedes hominis Dei, Rogantes cum lachrymis, vt animam quam nequissimi hostes subdolè à corpore exire coëgerant, reuerti in corpus proprium iuberet, ne antiquus hostis in hoc insultans gauderet. Beatissimus autem Marcialis commotus lachrymis populorum dixit. Omnes pariter deprecemur Dominũ, vt animam, quam à corpore exire iussit, reuerti in pristinum faciat habitaculum: & tenens manum eius, dixit: Hildeberte, in nomine Domini nostri Iesu Christi surge. Qui statim surrexit, & omnibus Deum glorificantibus viuus apparuit. Hoc cernens dux & omnis populus, cœperunt glorificare Dominum in id quod factum fuerat, benedicentes nomini eius qui se colentibus omnia tribuit, & nullum vacuum sui esse permittit. Post hæc vocauit B. Marcialis Hildebertum qui fuerat resuscitatus, & dixit ei: Dic nobis quomodo à dæmonibus captus fuisti? Respondit: Cum fatigatus ardore Solis, ex sudore corpus meum abluerem, continuò dæmones in foueam præcipitantes suffocauerunt me. Cumq; catenis igneis me cogere voluissent, continuò astans angelus Domini, abstraxit me de eorum manibus, dicens: Non adhuc erit iste in vestra potentia. Cumq; ad Orientem pergere cœpissemus, duo cunei dæmonum contra nos venientes, vnus ante nos pergebat, & alius retro sagittas igneas iaciebat. At ego cùm tremore perterritus fuissem, dixit mihi angelus: Ne timeas, quia Dominus defensor est tuus, & ipse me in adiutorium tuum venire fecit. Hæc dicens angelus sonora voce, ac dulci modulatione cœpit Domino canere, dicens: Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis: & redemit de inferno vitam tuam. Ista canendo peruenimus ad ignem purgatorium, & cœpi intra me metipsum cogitare ipsum esse infernum, quem te pertimescendum omnibus, ô sanctissime pastor, audieram prædicare. Hæc mihi reuoluẽti respondit subitò angelus: Nequaquam iste est vt putas infernus, sed est ignis purgatorius. Noueris pro certo, quod omnes qui post perpetratum facinus post ea reuertuntur, & cõuersi denuo per eleëmosynarũ largitatem, & lachrymarũ flumen denuo baptizati pœnitentiam egerunt pro cõmissis facinoribus, sola gratuita miseratione Dei liberati, non suo merito salui facti sunt, sed ipsius qui vult omnes homines saluos fieri, & neminem ex omnibus quos redemit, à proprio separari ouili) abstracti ab infernali igne, mundantur in hoc quem vides purgatorio igne. Ante baptismum diuersis criminibus implicari meruisti, & lubricus ac vanus extitisti: Sed postquàm ablutus sacro fonte baptismatis à sancto Marciale Apostolo fuisti, non valde criminalibus peccatis implicatus fuisti, sed crapula & verbis otiosis nimium deditus isto vereberis igne purgari? Subiunxit quoq; adolescens, exponens qualis esset purgatorius ignis. Iste purgatorius ignis fluminis est, & pons superpositus, in quo me ducens angelus Domini: ac statuens illuc apprehensa manu mea dixit. Hic stabis quousque ab omnibus peccatis emundatus, cœlestis regni merearis esse particeps. His expletis ad portam venimus paradisi, iuxta quam etiam multitudinem reperimus dæmonum congregatam. Tunc dixerunt ad angelum ductorem nostri itineris: Si Dominus iustus iudex est, hic homo noster erit. Quia cuius opera facit, eius dignus est filius appellari. Cumque hæc dicerent,

Hildeberti filius Arcadij comitis Pictauiens. à dæmone suffocatur.

Turba multa exterorũ ad B. Marcialẽ confluebat.

a Marcial. nouit absentia.

Adiurantur dæmones.

Corpus redditur à dæmonibus.

Rursus Marcialis ad dæmones.

Forma horrenda dæmonum.

Nomina dæmonum.

Marcialis omnẽ linguam nouerat.

Eijciuntur dæmones.

Rogat populus Marcial. vt mortuũ excitet.

Hildebertus excitatur.

Narrat Hildebert. quæ viderit.

Purgatorius ignis.

Hæc cautè.

Hæc forsan per similitudinem dicta sunt.

audita est vox de cœlis, dicens: Reuertatur anima pueri eius in viscera eius, & viuat annos viginti & sex. Tunc ad angelum qui me ducebat dixi: Obsecro Domine, nolo reuerti ad sæculum, quod scio valdè labile, ne pro fragilitatis meæ conuersatione, tam leuiter queam huc redire. Dixitq; mihi angelus: Non erit vt tu vis, sed sicut ille iubet qui orbem totum solo continens pugillo regit, & flatum tuum æquo libramine pensans gubernat. Angelus autem Domini, qui me ducebat, incredibilis erat pulchritudinis, & humanam excedens naturam aspectu suæ visionis. Et ego dixi ad illũ, indica mihi quæso Dñe, quod meritum beatissimus doctor noster Marcialis obtineat in cœlo. Respondens dixit mihi. Magnum in cœlo possidet meritum, quia postquam in iuuentute cœpit Domino seruire, & beato Petro adhærere, non est reuersus ad patriam domum, sed virgo permanens sine concupiscentia fœminarum est, & esse deliberat. Ideoq; oportet vt sicut à concupiscentia carnali noscitur alienus, ita à dolore mortis fiat extraneus. Angeli enim sunt à Domino deputati duodecim, qui semper cum eo gradientes, non permittunt eum fatigari, non esurire, non sitire, sed ab omni malo eum seruantes, ab omni prorsus reddunt contagione doloris extraneum. Dixitque mihi iterùm. Ego sum qui iussu Dei custodiui Iob de diaboli tentationibus, & eruens ab omnibus calamitatibus hæredem feci permittente Domino perennis vitæ promissionum. Rursumq; dixit mihi. Tu reuerteris ad corpus, sed caue ne vltra flagitiosus & lubricus existas, vt antè fuisti, & ne timeas hunc ignem quem pauloantè valdè formidasti. Non eas igitur post concupiscentias tuas, quia vidisti quantam seueritatem conati sunt dæmones exercere contra te. Deus autem iustus Iudex, qui omnes cupiens saluos fieri, & neminem vult ex his quos redemit à proprio segregari ouili, suam noluit perire animam, pro qua pretiosum fuderat sanguinem. Hæc audiens beatus Marcialis, & Stephanus dux, cum omni coadunato populo Dominum exorantes, gratiarum ei laudes pro collatis beneficiis reddiderunt, eiusque nomen glorioſum quod est benedictum in sæcula glorificauerunt. Tunc venientes ad basilicam sanctæ sedis suæ, videlicet beati Stephani protomartyris Christi Ecclesiam: cum magna precum melodia, obtulit beatissimus Marcialis sacrificium Deo, celebrans Missarum solennia. Adolescens verò qui fuerat resuscitatus totondit caput suum, promittens se nunquam recessurum à beato viro, sed semper ei in omni obsequela fumulaturum. Tenuit namque monita Angeli sibi prædicta, & semper cum Dei famulo permansit, indesinenter illi adhærens, vinum non bibens, & carnem non comedens: indumentis pedum non est vsus, sed solummodo pane & aqua fuit contentus in cibo, ac cilicino indumento. Erat enim deditus assiduis orationibus, in frequentioribus ieiuniis, ac in continuis bonorum operum exhibitionibus. O misericordia! & quæ à parentibus accipiebat pauperibus & indigentibus distribuens nihil sibi in crastinum reseruabat. Archadius pater eius copiosa dona contulit seruientibus Basilicæ sancti Stephani, & quibus supplementum haberent victus, & penuriam subleuarent vestitus. Per Hildeberti verò exemplum multi propriis renunciantes voluntatibus, caduca fragilis sæculi gaudia, soli Deo placere cupientes, à pristinis vitæ erroribus conuersi, ipsius se mancipatui committentes, inuiis ad posteriora remeantes, conuertebantur cum ipso ad Deum, id solum cupientes quod permanens est, reijcientes quod non esse habet permanens.

S. Marcialis Missam celebrat.

Hildebertꝰ caput totõdit.

Abstinentia à vino & carnibus.

Archadius confert clero bona.

XVI. Hæc itaq; gestis, confestim beatissimo Marciale iubente misit Stephanus dux nuncios ad omnem terram Mauricanam, & ad omnes gentes Galliarum, quæ ditioni eius subiacebant, vt omnia idola ea, quæ colere videbantur Pagani, minutim confringerent, ac igni cremarent, & soli Deo omnipotenti vacarent, ipsiq; deseruirent. Si quis autem hoc decretum contemnens violare præsumpsisset reum se maiestatis illius proculdubiò dignosceret esse futurum. Accepta autem benedictione, ipse & omnis populus à glorioſissimo viro reuersi sunt, vnusquisque cum gaudio ad propria benedicentes Deum. Habebat enim [a] iste dux, sicut iam diximus, principatum à fluuio Iordanis vsq; ad mare Oceanum, possidens omnem Ligerim regionem, omnemq; Aquitaniam, seu Vasconum & Gothorum Gentes: Rex tamen non vocabatur, licet rex potentissimus Galliarum esset, quia nemo sibi alius propriè in Occidente hoc nomen tunc imponebat, nisi solum Romę Nero, qui Romani Imperij principatum tenebat. Omnem itaq; terram, quæ viri illius præceptioni suberat Dominũ colere præcepit, ac omnia fana, & idolorum delubra igni cremari iussit. Religionis [b] præterea, sicut à magistro didicerat insigne gerebat ornamentum, quarta & sexta feria vinum non bibens, & carnem non comedens. De [c] omnibus etiam sibi allatis delectabilibus alimentis nihil prorsus ore contingebat, antequam decima eorum dispartiretur. Erat enim deditus eleëmosynis, & in omnibus vitæ æternæ pro posse anhelans religiosis operibus. In [d] iudicio sedens nullius personam pro munere accipiebat, sed semper pauperum & peregrinorum, viduarum & orphanorum inopiam solicitus releuare curabat, non immemor illius sententiæ, quam idem beatus doctor eius sæpissimè ei inculcare solebat, quam Psalmographus cecinit: Beati qui custodiunt iudicium & faciunt iustitiam in omni tempore. Si quem autem Christianum vidisset in aliquo indigentem, ex suis facultatibus ditatum, & ex ærario publico remuneratum, alimenti & indumenti penuria faciebat indigentem. Sacerdotibus & omnibus Dei [e] ministris sicut à magistro suo fuerat doctus, debitam exhibebat reuerentiam, quatuor vicibus scilicet, per quatuor anni tempora, omni anno ad beatum pergens [d] Marcialem cum omnibus sibi subiectis populis. Tribusque diebus in ieiuniis & orationibus in ecclesiis beati Stephani permanens, salutis [e] verba audiens, qui in cinere & cilicio venire solitus erat, cum gaudio ad propria remeabat. Christo etiam quotidiè sedulum exhibebat officium, in eleëmosynis & orationibus, & infidelium paganorum mentes diabolo subtrahens, ad Christi reuocabat seruitium. Erat enim prudentissimus ingenio, pater Christianorum ac ferocissimus persecutor paganorum. Deniq; [f] ex eo tempore quo sacri baptismatis meruit regenerationem, cum fœmina non fuit pollutus, tenens castitatem mentis & corporis, vsq; in diem obitus sui.

Stephanus ad omnes suæ ditionis prouincias mittit edictum, quo & idola destrui, & Christianã fidem amplecti iubet

[a] Nullus olim rex Gallorum sed tantũ princeps dicebatur cũ Galliæ Romano parerent Imperio.

[b] Abstinẽtia à vino & carnibus.

[c] Eleemosynæ regula.

[d] Iudicis officium.

[e] Sacerdotibus honor debitus.

[d] Pastori quatuor anni vicibus grex recognoscendus. [e] Sanctorum basilicæ qua deuotione visitandæ. [f] Legant principes quid in eis relucere debeat. [f] Castitas Christianismi confirmatur.

XVII. Sed ista interim omittentes, ad ea vnde paululùm digressi sumus reuertamur miraculorum signa, quæ Christi gratia dignata est per beatissimum Marcialem, ipso in carne adhuc viuente operari. In Burdegala ciuitate erat quidam Comes nomine Sigibertus, qui grauiter morbo paralisi torquebatur. Audiens autem quod Stephanus dux omnia templa idolorum per omnem Galliam præcepisset subuerti, & Ecclesias longè latéque Christo Domino construi, vocauit ad se coniugem suam nomine Benedictam, & dixit ei: Cur [g] non pergis dulcissima coniux ad hominem Dei, cuius orationibus non solum omnia fugantur infirmitatum & dolorum genera, verum & ipsi mortui ab inferis reuocati postea viuunt? Dij nostri non possunt hoc facere, vnde audi consilium meum, & accipe auri libras viginti quinq;, aurumq; sufficiens, & perge ad eum, forsitan propitiabitur mihi. Quod vt audiuit venerabilis Benedicta, cum summa velocitate accipiens quæ sibi fuerant imperata, peruenire studuit ad hominem Dei, & veniens in conspectu eius dixit. Scio [h] domine non tibi latere petitionem meam, quia vt audio conscientias hominum intelligis euidenter. Beatissimus Marcialis dixit ei: Scio certè petitionem tuam, quòd sex anni sunt quo paralysi laborat vir tuus. Benedicta dixit: ita est Domine vt tu asseris, nullius membrorum corporis potestatem habet, nisi solummodo linguæ. Vnde te, ô pastor bone, cum fiducia expetij, sciens pro certo quòd omnes ab humanis corporibus depellis languores, ac mortuos sicut in nostra regione audiuimus ab inferis reuocas ad superos, possis etiam & hunc virum meum à suorum sanare dolore membrorum. Quapropter deprecor te ne fides illius & mea fruſtretur, sed tuo iussu incolumitati restitutus, cum omni domo sua ad te perueniat sacri baptismatis vnda purificandus. Tunc Apostolus cernens sinceram fidei eius

Sigibertus Comes Burdegalensis paralyticus à S. Marciale curatur.

[g] Sigibertus ad vxorem.

Mittitur vxor Sigiberti cum muneribꝰ ad S. Marcialem.

[h] B. Marcia. cordis etiã abscondito rum cognitionem habuit.

Psal. 105.

dei eius deuotionem, dixit ei. Quoniam hanc video esse fidem tuam & viri tui, pergens ad domum tuam pone baculum meum super virum tuum, & statim sanabitur. Aurum autem & argentum quod matrona Benedicta ei detulerat, *a* accipere noluit: memor semper illius sententiæ quam Dominus ei sæpè dixerat: Gratis accepistis, gratis date. In ciuitate autem Burdegala colebantur diuersa idola dæmonum per diuersa templa paganorum. Erant enim *b* ibi consecrata templa in honore Iouis, Mercurij, Dianæ & Veneris, & erat ibi templum Deiignoti. Ignotum autem Dominum dicebant, & quando esset venturus nesciebant, hoc tamen sciebant quod regnum eius non esset cessaturum, sed in sæcula sæculorum permansurum. Igitur summus *c* sacerdos templorum, Pontificatum tenens super cunctos sacerdotes idolorum in prædicta vrbe, vocabulo. Sigibertus cum ad cremanda thura ad templum venisset Iouis cum omni populo ciuitatis, locutus est ad eum *d* dæmon. Scias quia egressuri sumus ab hac vrbe per quendam Hebræum hominem, vltra marinis partibus huc aduentatum, quia *e* omnia nostra præcipiens destrui mœnia, vnum Dominum iubet coli, qui cœlum & terram condidit. Pontifex dixit: Quis est ille Hebræus? Dæmon dixit, Marcialis vocatur. Pontifex dixit ad Iouem, Vt quid vos eum timetis? Quos deos esse credimus. Dæmon respondit, quoniam amicus est Dei omnipotentis, & semper pergunt Angeli à Domino deputati duodecim ad sui custodiam. Postquã enim de Antiochia cum principe Apostolorum venit, vinum *f* non bibit nisi in holocaustum Domini: carnem non comedit, linũ non induit, balneis non est vsus, verba otiosa aut risum mouentia non solum, sed nec audire cupit. Semper enim in ore eius laudes Dei omnipotentis resonant, & quidquid Deum suum postulat, absq; nulla tarditate consequitur. Pontifex iterùm dixit ad Iouem. Domina nostra Benedicta cum magno gaudio ab ipso reuersa est in pace. Dæmon *g* dixit. Non sit illa benedicta, sed semper maledicta. Pontifex dixit. Ego cum omni populo ciuitatis iussus sum ei exire obuiam venienti. Appropinquante autem matrona Benedicta, ac ingredienti ciuitatem, perrexerunt contra eam seniores populi, & dixerunt ei omnia verba quæ à Ioue audierant. Tunc *h* vocauit ad se venerabilis Benedicta primum idolorum Pontificem, præcepit ei vt pergeret per omnia templa, & minutatim ea confringeret, excepto templo Deiignoti. Baptizata enim fuerat venerabilis Benedicta à beatiss. Marciale, cum omnibus se comitantibus *i* duobus milibus octingentis. Introiens autem ciuitatem conuocauit ad se exercitum Christianorum, & dixit eis. Obsecremus rogo, Dei clementiam, vt iuxta promissum electi sui Marcialis dominum meum incolumitati restituere dignetur. Hæc dicens *k* peruenit ad lectum eius, & imposito super eum baculo Apostoli, quem ab ipso acceperat, membra quæ cõtractione neruorum, ac vitiosa febrium compagine fuerant sauciata: extemplo efficiuntur ac si nunquam fuissent propria virtute priuata. Tunc ipse præfatus comes *l* Sigibertus, cum multo apparatu populi ad B. peruenit Marcialem, ac ab ipso sacri baptismatis accipere meruit regenerationẽ, cum omnibus suis sequacibus copiosam precum & gratiarũ actionem illi referens, pro collatis sibi diuinitùs beneficiis. Multis postea fæliciter vixit diebus, permanens in Dei seruitio deuotus, ac monitis sibi saluberrimis cultor assistens assiduus.

Baculꝰ Marcialis paralytico impositus eum sanat.

a Munera respuit S. Marcialis.

b Ignotus Deus colebatur à Burdegalensib.

c Sacerdos idolorum Sigibertus thura adolere voluit Ioui.

d Dæmon cessurum se vrbe pdicat.

e Dæmon Marcialem reuelat.

f Cœna Domini etiam holocaustum est.

g Dæmon prædã suis elapsam manibus indignatur.

h Templa idolorum euertuntur, templo Deĩ ignoti excepto.

i 2800 hominũ baptizant.

k Benedicta vxor Sigiberti baculũ S. Marcial. imponit paralytico, & sanat.

l Sigebert incolumis à S Marcial. baptizatur.

XIIX. Replicemvs aliud miraculum per Dominum à B. Marciale in ciuitate Burdegala operatum. Cum exigentibus hominum insolentiis denominata ciuitas ignis incendio iam consummanda cremaretur, ac penè sui interitum arsura minari videretur: Accipiens religiosa Benedicta baculum ad incolumitatem viri sui restituendam à S. Apostolo accõmodatum, contra ignem opposuit, & dixit: Deus Christianorum, quem prædicat B. Marcialis, erue nos ab imminẽti periculo, & ostende tuam super nos clementiam, qui omnibus te credentibus antequam inuocareris promisisti te adfuturũ. Ad hanc vocem virginis merito Benedictæ ita sopitum est incendium, vt vestigia ignis nullo modo apparerẽt.

Aliud miraculum.

Baculus S. Marcialis ignẽ extinguit ei oppositus.

XIX. Dvm hæc agerentur, admonitus est à Spiritu S. B. Marcialis pergere super Garonam fluuium, in loco qui dicitur Mauricania, vbi multus vndiq; conueniebat populus, cupiens frequenti exhortatione plenius instrui mysteriis fidei, cuius multiplici ostensione signorum, ac sæpissima miraculorum, saluberrima vitæ æternæ iam olim acceperat rudimenta. Videns autem Apostolus multum populum Deo credere paratum, mansit ibi tribus mensibus. Erant præterea nouem dæmoniaci à parentibus ex Burdegala ciuitate catenis constricti, atq; illuc recuperãdi deducti. Qui ante conspectum viri Dei venientes proiecti sunt in terram, & iacebant velut mortui. Expulerat nempè obsessores eorũ dæmones *m* B. Marcialis à supradicta Burdegala ciuitate, ac propterea irati istos inuadentes, nimia in eorum cordibus grassabantur insania. Parentes autem illorum cum ante præsentiã viri Dei, eos catenis constrictos statuissent, cœperunt cum lacrymis rogare, vt pietatem quam omnibus impendere solitus est, illos quoq; vexatos à dæmoniis curãdo nõ abnegaret. Tunc facta oratione cum omni populo, B. *n* Marcialis huiusmodi ad Dominum fudit orationem: Domine, qui dixisti nobis seruis tuis hoc, in nullo alio posse eijci dæmonia, nisi in oratione & ieiunio, tuam immensam deprecamur clementiam, vt iussu potentiæ tuæ isti nefandi dæmones à corporibus tuorum pellantur plasmatum, & famuli tui incolumitati restituti, nomẽ S. tuum indefessa protinus laude benedicãt. Ita enim iacebant exanimes facti, vt cunctus populus mortuos eos crederet. Ipse verò facta oratione, extendens manus super eos dixit: In nomine Domini nostri Iesu Christi, quem Iudæi crucifixerunt præcipio vobis infælicissimi dæmones, vt egrediamini à corporib. istorum hominum, nec in eis vllam vlterius introeundi licentiam, sed nullam lædentes personam eatis in abyssum cruciandi vsq; in diem iudicij. Ad vocem per ora eorum cum sanguine egressi nusquam comparuerunt.

Dæmonũ inuidia

n S Marcial. oratio,

Exorcismus

XX. Nec prætermittendum aliud miraculum, quod in eadem ciuitate per B. Marcialem Deum constat operatum. Sigibertus comes Burdegalensis vrbis audiens beatiss. virum Mauricaniæ commorantem, ac copiosa hominum genera Christo quotidie suis exhortationibus acquirentem, cum magno militum exercitu, ac frequenti ciborum & potus apparatu, ad eum venire cupiebat: simul doctrina veræ fidei, siue institutionis quam olim ab eo didicerat recreari desiderans. Pergentes aũt iussu illius ministri piscandi gratia intrauerunt mare cum nauibus, ac diuersis retibus multorum generum congruis piscibus capiendis. Cumq; multa secum deferentes piscium genera, optata cuperent inuisere littora, subitò tempestas exorta in mari, ipsis interim & nauibus cœpit minari naufragium. Longe quippe à terra positi, vix trecentorum stadiorum attigerant metam. Stabat aũt *o* omnis populus præfati comitis cum venerabili Benedicta, secus littus maris expectantes tam metuendum periculum, quod sibi cælitùs videbant immissum. Cũq; iam mergi cepissent homines cum nauibus, accipiens venerabilis Benedicta *p* baculum Apostoli, quem pro thesauro precioso apud se reseruabat, prætendit illum cum manibus in cœlum, & exclamauit voce magna, dicens: Deus Christianorum, Deus, quem à B. Marciale audiuimus, libera seruientes tibi de tam ingenti periculo mortis. Cõtinuò diuinitùs sedata tempestate, cum omnibus piscibus, & nauibus, necnon retibus ad littus peruenerunt maris incolumes. Quod videntes cuncti qui aderant congregati, cœperunt laudare Dominum, quòd tam immensa seruis suis præstaret obsequia, & etiam vbi *q* corporaliter non sunt tamẽ à fidelibus inuocati dicto citiùs exaudiuntur, atq; deprecantium vota illi celeriter deferunt, cum quo viuunt & regnant in sæcula sæculorum.

Aliud miraculum.

Ministri Sigiber. è naufragij periculo emergunt, & eripiuntur.

o S Marcialis baculo in altum eleuato, & prece fusa:

p Reseruat baculus S. Marcial vt thesaurus.

q Sancti vbi nõ sunt corporaliter, ẽt inuocati audiunt & deprecãtur.

XXI. Posthæc B. Martialis à Mauricania reuersus, Lemouicum solum repedauit. Stephanus autem dux iusserat, vt supra dictum est, fabricari Ecclesiam super B. Valeriæ virginis sepulcrum, in qua etiam multa munera contulit, quæ in sequenti enumerabimus. Quam basilicam cum decentissime dedicandam consecrare in honore B. Stephani protomartyris consanguinei voluisset, eodem modo quo & sedem suam dedicauerat, perrexit primùm ad quendam vicũ vocabulo Ausiacum, in quo erat idolum Iouis statutum, quod Pagani multum venerabantur. In quo loco iacebat multitudo magna languentium, ac diuersis oppressa infirmitatibus. At vbi peruenit sanctissimus Marcialis prædictum

ctum vicum cœperunt deprecari illum ipsius loci incolæ, vt ipsum idolum iuberet loqui, quia audierant ab ipso cate-
S Marcialis dæmoni & idolo imperat. nis se constrictum igneis à comitantibus B. Marcialem angelis. Tunc subridens, dixit: Adiuro te dæmon inique, qui
in hac statua responsa dare deceptis hominibus consueuisti, vt exeas ab illa, in nomine Domini nostri Iesu Christi, &
confringas eam tali vultu & forma, vt omnibus hic astantibus appareas, qua videri & cognosci ab ipsis possis. Ad cu-
ius vocem egressus de statua, cœpit stare ante eos. Erat enim quasi niger puerulus, obscurior fuligine, capilli eius tetri
Forma hæc dæmonis horrori est & densissimi vsq; ad pedes, & per os illius & nares, perq; oculos ignis cum fœtido ardore emanabat. Quem intuens
venerabilis Dei Apostolus: conuersus ad populum dixit: Ecce videtis quem Deum colebatis. Perspicite quia sibi nec
cernentib. vt & dęmonia respuere docerentur. vobis quicquam iuuare prævalet. Tunc conuersus ad dæmonem dixit. Præcipio tibi in nomine Domini, vt sicut iam
dixi, exeas ab hac statua, & a confringas eam vsq; ad puluerem, pergásq; in locum desertum, nullum lædens hominẽ,
sed ibi permanens vsq; in diem iudicij. Ad hanc vocem confractam statuam redegit in puluerem, & postea nusquam
comparuit. Beatissimus autem Marcialis eadem hora congregare fecit ad se cunctos ægrotos ac diuersis infirmitatib.
languentes, & facto b signo crucis super eos cunctos reddidit sanos. Baptizatis autem omnibus qui hîc commanere
videbantur: Inde reuersus insignis c Marcialis Apostolus ad propria remeauit.

a Confringit à dęmone statua.
b Signi crucis virtus
c S. Marcial per reuelationem Apostolorum Petri & Pauli martyrium agnouit.

XXII. TVNC in visione cognita recenti preciosa morte sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, suaq; vocatione præ-

Tumuli locum sibi S. Marcialis deligit. stita, confestim iussit vt omni celeritate perficeretur oratorium, quod fuerat inchoatum ab ipso & Stephano duce, in
possessione B. Virginis Valeriæ: in quo ad occidentem tumularium sibi statuit sepulturam, & retro in alia cripta tu-
mulum posuit Stephani ducis, sicut eum ipse fuerat deprecatus. In solario verò quod super sepulchrũ illius medium
est, altare in honore B. Stephani protomartyris cõsanguineiq; sui consecrauit. Quod, vt supra memorauimus, dispo-
Altare in honorem S. Stephani consecratũ. fuerat primitus ponere super sepulcrum B. virginis Valeriæ, antequam martyrium Apostolorum Petri & Pauli in vi-
sione diuina agnosceret. Totumq; d ipsum altare B. Stephani per circuitum clauis affixit aureis, ac coronas in circuitu
d Vniuersa templi supellex sex posuit aureas, cum totidem lampadibus aureis ad luminaria continuanda. Constituit & supra dictum aliud e Ora-
torium ante sepulchrum suum, vt esset in honore B. Petri Apostolorum Principis, ac propinqui sui, totumq; altare
habens per quatuor angulos coronas aureas. Ante altare f verò septem posuit lampadas ex auro purissimas, vt ibi ma-
ne & vespere oleum cremaretur. Iussit etiam fieri candelabra ex auro quinq;, & thuribulum aureum vnum, ac g crucẽ
e Oratoriũ in S. Petri & Pauli honorem. auream ex auro similiter fieri præcepit ad ornatum Ecclesiæ ac officium altaris peragendum. Quæ postquàm omnia
gesta sunt, vocauit ad se egregius ac preciosissimus discipulus Domini, Stephanum ducem, & dixit ei. Consecremus
f Assiduum lumen in templo. hanc h domum in Dei omnipotentis, & sanctorum eius honorem, vt ipse nobis egredientibus à corpore pius retri-
butor, & magnificus occurrat remunerator. Hæc audiens dux, præcepit per vniuersas regni sui prouincias sufficiens
triticum, & abundans vinum, taurorum i etiam pinguium & vaccarum & altilium, cæterarumq; carnium innumerã
g Crux ex auro. coaggerare fecit in multitudinem Præcepit autem in circuitu ciuitatis construi vmbracula innumera, atq; tendi plu-
rimarum specierum papiliones. Taleq; constituit præceptum, vt cuncti eius dominatui subiecti, læti & k alacres fo-
h Templi consecratio rent, & exultantibus animis festiuitati dedicationis basilicæ interesse curarent. Omnibus autem diuitibus, pauperi-
i Apparatus cõuiuij die dedicationis exhibendi. bus, ac l peregrinis abundanter dari iussit, quę eis deesse videbantur. Beatissimus verò Marcialis conuocato omni po-
pulo dixit eis. Estote parati in diem crastinum, vt purificati corpore, & mundi corde, mereamini recipere Dominum
cum Angelis & sanctis suis, & vt egressuros à corpore ille suscipere dignetur, ac cum eisdem Angelis & sanctis secum
perpetuo habitare permittat. In crastinum m celebrante ipso beatissimo viro Missarum solennia, ecce subitò quidã
k Festiuitas dedicationis. iuuenis m Comes Turonicæ ciuitatis nomine Arneus, cum sua vxore Christiana arreptus est à diabolo. Nõ diù passus
est Apostolus hanc sustinere illos fatigationem, sed cum grauiter eos vexari vidisset, ad se venire præcepit, & dixit dę-
l Peregrini recreantur. monibus. Cur illos immundissimi n dæmones ingredi ausi estis? Dæmones dixerunt, Quia inuenimus eos non obtẽ-
perantes tuis præceptis, quibus hesterno præceperas, vt hodie vsq; castos se & mundos custodirent. Isti verò nihil ho-
rum egerunt, sed carnali immundicia ac turpi o lasciuia semetipsos commaculantes, totam hanc noctem duxerunt.
Hac occasione accepta ingressi sumus eos. Quod audiens populus cum duce, beatiss. virum Marcialem rogare cœ-
perunt, vt eos qui vexabantur homines, à dæmonum liberaret insidiis. Tunc B. Marcialis conuersus ad dæmones di-
xit. Adiuro vos per Dominum nostrum Iesum Christum, vt exeatis ab istis hominibus, nec vlterius in eis ingrediendi
m Missæ celebratio in ipsa dedicatione licentiam habeatis. Qui iussa complentes illos quos inuaserant, relinquentes, abierunt. Vir autem ille cum coniuge
sua sani redditi, cœperunt glorificare Dominum. Tantam autem gratiam contulit Dominus beato viro, vt in die cõ-
m Iuuenis cũ vxore à dæmonio correptus à S. Marciale curatur secrationis basilicæ quando pro se, & pro populo p Sacrificium immolaturus Missarum solennia peragebat: tantam
claritatem splendoris diuina pietas in eadem basilica cælitus emitteret, quo iure quiuisset alter alterum sibi proximũ
videre. Super ipsum verò Apostolum, & in circuitu eius gloria Domini, & tanta q lux diuina ac maiestas eius refulsit,
n inobedientia dat dæmonib. accessum. vt nullus eam sermo explicare possit: nullusq; sufferre potuisset aspectus. Consecrata est autem eadem r basilica san-
cti Petri vj. nonas Maij mensis, tẽporibus Neronis Imperatoris, quarto decimo hoc est imperij eius anno, quo etiam
Vespasianus Imperij Romani principatum pro eo suscepit, fidem dedicationi Stephano duce coastante & exultanti
o Lasciuia dęmonibus amica. animo interesse cupiente. His rite peractis, constituit B. Marcialis cum Stephano duce s sacerdotes in eadem basilica,
qui quotidie ibidem Dei officium peragerent, & religiose viuentes, Deo cui se deuouerant militare studerent, Andre-
am scil. socium Aureliani, quos ipse à mortuis resuscitauerat, & Hildebertum filium Archadij comitis Pictauiensis,
qui similiter ab eo fuerat resuscitatus, cum aliis triginta sex clericis qui assiduè ibidem Deo omnipotenti deseruirent.
p Sacrificium Missæ pro celebrante offertur, & pro populo. Dux verò Stephanus ex suo reditu alimoniam illis constituit, & vestitus copiam, vt absq; indigentia, ac penuria alicu-
ius rei, sancte viuentes coniuersarentur. Constituit etiam t custodes ad Ecclesiam, & vasa custodienda cõsecrata duo-
decim, quibus & vnde haberẽt victus & vestitus necessaria tribuit. Hospitale u quoq; pauperũ iussit fieri, in quo quo-
q Luce circũdatur cælesti S. Marcialis Missã celebrans. tidie præcepit quingentos pauperes recreandos suscipi, & alimoniam victus vnde haberent, instituit. Die autẽ tertia
post dedicationem templi, conuocauit Apostolus omnem populum qui fuerat congregatus à minimo vsq; ad maxi-
mũ, & fecit illis exhortatorium sermonem, protrahens illum de mane vsq; ad horam octauam. Octaua autem x hora
offerens sacrificium Domino pro se, & pro cuncto populo, dedit eis hanc y benedictionẽ, dicens: Omnipotens Deus
r Quo tempore basilica dedicata est. sua nos gratia benedicat, & ab omni malo nos defendat, & quia pro eius honore ad dedicandum templum aduenis-
tis, faciat nos perseuerare in operib. bonis, & quando ipsius iussu de hoc sęculo migraueritis, tã perfecti inueniamini,
vt cum gaudio sanctorum cœtibus aggregari mereamini. Quod ipse præstare dignetur, cuius regnum & imperium si-
ne fine permanet in sæcula sæculorum, Amen. Dimisitq; populum, & abijt vnusquisq; in domum suam in pace.

s Sacerdotes in basilica constituti. t Templi custodes duodecim. u Hospitale ad 500. pauperes quotidie recreandos. x Hora octaua matutina sacrificium Missæ à B. Marciali offertur. y Benedictio Episcopalis.

XXIII. PRÆTEREA pontifices templorum, qui quondam flagellauerant B. Apostolum cum discipulis suis, Erant indesi-

Ieiunium. nenter adhærẽtes illi, in ieiuniis, in vigiliis, in orationib. assiduis, & in omnib. bonorum operũ exhibitionibus. Nãq;
Abstinentia quotidie vsq; ad vesperam ieiunantes, nullum omnino cibum percipiebant, pręter panem & aquã. Benedicens itaq;
Aurelianus consecratur à S. Marciali Episcop. Aurelianũ beatiss. Marcialis ordinauit eum, ac præfecit post suum discessum vrbi Lemouicensi, Andream verò pres-
byterum præfecit Ecclesiæ, in qua ipse sepultus est. Tantam autem gratiam immensa Christi bonitas z Aureliano cõ-
tulit

z Aurelianus miraculis etiam viuens coruscat.

tulit vt multa virtutum signa per eum exercerentur, & orationibus eius, multa languentium membra incolumitati restituerentur. Sanctus aũt Dñi pergens vbiq; ad prædicandum per singulas ciuitates in Gallia, ac per vicos ac castella ad euangelizandum, seu ad Ecclesias per totam Lemouicensem, & Aquitaniam prouinciam, in locis in quibus nõ erant, ædificandas, non equo vehebatur, non asino, non quolibet iumento, nec calceamenta propriis induebat pedibus, sed iuxta Domini sui ac magistri Iesu Christi sententiam, quam ipse tam illi quàm aliis aptis inculcare solebat, vt pergentes de ciuitate in ciuitatem, non sacculum, neq; peram secum tollerent, neq; calceamenta, nudis incedens gressibus, imitator Christi atq; B. Petri Apostolorum principis, consanguineiq; sui, in omnibus quæ idem præcepit, existere curabat. Si quando verò ad sanctam sedem suam, S. Stephani scil. Ecclesiam reuerteretur, cum hymnis & orationibus reuertebatur, omni tempore benedicens Dominum, & laus in ore ipsius permanens continuatim. Sermonem quoq; Domini & magistri sui, quem ipse illi & aliis discipulis dixerat, de omni verbo otioso quod loquuti fuerint homines, rationem pro eo reddituros fore in die iudicij sępissimè omnibus prædicabat, ac credendum & pertimescendum omnibus suadebat. Constituit etiam tale decretum ille beatiss. doctor Aquitaniæ, in omni Lemouicensium prouincia, & per Aquitanorum circumiacentium finitima loca, vt homines hanc patriam inhabitantes, omni anno quatuor succedentibus sibi vicissim temporibus, ad Ecclesiam supradictæ suæ sanctæ sedis, in qua ipse per viginti octo annos Episcopus sedit, in honore B. Stephani protomartyris consecratam venirent, orationum munera delaturi & deprecationum vota, in cinere & cilicio cum oblationibus & luminariis vota offerenda. Sicq; venientes ad locum quo venerabilis eius tegitur vrna sepulcro, tribus diebus ibidem perseuerantes permanerent, benedictioneq; accepta, simulq; peccatorum remissione pro fidei ab eodem sanctiss. pastore impetrata, post trium dierum venerabilia ieiunia, vnusquisque reuertetur ad propria. Tantam autem gratiam illi Dominus contulerat, vt conscientias hominum plenè agnosceret, ac omnibus ad communionem sacri corporis & sanguinis Christi venire cupientibus, postquam à Diacono ex more clamatum fuisset, vt si quis non posset communicare, ab Ecclesia exiret: ipse, omnibus à quibus impulsarentur tentationibus, patefaceret, & quid quisq; cogitationis vel immundæ pollutionis eadem nocte passus fuisset, prædicaret, ac Eucharistiam corporis & sanguinis Christi prohiberet accipere dicens: Non debet quisq; fidelium corpus Christi accipere, nisi mundus. Erat enim diuina eruditione repletus, religione insignis, morum probitate pollens, miraculorum exhibitione admirabilis. Erat contemptor sæculi, amator Dei & proximi, & cui viuere Christus erat, & mori lucrum. Docebat vnum Deum in tribus personis existere, & Dominum Iesum carnẽ ex Maria, causa salutis humanæ sumpsisse, incrementisq; corporalibus vsq; ad perfectam ætatem peruenisse. Hortabatur vt virtutibus insisterent, & ab omnibus vitiis, & peccatis omni diligentia, se abstrahere procurarent. Dicebat esse bonam castitatem coniugalem, meliorem continentiam vidualem, optimam & angelicæ consimilem integritatem virginalem, & vt hæc prædicatio à nullo potuisset contemni, magnitudo miraculorum cogebat quæ in Christi nomine faciebat. Reddebat claudis gressum, mutis loquelam, ac mortuos reuocabat ad vitam. Sunt & alia multa commemoratione digna, quæ per eum Christi gratia cognoscitur operata: quæ si literis scriberentur, à non credentibus apocripha dicerentur. Ego verò Aurelianus, licet non omnia cognouerim, nec plenè didicerim ea quæ ab ipso gesta sunt, antequam ab illo sacri baptismatis vnda regenerari meruerim, tamen postquam ab illo ab inferni claustris luci sum redditus: seu audire relatu discipulorum suorum, vel ipsius ore (licet ipse vix ea referret, & multa ac maxima de se celare vellet) vel videre proprio potui visu, necessaria tantum modo reticere minimè curaui. Sed hactenùs deq; moribus & conuersatione illius loquentes, nunc qualiter de hoc sæculo ad desiderati peruenerit gloriam brauij, reducamus stylum.

Pedester Macialis diuersis in regionib. euãgelizat, diœcesim visitat

Laus Dei semper in ore B. Marcial.

Verbum otiosum cauendum.

Decretum Episcopale.

Oblationes luminaria.

Cognitio abstrusorũ.

Non admittit S. Marcialis indignos ad Eucharistiam.

Trinitatis prædicatio.

Sũma fidei

Ad mores.

Miracula.

Aurelianus se huius vitæ authorẽ asserit.

Præparat se ad transitũ S. Marcialis describẽdũ.

XXIV. ANNO quadragesimo post resurrectionem Domini nostri Iesu Christi, imperij verò Vespasiani Cæsaris tertio, Olympiadis autem ducentesimæ duodecimæ nihilominùs tertio, orans erat solitò B. Marcialis, & ecce apparuit ei Dominus Iesus cum indicibili claritatis splẽdore, & dixit, Pax tibi sit fidelissime frater. Quoniam obedisti voci meæ, eris iugiter mecum in claritate quæ nullo fine clauditur. Hæc audiens discipulus Domini, repletus gaudio magno, dixit: Domine videns faciem tuam, ita lætus sum effectus, quasi à sepultura fuerim suscitatus. Tu es enim Dominus & magister meus Iesus Christus filius Dei viui, quem vidi, quem cognoui, quem retinui & dilexi, quem semper cernere desideraui, vox tua plena dulcedinis, omnium vincit flagrantiam aromatũ. Deprecor Domine Iesu pastor bone immensam clementiam tuam, vt iubeas me euehi ad claritatem, quam mihi & omnibus te diligentibus promisisti. Et Dominus ad eum: Quintodecimo die veniam ad te charissime, & recipiam te cum angelis, & prophetis, & martyrib. ac turma virginum, & confessorum, & statuam te cum fratribus tuis, & faciam te cum illis hæredem regni mei. Hoc audiens vir sanctus, conuocatis fratribus, indicauit eis diem obitus sui imminere, simulq; retulit eis qualiter hoc ipsum à Domino cognouisset. Tunc mittens nuntios per vniuersas regiones, ac prouincias Galliarum, quas ipse Domino prædicando acquisierat, omnes præcepit adunari, vltimum eis vale facturus, vtriusq; scil. ordinis, simulq; benedictionem, & peccatorum absolutionem, sicut cum Petro & aliis Apostolis acceperat, eos daturus. Audientes aũt vniuersi populi, quos ipse ab errore ad veram perduxerat viam, quiq; illum videre meruerant, vel etiam relatu insignia conuersationis eius gesta audire potuerant, cum eiulatu magno ad eum venire cęperunt. Populus scil. Pictauiensium & Bituricensium & Auernorum seu Vasconum & Gothorum, & aliarum multarum gentium, quæ erant per circuitum, cupientes salubria prædicationis eius verba, ac benedictionis munera, antequã ab illis auferretur, accipere. Itaque vir Dei, postquã à Dño, carnis, vt diximus, se cognouisset absoluendum vinculis, perseuerauit instanti prece, in afflictione positus, in ieiuniis assiduis, in continuis vigiliis, & intermissis orationibus. Statuto tẽpore noctis post modicam pausationem, qua scil. paululùm fessos recreabat artus, surgens ad orationem vsq; in horam secundam diei, precum & laudum Domino reddebat vota. Tunc deinde in ipsa hora secunda offerens sacrificium Domino pro se & pro omnibus, quos Christo acquisierat, postea prædicabat assiduè vsq; ad vesperam, sicq; percipiebat incumbente iam nocte, arduam sibi impositam victus alimoniam, panem scil. & aquam.

Apparet Iesus S. Marciali.

Exultat S. Marcialis.

Sanctorum societas.

S. Marcialis omnẽ gregẽ suum colligit vltima verba ad eos habiturus.

Flet plebs vniuersa.

Præparatio illi⁹ qui breui moriturus est.

Hora noctis secunda Missa celebratur.

XXV. APPROPINQVANTE autem die obitus sui, rogantibus se omnibus, qui ibidem erant congregati, vt exhortationis verba illis proferret, antequã ab hoc sæculo ad regnum transiret æternum, perrexit foras ciuitatẽ, ad portam quæ dicitur Calcinea, ibiq; sermonem omnib. protulit, qualiter Deum colere deberent, trinum videl. in personis, vnũ in essentia diuinitatis, Patrem scil. vnigenitum Filium à solo Patre genitum, Spiritum verò S. à Patre Filioq; procedentẽ. Narrabat magistri sui Iesu Christi Domini baptismum, ieiunium, tentationem quàm à diabolo ferre voluit. Intimabat eius doctrinam, quam ab ipso audierat. Replicabat miracula, quæ ipsum facere viderat, & quomodo per omnes actiones verum Deum, verumq; hominem se monstrauerit, declarabat. Mortalitatem quoq; talem docebat, qualem in lege & prophetiis scriptam certissime nouerat per omnia, & euangelizans aliorum Apostolorum approbabat instituta, qui à Domino fuerant docti, videl. vt Deus diligeretur toto corde, tota mente dicebat, & hoc vnusquisq; impenderet pro mino, quod sibi vellet impendi ab illo. Ostendebat qualis esset humilitas, quia per humilitatem illuc peruenitur, vnde angelus superbus cecidit, qui similem se esse voluit Altissimo. Replicabat quomodo filius carnẽ ex virgine assumens, humilis & pauper mundo factus est, vt nos sua paupertate ditaret, & humilitate scandere cœlestia doceret. Hæc n. virtus, id est humilitas, dicebat, congregatas virtutes conseruat. Admonuit etiam hanc esse quã prædicabat,

Prædicat S. Marcialis extra vrbẽ.

Sũmma doctrinæ Christianæ.

Humilitatis commẽdatio.

Hospitalitatis laus. *Heb* 11. *Luc* 24. *Matth* 24. dicabat,& Apostolicam doctrinam & ipsam eandemq; cæteros apostolos veritatis per mundum prædicare, quò erãt tunc dispersi,& vt hospitalitas minimè ab omnibus obliuiscereturadmonebat: quia per hanc(dicebat)probatũ esse multos Domino placuisse etiam angelis hospitio receptis. Dicebat qualiter Dominus post resurrectionem à duobus discipulis in Emaus euntibus adue sperascente iam die in hospitio susceptus atq; in panis fractione est agnitus, quando aperuit illis sensum intelligendi scripturas. In iudicium quoq; venturum Dominum hanc compensationem suis fidelibus repromisisse dicebat, vt se in hospitium &peregrinorum habitu dicat fuisse susceptum, ac per hoc parem remunerationem illis collaturum. Exhortatus est præterea, vt charitatis opera cuncti amare studerent, quia charitatẽ operire astruebat multitudinem peccatorum, & sine illa quemquam aliud bonum facere, non valere, quia hanc esse virtutem dicebat in qua tota pendet lex & prophetæ,& qui in illam deliquerit, reum prophetarum & legis esse testabatur. Docuit etiam qualiter caste & sancte viuere deberent, de omnibus operibus suis æquissimo iudici se rationem reddituros cognoscerent.

Charitatis operũ laudes.

Auaritia execranda. *Luc.16.* Auaritiam quoq; omnibus modis execrandam testatus est, præcipiens diuitibus non sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo ponere spem suam. Semper debere ad memoriam illos reducere testabatur, exemplum purpurati Diuitis & vlcerosi Lazari, qui micas negando panis, stillam non promeruit recipere aquæ. Hæc & multa talia per totum diem cum disseruisset, vrgente iam illum nimia vi febrium, dedit populo hãc benedictionẽ, dicens: Omnipotens Deus sua nos clementia benedicat,& sensum in nobis sapientiæ salutaris infundat, Amen. Catholicæ fidei documentis enutriat,& in bonis operibus perseuerabiles reddat, gressus nostros ad vitam dirigat, viamque pacis & charitatis ostendat. Cumq; omnes respondissent Amen. Iterùm conuersus ad eos dixit: Benedicat vos Dominus, & custodiat vos, & misereatur vestri, conuertat vultum suum super vos, & det vobis pacem. Quod ipse præstare dignetur, qui vos de limo terræ formauit, & precioso sanguine redemit, cuius potestas permanet in sæcula sæculorum. Cumq; rursus omnes respondissent Amen, conuersus ad Dominum, dixit: Domine Iesu Christe pastor bone, commendo tibi oues quas B. Petro nunciante mihi tradisti. Conserua ergo populum tuum, quem tibi gratia tua per aquam & Spiritum S. regeneratum acquisiui, quemq; glorioso redemisti sanguine Domine, vt sit tibi populus peculiaris,& tu sis defensor,& custos indeficiens per infinita sæcula, Amen.

Epulodiues in exemplũ proponitur

Benedictio data à S. Marciale vere Episcopo digna.

Oratio ad Dominum.

Portatur S. Marcial. in oratorium S. Stephani.

COMPLETA igitur benedictione, simulq; prædicatione, portari se fecit in oratorium, quod in honore B. Ste- XXVI.
phani protomartyris, consanguineiq; sui construxerat atq; dedicauerat, fecitq; ibi exitum suum in cilicio recubans, & cinere genibus flexis & capite, manibusq; in cœlum intentis, orationibus muniri curauit, huiusmodi fundens orationem Domino. Tu Domine magister meus Iesu Christe, qui dixisti mihi, vt tibi seruiens vxorem non acciperem, sed totus tibi vacarem,& vsq; in hanc horam custodisti cor meum,& corpus meum ab omni pollutione. Qui in hanc prouinciam propter te Christe filium Dei viui annunciandum me misisti,& in tribulationibus non me dereliquisti,& pauperem me esse voluisti propterea in terris, vt à te remunerarer in cœlis. Scis quia indigens & peregrinus in laboribus & periculis hactenus sum conuersatus in loco in quo me venire iussisti, vt fides mea non periret, & spes vitæ habita non confunderetur. Obseruaui primam ac secundam & tertiam vigiliam, vt ad te inuitatus, tecum ad nuptias epularer, ac perpetuo gaudere possem. Dirige Domine iter meum ad te, vt diabolus non intẽdat in me, sed lumine tuo obscurentur oculi eius,& obliuescat os eius: ne ad me valeat appropinquare, vel cursum meum ad te pergentem suo conamine perturbare. Aperi mihi pulsanti ianuam vitæ magister meus Christe,& circunda me gloria tua pastor benigne, ne de me præsumat inimicus humani generis gaudere. Hęc dicens, ad vltimum, huiusmodi ad Dominum effudit vocem. DOMINE IESV CHRISTE, pastor bone, quem semper dilexi, in manus tuas commendo spiritum meum. Cunctus autem populus è diuersis prouinciis congregatus, flebat sine cessatione & orabat: ac gemitibus & lachrymarum singultibus vsq; ad cœlum euociferans, discrimen sibi pro amisso pastore pertimescebat. Ipse autem flentibus omnibus, innuens manu vt silerent, dixit: Tacete. Nunquã audistis quantæ venerint laudes de cœlo? Certè Dominus venit sicut promisit. Ad hanc vocem continuò lux magna refulsit in eodem loco, quasi septempliciter iubar solis ibi resplenduisset,& vox audita est dicens: Egredere benedicta anima de corpore, quia de longinquis partibus siue regionibus aduenisti, ac voci meæ obediens, parentes & patriam dereliquisti, & me secuta fuisti, eris iugiter mecum in longitudine dierum in claritate quæ nullo fine clauditur. Post hanc vocem ab omnibus auditam, simul cum omni splendore perrexit in cœlum 2. Kal. Iul. Videntibus omnibus qui aderant, ac Deum glorificantibus. Angelorum enim concentus auditus est dicens, Beatus est, Domine quem elegisti & assumpsisti, habitabit in tabernaculis tuis, in sæcula sæculorum.

Vltima precatio.

Fletus populi.

Voces è cælo.

Videtur anima S. Marcial. efferri.

XXVII.

Paralyticus feretri attactu mundatur.

CVMQVE hora diei tertia in crastinum aduenisset, tetigit feretrum eius paralyticus quidam, nullius membrorum suorum potestatem habens, & statim sanus factus est. Quod videntes cuncti, qui aderant populi, glorificauerunt Deum, qui fidelibus suis tam ingens contulit beneficium, vt carne soluti in carne positos saluent, ac malè sanos sanitati restituant. Cùm verò ad sepeliendum corpus illius deferretur, in hora egressionis à basilica S. Stephani, cœli aperti sunt, viamq; omnibus apertione sua ostenderunt, qua sancta membra ipsius tumulanda deferri debuissent. Semper illis pergentibus cœli aperiebantur vsq; ad locum sepulturæ. Quantus illic fletus, quàm innumerus populorum luctus, quantus clericorum & laicorum extitit gemitus, nec si mille haberem linguas, dicere valerem. Conueniebant præterea ad exequias sepulturæ multi dæmoniaci & cæci, & diuersis infirmitatibus oppressi, qui ad eum videndum ex longinquis regionibus aduenerant: licet eum minime videre potuissent. Beatus autem Alpinianus discipulus eius eius clarissimus sanctitate, accipiens sudarium eius, tangebat ex ipso infirmorum corpora,& ad Christi inuocationem, cunctos sanitati restituebat. Nullus enim infirmus sudario B. Marcialis tactus fuit, qui non continuò sanus recesserit. Inter reliquos verò infirmos qui diuersis partibus affuerunt, non debemus silentio tegere hydropicum quendam ex Tolosana vrbe aduentum comitante cæcorum numero cum dæmoniacis quatuor, sequenti die post assumptionem eiusdem discipuli Christi, ad sepulchrum illius repræsentatos. Quos videns B. Alpinianus, more solito a accepto sudario sanctiss. Marcialis,& imposito super eos, restituit integræ incolumitati. Multa verò innumerabilia per eundem preciosissimum virum, postquam tumulariam meruit sepulturam, Christi clementia operata est miracula: quæ si scriberentur multorum voluminum comprehenderent summam, ac per hoc ab infirmis intellectibus apocripha dicerentur. Nos verò quantum certissimè scire potuimus, necessaria hæc tantum ad Ecclesiam roborandam silentio tegere nequiuimus: licet non omnia ad liquidum prosecuti fuerimus, quæ de tam præclaro & magnifico discipulo Domini & Apostolo dicenda fuerant. Sed fortasse cui ista non sufficiunt, non ampliora si scriberentur, sufficerent volumina. Adsit nobis ille sæcularibus, qui in orbe extitit pastor pius, vt orationibus eius muniti, hæreditatis æternæ mereamur participes adsciscisanctorum collegio in regnum Domini nostri Iesu Christi: cui est gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Miracula in ipsis exequiis facta.

Sudario S. Marcialis tanguntur infirmi & sanantur.

Hydropicus ab vrbe Tolosana aduenies sanatus cũ quatuor dęmoniacis a Sudario S. Marci. virtus.

Idem stylus qui supra pręmittitur Aurcliani.

FINIS MENSIS IVNII.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

VI.

XVII.

